Digitized by Google

I A 6
C. 3
S. D
O. 5
N. 5

Digitized by Google

Liv: 50
2-16

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

ACTA
SYNODI
NATIONALIS,

In nomine Domini nostri
IESV CHRISTI,

Autoritate

ILLVSTR. ET PRÆPOTENTVM

DD. ORDINVM

GENERALIVM FOEDERATI
BELGII PROVINCIARVM,

DORDRECHTI

HABITÆ

ANNO CIƆ IƆ CXVIII ET CIƆ IƆ CXIX.

Accedunt Plenissima, de Quinque Articulis, Theologorum Judicia.

LVGDVNI BATAVORVM,
Typis ISAACI ELZEVIRI,
Academiæ Typographi,

Societatis DORDRECHTANÆ sumptibus.
CIƆ. IƆ. CXX.
Cum privilegio Ill. Ord. Generalium.

Digitized by Google

Digitized by Google

Serenissimis atque Potentissimis
Christiani Orbis

MONARCHIS

AC

REGIBVS,

Illustrissimis Celsissimisque

PRINCIPIBVS, COMITIBVS,

CIVITATIBVS

AC

MAGISTRATIBVS,

ORDINES FOEDERATARVM

BELGII PROVINCIARVM

GENERALES,

In Christo Iesu, omnium nostrûm Servatore ac Mediatore unico, salutem felicitatemque perpetuam.

Vndamentum Reipublicæ huius nostræ celeberrimæ esse Vnionem, Vnionis autem, verum Dei cultum, nemo ignoravit, quamdiu nobis res cum uno ac eodem hoste fuit. Simul ac sublatus fuit metus, ne quid foris detrimenti publica res caperet; generis huma-

humani hostis, qui in statione eâdem semper excubat, omnes machinas à mœnibus ac muris, in Ecclesiam convertit: qui cuniculi quo minus sentiuntur, (nihil enim homini naturæ æque adlubescit ac profanitas) eo maius malum ac præsentius creare solent. Quia cum Ecclesia, quamdiu hic vivimus, vix separari possit à Republica; qui dissidia illius aut illudunt, quales semper plurimi fuerunt, aut ad ea non advertunt animum ut debent, ubi simultatum morbi, qui ex ista oriuntur, ad vitalia totius status pervenerunt, suam quoque agi rem intelligunt. Æque enim omnes sentiunt ruinam, etiam qui antea periculum non metuebant. Huius rei Fœderatæ hæ Provinciæ, illustre documentum orbi vniverso hactenus dederunt: quæ cum belli tempore inconcussæ atque immotæ, Dei ope, semper steterint, ab adversis animum, à discrimine assumpserint virtutem: inducias, discordia civili, & nisi respexisset idem Deus, proprio interitu exitioque redemisse videbantur. In horrenda hac calamitate & vindicta, quæ contemptum aut neglectum cultus Dei semper sequitur in terris, illud erat vel miserrimum, quod remedium concordiæ iam sustulissent, qui discordiam invexerant. Quod, tot votis omnium bonorum & gemitibus, qui publicum conventum tot iam annos suspirabant, in quo fons

Digitized by Google

fons calamitatis hujus ſerio expenderetur, locus amplius non eſſet. Quod, qui pacem toto pectore ardebant, armis eam denegari publice viderent. quibus non ab hoſte, ſed à ſuis, contra veritatem, quam profeſsi ſemper fuerant, in patria obſidebantur. Nos, virtute eius freti, qui hic ſedem ſibi ſemel poſuit, qui immenſis olim beneficijs probavit, non ſe ita omni populo feciſſe, ſimul ac Rempublicam labantem, cuius cura nobis cœlitus commiſſa erat, ſubduxiſſe in tutum nobis videbamur, Dei vivi cauſam ac negocium, à cuius Maieſtate omnis quæ in terris eſt autoritas dimanat, magno animo, immenſis ſumptibus, agendam putavimus. In Vrbe Hollandiæ primaria Dordrechto, Synodum indiximus. Ad eandem, præter Profeſſores noſtros ac Miniſtros Senioreſque, exquiſitæ eruditionis viros, ex vicinis Regnis, Ditionibus ac Rebuſpublicis, quæ Religionem profitentur Reformatam, ſuaſu, inprimis Maximi ac Sereniſsimi Iacobi I. Dei Gratia Magnæ Britanniæ Regis, & Arauſicano Principe in conſilium adhibito, celeberrimos Theologos vocavimus. Qui non, quod in rebus cæteris nonnumquam ſolet, temere aut aliud agendo, ſed iurati prius cœli Dominum ac terræ, ſe non niſi præeunte eius verbo & dictante conſcientia, in hoc tam vene-

rabili conventu de tam arduis myſterijs ſententiam dicturos; admirando ac prope incredibili conſenſu (prout ex Præclaris, Nobiliſsimiſque viris, Delegatis noſtris, quos præeſſe univerſæ actioni, ac de omnibus ad nos referre iuſsimus, nobis indicatum eſt atque ipſi deprehendimus) tot annorum litem deciderunt. Quam nonnulli, qui damnata pridem innovabant, non de terminis agrorum, ſtillicidijs, aut aquæductibus, quæ res infra cogitationes noſtras eſſe ſolent, ſed de finibus humanæ voluntatis & Divinæ gratiæ, ſub nomine Prædeſtinationis, quam exoſam populo reddebant, Deo intentare ac Collegis cœperant. Vicit vero Dei cauſa omnium ſuffragijs, ſecundum quem pronunciata eſt hæc controverſia. Vt in poſterum reijciatur omnis homo, qui cum Creatore ſuo in certamen venit. Hunc conſenſum Canones iam pridem editi, in quos ad unum omnes convenêrunt, cum ſubſcriptione ſingulorum, coram toto orbe ſemper teſtabuntur: totidem Eccleſiarum ſcilicet Chirographa. Cæterum eâdem cura, ne quid ad Eccleſiæ tranquillitatem in hac Ditione noſtra confirmandam, amplius deſiderari poſſet, ipſas quoque Vnionis noſtræ Formulas, Confeſsionem nempe, & Catecheſin hactenus hic uſitatam, ad Divini verbi normam, ab ijſdem recognoſci ſedulo curavimus. Qui,

rem

rem totam ubi diligenter & in Domini timore, cum ardentibus ad Deum precibus, in eodem venerabili conventu expendissent; cum prope ineffabili multorum gaudio, qui bonitatem Dei Israelis in tam suavi tam amico omnium consensu, animo gustabant, iudicarunt: hanc Doctrinam, ita uti in utraque exponeretur, cum Divino Verbo convenire, ideoque ad posteritatem omnem, sine ulla immutatione, esse transmittendam. Quod iudicium, & Nos, ratum esse volumus. Porro omnibus ut constet, quantum vobis

REGES,

PRINCIPES,

COMITES,

CIVITATES,

MAGISTRATVS,

qui in hac tam pia, tam sublimi causa, prompte ac benigne nobis adfuistis, quantum item eruditioni, pietati, fidei, sinceritati, maximorum, qui à vobis missi sunt, Theologorum, deferamus, sed præsertim, ne quis de consensu nostro in Religione dubitare possit; eorum, qui in venerabili hac Synodo comparuerunt, Acta, prout lecta ibi sunt atque approbata, posteaque iussu nostro ac mandato accurate

rate recenſita, ſub autoritate noſtra, maximorum Principum exemplo, divulgamus. Obteſtamur autem cæteros, inprimis vero eos; qui eodem fœdere nobiſcum ſunt coniuncti, ut de hoc conſenſu noſtro ſæpe cogitent, eandem fidem, quæ certiſsima eſt animarum ſalus, amplectantur. Sed præſertim, ut exemplo noſtro, regnum Dei propagare in hac vita pergant: cuius Ditionis magnitudo, in futura apparebit.

Hagæ Comitis, Anno CIↃ. IↃ. CXX. XXVII. *Martij.*

PRÆFA-

PRÆFATIO,

Ad Reformatas

CHRISTI ECCLESIAS,

In qua Controversiarum Belgicarum, ad quas tollendas hæc Synodus potißimum convocata fuit, ortus & progressus breviter fideliterque narrantur.

Roxime elapsa æstate, divulgata fuit Venerandæ Synodi, Dordrechti nuper habitæ, de quibusdam doctrinæ Capitibus, quæ in Ecclesijs Belgicis, maxima cum earundem perturbatione, hactenus disceptata sunt, Sententia, certis quibusdam Canonibus comprehensa. Et cum ad tollendas potissimum exortas in Religione controversias, ab Illustr. & Præpotentib. Ordinibus Generalibus, supremo Fœderatarum Provinciarum Magistratu, convocata hæc celeberrima Synodus fuisset, satis fore plerique judicabant, si tantum Synodi de iisdem controversiis Iudicium publicaretur. Sed cum postea constaret, esse plurimos, qui desiderarent insuper, ex ipsis Actis Synodalibus, cognoscere, quidnam præter ista, ac qua ratione cum Pastoribus inprimis Remonstrantibus, in Synodo sit actum; cumque non sit dubium, quin ipsi ad velandam pervicaciam, fide non optima, de hisce rebus quædam sint divulgaturi, placuit Illustr. ac Præpotent. Ordd. Generalibus, ut Synodi eiusdem quoq; Acta, in gratiam atque usum Ecclesiarum, ex publicis tabulis fideliter descripta, typis vulgarentur. In quibus cum occurrant passim plurima, quæ ad rerum in Belgicis Ecclesiis gestarum historiam pertinent, quæque à Lectoribus rerum harum ignaris, minus commode intelligi aut dijudicari possint, qua de causa etiam Synodus Nationalis (uti in diversis Sessionibus videre est) Ecclesiarum inprimis Suyd-Hollandicarum Deputatis aliquoties injunxit, ut brevem rerum cum Remonstrantibus gestarum narrationem conscriberent; visum fuit ex ea quædam, quæ publice gesta sunt, Præfationis loco præmittere, ut Ecclesiæ, præsertim exteræ, semel bona fide intelligerent, quisnam harum Controversiarum ortus ac progressus fuerit: &, qua occasione, quibusque de causis, Illustr. ac Præpotentes Ordd. Generales, celeberrimam hanc Synodum sumptibus immensis convocarint. Præsertim cum multa à Remonstrantibus in exhibitis atque hic insertis scriptis narrentur, quæ cum rerum gestarum veritate minus consentiant.

In Reformatis Fœderati Belgij Ecclesiis, quanta superiori seculo, in omnibus Orthodoxæ doctrinæ capitibus, inter Ecclesiarum Belgicarum Pastores, Doctoresque viguerit consensio; quantaque insuper in earundem regimine, servata semper fuerit εὐταξία atque εὐσχημοσύνη, universo orbi Christiano notius est, quam ut necesse sit multis explicari. Amabilem hanc Deoque & piis omnibus gratissimam Ecclesiarum Belgicarum pacem atque harmoniam, perturbare conati sunt olim nonnulli, qui deserto Papismo, sed fermento eius nondum plene expurgato, ad Ecclesias nostras transierant, earundemque Ministerio, in prima illa Ministrorum inopia, admoti fuerant; Casparus Coolhasius Leydæ: Hermannus Herbertus Dordrechti & Goudæ: ac Cornelius Wiggerus Hornæ; effreni quidem audacia, sed haud magno successu. Quippe cum iisdem in locis quosdam Reformatæ Religioni minus faventes nacti essent, quorum patrocinio nitebantur, improba tamen hæc eorum audacia, tum Supremi Magistratus autoritate, tum vigilanti Pastorum prudentia, justisque Ecclesiarum censuris, mature repressa fuit: Coolhasij in Synodo Nationali Middelburgensi: Herberti in Synodis Hollandiæ Australis:

Wiggeri in Synodis Hollandiæ Borealis. Postea id ipsum magno ausu ac molimine aggressus est Iacobus Arminius, celeberrimæ Ecclesiæ Amstelodamensis Pastor, vir ingenij quidem excitatioris, verum cui nihil arrideret, nisi quod aliqua novitatis specie se commendaret. Adeo ut pleraque in Reformatis Ecclesiis recepta dogmata, vel hoc ipso nomine, quod essent recepta, fastidire videretur. Is primum quidem ad hanc rem, viam sibi stravit, famam autoritatemq; præstantissimorum Ecclesiæ Reformatæ Doctorum, Calvini Zanchij, Bezæ, Martyris & aliorum, publice privatimq; extenuando atq; sugillando, ut per nominis eorum ruinam gradum sibi ad gloriam strueret. Postea aperte varias opiniones heterodoxas, veterum Pelagianorum erroribus affines, maxime in explicatione Epistolæ ad Romanos, proponere ac disseminare cœpit. Cæterum venerandi Ecclesiæ illius Presbyterij vigilantia atque autoritate conatibus eius mature obviam fuit itum, ne turbas, quas moliri videbatur, dare in Ecclesia posset. Non desinebat tamen tum apud suos, tum & apud aliarum Ecclesiarum Pastores, Ioannem Vtenbogardum, Adrianum Borrium, aliosque quorum amicitiam communia olim studia ipsi conciliaverant, quibus poterat modis, opiniones suas propagare, ipsumq; Franciscum Iunium, celeberrimum S. Theol. in Academia Leydensi Professorem, ad collationē super iisdem provocare.

CIↃ IↃ CII. xxviii Aug. Cumque anno huius seculi secundo, Clariss. Vir D. Iunius, maximo cum Ecclesiarum Belgicarum luctu, Academiæ Leydensi esset ereptus, Vtenbogardus, qui sententiæ Arminij jam tum favebat, magno cum studio, Nobiliss. atque Ampliss. Academiæ Leydensis Curatoribus commendabat, ut videlicet D. Iunio in S. Theologiæ professione surrogaretur. Quod cum intelligerent Ecclesiarum Deputati, veriti ne viri de heterodoxia tantopere suspecti vocatio, contentionum & schismatum in Ecclesiis causam aliquando præberet, rogarunt Nobiliss. DD. Curatores, ne temere Ecclesias istis exponerent periculis, sed de asciscendo potius viro alio idoneo, qui ab hac suspicione immunis esset, cogitarent. Vtenbogardum quoque monuerunt, ut à commendatione hac desisteret. Qui contemptis his monitionibus, non destitit vocationem eo usque urgere, donec eam tandem obtinuisset. Instituta vocatione, Presbyterium Amstelodamense, in dimissionem eius consentire recusabat: hanc potissimum ob causam, quod existimarent prudentiores, ingenium tantopere luxurians ac novaturiens, evidentiori cum periculo in Academia, in qua iuventus Ministerio Ecclesiarum consecrata instituitur, maiorque docendi libertas usurpari solet, quam in Ecclesia aliqua particulari, in qua Presbyterij vigilantia atque autoritate intra limites coerceri posset, esse versaturum. Dimissio tamen eius crebris DD. Curatorum, Vtenbogardi, atque ipsius etiam Arminij petitionibus tandem impetrata fuit. Hac conditione tamen, ut instituta prius cum D. Francisco Gomaro de præcipuis doctrinæ capitibus collatione, omnem heterodoxias suspicionem rotunda sententiæ suæ declaratione à se amoliretur: cum prius obtestatione solenni promisisset, se opiniones, si quas forte haberet singulares, numquam

CIↃ IↃ CIII 6.& 7. Maj. esse disseminaturum. Instituta fuit, coram DD. Curatoribus, præsentibus quoque Synodi Deputatis hęc collatio. In qua cum profiteretur, se pręcipua Pelagianorum dogmata De Gratia naturali, De viribus Liberi Arbitrij, De Peccato Originali, De Perfectione hominis in hac vita, De Prædestinatione, aliaque diserte damnare, omniaque quæ Augustinus alijq; Patres adversus Pelagianos scripsissent, approbare, quin & iudicare se Pelagianos errores recte à Patribus fuisse refutatos ac damnatos, simulque promitteret, nihil quod à recepta Ecclesiarum doctrina discreparet se docturum; ad Professionem Theologicam admissus est. Cuius initio, modis conabatur omnibus quamlibet heterodoxias à se amoliri suspicionem, adeo ut do-

28. Octob. ctrinam Ecclesiarum Reformatarum, De Satisfactione Christi, De Fide iustificante, De Iustificatione per fidem, De Perseverantia vere fidelium, De Certitudine salutis, De Imperfectione hominis in hac vita, alijsque doctrinæ capitibus, quibus postea contradixit, quæque hodie à Discipulis ipsius oppugnantur, contra sententiam suam (uti ingenue Ioannes Arnoldi Corvinus in scripto quodam Belgico fatetur) præsidio ac patrocinio suo in disputationibus publicis defenderet. Cæterum cum iam per annum unum atque alterum in professione hac versatus esset, deprehensum est, pleraque cum in Reformatis Ecclesijs recepta dogmata publice, privatimque sugillare, in dubium vocare, & discipulis suspecta reddere: argumenta

præci-

præcipua, quibus illa ex Dei Verbo adstrui solēt, ijsdem enervare exceptionibus, quibus Iesuitæ, Sociniani, alijque Reformatæ Ecclesiæ hostes, uti solent: adversariorum autē argumenta extollere. Tractatus quosdam suos manuscriptos, quibus sententiam suam complexus fuerat, discipulis privatim describendos dare. Castalionis, Cornhertij, Suarezij, similiumq; scripta discipulis suis inprimis cōmendare: de Calvini, Bezæ, Martyris, Zanchij, Vrsini aliorumq; præstantium Ecclesiarum Reformatarum doctorum scriptis, contemptim loqui. Quinetiam aperte profitebatur, plurimas se habere adversus receptam doctrinā considerationes seu animadversiones, quas suo tempore esset patefacturus. Pastores nonnulli, qui ipso familiariter utebantur, se novā prorsus gloriabantur habere Theologiam. Discipuli eius domum ex Academia reversi, aut ad alias Academias dilapsi, disputando, contradicendo, & doctrinam vellicādo, proterve Ecclesijs Reformatis insultabant. Hæc aliaq; cum Hollandicæ animadverterent Ecclesiæ, solicitæ merito, ne labefactata doctrinæ Reformatæ sinceritate, imbutaq; pravis opinionibus iuventute, quæ in Ecclesiarum spem in hoc seminario educabatur, res hæc tandem in magnam Ecclesiarum perniciem ac perturbationem erumperet, per Deputatos suos, quibus communis Ecclesiarum cura committi solet, de toto negotio penitius inquirendū duxerunt, quo in proximis Synodis mature dispici posset, ne quid Ecclesia detrimenti pateretur. Hac de causa Ecclesiarum, cum Australis, tum Borealis Hollandiæ Deputati Arminium accedunt, eiq; rumores exponūt, qui de ipso ipsiusq; doctrina passim spargerentur, quantaq; omnes Ecclesias solicitudo teneret, rogantq; amice, ut si quid forte in recepta desideraret doctrina, id sincere Fratribus exponeret: quo aut ipsi per amicam collationem satisfieri, aut res tota ad Synodū legitime deferri posset. Quibus respondit, numquā illis se rumoribus iustam præbuisse causam: nec consultum videri sibi, cum ijsdem tamquam cum Deputatis, ut qui hac de re ad Synodum essent relaturi, collationē ullam instituere. Hanc personam si deponere vellent, non defugere se, cum ipsis, ut privatis Pastoribus, de doctrina conferre: ea lege, ut si forte inter ipsos minus conveniret, nihil hac de re ad Synodos referrent. Quod cum Deputati iniquum iudicarent, cumq; eiusmodi collatione Ecclesijs solicitudo eximi non posset, re infecta ab eodem discesserunt. Neq; tamen minus ex reliquis S. Theologiæ Professoribus intelligebāt, varias de Prædestinatione, Libero arbitrio, Perseverantia Sanctorum, alijsq; doctrinæ capitibus quæstiones, inter S. Theologiæ studiosos serio agitari, quales ante Arminij adventum inter illos agitatæ non fuissent.

Monitus quoque fuit ab Ecclesia Leydensi, cuius membrum erat, per Amplissimos Clarissimosque viros Phœdonem Brouckhovium, ut bis Leydensis Consulem & Paulum Merulam Historiarum Professorem, eiusdem Ecclesiæ Seniores, ut de ijs, quæ in recepta doctrina improbaret, cum Collegis suis, coram Presbyterio Ecclesiæ Leydensis amicam institueret collationem. Ex qua posset constare, an & quibus in dogmati- cIↄ.Iↄcv. 26.Iul.
bus cum Collegis reliquisq: Pastoribus, consentiret aut dissentiret. Quibus respondit, se sine Curatorum Academiæ venia, id ipsum facere non posse. Nec videre, quid commodi ex tali collatione ad Ecclesiam redundaturum esset. Instabat iam tempus, quo annuæ Ecclesiarum Hollandiæ utriusq; Synodi celebrari solent, cumq; pro more Ecclesiarum gravamina à singulis Classibus mitterentur; inter cætera & hoc à Classe Dordrechtana transmissum fuit: *Quandoquidem rumores audiuntur, in Academia & Ecclesia Leydensi, controversias quasdam circa doctrinam Reformatarum Ecclesiarum exortas esse; censuit Classis necessarium esse, ut de medijs quibus controversiæ istæ commodissime citissimeque componantur, Synodus deliberet, ut schismata omnia & offendicula, quæ inde oriri possent, tempestive amoveantur, conserveturque unio Ecclesiarum Reformatarum contra adversariorum calumnias.* Tulit hoc ægerrime Arminius, summaq: ope adnisus fuit, ut gravamen hoc revocaretur: quod cum obtinere non posset, Academiæ Curatorum opera à Collegis obtinuit testimonium, quo declarabatur, plura quidem inter studiosos disputari, quam ipsis esset gratum; inter ipsos vero S. Theologiæ Professores, quantum quidem ipsis constaret, nullam esse in ipsis fundamentis dissensionem. 10.Aug.
Paulo post congregata est in Vrbe Roterodamo, Ecclesiarum Suyd-Hollandicarum Synodus, quæ cum ex Classis Dordrechtanæ Delegatis multas gravesque intellexisset rationes, ob quas gravamen hoc ab eadem esset transmissum; simulque & ex Synodi Deputatis, quomodo se res in Academia Leydensi haberent, quidque cum Arminio reliquisque S. Theologiæ Professoribus esset actum; post maturam deliberationem censuit, gliscenti huic malo tempestive esse occurrendum: 30.Aug.

neque ſub incerta Synodi Nationalis ſpe, remedium eiuſdem procraſtinandum. Ac
proinde deputatis Synodi injunxit, ut diligentiſſime inquirerent quibus de Articulis
in Academia Leydenſi inter Theologiæ ſtudioſos potiſſimum diſceptaretur, roga-
rentque DD. Curatores, ut S. Theol. Profeſſoribus mandaretur, ſententiam ut ſuam
aperte ac ſincere de iiſdem declararent: Quo hac ratione de Illorum conſenſu aut diſ-
ſentione conſtaret, Eccleſiæq; ,ſi diſſentio forte nulla aut non gravis eſſet, ſolicitudine
liberarentur: aut ſi gravior deprehenderetur, mature de earundem remedio cogita-
rent. Mandavit quoq; Synodus omnibus Paſtoribus, ut teſtandi in doctrina conſen-
ſus cauſa, Confeſſioni harum Eccleſiarum ac Catecheſi, (quod in multis Claſſibus à
8. Novemb. quibuſdam neglectum, ab aliis negatum fuerat:) ſubſcriberent. Deputati Synodi re
diligenter explorata, novem quęſtiones, de quibus eo tempore potiſſimum diſceptari
intellexerant, DD. Curatoribus exhibent: rogantq; , ut S. Theol. Profeſſoribus, ipſo-
rum autoritate injungeretur, ſententiam ut ſuam de iiſdem plene exponerent. Qui
reſponderunt, aliquam jam Synodi Nationalis brevi obtinendæ ſpem affulgere; Ideo-
que judicare cõſultius, eas quęſtiones ad eandem reſervare, quam ulteriori earundem
inquiſitione diſſidio anſam præbere. Paſtores quoque Arminij ſententiam amplexi,
paſſim in Claſſibus recuſabant, mandato Synodi de ſubſcriptione Confeſſionis ac Ca-
techeſeos, morem gerere. Auxit hæc res Eccleſiarum ſolicitudinem, cum viderent,
Paſtores iſtos, quorundam favore fretos, autoritatem Synodi plane contemnere, au-
daciuſq; in incepto pergere. Quare cum iſta via remedium huic malo adhiberi non
poſſet, Illuſtr. ac Præpotentib. DD. Ordd. Generalibus prolixe expoſuerunt, quanto
in periculo Eccleſiæ verſarentur, petieruntq; ,ut ad tollenda hæc mala, Synodus Na-
26. Nov. tionalis, quæ per multos annos dilata jam fuerat, eorundem autoritate dominorum
occaſione prima convocaretur: Qui declararunt, omnium Provinciarum Ordines in
Synodi Nationalis convocationem jam conſenſiſſe: Eſſe tamen inter illos, qui in li-
teris conſenſus, hanc conditionem, ſeu, ut vocant, clauſulam, addidiſſent: ut nempe, in
eadem, Confeſſionis & Catecheſeos harum Eccleſiarum fieret reviſio: ac proinde,
Synodi Nationalis convocationem, ſine Ordinum huius Provinciæ præjudicio, niſi
addita hac clauſula, fieri non poſſe. Cum autem non obſcure conſtaret, quinam ante
annos aliquot Illuſtribus Hollandiæ Ordinibus autores fuiſſent, ut hęc clauſula adde-
retur, atque etiamnum urgeretur, eſſetque metuendum, ſi illa convocationi Synodi
adiungeretur, ne illi, qui mutationibus doctrinæ ſtudebant, eadem ad inſtitutũ ſuum
abuterẽtur, ſimulq; etiam, ne (hoc præſertim rerum ſtatu) Eccleſiis offenſionem haud
levem eſſet præbitura, quaſi ipſi Illuſtr. Ordd. aut Eccleſiæ noſtræ, de doctrinæ verita-
30. Nov. te, in hac Confeſſione & Catecheſi comprehenſæ dubitarent, Deputati Eccleſiarum
petierunt, ut, convocatio Synodi, conſueto antehac more, in generalibus, ut vocant,
terminis, inſtitueretur: præſertim cum hæc clauſula minus neceſſaria videretur, cum
in Synodis Nationalibus permiſſum ſemper eſſet, ſi quis adverſus aliquem horum
ſcriptorum Articulum, quidquam ſe habere exiſtimaret, libere id ac debite propone-
re. Declarabant vero Illuſtr. DD. Ordd. Generales nõ ita hanc clauſulam intelligen-
dam eſſe; quaſi aliquid in doctrina harum Eccleſiarum ea immutatum vellent, nec
enim ſemper Recognitione immutari, ſed nonnunquam quoque confirmari doctri-
nam: non poſſe tamen illam ſine iſtius Provinciæ præjudicio omitti, quæ eam expreſ-
CIↃ IↃC VI ſe addidiſſet. Litteras itaq; conſenſus, quibus ea quoq; inſerta erat, Eccleſiarum De-
15. Mart. putatis tradiderunt, quas illi ad ſingularum Provinciarum Eccleſias tranſmiſerunt.
Quibus & ſignificarunt, quam dediſſent operam, ut ea omitteretur. Eccleſię Belgicæ,
acceptis hiſce literis, gaviſæ quidem ſunt, poſt tot annorum expectationem, tandem
impetratam eſſe celebrandæ Synodi Nationalis poteſtatem: quanquam haud ſane pa-
rum iſta clauſula offenderentur. Non quod Confeſſionem & Catecheſin in Synodo
Nationali conſueto debitoq; modo recognoſci nollent, ſed quod metuerent, ne illi,
qui mutationem doctrinæ moliebantur, eadem audaciores redderentur, tanquam ſi
hac clauſula, publica DD. Ordd. autoritate, quidvis movendi innovandiq; facta ipſis
eſſet poteſtas: liteſq; hæ ac controverſiæ ab illis non ex innovandi libidine, ſed ex ſtu-
dio ſatisfaciendi Illuſtrium Ordinum decretis eſſent profectæ. Significabant quoque
iiſdem literis Illuſtr. DD. Ordines Generales ſtatutum eſſe ſibi, eruditos pacificoſque
aliquot ex ſingulis Provinciis Theologos convocare, ut de tempore, loco & modo,
CIↃ IↃC VI, habendæ Synodi Nationalis, cum iiſdẽ deliberarent. Dum hæc aguntur, annua Suyd-
in Auguſt. Hollandicarum Eccleſiarum Synodus Gorinchemij celebratur, in qua cum Eccle-
ſiarum

siarum Deputati retulissent, quid ab ipsis in caussa Synodi Nationalis esset actum, & ab Illustr. DD. Ordinibus constitutum, mandare ijsdem visum fuit, ut convocationem Synodi Nationalis diligenter urgerent: Ac quamvis arbitraretur Synodus, Confessionem ac Catechesin, more modoque ante hac consueto, in Synodo Nationali esse recognoscendam, voluit tamen eos, qui ad conuentum, in quo de tempore, loco & modo celebrandæ Synodi Nationalis, ab Ordd. Hollandiæ ex Suyd-Hollandia convocandi essent, moneri, ut ab Ordd. Generalibus, nomine harum Ecclesiarum peterent, ut Clausula, de qua antedictum fuit ex, literis convocationis, ob caussas ante memoratas, omitteretur, eiusque loco verba alia mitiora, quæ offensionis minus parerent, usurparentur. Iniunctum quoque in eadem fuit Synodo omnibus Eccles. Suyd-Hol. Pastoribus, omnibusq; S. Theol. in Acad. Leydensi Professoribus, ut considerationes seu animaduersiones in doctrinam, Confessione & Catechesi comprehensam, quas haberent, (quia haberese quàplurimas Arminius & Pastores qui addicti essent ipsi, sæpius gloriari solerent) Pastores quidem in Classibus suis, Professores autem Ecclesiarum Deputatis, primo quoque tempore exhiberent, ut eædem legitime ad Synodum Nationalem, si in Classibus satisfieri ipsis non posset, deferrentur Quod cum à Pastoribus Arminio addictis postularetur, easdem proponere in Classibus detrectarunt, quod se nondum paratos esse dicerent: cæterum suo & loco & tempore proposituros. Arminius quoque ab Ecclesiarum Deputatis hac de re monitus, respondit, hoc eo tempore fieri cum ædificatione non posse, sed in Synodo Nationali se easdem plene esse patefacturum. Cumque non ita multo post Illustr. Ordd. Generales, ex singulis Provin- cIↄIↄcvii.
cijs Theologos aliquot convocarent, quibuscum de loco, tempore & modo habendæ 23. May.
Synodi Nationalis deliberarent; Ioannem nempe Leonem & Ioannem Fontanum, ex Geldria; Franciscum Gomarum, Iacobum Arminium, Ioannem Vtenbogardum & Ioannem Becium, ex Suyd-Hollandia; Hermannum Fauckelium & Henricum Brandium, ex Zelandia; Euerardum Botium & Henricum Ioannis, ex Provincia vltraiectina; Sibrandum Lubbertum & Ioannem Bogermannum, ex Frisia; Thomam Gosvvinium, ex Transisulania; Ioannem Acronium & Ioannem Nicasium, ex vrbe Groningensi & Omlandijs. Quæstiones, de quibus in hoc conuentu esset deliberandum, ab Illustr. Ordd. Generalibus fuerunt illis propositæ, declaratumq; fuit consentientibus suffragijs, quod ad tempus, necessarum esse ut Synodus quamprimum ad initium futuræ æstatis, anni millesimi sexcentesimi & octavi, convocaretur. Quod ad locum, commodissimum habendæ Synodo fore ciuitatem Vltrajectinum. De modo: 1. Gravamina in Synodo pertractanda, à singulis Synodis Provincialibus ad Nationalem esse deferenda. 2. Ex singulis Synodis particularibus, earundem suffragijs, quatuor Pastores cum duobus Senioribus esse deputandos, quorum Seniorum loco deputari quoque posse singularis eruditionis, peritiæque in rebus Theologicis, atque pietatis testimonio ornatos viros, etsi munere Ecclesiastico non fungerentur. 3. Deputatis hisce potestatem dandam in omnibus rebus, quæ in Synodo pertractandæ essent, non deliberandi tantum, sed definiendi quoque ac decidendi. 4. Normam Iudicij in controversijs omnibus doctrinam & mores spectantibus solum esse Dei verbum scriptum, seu S. Scripturam. 5. Convocandas esse ad Synodum Nationalem non Ecclesias tantum quæ in Fœderato sunt Belgio, utriusque nempe idiomatis Belgici & Gallici, sed & illas Belgicæ nationis, quæ extra Belgium dispersę, sive sub cruce siue alibi colligerentur. 6. Rogandos esse Illustr. ac Prępot. Ordd. Generales; ut Delegatos suos Religionem Reformatam profitentes, ad eandem mittere dignarentur, qui ipsorum nomine ordini ejus præessent. 7. Vocandos quoque ad eandem S. Theologię Professores. In quibus quidem omnibus convenit inter omnes. Quemadmodum in alijs nonnullis convenire inter ipsos non potuit. Arminius enim, Vtenbogardus, & duo Vltraiectini, quos in sententiam suam illi pertraxerant, hæc tria statuebant. 1. Pro definitiva Synodi sententia esse habendum, non quod omnium ad Synodum Deputatorum, sed quod omnium quoque Deputantium suffragiiis definitum esset. Synodi enim nomine non Deputatos tantum, sed & ipsos Deputantes intelligi debere. 2. Deputatis semper liberum fore, quotiescunque voluerint, seque in aliqua re gravari senserint, consilii capiendi causa ad suos recedere. 3. Revisionem Confessionis & Catecheseos Belgicæ omnino esse necessariam, ideoque nullas se videre causas ob quas Clausula de revisione istorum scriptorum, convocationis literis non

inser-

neque ſub incerta Synodi Nationalis ſpe, remedium eiuſdem procraſtinandum. Ac
proinde deputatis Synodi injunxit, ut diligentiſſime inquirerent quibus de Articulis
in Academia Leydenſi inter Theologiæ ſtudioſos potiſſimum diſceptaretur, roga-
rentque DD. Curatores, ut S. Theol. Profeſſoribus mandaretur, ſententiam ut ſuam
aperte ac ſincere de iiſdem declararent: Quo hac ratione de illorum conſenſu aut diſ-
ſentione conſtaret Eccleſiæq; , ſi diſſentio forte nulla aut non gravis eſſet, ſolicitudine
liberarentur: aut ſi gravior deprehenderetur, mature de earundem remedio cogita-
rent. Mandavit quoq; Synodus omnibus Paſtoribus, ut teſtandi in doctrina conſen-
ſus cauſa, Confeſſioni harum Eccleſiarum ac Catecheſi, (quod in multis Claſſibus à
8. Novemb. quibuſdam neglectum, ab aliis negatum fuerat:) ſubſcriberent. Deputati Synodi re
diligenter explorata, novem quæſtiones, de quibus eo tempore potiſſimum diſceptari
intellexerant, DD. Curatoribus exhibent: rogantq;, ut S. Theol. Profeſſoribus, ipſo-
rum autoritate injungeretur, ſententiam ut ſuam de iiſdem plene exponerent. Qui
reſponderunt, aliquam jam Synodi Nationalis brevi obtinendæ ſpem affulgere; Ideo-
que judicare cõſultius, eas quæſtiones ad eandem reſervare, quam ulteriori earundem
inquiſitione diſſidio anſam præbere. Paſtores quoque Arminij ſententiam amplexi,
paſſim in Claſſibus recuſabant, mandato Synodi de ſubſcriptione Confeſſionis ac Ca-
techeſeos, morem gerere. Auxit hæc res Eccleſiarum ſolicitudinem, cum viderent,
Paſtores iſtos, quorundam favore fretos, autoritatem Synodi plane contemnere, au-
daciuſq; in incepto pergere. Quare cum iſta via remedium huic malo adhiberi non
poſſet, Illuſtr. ac Præpotentib. DD. Ordd. Generalibus prolixe expoſuerunt, quanto
in periculo Eccleſiæ verſarentur, petieruntq;, ut ad tollenda hæc mala, Synodus Na-
tionalis, quæ per multos annos dilata jam fuerat, eorundem autoritate dominorum
26. Nov. occaſione prima convocaretur: Qui declararunt, omnium Provinciarum Ordines in
Synodi Nationalis convocationem jam conſenſiſſe: Eſſe tamen inter illos, qui in li-
teris conſenſus, hanc conditionem, ſeu, ut vocant, clauſulam, addidiſſent: ut nempe, in
eadem, Confeſſionis & Catecheſeos harum Eccleſiarum fieret reviſio: ac proinde,
Synodi Nationalis convocationem, ſine Ordinum huius Provinciæ præjudicio, niſi
addita hac clauſula, fieri non poſſe. Cum autem non obſcure conſtaret, quinam ante
annos aliquot Illuſtribus Hollandiæ Ordinibus autores fuiſſent, ut hæc clauſula adde-
retur, atque etiamnum urgeretur, eſſetque metuendum, ſi illa convocationi Synodi
adiungeretur, ne illi, qui mutationibus doctrinæ ſtudebant, eadem ad inſtitutũ ſuum
abuterẽtur, ſimulq; etiam, ne hoc præſertim rerum ſtatu, Eccleſiis offenſionem haud
levem eſſet præbitura, quaſi ipſi Illuſtr. Ordd. aut Eccleſiæ noſtræ, de doctrinæ verita-
30. Nov. te, in hac Confeſſione & Catecheſi comprehenſæ dubitarent, Deputati Eccleſiarum
petierunt, ut, convocatio Synodi, conſueto antehac more, in generalibus, ut vocant,
terminis, inſtitueretur: præſertim cum hæc clauſula minus neceſſaria videretur, cum
in Synodis Nationalibus permiſſum ſemper eſſet, ſi quis adverſus aliquem horum
ſcriptorum Articulum, quidquam ſe habere exiſtimaret, libere id ac debite propone-
re. Declarabant vero Illuſtr. DD. Ordd. Generales nõ ita hanc clauſulam intelligen-
dam eſſe; quaſi aliquid in doctrina harum Eccleſiarum ea immutatum vellent, nec
enim ſemper Recognitione immutari, ſed nonnunquam quoque confirmari doctri-
nam: non poſſe tamen illam ſine iſtius Provinciæ præjudicio omitti, quæ eam expreſ-
CIↃ IↃC VI ſe addidiſſet. Litteras itaq; conſenſus, quibus ea quoq; inſerta erat, Eccleſiarum De-
15. Mart. putatis tradiderunt, quas illi ad ſingularum Provinciarum Eccleſias tranſmiſerunt.
Quibus & ſignificarunt, quam dediſſent operam, ut ea omitteretur. Eccleſię Belgicæ,
acceptis hiſce literis, gaviſæ quidem ſunt, poſt tot annorum expectationem, tandem
impetratam eſſe celebrandæ Synodi Nationalis poteſtatem: quanquam haud ſane pa-
rum iſta clauſula offenderentur. Non quod Confeſſionem & Catecheſin in Synodo
Nationali conſueto debitoq; modo recognoſci nollent, ſed quod metuerent, ne illi,
qui mutationem doctrinæ moliebantur, eadem audaciores redderentur, tanquam ſi
hac clauſula, publica DD. Ordd. autoritate, quidvis movendi innovandiq; facta ipſis
eſſet poteſtas: liteſq; hæ ac controverſiæ ab illis non ex innovandi libidine, ſed ex ſtu-
dio ſatisfaciendi Illuſtrium Ordinum decretis eſſent profectæ. Significabant quoque
iiſdem literis Illuſtr. DD. Ordines Generales ſtatutum eſſe ſibi, eruditos pacificoſque
aliquot ex ſingulis Provinciis Theologos convocare, ut de tempore, loco & modo,
CIↃ IↃC VI. habendæ Synodi Nationalis, cum iiſdẽ deliberarent. Dum hæc aguntur, annua Suyd-
in Auguſt. Hollandicarum Eccleſiarum Synodus Gorinchemij celebratur, in qua cum Eccle-
ſiarum

fiarum Deputati retulissent, quid ab ipsis in caussâ Synodi Nationalis esset actum, &
ab Illustr. DD. Ordinibus constitutum, mandare ijsdem visum fuit, ut convocatio-
nem Synodi Nationalis diligenter urgerent*. Ac quamvis arbitraretur Synodus,
Confessionem ac Catechesin, more modoque ante hac consueto, in Synodo Natio-
nali esse recognoscendam, voluit tamen eos, qui ad conuentum, in quo de tempore,
loco & modo celebrandæ Synodi Nationalis, ab Ordd. Hollandiæ ex Suyd-Hollan-
dia convocandi essent, moneri, ut ab Ordd. Generalibus, nomine harum Ecclesiarum
peterent, ut Clausula, de qua antedictum fuit ex, literis convocationis, ob caussas an-
te memoratas, omitteretur, eiusque loco verba alia mitiora, quæ offensionis minus pa-
terent, usurparentur. Iniunctum quoque in eadem fuit Synodo omnibus Eccles. Suyd-
Hol. Pastoribus, omnibusq; S. Theol. in Acad. Leydensi Professoribus, ut considerationes
seu animadversiones in doctrinam, Confessione & Catechesi comprehensam, quas habe-
rent, (quia haberese quamplurimas Arminius & Pastores qui addicti essent ipsi, sæpius glo-
riari solerent) Pastores quidem in Classibus suis, Professores autem Ecclesiarum Depu-
tatis, primo quoque tempore exhiberent, ut eædem legitime ad Synodum Nationa-
lem, si in Classibus satisfieri ipsis non posset, deferrentur. Quod cum à Pastoribus Ar-
minio addictis postularetur, easdem proponere in Classibus detrectarunt, quod se
nondum paratos esse dicerent: cæterum suo & loco & tempore propositiuros. Ar-
minius quoque ab Ecclesiarum Deputatis hac de re monitus, respondit, hoc eo tem-
pore fieri cum ædificatione non posse, sed in Synodo Nationali se easdem plene esse pa-
tefacturum. Cumque non ita multo post Illustr. Ordd. Generales, ex singulis Provin- cIↄIↄcvii.
cijs Theologos aliquot convocarent, quibuscum de loco, tempore & modo habendæ 15. Maj.
Synodi Nationalis deliberarent; Ioannem nempe Leonem & Ioannem Fontanum, ex
Geldria: Franciscum Gomarum, Iacobum Arminium, Ioannem Vtenbogardum &
Ioannem Becium, ex Suyd-Hollandia: Hermannum Fauckelium & Henricum Bran-
dium, ex Zelandia: Everardum Botium & Henricum Ioannis, ex Provincia Vltraie-
ctina: Sibrandum Lubbertum & Ioannem Bogermannum, ex Frisia: Thomam Gosvi-
nium, ex Transisulania: Ioannem Acronium & Ioannem Nicasium, ex vrbe Groningensi
& Omlandijs. Quæstiones, de quibus in hoc conuentu esset deliberandum, ab Illustr.
Ordd. Generalibus fuerunt illis propositæ, declaratumq; fuit consentientibus suffragijs,
quod ad tempus, necessarium esse ut Synodus quamprimum ad initium futuræ æstatis,
anni millesimi sexcentesimi & octavi, convocaretur. Quod ad locum, commodissimum
habendæ Synodo fore civitatem Vltraiectum. De modo: 1 Gravamina in Synodo
pertractanda, à singulis Synodis Provincialibus ad Nationalem esse deferenda. 2. Ex
singulis Synodis particularibus, eatundem suffragijs, quatuor Pastores cum duo-
bus Senioribus esse deputandos, quorum Seniorum loco deputari quoque posse sin-
gularis eruditionis, peritiæque in rebus Theologicis, atque pietatis testimonio ornatos
viros, etsi munere Ecclesiastico non fungerentur. 3. Deputatis hisce potestatem dan-
dam in omnibus rebus, quæ in Synodo pertractandæ essent, non deliberandi tantum,
sed definiendi quoque ac decidendi. 4. Normam Iudicij in controversijs omni-
bus doctrinam & mores spectantibus solum esse Dei verbum scriptum, seu S. Scrip-
turam. 5 Convocandas esse ad Synodum Nationalem non Ecclesias tantum quæ in
Fœderato sunt Belgio, utriusque nempe idiomatis Belgici & Gallici, sed & illas Bel-
gicæ nationis, quæ extra Belgium dispersæ, sive sub cruce sive alibi colligerentur.
6. Rogandos esse Illustr. ac Prępot. Ordd. Generales, ut Delegatos suos Religio-
nem Reformatam profitentes, ad eandem mittere dignarentur, qui ipsorum nomi-
ne ordini ejus præessent. 7. Vocandos quoque ad eandem S. Theologię Profes-
sores. In quibus quidem omnibus convenit inter omnes. Quemadmodum in alijs
nonnullis convenire inter ipsos non potuit. Arminius enim, Vtenbogardus, & duo
Vltraiectini, quos in sententiam suam illi pertraxerant, hæc tria statuebant. 1. Pro
definitiva Synodi sententia esse habendum, non quod omnium ad Synodum Depu-
tatorum, sed quod omnium quoque Deputantium suffragijs definitum esset. Synodi
enim nomine non Deputatos tantum, sed & ipsos Deputantes intelligi debere. 2. De-
putatis semper liberum fore, quotiescunque voluerint, seque in aliqua re gravari
senserint, consilij capiendi causa ad suos recedere. 3. Revisionem Confessionis &
Catecheseos Belgicæ omnino esse necessariam, ideoque nullas se videre causas
ob quas Clausula de revisione istorum scriptorum, convocationis literis non

a

inser-

inserenda esset. Reliqui Pastores & Professores iudicabant. 1. Pro definitiva Synodi sententia habendum esse, quod vel consentientibus vel pluribus Deputatorum ad Synodum suffragijs, statutum esset. Synodi autem nomine censeri eos, qui cum iudicandi potestate ad eandem legitime deputati convenissent. 2. Licitum quidem fore consilij capiendi caussa ad suos recedere, ita tamen, ne sub hoc prætextu actiones Synodi temere perturbarentur. Quando, quomodo & quibus de caussis recedendum esset, non singulorum Deputatorum arbitrio, sed totius Synodi judicio esse permittendum. 3. Confessionem & Catechesin Belgicam, in Synodo recognosci quidem posse, si ob caussas justas, Synodus necessarium hoc judicasset: omnibus quoque liberum fore, si quid adversus ea scripta se habere existimarent, id ipsum Synodo examinandum & dijudicandum debite proponere. Verum quia Clausula illa de revisione, si literis convocationis insereretur, alijs offensionem, alijs innovandi licentiam præbitura videretur, putabant ab Illustr. Ordd. Generalibus petendum esse, ut hæc clausula propter Ecclesiarum tranquillitatem in literis convocationis omitteretur, ejusque loco hæc aut similia verba reponerentur: Synodum nempe ad confirmationem, consentionem & propagationem puræ atque orthodoxæ doctrinæ; pacem atque εὐταξίαν Ecclesiæ servandam ac stabiliendam: ad veram denique pietatem inter harum regionum incolas procurandam, convocari. Atque hoc ipsum se ab Ecclesijs suis, atque ipsis quoque Provinciarum suarum Ordinibus, in mandatis habere, plerique ostendebant. Hæc Consiliorum judiciorumque discrepantia, novam Synodo Nationali remoram injecit. Qui enim ejus convocationi hactenus obstiterant, occasionem hanc avide accipientes, omnibus allaborabant modis, ut Synodi, tametsi jam promissæ, convocatio impediretur. In hoc conventu, Arminius, à reliquis Professoribus ac Pastoribus, summa cum obtestatione rogatus est, ut quæ adversus doctrinam Confessione & Catechesi expressam, haberet, ea sibi; Symmistis suis, libere fraterneque communicare vellet: addita promissione, daturos se operam, ut ipsi plene satisfieret, aut ut ipse cum collegis suis sub conditionibus honestis conciliari ac deinceps pacifice posset vivere: neque se quicquam eorum, quæ esset manifestaturus, extra locum conventus, facta reconciliatione esse eliminaturos. Ille vero, nec consultum sibi hoc esse, nec teneri se dicebat, cum in eum finem conventus iste institutus non esset. Sequenti æstate, cum annua Ecclesiarum Suyd-Hollandicarum Synodus Delphis celebraretur, monitus fuit Vtenbogardus, ut Synodo rationes exponeret, ob quas in dandis consilijs, de modo habendæ Synodi Nationalis; à reliquis Pastoribus cum Arminio diversum sensisset ac suasisset; ut eædem à Synodo expendi ac diiudicari possent. Respondit, se Illustr. tantum Ordinibus non autem Synodo rationem hujus rei reddere teneri.

Rogatus, ut exponeret ea, quæ adversus doctrinam quæ Confessione & Catechesi harum Ecclesiarum contineretur, haberet; respondit, nec consultum sibi hoc in eo conventu videri; neque se paratum esse. Quæsitum in hac quoque fuit Synodo; an secundum superioris Synodi decretum Considerationes aliquæ seu animadversiones in Confessionem & Catechesin; Classibus exhibitæ essent; sed responsum à singularum Classium delegatis fuit, plerosque Pastores in Classibus professos esse, nullas se adversus receptam Doctrinam animadversiones habere: eos vero qui se aliquas habere profiterentur, exponere eas noluisse. Vel quod nondum se paratos esse dicerent, vel quod sibi non consultum esse arbitrarentur. Quare Synodus denuo illis mandandum censuit, ut missis omnibus effugijs, tergiversationibus, ac dilationibus, animadversiones omnes, quas adversus receptam doctrinam haberent, Classibus singuli suis quam primum exponerent.

Ostensum quoque Synodo fuit, passim in Ecclesijs dissensiones quotidie magis magisque augescere: plerosque juvenes ex Academia Leydensi atque Arminij disciplina prodeuntes, ad Ecclesiarum ministerium vocatos, in examinibus quidem sententiam suam ambiguis loquendi modis, occultare; ubi vero ad ministerium admissi essent, novas statim disputationes movere, opiniones propugnare; variasque se adversus doctrinam receptam habere considerationes gloriari. In Classibus & Presbyterijs inter Pastores de plerisque doctrinæ capitibus dissentiones atque altercationes acerbas oriri. In ipso quoque populo, magna cum Ecclesiarum offensione ac perturbatione disceptationes de doctrina varias audiri?

diri?

diri: Quin & schismatum initia conspici. Pastores enim Arminio addictos, conuentus crebros, in quibus de doctrinæ suæ propagatione deliberarent, separatim instituere, populumque in partes magis magisque abire.

Quocirca cum remedium huius mali diutius differri non posse Synodus iudicaret, spesque obtinendæ Nationalis, propter istam consiliorum ac sententiarum diuersitatem admodum incerta esset, statutum à Synodo fuit, ex consilio Amplissimorum Delegatorum, ab Illustr. DD. Ordinibus Holland. & VVestfrisiæ petendum esse, ut ex duabus Synodis Hollandiæ Australis & Borealis, una Synodus Provincialis (uti in similibus olim difficultatibus factum fuerat) ad hæc mala sopienda ac tollenda, occasione prima convocaretur. Deputati vtriusque Synodi, cum Illustr. DD. Ordinibus ingrauescentes hasce Ecclesiarum difficultates prolixe exposuissent, petiissentque vt ad easdem tollendas Provincialis huius Synodi convocatio primo quoque tempore institui posset, licet ipsis magna ab Ampliss. DD. Delegatis spes facta esset, 14 Septemb. impetrare tamen nondum potuerunt, quia eo tempore de paciscendis cum hoste induciis agi cœptum esset, ipsique Illustr. Ordines grauissimis illis Reipub. negotijs distenti, vacare rebus hisce Ecclesiasticis non potuissent. Arminius interim, cum cIↄIↄCVIII. videret Ecclesias urgere, vt legitimis judicijs Ecclesiasticis caussa hæc componeretur, quo forum declinaret, exhibito Illustr. Ordinibus libello supplice, obtinuit, 30 April. ut de causa eius ab Amplissimis supremæ Curiæ Consiliarijs, viris politicis, cognosceretur: iussusque fuit Gomarus coram iisdem, præsentibus Pastoribus, qui nupero conuentui Præparatorio ex Hollandia Australi & Boreali interfuerant, cum Arminio collationem instituere. Quod cum Ecclesiarum Deputati intellexissent, rogarunt denuo, Illustr. Holland. & VVestfrisiæ Ordines, ut loco huius collationis coram suprema curiâ institutæ, Synodus Provincialis, convocaretur, ut in eadem, de causa hac Ecclesiastica, à viris Ecclesiasticis harum rerum peritis, & ab Ecclesijs legitime cum iudicandi potestate delegatis, cognosci ac iudicari posset. Responderunt Illustr. Ordines, causæ solummodo cognitionem supremæ Curię mandatam esse, iudicium uero eius Synodo vel Provinciali vel Nationali postea commissum iri. In hac collatione de agendi ordine diu disceptatum fuit. Arminius contendebat, Gomarum actoris partes suscipere debere, se autem ad defensionem sui tantum teneri: Gomarus autem, hanc agendi rationem non minus iniquam quam insolentem esse, præsertim in Ecclesiastica causa, coram Politicis iudicibus, existimabat. Paratum se quidem coram legitima Synodo probare, Arminium dogmata proposuisse, quæ cum verbo Dei & Ecclesiarum Belgicarum Confessione & Catechesi pugnarent, uerum sine causæ præiudicio, isto in loco hoc fieri non posse. Existimabat, Collationem hanc, ut Illustr. DD. Ordinum intentioni satisfieret, hac ratione melius institui posse, ut nimirum sine mutuis illis accusationibus, uterque de singulis doctrinæ capitibus, sententiam suam clare & diserte explicaret ac proponeret. Inde enim commodissime in quibus consentirent aut dissentirent intelligi posse. Quod se attineret, non subterfugere de omnibus doctrinæ capitibus sententiam suam, quantum quidem à quoquam desiderari posit, plene atque aperte explicare. Arminium quoque, si fidi Doctoris partes explere vellet, eodem modo sententiam suam declarare debere: neque eiusmodi subterfugijs, diutius hac in re vti. Ille nihilominus in proposito persistere; adeo vt tandem exclamaret, mirari se quandoquidem de Heterodoxia suâ varii rumores, omnes iam Ecclesias peruasissent, incendiumque à se suscitatum ipsa Ecclesiæ tecta superare diceretur, neminem reperiri tamen, qui instituere accusationem auderet. Cui iactantiæ ut occurreret Gomarus, probaturum se suscepit, de primario fidei nostræ Articulo, de Iustificatione scilicet hominis coram Deo, sententiam eam docuisse, quæ cum verbo divino atque Ecclesiarum Belgicarum Confessione pugnaret. Ad cuius rei probationem, ipsissima eius verba protulit ex eiusdem Arminij autographo descripta, quibus assereret, in hominis coram Deo iustificatione, iustitiam Christi, non imputari in iustitiam, uerum ipsam fidem, seu τὸ Credere, per gratiosam Dei acceptilationem, esse iustitiam illam nostram qua coram Deo iustificamur. Cum se constrictum hic videret Arminius, ut pote qui hoc ob probationis euidentiam negare non posset, in alterum agendi modum consentire cœpit, ut sententiam nimirum quisque suam de præcipuis Articulis, in quibus dissentio existi-

14. Maij.

† †

existimabatur, thesibus quibusdam comprehensam, uterque scripto consignaret, ad quas postea singuli animadversiones suas vicissim annotabant. Collatione hac finita, Supremæ Curiæ Consiliarij, Illustrib. Holland. & Westfris. Ordinibus retulerunt, se, quantum ex collatione percipere potuissent, iudicare: Controversias quæ inter duos hosce Professores exortæ essent, haud ita magni momenti esse, versarique potissimum circa subtiliores quasdam de Prædestinatione disputationes, quæ aut omitti, aut mutua tolerantia dissimulari possent. Addebat vero Gomarus, discrepantiam in Sententijs deprehensam, tanti momenti esse, ut ipse cum sententia Arminij coram Dei judicio comparere non auderet: ac nisi mature remedium adhiberetur, metuendum esse, ne brevi Provincia una adversus alteram, Ecclesia contra Ecclesiam, civitas, contra civitatem, civesque inter se mutuo committerentur. Volebant autem Illustr. Ordines, scripta in hac Collatione utrimque consignata, in suprema Curia usque ad Synodum Nationalem asservari, neque ea cuiquam mortalium interea communicari. Neque tamen sollicitudinem Ecclesijs adimebat hæc collatio, sed potius augebat, cum præsertim quæ gesta ibi essent, Ecclesias celarentur. In Arminij enim gratiam hoc fieri, ne opiniones ejus patefierent, haud temere iudicabatur. Ecclesiæ interim, per Deputatos suos non desinebant obnixe ab Illustr. Ordd. petere, ut Ecclesiastica hæc causa, quæ nisi magno cum Ecclesiarum periculo differri posset, quamprimum in legitimo Synodi vel Provincialis vel Nationalis judicio examinaretur, ac diiudicaretur. Quod cum Arminius intelligeret, per Utenbogardum, cujus magna tum temporis apud plerosque patriæ Proceres erat autoritas, procurabat, ut Illustr. Ordd. ipsas quoque annuas Australis simul & Borealis Hollandiæ Synodos, quarum tempus instabat, differri mandarent. Illud autem, quia fieri sine maximo Ecclesiarum dispendio non posset, denuo Ecclesiæ expositis apud Illustr. Ordines difficultatibus suis, petebant, aut utramque liceret, tam in Australi, quam Boreali Hollandia, annuam Synodum pro more celebrare, aut ut ex utraque simul conjuncta Synodus una Provincialis (uti antehac petitum quoque fuerat) quamprimum convocaretur.

CIƆIƆCVIII. 28. Iun. Ad hanc petitionem, declarabant Illustr. Ordines, statutum sibi esse, proximo Octobri, hunc in finem Synodum convocare Provincialem. Quod cum Ecclesiis esset significatum, moniti iterum fuerunt Pastores omnes Arminio addicti, ut Considerationes suas singuli in Classibus suis patefacerent, ut eædem ad instantem Synodum legitime deferri possent. Illi vero, uti antea, ita nunc quoque singuli, consuetis tergiversationibus pariter hoc detrectarunt. Cumque mensis October appropinquaret, & Ecclesiæ convocationem promissæ Synodi Provincialis urgerent, ea in duos menses iterum dilata est: permissumque interim Ecclesiis fuit, Synodos ut annuas particulares, tam in Australi quam in Boreali Hollandia, celebrarent; ea conditione tamen, ne Arminii caussa in iisdem tractaretur, quam ad Synodum Provincialem reservari volebant. In Synodo Ecclesiarum Suyd-Hollandicarum quæ Dordrechti habita fuit, cum relatum esset, Pastores omnes Arminio addictos, Considerationes suas, quas se adversus receptam doctrinam habere dicerent, hactenus Symmistis suis noluisse patefacere, sed Ecclesiarum monitiones ac decreta Synodorum variis tergiversationibus eludere, statutum iterum fuit, denuo ipsis serio mandandum esse, ut Considerationes illas suas, intra mensis proximi spatium, post admonitionem factam, sub pœna Censuræ Ecclesiasticæ in contumaces stringendæ, patefacerent.

4. & 12 Sept. 23. Novem.

Idem quoq; à S. Theologiæ in Academia Leydensi Professoribus, & Collegij Theologici Regente Petro Bertio esse postulandum. Pastores isti cum aut sententiam suam esse patefaciendam, aut censuram Ecclesiasticam subeundam sibi viderent, utrumque ut declinarent, opera Vtenbogardi ab Illustr. D. D. Ordinibus literas obtinuerunt, quibus Pastoribus illis mandabatur, ut Considerationes suas, quas haberent, intra mensis vnius spatium obsignatas, ad ipsos D.D. Ordines transmitterent, ut ab iisdem Synodo Provinciali exhibendæ asservarentur. Professores à Synodi Deputatis rogati, ut siquas haberent eiusmodi Considerationes, eas ipsis patefacerent; responderunt, Gomarus quidem nihil se in Confessione, aut Catechesi harum Ecclesiarum observasse, quod ut minus Verbo Dei consentaneum, mutatione aut correctione egere existimaret: Arminius vero, se scripto ad hanc

13 Octob.

postula-

postulationem suo tempore responsurum. Cumque se ad sententiæ suæ declarationem ab Ecclesijs ita premi videret, Illustr. DD. Ordinibus in solenni ipsorum conventu prolixa oratione exposuit, quid de Prædestinatione divina, de Gratia Dei & libero hominis arbitrio, de Perseverantia sanctorum, de Certitudine salutis, de Perfectione hominis in hac vita, de Deitate Filij Dei, de Iustificatione hominis coram Deo, alijsque doctrinæ capitibus sentiret; simulque Illustr. Ordinibus persuadere conabatur, in Ecclesijs hisce Reformatis de divina Prædestinatione tradi doctrinam, quæ cum Dei natura, eius sapientia, iustitia & bonitate, cum natura hominis, eiusque libero arbitrio, cum opere creationis, cum natura vitæ mortisque æternæ, ac peccati denique, pugnaret; quæque gratiam divinam tolleret, Dei gloriæ inimica, hominum saluti esset noxia; quæ Deum peccati autorem faceret, tristitiam propter peccatum impediret, piam omnem solicitudinē tolleret, studium bona præstandi minueret, ardorem precandi extingueret, timorem tremoremque, in quo salutem nostram operari debemus, auferret, desperationem pareret, Euangelium everteret, verbi Ministerio obesse, postremo fundamentum non tantum Christianæ, sed & omnis omnino Religionis everteret. Hæc cum Gomarus intellexisset, officij sui existimavit esse, eosdem Illustr. DD. Ordines melius erudire, ne forte sinistris 12. Decemb. adversus doctrinam orthodoxam præiudicijs animi ipsorum hac ratione præoccuparentur. Petita itaque dicendi venia in eodem conventu prolixe exposuit, quænam genuina esset Arminij sententia de Gratia Dei & libero hominis arbitrio, de Iustificatione hominis coram Deo, de Perfectione hominis in hac vita, de Prædestinatione, de peccato originis & de Perseverantia sanctorum; quamque iustas suspicionum dedisset causas de sacra quoque scriptura, de SS. Trinitate, de Providentia Dei, de satisfactione Iesu Christi, de Ecclesia, de Fide, de bonis operibus alijsque doctrinæ capitibus, haud recte ipsum sentire: quibus insuper artibus opiniones suas disseminaret: Publice scilicet ab Ecclesijs rogatum, obtestatumque, sententiam suam hactenus occultare, privatim vero Pastoribus, quos in eam pertrahi posse speraret, ac discipulis suis diligenter eam inculcare: argumenta nostrorum præcipua, quibus adstrui doctrina Orthodoxa soleret, enervare; Iesuitarum vero aliorumque adversariorum, quibus doctrinam Ecclesiarum Reformatarum oppugnant, confirmare; varias de Doctrinæ receptæ veritate dubitationes, discipulorum animis ingerere, eandemq; cum Doctrina heterodoxa prius quasi in æquilibrio suspendere, ac deinde prorsus reijcere: nullam hactenus sinceritatis ac consensus in Doctrina, licet sæpius ab Ecclesijs amanter, fraterneque rogatum, declarationem edere voluisse: errores ipsius, qui coram suprema Curia detecti essent, ne Ecclesijs patefierent, omnibus modis allaborasse: atque hoc unum semper spectasse ut dilatione temporis, occasionem haberet plures in sententiam suam pertrahendi, ijsque Ecclesias passim occupandi: Spretis Synodorum, Classium, & Presbyteriorum iudicijs ac decretis, ad supremi Magistratus tribunal prima instantia provolasse, ibique querelas atque accusationes suas, adversus Ecclesiarum doctrinam proposuisse, artibusque multis favorem sibi, Ecclesijs vero odium conciliare diligenter studuisse. Quocirca Illustr. Ordines obtestabatur, quandoquidem S. Theologiæ studiosi in Academia Leydensi, multique passim Pastores ab Orthodoxa Doctrina quotidie magis magisque deficerent, dissidia & contentiones glicerent, Ecclesiæ turbarentur, civesque in partes distraherentur, ut promissa Synodus Nationalis quamprimum convocaretur, in qua caussis malorum legitime examinatis, remedium tandem idoneum adhiberi posset. Deputati Ecclesiarum idem subinde petebant, sed Vtenbogardi aliorumque opera effectum fuit, ut convocatio illa semper differretur.

Monuerunt quoque aliquoties Arminium, ut quod promisisset, considerationes suas ipsis scripto comprehensas mitteret, qui tandem per Epistolam respondit, non diffiteri [illegible] se, hoc à se promissum esse, sed quia intellexisset Illustr. Ordines Pastoribus mandasse, 4. April. ut Considerationes suas obsignatas ad ipsos mitterent, se consilium mutasse, exspectaturumque dum idem sibi quoque mandaretur. Petrus Bertius, Collegij Theo- 11 Febr. logici Regens, ab ijsdem Deputatis monitus, ut si quid adversus receptam harum Ecclesiarum doctrinam haberet, libere exponeret, sententiam suam de plerisque doctrinæ capitibus sine ulla tergiversatione aperte declaravit, ostenditque se in Articulis de Iustificatione hominis coram Deo, de Prædestinatione, de Gratia Dei & libero Arbitrio, de Perseverantia denique vere fidelium, diversum ab Ecclesiarum Belgicarum doctrina sentire. Reddidit hoc Ecclesias magis magisque solicitas, cum

non

non tantum Arminium in Academia, sed & Bertium in Collegio Theologico, Hollandicarum Ecclesiarum seminario, iuventuti, suæ fidei commissę, Ecclesiarumque Ministerio destinatę, heterodoxam proponere doctrinam, eamque à doctrinæ sinceritate abductam, novis opinionibus imbuere intelligerent. Videbant hęc Ecclesiæ & dolebant, legitimumque hisce malis adhibere remedium, tametsi quam maxime optarent ac necessarium iudicarent, non potuerunt tamen, Vtenbogardo alijsque quorum magna eo tempore apud quosdam Patriæ proceres autoritas erat, per eosdem conventus omnes Synodicos iudiciaque Ecclesiastica, summa ope impedientibus. Hinc audaciores facti Pastores Arminio addicti, opiniones suas Heterodoxas, publice etiam coram populo proponere, receptam doctrinam varijs calumnijs proscindere, & adversus eam ut horrendam ac detestandam debacchari ceperunt. Inter quos haud postremus fuit quidam Adolphus Venator, Alcmarianæ Ecclesiæ in Hollandia Boreali Pastor, qui, præterquam quod vitę esset minus probatæ, palam atque haud dissimulanter, Pelagianos Socinianosque errores, incredibili cum impudentia, publice privatimque spargebat: qua de causa legitimo Ecclesiarum Hollandiæ Borealis iudicio, à docendi munere suspensus fuit. Ille contemto Ecclesiarum iudicio, in docendi munere invitis Ecclesiis persistebat. Pastores Orthodoxi in classe Alcmariana, hominem hunc impurum, legitime à Ministerio suspensum, uti quoque paucos quosdam alios Pastores, quos in sententiam suam pertraxerat, quique consensum suum in doctrina Ecclesiarum Reformatarum, Confessionis subscriptione testari prefracte recusabant, in cœtum suum non esse admittendos iudicabant. Qua de re ij apud Illustr. Ordines conquesti, Vtenbogardi opera, mandatum obtinuerunt, quo ipsis hæc admissio imperabatur. Quod cum per conscientiam Pastores orthodoxi facere non possent, submisse Illustr. Ordines rogarunt, ne istiusmodi mandatis, quibus per conscientiam obtemperare non possent, grauarentur. Deputati Ecclesiarum, cum dissidia & scandala hæc quotidie magis magisque augeri viderent, denuo Illust. Ordines Ecclesiarum nomine obtestati sunt, ut promissa Synodus Provincialis, tollendis hisce malis primo quoque tempore convocari posset. Quo cum animos Illustr. D.D. Ordinum inclinare, Vtenbogardus, Pastoresque reliqui Arminio addicti animadverterent, quo iudicia Ecclesiastica declinarent, per quosdam qui causæ ipsorum addictiores videbantur, effeceruut, ut Provincialis loco Synodi, collatio de controversis inter Gomarum & Arminium Articulis in ipso Illustr. Ordinum Conventu, haberetur: in qua sibi uterque quatuor assumeret Pastores, quorum consilijs uti illis liceret. Arminius assumserat Ioannem Vtenbogardum Hagiensis, Adrianum Borrium Leydensis, Nicolaum Grevinchovium Roterodamensis, & prędictum Adolphum Venatorem Alcmarianę Ecclesiæ: Gomarus vero, Ruardum Acronium Schiedamensis, Iacobum Rolandum Amstelodamensis, Ioannem Bogardum Harlemensis, & Festum Hommium Leydensis, Ecclesiæ Pastores. Vbi convenissent, Gomarus, Pastoresque qui se illi adjunxerant, duo hæc petebant. 1. Vt Collatio hæc scripto, utrinque exhibendo institueretur: quo hac ratione vanis quibuscunque rumoribus occurreretur. 2. Vt ea scripta postea Synodo Nationali examinanda ac diudicanda traderentur, quo causę Ecclesiasticæ iudicium, Ecclesijs integrum reservaretur. Illustr. Ordines collationem viva voce institui volebant, ita tamen, ut ad memorię subsidium, scriptis uti liceret: promittebantque datis in rei hujus iidem literis publicis, caussam hanc, ubi de eadem ex Collatione ista cognovissent, iudicio Provincialis Synodi reservatum iri, eumque in finem omnia quę viva ibi voce agerentur, postea scripto consignanda, eaque scripta Synodo mox exhibitum iri. Indignum quoque ijdem putabant, Adolphum Venatorem, qui ob vitam doctrinamque impuram legitimis Ecclesiarum censuris à Ministerio suspensus esset, ad Collationem talem, magno cum Ecclesiasticarum censurarum adhiberi pręiudicio. Quare & postulabant, ut illius loco alius assumeretur; quod, vehementer tum reluctante Arminio, impetrari non poterat. Initio disceptatum quoque hic fuit de ordine pertractandorum Articulorũ. Arminius enim causæ suæ præsidium in eo collocare videbatur, ut ab Articulo de Prędestinatione fieret initium. Quoniam vero is qui erat de Iustificatione, magis videretur necessarius, ab isto exordiendum Gomarus putabat: quod & Illustr. Ordinibus placuit. De hoc Articulo eadem fuit controversia, quæ antea coram suprema Curia agitata fuerat. An scilicet Fides,

qua

qua actus est, secundum gratiosam Dei æstimationem, sit ipsa iustitia qua coram Deo iustificamur. Secundo loco actum fuit de Prędestinationis divinæ doctrina, quam Arminius, consequentijs iisdem, quas nuper in conventu Illustr. Ordinum proposuerat, odiosam reddere conabatur. Gomarus autem, præcipuum Controversiæ statum premebat, An videlicet fides Electionis causa vel conditio antecedens sit, an vero eiusdem fructus seu effectus. Tertia controversia, de Gratia Dei & libero hominis arbitrio fuit. Arminius profitebatur, omnes sese gratię divinæ operationes, quęcunque possent statui, in conuersione hominis agnoscere, modo ne gratia ulla statuatur, quæ sit irresistibilis. Gomarus ostendebat, quę ambiguitas, ac quis dolus sub ista *irresistibilis* voce lateret; occultari nimirum sub eadem, damnatam olim Semipelagianorum & Synergistarum opinionem: statuebatque in hominis regeneratione eam Spiritus S. gratiam esse necessariam, quę ita efficaciter operetur, ut superata carnis resistentia per eandem certo atque infallibiliter conuertantur, quicunque gratiæ huius participes fiunt. Denique actum fuit de Perseverantia vere fidelium. Arminius declarabat, se doctrinam de certa vere fidelium Perseverantia, numquam oppugnasse, neque adhuc eam oppugnare velle, quoniam talia pro illa extarent Scripturæ testimonia, ad quæ respondere nondum posset: propositurum itaque tantum ea loca quæ in hoc Articulo scrupulum ac dubitationem, sibi moverent. Gomarus ubi ad ista loca respondisset, doctrinam hanc ex verbo Dei multis euidentibus testimonijs confirmabat. Petractatis hisce, rogati sunt collocutores, utrum plures restarent Articuli; de quibus inter sese dissentirent. Gomarus esse plures respondit: Articulos videlicet de Peccato Originis, de Providentia Dei, de Autoritate S. Scripturę, de Certitudine salutis, de Perfectione hominis in hac vita, nonnullosque alios; de quibus an hoc loco etiam agendum esset, se Illustr. Ordinum prudentiæ permittere; præsertim cum de illis in Synodo agendum esset denuo. Arminij autem valetudo cum diuturnius ferre colloquium non posse videretur, Illustrib. Ordinibus abrumpi placuit, postquam ad Gomari & Pastorum reliquorum qui se illi iunxerant, petitionem, promisissent, totam hanc causam in Synodo Provinciali quamprimum convocanda, plenius examinatum ac decisum iri, mandassentque collocutoribus, ut singuli sententiam cum argumentis suam, & contrariæ refutationem, scripto comprehensam, ipsis intra dierum quatuordecim spatium exhiberent, quo ea scripta usque ad Synodum Provincialem ab ipsis asseruarentur. Gomarus intra pręscriptum spatium scripta sua transmisit, quæ postea Belgice sunt edita. Hac Collatione cum difficultates Ecclesiarum magis auctæ quam sublatæ essent: Ecclesiarum Deputati, ab Illustr. Ordinibus submisse petunt iterum, ut Synodus Provincialis, toties iam ante & in ipsa hac Collatione promissa, primo quoque tempore convocaretur. Responsum ijs, quanquam nonnullis refragantibus, fuit, convocationem eam tum institutum iri, cum Alcmarianæ Classis Pastores, Illustr. Ordinum mandato de Adolpho Venatore & Pastoribus ei addictis, in cœtum suum admittendis paruissent. Ne autem ea res Provincialem moraretur Synodum, Deputati Ecclesiarum Alcmariam profecti, cum Pastoribus illius Classis de hac admissione egerunt, permoveruntque eos, ut Pastores illos Venatori addictos, sub honestis admittere conditionibus parati essent: Venatorem autem ipsum cur admittere non possent, tam multas gravesque Deputatis exposuerant rationes, ut ipsi iudicarent, hac in parte urgeri eos non debere. Quod cum Illustr. Ordinibus relatum esset, necdum tamen obtineri convocatio Synodi potuit. Pastores quippe Arminio addicti hoc effecerunt ut Alcmarianæ Classi denuo iniungeretur, Pastores illos sine ullis etiam conditionibus simpliciter admitterent; quod cum facere non possent, convocatio hęc denuo impedita fuit. Apud Illustres interim Ordines excusare se per literas Arminius; quod iniunctum sibi scriptum ob imbecillitatem corporis parare non posset. Quæ paulatim ita ingravescebat, ut paulo post ex hac vita excederet. Atque licet certamina dissidiaque Academiam & Ecclesias Bataviæ superstite Arminio exercuerunt. Eo autem è vivis sublato, etsi magnam partem malorum pariter cum ipso sublatam ac sepultam esse, bonus quilibet speraret, utpote qui omnium contentionum harum dux atque autor extitisset, tamen cum Pastores passim multi in Ecclesijs Hollandicis, in Sententiam ejus concessissent, ab eaque propaganda non desisterent, Ecclesiarum Deputati, urgendam nihilo secius Synodi Provincia-

22. augusti.

16 Septemb.

5 Octob.

19 Octob.

vincialis convocationem putabant; quibus denuo responsum fuit, tum de conventus alicuius Ecclesiastici convocatione dispecturos esse Illustres Ordines, ubi Classis Alemariana mandatis ipsorum paruisset. Interea Pastores Arminio addicti, cum eo rem esse deductam viderent ut impedita Synodi convocatione, à judicijs & censuris Ecclesiasticis parum ipsis metuendum esse videretur, quasi laxatis audaciç impudentięque habenis, in Orthodoxam Reformatarum Ecclesiarum de Electione, Perseverantia sanctorum, Certitudine salutis, alijsque Articulis doctrinam, acerbissimis contumeliosissimisque insectationibus, maxima cum piorum offensione, adversariorum congratulatione, & Ecclesiarum perturbatione publice privatimque invehi ac debacchari, doctrinam Ecclesiarum populo omnibus modis suspectam reddere, animosque inprimis magnatum adversus eam, fidosque eiusdem doctores exacerbare, cęperunt. Nec satis illis fuit privatis susurris, publicisque ac tribunitijs concionibus, tum plebis tum ipsorum procerum animos concitare; sed publicis quoque scriptis, quę magno numero, nec minore scandalo, quotidie in vulgus spargebant, Ecclesiarum Reformatarum doctrinam, ita proscindebant, ut jurati ejusdem adversarij, maiori cum virulentia ac maledicentia facere id vix potuissent. Vtque Magistratuum favorem sibi melius conciliarent, eorumque animos adversus reliquos Pastores magis magisque exacerbarent, per Vtenbogardum, primo quidem oratione in Conventu Ill. Ordinum habita, deinde publico scripto, persuadere Magistratibus conati sunt, Pastores reliquos, Magistratuum autoritatem imminuere ac labefactare; potestatemque potestati collateralem, seu æqualem, affectare sibique arrogare. Quare Ecclesiarum Deputati denuo adeundos esse Illustr. Ordines censebant; rogandosque ut malis hisce, cum ad summum pervenisse viderentur, remedium legitimum convocata Synodo Provinciali, adhibere tandem dignarentur. Cumque Illustr. Ordines propter summam rei necessitatum facile consensuros viderent, Pastores Arminii opinionibus addicti, novum illis consilium suggesserunt, quo hanc convocationem aut plane impediri aut ita institui posse existimabant, ut in tuto ipsorum causa esset, si personæ nempe ex quibus convocanda esset Synodus, non ab Ecclesiis (uti ęquum, atque hactenus usitatum fuerat) delegarentur, sed ab ipsis Ordinibus quidam evocarentur. Facile enim postea se obtenturos, illi tantum ut eligerentur, qui ipsorum causæ aut addicti, aut ab ea minus essent alieni. Hanc innovationem etsi nonnullis patrię proceribus iam persuasissent, prudentiores tamen approbare non potuerunt, qui hanc convocationem consueto more esse instituendam judicabant. Effecerunt nihilominus, ut dum inter Illustr. Ordines de convocationis modo disceptatur, ipsa convocatio (quod inprimis Pastores hi spectabant) non tantum Synodi Provincialis sed & annuarum Synodorum, & quæ ante ordinarie habebantur, hac ratione omnino impedita fuerit. Quotiescunque enim de Synodi alicujus convocatione verba illi facerent, qui hęc mala hoc legitimo remedio sublata ex Ecclesijs optabant, toties qui Arminio eiusque causę favebant, lites has de convocationis modo renovabant. Quare & Pastores, ejusdem opinionibus addicti cum se rem jam eo usque deduxisse cernerent, ut omnis judicij ac censuræ Ecclesiasticæ sublatus videretur metus, audaciores facti, inconsultis atque insciis Ecclesiis suis, sine Magistratus supremi autoritate, magno numero, clam conveniunt. Atque ibi inter se, inita per subscriptionem nominum confœderatione seu conspiratione, corpus, ut vocant, à reliquo Symmystarum suorum corpore separatum efformant, manifestumque in Ecclesiis Reformatis schisma instituunt. Hoc tempore Illustribus Hollandiæ & Westfrisiæ Ordinibus, libellum supplicem, seu, ut vocant, Remonstrantiam, (à qua postea Remonstrantes vocati sunt) exhibuerunt. In qua doctrinam Ecclesiarum Reformatarum, de divina Prædestinatione, de Gratia Dei & Sanctorum Perseverantia, mala fide, non sine apertis atrocibusque calumniis proponebant; ut hac ratione eam Illustribus Ordinibus exosam redderent: simulque eam, propriæ de iisdem Articulis sententiæ, addebant declarationem, quam ambiguis verborum involucris occultabant, ut imperitioribus haud multum à veritate aliena appareret. Insuperque ab Illustribus Ordinibus adversus omnes Ecclesiarum censuras, in patrocinium ac tutelam recipi petebant. Perculit ea res vehementer omnes Belgicas Ecclesias, cum iam in apertum schisma controversias hasce erupisse viderent, dederuntque omnem operam, ut exemplar huius Remonstrantiæ nancisci

25. Maij. In Iunio. Edita est in Coll. Hag.

nancisci possent, quo ad ipsorum calumnias responderetur. Cæterum favore eius, qui hæc asservare solet, facile obtinuerunt, ne exemplar ejus ullum in Pastorum reliquorum manus pervenire posset. Huic Ecclesiarum calamitati alia accessit, quæ solicitudinem earum ac difficultates supra modum adauxit. Cum enim Iacobo Arminio in Professione Theologica, successor quæreretur, Ecclesiarum Deputati, Nobiliss. atque Ampliss. Academiæ Leydensis Curatores obnixe publico Ecclesiarum nomine rogarunt atque obtestati sunt, ut in eius locum virum ab omni heterodoxias suspicione immunem substituerent, quo hac ratione controversiæ in Academia Leydensi paulatim cessare, Ecclesiisq; pax sua restitui posset: atque in eum finem præstantes aliquot Theologos cum exteros, tum vero Belgicos ijsdem commendabant, verum irrito successu. Remonstrantes enim, qui quorundam animos præoccupasse videbantur, commendationibus suis effecerunt, ut Conrad. Vorstius Professor Steinfurtensis, homo à multis annis de Socinianismo Ecclesijs Reformatis merito suspectus, in Arminij locum ad Professionem Theologicam vocaretur, eaque de causa Vtenbogardus Steinfurtum ablegaretur. Quod, cum Ecclesiarum Deputati intellexissent, officij sui esse existimarunt Illust. Ord. monere, ne eiusmodi hominem, qui tanquam unguis in ulcere esset, rebus præsertim Ecclesiarum ita perturbatis, ad vocationē hanc admitti temere permitteretur. Vtque hoc majori cum fructu fieri ab ipsis posset, à veneranda Academiæ Heidelbergensis facultate Theologica, cui Vorstius hic intime cognitus erat, per literas petebant, ut sincere declararet, utrum hunc Vorstium hoc rerum statu, cum fructu, pace, atq; ædificatione Ecclesiarum, juventuti erudiendæ in Academia Leydensi præfici posse existimaret. A qua & responsum fuit, recens prodiisse quendam eius de Deo & Attributis divinis librum, in quo Veterum & recentiorum Theologorum Doctrinam convelleret, doceretque, Deum essentia quantum, magnum, finitum, compositum ex essentia & accidentibus, mutabilem voluntate, passivæ potentiæ obnoxium esse, & similia portenta. Missum ante decennium Heidelbergam fuisse, ut coram facultate Theologica, præsente etiam D. Pezelio, à Socinianismo se purgaret, cujus postulabatur ab Ecclesijs. 26. August.

Ac purgasse quidem se tandem, relicta syngrapha. Purgationē vero eam non fecisse ratam, contra vero sæpius, multisque modis, magis se suspectum reddidisse, quod portentorum nidum gereret in capite, quibus scholam & juventutem Steinfurtensem inquinasset hactenus. Ad Illustriss. autem Academiam Leydensem si tam suspectæ fidei homo vocaretur, nihil aliud hoc fore, quam incendium oleo restinguere. Hæc cum non tantum Ecclesiarum Deputati, sed Amplissimi quoque Magistratus primariarum Hollandiæ civitatum, Dotdrechti scilicet, & Amstelodami, DD. Curatoribus ipsisque Illust. Ordd. significarent, rogarentq; ne hac viri illius vocatione, difficultates Ecclesiarum exasperarent, novarumq; eas, ac majorum turbarum periculo exponerent: Remonstrantes apud eosdē omnibus allaborare viribus, ne ab instituta hac vocatione desisterent. Hoc enim cum autoritatis ipsorum dispendio coniunctum fore persuadebant. Venit interim in Hollandiam Vorstius. Qui, postquam in conventu Illustr. Ordinum, præsente ex Pastoribus solo Utenbogardo, auditus esset, Steinfurtum redijt. Circa hoc tempus, cum studiosi quidam S. Theologiæ, ad ministerium verbi in diversis classibus vocati, examini subjiciendi essent, Remonstrantes procurarunt, ut ab Illust. Ordd. Consiliarijs, Classibus illis mandaretur, ne à quoquam in Articulo de Prædestinatione & annexis ei capitibus, ulterior in examine postularetur declaratio, quam quę quinque Remonstrantium, qui una mittebantur Articulis, expressa esset: simulque interdiceretur, ne quisquam eorum à ministerio arceretur, qui in antedictis Articulis, se cum Remonstrantibus sentire profiterentur. Cui cum Pastores multis de causis assentiri gravarentur, Ecclesiarum Deputati ab ijsdem rogati, in proximis Illust. Hollandiæ & West-Frisiæ Ordinum Comitijs sua exponunt gravamina, simulque declarant, paratos se esse in legitima Synodo, probare istos Remonstrantium Articulos, cum Dei verbo, & Ecclesiarum Belgicarum Confessione ac Catechesi pugnare: rogantque Illust. Ordd. ne Articulos istos heterodoxos, in legitimo Ecclesiarum conventu nunquam debite examinatos, Ecclesijs hac ratione obtrudi paterentur. Quin potius Synodum Provincialem toties petitam, imo jamdiu expetitam convocarent, in quo Articuli isti secundum divini verbi normam legitime examinari prius possent. Ostendunt quoque quanto cum scandalo atque Ecclesiarum detrimento, coniunctum foret, si instituta Vorstij vocatio procederet. 18. Octob. 22. August. 22. Sept. 21 Novem.

Ac proinde rogant, ut illa Illustr. Ordinum autoritate impediretur. Habita super his deliberatione, statutum fuit, instituendam esse proximis Comitijs Hagæ-Comitis, in ipso Illust. Ordinum conventu, super quinque illis Remonstrantium Articulis Collationem, inter senos Pastores ab utraque parte eligendos. Remonstrantes pro se Ioannem Utenbogardum, Hagiensis; Adrianum Borrium & Ioannem Arnoldi Corvinum, Leydensis; Nicolaum Greuinchovium, Roterodamensis; Eduardum Poppium, Goudanæ; & Simonem Episcopium, Bleyswicanæ Ecclesiæ Pastores, elegerant. Reliqui vero Pastores, per singularum Classium Deputatos, Petrum Plancium, Amstelodamensis; Libertum Fraxinum, Brilanæ; Ruardum Acronium, Schiedamensis; Iohannem Becium, Dordrechtanæ; Iohannem Bogardum, Harlemensis; & Festum Hommium, Leydensis; Ecclesiæ Pastores, sibi legerant. Postquam convenissent, Remonstrantes recusabant cum reliquis illis sex Pastoribus, tanquam cum Classium Hollandiæ & West-Frisiæ Deputatis, quales se esse literis Fidei ostendebant, Collationem instituere, ne Ecclesiarum adversarij viderentur: quin protestabantur re infecta discessuros, nisi hanc deponerent personam. Qua de re cum diu multumq; disceptatum esset, maluerunt reliqui Pastores importunitati eorum cedere, quam diutius ea de re litigare. Atq; ij, qui à Classibus erant Deputati, antequam ad Collationem accederent, ab Illust. DD. Ordinibus petebant: ut promissio, quæ ante biennium, in Collatione inter Arminium & Gomarum habita, Ecclesiis esset facta (judicium videlicet huius causæ absoluta Collatione esse Synodo Provinciali vel Nationali permittendum ac reservandum) hic quoque renovaretur. Ordinem agendi hunc placuit servare, ut pars utraq; sententiæ suæ argumenta, scripto comprehenderet: de quibus deinde viva voce collatio institueretur. Antequam ad Articulorū examen deventum fuit, Pastores quos iam ante à Classibus fuisse deputatos diximus, ad supplicem Remonstrantium libellum, cuius exemplar paulo ante Collationem nacti erant, responsionem exhibuerunt, in qua ostendebant, Remonstrantes pessima fide Ecclesiarum Reformatarum sententiam proposuisse, multaque per calumniam ipsis affinxisse: sed nec suam aperte patefecisse, aut omnes, de quibus esset controversia, Articulos proposuisse. Cumque plura essent controversa capita, præter ea quæ Quinque illis Articulis explicarentur; demisse se petere, ut autoritate Illustrium Ordinum, Remonstrantibus imperaretur, ut rotunde se atque aperte super reliquis quoque omnibus declararent. Itaque cum primus Remonstrantium Articulus excutiendus esset, quo statuitur Deum ab æterno decrevisse, fideles perseverantes salvos facere, quod nemo Christianus negat, atque hic Articulus ab ipsis ita positus esset, ut qui doctrinam de æterna Dei electione contineret, rogati Remonstrantes sunt, ut ad sententiæ suæ, hoc articulo expressæ, declarationem duo hæc exponerent. Primo, An statuerent Articulum hunc continere integrum Prædestinationis Decretum. Secundo, an existimarent, fidem & perseverationem in fide, esse causas vel conditiones, quæ electionem ad salutem præcedunt, an vero fructus, qui ex electione prodeunt, & eam consequuntur. Postquam aliquamdiu tergiversati essent, responderunt tandem; Ad primum quidem, Nullam se aliam Prædestinationem ad salutem agnoscere, quam quæ primo Articulo esset ab ipsis expressa; Ad secundum vero, Fidem in consideratione atque intuitu Dei, priorem esse Electione ad salutem: non eam instar fructus alicuius consequi. Reponebant deinde septem alias, tum de Electione, tum de Reprobatione Quæstiones, ad quas à Pastoribus à Classibus Deputatis responderi volebant. Quæ cum ad Controversiæ de primo Articulo statum non spectarent, etiam mutilæ atque intricatæ essent pleræque, cumque in finem ab illis proponerentur, ut hoc modo à præcipuo Controversiæ statu, rectaque agendi ratione, in ambages abducerent. Pastores exposita per libellum supplicem Illust. Ord. iniqua hac agendi ratione, non quidem deprecati sunt, ne de Reprobatione sententiam suam manifestarent, (uti Remonstrantes improbe sæpius, iisdem objectarant,) sed diserte sententiam suam quantum ad Ecclesiarum pacem atq; ædificationem sufficere existimarent, non tantum viva voce, sed & scripto declararunt: se nimirum, cum æternum Electionis singularium personarū Decretum ponunt, simul quoq; ponere æternum de Reprobatione & rejectione quarundam singularium personarum Decretum: cum fieri nequeat, ut sit electio, quin simul quoque sit aliqua reprobatio aut derelictio. Difficiles omnes circa hunc Articulum quęstiones temere, excutere, nihil aliud esse quam inutilibus disputationibus, & nihil profuturis litibus, Ecclesiam replere, eiusque pacem perturbare.

Decla-

ↃIↃ Iↄ cxi. 11. Martij.

18. August.

Declarationẽ suam hanc libello supplice expressam, moderatis omnibus pacemq; amantibus ingeniis, sufficere debere: credi videlicet ac doceri ab ipsis, Deum neminem condemnare, imo vero ne statuisse quidem condemnare quenquam, nisi juste propter propria ipsius peccata. Placuit itaque Illustribus Ordinibus, ut missis illis spinosis quæstionibus, ad Articulorum pertractationem deveniretur. Pastores ab Ecclesijs Deputati rationes suas, ob quas singulos improbarent Articulos, scripto proponebant. Remonstrantes quoque contra argumenta sua, quibus singulos confirmari posse existimabant scripto exhibebant. Super hisce rationibus atque argumentis, in pleno Illust. Ordinum conventu viva voce habitæ sunt disceptationes. Collocutoris partes nomine Pastorum ab Ecclesiis Deputatorum obeunte Festo Hommio: nomine vero Remonstrantium, primo quidem Adriano Borrio, deinde eidem per vices succedentibus, Nicolao Grevinchovio, Ioanne Arnoldi, & Simone Episcopio. Dum in hac Collatione occupantur Pastores, redierat ex Westphalia in Hollandiam Conr. Vorstius, quem Ill. Ord. in pleno conventu suo, præsentibus omnibus Collocutoribus audiendum esse statuebant. Vbi comparuisset, prolixam habuit orationẽ, 27. April.
qua se ab objectis erroribus purgare conatus est. Rogati deinde sunt ab Illust. Ordin. Collocutores, utrum aliquas haberent considerationes, ob quas Vorstij ad Professionem Theologicã in Academia Leydensi vocationem, esse impediendam judicarent. Remonstrantes diserte declararunt, nihil se adversus Vorstium habere, neque quidquam in scriptis ejus deprehendisse, quod veritati aut pietati repugnaret. Pastores reliqui scripto rationes exhibuerunt suas, ob quas judicarent, hanc vocationem Vorstij Ecclesiis Hollandicis vehementer noxiam, ac probrosam fore: ostenderuntque tum ex libro Socini de Autoritate S. Scripturæ, edito ab ipso Vorstio, atque interpolato, tum vero ex eo, quem de Deo divinisque attributis ipse Vorstius nuper ime conscripserat ac divulgaverat, præcipuos illius errores, super quibus inter ipsum & Festum Hommium in Illust. Ord. conventu, præsentibus Collatoribus per dies aliquot habita fuit Collatio. Qua finita, denuo ab Illust. Ord. rogati sunt utrinque Pastores, ut 6. Maij.
sincere & absque ullis affectibus declararent, utrum Vorstius responsionibus suis satisfecisse ipsis videretur. Remonstrantes responderunt, plene à Vorstio sibi esse satisfactum, judicare se proinde Ecclesiis atque Academię utilissimum fore, si hęc eius vocatio procederet. Reliqui Pastores scripto declararunt, responsiones Vorstij, tantum abesse ut ipsos à priori sententia dimovissent, ut ijsdem magis magisque in hac sententia sint confirmati: Vocationem ejus nisi maximo cum Ecclesiarum atque Academię detrimento, manifestoq; majoris perturbationis periculo promoveri non posse. Cui ne temere hac vocatione Ecclesias exponerent, submisse Illust. Ord. obtestabantur. Dimisso Vorstio, reditum fuit ad Collationem super Quinque Remonstrantium Articulis. Quæ per aliquot dies continuata, atque ad finem tandem perducta cum esset, 11. Maij.
Illust. Ord. Collocutoribus utrinque mandarunt, ut quæ viva voce acta essent, quæq; prætere ad pleniorem responsionem necessaria judicarent, scripto utrimq; comprehensa, per Utenbogardum & Festum, Illust. Ord. exhiberentur. Atque interea ne inter se Pastores de victoria, quam alter de altero reportasset, gloriarentur, sed de controversis Articulis cum ædificatione moderate docerent, & in pace ac charitate inter se viverent: statuerunt Articulos hosce eodem in statu esse relinquendos, quo ante Collationem habiti fuissent. In Vorstij causa tum temporis nihil Decretum fuit, sed cum paulo post Amplissim. Civitatis Dordrechtanæ Magist. per Delegatos suos, viros 16. August.
Ampl. D. Hugonem Musium ab Holij, Prætorem, Iacobum Wittium, Adrianum Repelarium, & Iohannem Berkium, Syndicum; Ill. Ord. rogarent, quandoquidem rumores de Vorstij erroribus atque hæresibus indies magis magisq; increbescerent, ut Vocatio eius aut intermitti, aut saltem differri posset: mandarunt Illust. Ord. Academiæ Curatoribus, ne porro in Vocatione eius progrederentur. Cumq; de hac vocatione fama ad ipsum quoque Serenissimum ac Potentissimum magnæ Britanniæ Regem Iacobum I. Fidei defensorem pervenisset, qui pro admiranda, in Rege pręsertim, Theologicis in rebus peritia sua, ac pro singulari suo erga Religionẽ reformatam zelo, cum Vorstii de Deo tractatum ipse perlegisset, præcipuosque errores sua manu annotasset, Illust. ac Præpot. Ord. Generales, vicinos ac confœderatos suos, tum per literas, transmisso etiam errorum eius Catalogo, tum per legatum suum virum Illustr. D. Rodolphum Winwodum, monendos censuit, ne hominem tot tantisq; erroribus ac blasphemiis infamem, ad publ. in Academia docendi munus admitterent, sed potius 21. Septemb.

finibus ejicerent; ne si ab eodem pravis illis atque exsecrandis erroribus imbueretur iuventus (quandoquidem sinceritate doctrinæ Reformatæ, in qua Ecclesiæ Belgicæ hactenus cum Anglicanis amabilem coluissent consensum, eiusq; conservatione, Reipublicæ etiam salus versaretur) status paulatim labefactaretur. Quod cum differretur, Remonstrantibus contra obnitentibus, atque inprimis Vorstio, varijs Exegesibus, Apologiis, Prodromis, Responsionibus tum Modestis, tum Plenioribus, errores suos excusante atque incrustante, non destitit tamen Serenissima Maiestas Regia, repetitis aliquoties admonitionibus, etiam addita seria protestatione, dimissionem eius urgere. Dum hæc aguntur, quidam S. Theologiæ studiosi, qui ex Vorstij quoque disciplina atque domo prodijssent, in Academia Franekerana, quam Socinianis erroribus inficere iam satagebant, libellum quendam Fausti Socini de Officio hominis Christiani (quo suadetur, ut omnes, qui animarum suarum saluti consultum volunt, desertis Reformatarum Ecclesiarum dogmatibus ac cœtibus, Photinianorum, atque Ebionitarum sententiam amplectantur) typis ediderunt, addita præfatione in qua libellum hunc diligenter Ecclesiis commendant. Illustres Frisiæ Ordines de eo certiores facti, simulque familiares quasdam horum studiosorum literas nacti, in quibus declarabant, quibus artibus communis Socinianismi causa, quam à Vorstio quoque, Utenbogardo, aliisque in Hollandia agi, non obscure ipsi significabant, occulte tutoque propaganda esset: cum libelli huius exemplaria pleraque flammis ultricibus curassent abolenda, istosque studiosos ex finibus suis ejecissent, primo quidem per literas, primariarum Hollandiæ civitatum Magistratus, deinde & per Nobilissimum virum Kemponem à Donia ipsos Illustres DD. Ordines monuerunt, rogaruntque, ut quandoquidem Orthodoxus in doctrina Reformata Consensus præcipuum concordiæ atque unionis inter Provincias fœderatas esset vinculum ac fundamentum, ne committerent, ut vocatione hominis unius, de manifestis hæresibus ita suspecti, consensus iste labefactaretur, neq; istiusmodi technis ac fraudibus, quibus istos homines occulte istud moliri constaret, circumduci se paterentur. Pastores autem Leowardienses, divulgatis supradictis studiosorum literis, cum necessariis annotationibus, Ecclesias omnes serio monuerunt, ut ab eiusmodi technis, & dolosis hæreticorum, Vorstijque inprimis molitionibus sibi caverent. Illustr. quoque Ducatus Geldriæ ac Zutphaniensis Comitatus Ordines, eosdem Illustres Hollandiæ Ordines de eadem re monuerunt. Qui responderunt, nihil sibi magis cordi curæque futurum, quam ut in communi cum reliquis Provincijs fœderatis Religionis negotio, consensum hunc inviolatum retinerent. De quo ipsorum constanti proposito ut vicini fœderati certi esse

15. Novem. vellent, unice rogabant. Interea sese admonitionis huius rationem esse habituros. Mandantque Vorstio, ut ex civitate Leydensi domicilium suum Goudam transferret, ibique ab obiectis erroribus, publicis, quantum posset, scriptis se purgaret. Statuerunt deinde ijdem DD. Ordines, ut Collatores Hagienses utrinque scripto Statum controversiæ circa quinque Remonstrantium Articulos exhiberent: simulque sua adderent consilia, qua ratione hasce controversias ad Ecclesiarum pacem & Reipublicæ bonum commodissime componi posse existimarent. Remonstrantes nullam certiorem concordiæ rationem quam mutuam tolerantiam iniri posse iudicabant, per quam nimirum utrique parti permitteretur suam de hisce articulis sententiam libere docere ac propugnare. Reliqui Pastores declarabant commodiorem se viam non posse ostendere, quam ut primo quoque tempore autoritate Illustr. & Præpotent. Ordd. Generalium Synodus Nationalis prima occasione convocaretur, in qua controversijs hisce alijsque omnibus plane expositis atque examinatis, definiretur utra sententia cum Verbo Dei, & communi Ecclesiarum Reformatarum iudicio consentiret, ac proinde publice doceri deberet; ne dissidentium opinionum agitatione veritas læderetur, aut pax Ecclesiarum perturbaretur. Super hisce consilijs variæ fuerunt Illustrium Ordinum sententiæ: nonnullis Remonstrantium, alijs reliquorum Pastorum consilium probantibus. Quæ causa fuit, ut nihil hac in re statueretur, quo finis hisce controver-

Extant in Collat. Hagiensi.

5. Decemb. sijs imponi posset. Cæterum cum Illustr. Ordd. intellexissent, præter Quinque hosce Articulos, de multis alijs haud levis momenti controversias moveri, ut sinceritati doctrinæ consulerent, innovationibusq; mature occurrerent, statuerunt, ut doctrina S. Euangelij Do. nostri I. Christi, quam purissime, tum in Eccl. tum in pub. Scholis harum regionū proponeretur, ac proinde ut in Eccles. publicisq; Hollandiæ & West-Frisiæ Scholis, de Perfecta Servatoris nostri I. Christi pro peccatis nostris Satisfactione, de Iusti-

Digitized by Google

de Iustificatione hominis coram Deo, de Fide salvifica, de Peccato originali; de Certitudine salutis, & de Perfectione hominis in hac vita, non aliter doceretur, quam uti passim in Ecclesijs Reformatis traditur, & in hisce Provincijs hactenus traditum fuit. Interea passim in Ecclesijs dissidia, scandala, perturbationes & confusiones, dolendum in modum augescebant. Remonstrantes enim omnibus allaborabant viribus, ut Pastores qui conatibus ipsorum maxime obsisterent, concitato adversus eos falsis criminationibus Magistratu, non tantum ex ministerijs sed ex ipsis urbibus ejicerentur, utque Ecclesijs passim omnibus quæ Pastoribus destituerentur, eiusmodi homines, etiam invitis ac reluctantibus, obtruderent, qui opinionibus eorum essent addicti, exclusis ubicunq; possent omnibus alijs, licet eruditione, pietate, donisque necessarijs optime instructis, atque ab Ecclesia legitime expetitis ac vocatis. Quæ causa fuit, ut Ecclesiæ Orthodoxæ eiusmodi Pastores, qui aut innocentes collegas suos, contra omne jus ac fas ita oppressissent atque eiecissent, aut qui invitis ipsis obtrusi essent, quique Reformatarum Ecclesiarum doctrinam virulentissimis concionibus quotidie horrendum in modum proscindebant, pro legitimis pastoribus suis habere, conciones eorum audire, cœnam Dominicam cum ijsdē participare non possent, sed in locis vicinis ad orthodoxorum Pastorum conciones accedere mallent, tametsi multis ea de causa convitijs, probris atque iniurijs afficerentur. Atque hæc fuerunt separationum à Remonstrantibus initia atque occasiones. Prima inter omnes Ecclesias fuit Alcmariana, quæ eiusmodi separationē instituere coacta est. Adolphus enim Venator, Ecclesiæ illius Pastor, ab Ecclesijs Hollandiæ Borealis cum ob vitam impuriorem, tum doctrinam impurissimā, à docendi munere suspensus, cum Magistratus illius patrocinio fretus, contemptis Ecclesiarum censuris, nihilominus in docendi munere persisteret; mutatoq; iam Magistratu; uti singulis annis fieri consuevit, tales legitime essent electi, qui partibus illius minus favere viderentur, quorumque patrocinio niti amplius non posset, concitata adversus Magistratum legitimum plebe, effecit, ut illa correptis per seditionem armis prius nollet conquiescere, quam abdicato Magistratu legitimo, alij quidam homines à Reformata Religione alieni partibusq; Venatoris addicti, eidem substituerentur. Isti simulac in civitatis regimine stabiliti essent, instigante Venatore, primo quidem Seniores & Diaconos à munere suo abire iusserunt, deinde & duos Pastores, quorum alter Petrus Cornelij per L. fere annos Ecclesiæ illi maxima cum ædificatione præfuerat, quoniam Venatoris erroribus se opposuissent, ministerijs suis privarunt: alterum vero Cornelium Hillenium, integerrimæ fidei & vitæ virum, acerrimumque orthodoxæ doctrinæ propugnatorem, urbe pulsum indignissime eiecerunt. Quam separationem Roterodamensis Ecclesia imitari est coacta. Nicolaus enim Grevinchovius cum videret collegam Cornelium Geselium propter singularem pietatem, modestiam, ac sinceritatem, Ecclesiæ Roterodamensi gratissimum, conatibus suis in introductione doctrinæ Remonstrantium vehementer obsistere, procuravit, ut per Magistratum eius loci, primo quidem ministerio privaretur, deinde per lictores publicos urbe ejiceretur. Roterodamensis quoque Classis Pastores, sinceritati doctrinæ addicti, cum hoc Grevinchovio, aliisque in Remonstrantium sententiam ab ipso pertractis, conventus Classicales habere detrectabant: cum Simonem Episcopium, cui Ecclesia Amstelodamensis, in qua vixerat, testimonium doctrinæ & vitæ dare negaverat, invitæ Ecclesiæ Bleysvicensi contra potiora Pastorum suffragia, Magistratus Roterodamensis autoritate obtrusisset. Multæ quoque in pagis Ecclesiæ, aut quibus Remonstrantes invitis essent obtrusi, aut quarum Pastores ad Remonstrantes defecerant, quia horrendas illas doctrinæ orthodoxæ insectationes, quæ in ipsorum concionibus quotidie audiebantur, non sine maxima animorum offensione, tristitia ac perturbatione, audire possent, relictis templis suis, aut ad vicinorum Pastorum Orthodoxorum conciones accedebant, aut ubi illæ haberi non poterant, in pagis suis ab aliis Pastoribus, aut à ministerij candidatis orthodoxis, in conventibus separatis instituebantur. Quod Remonstrantes severis Magistratuum illorum edictis frustra impedire annisi, haud levem adversus Ecclesias illas persecutionem excitabant. Interea DD. Curatores Academiæ Leydensis, ex consilio Remonstrantium, ad Professionem Theologicam vocant M. Simonem Episcopium, invito & reluctante Clarissimo Viro D. Ioanne Polyandro, qui in Fr. Gomari locum ad eandē Professionē vocatus fuerat. Auxit hoc haud parum Ecclesiarū mœrorem ac solicitudi- 1612.

nem,

Digitized by Google

nem; cum ex eo appareret statutum ipsis esse in illa Academia contentiones fovere, Remonstrantiumque doctrinam stabilire. Hæc autem mala, cum jam diutius intra Hollandicarum Ecclesiarum limites vix contineri possent, contagium hoc vicinas quoque, Geldriæ inprimis, Ultrajectinæ Provinciæ, & Transisulaniæ Ecclesias, tandem pervasit. In Ultrajectina diœcesi, Pastorum negligentia, Ecclesiasticus ordo collapsus videbatur: sub cuius restituendi prætextu, Utenbogardus, Pastores aliquot Remonstrantes, atque inter eos Iacobum quendam Taurinum, hominem turbulentum & sævum, in Ecclesiam illam introduxit. Qui deinceps operam dederunt strenuam, ut, non tantum in illa urbe, sed in tota hac Provincia, ejectis ubicunque possent
24. August. Pastoribus orthodoxis & in locum eorum substitutis Remonstrantibus, sola Remonstrantium doctrina publice obtineret. Ut autem causam suam in eadem stabilirent Provincia, novam conceperunt Regiminis Ecclesiastici Formulam, quæ primo quidem à Synodo, in qua Utenbogardus, Pastor Hagiensis, præsidebat, deinde vero ab ipsis quoque Illustr. eius Provinciæ Ordinibus, eiusdem opera, approbata fuit. In Articulis 4. & 5. cap. 2. toleranda sententiæ Remonstrantium quam in Hollandia tantopere urgebant, publice stabilita fuit: ubi quoque doctrina Ecclesiarum Reformatarum oblique odioseque traducitur. Plurimæ denique novitates in Ecclesiarum regimine, passim in hac formula occurrunt. Ita ut ex eâdem appareret, nihil aliud hominibus hisce propositum esse, quam ut omnia, non tantum in doctrina, sed & in Ecclesiæ ritibus ac gubernatione novarent.

Iam vero & in Geldria, Neomagensis, Bommeliensis & Tilanæ Ecclesiæ Pastores, in partes suas Remonstrantes pertraxerant, qui deinde quoque suæ tantum sententiæ homines vicinarum Ecclesiarum Ministerijs præficiebant. Utque hoc liberius tutiusque facerent, Utenbogardus, Borrius, & Taurinus, in Geldriam profecti, cum Illustrium ibidem Ordinum comitia celebrarentur, cum reliquis Remonstrantibus hoc effecerunt, ut in illa quoque Provincia, ordinarij atque annui conventus Synodici impedirentur. In Transisulania quoque nonnulli Pastores, in Ecclesia præsertim Campensi & Daventriensi, quorundam opera atq; artibus in sententiam Remonstrantium pertracti, qui illis in locis pacatas Ecclesias novis deinde contentionibus perturbarunt. Cum malum hoc ita in reliquas quoque Provincias serpere ac diffundi Ecclesiæ Belgicæ viderent, judicarentque summe necessarium esse, ut ei quamprimum occurretur, neque diutius remedium esse differendum, communicatis inter se consilijs, ex singulis Provincijs binos ad Illustres ac Præpotentes Ordines
27. Sept. Generales ablegarunt Deputatos: ex Geldria videlicet, Iohannem Fontanum & Guilhelmum Baudartium; ex Hollandia Libertum Fraxinum & Festum Hommium; ex Zeelandia, Hermannum Faukelium & Guilhelmum Telingium (Ultrajectinæ Ecclesiæ suos mittere recusabant;) ex Frisia Gellium Acronium, & Godefridum Sopingium; ex Transisulania Iohannem Gosmannum, & Iohannem Langium; ex civitate denique Groningensi & Omlandijs, Cornelium Hillenium, & Wolfgangum Agricolam. qui una cum Ecclesiæ Amstelodamensis, quæ Synodalis erat, Deputatis, Petro Plancio, & Iohanne Hallio, expositis prolixe Ecclesiarum difficultatibus ac periculis, tum ipsarum Ecclesiarum, tum etiam plerique Illustrium Provinciarum suarum Ordinum nomine (quorum literas quoque exhibebant) obnixe Illustres ac Præpotentes DD. Ordines rogarunt, atque obtestati sunt, ut afflictissimi Ecclesiarum status miserti, tandem aliquando de horum malorum remedio serio cogitarent, eumque in finem Synodum Nationalem ante annos complures promissam, primo quoque tempore convocarent. Quamvis plerique inter Ordines Generales, hanc Synodi convocationem non esse diutius differendam judicarent, eamque etiam ipsi urgerent; tamen quia Ultrajectinæ Provinciæ Delegati abessent, Hollandiæ autem & West-Frisiæ, se ad rem eam non satis liquidis à suis Delegantibus instructos mandatis esse dicerent, res dilata est, donec omnium Provinciarum Delegati in eam communibus suffragijs consensissent: quod ne fieret, Remonstrantium Hollandorum atq; Ultrajectinorum opera deinceps impeditum fuit. Non destiterunt interim Remonstrãtes, strenue causam suam agere, Magnatum favorem aucupari, animos Magistratuum occupare, conventus omnes Synodicos Politicis suspectos reddere atque impedire, Ecclesias vacantes occupare, sententiam suam concionibus & scriptis publicis propagare, doctrinam orthodoxam horrendis calumnijs proscindere, populum in partes suas

Digitized by Google

suas pertrahere, & à Reformatarum Ecclesiarum doctrina magis magisq; abalienare. Hunc in finem certatim magno numero in vulgus spargebant libellos, lingua populari conscriptos, sub titulis, Campanæ incendiariæ, Pressioris declarationis, Viæ directoris, aliisque, quibus non tantum doctrinam suam propugnabant, Vorstiumque excusabant, sed receptam Ecclesiarum Belgicarum doctrinam, impudentissimis calumnijs, absurdissimisque consequentijs ex eadem male atque improbe deductis, canina eloquentia atrocissime exagitabant. Hinc in populo acerbæ sunt excitatæ disputationes altercationesque, quibus omnia loca perstrepebant: animique etiam conjunctissimorum inter se exacerbati; magno cum charitatis vulnere, Ecclesiarum & tranquillitatis publicæ perturbatione, ingentique cum piorum tristitia atque offensione, miserandum in modum divellebantur. Cumque in plerisque urbibus Magistratum sibi faventiorem haberent, ac per Iohannem Utenbogardum apud Hollandiæ Advocatum nihil non possent, Ecclesiis & Symmystis suis insolenter insultabant. Interea omnes pij patriæque & Religionis amantes viri, miserrimam hanc Ecclesiarum calamitatem dolebant deflebantque: & cum animo satis perspicerent quorsum tandem turbæ hæ essent evasuræ, nisi remedium mature adhiberetur, quia publica authoritate id ipsum hactenus fieri non potuisset, annon alia quadam via malum hoc sisti saltem, si non tolli, posset, serio cogitare cœperunt. Inprimis Illustrissimus Nassoviæ Comes, Guilhelmus Ludovicus, Frisiæ Gubernator, pro eximio suo erga Ecclesias & Rempublicam affectu, privatim monuit tum Utenbogardum ab una, tum Festum Hommium ab altera parte, ut quandoquidem & ipse Reip. status contentionibus hisce Ecclesiasticis graviter concuteretur, amice ac fraterne inter se despicerent, annon aliqua componendi tristissimi huius dissidij ineundæque concordiæ, via honesta reperiri posset. Festus declarabat, si Remonstrantes in nullis aliis Articulis, quam in illis Quinque de Prædestinatione, annexisq; ei capitibus, à reliquis Pastoribus dissentirent, existimare se, viam reperiri posse, qua pax aliqua inter partes stabiliri posset, donec in Synodo Nationali, tota controversia componeretur. Sed quia graves essent causæ, ob quas Ecclesiæ crederent, plerosque Remonstrantes in pluribus majorisque momenti Articulis à recepta Belgicarum Ecclesiarum doctrina dissentire; neque fieri posset ut sub prætextu Quinque istorum Articulorum gravissimos errores in easdem invehi permitterent aut paterentur, nullam ineundæ cum Remonstrantibus concordiæ spem videri, nisi sincere declarare vellent, se exceptis Quinque istis Articulis, in reliquis omnibus doctrinæ capitibus, cum Reformatis Ecclesiis Belgicis sentire. Utenbogardus ad hæc rogatus, respondit, quod ad se attineret, præter Quinque illos Articulos, nihil se habere in quo dissentiret, paratumq; semper fore, sincere sententiam suam declarare; neque dubitare, quin plerique Remonstrantes idem facturi essent; nihilque se magis optare, quam ut ea de caussa colloquium inter aliquot moderatioris ingenij Pastores institueretur. Cumque eandem declarationem Festo privatim Leydæ repetijsset, convenit inter ipsos, ut uterque apud suos procuraret, ut tres utrinque Pastores deputarentur, qui amice convenientes serio de commoda pacis via inter se dispecturi, quæ deinceps cum Ecclesiis communicari, atque ab iisdem approbari posset.

Illustres Hollandiæ Ordines, cum hæc consilia privatim agitari intelligerent, hoc illorum studium comprobarunt, publicoque nomine, ut quamprimum illud institueretur colloquium, mandarunt. Convenerunt paulo post hac de causa in urbe Delphensi, à parte Remonstrantium, Ioannes Utenbogardus, Adrianus Borrius, & Nicolaus Grevinchovius: à parte reliquorum Pastorum, Ioannes Becius, Iohannes Bogardus, & Festus Hommius. Postquam eos Illustres Ordines per Delegatos suos hortati essent serio, ut depositis simultatibus atque affectibus pravis, omnes ingenij nervos intenderent, ut inter ipsos commoda aliqua pacis inveniretur via, simulque quam gratum hoc Deo, Ecclesiis, piisque omnibus atque ipsis inprimis Illustr. Ordinibus futurum esset, declarassent; cum singuli quoque Pastores animo se pacis studiosissimo accessisse, omniaque quæ ab ipsis proficisci possent, ad pacem conciliandam allaturos testati essent; habita inter ipsos amica est collatio. In qua Remonstrantes declarabant, nullam se aliam pacis viam monstrare posse, præter mutuam, ut vocabant, tolerantiam. Ut videlicet utrique parti suam de quinque illis Articulis publice in Ecclesiis sententiam docere libere permitteretur, petebantque à reliquis Pastori-

CIↃ IↃ CXIII. 27. Ianuar.

27. Februar.

bus, ut

bus, ut declararent, utrum sententiam suam Articulis illis quinque expressam, eo modo tolerabilem nec ne existimarent. Si existimarent tolerabilem non esse, necesse non esse ut ulterius de pacis via quidquam deliberaretur. Si quidem nulla tum, ipsorum judicio, incundæ pacis ratio restaret. Pastores reliqui respondebant, tutissimam sibi ac commodissimam pacis viam hanc videri, ut quandoquidem utrique Reformatarum Ecclesiarum Belgicarum Pastores essent, atque haberi vellent, utraque pars causam suam legitimo Ecclesiarum Belgicarum judicio submitteret, eumque in finem serio ac sincere allaboraret; ut Synodus Nationalis Reformatarum Ecclesiarum in Belgio, quam primum, vel proxima, si fieri posset, æstate, Illustrium ac Præpotentum Ordinum Generalium autoritate convocaretur, in qua tota causa legitime examinata & discussa, aut definiretur, utra sententia ut Verbo Dei consentanea in Ecclesiis doceri deinceps deberet, aut ejusmodi Tolerantiæ ratio communibus omnium Ecclesiarum suffragiis iniretur, qualis ex Verbo Dei instituenda videretur. Paratos esse huic Synodi judicio se subjicere: si Remonstrantes idem facere vellent, ita pacem confectum iri. Tolerantiam autem nullis circumscriptam legibus, qua hactenus fuissent usi, qualemque petere viderentur, non posse Ecclesiarum paci atque ædificationi servire, si tamen eam honestis paterentur circumscribi conditionibus, de iisdem se paratos esse cum ipsis conferre: modo prius sincera atque aperta declaratione Ecclesias vellent certas reddere, se præter quinque illos Articulos, in nullo alio doctrinæ capite à Reformatis hisce Ecclesiis diversum sentire. Quoniam

1611. vero Illustr. Ordd. ante biennium, sex doctrinæ capita nominatim expressissent,

8. Decemb. de quibus vetabant aliter doceri, quam hactenus in Ecclesijs Belgicis traditum fuisset; de Perfecta, nimirum, Domini nostri Iesu Christi pro peccatis nostris satisfactione; de Iustificatione hominis coram Deo; de Fide salvifica: de Peccato Originali: de Certitudine salutis. Et, de Perfectione hominis in hac vita; inprimis postulabant, ut declararent se sententiam de hisce Articulis in Confessione & Catechesi harum Ecclesiarum expressam, quam certis Thesibus ex iisdem scriptis comprehenderant, amplecti: sententiamque contrariam quibusdam antithesibus ex scriptis Arminij, Bertij, Vorstij, Venatoris, aliorumque propositam, rejicere. Remonstrantes ad hæc regesserunt, se non posse videre, quomodo hæ controversiæ per Synodum Nationalem possent sopiri, ac proinde se eo rerum statu, eius convocationem neque approbare, nec postulare. Causam hanc decisionibus Synodalibus juvari non posse. Neque existimare se Hollandiam, in negotio religionis, aliarum se provinciarum decisionibus esse unquam submissuram. De declaratione, quæ postularetur, se cum reliquis Remonstrantibus, de eadem esse communicaturos. Cumque sententiam suam utrimque paucis scripto comprehendissent, re infecta discessum est. Illustr. Ordines, ad se postea Utenbogardum & Festum vocarunt, ut ex ipsis, quid in hac Collatione Delphensi actum esset cognoscerent, quæque incundæ concordiæ spes affulgeret. Festus, sincere, nudeque quæ gesta essent, retulit, declaravitque, pacis affulgere spem, modo Remonstrantes suam de traditis Articulis aperte vellent declarare sententiam. Utenbogardus, astu aulico procuraverat, ut solus, absente Festo, audiretur; quo liberius quæ instituto suo servire arbitraretur, proponeret. Cumque multis odiose reliquorum Pastorum traduxisset actiones, ut qui postulatione declarationis (quam tamen ante Collationem ipse promisisset) novam in Ecclesias minimeque ferendam inquisitionem invehere conarentur, obtinuit ut iisdem interdiceretur, ne declarationem illam à Remonstrantibus amplius postularent. Præterea, ut iisdem simul injungeretur, consilium suum de optima pacis via, deque conditionibus, quibus Tolerantiam circumscribi debere existimarent, prolixius scripto exponere. Quod cum ab ipsis esset præstitum, simulque ostensum, propositas theses, de quibus declaratio postulata fuerat, totidem verbis in Confessione & Catechesi Ecclesiarum Belgicarum extare, ipsasque antitheses à multis, cum quibus Remonstrantes magnam haberent communionem, in hisce regionibus, publicis scriptis fuisse traditas. Ubi publice prælectum hoc eorum scriptum fuisset, per Advocatum effecerunt, ut severe interdiceretur, ne aut typis aut cuiusquam manu expressum, cuiquam mortalium communicaretur. Et quia Ecclesiarum siue Synodorum Deputatos, quibus communis earum cura committi solet, conatibus suis (uti officij ipsorum ratio postulabat) multum obsistere viderent, effecerunt quoq; ut sicut antea omnes

annuæ

annuæ Synodi essent impeditæ, ita iisdem quoque interdiceretur, ne posthac quisquam, Deputati Ecclesiarum aut Synodi, nomine uteretur, aut munere fungeretur. Vt hac ratione, sublata omni pro Ecclesiarum salute ac pace cura, illi tanto liberius in easdem grassarentur. Qua agendi ratione magis magisque Ecclesiis se suspectos reddiderunt Remonstrantes, cum prudentiores omnes iudicarent, nisi in istis Articulis ab Ecclesiarum doctrina dissentirent, nullam habituros fuisse rationem, cur hanc declarationem subterfugerent, cum præsertim eâ Ecclesiarum paci atque ipsorum famæ posset consuli. Vt autem Tolerantiam istam, quam tantopere semper urgebant, utpote cuius beneficio doctrinam suam paulatim in Ecclesias introducere se posse sperabant, facilius autoritate publica obtinerent, hac arte usi sunt. Scriptum quoddam, quo verus controversiæ status dissimulabatur, per Hugonem Grotium, in Angliam mittunt, addito Epistolæ exemplari, rogantque, vt à Serenissimo Magnæ Britanniæ Rege Iacobo I. peteret, quandoquidem causa hæc alia ratione, quam per Tolerantiam, componi non posset, ut Serenissima Maiestas Regia dignaretur, secundum additi exemplaris formam, ad Illustr. ac Præpotentes Ordines Generales, literas dare. Quas ille captata opportunitate surrepticie impetravit, easque ad Illustr. Ordines Generales transmisit. Hic, mirum in modum exultabant Remonstrantes, seque iam voti compotes fieri posse sperantes, per Advocatum laborabant, ut aliqua Tolerantiæ Formula, (eadem scilicet quæ Articulo IV. & V. cap. II. Regiminis Ecclesiastici Vltraiectini continetur), publica Illustr. Ordinum autoritate stabiliretur, Ecclesiisque imperaretur. Quo tametsi multorum animi in Conventu Ordinum inclinarent, prudentiores tamen vehementer obstiterunt; rati iniquum esse, Ecclesiis in Articulis fidei, qui numquam in legitimo Ecclesiastico conventu debite examinati fuissent, quique manifestam in doctrina mutationem secum traherent, imperare tolerantiam; neque pacem Ecclesiarum ea obtineri posse, cum metuendum esset, si permitteretur opiniones ita discrepantes, ex eodem suggestu, iisdem cœtibus proponi, ne Ecclesiarum pax magis magisque turbaretur, uti hactenus experientia docuisset. Pergebant tamen Remonstrantes, Tolerantiam hanc suam, omni ratione urgere, eamque privatim publiceque scriptis ac concionibus commendare: hoc potissimum argumento, quod Articulos de quibus controverteretur, tam levis esse momenti dicerent, ut ad salutis fundamentum, non spectarent. In eius autem generis Articulis, tolerantiam stabiliri & posse & debere. Atque ita tandem effecerunt, ut Decretum de hac Tolerantia, invitis atque reluctantibus nonnullis ex præcipuis ac potentissimis Hollandiæ Westfrisiæque civitatibus, typis publicaretur; quibusdam scripturæ, Patrumque (inter quos & Faustum Regiensem, Semipelagianorum ducem adduxerant) testimoniis confirmatum. Ad quæ cum Iacobus Triglandius, Ecclesiæ Amstelodamensis Pastor, publico scripto respondisset, Vtenbogardus, prolixe itidem Decreti huius defensionem aggressus est. In qua tum doctrinam Ecclesiarum Reformatarum, tum præcipua earundem lumina, Calvinum, Bezam, Zanchium, aliosque indignis modis traducebat, ac proscindebat. Cui scripto Triglandius ad defensionem honoris, tum doctrinæ, tum Doctorum Ecclesiarum Reformatarum, accuratam opposuit responsionem. Cumque viderent scripti huius, cui, Decretum Ordinum, nomen fecerant, tantam non esse autoritatem, ut eo obtinere possent, quod intenderent, alia via idem tentandum iudicarunt, eumque in finem alia quadam Tolerantiæ formula, subdolis phrasibus concepta, per nonnullos qui occulte eorum parti atque opinionibus faverent, sed pro Remonstrantibus non haberentur, passim per Hollandiam Pastores, tum privatim, tum in conventibus suis, ad formulæ illius subsignationem solicitabant. Cæterum, cum neque hac via negotium ex animi ipsorum sententia procederet, cogendos eos, quibus persuadere hoc non poterant, superiorum autoritate, tandemque aliquando perrumpendum, negotiumque hoc plane conficiendum iudicarunt. Quem in finem quoque obtinuerunt, ut Illustr. Ordinum nomine, hoc de mutua Tolerantia Decretum, quod superiore anno editum fuerat, ad singulas Classes mitteretur, simulque Pastoribus, ut sine ulla contradictione eidem obtemperarent, mandaretur. Atque ut eos qui partibus suis addicti essent, ad Ecclesiarum ministeria, exclusis aliis, facilius promoverent, effecerunt insuper, ut alterum adiungeretur, quo permit-

[Margin notes: 6. Martij Stylo Veteri. — cIɔ Iɔ XIV. 25. Iul. — cIɔ Iɔ XV. Sept. & Oct. — 22. Decem.]

Digitized by Google

permittebatur ut in Pastorum vocatione & Seniorum, eo uti ordine liceret qui anno CIↃ. IↃ. XCI. conceptus, sed non approbatus fuerat. Ex præscripto cuius, hæc electio à quatuor è Magistratu, quatuorque alijs è Presbyterio deputandis institueretur. Hæc Decreta cum ad Classes essent transmissa, pleræque Deputatos suos ad Illustr. Ordines ablegarunt, ut difficultates seu gravamina, quæ ad ea haberent, scripto comprehensa, publice exponerent, atque eorumdem introductionem deprecarentur. Qua de causa Hagam cum venissent, & iam ex primarum Civitatum Delegatis intellexissent, Decreta illa, licet iam transmissa essent, plena tamen solennique omnium Ordinum approbatione nondum esse confirmata, ideoq; Legis vim nondum obtinere posse, à proposito; donec ulterius urgerentur, desistendum iudicarunt. Posterius autem hoc Decretum novarum contentionum ac turbarum, multis in locis, præsertim in Ecclesia Harlemensi occasionem dedit. Cum enim Magistratus nonnulli secundum novam hanc formam Ministros vocari vellent, vocarentque, eam autem Ecclesiæ non approbarent, factum, ut Ministros, hoc vocatos modo, pro legitimis Pastoribus agnoscere, cum iisque communionem Ecclesiasticam habere detrectarent. Iisdem insuper Decretis factum, ut nonnullæ in Hollandia Classes, quæ cum Remonstrantibus pacis causa unitatem in gubernatione Ecclesiarum hactenus servassent, jam divellerentur; quod Pastores plerique ea approbare non possent: Remonstrantes tamen ex eorum præscripto ac lege gubernari Ecclesias vellent, utque hoc à Symmystis autoritate extorquerent, in Classicales conventus, politicos quosdam à Reformata Religione plerumque alienos, aut suis addictos partibus, introducerent, dominiumque in Ecclesias inveherent. Pastores enim orthodoxi, contentionum, quæ cum Remonstrantibus hisce de causis quotidie exoriebantur, pertæsi, præstare judicabant, seorsim sine iis convenire, Ecclesiasque suas in pace curare, quam perpetuis ipsorum contentionibus fatigari. Vtenbogardus interim procurat, ut autoritate superiorum collegis ipsius mandaretur, his Decretis quoque, ut morem gererent. Quod cum collega Henricus Rosæus se promittere bona cum conscientia non posse diceret, à docendi munere, eorundum autoritate atque Vtenbogardi sinistra instigatione suspensus est. Vnde Ecclesiæ Hagiensis membra, quæ doctrinæ reformatæ sinceritatem amarent, primo quidem in proximo pago Risvicensi: deinde vero, Pastores commodato ab aliis Ecclesiis nacta cum essent, Hagæ in separato templo Religionis exercitium continuarunt, ad quod postea primarij quique ex ipsis Ordinibus, Curiarum Consiliariis, aliisque collegiis, atque ipse Illustrissimus Princeps Arausicanus & Generosissimus Comes Guilhelmus Ludovicus, relictis Remonstrantium cœtibus, ut consensum in doctrina orthodoxa, studiumq; erga eandem suum testarentur, accesserunt. Separationem hanc Remonstrantes schismatis titulo odiose traducebant, modisque omnibus aut impedire aut vindicare conabantur; laborantes interim, ut hæc Decreta passim, ubi Magistratus favere sibi nossent, executioni mandarentur. Qua de causa cum multi viri pij, bonis, carceribus atque exiliis mulctati, ad supremum justitiæ tribunal provocarent, opemque adversus vim implorarent, & jam Amplissimi Curiæ supremæ Senatores, succurrere oppressis conarentur, per Advocatum Hollandiæ obtinuerunt, ut eidem Curiæ, protectione eorum interdiceretur.

CIↃIↃCXVI 18. Martij. 24. Aprilis. Cum autem executioni horum Decretorum, multæ quoque ac primariæ Hollandiæ civitates, interque eas inprimis potentissima Amstelodamensis, obsisterent, effectum est, ut Hugo Grotius cum quibusdam Amstelodamum mitteretur, quo amplissimo eius Vrbis Senatui, facundia sua eorundem Decretorum approbationem persuaderet. Quod postquam prolixa oratione tentasset, responsum ab Amplissimo Senatu fuit, minime probare se posse, præteritis legitimis convẽtibus Synodalibus, de rebus Ecclesiasticis in conventu Ordinum deliberari, decerni, decretaque executioni mandari. Propositum sibi esse veram Christianam Religionem, cuius exercitium per quinquaginta annos in hisce regionibus viguisset, tueri; judicare quoque vel minimam eius mutationem Reipublicæ noxiam fore, nisi illa prius per legitimam Synodum mature examinata esset; ac proinde non potuisse diversis Propositionibus Actisque ab anno CIↃ IↃC XI. usque ad XVIII. Martij huius anni CIↃ IↃC XVI. factis, nec postremæ huic Propositioni, assentiri. Neque velle ut sub

ſub nomine Amſtelodamenſis civitatis (cum ea conventus Ordinum haud infimum ſit membrum) ulla Decreta ſtatuerentur, multo minus executioni mandarentur; aut quidquam adverſus eos, qui Reformatam profitentur Religionem decerneretur, niſi controverſiæ & mutationes in Religione, rebuſque Eccleſiaſticis, ſub autoritate Illuſtr. Ordinum in legitimis Synodis examinatæ prius atque pertractatæ eſſent. Sed nec velle ut Paſtores, qui ſententiæ Reformatæ Religionis, à Contra-Remonſtrantibus defenſæ, addicti eſſent, à miniſterijs interim ſuis, aut ſuſpenderentur propterea, aut removerentur, quod cum Remonſtrantibus Eccleſiaſticam colere unitatem per conſcientiam non poſſe declararent: neque ut Eccleſiæ, quæ eandem ſequerentur ſententiam, ſub prætextu ſchiſmatis, aut quod per conſcientiam ad Remonſtrantium conciones accedere gravarentur, in Divini cultus exercitio impedirentur. Atque hæc omnia ſe ſtatuere, donec autoritate Illuſtrium Ordinum, legitima Synodus convocaretur, in qua controverſiæ ac novationes debite examinari atque pertractari poſſent. Ita Remonſtrantium, eorumque qui favebant ipſis, labor ac conatus fuit irritus. Præſertim, quia hanc Senatus Amſtelodamenſis ſententiam, Ampliſſimi civitatis Dordrechtanæ, Enchuſanæ, Edamenſis, & Purmerendanæ Magiſtratus publice approbarent.

Circa hoc tempus Paſtores Eccleſiæ Campenſis in Tranſiſulania, Remonſtrantium ſententiam amplexi, doctiſſimum & ſanæ doctrinæ tenaciſſimum collegam ſuum, Wilhelmum Stephani, S. Theologiæ Doctorem, quod ipſorum conatibus obſiſteret, magiſtratus opera ex miniſterio ejiciunt, editiſque libellis ac publicis concionibus, calumniarum plenis, Religionem Reformatam in plebis odium adducere conantur. CIↃIↃCXVII

Ob haſce in doctrina innovationes, quæque eaſdem conſequutæ Eccleſiarum atque ſtatus perturbationes, cum magis magiſque odioſos reddi ſe viderent, ſecundam Illuſtribus Ordinibus obtulerunt Remonſtrantiam. In qua incredibili cum impudentia, crimen innovationis à ſe amoliri, Paſtoribuſque, qui in recepta harum Eccleſiarum doctrina conſtantiſſime permanſerunt, idem impingere conantur. Ad eam reliqui Paſtores, prolixam ſolidamque oppoſuerunt reſponſionem, quam iiſdem quoque Illuſtribus Ordinibus obtulerunt. Quandoquidem autem diuturnæ hæ controverſiæ, in Eccleſias haud ſolum, ſed in ipſam quoque Remp. malorum, difficultatum, perturbationum, ac confuſionum tantam iam invexiſſent congeriem, ut quicunque Fœderatarum Provinciarum, Reformatarumque, quæ in iis ſunt, Eccleſiarum ſalutem amarent, aut eidem ſtuderent, omnes intelligerent, remedium horum malorum ſine manifeſto & ſtatus & Eccleſiarum periculo differri diutius non poſſe: in remedii autem genere, Illuſtr. Ordines conſentire hactenus non potuiſſent; Potentiſſimus ac Sereniſſimus Magnæ Britanniæ Rex Iacobus I. pro ſingulari ſinceroque ſuo erga haſce regiones atque Eccleſias affectu, Illuſtres ac Præpotentes Ordines Generales per literas monendos duxit, ne gangrænam hanc corpus Reipub. depaſcere diutius paterentur, ſed infelicibus illis contentionibus, diviſionibus, ſchiſmatibus, ac factionibus, quæ manifeſtum ſtatui periculum minitarentur, quam primum obviam irent: ſimulque eos obteſtatus eſt, ut veram veteremq; Reformatam Doctrinam, quam profeſſi ſemper eſſent, quæque communi omnium Reformatarum Eccleſiarum conſenſu confirmata eſſet, præcipuumq; ſemper fuiſſet arctiſſimæ amicitiæ & coniunctionis, quæ inter ipſius Regna atque haſce Provincias tamdiu viguiſſet, fundamentum ac vinculum, extirpatis erroribus priſtinæ ſinceritati reſtituerent: quod omnium commodiſſime per Synodum Nationalem, quæ autoritate ipſorum convocanda eſſet, fieri poſſe exiſtimabat. Siquidem hoc ipſum eſſet ordinarium, legitimum, atque efficaciſſimum remedium, quod ab omni ævo apud Chriſtianos in eiuſmodi malis eſſet uſurpatum. Sed & ipſe Illuſtriſſimus Princeps Arauſicanus, Mauritius, Fœderati Belgij Gubernator, ut ante hac ſæpe, ita non deſinebat quotidie, tum Illuſtres & Præpotentes Ordines Generales, tum ipſos quoque Illuſtr. Hollandiæ & Weſt-Friſiæ Ordines, ſerio graviterque obteſtari, ut quam chara ipſis eſſet Reipubl. atque Eccleſiarum ſalus, tam diligentem darent operam, ut graviſſimis hiſce malis remedium adhiberi quam primum poſſet. Quem in finem Synodi quoque Nationalis, ut ordinarij, ac tutiſſimi remedij, convocationem, inprimis commendabat,

In Martio.

Extant Latine Lugd. Batav. apud Orlers. 1617.

20. Martij.

10. Maij.

bat, urgebatque. Illustres quoq; Zelandiæ Ordines, per Nobilissimos atque Am-
plissimos Viros, D. Malderæum, Brouwerum, Pottejum, & Bonifacium Iunium,
Illustr. Hollandiæ & West-Frisiæ Ordines, in conventu suo solenniter monue-
runt, rogaruntque, quandoquidem contentiones & dissidia cum maximo Reipub.
periculo quotidie ingravescerent, multaque remedia hactenus frustra tentata es-
sent, ut in convocationem Synodi Nationalis, tanquam, ordinarij eiusmodi ma-
lorum remedij à Spiritu sancto propositi, & à Christianis semper usurpati, con-
19. Maij. sentire vellent. Idem quoque deinde eosdem Illustr. Ordd. per Deputatos suos
Illustres Geldriæ, Frisiæ, Groningæ & Omlandiæ Ordines amanter rogarunt.
Cum autem Remonstrantes viderent, à Regibus, Principibus & Rebuspublicis
vicinis ac Fœderatis, quin & à primariis potentissimisque Hollandiæ & West-
Frisiæ civitatibus, tanto studio convocationem Synodi Nationalis commendari,
metuerentque ne Ordines Hollandiæ & West-Frisiæ, quorum multi sponte eo
propendebant, negotiumque hoc diligenter promovebant, ad consensum hunc
21. Maij. tandem permoverentur, atque ita sibi coram judiciis Ecclesiasticis doctrinæ
actionumque ratio aliquando esset reddenda, ut hoc declinarent, primo qui-
dem novam componendarum controversiarum rationem proposuerunt. Vt
videlicet, ab Illustribus Hollandiæ & West-Frisiæ Ordinibus, viri nonnulli, tum
politici tum Ecclesiastici, certo parique numero eligerentur, qui communicatis
consiliis, aliquam pacis & concordiæ rationem conciperent, quæ ab iisdem
Illustr. Ordinibus approbata, Ecclesijs deinde præscriberetur. Cæterum cum hoc
non succederet, (quippe cum prudentiores facile præviderent, ex quibus quali-
busque personis hic conventus esset instituendus, quidque ab eo expectandum;
præterquam quod in Ecclesijs esset insolens, dirimendisque controversijs Eccle-
siasticis doctrinam spectantibus parum idoneus) extrema quævis tentanda potius
putabant, quam ad hanc redigi necessitatem. Ac proinde ad desperata consilia
deventum. Quippe quibusdam ex Proceribus persuasum est, Synodi, de qua tum
agebatur Nationalis convocationem, Maiestati, libertatique Provinciarum adver-
sari. Vnamquamque enim Provinciam supremum habere jus de Religione sta-
tuendi, prout ipsi visum esset. Indignum esse, aliarum Provinciarum judicio, hanc
libertatem suam subjicere. Ius hoc Majestatis omnibus modis vel armis quoque
esse tutandum. His similibusque rationibus imprudentiorum animi ita concitati,
ut nonnullarum civitatum rectores, facta conspiratione decreverint, milites qui
4 Aug. nec Præpotentibus Ordinibus Generalibus, nec Illustrissimo Principi Arausica-
no, summo militiæ Imperatori, sed sibi tantum juramento obstricti essent, ad hanc
Remonstrantium causam, autoritatemque suam, quam propter eandem periculo
exposuissent, tutandam, conscribere. Factum hoc fuit Vltrajecti, in qua urbe
Præpotentes Ordines Generales satis validum habebant adversus tumultus ac se-
ditiones præsidium, Harlemi, Leydæ, Roterodami, ut & Goudæ, Schoonhoviæ,
Hornæ, alijsque in locis: Remonstrantibus Magistratus civitatum eo instiganti-
bus, uti ex diversis illorum literis, quæ in manus postea pervenerunt, liquido pro-
bari potest. Atque ita Remonstrantium dissidia Provincias hasce florentissimas,
in belli etiam civilis periculum adduxissent, nisi singulari Præpotentum Ordinum
Generalium prudentia, & nunquam satis deprædicanda Illustrissimi Prin-
cipis Arausicani vigilantia atque animi fortitudine, mature hic furor repressus
fuisset. Præpotentes Ordines Generales, cum hac ratione Provincias at-
que Ecclesias in summum discrimen adductas viderent, convocationem Synodi
Nationalis haud diutius differendam, sed primo quoque tempore maturandam
esse judicarunt. præsertim cum illorum Illustr. Celsitudines, Vir Illustrissimus
6. Octob. Dudlejus Carletonus, Serenissimi Magnæ Britanniæ Regis Legatus, gravissima
prudentissimaque oratione serio exstimulasset. Quam orationem Remonstrantes
postea impudentissimo maledicentissimoque libello, cui titulum fecerant Bilan-
cis, publice proscindere non sunt veriti, nulli hominum ordini, non Præpotenti-
bus Ordinibus; non Arausicano Principi, imo ne ipsiquidem Serenissimo Magnæ
Britanniæ Regi, lingua maledica parcentes. Libellum hunc Præpotentes Ordi-
nes Generales publico Edicto, ut famosum ac seditiosum, condemnarunt; propo-
sito amplissimo præmio, si quis autorem designare posset. Eundem post Io. Casimi-
rus

Digitized by Google

tus Iunius, celeberrimi Francisci Iunij filius haud degener, prolixe refutavit. Convocationem itaque Synodi Nationalis, tandem aliquando in nomine Domini esse instituendam ad Calendas Majas futuri anni, Illustres ac Præpotentes Ordines decernunt: simulque leges quasdam statuunt, secundum quas tum convocationem institui, tum ipsam Synodum Nationalem celebrari vellent. Quia autem Remonstrantes Ecclesiarum Belgicarum judicium non magni facere viderentur, populoque persuadere conati semper essent se à sententia Reformatarũ Ecclesiarum non dissentire: visum quoque fuit Illustribus ipsorum Celsitudinibus, ex omnibus vicinorum Regnorum, Principatuum & Rerumpublicarum Ecclesijs Reformatis, Theologos aliquot pietate, eruditione, & prudentia præstantes ad hanc Synodum invitare, ut judicijs ac consilijs suis Belgicarum Ecclesiarum Deputatis assisterent, atque ita hæ controversiæ, communi quasi omnium Ecclesiarum Reformatarum judicio examinatæ dijudicatæque, tanto certius, felicius, tutius ac majore cum fructu componerentur. 11. Decemb.

cIↄ Iↄcxviii. Facto hoc Decreto, Remonstrantes mirum in modum tumultuari, propositisque per eos, qui causæ ipsorum addicti erant, varijs conceptibus alijs, illud evertere ac reddere irritum conari. In Hollandia quidem per fautores suos Synodum Provincialem, à qua paulo ante tantopere abhorruerant, ipsi postulabant. Et quia de vocandis Theologis exteris ad Nationalem Synodum agebatur, ad hanc Provincialem quoq; exteros aliquos Theologos, si ita videretur, vocari posse putabant. Responsum autem est, fuisse quidem Synodum Provincialem olim ab Ecclesijs Hollandicis postulatam, cum spes nulla obtinendæ Nationalis superesse videretur, cumque controversiæ Hollandicarum tantum Ecclesiarum limitibus includerentur. nunc autem, quia decreta esset Synodi Nationalis convocatio, malumque se per omnes diffudisset Provincias, ita ut per unius Provinciæ Synodum tolli non posset, alienum omnino esse à ratione hoc tempore, de Synodo, ad componendas hasce controversias, Provinciali cogitare. Quia, quemadmodum in singulis Provincijs particulares Synodos præcedere Nationalē oporteret, ita in Hollandia, tam Australi quam Boreali, particulares quoque Synodos esse præcessuras. Instabant tamen acriter per suos fautores, Remonstrantes, talemque Synodum urgebant: vel quod illam causæ suæ minus obfuturam putarent, quia in Hollandia tot Proceres faventes sibi ac Pastores haberent, vel ut hac tergiversatione convocationem Synodi Nationalis plane impedirent. Cumque ipsi viderent, hanc postulationem suam magis esse iniquam, quam ut facile eam persuaderent, ad exceptionem novam confugerunt, volueruntque, ut hæc causa ad Oecumenicam aliquam deferretur Synodum. Responsum illis fuit, incertissimum esse, an & quando Synodus Oecumenica convocari possit. Mala autem nostra, præsens remedium requirere. Nationalem hanc ab Illustr. & Præpotentibus Ordinibus Generalibus convocandam, quasi Oecumenicam & Generalem fore. Cum ex omnibus fere Reformatis Ecclesijs Deputati sint eidem interfuturi. Si talis Synodi iudicio, gravari se existimarent, integrum licitumque ipsis semper fore, ab hac Nationali ad Oecumenicam provocare: modo interea Nationalis Synodi judicio obtemperarent. Effecerunt hisce effugijs ac tergiversationibus, vt literæ Convocationis aliquantisper detineri, præstitutumque conventui diem, mutari ac differri necesse fuerit.

Interea vir Illustrissimus Dudleius Carletonus, in Conventu Illustr. ac Præpotentum Ordinum Generalium publice conquestus est; honorem Serenissimi Magnæ Britanniæ Regis, Domini sui, in famoso Bilancis libello, quem Remonstrantes, etiam post Edictum Illustrium Celsitudinum ipsorum, in linguam quoque Gallicam translatum denuo recudi curaverant, indignissime atq; impudentissime proscindi; refutatisq; breviter ac solide plerisque Remonstrantium objectionibus, Illustribus ac Præpot. Ordinibus Generalibus exposuit, qua ratione Potentissimus Magnæ Britanniæ Rex uti in componendis de Religione, seu Doctrina, controversijs soleret. quæ quia cum Illustr. Ordd. Generalium Decreto consentiret, in hoc sancto proposito Illustres ipsorum Celsitudines magis magisq; confirmavit. Amplissimus quoque civitatis Amstelodamensis Magistratus, communicato prius cum Pastoribus illius Ecclesiæ, aliisque hac de causa convocatis, consilio, multas 23. Martij.

Digitized by Google

graviſſimaſque in conventu Illuſtr. Ordinum Hollandiæ & Weſtfriſiæ rationes ſcripto propoſuit, quibus evidentiſſime demonſtrabatur, controverſias haſce non poſſe hoc tempore alia ratione, quam per Synodum Nationalem componi, ſimulque ad omnes Remonſtrantium objectiones, omneſque eorum de Synodo Provinciali, itemque Oecumenica conceptus, ſolidiſſime reſpondebatur. Idem

27. Martij. quoque paulo poſt Ampliſſimus civitatis Enchuſanæ Magiſtratus, multis rationibus, ſcripto quoque exhibitis, comprobavit. Quæ rationes poſtea in lucem ſunt editæ: ut omnibus conſtaret, quam inique Remonſtrantes, eorumque fautores agerent, quod novis illis conceptibus Nationalis Synodi convocationi, tam præfracte obſiſterent, eiuſque judicium ſubterfugerent.

In Apologia civitatũ Dordrechti, Amſtelodami, Enchuſæ, &c. pag. 104. & 113.

Illuſtres Ordines Generales, cum hanc rem tantopere neceſſariam, juſtiſſimis graviſſimiſque de cauſis iam decretam propter eiuſmodi conceptus, ac tergiverſationes, haud eſſe diutius differendam judicarent, denuo decernunt, Convocationem Synodi Nationalis ſine ulla mora aut dilatione ſtatim eſſe inſtituendam, ſtatuuntque locum conventus fore urbem Dordrechtum, diem autem Calendas Novembris proximas. Huic Decreto cum nonnulli inter Ordines Hollandiæ &

27. Iunij. Weſt-Friſiæ, Remonſtrantium cauſæ faventes, in conventu Illuſtr. ac Præpotentum Ordinum Generalium ſe opponerent, qui conquerebantur, Majeſtati, juri, libertati denique Provinciæ illius fieri injuriam, Illuſtres atque Præpotentes Ordines Generales publicis declararunt literis, nihil ſe hac Synodi Nationalis convocatione de Majeſtate, jure aut libertate ullius Provinciæ detractum aut imminutum velle: ſed hanc eſſe Celſitudinum ipſorum ſinceram intentionem, ut ſine ullo Provinciæ alicuius, etiam ipſius unionis ſeu confœderationis præjudicio, per ordinarium Synodi Nationalis judicium, controverſiæ tantum Eccleſiaſticæ circa doctrinam, quæ Reformatas omnes Belgicas ſpectaret Eccleſias, exortæ, legiti-

25. Iunij. me ad Dei gloriam Reip. atque Eccleſiarum pacem componerentur. Ad ſingularum deinde Provinciarum Ordines literas dederunt, quibus declararunt, ſtatutum ſibi eſſe, in nomine Domini, ex omnibus harum Provinciarum Eccleſiis, Synodum Nationalem ad proximas Novembris Calendas convocare, ut hac ratione controverſiæ in iiſdem Eccleſiis exortæ, legitime examinari poſſent, commodaque (ſalva ſemper veritate) via componi. Monebant ſimul, ut quamprimum in Provinciis ſuis Synodum Provincialem conſueto modo convocarent. Ex qua ſex pij, eruditi, paciſque amantiſſimi Viri, quatuor videlicet aut tres Paſtores, cum duobus tribuſve aliis Viris idoneis, Religionem Reformatam profitentibus, deputarentur, qui in prædicta Synodo Nationali ſecundum leges ab ipſis conſtitutas, quarum exemplar tranſmittebant, controverſias illas examinarent, ſalvaque veritate tollerent. Ad Eccleſias quoque Gallo-Belgicas, quæ peculiarem inter ſe conſtituere ſolent Synodum, quandoquidem per omnes haſce diſperſæ eſſent Provincias, eiuſdem exempli literas dederunt. Quibus acceptis, Illuſtres ſingularum Provinciarum Ordines, Provinciales ſeu particulares Eccleſiarum ſuarum Synodos convocarunt. In quibus gravamina ad Synodum Nationalem deferenda proponerentur, perſonæ ad eandem ablegandæ deputarentur, & mandata quibus illæ eſſent inſtruendæ, communibus Eccleſiarum ſuffragiis conciperentur. Acta ſunt hæc in Provinciis ſingulis, modo in Reformatis hiſce Eccleſiis hactenus uſitato: præterquam quod in Hollandia & Provincia Vltrajectina ob frequentem Remonſtrantium numerum, conſueta obſervari ratio in omnibus non potuerit. Cum enim in Hollandia nonnullis in Claſſibus ſeparationes factæ eſſent, ita ut Remonſtrantes, ſuos, alij autem Paſtores, ſuos quoque conventus Claſſicales ſeorſim haberent, viſum fuit Illuſtriſſimis illius Provinciæ Ordinibus, ut Claſſes, in quibus non eſſet facta eiuſmodi ſeparatio, uſitato hactenus more, per plura ſuffragia deputarent quatuor, qui cum poteſtate ordinaria ad Synodum particularem eſſent ablegandi: utque in reliquis Claſsibus, vitandæ confuſionis cauſa, deputarent Remonſtrantes, ab una parte binos, & cæteri Paſtores ſimiliter binos, qui pari cum poteſtate ad Synodum particularem mitterentur. In Provincia Vltrajectina, Eccleſiæ in certas Claſſes nondum erant diſtributæ. Quare placuit Illuſtriſs. illius Provinciæ Ordinibus, ut omnes Remonſtrantes, ſeorſim in una convenirent Synodo, reliqui autem Paſtores,

qui Remonstrantium sententiam non sequebantur, quorum adhuc haud exiguus superérat numerus, in altera: [illegible]q; ab utraque Synodo ac parte, tres ad Synodum Nationalem cum iudicandi potestate ablegarentur. Ecclesia autem Ultrajectina, cum distracta esset in partes, quarum altera Remonstrantium sententiam sequeretur, altera improbaret, atque huic recens à Remonstrantium oppressione liberatæ de ordinarijs Pastoribus nondum esset prospectum, sed ministerio Ioannis Dibetzij, Pastoris Dordrechtani, eo tempore illa uteretur: factum est ut ille à Synodo altera nomine Ecclesiarum Ultrajectinarum, quæ Remonstrantium sententiam non sequebantur, legitime deputaretur. Synodus autem Ecclesiarum Geldricarum & Zutphaniensium, 25. Iun. Arnhemij cum esset congregata, Remonstrantes à Classe Bommeliensi Deputati, reliquis assidere detrectarunt, nisi prius conditiones quædam ipsis essent præstitæ. Quas Synodus cum Illustr. Ordinum Decreto pugnare iudicabat. Cumque antehac à Remonstrantibus Classis Neomagensis, Bommeliensis, & Tielensis, Illustr. Geldriæ Ordinibus eorundemque Consiliariis, decem oblati essent Articuli, quos à reliquis Pastoribus doceri significabant, iniunctum illis fuit, ut Pastores, qui ista docerent, publice nominarent, quo citari coram Synodo possent, ut legitime an ita se res haberet, inquiri posset. Reformatis enim Pastoribus ad invidiam illis apud Supremum Magistratum conflandam, Articulos istos a Remonstrantibus per calumniam affictos esse constabat. Neminem autem in tota illa Provincia nominare potuerunt, præter Pastorem Hattemiensem qui se classi abunde purgaverat. Cumque Synodus nihilominus illum citare vellet, ut coram audiretur, Remonstrantes amplius non urserunt. Henricus certe Arnoldi, Pastor Delphensis, qui nomine Eccles. Zuyd-Hollandicarum præsens aderat, neminem in Zuydt-Hollandia esse declarabat, qui probaret ista aut doceret. Quare Synodus graviter eos propter has tam atroces calumnias reprehendit, simulque declaravit, Ecclesias Geldricas doctrinam illis Articulis comprehensam, prout ab ipsis proponeretur, non amplecti nec probare: tametsi in iis quædam essent commata, quæ seorsim & incommodo sensu sumpta, improbari non possent. Ibi demum culpam impactæ calumniæ confessi eam deprecati sunt. Formatus deinde in eadem Synodo fuit status controversiæ inter Remonstrantes & Pastores reliquos, qui postea Synodo Nationali fuit exhibitus. Cumque multi in illa Provincia essent Pastores, quorum alij præter Quinque Remonstrantium Articulos de multis alijs erroribus essent suspecti, alij illegitime in ministerium intrusi, alij denique vita profligatæ: horum nonnulli coram Synodo citati, illis de causis (minime vero ob sententiam quinq; Remonstrantium Articulis comprehensam, quæ Synodo Nationali reservabatur) à ministerio suspensi sunt. Reliquorum causa, Synodi nomine missis quibusdam Deputatis, fuit permissa. Quibus Illustres Ordines suos quoque Delegatos adjunxerunt. Hi causis eorum in Classibus plene examinatis, nonnullos à ministerio suspenderunt, alios omnino removerunt.

Interea Illustres Ordines Generales, cum aliquoties Ultrajectinis præsertim, mandassent, ut novos illos milites dimitterent, eosque in hunc quoque finem conscriptos constaret, ut Synodi Nationalis futuræ Decretorum, si forte ea Remonstrantes probare non possent, executio manu armata impediretur, statuerunt omnes illos milites, quorum iam aliquot erant millia, quam primum esse autoritate sua exauctorandos atque abdicandos. Quod ipsum cum ab Illustrissimo Principe Arausicano incredibili cum animi fortitudine, prudentia, dexteritate, ac celeritate, sine ulla sanguinis effusione, confectum esset, & primarii eorum, qui huic abdicationi vi resistere conati fuerant, custodiæ essent mandati: Ioannes Utenbogardus, Iacobus Taurinus, & Adolphus Venator, mox sibi conscii, desertis Ecclesiis, ex Fœderato Belgio profugiunt: uti quoque paulo post Nicolaus Grevinchovius, a Curia Hollandiæ ad dicendam causam citatus. Cumque in Hollandia Australi Synodus particularis, Delphis esset convocata, plerique Remonstrantes, contempto Illustr. Ordd. prædicto Decreto, ad Synodum deputare quenquam recusabant: oblatoque Illust. Hollandiæ & West-Frisiæ libello supplice petebant, ut loco Synodi Nationalis iam indicta, alius conventus secundum easdem duodecim conditiones, quas Citati in Synodo Nationali postea reposuerunt, institutus, convocaretur. Illustres Ordines audito super hac postulatione Synodi Delphensis iudicio, (quod Actis hisce quoque insertum est) iusserunt, ut ordini constituto, mandatisque Illustres In Septemb. 17. Septemb.

Ord. obtemperarent: atque insuper, ut sententiam suam super Articulis anno millesimo sexcentesimo & decimo tertio in Collatione Delphensi propositis, scripto comprehensam, Synodo Delphensi plene exponerent, simulque Considerationes omnes suas adderent, quas in Confessionem & Catechesin harum Ecclesiarum haberent. Illi declarationem sententiæ suæ super prædictis Articulis exhibuerunt, quæ postea à Delegatis hujus Synodi in linguam Latinam conversa, Synodo Nationali fuit communicata. Considerationum autem loco quædem ex nonnullorum doctorum scriptis excerpta, tanquam cum Confessione & Catechesi pugnantia, mittebant. Coram hac Synodo citati sunt Ioannes Uitenbogardus, & Nicolaus Grevinchovius, cumque ille profugus comparere non auderet, hic vero contumaciter recusaret, auditis examinatisque accusationibus contra ipsos productis, uterque judicio Synodi à Ministerio Ecclesiastico remotus est. Cumque in Zuyd-Hollandia præter hosce duos multi quoque alii essent, quorum plurimi, in his dissidiis, sine legitima vocatione, Ecclesiis invitis essent obtrusi, alij, præter Quinque Articulos, insuper varios Socinianos errores sparsissent, alij actionibus improbis ac turbulentis, Ecclesias graviter offendissent, alij denique profanam agerent vitam; necessarium fuit judicatum, ut Ecclesiæ à scandalis illis purgarentur, & collapsa cleri (ut dicitur) disciplina tandem restitueretur, omnes illos Pastores ἀτάκτως citari, ut coram Synodo, tum vocationis, tum doctrinæ, tum etiam vitæ suæ rationem redderent: quod vel ea quoque de causa ante Synodum Nationalem faciendum esse videbatur; ut si qui forte judicio Synodi aut Deputatorum eius se gravatos existimarent, ad judicium appellare possent. Horum quidam comparuerunt. quorum causis rite examinatis, nonnulli à munere suspensi, alii prorsus sunt remoti. Qui vero ob temporis angustiam citati audirique non poterant, aut qui citati non comparuerant, de eorum causa ut Synodi nomine cognoscerent & judicarent, Deputati sunt Pastores quinque, quibus tres quoque Delegatos suos Illust. Ordines adjunxerunt. Fuit autem hisce Deputatis expresse injunctum, ne propter sententiam Quinque Remonstrantium Articulis expressam, ullam in quemquam stringerent censuram, quandoquidem judicium de iisdem Synodo Nationali integrum esset reservandum. Illi vero, tametsi plurimos passim, ob prædictas gravissimasq; causas, etiam durante ipsa Synodo Nationali, à munere docendi partim suspenderint, partim omnino removerint, neminem tamen ob sententiam Quinque Articulorum aliqua censura notarunt, uti ex ipsorum Actis clare ostendi potest. In Hollandia Boreali eodem modo in Synodo Hornana actum fuit, in qua Pastores Hornani Ioannes Valetius, Ioannes Rodingenus, & Isaacus Wellingius, à docendi munere suspensi, ad Synodum Nationalem appellarunt. Cumque Deputati hujus Synodi una cum Illustr. Ordinum Delegatis, in Classe Alcmariana causam Iohannis Geystrani, Pastoris Alcmariani, eiusdemque fratris Petri Geystrani, Pastoris Egmondani, examinarent, deprehensum fuit, eos blasphemis atque execrandis Socini erroribus plane esse addictos, uti ex ipsorum Confessione constat. Quæ, quia in Synodo Nationali publice cum omnium horrore prælecta fuit, hisce quoq; Actis inseritur. Etiam in Ecclesiarum Transisulanarum Synodo nonnulli Remonstrantes, doctrinæ suæ, actionumque rationem reddere iussi sunt. Cumque inter illos, etiam quatuor Ecclesiæ Campensis Pastores, Thomas Gosvvinius, Assuerus Matthisius, Ioannes Schotlerus, atque inprimis Everardus Vosculius, multorum errorum, variarumque actionum turbulentarum accusati essent, causa examinata, visum fuit, eam ad Synodum Nationalem reservare. Uti ad eandem postea delata est. In reliquis Provinciis, quia nulli Remonstrantes manifesti reperirebantur, Synodi ibidem habitæ, minori labore omnia ad Nationalem consueto more, debite præpararunt.

25. Iunij. Dederant interea Illustres ac Præpotentes Ordines Generales literas ad Serenissimum ac Potentissimum Magnæ Britanniæ Regem Iacobum I. ad Ecclesiarum Regni Galliæ Reformatarum Deputatos, ad Serenissimos Electores Palatinum & Brandeburgicum, ad Illustrissimum Hassiæ Landgravium, ad quatuor Reformatas Helvetiæ Respublicas, Tigurinam, Bernensem, Basileensem & Schaphusianam, ad Illustres & Generosos Correspondentiæ VVedderavicæ Comites, ad Rempublicam Genevensem, Bremensem, & Emdensem; quibus petebant, ut suos aliquot Theologos, doctrina, pietate, & prudentia excellentes, ad hanc Synodum ablegare dignarentur. qui consilijs. Iudicijsque suis controversias in hisce Belgicis Ecclesijs exortas componere, pacemque iisdem

ijsdem restituere cum reliquis Ecclesiarum Belgicarum Deputatis allaborarent. Hisce omnibus rite præparatis atque confectis, cum ad præstitutum tempus tum Belgicarum Ecclesiarum Deputati, tum etiam Theologi exteri, paucis exceptis, Dordrechtum advenissent, Synodus ipsa Nationalis, die decimo tertio Novembris, in nomine Domini inchoata fuit. In hac vero Synodo quid iam porro sit gestum, ex ejusdem Actis, quæ nunc, in Reformatarum Ecclesiarum gratiam atque usum, publicantur, prudens Le- 13. Novem.
ctor prolixe cognoscet. Placuit autem Actis hisce adjungi, præter alia huic Synodo exhibita scripta, ipsa quoque Theologorum de Quinque Remonstrantium Articulis Iudicia, uti in Synodo proposita fuerunt. quo ex ijsdem Ecclesiæ Reformatæ plenius cognoscerent, quibus scripturæ locis atque rationibus, inniterentur Canones. Non est dubitandum, quin prudens Lector in Iudicijs hisce summam admirandamque sit deprehensurus consensionem. Si cui forte in minutioribus diversitas quædam occurrere videatur: vel hoc argumentum erit, debitam in venerando hoc Conventu prophetandi judicandique libertatem viguisse, omnesque nihilominus concordibus sententijs, in doctrinam Canonibus hujus Synodi expressam, (quibus omnes & singuli, ne uno quidem excepto aut tergiversante, ad testandam hanc consensionem subscripserunt) convenisse.

Rogantur autem Ecclesiæ omnes Reformatæ, ut doctrinam hanc orthodoxam, tam solenniter in hac Synodo ex verbo Dei explicatam confirmatamque, amplecti, conservare, propagare, atque ad omnem posteritatem ad divinæ gratiæ gloriam & animarum consolationem salutemque transmittere velint. Ac simul etiam, ut pium & nunquam satis deprædicandum Illustr. ac Præpotentum Ordinum Generalium Fœderati Belgij pro conservanda Religionis Reformatæ sinceritate zelum ac studium acceptum habere, ac tot insignium Ecclesiarum Doctorum, qui huic Synodo interfuerunt, operam pietatemque in eadem asserenda, favore suo prosequi: atque in primis Deum Opt. Max. ardentibus votis comprecari velint, ut Ecclesias Belgicas, atque adeo omnes alias eandem cum ipsis doctrinam orthodoxam profitentes, in fidei unitate, pace, ac tranquillitate porro benigne conservet, ipsisque Remonstrantibus, atque adeo omnibus alijs in errore versantibus, meliorem mentem inspiret. Spiritusque sui gratia ad veritatis cognitionem tandem aliquando perducat: ad divini nominis sui gloriam, Ecclesiarum ædificationem, atque omnium nostrum salutem. Per Dominum & Servatorem nostrum Iesum Christum. Cui cum Patre & Spiritu Sancto, uni, vero, atque immortali Deo, sit laus, honos, & gloria, in æternum. Amen.

AMICE LECTOR.

Cum plusculá errata, in summa festinatione operarum commissa, à nobis observata fuerint, & iam non pauca annotata, eorum συλλογὴν differemus in extremas totius operis paginas. Interea petimus, ut si quæ maioris sint momenti; qualia nonnulla observavimus, ab æquo lectore excusentur.

INDEX

Præcipuarum Rerum quæ his Actis Synodicis continentur.

De modo

INDEX PARTIS SECVNDÆ.

De primo Articulo

De secundo Articulo

De tertio & quarto Articulo

De quinto Articulo,

Summa

Summa Privilegij.

ORdines Generales Confœderati Belgij, omnibus & singulis Typographis atque incolis prædicti Confœderati Belgij, interdicunt, ne quis ulla Acta aut Actitata quæ ullo modo ad Synodum Nationalem nuper Dordrechti habitam ſpectant, Latine, Belgice aut Gallice, in totum aut ex parte, maiori aut minori forma, intra ſeptem annorum ſpatium, excudant vel divulgent, aut alibi extra Confœderatas Provincias expreſſa typis venalia, ſine conſenſu Iſaci Ioannidis Caninij, & ſociorum eius typographorum Dordrechtanorum importent; ſub pœna amiſsionis eiuſmodi exemplarium, ac præterea ſexcentum florenorum mulctæ, cuius una tertia pars prætori, altera in uſum pauperum, tertia item reliqua in commodum prædicti Caninij & Sociorum applicabitur, &c. Actum in Conventu Præpotentum DD. Ordinum Generalium, Hagæ Comitis XIV. *Maij, Anni 1619.*

Voochtius v^t

Ad mandatum Præpotentum DD. Ordinum Generalium, ſubſignatum

C. Aerſſen.

ACTA

ACTA SYNODI NATIONALIS ECCLESIARUM BELGICARUM;

Præſentibus Exterarum Eccleſiarum Delegatis, habitæ

DORDRECHTI.

Seſsione Prima. Sess. I.

XIII. *Novembris, Anno* CIↃ IↃ C XVIII, *Die Martis, ante meridiem.*

ANNO à nativitate Domini & Servatoris noſtri IESV CHRISTI, milleſimo, ſexcenteſimo & decimo octavo, menſis Novembris die decimo tertio, in nomine & timore Domini, in urbe Dordrechto, congregata atque inchoata fuit Synodus Nationalis Reformatarum Eccleſiarum utriuſque idiomatis Belgici & Gallici; juſſu atque autoritate Illuſtrium ac Præpotentum Ordinum Generalium Fœderatarum in Belgio Provinciarum: ad controverſias & diſſenſiones in iiſdem Eccleſiis exortas legitime tollendas, convocata. Ad quam, eorundem Illuſtrium ac Præpotentum Dominorum literis invitati vocatique venerant ex vicinis regnis ac Rebuspublicis Reformatis, plurimi, eruditione, pietate & prudentia præſtantes Theologi exteri, ut eandem conſiliis judiciisque ſuis in hac cauſſa juvarent.

Ac primo quidem habitæ ſunt in publicis templis, frequentiſſimoque Eccleſiæ Dordrechtanæ cœtu, conciones preceſque ſolemnes; Belgice quidem à Balthaſare Lydio, Gallice autem à Ieremia Pourſio. Quibus finitis, Generoſi atque Ampliſſimi Illuſtrium ac Præpotentum Ordinum Generalium Delegati, SS. Theologiæ Profeſſores, Paſtores & Seniores ad Synodum hanc Deputati, ad locum conventui deſtinatum ſeſe contulerunt; ſingulique in ſubſelliis hunc in finem præparatis ac diſpoſitis, ſuo loco & ordine conſederunt.

Theologi exteri, à Paſtoribus & Senioribus Eccleſiarum Belgicarum ad hanc rem delegatis, ex ædibus ſuis ad locum conventus ſolemniter ſunt deducti, ibidemque ab Illuſtr. Ordinum Generalium Delegatis benigne & comiter excepti: habitaque eorum, à quibus miſſi venerant, dignitatis ratione, in ſuis ſinguli ſubſelliis ordine ſunt collocati.

Poſtquam omnes ad hunc modum congregati jam eſſent, Reverendus vir Balthaſar Lydius, Eccleſiæ Dordrechtanæ Paſtor, actionem hanc ſanctam Latine auſpicatus eſt. Ea enim lingua propter exteros Theologos cuncta peragi placuerat. Qui hoc modo eos eſt affatus:

Nobilissimi, Amplissimi, Prudentissimi, Consultissimi, Illustrium ac Præpotentum DD. Ordinum Generalium Delegati, Reverendissime Domine Præsul; Clarissimi, Doctissimi Sacræ Theologiæ Doctores, ejusque in Academijs & Scholis Illustribus Professores Venerandi atque in Christo observandi; Ecclesiarum exterarum & confœderati Belgij Pastores vigilantissimi; Auditores & spectatores ornatissimi.

Consideratione dignissima est, impij cætera Regis Achabi sententia: ne glorietur accinctus, æque ac discinctus. Habet enim vices conditio mortalium, ut adversa ex secundis, ex adversis secunda nascantur: occultat utrorumque semina Deus, & plerunque bonorum malorumque caussæ, sub diversa specie latent. Itaque

nulla est sincera voluptas,

Sollicitumque aliquid lætis intervenit,

Cum ergo hodie illuxerit Ecclesijs Belgicis, desiderata toties dies, celebrandæ atque inchoandæ Synodi Nationalis, ut in ea discutiantur & Deo propitio componantur ortæ apud nos in Religione controversiæ, necesse est ut duo inprimis à Domino postulemus: Primo ut omnibus ac singulis Synodi hujus membris largiatur dona, ad tam ardua negotia pertractanda, necessaria: illuminet quoque singulorum intellectus, sanctificet affectus, ut omnia tanquam ipsius ministri, coram ipsius facie peragamus. Secundo, ut ultima primis respondeant, ac discincti non minus gaudeamus, quam nunc bene speramus accincti. Levemus ergo corda & manus ad Dominum, meque, & mandato ex munere nunc imposito, vobis præeuntem, tacitis votis ac precibus, ita subsequimini: Omnipotens, æterne Deus, fons omnis sapientiæ, bonitatis, & misericordiæ, benignissime in Christo Pater; precamur te, ut labia nostra aperias, quo annunciet os nostrum gloriam tuam. Minores sumus omnibus miserationibus tuis, quas in figmentum tuum & opus manuum tuarum largiter contulisti. Neque enim tantum ad imaginem tuam creasti nos, sed & per peccatum factos iræ filios natura, ad imaginem tuam reformasti. Quod si nos totos tibi debeamus, quia nos fecisti; quid reddemus pro eo quod nos ita redemisti? Nam si mirabile & magnum fuit, hominem nasci ad imaginem tuam, longe majus fuit, quod qui rapinam non est arbitratus esse se æqualem Deo, ad imaginem nostram homo fieri dignatus sit, formaque servi suscepta, factus sit nobis à Deo sapientia, justitia, sanctificatio, & redemptio. Sed his beneficijs non contentus, quia thesaurus non prodest incognitus, nos populum sedentem in tenebris & umbra mortis, sine spe salutis, projectos super faciem terræ in abjectione animæ nostræ, manifestatione Solis justitiæ & veritatis illuminasti: absque qua fuisset, in erroribus æternum perijssemus; ignari viæ, qua ambulandum esset. Et cum inimicus inter triticum, dormientibus hominibus seminasset zizania, eorumque tenebræ paulatim invaluissent; à plus quam Ægyptiacis liberasti nos luce Reformationis. Vineam tuam in his locis plantasti: cujus umbra operuit montes, & arbusta ejus cedros Dei. Ac cum hostis humani generis, Draco ille magnus & rufus, invidens nobis hanc felicitatem, ex ore suo ejiceret aquam tanquam flumen, ut illius vorticibus abriperemur, & jam montes aquarum volverentur, atque horrida bella passim contra turturem & unicam tuam excitasset, atque hoc

inimici

inimici tui agerent, ut Ecclesiam, tuam in his provincijs deglutirent; animam nostram de laqueo venantium, etiam tum, cum non appareret clypeus aut hasta in Belgio, eripuisti. Nova bella elegisti, portas hostium ipse subvertisti, murus igneus urbibus fuisti, quæ portas aperuerant, ut intraret Rex gloriæ. Postea egressus cum exercitibus nostris, docuisti præliari manus Illustrissimi Principis Arausicani, manumque ejus apprehendens, confregisti vectes portarum inimicarum: dedisti terminis nostris pacem; & adipe frumenti impinguasti nos: coronasti nos benignitate tua: & pedes tui stillarunt pinguedine. Quodque caput beneficiorum tuorum temporalium apud nos est, dedisti Illustribus & Clementissimis Dominis nostris, urgentibus negotijs, turgentibus procellis, cor docile, ut populum tuum, cui eos præfecisti, sapienter judicare possent, interque bonum & malum discernere. Inspirasti illis consilia salutaria, & mirabiliter ijs benedixisti, & fecisti illos velut filios olei splendoris, qui adsisterent tibi Dominatori universæ terræ. Expectasti pro his beneficijs tuis à vinea tua uvas, & ecce protulit labruscas: exaltasti populum, & ille te sprevit. Propterea etiam merito non pepercisti nobis. Factus es quasi colonus in terra, & quasi viator declinans ad manendum, ut fortis, qui non potest salvare. Confudisti labia nostra, & exteri belli mors, natalis pene fuit domestici. In pace amaritudo Sponsæ tuæ fuit amarissima. Securim ad radicem arboris posuisti, ut ficum infructuosam exscinderes. Hæreditas tua facta est, quasi leo in sylva: dedit contra te vocem. Pastores multi demoliti sunt vineam tuam, conculcaverunt partem tuam, dederunt portionem tuam desiderabilem in desertum solitudinis, posueruntque eam in dissipationem. Neque ubique pax fuit egredienti, & ingredienti, verum terror horrendus, & imago belli plurima: parum enim absuit, quin juxta minas tuas, ô Domine, gens contra gentem & civitas pugnaret contra civitatem, quia tu conturbabas eas omni angustia. Sed in ira recordatus es miserationum tuarum, inclinasti corda Patrum Patriæ, & zelo affecisti domus tuæ, ut serio quærerent, quæ ad pacem faciunt Hierusalem. Hunc in finem convocarunt Synodum hanc Nationalem, ut super quæstionibus motis interrogaretur os Domini, & lex tua lux esset, discutiens omnes errorum caligines. Veruntamen, cum omnia pendeant à benedictione tua, Domine, precamur te ut juxta promissionem tuam (ubi duo aut tres congregati sunt in nomine meo, cum illis futurus sum in medio eorum) Synodo huic Nationali præsideas Sancto tuo Spiritu, Spiritu veritatis & pacis. Et cum sacræ literæ eodem Spiritu, quo inspiratæ sunt, explicari etiam debeant, tantumque à puris mentibus intelligi possint, precamur te, ut eas primo quidem purifices, deinde illumines, ut verbum tuum sacrosanctum recte intelligamus, religiose tractemus. Effice, ô Deus, ne quenquam fallamus per scripturas, nec fallamur in illis: sed ut veritatem in illis quærentes, eam inveniamus; inventam constanti fide propugnemus. Sanctifica nos in veritate tua: da ut uno ore honorificemus te, ne sint in nobis schismata, sed perfecti in eodem sensu eademque sententia simus. Ne efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes, sed solicite unitatem Spiritus in vinculo pacis servemus. Fac perpetuo cogitemus, meliorem esse talem pugnam quæ nos Deo (qui est veritas) proximos facit, quam pacem illam quæ separat à Deo: duas item esse amicas ac sorores geminas, Veritatem & Pacem: neque ad nos pacem venturam, si sororem ejus veritatem non dilexerimus. Concede nobis, ut sepositis affectibus pravis, quæstiones propositas non subtilitatum acumine, sed ipsa-

rum rerum soliditate libremus, & convitiorum amarissimam labem, verborum veracium flumine diluamus. Da, ut errantes in viam rectam reducantur, neque sint pertinaces, sed cogitent, confessam imperitiam, summam esse prudentiam: & posse in eo, quod homini incredibile, esse verum, & in verisimili mendacium: summamque esse victoriam, triumphare de errore deposito. Et quoniam mandasti nobis ut precemur te pro Regibus & Ducibus, iisque qui in sublimitate positi sunt; rogamus te inter alios, pro iis, quorum Theologos in hac Panegyri Ecclesiastica conspicimus & expectamus. Pro Serenissimo Magnæ Britanniæ Rege Iacobo I. veræ Fidei Defensore acerrimo & vigilantissimo. Pro ejusdem genero, Serenissimo Principe Palatino, Romani imperij Septemviro, atque ejusdem nunc imperij Vicario: Pro illustriss. Duce atque Electore Brandeburgico: Pro illustrissimo Landgravio Hassiæ: Pro Confœderatis Helvetiorum Cantonibus: Pro generosissimis Comitibus Nassovicis & Wetteravicis: Pro amplissimo & spectatissimo Senatu Reip. Genevensis, Bremensis, & Emdanæ. Inprimis vero pro iis, quos nobis in Reformato Belgio præfecisti. Pro illustribus ac præpotentibus Dominis Ordinibus Generalibus, eorumque ad hanc Synodum Delegatis: Pro illustrissimo & fortissimo Principe Arausicano, totaque domo Nassovica: Pro illustribus ac potentibus Ordinibus Hollandiæ: Pro Consiliariis utriusque Curiæ spectatissimis: Pro amplissimo etiam hujus urbis Senatu, Domino Prætore, Consule, Scabinis & Octumviris. Fac ut omnes & singuli serviant tibi in timore, & exultent in tremore. Vt sint & maneant fidi Ecclesiarum in his oris nutricij. Stabilias sceptrum eorum, & thronus ipsorum sit firmus jugiter. Benedic etiam urbis hujus Dordracenæ civibus. Da ut ante omnia quærant regnum Dei & justitiam ejus. Et pro benignitate tua, temporalia illis tanquam superpondium adjicias. Denique fac ut nos omnes in hoc conventu grata tibi & sentiamus & proferamus: ad nominis tui gloriam, & veritatis conservationem, Ecclesiæ & Reipublicæ piam tranquillitatem. Audi & exaudi nos per Jesum Christum, Filium tuum, Dominum nostrum. cui tecum & cum Spiritu Sancto sit laus, honor, & gloria, in sæcula. Amen.

Actis Deo gratiis, ad vos me converto Illustrium ac Præpotentum DD. Ordinum Generalium Delegatos Nobilissimos & Generosos, gratiasque Illustribus ipsorum Celsitudinibus, quas possum maximas, nomine Ecclesiarum Belgij Reformatarum ago, quod gemitus, preces, supplicationes, pro impetranda Synodo Nationali non spreverint, sed insistentes vestigiis optimorum Imperatorũ, Constantini, utriusque Theodosij, Marciani & similium, cœtum hunc celeberrimum, minorem quidem numero, quam in Synodis illis quatuor Generalibus fuit, fructu vero, ut speramus, non inferiorem, convocare tam ingentibus sumptibus non fuerint gravati. Quodque vobis, (quos hoc opus plurimum gaudemus promovisse) hanc provinciam imposuerint, ut nomine Illustrium ac Præpotentum ipsarum Celsitudinum, Synodo huic celeberrimæ præsideretis. Quod bono publico & Ecclesiæ commodo vos facturos esse, nulli dubitamus. Scimus non deesse, qui sanctissimo decreto convocatæ hujus Synodi detrahant: sed regium est, ut ille aiebat, bene facere & male audire. Supremæ potestates mundo instar solis prælucent. non movetur ille latratibus: obnititur præterea reliquis planetis, & contrarius orbi evehitur. Macti hoc animo, Illustres ac Præpotentes Domini. Confortamini, & non dissolvantur manus vestræ. Erit enim merces operi vestro. Durate, & vosmet rebus servate secundis.

Vobis

Vobis quoque, Reverendissime D. Præsul, Clarissimi, Doctissimi, & pietate conspicui Theologi Exteri, gratias ago pro ferventi zelo, quod super contritione Ioseph condolentes, hoc incommodo anni tempore, & præcipue autumno, posthabitis commoditatibus vestris & familiarum vestrarum, addo & Ecclesiarum vobis à Deo commissarum, nobis succurrere non fueritis gravati: infido mari, & periculosissimis itineribus vos exponentes. Extorsit à charitate vestra hoc officium communio Sanctorum, & membrorum cum Christo capite unio. Cumque non simus referendo, Deum venerabimur, ut vestrarum Ecclesiarum & familiarum vobis hic pro domo ipsius vigilantibus, rationem habeat. ut reversi salva omnia & ex voto inveniatis. Speramus laborem vestrum non fore inanem in Domino, sed Deum precibus, laboribus, vigilijs, & conatibus vestris: ita benedicturum, ut præter tranquillitatem conscientiæ, paccatarum Ecclesiarum Belgicarum fructum reportetis. Atque ita suscepti itineris nunquam aut Dominos vestros (quos proni veneramur) aut vos ipsos unquam pœniteat. In quo omine finio.

Restat, ut Viri Nobilissimi, Amplis. Consultis. nomine Illustrium ac Præpotent. DD. Ordinum Generalium Delegati, Synodo huic ea quorum in sequentibus omnibus Sessionibus habenda erit ratio, aut alia quæ ipsorum prudentiæ ex usu, decore, & splendore hujus cœtus esse judicabunt, exponant, & aperturam Synodi (ut prisca phrasi utar) facere non graventur.

Cum dicendi finem Lydius fecisset, Amplissimus & Consultissimus Vir D. Martinus Gregorij, Ducatus Geldriæ & Comitatus Zutphaniæ Consiliarius primarius, nomine eorum, quos Illustres ac Præpotentes DD. Ordines ad venerandam Synodum hanc delegarant, hac oratione, Synodi, ut vocant, aperturam fecit:

Quod Ecclesiæ ac Reipublicæ felix sit ac faustum, Reverendi, Venerabiles, Clarissimi; vel id inprimis Illustrissimorum atque Præpotentium Fœderatarum Belgij Provinciarum, Dominorum nostrorum honoratissimorum Delegati, maximopere gaudent, quod frequentissimam hanc vestram hodiernam præsentiam conspiciant, eamque ob causam Serenissimo Potentissimoque Principi ac Domino, Domino Iacobo, Magnæ Britanniæ Regi, felicissimo Fidei Defensori; Celsissimo quoque principi ac Domino, Domino Frederico Electori Serenissimo; Illustrissimo Principi Landgravio; Generosis ac Magnificis Helvetiarum Cantonibus Evangelicis; Magnificis ac Spectabilibus Rebuspublicis & Civitatibus; Provincialibus denique Belgij Synodis; submissas, debitas, decentesque agunt gratias, quod ad rogationem, monitum, ac petitionem Illustrissimorum Dominorum nostrorum, Delegatos suos ad præsentem atque instantem hanc Synodum; pro salute ac concordia Ecclesiæ simul & Provinciarum huc ablegarint, frequentesque adesse voluerint. Vobis item Reverendi, Clarissimi, Doctissimi, Præstantissimique Viri, honorem hunc, pietatem, & promptitudinem animi adscribimus, quod insuper habita tempestate hac præsente, & aëris incommoditate, prompte & ultro advolastis; dissidenti Ecclesiæ ac periclitanti, Christianum ac paternum officium, cognoscendis, examinandis, atque componendis controversijs Ecclesiasticis, exhibituri. Quæ cum summo, non Provinciarum modo nostrarum, sed finitimorum quoque ac exterorum mœrore hactenus percrebuerunt. Cui enim esse ignotæ possunt infelices disputationes atq; altercationes illæ, quæ parietibus subsellijsq; Ecclesiæ Leydensis primum inclusæ, mox in vulgus (per imprudentiam an imbecillitatem animi?) disseminatæ, Ecclesias deinde omnes, urbes, oppida, postremò & singulas provincias ita pervagatæ sunt, prorsus ut illæ quasi agitantibus ventis

diffudisse quædam civilis belli incendia ubiq; viderentur: parumque abeßet, quin & omnium Ecclesiarũ, & hic ipse florentissimus Reipublicæ nostræ status funditus fuisset eversus: nisi & summa Dominorum nostrorum vigilantia, cura, ac sollicitudo, pro securitate & salute provinciarum, tum acerrimus ille magni Principis Uraniæ animus, ejusque singularis in conficiendis negotijs dexteritas, sese mutuo complexa fuissent. Tandemque hoc ipsum bonis omnibus desideratum, ac inprimis necessarium convocandæ Synodi, cujus hodie felicem, & frequentem hic conventum intuemur ac præsentiam, remedium excogitasset. Precamur autem Deum Optimum Maximum, ut sancto suo Spiritu præesse congregationi vestræ velit; ut hac ratione cuncta, sine ullis, quæ nonnunquam domo adferri solent, præjudicijs, moderate, sobrie, & in timore Domini proposita, cognita, definita, Illustrissimorum Dominorum nostrorum spei, desiderioque omnium provincialium, piorumque respondeant: utque hæc acclamatio ab universo populo feliciter exaudiatur: cor Ecclesiæ credentium & popularium unum eße. Atque in hoc voto, Illustrissimorum Dominorum Ordinum Deputati, nunc finient & acquiescent: & quæ porro in rebus Ecclesiasticis agenda, tractanda, aut definienda erunt, sanctæ huic congregationi Synodoque permittent.

Exhibuerunt deinde Generosi ac Nobilissimi Illustrium ac Præpotentum DD. Ordinum Delegati, fidei ac mandati literas, ab ijsdem Illustribus ac Præpotentibus DD. Ordinibus Generalibus ad hanc Synodum datas, quas à Balthasare Lydio, Ecclesiæ Dordrechtanæ Pastore publice prælegi mandarunt. Eæ autem ita se habebant:

Ordines Generales unitarum Belgij provinciarum universis & singulis, præsertim Reverendis, Venerabilibus, Clarissimis Pastoribus, Doctoribus & Senioribus Ecclesiarum, tum Belgicarum tum exterarum, ad Synodum Nationalem evocatis, ac delegatis, hasce nostras lecturis & audituris, Salutem:

Quandoquidem nihil nobis magis curæ fuit per annos hosce quinquaginta, quibus cum Rege Hispaniarum & Archiducibus Austriæ, pro Religione Christiana, libertate, & privilegijs Provinciarum asserendis, domi, foris, terra, marique continue ac varie concertatum ac bellum gestum est, quam ut pura Christianæ Religionis doctrina, rectusque divinus cultus in omnibus & singulis provincijs nostris aßereretur, conservaretur & propagaretur, atque nos in eam rem omnes nostras vires, & animorum cogitationes, sine intermissione adjiceremus, Deoque bene juvante, tam feliciter publica promoveremus, ut non modo Ecclesiarum Belgicarum status & consensus, sed & quies Provinciarum asserta eße videretur, pactis cum Hispaniarum Rege & Archiducibus Austriæ inducijs, subito quasi ex transverso infelices quædam altercationes de quibusdam Religionis capitibus emerserunt, quæ tam late in vulgus pervagatæ sunt, ut quædam jam certissima dissensionum, odiorumque initia, imo semina, ac civilis belli incendia, totis Provincijs diffusa viderentur. Nos cum hujusmodi rerum animorumque perturbationibus ac fluctibus, mature obviam eundum esse putaremus, cumque videremus, non alia promptiori, certiori, aut Christiana magis via ac modo, animorum Provincialium tranquillitati consuli, unionem pristinam, & optatam animorum conspirationem reduci ac restau-

Digitized by Google

ac restaurari posse, quam si promptissime & Christiane per finitimarum exterarum ac provincialium Ecclesiarum consensum hujusmodi motus componerentur, & obortæ controversiæ sopirentur, nihil ultra dubitantes, matura habita deliberatione, consultisque omnium & singularum Provinciarum sententiis, consiliisque, liberam legitimamque Nationalem in urbe Dordraco Synodum, convocare, indicere atque promulgare visum nobis fuit; anno hoc præsenti millesimo, sexcentesimo, decimo octavo, mense Novembri inchoandam. Ad cujus certiorem ordinem, modum, ac progressum, evitandis omnibus impedimentis atque difficultatibus, quæ in actuum & agendorum celebratione oboriri possent, certo nostro consilio ac deliberatione antehabita, Delegatos nostros ordinavimus, delegavimus, commisimus, hoc ipso ordinamus, delegamus, & committimus Illustrem & Generosum, Nobiles, Clarissimos, & Prudentissimos statui nostro fideles:

Martinum Gregorij, Juris utriusque Doctorem, primarium Curiæ Ducatus Geldriæ, ac comitatus Zutphaniæ Consiliarium. Henricum ab Essen, Curiæ Ducatus Geldriæ ac Comitatus Zutphaniæ Consiliarium. D. Walravum de Brederode, Baronem Vianæ & Ameydæ, Vice-Comitem Vltrajectensem, Dominum in Noordeloos. Hugonem Muys ab Holy, equitem, urbis Dordrechtanæ, tractusque Striensis Prætorem. Vel N. ejusdem civitatis pro tempore Consulem. Iacobum Boulenium, urbis Amsterodamensis Consulem. Gerardum de Nieuenburg, Consulem civitatis Alcmarianæ. Rochum vanden Honert, supremæ Curiæ Hollandiæ, Zeelandiæ, & VVest-Frisiæ Consiliarium primarium, Academiæque Leydensis Curatorem. Nicolaum Cromholtium, Provincialis Curiæ Hollandiæ, Zeelandiæ, & VVest-Frisiæ Consiliarium primarium. Simonem Schottum, J.U. Doctorem, Civitatis Middelburgensi à Secretis. Iacobum de Campe, J.U. Doctorem, Ordinum Zelandiæ Consiliarium. Fredericum de Zuylen van Nievelt, Dominum Aertsbergæ, Berckewoude, de Enge. VVilhelmum ab Hartevelt, civitatis Amersfordianæ Consulem. Ernestum ab Aylva, Ordinum Frisiæ Consiliarium, & Grietmannum in Oostdongerdeel. Ernestum ab Hatinxma, primarium Curiæ Provincialis Frisiæ Consiliarium. Henricum Hagen, Nobilem Vollenhoviæ, ex ordine equestri. Iohannem ab Hemert, Daventriensis Civitatis Consulem, & in Collegio Illustr. Ordd. Generalium Deputatum. Hieronymum Isbranis J. U. D. Etzardum Iacobum Clant, Dominum in Essinga & Sandvver.

Mandantes atque injungentes dictis omnibus singulisque nostris Delegatis, ut sub nomine & autoritate nostra quam citissime, & opportunitate prima, Dordracum se recipiant, Synodum aperiant, nostroque nomine in omnibus ac singulis Sessionibus & Actionibus Synodalibus se sistant, eis adsint, suaque prudentia, consilio, & moderatione singula quæ ad inspectionem ipsorum spectant atque curam, ita componant, prout dictis nostris Delegatis hoc plenissime committimus, eosdemque peculiariter instruximus, quo optatus tandem, ac desideratus Synodi hujus fructus, ad æterni Dei & Domini nostri Iesu Christi, gloriam atque laudem, ad omnium nostrarum Ecclesiarum, incolarum & popularium salutem, concordiam & pietatem redundare queat. Id quod à Deo misericordiæ Patre, per Dominum nostrum Iesum

Christum precamur. In horum omnium fidem & certitudinem, præsentibus hisce literis sigillum nostrum appendi & subscribi à Graphiario nostro jussimus.

Dabantur in frequentissimo nostro conventu, Hagæ-Comitis, Anno Domini nostri millesimo sexcentesimo, decimo octavo, die sexto Novembris.

Signatum

A. V. Mathenefs. Vt.

Infra erat scriptum,

Ad mandatum prædictorum Dominorum Ordinum Generalium

Subsignatum

Aerssens.

Appensum erat sigillum Ordinum Belgij magnum, in cera rubra expressum.

Generosis atque Amplissimis Delegatis, ut à Secretis, ipsis esset, adjungi placuit, Clarissimum virum D. Danielem Heinsium: in Academia Leydensi Historiarum Professorem, ejusdemque Academiæ Bibliothecarium, ac Secretarium. qui & paulo post advenit.

SESS.II.

Sessione secunda,

XIV *Novembris, Die Mercurij ante meridiem.*

Hac Sessione, suas quoque Synodorum Belgicarum Delegati, Fidei, ut vocant, literas exhibuerunt: cum quibus ad hanc Synodum Nationalem erant ablegati. Ex quibus constabat, à Provincialibus Fœderati Belgij Synodis, ad eandem Pastores hos & Seniores, quorum hic subjiciuntur nomina, fuisse delegatos.

Ex Ducatu Geldriæ, & Comitatu Zutphaniensi,

Gulielmus Stephani, S. Theologiæ Doctor, & Pastor Ecclesiæ Arnhemiensis. Eilhardus à Mehen, Ecclesiæ Hardrovicenæ Pastor. Sebastianus Dammannus, Ecclesiæ Zutphaniensis Pastor. Iohannes Bovilletus, Pastor Warnsfeldensis. Iacobus Verheyden, Rector Scholæ Noviomagensis, ejusdemque Ecclesiæ Senior. Henricus ab Hel, Consul Zutphaniensis, & in Collegio Illustr. DD. Ordd. Generalium Deputatus, Ecclesiæ Zutphaniensis Senior.

Ex Hol-

Ex Hollandia Auſtrali,

Balthaſar Lydius, Paſtor Eccleſiæ Dordracenæ. Henricus Arnoldi, Paſtor Eccleſiæ Delphenſis. Feſtus Hommius, Paſtor Eccleſiæ Leydenſis. Giſbertus Voetius, Paſtor Eccleſiæ Heuſdanæ. Arnoldus Muſius ab Holy, Suyd-Hollandiæ Ballivus,& Eccleſiæ Dordrechtanæ Senior. Ioannes Latius,Senior Eccleſiæ Leydenſis.

Ex Hollandia Boreali,

Iacobus Rolandus,Paſtor Eccleſiæ Amſtelodamenſis. Iacobus Triglandius, Paſtor Eccleſiæ Amſtelodamenſis. Abrahamus à Doreslaer, Paſtor Eccleſiæ Enchuſanæ. Samuel Bartholdus, Paſtor Eccleſiæ Monachodamenſis. Theodorus Heyngius, Senior Eccleſiæ Amſtelodamenſis. Dominicus ab Heemſkerck, J. U. D. & Eccleſiæ Amſtelodamenſis Senior.

Ex Zeelandia,

Hermannus Faukelius, Paſtor Eccleſiæ Middelburgenſis. Godefridus Vdemannus,Paſtor Eccleſiæ Ziriczeanæ. Cornelius Regius,Paſtor Eccleſiæ Goeſanæ. Lambertus de Rijcke,Eccleſiæ Bergizomianæ Paſtor. Ioſias Voſbergius, J.U.D. in Camera Rationum Zeelandiæ Conſiliarius, & Eccleſiæ Middelburgenſis Senior. Adrianus Hofferus, Scabinus, & urbis Zirizeæ Conſiliarius, ejuſdemque Eccleſiæ Senior.

Ex Provincia Vltrajectina.

A parte Eccleſiarum illius Provinciæ, quæ ibidem ſequuntur ſententiam Contra-Remonſtrantium.

Iohannes Dibbezius, Paſtor Dordrechtanus, Synodi Orthodoxæ Vltrajectinæ Deputatus. Arnoldus Oorteampius, Eccleſiæ Amerſfortianæ Paſtor. Lambertus Canterus, civitatis Vltrajectinæ Conſiliarius, & Eccleſiæ Vltrajectinæ Senior.

A parte Eccleſiarum, quæ ibi ſententiam Remonſtrantium ſequuntur.

Iſaacus Frederici, Paſtor Eccleſiæ Vltrajectinæ. Samuel Nærانus, Paſtor Eccleſiæ Amerſfordianæ. Stephanus ab Heldingen, J.U.D. Curiæ Provinciæ Vltrajectinæ Conſiliarius, & Eccleſiæ Senior.

Ex Friſia,

Iohannes Bogermannus, Paſtor Eccleſiæ Leowerdienſis. Florentius Iohannis, Paſtor Sneeanæ. Philippus Danielis F. Eilſhemius, Paſtor Eccleſiæ Harlingenſis. Meinhardus ab Itzerda, Ordinum Friſiæ Conſiliarius, & Eccleſiæ Leowerdienſis Senior. Kempo ab Harinxma à Donia,Curiæ Provincialis Friſiæ Conſiliarius, & Eccleſiæ Leoverdienſis Senior. Ioannes vander Sande, J.U.D. Curiæ provincialis Friſiæ Conſiliarius, & Eccleſiæ Leoverdienſis Senior.

Ex Tranſiſulania,

Caſparus Sibelius, Paſtor Eccleſiæ Daventrienſis. Hermannus Wiferdingius, Swollanæ Eccleſiæ Paſtor. Hieronymus Vogelius, Haſſeltanæ Eccleſiæ Paſtor; tempore Deputationis inſerviens Eccleſiæ Campenſi. Iohannes Langius, Eccleſiaſtes Vollenhovianus. Guilielmus à Broickhuſen, Senior Eccleſiæ Swollanæ. Ioannes à Lauwick, Conſul urbis Campenſis & Eccleſiæ Senior.

Ex urbe

Ex urbe Groninga & Omlandiis,

Cornelius Hillenius, Pastor Ecclesiæ Groninganæ. Georgius Placius, Pastor Ecclesiæ Appingadammonensis. Wolfgangus Agricola, Pastor Ecclesiæ Bedumanæ. Iohannes Lolingius, Pastor Eccles. Noortbrouckanæ. Egbertus Halbes I.V.L. Ecclesiæ Groninganæ Senior. Iohannes Ruffelaert, Senior Ecclesiæ Stedumanæ.

Ex Drentia,

Themo ab Asschenberg, pastor Ecclesiæ Meppelensis. Patroclus Rommelingius, Pastor Ecclesiæ Rhuinensis.

Ex Ecclesiis Gallo-Belgicis,

Daniel Colonius, Pastor Ecclesiæ Leydensis, & Regens Collegij Gallo-Belgici in Academia Leydensi. Iohannes Crucius, Pastor Harlemensis. Iohannes Doucherius, Pastor Flissinganus. Ieremias Poursius, Gallo-Belgicæ Middelburgensis Ecclesiæ Pastor. Everardus Beckerus, Senior Ecclesiæ Middelburgensis. Petrus Pontanus, Senior Ecclesiæ Amstelodamensis.

Ex horum numero, eligi suffragiis placuit, qui dirigendis atque consignandis Synodi præessent actionibus, Præsidem vnum, Assessores duos, totidemq; Scribas.
Ex Generosis & Amplissimis DD. Delegatis, rogati sunt Clarissimi atque Amplissimi Viri Martinus Gregorij, & Simon Schotte, ut cum designatis quatuor Senioribus, Arnoldo Musio ab Holy, Iacobo Verheyden, Iosia Vosbergio, & Iohanne Latio, suffragia colligerent. Quorum potiore numero Præses Synodi electus est Iohannes Bogermannus, Ecclesiæ Leoverdiensis Pastor: Assessores, Iacobus Rolandus, Amstelodamensis, & Hermannus Faukelius: Middelburgensis Ecclesiæ Pastores: Scribæ autem seu Actuarij, Sebastianus Dammannus Zutphaniensis, & Festus Hommius Leydensis Ecclesiæ Pastores.
Eadem Sessione Reverendi & Clarissimi S. Theologiæ in Academiis & Illustribus Scholis Fœderati Belgij Professores, literas Illustrium Ordinum suarum Provinciarum à quibus missi erant, publice exhibuerunt. Quæ prælectæ probatæque sunt. Quorum hic sequuntur nomina:

Ab Illustribus Ordinibus Hollandiæ & VVestfrisiæ:

Iohannes Polyander, SS. Theologiæ Doctor & Professor in Academia Leydensi.

Ab Illustribus Ordinibus Groningæ & Omlandiæ:

Franciscus Gomarus, SS. Theologiæ Doctor & Professor in Academia Groningana.

Ab Illustribus Ordinibus Ducatus Geldriæ & Comitatus Zutphaniæ:

Antonius Thysius, SS. Theologiæ Professor in Illustri Schola Harderwicena.

Ab Illustribus Ordinibus Zeelandiæ

Antonius Walæus, Ecclesiæ Middelburgensis Pastor, & in Illustri Schola ibidem Professor.

Sessione

Seſsione Tertia,

Eodem Die poſt meridiem.

Hac Seſſione à Paſtoribus Eccleſiarum Belgicarum ac Senioribus traditæ, publice prælectæ atque examinatæ ſunt fidei ſingulorum literæ: quæ & placuerunt. In Deputatorum Tranſiſulanorum literis fiducialibus obſervatum fuit, mandari iis, ut non modo ſecundum verbum Dei, ſed & fidei analogiam in Confeſſione & Catecheſi harum Eccleſiarum comprehenſam, judicarent. Quo cum videri poſſet, ipſam quoque Catecheſin pro norma judicij, de veritate doctrinæ, cum Verbo Dei in pari autoritatis gradu conſtitui. Deputati Tranſiſulani ad hæc declararunt, ſe fratreſque à quibus eſſent delegati, ſolum Dei verbum, vnicam normam, ad quam de doctrinæ veritate judicari debeat, agnoſcere; ac ſecundum eam tantum, ipſos quoque judicaturos eſſe. Quod autem in literis fidei, Confeſſionis quoque & Catecheſeos mentio ſit addita, non voluiſſe eo fratres Tranſiſulanos ſignificare, ſeſe ſcripta illa in pari autoritatis gradu cum ſacra Scriptura ponere: ſed tantum, ea ſe pro Orthodoxis & cum verbo Dei conſentientibus, proque formulis conſenſus in doctrina Orthodoxa habere. De quo conſenſu, ſi qua moveatur controverſia, eam ex iſtis formulis dijudicandam eſſe. Qua declaratione Synodo eſt ſatisfactum.

Fuerunt quoque in literis fidei, quas Remonſtrantium ex provincia Vltrajectina Deputati exhibuerant, hæc tria animadverſa: I. Non tribui eis poteſtatem in illis, aliis de rebus, quam de quinque Articulis Hagienſibus agendi. II. Quod ſi alia proponerentur, injungi iis, ne de illis agerent, priuſquam eadem cum Delegantibus per receſſum communicaſſent. III. Concedi iis tantum poteſtatem deliberandi, atque Remonſtrantium ſententiam defendendi, aut, ut loquebantur, accommodandi: non autem definiendi, aut quidquam decidendi. Has vero obſervationes Vltrajectini Remonſtrantes, ſcripto comprehenſas, una cum literis fidei exhibitis ſibi tradi, tempuſque de reſponſo deliberandi ſibi dari in diem proximum petierunt. Quod conceſſum ipſis fuit.

Poſt hæc Reverendi & Clariſſimi Theologi exteri rogati ſunt, num & ipſi quoq; literas fidei Synodo exhibendas haberent. Ad quæ, cum à Generoſis atque Ampliſſimis DD. Delegatis, tum ab ipſis exteris Theologis declaratum eſt: literas fidei ad Illuſtres ac Præpotentes Ordines Generales attuliſſe omnes. nonnullos quoque inſuper, ad Illuſtriſſimum Principem Arauſicanum, quibus delegationem ſuam iiſdem probarant. Eorum autem qui miſſi erant Theologorum, hæc ſunt nomina:

A Sereniſſimo & Potentiſſimo Magnæ Britanniæ Rege, Iacobo I.

Georgius Epiſcopus Landavenſis. Ioſephus Hallus, S Theologiæ Doctor, Decanus Wigornienſis. Iohannes Davenantius, S. Theologiæ Doctor, & publicus Profeſſor in Academia Cantabrigienſi, Collegiique Reginalis ibidem Præſes. Samuel Wardus, S. Theologiæ Doctor, Archidiaconus Fauntonnenſis, & Collegii Sidneyani, in Academia Cantabrigienſi Præfectus.

A Sereniſſimo Electore Palatino,

Abrahamus Scultetus, S. Theologiæ Doctor & Profeſſor in Academia Heidelbergenſi, Aulicuſq; Concionator. Paulus Toſſanus, S. Theol. Doctor, & in Senatu Eccleſiaſtico inferioris Palatinatus Conſiliarius. Henricus Altingius, S. Theol. Doctor & Profeſſor in Academia Heidelbergenſi, & Ephorus Collegij Sapientiæ.

Ab Illuſtriſſimo Landgravio Haſſiæ,

Georgius Cruciger, S. Theologiæ Doctor, Profeſſor, & pro tempore Academiæ Marpurgenſis Rector. Paulus Steinius, Concionator Aulicus, & S. Theologiæ in Collegio Nobilitatis Adelphico-Mauritiano Profeſſor Caſſellis. Daniel Angelocrator, Eccleſiæ Marpurgenſis Paſtor, & vicinarum ad Lanum & Æderam Superintendens. Rodolphus Goclenius Senior, Philoſophiæ purioris in Academia Marpurgenſi Anteceſſor primarius, & nunc Decanus.

A quatuor Reformatis Helvetiæ Rebuspublicis.

Iohannes Iacobus Breytingerus, Ecclesiæ Tigurinæ Pastor. Marcus Rutimeyerus, S. Theologiæ Doctor, & Ecclesiæ Bernensis Minister. Sebastianus Beckius, S. Theologiæ Doctor, & Novi Testamenti in Academia Basileensi Professor, ibidẽque Facultatis Theologicæ Decanus. Wolfgangus Meyerus, S. Theologiæ Doctor, Ecclesiæ Basileensis Pastor. Iohannes Conradus Kochius, Ecclesiæ Scaphusianæ Minister.

A Repub. & Ecclesia Genevensi.

Ioannes Deodatus, in Ecclesia Genevensi Pastor, & in eadem Schola S. Theologiæ Professor. Theodorus Tronchinus, divini verbi Minister in Ecclesia Genevensi, & ibidem S. Theologiæ Professor.

A Repub. & Ecclesia Bremensi.

Matthias Martinius, Illustris Scholæ Bremensis Rector, & in ea divinarum literarum Professor. Henricus Isselburgius, S. Theologiæ Doctor, in Bremensi Ecclesia ad B. Virginis Iesu Christi servus, & in Schola, Novi Testamenti Professor. Ludovicus Crocius, S. Theologiæ Doctor, Ecclesiæ Bremensis ad S. Martini Pastor, & in Illustri Schola, Veteris Testamenti & Philosophiæ practicæ, Professor.

A Repub. & Ecclesia Emdana.

Daniel Bernardus Eilshemius, Emdanæ Ecclesiæ Pastor Senior. Ritzius Lucas Grimershemius, Emdanæ Ecclesiæ Pastor.

Theologi Genevenses, alias præterea Synodo inscriptas tradiderunt, quibus Genevensis Ecclesia mœrorem ex controversijs Belgicis conceptũ testabatur, deq; adhibito nunc ijs remedio gratulabatur: serio deniq; ac diligenter, Synodum ad commodam & fidelem horum malorum curam adhibendam adhortata, divinam eidem benedictionem comprecabatur. Pro quibus pijs exhortationibus ac cõprecationibus, eidem quoq; Ecclesiæ actæ sunt gratiæ. Earũ vero literarum hoc est exemplum:

Reverendi & Clarissimi Viri Patres ac Fratres, in Domino Jesu plurimum observandi.

Quantus hactenus fuerit bonorum omnium ex Ecclesiarum in Belgicis Fœderatis Provincijs dissidio mœror, quam grave luctuosumque orbi Evangelicam puritatem profitenti, si latius grassetur malum schismatis, discrimen impendeat, pietati vestræ, Patres Venerandi, satis superque compertum est. Quare illam demum illuxisse diem, omnium votis expetitam, piorumque precibus toties exoptatam, & nos istius mystici corporis pars, etsi minima, aliquantula tamen in millibus Iuda, toto pectore gratulamur. Qua, farciendæ sanciendæque, ex Domini præscripto, concordiæ; certæ fidæque rationes ineantur. Hac spe nempe freti, Christum, qui veritas idemque pax nostra est, sanctis piorum consilijs nunquam defuturum: ut justissima Dei veritas, & animorum in Spiritu Domini conjunctorum charitas, inviolabili fœdere coalescat. nec uni temere quicquam adijciatur, alteri contra jus fasque detrahendum: sed dirum istud, quo domus Dei deflagrat sopiatur incendium: ruinæ imminenti obviam eatur: & calcatis atque extra Ecclesiæ pomœria ejectis noxijs & spinosis quæstionibus, quibus hodie feracem olim bonæ frugis agrum occupari & obsideri non sine lachrymis videmus, & non uni tantum provinciæ læta, sed etiam toti orbi Christiano salutaris lux pacis restituatur. Eo spectare omnium, tum sapientissimorum principum & Christianarum Rerumpublicarum, tum Christi servorum preces & conatus; jam aliquot ab hinc annis exploratum est. Hanc fuisse Synodi convocandæ, Illustrissimis & Potentissimis Provinciarum Fœderatarum Ordinibus, rationem intelleximus. Ad quam, quando ipsis è nostro cœtu nonnullos

nonnullos accersere visum fuit, ut collatis studijs, animis, precibus, consilijs, res omnium Deo gratissima, charitas fraterna promoveatur: Nos posthabitis Ecclesiæ Scholæque nostræ commodis, ex ordine nostro delectos fratres R.R. VV. D. Johannem Deodatum & D. Theodorum Tronchinum, fideles Christi servos, Ecclesiæ & Scholæ nostræ columina, & luculentis, qua doctrinæ, qua pietatis testimonijs celebres (suffragijs nostris, autoritatis suæ pondus apponente Amplissimo civitatis hujus Senatu) ad sacram vestram Panegyrin, divinæ gratiæ præsidio commendatos, mittimus & delegamus; Deum Opt. Max. precantes, ut ita ipsorum, & suscepti laboris causam secundare & concilio vestro (ne vel ipsi, vel alij incassum currant) Spiritu S. cuncta moderaturus, interesse & præesse dignetur. Illi autem, quæ sit Ecclesiæ nostræ fides, quæ preces, quis labor, quæ spes, quæ sententia, quis sensus, gemitus & suspiria, ingenue vobis exponent. Quis dolor & metus etiam; quæ cura nostros animos ἀδιαλείπτως angat & urat. Quem enim non acerbissimo dolore afficiat bellum istud intestinum, quod fortissimas provincias, libertatis & religionis vindices, lamentabili exemplo discerpit? Quis non extimescit, ne crescente scissura, fiant novissima pejora prioribus, ne propediem eadem lues cæteras Ecclesiarum Reformatarum partes invadat? Serpit enim contagio, & ea justo Dei judicio, temporibus nostris incumbit calamitas, ut ingenijs ad nova prurientibus, nihil jam sapiat, nisi quod fidei Sacro Dei verbo nixæ caput petit, & centrum concutit, fundamentaque ipsa convellit. Quem non tangant acerrime hostium Evangelij, quibus nos facti ludibrium sumus, sarcasmi & sannæ? qui cum suam olim immanitatem sanguine nostro paverint, nunc suos istis digladiationibus oculos oblectant. Nempe in sinu gaudent, προβόλους & disceptationum tædas, è suorum castris in nostras cohortes injectas; in tantum profecisse, ut nobilissimam Ecclesiarum partem flamma jam depascat. Nam quibus militant, quibus favent ista prælia, quos istæ pugnæ juvant; quarum exitus non vincenti, quam victo solet esse lætior? Quapropter, Patres & Fratres observandi, flos Ecclesiarum, lectissima eruditorum virorum corona, in id totis animis incumbite, ut horum malorum radices extirpetis: Israëlis vulnus rite curetis, Judicio Dei gravissimo, in templum & Prophetas divinitus misso, mature occurratis. Furit & faces subdit Satan; nullumque dissidio fratrum, quod Deus execratur, gratius est illi spectaculum. Irrepunt fures, &, ut in incendio susque deque aguntur, feruntur ac diripiuntur omnia; ita nunc, quos oportuit immotos, & in bonæ conscientiæ thesauro repositos fidei articulos, contentiosis disceptationibus & suspectis novationibus, turbari & concerpi cernimus. Optimorum Dei servorum nomina probro; modestam eruditionem & eruditam simplicitatem vitio; confessiones ex verbo Dei depromptas, tot martyrum sanguine comprobatas damno verti; ingeniorum acies, & stylorum mucrones, adversus veritatis hostes obvertendos, in viscera materna condi; veteres jam olim explosas Arrianorum & Pelagianorum hæreses reviviscere; suspicionum, ubi nihil forte metuendum, querelarum, jurgiorum in Ecclesia, in foro, domi forisque plena omnia. Ecquid tandem consilij? Jam vero, per vos Ecclesiæ suæ laboranti suppetias laturus, Christus adest, monet, hortatur, & obtestatur, ut conscientijs consulatis. Nam sicuti olim, cum extiterunt de dogmatibus in Ecclesia dissensiones, inde ab ultimis usque temporibus Synodos coëgerunt Apostoli, idemque postea institutum Principes optimi secuti sunt: ita quoque hoc tempore præsentissimum in sanctissimo Fratrum conventu situm est remedium; qui nihil sibi quærant,

non mundo, non carni, sed uni Christo serviant. Iam plus satis ævo nostro, quam triste sit & incivile belli sacri exemplum, in Germanico schismate sumus edocti; quantum offendiculum Evangelio positum; quantum gloriæ Christi detractum sit; nimium, proh dolor! experti sumus. Agite igitur, per Deum immortalem, Patres Reverendi, ut electi Dei filij induimini visceribus ipsius Christi; veritati ministrate; paci consulite; diuinæ ædi nitorem restituite; piorum Dei servorum ab atrocibus calumnijs famam vindicate. Hostibus vestra concordia formidinem incutite; lugentibus sanctis gaudium reddite; Ecclesias schismate, bonos dolore, cunctos metu liberate. Nos interea supplices manus ad Deum pacis, pro pace Ierusalem attollimus, ut quemadmodum res ille nostras omnes confecit, hoc opus etiam vere divinum perficere; qui nos servavit, idem etiam nunc sanare, & malis ingruentibus opitulari dignetur. Veniat in templum suum Dominus; filios Levi purget: veritatis suæ jubar exerat, ut puro castæ religionis ministerio grata deinceps ipsi munera offerantur. Eundemque obnixe rogamus, ut vos, Venerandi Patres, in electos sacerdotes sibi consecret; corda vestra Spiritu suo impleat; ora igne divino sanctificet, quo pretiosum à vili, falsum à vero spirituali κριτηρίῳ discernentes, amplissimam consolationis toti Ecclesiæ referendam segetem in Domino reportetis: regno Christi incrementum Dei nomini, gloriæ, vobis laudis & salutis futurum argumentum certissi mm præbeatis.

Genevæ VII. Octobris. Anno CIↃ IↃ CXVIII. stylo veteri.

Subscriptum erat

Vestrarum dignitatum observantissimi Pastores & Professores Ecclesiæ & Scholæ Genevensis, eorumque nomine,

Simon Goulartius, S. Ecclesiastes Genevensis. Petrus Prevostius, Genevensis Ecclesiastes. Benedictus Turrettinus, Ecclesiastes, & S. Theologiæ Professor. Daniel Chabreus, Ecclesiastes Genevensis.

Ἐπιγραφὴ erat, Reverendis & Clarissimis Viris, fidelibus Christi servis, Orthodoxarum Ecclesiarum Episcopis, Pastoribus & Doctoribus, ad Synodum Dordracenam Delegatis, Dominis, Patribus, ac Fratribus, in Christo plurimum observandis.

Dordracum.

SESS. IV.

Sessione Quarta

XV. *Decembris, Die Iovis ante meridiem.*

Ultrajectini Remonstrantes ad observata in literis fidei ex scripto responderunt: 1. Datam ipsis esse à Delegantibus potestatem, non tantum de quinque Articulis Hagiensibus, sed de alijs etiam gravaminibus, tam doctrinam, quam ordinem Ecclesiæ spectantibus agendi: nec obscure potestatem definiendi ipsis tribui in literis fidei, voce, *judicandi*, in illis expressa, quam non vereantur ipsi per verbum *definiendi*, vel *decidendi* interpretari. 2. Se quoque sine Synodi permissione non esse ad suos recessuros. Si tamen forte sibi necessario recedendum judicarent, id ipsum à Synodo postulaturos, judicioque Synodi, hac in re morem libenter gesturos. Cui declarationi cum affirmassent literas mandati esse conformes, Synodus acquievit.

Exa-

Examinatis literis fidei, cum ad ipſam rem jam eſſet progrediendum, ut illius ex præſcripto Illuſt. atque Præpotentum DD. Ordd. Generalium inſtitueretur tractatio, placuit Generoſis atque Ampliſſimis Delegatis, ut Leges XI. Novembris anni ſuperioris, ab iiſdem Illuſt. DD. Ordinibus ſtatutæ, quibus ratio habendæ Synodi Nationalis, præſcripta erat, publice prælegerentur. Quæ ita ſe habent:

Articuli de Indictione, Actionibuſque Synodi Nationalis, in Conventu Illuſtrium ac Præpotentum DD Ordinum Generalium Fœderatarum Belgij Provinciarum XI. Novemb. Anni CIↃIↃCXVII concepti, ac ſtatuti.

I.

ANte omnia placuit, die bus quatuordecim, aut tribus ante conventum ſeptimanis, ab Illuſt. ac Præpotentibus DD. Ordinibus Generalibus, in omnibus Provincijs, communem precum ac jejunij diem indici: quo à Deo Opt. Max. votis ardentibus petatur, ut inſtanti actioni benedicat: utque tum ſua Eccleſiæ tranquillitas, tum vero civibus mutua inter ipſos ad honorem Dei denuo reddatur ac reſtituatur concordia.

II.

Vt Nationalis Synodi, ab ipſis Illuſt. ac Præpotent. DD. Ordinibus Generalibus, indictio fiat ac denunciatio: Vtque in iiſdem literis diſertis, quinque Articulorum fiat mentio: atque hoc inſuper addatur, ut ſi quæ ſint Provinciæ quæ alias præterea difficultates aut gravamina habeant, quæ ſpectare ad communes Belgicæ Eccleſias videantur, aut ſi quæ peculiares reſtent, quæ in Synodis Provincialibus commode decidi nequierunt, ut ij, qui ad Nationalem hanc Synodum delegabuntur, eaſdem difficultates, plane ac dilucide ſcripto comprehendant, & ad Nationalem hanc Synodum deferant.

III.

Vt quo tota actio recte atque ordine procedat, omniſque vitetur confuſio, à ſingulis particularibus, ut vocant, Synodis, ſex, qui maxime eſſe idonei videbuntur, delegentur. Inter quos ad minimum tres divini verbi adminiſtri erunt: reliqui tres aut duo ſpectatæ fidei ac probitatis, ſive Preſbyteri, ſive alia Eccleſiæ membra, quæ Reformatam profiteantur religionem.

IV.

Vt ad Synodum eandem per literas Gallicanæ, quæ ſub ditione Illuſtrium ac Præpotentum D D. Ordinum Generalium ſunt, Eccleſiæ vocentur: neque minus quæ in Flandria, Brabantia, aliiſque Belgij Provincijs, ſub cruce, utraque lingua Chriſtum nobiſcum profitentur: quæ ſeſe proximæ ac finitimæ Provinciali Synodo adjungent.

V.

Vt inſuper, tum à Sereniſſimo ac Potentiſſimo magnæ Britanniæ Rege, tum à Reformatis quæ in Gallia ſunt Eccleſijs, à Sereniſſimo item Electore Palatino, Haſsiæque Landgravio Mauritio, ut & ab Eccleſijs quæ puram atque Reformatam in Helvetia profitentur Religionem, quemadmodum & à Genevenſi, (quo maior in religione conſenſus ſtabiliatur ac concordia) poſtuletur, ut ſinguli tres, quatuorve pios, pacificos atque eruditos delegent Theologos: qui præſentia prudentiaq; ſua Synodalibus aſsiſtant actionibus: ac ſubortas, quantum in ipſis erit, difficultates ſeu gravamina, tollere, aut ſopire conentur.

VI.

Vt præter illos, Profeſſores Theologiæ ex Academijs atque Illuſtribus harum Provinciarum Scholis, ad eandem quoque Synodum vocentur.

VII.

Tum verò, ut ex finitimis Reformatis Orientalis Friſiæ Eccleſijs, quemadmodum & ex Bremenſi, aliquot eruditi in eandem rem advocentur Theologi.

VIII.

Erit præterea liberum omnibus ac ſingulis (præter ipſos Delegatos, quorum jam meminimus) verbi divini Miniſtris, in eadem Synodo ſe ſiſtere, impetrataque à Præſide aut conventu venia, ſi quas habent difficultates ſeu gravamina, proponere: hac lege, ut ſeſe Synodi ſubijciant iudicio. Qui tamen confuſioni vitandæ, ijs quæ in Synodo eadem decernentur non intererunt: niſi ſecus conventui videatur.

In

IX.

In conventu, primo omnium de notissimis quinque Controversis Articulis, deque ortis ex ijsdem difficultatibus agetur: ut despiciatur serio, quo pacto salva Ecclesiæ tranquillitate, (inprimis autem doctrinæ puritate) commodissime & minimo negotio tolli ex Ecclesijs possent. Post quas reliquæ postea proponentur, tam communes, quam singulæ, quæ ad Ecclesias spectant difficultates seu gravamina.

X.

In quibus omnibus ac singulis, cum nihil præter doctrinæ spectetur veritatem, cura erit Delegatis, ut debita atque accurata investigatione solum Dei verbum, non autem ulla humana scripta, pro certa atque indubitata fidei regula adhibeatur: quod ut fiat, utque liquido appareat, nihil illis præter solam Dei gloriam atque Ecclesiæ tranquillitatem propositum fore, juramento in hac Synodo sive conventu sese obstringent.

XI.

Atque ita, quicquid postea pluribus comprobabitur suffragijs, pro conclusione Synodali sive Canone habebitur. Ita tamen ut nec ij qui secus opinati fuerint, eo nomine suspitionem incurrant, reprehendantur, aut ulla ratione propterea graventur.

XII.

Quod si ullæ incidant controversiæ, de quibus aut non satis liqueat conventui, aut aliqua suboriatur dubitatio, penes Synodum erit permittere, ut deliberandi causa recedatur: & quidem, de quacunque re visum illi erit, eoque tempore ac ratione, qua consultum ipsa judicabit. Quo facto, sine indictione nova, singuli conventui se sistent.

XIII.

Tempus convocationis Synodi, placuit in primum Novembris, Anni CIↃ IↃ CXVIII. *stylo novo indici.*

XIV.

Danda quoque erit opera, ut quamprimum ab Illust. & Præpotentibus Ordinibus moneantur Provinciæ, idemque Gallicis, quæ ibidem sunt, Ecclesijs significetur. Quo singuli præparandæ

 rei,

rei, Synodos Provinciales indicant, convocent, celebrent, ante primum Novembris ad ſummum.

XV.

Quod ad locum deſignatum Synodo, urbs Dordrechtum eſto.

XVI.

Viſum quoque eſt ex uſu fore, ut à ſingulis Provincijs, duo probi atque ad eam rem idonei nominentur, qui & reformatam profitentur religionem atque Eccleſiæ ſunt membra, quo autoritate plena ab Illuſt. ac Præpot. Ordinibus inſtructi, Synodo interſint eidemque adſint continuo, omneſque ejus actiones dirigant ac moderentur; quo hac ratione omnis tollatur atque præveniatur perturbatio ac confuſio.

XVII.

Vt poſt Synodi Nationalis concluſionem, ad Illuſtres ac Præpot. DD. Ordines Generales de ſingulis actionibus referatur. Vt de ijs, deque ipſis Actis Synodalibus, ubi fuerint exhibita eorumque approbatione, ab iiſdem Illuſtribus ac Præpotent. DD. Ord. Generalibus, debite ac legitime ſtatuatur.

Quoniam vero nono articulo mandabatur, ut de notis quinque Articulis & difficultatibus inde exortis, primo loco ageretur, ut hoc rite fieri ac debite poſſet, ſtatutum quoque ex conſilio & ſententia Delegatorum fuit, ut primarij quidam Remonſtrantes, qui in cauſſa hac maxime exercitati habebantur, quamprimum vocarentur, atque in rem præſentem citarentur. Vt intra dies, poſt acceptas literas (citatorias quas vocant,) quatuordecim, coram Synodo ſe ſiſterent, atque in eadem ſententiam ſuam proponerent, explicarent, & defenderent, quantum poſſent atque neceſſarium judicarent: ſimulque omnes, quas haberent conſiderationes ſuper doctrina, in Confeſſione & Catecheſi harum Eccleſiarum comprehenſa, exhiberent.

Quinam autem, & quot numero, citandi eſſent, DD. Delegatorum judicio permiſſum fuit. Quibus viſum fuit citari.

Ex Geldria & ditione Gravienſi,

Henricum Leonem, Eccleſiæ Bommelienſis Paſtorem. Bernerum Wezekium, Echteltanæ Eccleſiæ Paſtorem. Henricum Hollingerum, Gravienſis Eccleſiæ Miniſtrum.

Ex Hollandia Auſtrali,

M. Simonem Epiſcopium, S. Theologiæ in Academia Leydenſi Profeſſorem. Iohannem Arnoldi Corvinum, Eccleſiæ Leydenſis Paſtorem. Bernardum Dwinglonium, Eccleſiæ Leydenſis Paſtorem. Eduardum Poppium, Goudanæ Eccleſiæ Paſtorem. Theophilum Rijckwaertium, Brielanæ Paſtorem.

Ex Hollandia Boreali,

Philippum Pynackerum, Eccleſiæ Alcmarianæ Paſtorem. Dominicum Sapmam, Hornanæ Eccleſiæ Paſtorem.

Ex Transisulania,

Thomam Gosvvinium, Campensis Ecclesiæ Pastorem. Assuerum Matthisium, Campensis Ecclesiæ Ministrum.

Ex Ecclesijs Gallo-Belgicis,

Carolum Niellium, Ecclesiæ Ultrajectinæ Pastorem.

Moniti autem omnes Deputati fuerunt, ut interea dum Remonstrantium citandorum adventus expectaretur, scriptorum utriusque partis diligenti lectione ad examen hujus causæ præparare se vellent. Rogati autem inprimis sunt Clarissimi Professores Belgici, ut hanc curam sibi sedulo commendatam haberent.

Sessione Quinta.

Sess. V.

XVI. *Novembris, die Veneris ante meridiem.*

PRælectæ atque à Synodo approbatæ sunt citatoriæ, quas vocant, literæ, ad Remonstrantes mittendæ. Quarum exemplum hic subjicitur:

Reverende & Doctissime Vir N. Synodus Nationalis reformatarum Ecclesiarum Belgicarum, in nomine Domini, autoritate, & mandato Illustrium & Præpotentum D D. Ordd. Generalium Fœderati Belgij, in civitate Dordrechtana legitime congregata, ad controversias in dictis Ecclesijs exortas, examinandas ac tollendas, intelligens hanc esse dictorum Illustrium D D. voluntatem, ut primo loco examinentur ac dijudicentur quinque articuli Remonstrantium; quandoquidem ex illis hæ controversiæ potissimum sunt exortæ; æquum & necessarium judicavit, ex Remonstrantium numero, præter eos, qui huic Synodo intersunt, ex Geldria, Henricum Leonem, Bernerum VVezekium: ex ditione Graviensi, Henricum Hollingerum: ex Hollandia Australi, M. Simonem Episcopium, Iohannem Arnoldi, Bernardum Dvvinglonium, Eduardum Poppium, & Theophilum Rijckvvaertium: ex Hollandia Boreali, Philippum Pynackerum, & Dominicum Sapmam: ex Provincia Transisulana, Thomam Gosvvinium, & Assuerum Matthisium: & ex Ecclesijs Gallo-Belgicis, Carolum Niellium, ut maxime in hac causa exercitatos, ad hanc Synodum vocare & citare: ut in eadem dictos Articulos libere proponant, explicent, & defendant, quantum possunt & necessarium judicabunt. Ac simul etiam huic Synodo scripto exhibeant omnes, si quas habent, considerationes, super doctrina in Confessione & Catechesi harum Ecclesiarum comprehensa, earundemque considerationum rationes. Vt dicta Synodus, omnibus auditis atque expensis, maturius de singulis in timore Domini judicare queat. Quapropter dicta Synodus, accedente Generosorum ac Nobiliss. D D. Delegatorum autoritate & consensu, Te N. per præsentes vocat ac citat, ut ad finem prædictum, in Synodo te præsentem sistas, una cum reliquis ad eundem finem citatis & vocatis, intra quatuordecim dies post acceptionem harum præsentium literarum, sine ulla tergiversatione aut exceptione: ne negligentiæ aut contumaciæ culpa in te inveniatur, aut causæ vestræ defuisse videaris.

Datæ Dordrechti in Synodo Nationali XVI. Novemb. stylo novo. *Subscripserant nomine dictæ Synodi, Præses, Assessores, & Scribæ.*

D D. Delegatis hasce quoque ad eosdem dare placuit:

Reverende atque eruditissime Vir. Quandoquidem, quod neminem latere potest, Illustres atque Præpotentes harum vnitarum Belgij Provinciarum Generales Ordines, in primum hujus mensis, Nationalem indixerunt Synodum, ad quam celeberrimos quosque è Magna Britannia, Gallia, Palatinatu, Brandenburgo, Hassia, Helvetia, Geneva, Brema, Embda, alijsque quæ religionem Reformatam profitentur Ecclesijs, jam pridem advocarunt Theologos; quo tristissimæ hæ, ac cum publice tum privatim noxiæ in negotio Religionis examinentur controversiæ; atque hac ratione sua Reip. salus, Ecclesiæ reddatur tranquillitas, exulcerati utrimque atque exacerbati leniantur animi, omniaque in posterum ad unius Dei immortalis gloriam, & communis Patriæ dirigantur incolumitatem; cumque in eo conventu, ad XIII. *mensis hujus, rite atque ordine, præsentibus Illustr. ac Præpotent. D D. Ordinum Generalium Delegatis, celebrato primum ac bonis auspicijs inchoato, reliqui etiam exteri, nulla aut molestiarum aut itinerum difficultatis ratione habita, sese stiterint Theologi: soli autem Vltrajectinorum huic actioni interfuerint (vt nunc loquuntur) Remonstrantes; Nos Illustr. & Præpotent. D D. Ordinum Generalium Delegati, vt omnia ordine, decenter, ac quemadmodum in domo Domini oportet, transigantur, eosdem citari jussimus (quemadmodum hoc ipso* R. T. *citamus ac vocamus) ac significare, non tantum omnibus, verum etiam singulis ex præcipuis atque eruditissimis, quos stare ex ea parte novimus, & ad quinque, quos vocant, Articulos, de quibus proxime agendum erit, aliquid movere possunt, vt intra diem decimum ab hac insinuatione & quartum, in conventu hoc legitime ac cum plena ab Illustribus & Præpotentibus D D. Ordinibus potestate indicto, sese sistant; uti in timore Domini, sententiam suam de dictis Articulis libere proponant, explicent, & quantum esse necessarium existimabunt, defendant: & si quæ ulterius habent super doctrina, quæ in Catechesi & Confessione harum Ecclesiarum comprehenditur, de quibus dubitent, ea earumque rationes scripto comprehendant, vt maturius atque accuratius examinari queant: ne quid sit quod actionem hanc sanctissimam moretur, animos in posterum distrahat, aut Reip. tranquillitatem turbet. Quod vt reliquis, ita & peculiariter. R. T. significare placuit: ne quis ignorantiam inposterum prætexat, aut à nobis quidquam, quod ad pacem & ædificationem animorum spectet, prætermissum queratur. Qui autem huic citationi nostræ, intra dies decem & quatuor, postquam has acceperit, morem non gesserit, desertionis atque contumaciæ reus habeatur. Inposterum autem, disputandi, dubitandi, aut aliquid apud ullos cum vulnere & ruina Ecclesiæ in dubium vocandi, controversias movendi, aut postremo quidquam, quod sacrosancto Dei verbo nititur, per libidinem impugnandi, postquam aliquid legitime constitutum fuerit, ipse sibi ansam præcidat. Vale, Reverende atque eruditissime Vir.*

Datum Dordrechti, cIↄ Iↄ cxix. Novemb. xvi. Subscript. erat, Illust. & Præpot. DD. Ordd. Generalium Deputati, eorumque nomine,

Daniel Heynsius.

Literis hisce ad singulos missis, ne interea dum Citati expectabantur, medium hoc tempus sine fructu transigeretur, moniti sunt rogatique singularum Synodorum Deputati, ut, quæ attulerant gravamina Ecclesiarum, quæ nec doctrinam, nec communem regiminis Ecclesiastici proprie spectarent Ordinem, Præsidi traderent, ut ab ipso, una cum Assessoribus & Scribis nonnulla ex ijs seligerentur, de quibus interea commode agi posset.

Existi-

Existimatum quoque fuit ex usu, honore atque ædificatione Synodi fore, si in hoc conventu subinde exhortationes quędam publicæ latine instituerentur. Quapropter rogati sunt exteri Theologi, ut huic exercitio sacro per singularum Nationum subsellia continuando, præparare sese dignarentur: de provincialibus autem Theologis postea deliberandum.

Quoniam vero ex Franekerana Frisiorum Academia, nemo ex Professoribus S. Theologiæ ad hanc Synodum venerat; rogati sunt Delegati, ut literis suis Illustres Frisiæ Ordines monere dignarentur, ut Clarissimus vir Sibrandus Lubbertus, quam primum ad hanc quoque Synodum ablegaretur. Qui hanc rem sibi curæ fore responderunt.

Sessione Sexta. SESS. VI.

XIX. *Novembris, Die Lunæ ante meridiem.*

POst solennes à Præside conceptas preces, de nova & accuratiore translatione Bibliorum ex linguis Originalibus in Belgicam instituenda cæpit agi. Quia autem Nobilissimus Philippus Marnixius, S. Aldegondæ Dominus, Clarissimique ac Reverendi viri, Arnoldus Cornelij, & Wernerus Helmichius, qui diversis temporibus, ab Ecclesijs Belgicis ad novam ex ipsis fontibus versionem adornandam deputati fuerant, eoque opere vix-dum inchoato, jamdudum è vivis excesserant, tria hæc proposita fuerunt:

Primum, an necessarium atque è re Ecclesiæ futurum esset, ut nova Bibliorum versio in linguam Belgicam institueretur.

Secundum, qua ratione ad Ecclesiarum nostrarum usum atque ædificationem, illa commodissime adornari posset.

Tertium, quot & quibus, labor hic publico Ecclesiarum Belgicarum nomine committendus esset.

Theologi exteri sententiam suam dicere rogati, responderunt, De necessitate hujus versionis Ecclesias Belgicas optime posse judicare; siquidem illis causæ ejusdem melius, quam exteris perspectæ essent.

De commodissima autem operis instituendi ratione, deque eorum, quibus hoc committi posset, necessarijs dotibus ac numero, prudentissima sua explicarunt consilia. Ulterior de hac re, elapsa jam hora in diem sequentem est dilata deliberatio.

Sessione Septima. SESS. VII.

XX. *Novembris, Die Martis ante meridiem.*

THeologi magnæ Britanniæ scripto explicarunt, quo consilio, quaque ratione negotium accuratissimæ versionis Anglicanæ à Serenissimo Rege Iacobo institutum fuerit, quæ ratio in distribuendo opere fuerit observata: tum quæ leges interpretibus fuerint præscriptæ: ut inde ea, quæ nobis usui fore judicarentur, desumi possent. Exemplum ejus scripti hic subjicitur:

Modus quem Theologi Angli in versione Bibliorum sunt secuti.

Theologi magnæ Britanniæ, quibus non est visum tantæ quæstioni subitam & inopinatam responsionem adhibere, officij sui esse judicarunt, præmatura deliberatione habita, quandoquidem facta esset honorifica accuratissimæ translationis Anglicanæ mentio, à Serenissimo Rege Iacobo magna, cum cura, magnisque sumptibus nuper

nuper editæ, notum facere huic celeberrimæ Synodo, quo consilio, quaque ratione sacrum hoc negotium à Serenissima ejus Majestate præstitum fuerit.

Primo, in opere distribuendo hanc rationem observari voluit: totum corpus Bibliorum in sex partes fuit distributum: cuilibet parti transferendæ destinati sunt septem vel octo viri primarij, Linguarum peritissimi.

Duæ partes assignatæ fuerunt Theologis quibusdam Londinensibus: quatuor vero partes reliquæ divisæ fuerunt æqualiter inter utriusque Academiæ Theologos.

Post peractum à singulis pensum, ex hisce omnibus duodecim selecti viri in unum locum convocati, integrum opus recognoverunt, ac recensuerunt.

Postremo, Reverendissimus Episcopus VVintoniensis, Bilsonus, una cum Doctore Smitho, nunc Episcopo Glocestriensi, viro eximio, & ab initio in toto hoc opere versatissimo, omnibus mature pensitatis & examinatis, extremam manum huic versioni imposuerunt.

Leges Interpretibus præscriptæ fuerunt hujusmodi:

Primo, cautum est, ut simpliciter nova versio non adornaretur, sed vetus, & ab Ecclesia diu recepta ab omnibus nævis & vitijs purgaretur; idque hunc in finem, ne recederetur ab antiqua translatione, nisi originalis textus veritas, vel emphasis postularet.

Secundo, ut nullæ annotationes margini apponerentur: sed, tantum loca parallela notarentur.

Tertio, ut ubi vox Hebræa vel Græca geminum idoneum sensum admittit; alter in ipso contextu, alter in margine exprimeretur. Quod itidem factum, ubi varia lectio in exemplaribus probatis reperta est.

Quarto, Hebraismi & Græcismi difficiliores in margine repositi sunt.

Quinto, in translatione Tobit & Judithæ, quandoquidem magna discrepantia inter Græcum contextum & veterem vulgatam Latinam editionem reperiatur, Græcum potius contextum secuti sunt.

Sexto, vt quæ ad sensum supplendum ubivis necessario fuerunt contextui interserenda, alio, scilicet minusculo, charactere, distinguerentur.

Septimo, vt nova argumenta singulis libris, & novæ periochæ singulis capitibus præfigerentur.

Denique, absolutissima Genealogia & descriptio Terræ sanctæ, huic operi conjungeretur.

Clarissimi DD. Professores Academiarum & Illustrium Scholarum Belgicarum, sententiam quoque suam de necessitate, usu, & ratione operis hujus instituendi, prolixe exposuerunt.

Sessione

Sessione Octava

Ses. VIII.

Eodem Die post meridiem.

PAstores & Seniores Ecclesiarum Belgicarum, suam quoque de propositis quæstionibus sententiam dixerunt; fuitque, consentientibus omnium suffragijs, judicatum, versionem sacrorum Bibliorum accuratiorem ex ipsis fontibus in linguam Belgicam, non tantum Ecclesijs nostris Belgicis utilem fore, sed & ijsdem plane necessariam: ac proinde, uti in superioribus Synodis Nationalibus antehac judicatum ac factum fuit, dandam esse operam, ut hoc opus versionis novæ, primo quoque tempore, & ratione quam commodissimâ ac compendiosissima, institueretur. Consultius etiam suffragijs Synodi judicatum fuit, novam versionem de integro instituere, quam veterem Belgicam recensere aut interpolare: ita tamen, ut ad evitandam offensionem ex nimia mutatione, ex veteri versione omnia illa retineantur, quæcunq; salva veritate & sermonis Belgici puritate ac proprietate, servari possint; in libris præsertim historicis Veteris Testamenti, omnibusque Novi, in quorum versione pauciora reperiuntur animadversione digna. Visum præterea fuit, novam hanc versionem ex ipsis fontibus seu originalibus Sacræ Scripturæ linguis, Hebræa & Græca, instituendam esse; adhibitis tamen in subsidium & collatis optimis versionibus, commentarijs, & scholijs; doctorum denique virorum in difficilioribus locis, judicio. Placuit postremo, has sequentes leges interpretibus designandis esse præscribendas:

I. *Vt originali textui semper religiose inhæreant, atque ipsas originalium linguarum phrases, quantum orationis perspicuitas, & sermonis Belgici proprietas permittunt, sollicite retineant. Si vero durior alicubi occurrat Hebraismus aut Hellenismus, quam ut in textu posit servari, eum passim in margine diligenter annotent.*

II. *Vt ad supplendum hiantis textus sensum, quam paucissima adjungant verba, eaque in textu alio charactere exprimant, & uncinulis includant, ut à verbis contextus dignosci possint.*

III. *Vt singulis libris & capitibus succincta & accurata argumenta præfigant: passimque in margine locos S. Scripturæ parallelos annotent.*

IV. *Vt adjungant brevia quædam scholia, quibus versionis ratio in obscurioribus locis reddatur: observationes autem doctrinarum addere, nec necessarium, nec consultum fuit judicatum.*

Sessione Nona

Sess. IX.

XXI. *Novembris, Die Mercurij ante meridiem.*

QUandoquidem libros Apocryphos scripta mere humana esse constat, nonnullos quoq; suppositios, Iudaicis fabulis & commentis aspersos, quales sunt Historiæ Judithæ, Susannæ, Tobithi, Belis, Draconisq;, atq; imprimis tertius & quartus Esdræ: nonnullos etiam continere quædam dogmatica & historica, libris Canonicis repugnan-

repugnantia; cumque nec in Iudaica, nec in antiquissima Ecclesia Christiana sacro Veteris Testamenti codici fuerint adjuncti, deliberatum fuit: an & illi accuratiori versione digni sint. Tum vero, utrum conveniat, ut cum sacris & Canonicis libris, in uno volumine porro conjungantur: cum præsertim illa conjunctio idem progressu temporis periculum creare possit, quod in Pontificia Ecclesia accidisse videmus, ut scripta hæc mere humana tandem pro Canonicis divinisque, ab imperitioribus haberentur. Re diu deliberata rationibusque varijs ac gravissimis utrinque allatis atque explicatis, spatium maturius rationes allatas expendendi, postulatum fuit.

SESS. X.

Sessione Decima.

XXII. *Novembris, die Jovis ante meridiem.*

Clarissimi viri Gomarus & Deodatus, nonnullique alij Pastores, de librorum Apocryphorum versione & cum Canonicis conjunctione, quid sentirent, scripto explicarunt. rogatisque cæterorum sententijs, potioribus suffragijs statutum fuit:

Libros Apocryphos, de novo vertendos ex Græco in sermonem Belgicum: opus tamen non videri, ut in versione illorum ea accuratio adhibeatur, quæ in librorum Canonicorum versione requiritur.

Ac quandoquidem, à multis retro seculis, libri hi cum sacris scriptis uno eodemque volumine conjuncti fuerint, atq; hæc conjunctio in Reformatis quoque omnium Nationum Ecclesijs etiamnum servetur, cumq; distinctio seu separatio horum librorum à volumine Bibliorum, nec exemplo nec suffragijs aliarum Ecclesiarum Reformatarum sit comprobata, sed occasionem & scandalorum & calumniarū, facile datura sit, quanquam optarent quidem omnes libros hosce Apocryphos, sacris Scripturis nunquam adjunctos fuisse; placuit tamen eos hoc tempore sine aliarum Ecclesiarum Reformatarum consensu atque approbatione à corpore voluminis Biblici, non esse segregandos; sed eidem conjungendos, adhibitis tamen hisce cautionibus:

Ut à Libris Canonicis justo aliquo interstitio & peculiari titulo discernantur, in quo diserte moneatur, hos libros scripta esse humana: ideoque Apocryphos.

Ut ijs exacta præfigatur præfatio, in qua lectores, tum de autoritate horum librorum, tum de erroribus quæ illis continentur, accurrate erudiantur.

Ut alijs minoribus typis excudantur: ut in margine annotentur loca omnia, & refutentur, quæ cum veritate Librorum Canonicorum pugnant: atque imprimis illa, quæ à Pontificijs contra veritatem Canonicam ex illis libris producuntur.

Ut præterea peculiari paginarum numero eos Typographi distinguant, ita ut seorsim quoque possint compingi.

Ac quamvis hactenus libri illi in sacri codicis volumine, loco inter libros Veteris ac Novi Testamenti Canonicos medio inserti fuerint, quia historiæ ratio hunc locum illis assignare videtur, tamen ut populus tanto melius eos à scriptis Canonicis discernere, atque internoscere discat, placuit Belgicis (exteri enim se hic excusari petierunt) ut in nova hujus versionis editione, ad calcem omnium Librorum Canonicorum, etiam Novi Testamenti, rejiciantur.

Perficiendo huic novæ versionis operi, sex Theologorum Belgicorum operam, insigni & rerum Theologicarum & linguarum peritia tum pietate præditorum, adhiberi placuit; quorum terni versionem Veteris, terni autem Novi Testamenti, & Apocryphorum, adornent. Ut autem huic operi se totos dare queant, donec ad finem fuerit perductum; visum fuit, ut ijdem interpretes interim ab omnibus alijs functionibus atque occupationibus vaceat, utque in celebriorem

briorem aliquam Belgicæ Academiam omnes sese conferant; quo ibidem, quando opus fuerit, consilio atque opera Professorum SS. Theologiæ, & linguarum, atque etiam Bibliothecæ publicæ beneficio uti possint.

Quem in finem nomine Ecclesiarum Belgicarum, Illustres ac Præpotentes Ordines Generales, rogandi erunt, ut auctoritate sua opus hoc sanctum promovere, sumptusque necessarios suppeditare non graventur.

Placuit etiam, eligendos esse in hac Synodo ex singulis Belgicæ Provincijs recognitores binos; unum Veteris, alterum Novi Testamenti versionis: ad quos interpretes, post aliquem librum jam absolutum, totidem ejusdem exemplaria transmittant; ut Versio ab ijsdem recognoscatur atque examinetur. Et si quæ observaverint, haud satis probe vel commode translata, illa diligenter annotent. Absoluto autem toto jam opere, omnium tum Interpretum tum, Recognitorum indicetur conventus. In quo, observationum collatione facta, communibus congregatorum suffragijs, omnia de quibus dubitabitur, ita decidantur; ut penes hunc conventum, de nova hac versione extremum futurum sit judicium.

Quod si forte ante absolutum hoc opus, alicui ex interpretibus interea aliquid humanitus acciderit, ut aut è vivis excedat, aut morbo diuturniore detineatur, aut necessitate alia impeditus, progredi in hoc opere cum reliquis non possit; in illius locum is substituetur, qui in electione pluribus suffragijs proxime ad eum accesserit. Si vero ex recognitoribus quis interea mortem obierit, particulares Synodi alium virum idoneum in ejus locum substituent.

Sessione Vndecima, SESS. XI.

XXIII Novembris, Die Veneris ante meridiem.

CLarissimus vir Sibrandus Lubbertus S. Theologiæ D. & in Academia Franekerana professor, in Synodo comparuit, exhibuitque Illustrium D.D. Ordinum Frisiæ literas. Quibus prælectis, & à Synodo probatis, locus ei inter Professores Belgicos in Synodo assignatus est, fuitque ad Synodum admissus.

Quæsitum est & illud: Annon tempus certum Interpretibus præfigendum esset, intra quod hæc Interpretatio jam antedicta ab ipsis esset absolvenda; ut hac ratione Ecclesiarum expectationi satis fieret; atque ipsi in accelerando hoc opere ad majorem diligentiam excitarentur. Collatis autem sententijs, declaratum fuit, judicari, illud spatio quadtiennij absolvi posse; modo debita adhiberetur diligentia atque ut intra hoc tempus absolveretur, omnes optare. Cæterum ne nimia festinatione, immaturius in lucem protruderetur, judicatum fuit, certum aliquod tempus ipsis præscribendum non esse, sed hoc totum fidei ac diligentiæ interpretum permittendum. Vt tamen de ipsorum progressu & diligentia Ecclesijs constare posset, statutum fuit, ut singulis trimestribus, quæ ab ipsis versa essent (tanquam diligentiæ suæ specimina) Illustribus ac præpotentibus D. D. Ordinibus Generalibus ostenderent, & ad Recognitores transmitterent. Quorum officij erit, si forte eos tardius in opere progredi deprehendant, ad majorem diligentiam serio excitare. Initium autem hujus operis post tres à Synodi hujus dimissione menses, faciendum esse placuit.

Quæsitum etiam fuit, quandoquidem evenire facile posset, ut ex Interpretibus, ante absolutum hoc opus, aliqui morte prævenirentur, annon consultum esset, ut à libris difficilioribus in vertendo inciperent: quo hoc labore saltem frui Ecclesiæ possint. Sed quia isti incommodo per surrogationem posset succurri, placuit ordine propterea turbandum non esse: ideoq; visum fuit eo ordine libros S. Scripturæ esse vertendos, quo in sacro extant codice, idque eo magis, quod interpretatione librorum

faciliorum, interpretes ad felicius difficiliora vertenda, magis idonei reddi possent.

Sess. XII.

Sesſione Duodecima,

XXIV. *Novembris, Die Saturni ante meridiem.*

Propoſitæ ſunt quæſtiones quædam ; ad interpretationem Bibliorum ſpectantes. Quarum prima fuit: An in locis illis omnibus, in quibus ſermo de Deo habetur, in perſona ſecunda ſingularis numeri, ad exemplum Nationum aliarum, per vocem Belgicam, *Du*, ſit exprimendum, itemque verba Belgica ſecundæ perſonæ ſingularis numeri eidem reſpondentia: An vero, magis rationi conſentaneum ſit, ut recepta loquendi conſuetudo retineatur. Argumentis utrinque varijs allatis atque expenſis, pluribus ſuffragiis fuit iudicatum, præſtare, ut in illis locis, pronomen, *Ghy*, iam vſitatum retineatur, cum id ipſum apud Belgas omnes iam vſu inveterato pro ſingulari uſurpetur: atque inprimis, quia verba Belgica, ſecundæ perſonæ, ſingularis numeri, quæ pronomini, *Dy*, reſpondent, jamdudum quaſi obſoleta ſunt, & horridam, ingratam, & deſuetam auribus Belgicis, vocem edunt.

Secunda quæſtio fuit, Quomodo nomen Iehova in Veteri Teſtamento ſit transferendum? Vtrum in Belgico ſit retinendum, an vero per vocem *Heere*, uti hactenus, aut ſimilem exprimendum? Ac conſultum fuit judicatum, cum alia commoda atque uſitata vox Belgica non exſtet, qua vis iſtius nominis exprimatur, ut interpretes vocem Iehovam transferant per vocem *Heere*, utque hæc vox majuſculis literis in textu exprimatur. Vbicumque vero vox Iehovæ emphaſin habere videtur peculiarem, ibi ponendum eſſe aſteriſcum, & vocem Iehova in margine adſcribendam. Monendos quoque eſſe interpretes, ut ubi vox hæc habet puncta vocis Elohim, diſpiciant an illis in locis commodius per vocem *God*, quam per vocem *Heere*, transferri non poſſit.

Tertia quæſtio fuit, Vtrum nomina propria Veteris Teſtamenti exprimenda ſint, uti ſonant in lingua ſancta: an vero retinenda, uti nunc in vulgata verſione leguntur. Placuit autem ita retinenda eſſe, uti nunc leguntur ; niſi forte exigua quædam mutatio in nonnullis neceſſaria videatur.

Quarta quæſtio fuit, An diſtinctio capitum & verſuum accuratior in multis locis adhiberi non debeat. Ac ſtatutum fuit, receptam capitum ac verſuum diſtinctionem ſervandam eſſe: vbicunque autem mutatio quædam neceſſaria eſſe videbitur, eam in margine eſſe annotandam,

Quæſitum denique fuit, Annon expediat novæ huic verſioni accuratas aliquas deſcriptiones, Chorographicas locorum, quorum in Veteri & Novo Teſtamento fit mentio, Chronologiæ item ſacræ & Genealogiarum, adjungere. Ac judicatum fuit, vtiles quidem ejuſmodi deſcriptiones fore, atque ad calcem ſacri codicis adjungi poſſe, illis vero deſcribendis aut delineandis interpretes occupari non debere. Inprimis autem cavendum eſſe, ne deſcriptiones minus accuratæ aut incertæ adjungantur: tum ne in deſcriptionibus Chorographicis, aut in titulis uſpiam appingantur imagunculæ, quæ offenſionem præbere poſſint.

Monendos autem eſſe interpretes, Vt conficiant, atque huic novæ verſioni accuratum rerum & verborum indicem cum exactiore nominum Hebraicorum interpretatione ſubjungant.

Item, ut abſentium quoque ratio in deputatione interpretum & recognitorum haberi poſſit ; edita atque annotata nomina abſentium fuerunt, qui in ſingulis provincijs verſioni aut recognitioni hujus operis maxime idonei iudicarentur.

Sesſione Decimatertia.

SESS. XIII.

XXVI. *Novembris, Die Lunæ ante meridiem.*

FActa eſt hac Synodo, Interpretum & Recognitorum Veteris Novique Teſtamenti electio. Clariſſimis atque Ampliſſimis viris, D. Martino Gregorij, & D. Simone Schotto ſuffragia colligentibus, pluribus ſuffragijs ad interpretationem Veteris Teſtamenti deſignati ſunt, Iohannes Bogermannus Leoverdienſis, Gulhelmus Baudartius Zutphanienſis, & Gerſon Bucerus Verianæ Eccleſiæ Paſtores. Ad quos pluribus ſuffragijs proxime acceſſerunt Antonius Thyſius; in illuſtri Schola Harderwicena S. Theologiæ Profeſſor, Iacobus Rolandus Amſtelodamenſis, Hermannus Faukelius, Middelburgenſis Eccleſiæ Paſtores. Ad Novi Teſtamenti & librorum Apocryphorum verſionem, potioribus ſuffragijs delegati ſunt, Iacobus Rolandus Amſtelodamenſis, Hermannus Faukelius, Middelburgenſis, & Petrus Cornelij, Eccleſiæ Enchuſanæ Paſtores. Quibus potioribus ſuffragijs proxime acceſſerunt, Feſtus Hommius, Leydenſis; Antonius Walæus, Middelburgenſis Eccleſiæ Paſtores: Iodocus Hoingius, Illuſtris Scholæ Haderwicenæ Rector.

Priuſquam ad delegationem recognitorum deventum fuit, petierunt Vltrajectini à parte Contra-Remonſtrantium delegati, ut Recognitorum ex provincia Vltrajectina delegatio differretur, donec eidem Eccleſiæ de idoneis Paſtoribus proſpectum eſſet. Ad quam petitionem, delegationem illam differendam eſſe placuit, donec ab Eccleſijs ditionis Vltrajectinæ in una Synodo communibus ſuffragijs nominari, & cum interpretum ac Recognitorum conſenſu atque approbatione eligi aliquando poſſent.

Ad recognitionem autem verſionis Veteris Teſtamenti, delegati ſunt, ex Geldria, Anthonius Thyſius: ex Zuyd-Hollandiâ, Iohannes Polyander SS. Theologiæ in Academiâ Leydenſi Profeſſor.

Ex Hollandiâ Boreali, Petrus Plantius, Eccleſiæ Amſtelodamenſis; ex Zelandia Iodocus Larenus Vliſſingenſis, Paſtores: ex Friſia D. Sibrandus Lubbertus, in Academia Franekerana S. Theologiæ Profeſſor. Ex Tranſiſulania, Iacobus Revius, Eccleſiæ Daventrienſis Paſtor: ex Groningana Provincia D. Franciſcus Gomarus, S. Theologiæ in Academia Groningana Profeſſor.

Ad Novi Teſtamenti verſionis recognitionem delegati ſunt, ex Geldria, Sebaſtianus Dammannus: ex Hollandia Auſtrali, Feſtus Hommius: ex Hollandia Boreali Goſſuinus Geldorpius: ex Zelandia Antonius Walæus: ex Friſia Bernardus Fullenius: ex Tranſiſulania Iohannes Langius: ex Provincia Groningana Vbbo Emmius; Græcæ linguæ in Academia Groningana Profeſſor.

Sesſione Decimaquarta.

SESS. XIV.

XXVII. *Novembris, Die Martis ante meridiem.*

CVm inſtitutionis Cathecheticæ in primis religionis Chriſtianæ fundamentis ſumma ſit in Eccleſijs tum utilitas, tum neceſſitas; & ex multarum Eccleſiarum gravaminibus ac querelis conſtaret, articulum poſtremæ Synodi Nationalis ſexageſimum primum, quo præcipitur, *Vt Paſtores omnibus locis ordinarie in pomeridiana concione ſummam doctrinæ Chriſtianæ in Catecheſi hoc tempore in Eccleſijs Belgicis recepta comprehenſæ breviter explicent, ut ita ſingulis annis abſolvi poſſit,*

 ſecundum

rei, Synodos Provinciales indicant, convocent, celebrent, ante primum Novembris ad summum.

XV.

Quod ad locum designatum Synodo, urbs Dordrechtum esto.

XVI.

Visum quoque est ex usu fore, ut à singulis Provincijs, duo probi atque ad eam rem idonei nominentur, qui & reformatam profitentur religionem atque Ecclesiæ sunt membra, quo autoritate plena ab Illust. ac Præpot. Ordinibus instructi, Synodo intersint eidemque adsint continuo, omnesque ejus actiones dirigant ac moderentur; quo hac ratione omnis tollatur atque præveniatur perturbatio ac confusio.

XVII.

Vt post Synodi Nationalis conclusionem, ad Illustres ac Præpot. DD. Ordines Generales de singulis actionibus referatur. Vt de ijs, deque ipsis Actis Synodalibus, ubi fuerint exhibita eorumque approbatione, ab ijsdem Illustribus ac Præpotent. DD. Ord. Generalibus, debite ac legitime statuatur.

Quoniam vero nono articulo mandabatur, ut de notis quinque Articulis & difficultatibus inde exortis, primo loco ageretur, ut hoc rite fieri ac debite posset, statutum quoque ex consilio & sententia Delegatorum fuit, ut primarij quidam Remonstrantes, qui in caussa hac maxime exercitati habebantur, quamprimum vocarentur, atque in rem præsentem citarentur. Vt intra dies, post acceptas literas (citatorias quas vocant,) quatuordecim, coram Synodo se sisterent, atque in eadem sententiam suam proponerent, explicarent, & defenderent, quantum possent atque necessarium judicarent: simulque omnes, quas haberent considerationes super doctrina, in Confessione & Catechesi harum Ecclesiarum comprehensa, exhiberent.

Quinam autem, & quot numero, citandi essent, DD. Delegatorum judicio permissum fuit. Quibus visum fuit citari.

Ex Geldria & ditione Graviensi,

Henricum Leonem, Ecclesiæ Bommeliensis Pastorem. Bernerum Wezekium, Echteltanæ Ecclesiæ Pastorem. Henricum Hollingerum, Graviensis Ecclesiæ Ministrum.

Ex Hollandia Australi,

M. Simonem Episcopium, S. Theologiæ in Academia Leydensi Professorem. Iohannem Arnoldi Corvinum, Ecclesiæ Leydensis Pastorem. Bernardum Dwinglonium, Ecclesiæ Leydensis Pastorem. Eduardum Poppium, Goudanæ Ecclesiæ Pastorem. Theophilum Rijckwaertium, Brielanæ Pastorem.

Ex Hollandia Boreali,

Philippum Pynackerum, Ecclesiæ Alcmarianæ Pastorem. Dominicum Sapmam, Hornanæ Ecclesiæ Pastorem.

Ex

Ex Transisulania,

Thomam Gosvvinium, Campensis Ecclesiæ Pastorem. Assuerum Matthisium, Campensis Ecclesiæ Ministrum.

Ex Ecclesijs Gallo-Belgicis,

Carolum Niellium, Ecclesiæ Ultrajectinæ Pastorem.

Moniti autem omnes Deputati fuerunt, ut interea dum Remonstrantium citandorum adventus expectaretur, scriptorum utriusque partis diligenti lectione ad examen hujus causæ præparare se vellent. Rogati autem inprimis sunt Clarissimi Professores Belgici, ut hanc curam sibi sedulo commendatam haberent.

Sessione Quinta.

Sess. V.

XVI. *Novembris, die Veneris ante meridiem.*

PRælectæ atque à Synodo approbatæ sunt citatoriæ, quas vocant, literæ, ad Remonstrantes mittendæ. Quarum exemplum hic subjicitur:

Reverende & Doctissime Vir N. Synodus Nationalis reformatarum Ecclesiarum Belgicarum, in nomine Domini, autoritate, & mandato Illustrium & Præpotentum D D. Ordd. Generalium Fœderati Belgij, in civitate Dordrechtana legitime congregata, ad controversias in dictis Ecclesijs exortas, examinandas ac tollendas, intelligens hanc esse dictorum Illustrium D D. voluntatem, ut primo loco examinentur ac dijudicentur quinque articuli Remonstrantium; quandoquidem ex illis hæ controversiæ potissimum sunt exortæ; æquum & necessarium judicavit, ex Remonstrantium numero, præter eos, qui huic Synodo intersunt, ex Geldria, Henricum Leonem, Bernerum VVezekium: ex ditione Graviensi, Henricum Hollingerum: ex Hollandia Australi, M. Simonem Episcopium, Iohannem Arnoldi, Bernardum Dvvinglonium, Eduardum Poppium, & Theophilum Rijckvvaertium: ex Hollandia Boreali, Philippum Pynackerum, & Dominicum Sapmam: ex Provincia Transisulana, Thomam Gosvvinium, & Assuerum Matthisium: & ex Ecclesijs Gallo-Belgicis, Carolum Niellium, ut maxime in hac causa exercitatos, ad hanc Synodum vocare & citare: ut in eadem dictos Articulos libere proponant, explicent, & defendant, quantum possunt & necessarium judicabunt. Ac simul etiam huic Synodo scripto exhibeant omnes, si quas habent, considerationes, super doctrina in Confessione & Catechesi harum Ecclesiarum comprehensa, earundemque considerationum rationes. Vt dicta Synodus, omnibus auditis atque expensis, maturius de singulis in timore Domini judicare queat. Quapropter dicta Synodus, accedente Generosorum ac Nobiliss. D D. Delegatorum autoritate & consensu, Te N. per præsentes vocat ac citat, ut ad finem prædictum, in Synodo te præsentem sistas, una cum reliquis ad eundem finem citatis & vocatis, intra quatuordecim dies post acceptionem harum præsentium literarum, sine ulla tergiversatione aut exceptione: ne negligentiæ aut contumaciæ culpa in te inveniatur, aut causæ vestræ defuisse videaris.

Datæ Dordrechti in Synodo Nationali XVI. Novemb. stylo novo. *Subscripserant nomine dictæ Synodi, Præses, Assessores, & Scribæ.*

D D. Delegatis hasce quoque ad eosdem dare placuit:

Reverende atque eruditißime Vir. Quandoquidem, quod neminem latere potest, Illustres atque Præpotentes harum unitarum Belgij Provinciarum Generales Ordines, in primum hujus mensis, Nationalem indixerunt Synodum, ad quam celeberrimos quosque è Magna Britannia, Gallia, Palatinatu, Brandenburgo, Haßia, Helvetia, Geneva, Brema, Embda, alijsque quæ religionem Reformatam profitentur Ecclesijs, jam pridem advocarunt Theologos; quo tristissimæ hæ, ac cum publice tum privatim noxiæ in negotio Religionis examinentur controversiæ; atque hac ratione sua Reip. salus, Ecclesiæ reddatur tranquillitas, exulcerati utrimque atque exacerbati lenitantur animi, omniaque in posterum ad unius Dei immortalis gloriam, & communis Patriæ dirigantur incolumitatem; cumque in eo conventu, ad XIII. *mensis hujus, rite atque ordine, præsentibus Illustr. ac Præpotent. D D. Ordinum Generalium Delegatis, celebrato primum ac bonis auspicijs inchoato, reliqui etiam exteri, nulla aut molestiarum aut itinerum difficultatis ratione habita, sese stiterint Theologi: soli autem Ultrajectinorum huic actioni interfuerint (ut nunc loquuntur) Remonstrantes; Nos Illustr. & Præpotent. D D. Ordinum Generalium Delegati, ut omnia ordine, decenter, ac quemadmodum in domo Domini oportet, transigantur, eosdem citari jussimus (quemadmodum hoc ipso R. T. citamus ac vocamus) ac significare, non tantum omnibus, verum etiam singulis ex præcipuis atque eruditissimis, quos stare ex ea parte novimus, & ad quinque, quos vocant, Articulos, de quibus proxime agendum erit, aliquid movere possunt, ut intra diem decimum ab hac insinuatione & quartum, in conventu hoc legitime ac cum plena ab Illustribus & Præpotentibus D D. Ordinibus potestate indicto, sese sistant; uti in timore Domini, sententiam suam de dictis Articulis libere proponant, explicent, & quantum esse necessarium existimabunt, defendant: & si quæ ulterius habent super doctrina, quæ in Catechesi & Confeßione harum Ecclesiarum comprehenditur, de quibus dubitent, ea earumque rationes scripto comprehendant, ut maturius atque accuratius examinari queant: ne quid sit quod actionem hanc sanctißimam moretur, animos in posterum distrahat, aut Reip. tranquillitatem turbet. Quod ut reliquis, ita & peculiariter. R. T. significare placuit: ne quis ignorantiam inposterum prætexat, aut à nobis quidquam, quod ad pacem & ædificationem animorum spectet, prætermissum queratur. Qui autem huic citationi nostræ, intra dies decem & quatuor, postquam has acceperit, morem non gesserit, desertionis atque contumaciæ reus habeatur. Inposterum autem, disputandi, dubitandi, aut aliquid apud ullos cum vulnere & ruina Ecclesiæ in dubium vocandi, controversias movendi, aut postremo quidquam, quod sacrosancto Dei verbo nititur, per libidinem impugnandi, postquam aliquid legitime constitutum fuerit, ipse sibi ansam præcidat. Vale, Reverende atque eruditißime Vir.*

Datum Dordrechti, cIↃ IↃ CXIX. Novemb. XVI. Subscript. erat, Illustr. & Præpot. D D. Ordd. Generalium Deputati, eorumque nomine,

Daniel Heynsius.

Literis hisce ad singulos missis, ne interea dum Citati expectabantur, medium hoc tempus sine fructu transigeretur, moniti sunt rogatique singularum Synodorum Deputati, ut, quæ attulerant gravamina Ecclesiarum, quæ nec doctrinam, nec communem regiminis Ecclesiastici proprie spectarent Ordinem, Præsidi traderent, ut ab ipso, una cum Assessoribus & Scribis nonnulla ex ijs seligerentur, de quibus interea commode agi posset.

Existi-

Existimatum quoque fuit ex usu, honore atque ædificatione Synodi fore, si in hoc conventu subinde exhortationes quędam publicæ latine instituerentur. Quapropter rogati sunt exteri Theologi, ut huic exercitio sacro per singularum Nationum subsellia continuando, præparare sese dignarentur: de provincialibus autem Theologis postea deliberandum.

Quoniam vero ex Franekerana Frisiorum Academia, nemo ex Professoribus S. Theologiæ ad hanc Synodum venerat; rogati sunt Delegati, ut literis suis Illustres Frisiæ Ordines monere dignarentur, ut Clarissimus vir Sibrandus Lubbertus, quam primum ad hanc quoque Synodum ablegaretur. Qui hanc rem sibi curæ fore responderunt.

Sessione Sexta.

SESS. VI.

XIX. *Novembris, Die Lunæ ante meridiem.*

POst solennes à Præside conceptas preces, de nova & accuratiore translatione Bibliorum ex linguis Originalibus in Belgicam instituenda cæpit agi. Quia autem Nobilissimus Philippus Marnixius, S. Aldegondæ Dominus, Clarissimique ac Reverendi viri, Arnoldus Cornelij, & Wernerus Helmichius, qui diversis temporibus, ab Ecclesijs Belgicis ad novam ex ipsis fontibus versionem adornandam deputati fuerant, eoque opere vix-dum inchoato, jamdudum è vivis excesserant, tria hæc proposita fuerunt:

Primum, an necessarium atque è re Ecclesiæ futurum esset, ut nova Bibliorum versio in linguam Belgicam institueretur.

Secundum, qua ratione ad Ecclesiarum nostrarum usum atque ædificationem, illa commodissime adornari posset.

Tertium, quot & quibus, labor hic publico Ecclesiarum Belgicarum nomine committendus esset.

Theologi exteri sententiam suam dicere rogati, responderunt, De necessitate hujus versionis Ecclesias Belgicas optime posse judicare: siquidem illis causæ ejusdem melius, quam exteris perspectæ essent.

De commodissima autem operis instituendi ratione, deque eorum, quibus hoc committi posset, necessarijs dotibus ac numero, prudentissima sua explicarunt consilia. Ulterior de hac re, elapsa jam hora in diem sequentem est dilata deliberatio.

Sessione Septima.

SESS. VII.

XX. *Novembris, Die Martis ante meridiem.*

THeologi magnæ Britanniæ scripto explicarunt, quo consilio, quaque ratione negotium accuratissimæ versionis Anglicanæ à Serenissimo Rege Iacobo institutum fuerit, quæ ratio in distribuendo opere fuerit observata: tum quæ leges interpretibus fuerint præscriptæ: ut inde ea, quæ nobis usui fore judicarentur, desumi possent. Exemplum ejus scripti hic subjicitur:

Modus quem Theologi Angli in versione Bibliorum sunt secuti.

Theologi magnæ Britanniæ, quibus non est visum tantæ quæstioni subitam & inopinatam responsionem adhibere, officij sui esse judicarunt, præmatura deliberatione habita, quandoquidem facta esset honorifica accuratissimæ translationis Anglicanæ mentio, à Serenissimo Rege Iacobo magna, cum cura, magnisque sumptibus

nuper

nuper editæ, notum facere huic celeberrimæ Synodo, quo consilio, quaque ratione sacrum hoc negotium à Serenissima ejus Majestate præstitum fuerit.

Primo, in opere distribuendo hanc rationem observari voluit: totum corpus Bibliorum in sex partes fuit distributum: cuilibet parti transferendæ destinati sunt septem vel octo viri primarij, Linguarum peritissimi.

Duæ partes assignatæ fuerunt Theologis quibusdam Londinensibus: quatuor vero partes reliquæ divisæ fuerunt æqualiter inter utriusque Academiæ Theologos.

Post peractum à singulis pensum, ex hisce omnibus duodecim selecti viri in unum locum convocati, integrum opus recognoverunt, ac recensuerunt.

Postremo, Reverendissimus Episcopus VVintoniensis, Bilsonus, una cum Doctore Smitho, nunc Episcopo Glocestriensi, viro eximio, & ab initio in toto hoc opere versatissimo, omnibus mature pensitatis & examinatis, extremam manum huic versioni imposuerunt.

Leges Interpretibus præscriptæ fuerunt hujusmodi:

Primo, cautum est, vt simpliciter nova versio non adornaretur, sed vetus, & ab Ecclesia diu recepta ab omnibus nævis & vitijs purgaretur; idque huic in finem, ne recederetur ab antiqua translatione, nisi originalis textus veritas, vel emphasis postularet.

Secundo, ut nullæ annotationes margini apponerentur: sed, tantum loca parallela notarentur.

Tertio, vt ubi vox Hebræa vel Græca geminum idoneum sensum admittit; alter in ipso contextu, alter in margine exprimeretur. Quod itidem factum, ubi varia lectio in exemplaribus probatis reperta est.

Quarto, Hebraismi & Græcismi difficiliores in margine repositi sunt.

Quinto, in translatione Tobit & Judithæ, quandoquidem magna discrepantia inter Græcum contextum & veterem vulgatam Latinam editionem reperiatur, Græcum potius contextum secuti sunt.

Sexto, vt quæ ad sensum supplendum ubivis necessario fuerunt contextui interserenda, alio, scilicet minusculo, charactere, distinguerentur.

Septimo, vt nova argumenta singulis libris, & novæ periochæ singulis capitibus præfigerentur.

Denique, absolutissima Genealogia & descriptio Terræ sanctæ, huic operi conjungeretur.

Clarissimi DD. Professores Academiarum & Illustrium Scholarum Belgicarum, sententiam quoque suam de necessitate, usu, & ratione operis hujus instituendi, prolixe exposuerunt.

Sessione

Sesſione Octava

Ses. VIII.

Eodem Die poſt meridiem.

PAſtores & Seniores Eccleſiarum Belgicarum, ſuam quoque de propoſitis quæſtionibus ſententiam dixerunt; fuitque, conſentientibus omnium ſuffragijs, judicatum, verſionem ſacrorum Bibliorum accuratiorem ex ipſis fontibus in linguam Belgicam, non tantum Eccleſijs noſtris Belgicis utilem fore, ſed & iiſdem plane neceſſariam: ac proinde, uti in ſuperioribus Synodis Nationalibus antehac judicatum ac factum fuit, dandam eſſe operam, ut hoc opus verſionis novæ, primo quoque tempore, & ratione quam commodiſſimâ ac compendioſiſſima, inſtitueretur. Conſultius etiam ſuffragijs Synodi judicatum fuit, novam verſionem de integro inſtituere, quam veterem Belgicam recenſere aut interpolare: ita tamen, ut ad evitandam offenſionem ex nimia mutatione, ex veteri verſione omnia illa retineantur, quæcunq; ſalva veritate & ſermonis Belgici puritate ac proprietate, ſervari poſſint; in libris præſertim hiſtoricis Veteris Teſtamenti, omnibuſque Novi, in quorum verſione pauciora reperiuntur animadverſione digna. Viſum præterea fuit, novam hanc verſionem ex ipſis fontibus ſeu originalibus Sacræ Scripturæ linguis, Hebræa & Græca, inſtituendam eſſe; adhibitis tamen in ſubſidium & collatis optimis verſionibus, commentarijs, & ſcholijs; doctorum denique virorum in difficilioribus locis, judicio. Placuit poſtremo, has ſequentes leges interpretibus deſignandis eſſe præſcribendas:

I. *Vt originali textui ſemper religioſe inhæreant, atque ipſas originalium linguarum phraſes, quantum orationis perſpicuitas, & ſermonis Belgici proprietas permittunt, ſollicite retineant. Si vero durior alicubi occurrat Hebraiſmus aut Helleniſmus, quam ut in textu poſſit ſervari, eum paſſim in margine diligenter annotent.*

II. *Vt ad ſupplendum hiantis textus ſenſum, quam pauciſſima adjungant verba, eaque in textu alio charactere exprimant, & uncinulis includant, ut à verbis contextus dignoſci poſſint.*

III. *Vt ſingulis libris & capitibus ſuccincta & accurata argumenta præfigant: paſſimque in margine locos S. Scripturæ parallelos annotent.*

IV. *Vt adjungant brevia quædam ſcholia, quibus verſionis ratio in obſcurioribus locis reddatur: obſervationes autem doctrinarum addere, nec neceſſarium, nec conſultum fuit judicatum.*

Sesſione Nona

Sess. IX.

XXI. *Novembris, Die Mercurij ante meridiem.*

QUandoquidem libros Apocryphos ſcripta mere humana eſſe conſtat, nonnullos quoq; ſuppoſititios, Iudaicis fabulis & commentis aſperſos, quales ſunt Hiſtoriæ Judithæ, Suſannæ, Tobithi, Belis, Draconisq;, atq; imprimis tertius & quartus Eſdræ: nonnullos etiam continere quædam dogmatica & hiſtorica, libris Canonicis repugnan-

repugnantia; cumque nec in Iudaica, nec in antiquissima Ecclesia Christiana sacro Veteris Testamenti codici fuerint adjuncti, deliberatum fuit: an & illi accuratiori versione digni sint. Tum vero, utrum conveniat, ut cum sacris & Canonicis libris, in uno volumine porro conjungantur: cum præsertim illa conjunctio idem progressu temporis periculum creare possit, quod in Pontificia Ecclesia accidisse videmus, ut scripta hæc mere humana tandem pro Canonicis divinisque, ab imperitioribus haberentur. Re diu deliberata rationibusque varijs ac gravissimis utrinque allatis atque explicatis, spatium maturius rationes allatas expendendi, postulatum fuit.

Sess. X.

Sessione Decima.

XXII. *Novembris, die Jovis ante meridiem.*

Clarissimi viri Gomarus & Deodatus, nonnullique alij Pastores, de librorum Apocryphorum versione & cum Canonicis conjunctione, quid sentirent, scripto explicarunt. rogatisque cæterorum sententijs, potioribus suffragijs statutum fuit:

Libros Apocryphos, de novo vertendos ex Græco in sermonem Belgicum: opus tamen non videri, ut in versione illorum ea accuratio adhibeatur, quæ in librorum Canonicorum versione requiritur.

Ac quandoquidem, à multis retro sęculis, libri hi cum sacris scriptis uno eodemque volumine conjuncti fuerint, atq; hæc conjunctio in Reformatis quoque omnium Nationum Ecclesijs etiamnum servetur, cumq; distinctio seu separatio horum librorum à volumine Bibliorum, nec exemplo nec suffragijs aliarum Ecclesiarum Reformatarum sit comprobata, sed occasionem & scandalorum & calumniarũ, facile datura sit, quanquam optarent quidem omnes libros hosce Apocryphos, sacris Scripturis nunquam adjunctos fuisse; placuit tamen eos hoc tempore sine aliarum Ecclesiarum Reformatarum consensu atque approbatione à corpore voluminis Biblici, non esse segregandos; sed eidem conjungendos, adhibitis tamen hisce cautionibus:

Ut à Libris Canonicis justo aliquo interstitio & peculiari titulo discernantur, in quo diserte moneatur, hos libros scripta esse humana: ideoque Apocryphos.

Ut ijs exacta præfigatur præfatio, in qua lectores, tum de autoritate horum librorum, tum de erroribus quæ illis continentur, accurrate erudiantur.

Ut alijs minoribus typis excudantur: ut in margine annotentur loca omnia, & refutentur, quæ cum veritate Librorum Canonicorum pugnant: atque imprimis illa, quæ à Pontificijs contra veritatem Canonicam ex illis libris producuntur.

Ut præterea peculiari paginarum numero eos Typographi distinguant, ita ut seorsim quoque possint compingi.

Ac quamvis hactenus libri illi in sacri codicis volumine, loco inter libros Veteris ac Novi Testamenti Canonicos medio inserti fuerint, quia historiæ ratio hunc locum illis assignare videtur, tamen ut populus tanto melius eos à scriptis Canonicis discernere, atque internoscere discat, placuit Belgicis (exteri enim se hic excusari petierunt) ut in nova hujus versionis editione, ad calcem omnium Librorum Canonicorum, etiam Novi Testamenti, rejiciantur.

Perficiendo huic novæ versionis operi, sex Theologorum Belgicorum operam, insigni & rerum Theologicarum & linguarum peritia cum pietate præditorum, adhiberi placuit; quorum terni versionem Veteris, terni autem Novi Testamenti, & Apocryphorum, adornent. Ut autem huic operi se totos dare queant, donec ad finem fuerit perductum; visum fuit, ut ijdem interpretes interim ab omnibus alijs functionibus atque occupationibus vacent, utque in celebriorem

briorem aliquam Belgicæ Academiam omnes sese conferant: quo ibidem, quando opus fuerit, consilio atque opera Professorum SS. Theologiæ, & linguarum, atque etiam Bibliothecæ publicæ beneficio uti possint.

Quem in finem nomine Ecclesiarum Belgicarum, Illustres ac Præpotentes Ordines Generales, rogandi erunt, ut auctoritate sua opus hoc sanctum promovere, sumptusque necessarios suppeditare non graventur.

Placuit etiam, eligendos esse in hac Synodo ex singulis Belgicæ Provincijs recognitores binos; unum Veteris, alterum Novi Testamenti versionis: ad quos interpretes, post aliquem librum jam absolutum, totidem ejusdem exemplaria transmittant; ut Versio ab iisdem recognoscatur atque examinetur. Et si quæ observaverint, haud satis probe vel commode translata, illa diligenter annotent. Absoluto autem toto jam opere, omnium tum Interpretum tum, Recognitorum indicetur conventus. In quo, observationum collatione facta, communibus congregatorum suffragijs, omnia de quibus dubitabitur, ita decidantur; ut penes hunc conventum, de nova hac versione extremum futurum sit judicium.

Quod si forte ante absolutum hoc opus, alicui ex interpretibus interea aliquid humanitus acciderit, ut aut è vivis excedat, aut morbo diuturniore detineatur, aut necessitate alia impeditus, progredi in hoc opere cum reliquis non possit; in illius locum is substituetur, qui in electione pluribus suffragijs proxime ad eum accesserit. Si vero ex recognitoribus quis interea mortem obierit, particulares Synodi alium virum idoneum in ejus locum substituent.

Sessione Vndecima, SESS. XI.

XXIII *Novembris, Die Veneris ante meridiem.*

CLarissimus vir Sibrandus Lubbertus S. Theologiæ D. & in Academia Franekerana professor, in Synodo comparuit, exhibuitque Illustrium D. D. Ordinum Frisiæ literas. Quibus prælectis, & à Synodo probatis, locus ei inter Professores Belgicos in Synodo assignatus est, fuitque ad Synodum admissus.

Quæsitum est & illud: Annon tempus certum Interpretibus præfigendum esset, intra quod hæc Interpretatio jam antedicta ab ipsis esset absolvenda; ut hac ratione Ecclesiarum expectationi satis fieret; atque ipsi in accelerando hoc opere ad majorem diligentiam excitarentur. Collatis autem sententijs, declaratum fuit, judicari, illud spatio quadriennij absolvi posse; modo debita adhiberetur diligentia atque ut intra hoc tempus absolveretur, omnes optare. Cæterum ne nimia festinatione, immaturius in lucem protruderetur, judicatum fuit, certum aliquod tempus ipsis præscribendum non esse, sed hoc totum fidei ac diligentiæ interpretum permittendum. Vt tamen de ipsorum progressu & diligentia Ecclesijs constare posset, statutum fuit, ut singulis trimestribus, quæ ab ipsis versa essent (tanquam diligentiæ suæ specimina) Illustribus ac præpotentibus D. D. Ordinibus Generalibus ostenderent, & ad Recognitores transmitterent. Quorum officij erit, si forte eos tardius in opere progredi deprehendant, ad majorem diligentiam serio excitare. Initium autem hujus operis post tres à Synodi hujus dimissione menses, faciendum esse placuit.

Quæsitum etiam fuit, quandoquidem evenire facile posset, ut ex Interpretibus, ante absolutum hoc opus, aliqui morte prævenirentur, annon consultum esset, ut à libris difficilioribus in vertendo inciperent: quo hoc labore saltem frui Ecclesiæ possint. Sed quia isti incommodo per surrogationem posset succurri, placuit ordine propterea turbandum non esse: ideoq; visum fuit eo ordine libros S. Scripturæ esse vertendos, quo in sacro extant codice, idque eo magis, quod interpretatione librorum

Sesſione Decimatertia.

SESS. XIII.

XXVI. *Novembris, Die Lunæ ante meridiem.*

FActa eſt hac Synodo, Interpretum & Recognitorum Veteris Novique Teſtamenti electio. Clariſſimis atque Ampliſſimis viris, D. Martino Gregorij, & D. Simone Schotto ſuffragia colligentibus, pluribus ſuffragijs ad interpretationem Veteris Teſtamenti deſignati ſunt, Iohannes Bogermannus Leoverdienſis, Guilhelmus Baudartius Zutphanienſis, & Gerſon Bucerus Verianæ Eccleſiæ Paſtores. Ad quos pluribus ſuffragijs proxime acceſſerunt Antonius Thyſius; in illuſtri Schola Harderwicena S. Theologiæ Profeſſor, Iacobus Rolandus Amſtelodamenſis, Hermannus Faukelius, Middelburgenſis Eccleſiæ Paſtores. Ad Novi Teſtamenti & librorum Apocryphorum verſionem, potioribus ſuffragijs delegati ſunt, Iacobus Rolandus Amſtelodamenſis, Hermannus Faukelius, Middelburgenſis, & Petrus Cornelij, Eccleſiæ Enchuſanæ Paſtores. Quibus potioribus ſuffragijs proxime acceſſerunt, Feſtus Hommius, Leydenſis; Antonius Walæus, Middelburgenſis Eccleſiæ Paſtores: Iodocus Hoingius, Illuſtris Scholæ Haderwicenæ Rector.

Priuſquam ad delegationem recognitorum deventum fuit, petierunt Vltrajectini à parte Contra-Remonſtrantium delegati, ut Recognitorum ex provincia Vltrajectina delegatio differretur, donec eidem Eccleſiæ de idoneis Paſtoribus proſpectum eſſet. Ad quam petitionem, delegationem illam differendam eſſe placuit, donec ab Eccleſijs ditionis Vltrajectinæ in una Synodo communibus ſuffragijs nominari, & cum interpretum ac Recognitorum conſenſu atque approbatione eligi aliquando poſſent.

Ad recognitionem autem verſionis Veteris Teſtamenti, delegati ſunt, ex Geldria, Anthonius Thyſius: ex Zuyd-Hollandiâ, Iohannes Polyander SS. Theologiæ in Academiâ Leydenſi Profeſſor.

Ex Hollandiâ Boreali, Petrus Plantius, Eccleſiæ Amſtelodamenſis; ex Zelandia Iodocus Larenus Vliſſingenſis, Paſtores: ex Friſia D. Sibrandus Lubbertus, in Academia Franekerana S. Theologiæ Profeſſor. Ex Tranſiſulania, Iacobus Revius, Eccleſiæ Daventrienſis Paſtor: ex Groningana Provincia D. Franciſcus Gomarus, S. Theologiæ in Academia Groningana Profeſſor.

Ad Novi Teſtamenti verſionis recognitionem delegati ſunt, ex Geldria, Sebaſtianus Dammannus: ex Hollandia Auſtrali, Feſtus Hommius: ex Hollandia Boreali Goſſuinus Geldorpius: ex Zelandia Antonius Walæus: ex Friſia Bernardus Fullenius: ex Tranſiſulania Iohannes Langius: ex Provincia Groningana Vbbo Emmius; Græcæ linguæ in Academia Groningana Profeſſor.

Sesſione Decimaquarta.

SESS. XIV.

XXVII. *Novembris, Die Martis ante meridiem.*

CVm inſtitutionis Cathecheticæ in primis religionis Chriſtianæ fundamentis ſumma ſit in Eccleſijs tum utilitas, tum neceſſitas; & ex multarum Eccleſiarum gravaminibus ac querelis conſtaret, articulum poſtremæ Synodi Nationalis ſexageſimum primum, quo præcipitur, *Vt Paſtores omnibus locis ordinarie in pomeridiana concione ſummam doctrinæ Chriſtianæ in Catecheſi hoc tempore in Eccleſijs Belgicis recepta comprehenſæ breviter explicent, ut ita ſingulis annis abſolvi poſſit,*

 ſecundum

secundum ejusdem Catecheseωs sectiones, eum in finem distinctas, multis in locis hodie non observaris statutum fuit, hunc articulum inprimis esse renovandum, omnibusque Pastoribus non tantum in urbibus sed & in omnibus pagis serio & sub gravi censuræ Ecclesiasticæ pœna mandandum esse: ut, diebus Dominicis post meridiem semper habeant conciones Catecheticas, in quibus Catechesis Palatina in Ecclesiis nostris recepta eo ordine explicetur, quo in dicto articulo præscriptum fuit. Nec propter auditorum infrequentiam, quæ in pagis quibusdam obtendi posset, negligendas aut omittendas esse hasce pomeridianas conciones, etiamsi pastores initio coram paucis auditoribus, imo vel coram solis tantum familiis suis eas habere cogerentur, cum minime dubitandum sit, si pastores exemplo familiæ suæ præeant, aliosque, præsertim Religioni Reformatæ addictos, sedulo cohortati fuerint, quin progressu temporis multi satis frequenti numero ad conciones illas tandem sint conventuri. Ne autem populus diebus Dominicis post meridiem, aliis laboribus aut exercitiis profanis distentus, ab hisce pomeridianis concionibus abstrahatur, rogandi erunt Magistratus, ut opera omnia servilia seu quotidiana, atque imprimis lusus, compotationes, aliasque Sabbathi profanationes, quibus tempus pomeridianum diebus Dominicis, maxime in pagis, plerumque transigi solet, severioribus Edictis prohibeant, ut hac quoque ratione ad conciones illas pomeridianas melius adduci possit, atque ita integrum Sabbathi diem sanctificare discat.

Quoniam autem combinationes, seu conjunctiones Ecclesiarum, quæ in agris, multis in Provinciis crebræ sunt, sæpe non permittunt, ut ab uno Pastore singulis diebus Dominicis, uno in pago binæ habeantur conciones, allaborandum erit in singulis classibus, ut, si ullo modo fieri possit, combinationes illæ tollantur, atque ut singulæ Ecclesiæ Pastorem suum habeant. Si autem hoc fieri non possit, dabunt operam Pastores illi, qui binis simul inservient Ecclesiis, ut alternis saltem vicibus, post meridiem conciones habeant Catecheticas. Ut autem Pastores omnes hac in parte officio suo debite & sedulo fungantur, advigilabunt diligenter Ecclesiarum visitatores, ut si quos forte deprehendant, huic Synodicæ constitutioni morem non gerere, eos ad classem deferant, quo eorundem negligentia justa censura serio corrigatur: uti quoque Ecclesiastica censura digni censentur, si qui Religionem Reformatam professi, conciones illas pomeridianas frequentare & familias suas ad eas adducere detrectabunt.

Cum vero conquerantur quoque Ecclesiæ, atque ipsa testetur experientia, hanc doctrinæ Catecheticæ explicationem in Ecclesiis nostris hactenus usitatam, quæ publice in templis e Cathedra instituitur, non sufficere ad rudem juventutem in primis Religionis Christianæ fundamentis pro ipsorum captu commode imbuendam, neque ad ignorantiam ab imperita plebe satis commode tollendam, rogata fuit tota Synodus, ut serio de commoda ratione cogitaret, quæ insuper ad juniores atque adultiores, qui nondum in cognitione Religionis Christianæ satis profecissent accuratius instituendos, adhiberi posset.

SESS. XV.

Sessione Decimaquinta,

XXVIII *Novembris*, *Die Mercurij ante meridiem.*

DE accuratiore ac familiariore juniorum atque adultiorum catechizatione, consilia sua, tum exteri, tum provinciales omnes proposuerunt: monitique sunt, qui viua tantum voce sua proposuerant, ut eadem scripto comprehenderent: eaque hora quarta pomeridiana, ad Præsidem deferrent. Quo, collatione eorum à præside, Assessoribus, & Scribis facta, decretum hac de re Synodicum conciperetur. Consilia autem Exterorum hæc sunt:

Senten-

Sententia Theologorum Magnæ Britanniæ, de Ratione Catechizationis.

NEcessarium plane esse hoc Catechizandi institutum, & praxis Apostolica & ratio & experientia satis docent, & adversarij nostri exemplo nostro edocti probe didicerunt: De ratione vero, qua istud commodissime fiat, qui ingenium populi vestri norunt, optime omnium statuere possunt.

Nobis sic videtur:

Duplex esto Catechismus; unus in usum puerorum breviculus ac facilis, continens fundamentalia illa Religionis capita, quæ Symbolo, Oratione Dominica, Decalogo, & Sacramentis comprehenduntur; breviter ac dilucide explicata. Qui quidem etiam à Ludimagistris suis hebdomadatim ab ipsis exigatur. Alter ille sit Palatinus, qui nunc obtinet (non parum enim nocet ista varietas) in suas partes (prout usus feret) distributus. Populus vero cum duplice in classe sit, vel qui juniores, vel provectiores ætate: ut seniores quique, ad publicum hoc (insuetum hactenus) examen vocentur, vix commode posse fieri existimamus, nisi qui forte se huic instituto sponte subjecerint.

Sed ubi duplex occurrit de Sacris Fidei capitibus agendi opportunitas (una Ordinaria, quæ singulis diebus Dominicis haberi solet; altera Extraordinaria, ubi ad sacram σύναξιν post debitam præparationem acceditur) hanc occasionem arripere possunt Ministri amice & familiariter etiam cum provectioribus quibusque de rebus fidei privatim colloquendi. Ordinario vero examini intersint quidem omnium ætatum omnes, soli tamen juniores subjici teneantur. In sacro ergo conventu pomeridiano, certus quidam sit horum numerus (puta duodenarius vel vicenarius) juxta vicorum domorumque ordinem institutus, qui paratus sit statis quæstionibus Catecheticis respondere.

Incertum illis sit, à quibus ipsorum hoc respondendi pensum exigetur. Ita ut omnes sint paratissimi. Sæpe repetatur eadem quæstio, ut ita frequenti inculcatione memoriæ infigatur. Singulas responsiones quam possit planissime explicet minister; & ubi singulas quasque absolverit, rationem repetat illico à suis Catechumenis eorum quæ dicta sunt. Vt ita palam constet, nunquid explicata à se prius satis intellecta fuerint. Quod si ex ipsorum responsis constet, habet ipse in quo acquiescat: sin minus, ad clariorem (si potest fieri) rei explicationem ac repetitionem sese comparare non gravetur. Singulis etiam responsis confirmandis unicum aliquem Scripturæ locum maxime idoneum exigere operæ-pretium erit; ut hanc Catechismi doctrinam in sacris Scripturis fundatam intelligant. Quod vero ad delectum dicendorum attinet, multum prudentiæ Ministrorum necessario relinquendum est. Qui tamen monendi sunt, ut in ijs solis quæ & scitu necessaria & captui populari accommoda fuerint, insistere velint. Quod ad catechizandos; putamus institutum hoc non debere restringi ad ludos literarios, pubemve liberalius & honestius educatam. Omnes animæ æque charæ sunt Deo; sed & quo minus imbuti sunt literis, eo magis necesse habent, ut aliquid eis accedat luminis aliunde; ita ut & baptizati omnes fidei illius rationem omnem, cui se voto obstrinxerint, intelligant. Ad Catechizantes vero; conjungant suas operas cum Ministris Ludimagistri; utrique enim profecto incumbit hæc cura, ut piam omnis animæ institutionem, quantum possint, promoveant. Vt autem & Catechizandi & Catechizantes suis officijs non desint, oportet interveniat summi Magistratus autoritas, quæ inultam non ferat vel parentum, vel Ludimagistrorum, vel Ministrorum negligentiam. Quæ etiam sub mulcta pecuniaria injungat senioribus quibusque, ut juniorum Catechizationi publicæ intersint.

Iudicium Theologorum Palatinorum, de Catechizandi ratione.

GRatulamur venerandæ Synodo, quod quæstionem hanc de Catechizandi ratione, quæ inprimis hoc tam solenni conventu digna videtur, excutiendam duxerit. Multum enim interest, qua nam ratione vera Dei agnitio, verusque ejusdem cultus, rudiorum animis instilletur. Neque dubitamus, cur tot hæreses & nova dogmata locum passim inveniant, caussam vel maximam esse, Catechizationis neglectum. Vbi namque solida pietatis fundamenta jacta non sunt, fieri non potest, quin populus quolibet doctrinæ vento huc illuc agitetur.

Itaque de necessitate Catechizationis, non est quod quæramus: De modo potius quæritur cujus si exacta habenda ratio est, auditores Evangelici in certos quosdam ordines distinguendi sunt.

In Palatinatu Electorali distinguuntur in tres ordines: puerorum & puellarum, adolescentum & virginum, denique seniorum seu adultorum. Catechizatio puerorum & puellarum fit in Scholis: reliquorum in Templis. Quia vero grandævi Catechizationem difficulter admittunt, juniorum potissima cura & institutio suscipitur.

Est igitur pij Magistratus in eo diligenter laborare, ut non tantum in urbibus; sed etiam in pagis Scholæ puerorum puellarumque instituantur, in quibus utrique & legere & scribere & pietatis fundamenta discant.

Qua in re cum nullis pepercerit sumptibus Serenissimus Elector Palatinus, Dominus noster clementissimus, paucorum annorum intervallo factum est, ut in Palatinatu secundum illud Ioëlis, filij & filiæ prophetent, seniores somnia somnient, & juvenes visiones videant.

Sed præficiendi hujusmodi scholis tales ludimagistri, qui Catechetica & ipsi recte norint, & aliquam etiam facultatem habeant ea alijs tradendi & explicandi.

Deinde Pastores loci frequenter scholas illas visitent oportet. Tum pro varietate puerorum institutio Catechetica quoque varianda est. Pueris igitur lac propinandum est. Hoc est, capita quinque pietatis & quæstiones paucæ ex Catechesi depromptæ quæ summam Religionis contineant.

Qui ætate paululum accreverint, ijs solidior cibus proponendus. Hoc est, quæstiones in Catechesi nostra asteriscis notatæ, quæ parvam quasi Catechesin faciunt.

Grandiorum in Scholis, præsertim oppidanis, alia ratio erit. His enim integra Catechesis ediscenda: cum his per omnes Institutionis Catecheticæ modos, Catechesis ipsa erit exercenda. Qui modi quales sint docebit Catechesis Scholastica Palatina, quam venerandæ Synodo in hunc usum offerimus.

Adultiorum, qui scholas nunquam visitarunt, institutio diebus Dominicis commodissime fiet in templis, idque horis pomeridianis, ubi brevi conciuncula Catechetica habita; Pastor de suggestu descendens, prælegat præsentibus tum capita pietatis, tum quæstiones ex Catechesi excerptas, summamque Religionis continentes, & viva voce paucis ea explicabit: & primo quidem verba duntaxat capitum pietatis & quæstionum; deinde vero sensum quoque earundem ab auditoribus exiget.

Et quia nonnulli forte hoc pium & laudabile institutum ita sunt interpretaturi, ac si sub novum jugum Hispanicæ Inquisitionis hac ratione redigendi sint, Pastores frequenter & diligenter auditoribus suis inculcabunt, caussam magnam esse, cur Deo gratias agere debeant, quod à jugo servitutis Hispanicæ sint liberati; sed caussam longe majorem esse, cur Deo gratias agant, quod sub jugum Christi missi sint. Quod, teste ipso Salvatore, facile est, ac leve.

Quoniam etiam usu receptum est in hoc Belgio, ut qui ad communionem primum admittantur, publica Catechizatione prius explorentur, perpendere possint Reverendi Domini Pastores Ecclesiarum, an non id quoque ad alios interdum præsentes, flagrantes zelo Dei & professionis nominis ipsius, transferri queat: ut ita res paulatim in exemplum trahatur & communis fiat.

Magistratus autem in primis rogandus videtur, ut hic juvet laborem ministerij, nec patiatur concionibus Catecheticis licenter nimis & scandalose expatiari populum

Hæc salvis melioribus judicijs.

Sententia Theologorum Hassiacorum, de Catechizatione.

VT Examina Catechetica legitime & cum fructu juventutis institui & haberi queant, quatuor potissimum observanda censemus.

1. Vt Catechesis habeatur certa, sacris literis non solum consentanea, verum etiam ad captum eorum qui ex ea informandi sunt maxime accommodata.
2. Vt sint qui Catechesin illam alijs tradant & inculcent.
3. Vt sint Catechumeni, qui in doctrina Catechetica informentur.
4. Vt informatio legitima & commodissima ratione fiat.

De primo, partim Ecclesijs Belgicis jam tum prospectum est, utpote in quibus hactenus recepta & tradita fuit Catechesis Palatina, qua vix alia dari poterit solidior, concinnior, perfectior, & ad captum adultiorum pariter & juniorum accommodatior; partim facillimo negotio prospici deinceps poterit, si eandem per quæstiones marginales resolutam & integris scripturæ testimonijs, quæ singulis quæstionibus subjungantur, confirmatam, prout ea ante novennium in Palatinatu edita est, una cum viginti illis quæstionibus quæ in Ecclesijs Palatinis paganis proponi solent, in linguam Belgicam transferant, & sigillatim Typis describendam curent. Omnes vero aliæ Catecheses publica autoritate è Scholis eliminabuntur.

De secundo, judicamus officium instituendi Iuventutem in doctrina Catechetica, pertinere, tum ad Ministros verbi divini, tum ad Ludimoderatores, tum denique ad ipsos parentes. Ministris igitur verbi divini, serio injungendum, vt examina Catechetica statis diebus & horis, ea, qua par est, diligentia, non minus ac ipsas conciones habeant & instituant. In eos, qui hac in parte negligentes deprehensi fuerint animadvertendum.

Ludimoderatores de hac ipsa re commonefaciendi erunt, & simulatque scholasticæ juventuti ad omnem pietatem informandæ præficiuntur, sancte, idque subscriptione nominis promittent, se non aliam, quam quæ in his Ecclesijs Belgicis recepta sit, Catechesin juventuti scholasticæ tradituros.

Parentes tum in publicis Concionibus, tum vero etiam si negligentiores deprehendantur, à Synedrio monendi sunt, ut in erudiendis suis liberis & familijs, in doctrina Catechetica debitam diligentiam & fidelitatem adhibeant. Quod ut commodius ab ipsis fieri possit, ipsi examinibus Catecheticis publicis interer unt, ut quæ in illis à verbi divini Ministris proponuntur, domi repetere, & suis inculcare queant.

Quod tertio Catechumenos concernit, Eorum nomine præcipue quidem juniores intelligimus, ita tamen ut adultos, puta patres & matresfamilias, non omnino ab hoc exercitio exclusos velimus. Erunt itaque illi qui in Catechesi instruendi sunt tum juniores, tum adulti.

Iuniores in tres Ordines distinguimus, quorum primus complectitur hos, qui infra annum ætatis circiter octavum primis Christianæ Religionis elemen-

tis addiſcendis operam navant: Secundus eſt puerornm, & puellarum: Tertius continet adoleſcentes & virgines. Statuendum itaque, accedente Magiſtratus conſenſu & autoritate, omnibuſque & ſingulis ſerio, & ſub certa mulcta pecuniaria pauperibus numeranda, injungendum erit, Vt non minori frequentia omnes juniores pariter & adulti, hiſce examinibus Catecheticis, quam ipſis etiam concionibus interſint audiendis. Quam ad rem, non inutile fore arbitramur, ſi Paſtores & Seniores Eccleſiarum, præſertim in pagis, ubi minor eſt auditorum frequentia, certum Catalogum haberent omnium familiarum ad cœtus ſuos pertinentium, eaſque in certas claſſes diſtributas ordine, in examinibus Catecheticis explorarent.

Quartum habet ſua diſtincta membra: 1. Quid ex Catecheſi cuilibet Catechumenorum ordini tradendum. 2. Quomodo. 3. Quo tempore & loco.

De primo ſtatuimus, Primæ claſſis Catechumenis inculcanda eſſe prima ac nuda Chriſtianæ Religionis capita, Decalogum, Symbolum Apoſtolicum, Orationem Dominicam, Inſtitutionem Baptiſmi & Cœnæ Dominicæ. Quæ in viginti illis ſupra dictis quæſtionibus breviter enucleantur.

Quas quæſtiones exiſtimamus à juventute primo ſeptennio vel octennio facili negotio addiſci poſſe: præſertim ſi ad domeſticam inſtitutionem accedat Scholaſtica & Eccleſiaſtica. Nec parum ad hoc obtinendum profuerit, ſi libris Alphabeticis ex quibus pueri ſyllabas connectere & legere diſcunt, quinque illa Chriſtianæ Religionis capita interſerantur. Atque in hoc ordine Miniſtrorum & Ludimagiſtrorum prima & potiſſima cura erit, ut juventus textum quinque illorum capitum integre & incorrupte ediſcat; ſeduloque cauendum, ne textum corrumpat; aliena verba, quæ quandoque ineptum & contrarium prorſus ſenſum gignunt, ſubſtituendo. Hoc enim ſi fiat, adultiores facti, vix ac ne vix quidem ediſcere poterunt, quæ in prima ſua pueritia male didicere. Dehinc opera danda eſt, vt ſenſum ſingulorum paulatim recte aſſequantur. Quod ut fiat, Ludimoderatores & Miniſtri. 1. Textum aliquoties clara & diſtincta voce Catechumenis proponent. 2. Ab ijſdem exigent, & ſi alicubi errent, ea ſtatim humaniter emendabunt, eaque verba quæ ab alijs male pronunciata, aut reddita fuerunt, ſemel, bis, terve enunciabunt, & tum à Catechumenis eadem denuo repetent. 3. Voces, quæ in textu occurrunt, peregrinas vel obſcuras & pueris non ſtatim obvias, quam fieri poteſt maxime perſpicue declarabunt. verbi gratia, In primo præcepto, ut juventus intelligat, quid per captivitatem Ægyptiacam & liberationem ex ea intelligendum ſit, hiſtoria quæ in Exodo deſcripta eſt, quam breviſſime juventuti narranda erit. Sic in quarto præcepto vocabulum Sabbathi explicandum, & hiſtoria creationis pueris breviter narranda erit. Non abs re quoque futurum eſſet, ſi in hoc ordine pauciſſima Scripturæ dicta, præſertim ea quibus ſumma Legis & Euangelij continetur, & utriuſque uſus deſcribitur, juventuti ediſcenda proponantur, niſi forſitan Catechumenorum primi hujus ordinis captus, nondum illud ferre poſſe videatur.

In ſecundo Ordine, ſuperioribus quæſtionibus addendæ erunt illæ, quæ in Catecheſi Palatina aſteriſco notatæ ſunt. Hæ quæſtiones. 1. prout in Catecheſi habentur, hujus ordinis Catechumenis proponendæ, & ab ijſdem exigendæ. 2. Per marginales quæſtiones & reſponſiones, primo quidem à Ludimoderatoribus & Miniſtris præeuntibus clara voce, deinde vero etiam à Catechumenis ipſis, ad marginales quæſtiones datis reſponſionibus reſolvendæ erunt. Vbi ſimiliter, ut in ſuperiori claſſe, opera danda eſt, ut Catechumeni ſenſum eorum, quæ didicerunt, percipiant. Id quod fiet eo magis, ſi à Catechetis quæſtiones marginales quandoque immutentur. Tum enim ex reſponſionibus Catechumenorum, quæ ipſæ quoque, ut interrogationibus reſpondeant, à Catechumenis immu-

immutandæ erunt, facile apparebit, satisne quæstionum & responsionum sensum perceperint, nec ne. Vbi aliquis defectus deprehendetur, comiter emendandus erit. Adjicienda insuper, & ab hujus ordinis Catechumenis ediscenda erunt testimonia Scripturæ, saltem ea, quæ in summarijs responsionibus, ex adverso quæstionum singularum in margine appositis, sunt notata.

Tertio ordini omnes aliæ quæ supersunt quæstiones Catecheticæ proponuntor, & ab ejusdem Catechumenis ediscuntor, una cum Responsionibus ad quæstiones marginales, & dictis scripturæ in summarijs Responsionibus notatis.

Quod si in paganis Ecclesijs omnes supradicti tres ordines Catechumenorum haberi sub initium hujus exercitij nequeant, sufficiant pro ratione temporis & loci cujusque duo Ordines priores.

Modus Catechizationis juniorum in Scholis & Ecclesijs unus sit idemque, ne diversitate Catechisationis juventus turbetur, & in studio Christianæ Religionis retardetur. Qualis vero esse, & in quolibet ordine observari debeat, ex superioribus liquet.

Tempus examinationibus Catecheticis statum assignator. In scholis paganis, & inferioribus classibus Gymnasiorum singulis diebus duæ horæ, altera antemeridiana, altera pomeridiana huic pietatis exercitio tribuuntor, servata ea de qua superius diximus, pro Catechumenorum diversitate, distincta ratione & modo.

In Ecclesijs Vrbicis tria singulis septimanis examina Catechetica habentor, unum diebus Dominicis; duo diebus profestis. In paganis sufficiat diebus Dominicis horis pomeridianis Catechizationem juventutis, concione Catechetica finita, institui.

Ludimagistri ad hæc examina discipulos suos sistunto: parentes liberos suos, qui scholas non frequentant, ad eadem diebus profestis mittunto; Dominicis vero ipsi adducunto.

Patres & matres-familias, non quidem publice in præsentia domesticorum examinandos esse judicamus, præsertim sub initium hujus noviter instaurandi examinis Catechetici, ne in conspectu suorum pudefiant, & aliquam honoris & dignitatis, qua merito apud suos valere debent, jacturam faciant, neve animi ipsorum ab hoc laudabili & pio instituto alienentur. Nihilominus tamen eorundem progressus in doctrina Christiana subinde commode explorari posse censemus, si infantes recens sibi natos ad SS. Baptisma adducturi, prius Pastores Ecclesiarum adire, & ab ipsis Baptismi administrationem petere jubeantur. Id quod in nostris ecclesijs Hassiacis hactenus non sine fructu usurpatum fuisse comperimus. Nec parum ad hanc rem profuturum videretur, si ipsi etiam Propatres & Promatres, uti vocari solent, nomina sua apud Pastores profiterentur. Quod itidem in Ecclesijs nostris fieri consuevit.

Vt vero tam Catechistis quam Catechumenis aliquod veluti calcar addatur, & utrique ad debitam diligentiam excitentur, 1. Pastoribus Ecclesiarum uniuscujusque loci demandanda erit scholarum inspectio & visitatio ad minimum singulis mensibus instituenda, in qua ipsi discipulorum progressum in doctrina Catechetica explorabunt; ut, si quos vel in docentibus vel in discentibus defectus deprehenderint, eosdem emendare queant. 2. Certis quibusdam Pastoribus Metropolitanis iniungetur munus, Ecclesias, præsertim paganas, ad minimum semel quotannis visitandi, & in ista visitatione inter cætera inquirendi in diligentiam, tam Pastorum & ludimagistrorum, quam Catechumenorum.

3. Ad

3. Ad Cœnæ Dominicæ vsum, præsertim in pagis, nemo admittetur, nisi qui doctrinam Catecheticam probe teneat, & fidei suæ rationem, coram tota Ecclesia, publice reddat. 4. Sponsi non copulabuntur, nisi privatim Pastoribus, suos in Religione Christiana profectus satis comprobaverint. 5. Autoritas Magistratus imploranda, ut grauissime lusibus aliisque exercitijs, quibus Sabbathum profanatur, pium hoc institutum impediri potest, interdicat, populumque quibus commode fieri potest rationibus & modis, ad hæc examina Catechetica frequentanda adigat.

Hæc salvis meliorum judicijs.

Helvetiorum Theologorum Iudicium de Catechizandi Ratione.

TAmetsi in Reformatis Ecclesijs Helveticis, circa Catechismi exercitium nonnulla sit pro diversitate Rerumpub. diversitas, adhibetur tamen industria peculiaris ubique, certa & gravi ab amplissimis Magistratibus constituta, negligentioribus seu contumacioribus pœna.

Conciones diebus Dominicis in urbibus & pagis habentur plures, quarum aliqua est Catechetica.

Quotannis Catechismi explicatio ad finem perducitur, ut repetitus felicius hæreat.

Concionibus istis Catecheticis Dominicis interesse tenentur quotquot vel è scholis egressi jam sunt, vel quibus scholæ beneficium non contingit. cujus generis sunt servi, ancillæ, &c.

Die profesto hebdomadatim habetur Concio Catechetica destinata Scholasticis utriusque sexus. Hac Catechista, phrasi populari, alias religionis tantum capita, ut sunt, Decalogus, Symbolum, & Oratio Dominica; alias, quæstiones Catecheticas ipsas explicat, ac certis diebus Dominicis, publico examine industriam cum ludimagistrorum, tum profectum puerorum explorat.

Quando Pastori vni concionandum est in pagis duobus aut etiam tribus; conciones Catecheticas Dominicas alternat.

In locis nonnullis, ubi homines ob locorum distantiam utramque concionem Dominicam minus assequi possunt, habetur concio matutina tantum; ea tamen brevior. Qua finita, Ecclesia retinetur: de suggestu pastor descendit: Catechumenos ad sese colligit: eos examinat, erudit, & quid deinceps discant, præscribit. Rationem hic habet accuratam non juventutis tantum; sed ætatis omnino omnis. Vt ex hac occasione ad seniores quoque redundet fructus non pœnitendus.

Adornantur quoque Catalogi, quibus non tantum personarum nomina, sed ætas etiam & profectus consignatur. Vt aliorum quidem provehatur industria commendationibus publicis, & nonnunquam levidensioribus præmijs: aliorum vero negligentia, vel commonefactione, vel autoritate magistratus emendetur.

Non in vrbibus tantum, sed in agro quoque scholæ aperiuntur, in quibus juventus, non tantum legere & scribere docetur; sed inprimis in Catechesi, precationibus & psalmodijs, eruditur. Conciones itidem Catecheticæ Dominicæ, quando juventus in templis à frigore videtur lædi, in ædibus privatis habentur.

In quibus locis hæc Catechizandi ratio primum instituta fuit, ut facilius à plebe rusticana impetraretur obsequium, patres & matres familias, nonnulli etiam ex adultioribus, eximebantur: tantumque iuniores ab initio catechizabantur. donec progressu temporis plusculum obtineri posset.

Vt discendi desiderium accendatur & foveatur; quicunque matrimonium suum publice consecrari volunt, tenentur se sistere Pastori suo, ut huic suum in caussa Religionis profectum probent. Estque penes Pastorem, horum vel petitionem admittere vel suspendere, certumque præscribere tempus, intra quod ea addiscant, quæ sine fidei vel morum periculo, ignorare non possunt.

Nemo etiam ex juvenibus ad Cœnæ communionem admittitur, nisi prius examinetur, an mysterium hoc sanctum probe intelligat. Qua ratione, religioni Christianæ addiscendæ, adduntur juventuti calcaria.

Ex junioribus non admittitur testis Baptismi, nisi prius examinetur, an mysterium Baptismi, & quodnam testium sit officium, intelligat.

Denique, Pastorum munus est, ingredi scholas frequenter, suaque præsentia, cum industriam Ludimagistrorum, tum φιλομάθειαν ipsius juventutis, acuere.

Sententia Ioannis Deodati, & Theodori Tronchini, de Catecheticis exercitiis.

IN tanta sententiarum & optimorum, de Catechetica institutione, monitorum copia, paucula, ex usu & praxi Ecclesiæ Genevensis, sublegemus.

Moneantur diligenter & contente parentes & patresfamilias pro concione, ut prima Religionis Christianæ Elementa, ipsi, vel per se, vel per conductos præceptores, vel in trivialibus Scholis, animis suorum liberorum & famulorum inseri curent.

Ante singulas sacræ Cœnæ celebrationes, paulatim instituatur, ut per urbis regiones certis locis in ædibus privatis, vel etiam in templo conveniat plebis minutioris, servitiorum, opificum, juniorum turba: ibique examine familiari, autoritate Magistratus, ad edendam fidei suæ & in sacris profectus professionem adigatur: tardiores denique atque imperitiores ad futura examina moneantur, & sancta æmulatione provocentur.

Formula brevis & dilucida pro urbana ejusmodi plebe, villaticisque hominibus, publica Synodi autoritate conscribatur: qua Symbolum Apostolicum, oratio Dominica, Decalogus, De Sacramentis doctrina, per capita, & sectiones suas, perspicue, solide, & ad usum conscientiæ præcipue, explanentur.

In pagis, duæ tresve ejusmodi comprehensiones vel tmemata breviores istius Catecheseos, adhibitis uno vel altero Sacræ Scripturæ locis insignioribus adargumentum expressis, horis pomeridianis diebus Dominicis enarrentur.

Si à communi vulgo ægre id obtinent pastores, ut adsit frequens Catechismo; saltem omni ope atque etiam pro autoritate sua id à iunioribus pueris & puellis exposcant, & obtineant.

Aliquos vel ex suis domesticis, liberisve, vel ex liberalioribus sui gregis seligant, quos institutione privata, ad publice respondendum in templo comparent: atque quamprimum honeste poterint illud exercitium publicum inducant, sanctamque æmulationem inter æquales excitent.

In vrbibus & pagis, quantum fieri poterit, abstineatur perpetua Catechismi oratoria explicatione. Erotematis potius res peragatur, quibus eliciatur intimus respondentis sensus, audientisque populi consensus: omnesque à teneris addiscant sensus & conceptus veros & germanos de Deo & divinis in animo suo formare, tum rite atque adeo fidenter de illis loqui.

Caveantur quæstiones perplexæ, scholasticæ, curiosæ; solida pietatis doctrina, Theologia conscientiæ & practica, animis infigatur; cum diligenti usus ad omnes vitæ & mortis declaratione.

In Scholis publicis exerceantur, & observentur egregia illa omnia, quæ ab alijs in medium consulta fuere. Vsus vero Catechismi Heidelbergensis mordicus retineatur.

Adsuescant Theologiæ studiosi Catechetico officio, etiamque ante publicam vocationem ad illud adhibeantur & excitentur: atque sobrietatis, sanctæ prudentiæ, & Religionis leges, ab ipsius populi necessitatibus discant,

Retractent Synodi futuræ adeo necessarium sui ordinis caput, & de diligenti observatione sedulo inquirant.

Theologorum Bremensium iudicium, de modo Catechetizandi.

Necessitas:

1. CAtechetica institutio est fundamentum ædificationis Ecclesiasticæ; adeo ut ea mediocriter formando populo Dei possit sufficere. Etsi tamen sedula opera danda sit, ut in tanta luce doctrinæ, ad quandam majorem perfectionem feramur: id quod monet Apostolus Heb. 5 & 6. Certe ea est necessitas Catechismi tradendi in Ecclesia, quæ est Locorum communium professionis in scholis Theologicis. Hæc esse debet forma sanorum verborum: ita omnes ad conciones intelligenter & fructuose audiendas præparantur: paulatimque de Religionis controversiis iudicare discunt. Et hæc consuetudo Ecclesiam docendi vna cum doctrinæ puritate nobis disciplinæ quoque formam restituet & servabit.

Modus:

2. Triplex autem modus esse potest Catechesis tradendæ: Scholasticus, Ecclesiasticus, & Domesticus.

Scholasticus.

3. Scholasticus est, vel in Vernaculis, vel Latina, vel Exoticis linguis.

4. Ad vernaculas & exoticas scholas deligatur institutor, qui sit Ecclesiæ membrum, doctrinæ Christianæ gnarus, pius, laboris patiens, & in eo vitæ genere perseveraturus: aut si quis se dignum probet, ad Ecclesiasticum Ministerium transiturus. Is singulis diebus, ad minimum unam aut alteram quæstionem discipulis diligenter inculcet, ejusque usum in precatione & vita vniversa urgeat.

5. Harum Scholarum Inspectores sint Pastores, & singulis mensibus, vbi maxime sunt infrequentiores hominum cœtus, discentium profectum & docentium industriam, fidem ac prudentiam explorent: laudent discipulos, & qui melioris sint exempli, moderate (at cum spe laudis alias auferendæ) arguant ignaviores.

6. In Pædagogeo scholæ nostræ servamus hunc morem:

In Pædagogeo:

Præter ordinarias duas Catecheticas horas, quibus omnes promiscue per hebdomadam examinantur, peculiares sunt institutiones eorum, qui se ad sacram σύναξιν parant. Trimestri autem ante Cœnam illi Catechumeni nomina sua profitentur, totoque medio tempore aliquoties de tota Christiana doctrina audiuntur, quique satisfaciunt examini, solemni cum stipulatione recipiuntur.

Domesti-

Domesticus.

7. Qui scholarum beneficio non utuntur; ij domatim opportunis & statis temporibus, præsentibus patribus familias, audiri possunt: recitatis textibus nudis, & familiariter explorato per quæstiones perspicuas singularium partium sensu.

8. Maxime autem è re Ecclesiæ erit, ludimoderatores per singulos pagos constitui. Iis vero in re tanti momenti, absque qua Ecclesiæ publicum ministerium sæpe infructuosum erit, honeste pro perpetuis & molestis laboribus prospiciendum erit. Iidem autem in pagis lectores Ecclesiastici esse possent.

Ecclesiasticus.

9. Ecclesiasticus Catechizandi usus, erit vel loco secundæ concionis (si ea commode haberi non possit) vel post eam. Vbi de justa doctrinæ parte paulo ante dicta, ij, imprimis examinentur, qui nondum ad cœnam sunt admissi.

10. Prudentia autem hic opus est singulari, ut dispensator mysteriorum Dei dispiciat, quid cujusque loci circumstantiæ ferant. Ad pudorem corrigendum & universalem ordinem facilius obtinendum, consultum putamus, ut singuli auditores suo loco maneant, & Pastores subsellia obambulent, initio juniores examinent, paulatim etiam adultiores. Si Ecclesia sit amplior, ministri diversi dividant examen, ut alii in superiore, alij inferiore templo illud obeant. id alicubi utiliter observari novimus. Quid hæ regiones ferre queant judicio Provincialium fratrum relinquimus expendendum.

11. Vbi Catechesis plenior docetur (quæcunque tandem Belgicis Ecclesiis placeat) longiores responsiones familiariter & prudenter in plures quæstiones distinguentur per anatomen seu evolutionem ipsarum.

12. Proponimus etiam considerandum, utrum præstet pro parvulis & infirmioribus, quasdam præcipuas quæstiones excerpere, quæ integre discantur: an longiores omissis nonnullis verbis contrahere. Illud nos malumus: quia hoc valde turbat memoriam eorum, qui postea pleniores responsiones volent ediscere: Saltem hoc cavendum est, ne ex medijs commatis verba excipiantur. Nam integras periodicas clausulas responsionum in compendio omittere, nulli damno fuerit.

13. Qui jam plusculum profecerunt in doctrina, assuefieri possunt, & ad sublimiores quæstiones, & ad earundem probationes, saltem per ea dicta, quæ in V. & N. T. sunt illustriora, & in concionibus plebi crebrius inculcantur. Subinde etiam monendi sunt juniores ministri, ut in concionibus omnibus notent, quæ Catechismi partes eisdem præcipue explicentur. Et hoc ad Catechismi commendationem insignem pertinet, si vel initio, vel sub finem in ἀνακεφαλαιώσει propter juniores moneatur, ad quod doctrinæ Catecheticæ caput, exposita doctrina sit referenda.

Nervus.

14. Nervus ad hos Catechizandi modos erit autoritas Magistratus, paternæ & blandæ Pastorum exhortationes, exempla ab ipsis magistratibus & ministris, senioribus, officiarijs, eorumque uxoribus, liberis & famulitio: id quod ab illustribus quoque personis in Germania alicubi factitatum, magno cum Ecclesiæ bono, confirmare possumus. Etiam singulis semestribus, solemne examen institui potest de toto doctrinæ corpore. Seniores Ecclesiæ, aliique honorati viri plebem ad se invitabunt, ac tum quisque eos, quos sibi beneficijs devinctos novit, hanc ad rem pie disponet. Mulctas pecuniarias, carceres, & similes correctiones politicas, in Ecclesiam introduci non arbitramur esse consultum: ut Christianæ mansuetudini contrarium, & quod utriusque testamenti exemplo caret. Etiam noxium esse illud diversarum Ecclesiarum experimento nobis constat, id quod etiam de his regionibus metuimus. Qui matrimonium meditantur eique benedici volunt, privatim occasione prudenter & amice capta (quale apud Augustinum lib. de Catechizandis rudibus est legere) de religione ceu occulte, & quasi aliud agatur, audiri possunt. Similiter opportunum erit, Christianum cum eo instituere colloquium, qui infantem suum tingendum offert, aut qui ad Baptismum testis adhibetur.

Inprimis autem, ad facram Cœnam, nemo fine justa fidei & vitæ exploratione ac religiosa stipulatione est admittendus.

Adulti:

15. Si juniores mature & recte inCatechesi informentur,de adultioribus deinceps non erit magnopere laborandum.

Ratio Catechizandi in Ecclesia Emdana.

1. Cum ad consequendam salutaris doctrinæ solidam cognitionem, catechizandi ratione nihil magis necessarium, eaque quasi ædificij spiritualis basis & fundamentum sit ab initio reformationis facto Anno 1520, operam dederunt majores nostri, ut etiam pueris & ætate junioribus prima doctrinæ Christianæ rudimenta traderentur.

2. Eum in finem primum habuere Ministri scriptam quandam Catechismi formam, brevem & simplicem, quam junioribus instillare paulisper cœperunt.

3. Crescente paulatim eorum numero Emdæ, & in vicinis pagis, qui renunciato Papatu, ad Evangelij professionem accedebant, Catechismum paulo latiorem scripto conceperunt, & auditoribus inculcarunt.

4. Tempore vero D. Ioannis à Lasco, magnus ille & accuratus Catechismus, cujus in præfatione Catechesis præsentis fit mentio, in urbe Embdana & pagis, qui Evangelij doctrinam receperunt, pro Ecclesia fuit traditus & explicatus.

5. Deinde 1554. magnus ille Catechismus qui nunc extat in formam breviorem est contractus, ut singulis semestribus, percurri atque explicari possit.

6. Semper autem Ecclesiæ Pastores, Seniores, & Scholarchæ quibus apud nos cura hæc demandata est,in eo, summo conamine, fuerunt,ac etiamnum sunt,ut orthodoxos, pios, fideles, & industrios habeant, cum Latinos, tum Germanicos utriusque sexus ludimoderatores.

7. Diversæ Religionis ludimagistri, ut qui non sunt membra Ecclesiæ, nullo modo admittuntur.

8. Ludimoderatores multis officij sui admoniti, manuum suarum subscriptione sancte se obligant, sese inter cæteras muneris sui partes imprimis rationem Catecheseos habituros,eamque discipulis suis indesinenter inculcaturos, utque memoriæ ab omnibus mandetur, operam daturos.

9. In eum finem Pastores, Seniores,& Scholarchæ, singulis trimestribus scholas visitant, industriamque Præceptorum & profectum discipulorum, in doctrina præsertim Catechetica, explorant.

10. Præceptores singulis diebus Dominicis horis pomeridianis, discipulos suos magno numero ad templum deducunt.

11. Pueri quinque vel sex annorum, capita doctrinæ Catecheticæ & primas quæstiones recitant.

12. Alij discipuli numero 30. vel 40. singulis vicibus quæstiones pro concione explicandas, ex memoriâ recitant. Hinc fit ut pueri annorum 8. 9. 10. integram norint à capite ad calcem recitare Catechesin.

13. Postea cum ad alia adhibentur agenda liberi, parentes pij domi, imprimis diebus festis, sub vesperam, Catechesin cum ijsdem repetunt, & ne oblivioni tradatur, recitationem Catecheseos, iterum atque iterum exigunt.

14. Quando virilem ætatem attigerunt adolescentes utriusque sexus, aliique provectæ ætatis homines,cum ad mensam Domini admittuntur,publicè coram facie Ecclesiæ totius ex Catechesi examinantur,eamque memoriter recitant: exceptis tamen nimium meticulosis, quibuscum privatim agitur.

15. Pastores Catechesin explicaturi, post preces fusas, capita doctrinæ Christianæ,Decalogum, Symbolum, Institutiones Baptismi, Cœnæ & Disciplinæ Ecclesiasticæ, cum Oratione Dominica recitant.

Dis-

16. Deinde à pueris & puellis, quæstiones Catecheticas tunc explicandas exigunt.

17. Hinc breviter & populariter recitatas quæstiones exponunt, & pro ratione temporis ad usum applicant, haud secus quam fit in explicatione textuum Bibliorum.

18. Pastores semestri spatio integram Catechesin repetunt & absolvunt.

19. Pastores, cum postridie Cœna Domini celebranda est, singulis mensibus, binis concionibus integram Catechesin, postquam à novis communicantibus recitata est, synoptice repetunt, ita ut antemeridiana summa Fidei & Operum; pomeridiana, doctrina de fidei Sigillis, item de Disciplina Ecclesiastica & Oratione; quæ ad exercitium fidei & bonorum operum necessaria sunt; exponantur.

20. Pastores Ecclesiæ membra domatim semel in anno visitant, parentesque ac sobolem: omnesque domesticos officij, imprimis ad exercitia Catechetica continuanda, exhortantur.

21. Visitatores ægrotorum, cum magno Dei beneficio totis nunc 15. annis à morbis contagiosis liberi fuerimus, sedulo etiam sanos & incolumes visitant, multosque hac ratione ad ovile Christi adducunt.

22. Pastores, in pagis, etiam paucis præsentibus auditoribus, pomeridianas habent autumnali, brumali, & verno tempore, breves conciones Catecheticas. Prolixioribus enim concionibus pomeridianis auditores ab ijsdem deterreri, experientia docet.

23. Pastores agrarij (cum Ecclesiarum visitatio, alijs in locis usitata, summaque cum utilitate introducta, hic haberi nequeat) in cœtu Embdano, ad quem numero plus minus 50. Orthodoxi ministri, æstivo tempore hebdomadatim spontaneo motu excurrunt, quotiescunque censura doctrinæ, ac morum habetur, quod fit singulis annis post festum Paschatis, ne hanc sui officij partem negligant, serio admonentur.

Hanc in Frisia Orientali, in Ecclesijs ibidem orthodoxis, Catechizandi rationem debite, & submisse, venerandæ Synodo communicamus, si forte quippiam in Ecclesijs Belgicis quod ad usum revocari possit, in ea inveniatur.

Sessione Decima-sexta. SESS. XVI.

XXIX. *Novembris, die Iovis ante meridiem.*

Habita fuit in conventu Synodico, à Reverendo & clarissimo viro, D. Iosepho Hallo VVigorniensi Decano, doctissima atque accuratissima exhortatio Latina, ex Ecclesiastæ Salomonis cap. septimo vers. 16. Ne sis justus nimis, neque sis sapiens nimis, &c. Pro qua publice ei gratiæ sunt actæ:

Quæ hic exhibetur.

ECCLES. 7. 16.

Ne sis justus nimis, neque sis nimis sapiens.

De justicia mihi hodie, cum bono Deo, & de sapientia sermo erit. Quid vero occurrere potuit opportunius? De Iusticia coram æquissimis Reipubl. moderatoribus, de sapientia coram amplissima doctissimorum Theologorum Synodo, sed & vice versa, de sapientia in prudentissimorum Ordinum vicariorum consessu; de justicia in sanctissima corona Prophetarum. Nec est quod dubitem ne non aure bibula, lubentique

animo excipiantur ista ab utroque vestrum ordine (Nobilissimi Ordinum deputati, Theologi gravissimi) quæ utrunq; ex æquo spectare videbuntur. Iusticia se vobis offert primulum, deque illa tres miræ profecto clausulæ convenere istic, seque oculis auribusque vestris sponte ingerunt: *Iustus perit*, vers. 15. *Ne sis iustus nimis* 16. *Non est iustus* 20. Euge concionatrix anima, quid meditaris? ut è sacro illo ore pugnantes effluant sententiæ, seque uti Cadmæa proles mutuo perimant: dum negat ultima, quod prima asseruit; secunda vetat fieri, quod ultima posse fieri negat? Si non sit justus, qui potest perire? Qui potest esse quis justus nimis, si iustus nemo est? Mi homo; amicæ sunt semper Scripturarum lites: utinam tales semper fuissent nostræ. Neque hic opus est Mose aliquo Mediatore, qui fraternitatem inculcet. Pulcherrime, scilicet, his in se ultro convenit, ubi tribus clausulis, tria justiciæ genera accommodare libuerit. Iusticia absoluta est: sic nemo justus. Iusticia inchoata, inque suo genere: sic justus perit. iusticia æquivoca: sic ne sis iustus nimis. Ita facile & nimium iustus est, qui justus non est, & qui justus est, perit. Non ergo vel animum adimit iusticiæ assectis summum iusticiæ exemplar, dum iustum perire ait, vel veram justiciam deprimit, dum nimietatem vetat. Facile quidem omnes deterremur à bono, qui vix ullis seu monitorum seu minarum frænis nos à malo divelli patimur. Quam avide alacriterque omnes arripimus hoc quicquid est consilij? Nempe hoc ægre nobis est, ac si quis febricitanti amico, jamque merum ignem spiranti, poculum frigidæ pleniusculum propinaverit. Perplacet naturę nostrę libertas, & quicquid hanc sapit, cordi est. Nos quidem onagrorum more (Iobi verbum agnoscitis) per hæc mundi deserta soluti discurrimus, nec jugo assueti, nec fræno. Tota religio ligat nobis & mentem & manum. Vnde & nomen illi indidit vetustas, & frænum appinxit in manu inter Theologos nostri seculi Poeta maximus. Nullum non mandatum hami instar est & retinaculi, quo vaga hæc, & in scelus omne solutissima mens coercetur. σκληρὸς λόγος est quicquid jubet. Illud vero imprimis, *Estote perfecti, sicut Pater vester*. Quod Petrus olim de rituum lege, idem caro & sanguis de lege morum: jugum impar cervicibus & Patrum & nostris. Laxare nunc habenas hasce videtur Salomon, & pro blandis alicujus Mitionis more indulgere aliquid parum flagitiosæ licentiæ: *Ne sis justus nimis*. Falleris & hic, quisquis es, Parasitæ tui. Perditissimæ huic naturæ ut obblandiri velit sanctus concionator, ut modum imperet veræ sanctimoniæ, improbulum ut esse sinat, ut jubeat? Apage blasphemiam: dixisset modo, noli justus esse, haberes profecto, quo petulantem hunc animum demulceres. Sed cum ait, *Noli iustus esse nimis*, justiciam præcipit, damnat excessum. Excessus justicię justicia non est. Vt desit vocabulú quo hoc exprimatur, res constat. satis iustus nemo potest esse, nedum nimis: etiam dum servat justiciæ modum. Molesta quædam animi pendentis anxietas & δαιμονία nomen hoc fortean induit, aut opinio iusticiæ. Quot vitia, virtutum titulis insignita vulgo prodeunt, præsertim ubi nota additur excessus? Nimis liberalis prodigus est: nimium fortis audax: frugi nimis, avarus. Potius istic probatur μεσότης dum ὑπερβολὴ prohibetur. Vt ubi Paulus immo-

immoderatum pro mortuis luctum vetat, moderatum jubet. Inprimis ergo justus esto. Da operam, ut in te justus sis, ut in Christo. Regula justiciæ lex est, summa legis justicia. Oportet impleri omnem justiciam, inquit verus ἀρχέτυπος Melchisedechi. Suum cuique, justus. Vis igitur justus esse? da Deo timorem, amorem, fidem. Proximo; & suum semper, & aliquando etiam ipsius tuum. Illi enim & tuum cedit: ubi tibi superfluit, ipsi desit. Tibi, quantum & naturæ sufficiat, & personæ. Vtinam vero hoc unum addiscere possemus aliquando: utinam hac in parte haud parum peccaretur gravius! Non satis justi sumus, qui justiciam profitemur. Quisque sibi fere totum tribuit, proximo parum, minimum Deo: utrique certe horum, quantulum expediat sibi. Vos appello (viri fratres) testes communis hominum vitæ ac morum, quam perierint penitissime justicia & veritas, à filijs hominum. Quippini & vos æque provocem, (viri Magnates) censores judicesque facinorum, quæ oculos plebeculæ vel spectando fatigarint. Conqueremini licet omnes cum Beato Martyre Cypriano. Flagrant ubique delicta, & passim multiformi genere peccandi, per improbas mentes nocens virus operatur. Quin & innocentia, nec illic ubi defenditur, reservatur. Consensere jura peccatis, & cœpit esse licitum, quod publicum est. Sed, o, si possitis in illa sublimi specula constituti, oculos vestros inserere secretis, recludere cubiculorum obductas fores, & ad conscientiam luminum penetralia occulta reserare, aspiceretis profecto ab impudicis geri, quod aspicere non possit frons pudica: videretis, quod crimen sit & videre, turpes Aretinismos libidinum, crudas nauseabundæ ebrietatis reliquias. Filij hominum, usque quo gravi corde, quousque diligitis vanitatem & quæritis mendacium? Estote justi satis. Succurrite vos interim laboranti Reipubl. qui sedetis ad clavum, & date operam sedulo, ut grassantibus hominum vitijs, tempestivis aliquando tandem censuris occurratur. Quin claves manu exerit exercetque Ecclesia, quæ gladium oris libere usque vibraverit? Quin fulminum spiritualium vim omnem ac horrorem sacrum redintegratis, facitisque, ut qui Dei Ministros flocci fecerint, ad lictorum vestrorum fasces contremiscant? Supponitur hoc primum (*justus esto*) sequitur, quod vetatur postmodum, *Ne quid nimis*; seu opinione, seu vero reipsa. Non opinione. Facile qui pauxillum in se habent justiciæ, intestino quodam fermento suæ φιλαυτίας efferuntur, jamque se plus nimio abundare autumant. Ita justus erat jactator sui Pharisæus (*Gratias tibi Domine, non sum ut alij*) non ait, ut aliqui: modestiæ fuisset istud humique repentis ταπεινοφροσύνης. Sunt enim aliqui profecto Dæmones, humana specie larvati, ut vere Hieronymus: sed ut alij, universalis naturam sortitur indefinitus enunciandi modus. Parem cum Pompejo ferre non vult, nedum cum Cæsare superiorem. Iungant vero huic manus, (si volunt) Pontificij Thrasones, homines facerrimi, qui legem se ex amussi servare, & supererogare demum aliquid se Deo posse jactitant. Ilicet hi veri sunt horum temporum, (quos exprobrare solent alijs) Puritani. Ingenue (quod solet) Espensæus, sunt qui hodie, status & homines in perfectione justiciæ tantum non æquent Angelis; novæ veteris Pelagianismi reliquiæ. Qua hæresi, ut nulla vel periculosior vel perniciosior, aut perpetuæ gratiæ Christi necessitati magis contraria,

ria, ita nulla vel minus exſtincta, vel plus rediviva. Sed & ſuus deniq; Gratianus, iſtos probe ſugillat, qui ſi nomē ſuū (inquit) cognoſcere vellent, mūdanos ſe potius quam mundos appellarent. Erigant iſti ſibi cum Aceſio ſcalam, qua in cælum aſcendant, (monitore Hieronymo) ab irato interim omnis ſuperbiæ vindice, in imum barathrum præcipitandi. Mittamus opinionem. Sunt qui reapſe nimium ambiant juſticiæ, idq; vel publice, vel privatim. *Publice*, vel qui ipſum legis rigorē ſectantur paulo ſeverius in judicādo, neglecta interim omnis ἐπιεικείας ratione: *peſſimi amanuenſes*, qui leges etiam lacteas ſanguine tranſſcribunt. (*carnifices plane legales*, qui dum non tam in mentem legiſlatoris, quam in juris apices intendunt, magiſtram vitæ, matrem pacis ſaluberrimam νομοθεσίαν in miniſtram mortis inique convertunt. Quo referri dicerem, qui ſic pœnis frui ſolent, ut in aliorum delicta atrocius animadvertant, niſi illud palam eſſet, nullo graviore morbo ſæculum hoc, quam lenitate nimia laborare. Neq; tam lenientibus, cutimve blande reducentibus linimentis indiget commune improbitatis ulcus, quam igne & ferro. *Etiam virtus ipſa nimia licentia langueſcit, quæ moderata coërcione vires perennat, imo reduplicat.* Animoſiſſimus equorū, ni ſemper laxantur fræni, medio itinere deficit: neq, jam virgæ reſpondet ſatis, nec calcaribus. Siquidem vobis publicæ rei ſalus curæ ſit, eritis quidem hac in parte juſtiores. Vel qui ſacræ legis interpretes ita ſe literis ac ſyllabis mancipio dare ſolent, ac ſi (contra quod olim *Tertullianus*) *ratio divina non in medulla eſſet, ſed in ſuperficie.* Ita Scribæ olim & Phariſæi, cenſore Chriſto. Ita *Origenes*, pœnam dans merito tot allegoriarum, *Eunuchatum plane allegoricum ad literam paulo ſervilius interpretatus, ſibi vim tulit. Qui non minus vim intulerat Scripturæ, virq; eſſe deſijt, qui non deſijt eſſe malus interpres.* Ita & Monachus ille olim Euangelium ipſum vendidit, à quo juſſus eſt omnia vendere. Vtinam vero Doctores Pontificij immunes ſe præſtarent ab hoc crimine, quibus nimis ſolenne eſt cœlum terræ miſcere, humanitatē Chriſti in monſtrum, in nihilum redigere potius, quam in ſacramētali loquendi forma figurā nobiſcum admittere velint, qui tamen ipſi multas ibi fateri coguntur. Non infimum eſt apophthegmatū ſapientiſſimi Regis, quod tamen vulgata Papicolarum verſio ridiculum facit, *Emulſor lactis educit butyrum: emunctor naſi educit ſanguinem.* Et quid eſt hoc aliud, quā (γάλα ἄδολον) *ſincerum lac veritatis*, ita nimis agitare ut in butyrū congeleſcat: nareſq; ſcripturarū adeo graviter comprimere, ut ſanguis demum eliciatur. Et horum quidē uterq; *nimis juſtus* eſt, in ſententijs ſeu ferendis ſeu interpretādis. Quin & huc revocamus illos male cautos juſticię divinę vindices, qui cauſam Dei non aliter agendam cenſent, quam ſuam. Quaſi ille ipſe omnis juſticiæ & bonitatis fons ac ſcaturigo immundum fluat, niſi ab iſtorum puteis humorē petat ilicet. Vel qui ex altera parte prodigioſam juſticiam, piiſq; auribus ne ferendam quidem Deo adfingunt. *O homo, ô lutum; ſat eſt: ſis tu illi quem te eſſe voluit: ſit tibi ille, quem ſe fore revelavit. Privatus juſticiæ exceſſus* ſequitur, vel ἐν τῷ ἀπέχειν, vel ὑπέχειν, ut imitemur Epictetum: ſive in evitandis rebus legitimis, quarū nobis uſum libere conceſſit Deus, ſive in agendis ſuſcipiendiſque, quæ Deus nuſquam præſcripſerit. Illud meticuloſæ cujuſdam eſt ac rigidiuſculæ anxietatis: hoc vero ſuperſtitioſæ nimiumque affectatæ ſanctimoniæ,

moniæ. Quæ de utroq; horum meditatus eram, quā multa prudens omitto, ne nimius sim. Cum instituto nostro conjunctior est paulo quæ de sapientia sequitur oratio. (*Ne sis sapiens nimis*) Qui data optione sapientiam sibi elegit, & supra quam mortales solent, sortitus est, nimium damnat sapiētiæ; *Ecquid melle dulcius*, vere Sampson? *Ne nimium tamen mellis comedito*, prudenter Salomon. Ipse rationis morbus est curiositas, quo vel ad mortem usq; laborarunt primi generis humani parentes: nobis quidem ideo hæreditarius cognatusq;. Esdras ille suppositicius aliud profitetur, aliud præstat. *Non proposui mihi* (inquit) *interrogare de superioribus tuis*. Et tamen eodem loci, *Nunquid plus futurū est, quam præterijt*? Sed & bonus ille Dionysius, ita de Angelorum ordinibus (uti nostis) disserit, quasi cum Paulo raptus fuisset in cœlum. Imo quæ beatus Apostolus vidit, & conticuit, iste non minus profecto cōticuit, quam vidit. Neq; defuit alter, qui cælestiū spirituum numerum æque certo designavit. Quin & Matilda, una è minorū gentium Divis, fratris cujusdam rogatu ausa est (nimis quidē familiariter) sciscitari, quid de anima Sampsonis, quid de Salomonis, Trajani, Origenis, demū fieret. Qui ad pedes Christi diutule sederunt Apostoli, ubi de fidei mysteriis sermo inciderat, audiunt illico, *vobis datum est nosse*: sed ubi de rebus parum necessariis percontantur, (οὐχ' ὑμῶν γνῶναι). Absorptus est ab illa voragine Plinius, quam propius penitiusque voluit intueri. *Et Bethsemitæ, dum sacram Dei sedem læti perlustrant oculis suis, periere.* Scio me jam ulcus tangere hujus ævi, quod tamen faciam levi manu. Liceat mihi (fratres Reverendi) coram vobis merito queri, sæculū illud prius, nimium ignorantiæ perdidisse. O crudeles plane illorum temporum Scribas & Pharisæos, *qui claves cœlorum sibi servantes, nec intrarint ipsi, nec alios intrare discupientes sustinuerint*: nostrum vero hoc nimio perire sapientiæ. Generosior quidem paulo est iste morbus; sed nihilominus lethalis. Omnes omnia scire volumus; & ne quid forte lateat, etiam in arcanissima Dei consilia temere irruimus ac præcipitamur. Date veniam huic parrhesiæ. Et plebem & Doctores reos perago hujusce mali. Est sane (ne quis nesciat) Theologia duplex, Scholastica & Popularis. Hæc religionis basin spectare videtur, illa tectorij ipsius formam & ornamenta respicit. Hæc, quæ sciri debent; illa quæ sciri possunt. Hujus cognitio Christianum facit, illius disceptatorem. Vel (si quis mavult) & hæc Theologum facere solet, illa polire. Vt omnes utriusque scientiam ex æquo ambiant, periculi plena res est, & quæ vulgo in summa rerum omnium confusione desinat. Nulla profecto ars est, cujus intima ac secretiora mysteria non soleant, peculiari quadam ratione, solis artificibus relinqui. Nemo est quin tantum sibi patrij juris notum esse velit, quantum hæreditati suæ sive adeundæ, sive tutandæ inservire posse putet, qui tamen summos juris apiculos sibi parum disquirendos autumet: Hos vero potius consultissimis legum Doctoribus lubentissime remittat. Pari modo fit in medicina. Ecquis est, qui non eo usque se Æsculapio in disciplinam tradere velit, ut quid corpori suo noxium, quid valetudini accommodum esse soleat, satis intelligat? qui tamen interim omnes Pharmacopolæ pixides, herbarum vires, morborum rationes, medendique methodos, susque deque habeat? Quin & hoc idem in artium omnium Domina ac Regina animæ cum Iurisprudentia

dentia tum medicina, ſacroſanctiſſima Theologia uſu venit. Scitu ad ſalutem neceſſaria quæque imbibant omnes, & licet & juvat. Saturate animas veſtras, quotquot eſtis Eccleſiæ filij, ſacris hiſce deliciis; ſubtiliores Scholarum argutias, alio ablegaturi. τί ὑμῖν καὶ μακροῖς αὐλοῖς; Quanto minus expedit, ut plebejum quodque ingenium ſummas cæli arces ſcandat profano pede, ibique ſacra Dei penetralia audaci oculo perluſtret, deque profundiſſimis conſilij divini arcanis, judicium ferat? ut quivis è plebe nautarum bajulorumve, de abditiſsima Prædeſtinationis ratione, ratiocinari præſumat? Regulam Coſsicam in Arithmetica dixit nonnemo Prædeſtinationem in Theologia, de qua doctam quandam ignorantiam fateri non puduit illuminatiſsimos Eccleſiæ Doctores. Etiam rapta in cœlum anima clamavit, (ὢ βάθος). Nos vero, brevicula intellectus noſtri ulnula, Decreti divini abyſſum metiri audebimus, quæque ipſi Angeli ſtupent, nos conculcabimus? Neque tam plebem incuſo iſtic, quam Doctores ipſos, qui hæc tam parum tempeſtive populi auribus animiſque oggeſſerint: imprudenter ſane factum, ita hæc abſtruſiſsima myſteria è ſuggeſtis palam ſonuiſſe, quaſi in ijs ſolis, Chriſtianorum res unica conſtitiſſet. Quanquam, ut vere dicam, etiam in cauſis religionis, nemo tenetur ſecundum ictum expectare. Ferire non licuit, licuit impetum hoſticum propulſare. Sed neque tam imprudentia peccatur iſtic, quam nimio forſan ſapientiæ. Duo ſunt, ſi quid ego animadverti, huic Eccleſiæ admodum infeſta, nihil enim mihi eſt cum malis quorundam Politicorum artibus negotij, nimium acumen, & hinc orta nimia prophetandi libertas. O mutata haud parum Batavorum ingenia, quibus hebeſcit jam plane orbis reliquus: dignus ilicet, qui vulgaria conſectetur. Hinc fit, ut ſpreta communi principiorum via, altiores quaſdam ſpeculationum ſemitas, de Ordine, de Numero, de Subjecto Decreti divini, de Phyſica moralive inclinatione, de Actuum habituumq; methodo ac diſcrimine, tanto cum ſtrepitu inire maluiſtis. Paulo aliter magnus ille Gentium Doctor Paulus, qui profecto ſi reviviſceret, ſpinoſam Ieſuitarum ac Dominicanorum Theologiam prorſus non intelligeret. Nihil ille inter ſuos ſcire curavit, præter Ieſum Chriſtum, eumque crucifixum. Figendę ſunt hic Scholis ipſis ſuæ metæ, quas nefas fuerit tranſiliiſſe. Quantum nos, mei fratres, à primigenia illa Chriſtianorũ ſimplicitate defleximus? ſex tantum capitibus conſtabat Catechiſmus Apoſtolicus. Theologia vero hodierna, quæ hominum curioſa mens eſt, ſe habet inſtar quanti, ſeu Mathematici ſeu Phyſici, diviſibilis in ſemper diviſibilia. Illud quidem vere Eraſmus, hanc vix finitam quæſtionum ſubinde emergentium deciſionumque farraginem, hoc quicquid eſt turbarum, in Eccleſia Dei concitaſſe neq; dubitarim ego non neminem Scholaſticorum, verbis Feſti compellare, unaq; ad Anticyras relegare. Quos nimium eruditionis ad peſſimum uſq; inſaniæ genus redegerit. At nos, mei fratres, edocti melius, ſobrie ſapiamus. Hoc eſt, uno verbo, non ſupra Scriptum, non ſupra Patres. Nos homuli ut progrediamur porro ubi pedem fixerit Deus? Audi caro & ſanguis; *Scrutator majeſtatis, opprimetur à gloria*. Quindecim ſunt (ut Iudæi obſervant) in tota ſcriptura loci, ſingularibus quibuſdam intentionis notulis inſigniti. Quorum ille & unus, & primus eſt, *Secreta Deo*. Si nihil quic-

corpo-

quam consilij sui nobis innotescere voluisset Deus, prorsus siluisset: si totum, dilucidius profecto ac plenius rationem illius omnem explicuisset. Iam scire nos ista voluit, sed parcius. Quantum scilicet nostræ tenuitatis modulo suæque gloriæ expedire judicavit. Hucusque sapere & sanum & tutum est. Et certe, ut liceat mihi hac de re paulo liberius loqui (quandoquidem nullarum partium homo sum ego, neque adversarium ago, sed monitorem benevolum) judicem esse debere controversiarum omnium Spiritum sanctum in sacra scriptura loquentem, nemo est qui ambigat. Quo nempe recurrant fratres de jure hæreditatis contendentes, nisi ad Patris testamentum? Gratulabor vero hoc consilij Illustrissimis Ordinibus, quorum nos decretum huc pie prudenterque manu duxerit. Neque minus illud constat, ea Scripturæ loca, quæ quid obscurius, vel transeundo enunciare videntur, ad illustriora, quæque studio rem ipsam tractant exigenda. Sed neque hoc denique à quoquam negari potest, nullum esse paginæ utriusvis locum, qui ægre plene, perspicue, deditave opera disquisierit hoc Prædestinationis caput, ac celeberrimus ille, qui habetur ad Romanos nono. Agite ergo (viri judices) si me auditis, jubete, ut pars utraque litigantium, brevem, claram, apertamque, sine fuco sine ambagibus illius loci paraphrasin Sanctæ Synodo, fraterna manu exhibeat. Fieri non potest, quin præeunte hac face divina se veritas, pijs ingenuisque oculis conspiciendam sit præbitura. Non supra Patres, fidissimos Scripturæ interpretes, lucidissima Ecclesiæ sydera. Sed & Rex noster, serenissimus noster Rex Iacobus, cujus nomine exultare mihi videtur tota Ecclesia Dei; Regum, quos sol unquam vidit, (post unum Salomonem θεοδίδακτον) sapientissimus, in sua illa aurea Epistola monuit Illustrissimos Ordines, nobisque in mandatis dedit, illud totis viribus urgere, illud unum inculcare; ut receptæ hactenus fidei communique & vestræ & aliarum Ecclesiarum confessioni adhærere usque velitis omnes. Quod si feceritis, O felicem Belgicam! o intemeratam Christi sponsam! o Rempubl. florentissimam! Navigabit profecto in portu demum hæc afflictata opinionum undis Ecclesia, tempestatesque à maligno illo excitatas, tuto ridebit ac contemnet. Illud vero ut jam tandem fiat, φιλοτιμεῖσθε ἡσυχάζειν. Fratres sumus, simus & collegæ. Quid nobis cum illo infami Remonstrantium, Contra-Remonstrantium, Calvinianorũ, Arminianorum titulo? Christiani sumus, simus & ἰσόψυχοι. Vnum corpus sumus, simus & unanimes. Per tremendum illud omnipotentis Dei nomen, per pium blandumq; communis matris nostræ gremium, per vestras ipsorum animas, perque sanctissima Iesu Christi servatoris nostri viscera, pacem ambite fratres, pacem inite. & ita vos componite, ut seposito omni præjudicio, partiumque studio ac malo affectu, in eadem omnes veritate feliciter conspiremus. Apage vero vesanam illam prophetandi libertatem, imò licentiam blasphemandi: ut liceat male feriato cuique Tyroni, prodigiosissima cerebri sui phantasmata in apricum producere, & populo commendare & prælo. *Ridente Mauro, nec dolente Iudæo!* Quidvis licet, modo hoc liceat: In Scholis quidem Philosophicis indultum hoc semper fuit luxuriantibus adolescentum ingenijs, ut liceret se the-

ſe theſibus, paradoxis, docaſticiſque argutationibus exercere; ſed ut in ſacroſancto Theologicæ veritatis negotio iſtud obtineat, moliri, audaciæ eſt plane Diabolicæ: & quod merito nobis extorqueat illud Prophetæ, *Obſtupeſcite cœli, confundere ô terra. Populus meus deſeruit me, fontem vivum, & effodit ſibi ciſternas; imo puteos immundos, lutulentos.* Nobiliſſimi viri, voſque ſancta Synodus, ſi quis pudor, ſi qua pietas, reprimite hanc petulantiſſimam inſaniendi libidinem, modum imperate hominum & linguis & calamis: Et facite, ut qui vera ſentire nolunt, falſa divulgare non auſint. Vt error hæreſiſve, ſi denaſci non poteſt, diſcat tamen latere, & inviſum cœlo caput tenebris occultare. Ita ut ſola veritas lucem adſpiciat, regnet ſola; vobis ſalutem, gloriam Eccleſiæ, Reipubl. pacem allatura. Quod utique efficiat ille pacis autor, veritatis Deus, Rex gloriæ, cui triuni Deo, Patri, Filio, Spiritui ſancto, ſit omnis laus, honor, gloria, in ſecula ſeculorum. Amen.

SESS. XVII.

Seſsione Decima-ſeptima,

XXX. Novembris die Veneris ante meridiem.

Prælecta fuit decreti Synodici formula, de accuratiore juniorum atque adultorum catechizatione, ex omnium tam Exterorum quam Provincialium ſententijs conſiliiſque ſcripto exhibitis, hunc in modum collecta ac formata:

Vt juventus Chriſtiana à teneris annis in fundamentis veræ Religionis accuratius inſtituatur, ac vera pietate imbuatur: triplex hæc catechizandi ratio obſervari debet: domeſtica à parentibus: Scholaſtica à ludimagiſtris: & Eccleſiaſtica à paſtoribus, ſenioribus, & lectoribus, ſeu ægrorum viſitatoribus. Vtque omnes hi diligenter officium faciant, rogandi erunt magiſtratus Chriſtiani, ut tam ſanctum ac neceſſarium opus, autoritate ſua promoveant: monendique omnes, quibus Eccleſiarum & ſcholarum inſpectio & viſitatio demandata eſt, ut hujus rei curam inprimis gerant.

Parentum officium eſt, domi liberos ſuos totamque adeo familiam fidei ſuæ commiſſam, in tyrocinijs Chriſtianæ Religionis, quam maxima diligentia pro captu ſingulorum inſtituere: ſerio & diligenter ad timorem Dei & ſinceram pietatem adhortari; ſanctis precum domeſticarum exercitijs adhibere & aſſuefacere, ad audiendas conciones ſecum adducere, auditas, imprimis Catecheticas, cum iiſdem diligenter repetere, capita quædam S. Scripturæ prælegere, vel prælegenda dare: inſigniora S. Scripturæ dicta ediſcenda proponere atque inculcare: eademque familiari quadam & teneræ ætati accommodata ratione explicare, atque ita eos ad ſcholaſticam catechizationem præparare, cumque ad eam pervenerint confirmare, excitare, & pro virili provehere. Hujus officij parentes omnes, apud quos admonitioni locus eſſe poterit, tum publice in concionibus, tum privatim, tam in ordinaria ante ſacram ſynaxin viſitatione, quam alijs temporibus opportunis à paſtoribus, ſenioribus, & ægrorum viſitatoribus ſedulo & ſerio admoneri debent. Si qui parentes religionem reformatam profeſſi, in hoc ſancto officio negligentiores reperiantur, ſerijs paſtorum admonitionibus, & ſi res poſtulaverit, presbyterij reprehenſionibus ac cenſuris, ad officium revocabuntur.

Scholæ, in quibus juventus pietate & fundamentis doctrinæ Chriſtianæ rite imbuatur, non tantum in urbibus, verum & in ſingulis pagis inſtituantur, ſicubi hactenus nullæ inſtitutæ fuerunt: rogandique ſunt magiſtratus Chriſtiani, ut de honeſtis ſtipendijs ludimagiſtris paſſim proſpiciatur, quo viri ad functiones illas idonei adhibeantur, illique alacrius in munere ſuo verſentur. Imprimis autem, ut pauperiorum liberi gratis ab illis erudiri poſſint, neque illi à ſcholarum beneficio excludantur. Ad has functiones ſcholaſticas, nemo, niſi qui ſit Eccleſiæ Reformatæ membrum, ornatuſque orthodoxæ fidei & probatæ vitæ teſtimonio, atque in doctrina Catechetica probe exercitatus, adhibeatur, quique ſubſcriptione manus ſuæ Confeſſionem

nem & Catechesin Belgicam approbet, seque secundum hanc Catechizandi rationem, juventutem sibi commissam in Christianæ religionis fundamentis diligenter instituturum, sancte promittat.

Ludimagistrorum horum officium erit, omnes discipulos suos pro ætatis & captus ratione, duobus minimum in hebdomade diebus, non in ediscendis tantum, sed intelligendis quoque Catecheseos rudimentis exercere. Atque hunc in finem triplex Catecheseos formula, ad triplicem juventutis conditionem accommodata, in scholis est adhibenda.

Prima erit in usum puerorum, quæ contineat Symbolum Apostolicum, Decalogum, Orationem Dominicam, & Sacramentorum ac Disciplinæ Ecclesiasticæ institutionem, cum brevibus quibusdam precatiunculis, & quæstiunculis simplicissimis, ad tres Catecheseos partes accommodatis. Quibus addi poterunt insigniora quædam S. Scripturæ dicta, ad pietatem excitantia.

Secunda erit, compendium breve Catecheseos Palatinæ, in Ecclesijs nostris usitatæ. In quo porro instituentur ij, qui jam aliquo usque in priore profecerint. Vtraque autem formula, vel ad exemplum Ecclesiarum Palatinatus, vel Ecclesiæ Middelburgensis, vel ratione ab hac Synodo præscripta, concinnabitur.

Tertia erit Catechesis Palatina, ab Ecclesijs nostris recepta, in qua provectiores ætate & profectu erudientur. Ecclesiæ autem Gallo-Belgicæ, quæ Genevensi Catechesi hactenus utuntur, einsdem usum in Scholis, atque Ecclesijs servare poterunt. Alijs autem Catechizandi formulis uti Ludimagistris in scholis non licebit. Rogandi vero Magistratus sunt, ut Catechismos omnes Pontificios, aliosque libros omnes erroneos, atque impuros, ex omnibus scholis autoritate sua, plane eliminare velint. Curabunt quoque Ludimagistri: ut discipuli non tantum hasce formulas ediscant; sed & doctrinam ijsdem contentam probe intelligant. Quem in finem easdem pro singulorum captu dilucide explicabunt, & an sensum recte perceperint, diligenter ac sæpius examinabunt. Iuventutem scholasticam, disciplinæ suæ commissam, singuli Ludimagistri ad audiendas conciones sacras, imprimis autem Catecheticas, adducent, earumque rationem diligenter exigent.

De fide autem atque industria Præceptorum, simulque & de juventutis profectu ut constet, officium Pastorum erit, adhibito Seniore, &, (si opus erit) aliquot ex magistratu, scholas omnes tam privatas, quam publicas sæpissime visitare, præceptorum diligentiam acuere, in ratione Catechizandi præire, atque exemplo suo instituere, juventutem blanda compellatione examinare, sanctisque exhortationibus, collaudationibus, & præmiolis à magistratu constituendis, ad industriam & pietatem excitare. Præceptores, si qui negligentiores in officio, aut refractarij deprehendantur, à Pastoribus, & (si opus fuerit) à Presbyterio, diligenter officij admoneantur. Quod si hisce monitionibus morem non gesserint; rogandus erit Magistratus, ut aut ad officium faciendum auctoritate ipsius constringantur, aut alij magis idonei substituantur. Denique, petendum à Magistratu erit, ne ullæ scholæ, quæ sancta hac Catechizationis exercitia, aut non admittunt, aut negligunt, tolerentur.

Pastorum in Ecclesia muneris & prudentiæ erit, Conciones Catecheticas, eum ad modum publice instituere, ut & breviores, & ad captum non adultorum modo; sed ipsius quoque Iuventutis, quantum fieri poterit, accommodatæ sint. Laudanda quoque erit Pastorum industria, quibus studium atque otium erit, easdem in scholis, præsertim ruri, diligenter repetere, quique laborem eum non detrectabunt. Vt adultiores autem, & qui scholarum institutione aut nunquam usi fuerunt, aut in ijs non satis profecerunt, in fundamentis Religionis Christianæ melius erudiri queant, (quia experientia docet, ordinarias institutiones Ecclesiasticas, tum Catecheticas, tum alias apud multos non sufficere ad eam Religionis Christianæ notitiam illis ingenerandam, quæ in populo Dei vigere debet; atque usus testetur, maximam esse vivæ vocis efficaciam; cum perfamiliares, & ad singulorum captum accommodatas Interrogationes & Responsiones, quæ optima Catechizandi ratio est, Rudimenta Religionis animis imprimuntur) Pastorum officium erit, discendi cupidos accedere, &, adhibito Seniore, vel ad ædes privatas, vel ad locum Consistorij, vel alium aliquem huic actioni opportunum, justum aliquem eorum numerum tam ex membris Ecclesiæ, quam alijs adultioribus singulis septimanis convocare, cum illis amice & familiariter de capitibus Religionis Christianæ agere, ac, pro ratione captus, profectus, & ingeniorum, singulos Catechizare: Conciones Catecheticas cum ijs repetere, omnique studio in id incumbere, ut animos omnium clara & solida Catecheseos intelligentia imbuant.

Qui

Qui vero nomen Ecclesiæ dare volunt, tribus, quatuorue septimanis ante Cœnæ celebrationem, certo in loco sæpius & diligenter instituantur, ut ad fidei rationem reddendam, magis idonei atque alacres reddantur.

Prudentia autem à Pastoribus hîc erit adhibenda, ut tales ad se erudiendos vocent, quos cum aliqua non pœnitendi fructus spe adhiberi posse, quosque de animarum salute solicitos esse constat: utque ij simul eodem tempore convocentur, quos conditionis paritas ad παῤῥησίαν alliciat.

Conventus hi precibus, & sancta exhortatione inchoandi & finiendi erunt.

Hæc omnia, si ea, qua omnino convenit, voluptate, alacritate, vigilantia, fide, zelo, & prudentia, à Pastoribus, quibus concrediti sibi gregis aliquando reddenda erit ratio, præstentur, nequaquam dubitandum, quin brevi tempore horum laborum fructus uberrimi, tam in fidei, quam sanctitatis vitæ profectu, ad honorem Dei & Religionis Christianæ propagationem, divina benedictione, ante omnium oculos futuri sint expositi, gratiamque Ecclesijs nostris, atque incrementum conciliaturi.

Ad formulas minorum Catechesium concipiendas deputati sunt, Franciscus Gomarus, Iohannes Polyander, Antonius Thysius, Hermannus Faukelius, Balthasar Lydius, & Godefridus Vdemannus: Monitique sunt, vt in concipiendis hisce formulis, quantum fieri potest, majoris Catecheseos verbis inhæreant.

Eadem Sessione quæstionem proposuerunt Noort-Hollandi, à Pastoribus Christianis ex India Orientali transmissam, ad quam petebant ut Synodus primo tempore responderet, quia naves Indiam perituræ, jam paratæ erant, ut prima tempestate solverent. Quæstio autem hæc erat: An pueri ex parentibus Ethnicis nati, jamque à Christianis in familias adsciti, sint baptizandi: si, qui eos offerunt baptizandos, fidejubeant se eos in Religione Christiana educaturos, aut educandos esse curaturos. Rogati sunt singuli, ut de hac quæstione mature cogitarent ac deliberarent: proximaque sessione sententiam suam scripto exhiberent.

Invitata fuit tota Synodus ad deductionem funeris Nobilissimi viri D. Henrici ab Hel, Consulis Zutphaniensis, ejusdemque Ecclesiæ Senioris, & in Concilio Ordinum Generalium deputati; nomine Synodi Geldricæ ad hanc Synodum Nationalem delegati. Qui vigesima septima Novembris, placide in Christo diem suum obierat.

SESS. XVIII.

Sessione Decima-octava,

Ipsis Kalend. Decembris, Die Saturni ante meridiem.

QVæstio Indica de baptizandis Ethnicorum infantibus aut pueris, à fratribus Noort-Hollandis fusius explicata fuit. Nimirum, infantes seu puerosillos, de quibus quæritur, plerumque jam ad aliquam pervenisse ætatem, nec esse à Christianis in filios adoptatos; sed tantum in ipsorum familias loco mancipiorum adscriptos, ab ijs coëmi, sæpe invitis parentibus ereptos: qui nonnunquam iterum à Christianorum familijs alienentur, & in Ethnicorum potestatem redeant.

Prælectæ sunt de hac quæstione Theologorum Anglorum, Helvetiorum, Bremensium, S. Theologiæ Professorum Belgicorum, & Synodi Zuyt-Hollandicæ Deputatorum Sententiæ. Reliqui promiserunt, se suas quoque responsiones, proxima sessione scripto esse exhibituros.

Propositum interea fuit gravamen Ecclesiarum de Studiosis S. Theologiæ, atque inprimis sacri ministerij candidatis, ad ministerium Ecclesiasticum accuratius præparandis ac formandis. Zeelandi consilium suum scripto hac de re exhibuerunt: statutumque fuit, idem à singulis Synodis describendum esse, ut in diem

diem Lunæ mature, quid addi vel mutari oporteret, deliberari posset. Sic habet autem:

Consilium Fratrum Zelandorum, super quæstione: Quo modo candidati S. ministerij, ad sacram illam functionem sint præparandi.

POst deliberationem de Catechizandis rudibus, tam pueris quam adultis, sequitur deliberatio de personis ad Ministerium sacrum idoneis, iisdemque ad tam excellens munus in Ecclesia informandis. Atque hic primum de electione, deinde de recta illorum institutione deliberandum.

Vt itaque Ecclesijs nunquam idonei Pastores desint, rogandi erunt Illustres D D. Ordines, ut in singulis Provincijs, ubi id nondum obtinuit, certus sit hujusmodi adolescentum numerus, qui sumptibus publicis ad Ministerium sacrum alantur. Monendi etiam erunt ditiores, ut liberos suos, quos ad hanc rem videbunt idoneos, ad scholas mittant, atque illic erudiendos curent: ut sint seminaria publica, ex quibus ad Pastorum munus obeundum evocentur, quoties opus erit.

Ad hanc rem ex scholis trivialibus seligantur adolescentes, ingenuis & honestis parentibus orti, ne forte probrum aliquod Ministerio accedat, ex generis, aut parentum infamia: ijdem tam animi quam corporis viribus valeant ad tantum onus & munus obeundum: quique in scholis trivialibus ea ingenij & eruditionis specimina ediderint, ex quibus spes certa concipiatur, eos, ubi adoleverint, Ecclesiæ in Ministerio fore utiles: denique, in quibus pietatis, probitatis, modestiæque indicia certa conspiciantur.

Hoc modo selecti, aut à parentibus in hoc studio enutriti, ubi in scholis trivialibus rude donati fuerint, ad Academias mittantur, in quibus utile, imo necessarium esset, certa & distincta Provinciarum collegia institui, ubi sub Regentium & inspectorum cura studiosi vivant, ex quorum consilio studia sua instituant, quique illis certam in studijs methodum præscribant, ne in incertum vagentur, & cupientes ex omnibus aliquid, de toto nihil discant. Denique, qui vitæ illorum & morum curam gerant. Nimia enim libertas in Academijs, multos perdidit.

Ab his, qui aliquando Ecclesijs præfuturi sunt, hoc requiritur, ut & ipsi nomen Ecclesiæ dent, & quam alijs aliquando religionem docturi sunt, ipsimet primum profiteantur; concionibus sacris crebro intersint, Cœnæ Domini cum Ecclesia communicent, Ecclesiasticæ disciplinæ subjiciantur, & Pastorum in illos singularis sit inspectio.

Ad solidam autem Philosophiæ & linguarum, in primis vero Theologiæ cognitionem comparandam, non unus aut alter annus requiritur; sed spatium in universum quinque aut sex annorum. Nam ut magna est adolescentum quorundam temeritas, qui vixdum biennio in Academijs peracto, promotionem ad munus pastorale ambire audent; ita nec laudandum illorum consilium, qui totam fere ætatem in Academijs terunt, & sero nimis ad Ministerium sacrum accedunt.

Quamobrem, ut huic utrique malo obviam eatur, non inconsultum foret, tempus aliquod præscribere, intra quod studiorum cursum teneantur absolvere, & Ecclesia ipsorum laboribus frui. Vt autem Ecclesiis, Mæcenatibus, & parentibus, de illorum profectu constet; consultum est, ut singulis annis rationem studiorum suorum iisdem reddant.

Absoluto hoc in Academia aliqua studiorum cursu, non inutile esset eos exteras Academias & Ecclesias invisere, ac tam diu in celebrioribus locis subsistere, donec, quid illic laudabile esset, perlustrassent, ac perdidicissent. Vt ita domesticis & exterorum exemplis instructiores ad suos redeant.

Domum reversi, testimonium ab Ecclesiarum Pastoribus, & Academiarum Rectoribus aut Professoribus, aut facultatum Decanis, Ecclesiæ & Classi, in qua sunt victuri, exhibeant: vocationem legitimam ad munus Pastorale expectantes.

Et, ut visis hisce testimonijs, nemo nisi præmisso examine præparatorio ad exercitia formandarum concionum admitti debet; ita necesse est, alia etiam exercitia accedere, quibus amplius idonei reddantur, ad sanctam hanc Ministerij sacri functionem.

Hic vero non esset inutile, hujusmodi Ministerii candidatos, interdum S. Scripturam publice in templis prælegere. Atque hoc pacto eveniet, ut toti Ecclesiæ innotescant, & coram illius facie ambulent. Tota Ecclesia, morum, pietatis & probitatis illorum testimonium habeat. Denique illi ita prudenter se gerant, ne quidquam committant, quod vocatione illorum (ad quam se præparant,) indignum sit. & sic omnibus innotescant & ab omnibus probentur, qui omnibus præfuturi sunt. Deinde ista lectione publica, accedet παῤῥησία quædam, qua assuescent conspectui totius multitudinis. Vox etiam & elocutio illorum formabitur, ut paratiores accedant ad dicendum coram populo, quod illis post accuratius examen etiam concedi posse iudicamus, modo classis consensus antecedat.

Deinde expediet illos frequentes adesse Pastoribus, cum ijs de varijs conscientiæ casibus conferre, eosdemque in visitatione ægrorum atque consolatione afflictorum comitari, ab ijsque discere, quomodo tales sint compellandi, afflicti erigendi; denique quæ, & quales preces, interdum pro re nata, concipiendæ. Etsi enim ex Scholis exercitati in dicendo ad Ecclesias venire debent; tamen quæ didicerunt, ad praxin sunt revocanda; id quod à Pastoribus necesse habent addiscere.

Et quia vocati ad S. Ministerium, regimini Ecclesiæ aliquando sunt præficiendis: Ecclesiarum vero regimen in scholis exacte non addiscitur, non abs re foret, si aliquot ante vocationem mensibus, in urbibus celebrioribus potestas illis fiat, ut intersint Presbyteriis, item conventibus Diaconorum, sub certis tamen & limitatis conditionibus; atque ita intelligant, quomodo Ecclesiæ regimen sit instituendum, quæ ratio interrogandi & colligendi suffragia, quomodo disciplina exercenda, quid in variis casibus facto opus sit. Item quæ cura sit habenda pauperum. Et, si quæ sunt similia, quæ usu potius quam præceptis addiscuntur. Quorum omnium magnus illis usus futurus, quando ad Pastorale munus vocabuntur.

Denique, cum hactenus in examinibus ante promotionem, tantum doctrinæ habita fuerit ratio, an nempe orthodoxi essent, quod fatemur esse primarium; deliberari tamen potest; annon etiam expediat examen practicum institui, in quo examinentur, an etiam tenaces sint sermonis illius, qui est secundum pietatem, & idonei ad tradendam Ethicam Christianam, ad mores hominum in omni virtutum genere informandos, Oportet enim Dei hominem perfecte ad omne bonum opus instructum esse, neque tantum ad doctrinam & redargutionem, sed & ad correctionem & institutionem, quæ est in justitia, paratum esse. Ad quam rem optandum esset, ut in Collegijs & Academijs adolescentum animi Theologia Practica imbuerentur, & de varijs conscientiarum casibus instruerentur.

Atque hæc quidem melioribus iudicijs subjecta sunto.

Sessio-

Digitized by Google

Sesione Decima-nona,

SESS. XIX.

III. *Decembris, die Lunæ ante meridiem.*

Hac Sessione tum exterorum, tum Provincialium Theologorum, ad quæstionem judicandam de baptizandis Ethnicorum infantibus, responsiones scripto comprehensæ, prælectæ sunt, collatisque omnium sententijs judicatum est, consentientibus suffragijs, adultiores & institutionis jam capaces, ad sacrum Baptismum admitti non debere, priusquam in religionis Christianæ fundamentis probe sint instituti, fidem profiteantur, eiusdemque rationem aliquam reddere queant, baptismum ipsi petant, & idonei etiam fidei-jussores adhibeantur, qui eos porro in Christiana religione instituant. Baptizatos autem pari libertatis iure, cum reliquis Christianis, frui iam debere, nec venditione aut alia quaquam alienatione ab heris Christianis potestati Ethnicorum iterum tradi. De infantibus quoque Ethnicorum, qui aut propter ætatem, aut propter linguæ imperitiam institui à Christianis nequierunt, etsi per assumptionem Christianorum familijs inserantur, judicatum quoque fuit plurium suffragiis, non esse baptizandos, antequam ad eam pervenerint ætatem, ut pro illorum captu in primis religionis Christianæ initiis institui possint atque instituantur. Tum & fidejussores idonei spondeant, se daturos operam, ut porro in fide Christiana plenius instituantur, neque unquam permissuros, quantum quidem fieri ab illis potest, ut à familijs, aut communione Christianorum, iterum abalienentur.

Prælectæ sunt Collegiorum, de Zelandorum consilio ad candidatorum S. Ministerij præparationem accuratiorem spectante, sententiæ: idque omnibus placuit, mutatis modo paucis, additisque. Theologi Palatini promiserunt, daturos se operam, ut leges Collegij Sapientiæ, aliaque quædam instituta, quæ SS. Theologiæ studiosos, atque alumnos spectarent, intra paucas septimanas, Synodo hunc in finem exhiberi possent, quo ex iisdem, quæ ex usu Ecclesiarum Belgicarum fore iudicarentur, excerpi possent. Quapropter statutum fuit, decretum de hac candidatorum præparatione, differendum esse: donec illa quoque visa atque expensa essent. Rogatusque est D. Assessor Faukelius, ea ut excerperet, quæque Ecclesiis nostris usui fore viderentur, adiungeret. utque accuratam ex omnibus observationibus huius præparationis formulam conciperet, quę deinde Synodo exhiberi atque ab eadem probari posset.

Sesione Vigesima,

SESS. XX.

IV. *Decembris, die Martis ante meridiem.*

Deliberatum fuit de quibusdam quæstionibus ad præparationem candidatorum ministerii spectantibus. Prima fuit: Vtrum S. Theologiæ studiosi & ministerii candidati, ad conciones publicas pro populo habendas admittendi sint. Secunda: An administratio Baptismi eis sit permittenda. Tertia: An expediat eos ad conventus presbyteriorum & classium admitti. Quarta: An consultum sit, ut in templis publice in prælegenda S. Scriptura se exerceant,

Rationibus omnibus diligenter expensis, statutum fuit: Administrationem Baptismi nemini esse permittendam, nisi qui præeunte examine plenario, ad sacrum ministerium admissus sit. Quod ad reliqua autem exercitia, iudicavit Synodus, esse quidem ea ad eiusmodi præparationem vtilia, verum an, & qui, ad eadem sint admittendi, aut cum ædificatione admitti possint, prudentiæ & libertati Ecclesiarum, presbyteriorum & classium relinquendum esse existimavit. Sed & placuit, ea omnibus Ecclesiis stricte imperanda non esse: satis enim esse, si serio tantum commendentur.

Vltrajectini Remonstrantes, quasdam observationes, in statuta Catechizationis formula, ad quas à Præside responsum fuit, scripto exhibuerunt.

Sess. XXI.

Sessione Vigesima-prima,

v. *Decembris, Die Mercurii ante meridiem.*

REverendus Vir Wigboldus Homerus, Ecclesiæ Zuyt-Woldanæ Pastor in Synodo comparuit, eique literas fidei exhibuit, quibus in locum Ioannis Lolingij Ecclesiæ Noort-Brouchanæ, qui morbo præpeditus in Synodum venire non poterat, substituebatur: auditaque super hac subrogatione Deputatorum Synodi Groninganæ sententia ac declaratione, pro membro Synodi admissus fuit.

Eadem dies, quia Citatorum Remonstrantium comparitioni præstitutus fuerat, omnes à Præside publice ac nominatim denuo sunt citati, jussique, ut si qui adessent, Synodo se sisterent. Cumque nemo compareret, Remonstrantes autem Vltrajecto Delegati testarentur, se non dubitare, quin eo die adventuri essent, iussum fuit, ut cum advenissent, tum Politico, tum Ecclesiastico Præsidi se sisterent, ut jam semel certa comparitionis hora coram tota Synodo assignari illis posset.

Eadem Sessione propositæ sunt Ecclesiarum de variis gravibusque typographiæ abusibus, & intoleranda typographorũ licentia, querelæ: quæsitumque fuit, quanam ratione hæc tum scripturientium, tum typographorum quidvis, magna cum Ecclesiarum & Reip. perturbatione, nec minore cum scandalo, in vulgus spargentium, licentia coerceri posset. Atque hac de re præcedentium Synodorum Nationalium constitutiones sunt prælectæ. Audita itidem super ijs Exterorum ac Provincialium Theologorum consilia. Rogatique singuli sunt, ea ut scripto comprehensa Synodo exhiberent.

Sess. XXII.

Sessione Vigesima-secunda,

v i. *Decembris, Die Iovis ante meridiem.*

INdicatum fuit à D. Præside, Remonstrantes citatos advenisse, quatuorque à reliquis missos, ab ipso petijsse, quia nondum de hospitijs prospectum ijs, neque supellex libraria disposita esset, ut in perendinum aut saltem crastinum diem eorum differri posset comparitio. Nobiliss. D. Præses Politicus, idem quoque eosdem à se petijsse indicavit. Vltraiectini quoque Remonstrantes aiebant, Citatos optare, ut comparitio ipsorum in diem perendinum Saturni, aut in diem Lunæ, differri posset.

De hac dilationis petitione Illust. D.D. Delegati sententiam rogati, responderunt, Quandoquidem hesternus dies comparitioni illorum præstitutus ab illis neglectus esset, mandandum, ut se Synodo nunc sisterent, utque ab ea hanc dilationem peterent, eiusque causas, in eadem publice diiudicandas, proponerent. Cui Illust. D.D. Delegatorum sententiæ acquievit Synodus, missique Vltraiectini Remonstrantes sunt, qui eos advocarent.

Interim eadem Sessione prælecta sunt de corrigendis typographiæ abusibus, scripto exhibita consilia. Quibus auditis atque expensis, visum est, ex illis omnibus, à Præside, Assessoribus & Scribis, accuratam aliquam constitutionem, à Synodo examinandam & probandam, postea concipiendam esse; quæ ut consilium Synodicum, Illustribus ac Præpotentibus Ordinibus Generalibus deinde offerretur atque exhiberetur. Rogandosque esse Ecclesiarum nomine, ut Decreto publico, autoritate ipsorum promulgato, abusus isti omnes tollerentur, atque inposterum præcaverentur. Omnia vero Ecclesiæ membra in quæ Synodus ius præscribendi haberet, constitutioni huic Synodicæ, sub Ecclesiasticæ censuræ pœna obtemperare tene-

Digitized by Google

tenerentur. Cui rei postea ab Illustribus ac Præpotentibus DD. Ordinibus prospectum est.

Iudicium Theologorum Anglorum de Typographis.

PVtamus rem esse omnino necessariam & saluberrimam, vt licentia Typographorum reprimatur: sed quia res hæc ad autoritatem Politicam spectat, rogandi sunt Illustrissimi Ordines, ut autoritatem suam interponere velint. In singulis civitatibus, quæ habent prælum, maxime in Academijs necessarium est, ut sint ad hoc negotium deputati viri Ecclesiastici, qui autoritate & iudicio præstant, quibus est hoc oneris imponendum, ut prius legant libros, qui prælo offeruntur, & approbatione sua permittant impressionem. Ne quis artem Typographicam exerceat, nisi qui profiteatur religionem reformatam in istis provincijs stabilitam. Sectarios autem omnes removendos censemus. Ne quis liber imprimatur, nisi ad finem libri manu cuiuspiam ex ijs qui ad hoc negotium sunt deputati, approbatio scripta compareat. Hæc res diligenter obseruata, & Remp. & Ecclesiam magna molestia liberabit: quod in nostra Ecclesia magno cum fructu obseruatur.

De tollendis Typographiarum abusibus, Monita Theologorum Palatinorum.

I.

Typographiæ certo ac definito numero constituantur, per ciuitates & provincias, nec Typographi, nisi iurati recipiantur.

II.

Delectu librorum ante editorum habito, quotquot Socinianorum, Libertinorum, aut Fanaticorum hæresibus polluti, aut bonis moribus perniciosi sunt, aboleantur: qui sani, salutares & idonei pietatis magistri, retineantur; & ubi ad incudem redierint, nova præfatione ornentur; ij præcipue qui ad captum & usum populi sunt, ut quorum lectioni potissimum vacare debeat, hoc iudicio intelligere possit.

III.

Caveatur etiam, ne alibi excusi libri impuri, sive hæreticorum, sive Atheorum importentur in Provincias, aut venales prostent.

IV.

Qui ad prælum parantur noviter, non ante excudantur, quam censorum iudicia subjerint & calculum meruerint. Rogentur etiam D. D. Ordines, ne libris non approbatis privilegia concedant.

V.

Censores librorum & inspectores Typographiarum per Civitates sunto Pastores cum Senatore uno, & Seniore Ecclesiæ; per Provincias Delecti sive Professores, ubi Academiæ sunt, sive deputati Classium aut Synodorum, adjunctis Politicis, quoties res postulat.

VI.

Exemplar librorum qui primum excuduntur, vnum tradatur Ministerio in urbibus, Censorum Collegio in Provincijs, ad quos revocari posteriores editiones possint. Nec enim ipsis inconsultis suscipienda interpolatio aut mutatio.

VII.

Imprimis autem providendum est, ne Biblia Sacra quacunque forma aliter quam ex præscripto Synodi imprimantur.

VIII.

Postremo tum Typographis tum prælorum correctoribus, ponendæ leges sunt autoritate publica, & in omnibus officinis affigendæ. quibus tam nobilem artem moderentur & exerceant, ex usu Ecclesiæ & Reipublicæ.

Iudicium Fratrum Hassiacorum, de abusibus Typographiarum tollendis.

Quæstio de tollendis abusibus Typographiarum, tanto accuratiorem meretur considerationem & decisionem; quanto ars Typographica majus est Dei donum; & ad honestarum artium ac disciplinarum cognitionem, cumprimis vero cælestem veritatem propagandam accommodatius medium, quantoque periculosius est malum, quod ex præclari hujus Dei muneris abusu in Ecclesiam & Rempub. jam dudum, præsertim in his Fœderatis Provincijs Belgicis, exundavit. Vt vero abusibus istis, quo ad eius fieri potest, obviam eatur; in duo potissimum incumbendum fuerit. 1. vt præterita & etiamnum præsentia damna, quæ scripti jam & in lucem editi libri, Ecclesijs & Provincijs Belgicis intulerunt, & adhuc dum inferunt, tollantur; aut certe ne latius serpant, inhibeantur. 2. ut futurum malum certis legibus, publica summi Magistratus autoritate confirmatis, deinceps præcaveatur.

De primo censemus; r discrimen faciendum esse inter libros blasphemos ac hæreticos. Vt sunt Alcoranus Turcicus, libri Arriani, Samosateniani, Sociniani, Pelagiani, & id genus alij; & inter eos, qui errores quidem, at non usque adeo perniciosos, nec fundamentum Christianismi penitus convellntes, in se continent.

Prioris generis libri ut quamprimum eliminentur, existimamus esse è digni-

è dignitate summi Magistratus, & è re Ecclesiarum Belgicarum. Vix enim quicquam esse potest Repub. Christiana magis indignum, quam si in ea permittatur licentia, huiusmodi libros palam blasphemos & hæreticos excudendi, divendendi. Fiet autem hoc, nostro judicio commodissime, si omnia, quæ apud Typographos & Bibliopolas reperiri possunt, eiusmodi librorum exemplaria supprimantur, & Edicto publico, ne vel palam vel clam distrahantur, severissime prohibeatur. Posterioris generis libros putamus tolerari posse, tantisper, dum ea exemplaria, quæ jam extant, sint divendita: modo caveatur, ne denuo distractis exemplaribus prælo subjiciantur; absque consensu eorum, quibus censura librorum demandabitur.

De secundo existimamus, ne deinceps librorum in publicam lucem editio aliquod pariat hisce Ecclesijs & Provincijs Belgicis malum & incommodum; primum quidem coërcendam & certis quasi legum cancellis circumscribendam esse, & scripturientium & Typographorum licentiam. Deinde vero & certos constituendos esse librorum Censores.

Scripturientium cacoethes inhibebitur. 1. Si edictis publicis caveatur à summo Magistratu, ne quis subditus Illustriss. Dn. Ordinum General. præsumat, quicquam Typographis in Fœderatis Provincijs, vel extra eas typis describendum tradere; nisi quod ab ijs, quibus librorum censura demandanda erit, approbatum fuerit. 2. si illi qui ad docendum in Ecclesijs & Scholis Belgicis deinceps admittentur, ore ac manu sua teneantur sese obstringere, se quamdiu Ecclesijs ac Scholis Belgicis præsunt, vel in Fœderatis hisce Provincijs versantur, nihil à se aut ab alijs scriptum ulli Typographo imprimendum tradituros, absque antegressa censorum approbatione. Quod ut fiat, legibus quibus Scholarum Doctores ac Præceptores & Ecclesiarum Pastores, antequam ad officia aut Ecclesiastica aut Scholistica obeunda adhibentur, obstringi solent, hoc statutum de non publicandis libris, absque censorum approbatione, inferendum esse videtur.

Vt Typographorum licentiæ obviam eatur. 1. omnes ac singuli Typographi, solenni iuramento obstringendi esse videntur, ne quicquam sive antehac excusum, sive noviter scriptum, typis describant, aut ut à suis describatur, permittant, nisi quod à censoribus visum, lectum, & approbatum fuerit. 2. ijs in locis in quibus sunt Typographea, certis viris idoneis demandandum erit; ut vigiles habeant in operas Typographicas oculos, easque subinde invisant & perlustrent, nec permittant, ut quicquam publici juris fiat quod à Censoribus probatum & subscriptum non sit. 3. Injungendum erit Typographis serio, ut in imprimendis libris, á Censoribus approbatis, debitam diligentiam & industriam adhibeant, ut ita ex Typographeis libri prodeant, quoad fieri potest, ab erratis & mendis purissimi. 4. Cum primis serio ipsis mandandum esse censemus, ut quotiescunque libros sacros Biblicos impressuri sunt, quam fieri potest maximam curam adhibeant,

ne quid ſanctiſſimis Dei Eloquijs indignum in eoſdem irrepat: præſertim vero integrum opus Biblicum nunquam prælo ſubijcient, niſi de voluntate & conſenſu cenſorum, &, ſi haberi poſſit, Synodi Provincialis. 5. Bibliopolis graviter, & ſub certa pœna interdicendum, ne libros blaſphemos [illegible]ticos alibi excuſos in provincias haſce Belgicas importent, aut importandos curent, neve eos clam palamve divendant. Cenſores librorum omnino conſtituendos eſſe iudicamus. Horum officium erit, libros ſibi ab autoribus aut typographis traditos, accurate, ſive diſtributis inter ſeſe operis, ſive collegialiter, pro ut rei neceſſitas poſtulabit, perlegere, eaque quæ in ijs emendanda cenſent, diligenter annotare; de ijs & inter ſeſe, & cum autoribus, ſi haberi poſſint, & rerum momenta hoc poſtulent, conferre, & ubi omnia ita concepta & correcta fuerint, ut nihil amplius ijs inſit quod receptæ in Eccleſijs Belgicis reformatis fidei Orthodoxæ adverſetur, vel pietati, honeſtati & bonis moribus, publicæque tranquillitati & paci Reipub. officere videatur, manu ſua ſubſignatos & approbatos autoribus vel typographis ad excudendum reddere. Non inconſultum quoque videtur, ſi cenſoribus poteſtas fiat nonnullos libros, præſertim Theologicos, quibus Eccleſiam & Rempub. Chriſtianam ſine detrimento carere poſſe exiſtiment, prorſus rejiciendi, & ne imprimantur prohibendi; licet nihil in ijs deprehendatur fidei, ſinceritati & bonis moribus adverſum. Teſtatur namque experientia, nimia librorum, quos ſcripturiens hoc ſeculum protulit, & etiamnum magno numero profert, multitudine fieri, ut optimi quique in omnibus facultatibus tractatus, ſuperiori eruditiſſimo ſeculo à præſtantiſsimis quibuſque omnium facultatum viris editi, quibuſcum plerique recens ſcripti libri comparandi non ſunt, paulatim intercidant, & à ſtudioſorum oculis & manibus amoveantur, non abſque magna rei literariæ jactura. Cui malo ut tandem aliquando occurratur, jamdudum videtur efflagitare ſumma Reipub. literariæ neceſsitas.

Cæterum optandum foret, quod heſterno die à Clariſsimo D. Deodato bene monitum fuit, hanc cenſendi libros curam non paucis quibuſdam, ſed integro plurimorum doctiſsimorum & in omni facultatum genere exercitatiſsimorum virorum Eccleſiaſticorum & Politicorum Collegio committi; ne paucorum incuriam & negligentiam quandoque integræ Regiones & Reſpub. & omnes ſæpenumero Eccleſiæ Reformatæ luere cogantur. Quod ſi tamen his locis parum id congruere videbitur, demandari poterit hæc librorum in publicam lucem edendorum reviſio & cenſura, in ijs quidem Provincijs, in quibus Academiæ ſunt, Doctoribus & Profeſſoribus in ſua quibuſque facultate; in reliquis vero Provincijs, ſi libri Theologici fuerint, Deputatis eam ad rem Synodorum Provincialium; ſin reliquarum facultatum, ijs quos quæque Provincia eam ad rem ſeliget & deputabit.

Hæc ſalvis melioribus judicijs.

De

Digitized by Google

De Abusibus Typographiarum cavendis & emendandis, Sententia Helvetiorum.

Artem Typographicam divinitus humano generi concessam, maxime ad propagationem Sacrosanctæ veritatis, nemo ignorat: multiplices & enormes ejus abusus, jam diu pij atque pacifici serio multumque deplorant. Et quidem beneficium omne, quo est divinius, quo utilius, hoc etiam perniciosior est ejus abusus.

Ante omnia igitur hæc ars curæ esse debet Potestati supremæ, quæ possit leges non tantum præscribere, sed eas etiam exequi.

Typographorum & Typographiarum multitudinem nunquam non Ecclesiæ & Reipub. fuisse noxiam, experientia abunde docet. Non igitur omnibus,neque ubique locorum,artem hanc exercereAmplissimi Magistratus nostri permittunt.

Scriptorum genus omnino omne, Confessioni Helveticæ & Basiliensi, pietati aut bonis moribus, concordiæ ac publicæ paci non congruum, nec non Libelli famosi, obscæna Carmina & cantilenæ, Picturæ; item odiosa contentionum fomenta, prohibentur severe.

Liber sine Autoris, Typographi, aut loci nomenclatura impressus, nisi id fiat graues ob causas, conscio aut jubente Magistratu, supprimitur.

Liber censendus in Academia Basiliensi quidem, Magnifico Rectori primum, deinde pro diversitate argumenti, facultatum diversarum Decanis: in Scholis Metropolitanis autem Censoribus exhibetur. Si prolixior est, adhibentur Collegæ. Subscriptione tandem vel probatur vel improbatur.

Liber sine subscriptione aut permissu editus, supprimitur & aboletur; & reus pro ratione delicti, luit ære, corpore, aut etiam fama.

Tametsi in scripto aliquo erroris aut damni fuerit omnino nihil, orthodoxa & necessaria omnia, si tamen Censorum conscientiam fugerit, id non fit impune.

Censores constituuntur viri autoritatis & potestatis primariæ, ex ordine non minus Politico, quam Ecclesiastico. Horum munus est,non tantum libros edendos inspicere, legere, probare, vel repudiare; verum etiam Typographiarum curam gerere, modisque omnibus providere, ne pax Ecclesiastica vel Respub. per Typographiarum errores detrimentum capiat.

Honorarij sive præmij loco censoribus singulis, nec non Bibliothecæ publicæ libri editi debetur exemplum: alterum ab autore, alterum à Typographo.

Res gravioris momenti Censores deferunt ad Senatum.

Si quis ex Censoribus ipsis scripta sua juris vult facere publici, ne vel suæ potestatis abusus, vel Censorum reliquorum indulgentia sit res mali exempli, tenetur ipse quoque ea subijcere censuræ Facultatis suæ, vel totius Collegij.

Non Ecclesiæ membris duntaxat istæ leges præscribuntur, sed reliquis omnino omnibus, quotquot intra fines pij & Christiani Magistratus vivunt, sive indigenæ illi sint, siue alienigenæ.

Non nostris tantum nihil Censoribus inscijs vel invitis excudere licet in Typographijs nostris, sed ne quidem ad Typographos exteros excudendum mittere quicquam, sine censorum nostrorum permissu:

Contra, si quæ scripta excudenda ad Typographos nostros mittuntur ab exteris, ea non minus Censoribus exhiberi debent, atque scripta Domesticorum. Si secus fiat, Typographus luit, & Magistratus autoris illius redditur certior, atque rogatur, ne suis abuti Typographijs nostris, vel nostras leges violare permittat.

Denique libros adversariorum seu controversiarum per leges nostras advehere quidem atque divendere licet: si tamen liber aliquis aut manifeste in Deum blasphemus est, pietati & bonis moribus aduersarius, aut etiam injurius proximo, Magistratus mature monetur, qui pro re nata statuit.

Quæ ad leges & ordinem in Typographia observandum, quandoquidem jam pridem leges sunt conscriptæ, ut audio, & ea res ad autoritatem sapientissimorum Magistratuum in his regionibus omnino spectat, ea omnia omitto.

Caveatur tantum in posterum malo atque periculo à licentia, quæ inolevit: constitutis librorum Censoribus per Provincias, vbi Typographia exercetur: quos Censores optamus ex Politico, Ecclesiastico, & Academico ordine esse.

Aliquid indulgeatur gentis & regionis mori; ne grauetur seueriori iugo, libertati, & aliquando amænitatibus addicta gens, ingeniaque; Nihil enim magis irritas facit optimas reformationes, quam absolutus rigor, & nimia omnia simul adducendi contentio.

Reliqua à Fratribus potissimum Zuydthollandis in medium prolata & exhibita, vehementer probo.

Iohannes Deodatus.

De Typographiis Consilium Theol. Bremensium.

I.

Typographiarum licentiosa multitudo ad iustum numerum, necessarium, aut saltem utilem Ecclesię & Reipub. reuocanda est.

II. Ty-

II.

Typographi nulli ſint, niſi publica autoritate Magiſtratus confirmati & jurati. Ijdem ſint Eccleſiæ membra; viri honeſti, æqui, ſatis periti artis, & qui ipſi laborent, vel ſaltem operas à ſe conductas, vigili oculo luſtrent.

III.

Sub gravi pœna ijs iniungatur, ne quid imprimendum ſuſcipiant, niſi probatum ab eis, quibus Magiſtratus ſupremus hanc cognitionem & cenſuram demandavit.

IV.

Reviſores ad minimum ſint tres: unus ex ordine Magiſtratus; alter ex Profeſſoribus, aut Magiſtris doctioribus; tertius ex Paſtoribus Eccleſiæ. Intelligimus autem tres iſtos Cenſores non ſufficere omnibus hiſce Provincijs, ſed ſingulis eſſe tres illos dandos.

V.

Sit etiam unus ſaltem Inſpector totius rei Typographicæ; qui ſubinde Typographea inviſat, & cum Cenſoribus conſilia communicet. *Inſpector.*

VI.

Certæ Leges conſcribantur, quibus Reviſorum & Typographorum munia regantur: quales iſtæ ſint, & ſimiles. *Leges Communes.*

1. *De quibus Cenſores dubitant; ſub conſultationem vocent; initio cum Inſpectore; deinde ſi opus ſit, etiam cum Magiſtratu, Paſtoribus, Profeſſoribus: in rebus gravioribus etiam cum Exteris orthodoxis.*

2. *Libri inutiles, famoſi, puritati religionis & receptæ Confeſſioni & concordiæ alendæ inimici, & omnino qui bonis moribus obſint, penitus rejiciantur.*

3. *Libros aliunde miſſos vel alibi jam excuſos, ne ſubjiciant prælo, niſi conſimiliter de ijs Cenſores certiores fecerint.*

4. *De picturis idem judicium ſit, quod de libris.*

5. *Auctorum & locorum, ubi ſcripta imprimuntur, nomina omittere, nemini fas ſit; niſi cauſſa Superioribus, in primiſque conſcio Magiſtratu, comprobata.*

6. *Libri aliarum, quam religioſarum, rerum, ut Philoſophici, Hiſtorici, Iuridici, & exoticis linguis conſcripti, cenſendi mittantur ad eas Academias, ubi à doctis earũ rerum viris ſpecialiter ad hoc deputatis, relegi poſſint; ne quid uſpiam ſanæ doctrinæ*

aut pijs

aut pijs moribus adversum, cum Ecclesiæ aut politiæ detrimento occultetur.

7\. *Correctores sint satis notæ fidei & doctrinæ: ne Ecclesiæ proditoribus, nostra arcana committamus.*

Salvo rectius sentientium judicio.

Cæterum, Illustres ac præponentes Ordines Generales, paulo post ad tollendos Typographiæ abusus, hoc Edictum publicarunt.

Ordines Generales Fœderatarum Belgij Provinciarum, omnibus hasce præsentes visuris aut lecturis, Salutem. Significatum volumus; quandoquidem non obstante præcedente Edicto nostro, VII. *Julij, Anni millesimi, sexcentesimi & decimi quinti, à nobis statuto, atque ubique in prædictis Provincijs publicato, nonnulli curiosi, irrequieti, & turbulenti homines, novitatibus & mutationibus studentes, conati fuerint, atque etiamnum quotidie conentur, pessime loqui, varios Libellos scandali & offensionis plenos, Cantilenas, Versus, Narratiunculas, & similia componere, & scripto aut typis divulgare, atque in vulgus spargere, in quibus non tantum improbe atque indecenter de legitima harum Provinciarum gubernatione cum generali tum particulari, disputatur, ac iudicatur; sed etiam allaboratur, tentaturque, ut inter Provincias, Civitates, earumque incolas & cives, dissidia dissensionesque excitentur, adeo ut simpliciores, imperitiores, & rerum ignari homines, ipsumque inprimis vulgus, hac ratione facile in deteriores sensus abripi, ad tumultus & seditiones concitari, & à debito iustoque, quo legitimis suis Magistratibus sunt obstricti, officio abstrahi possent: & quandoquidem etiam nos certo, per fide dignos præmoniti simus, proposuisse nonnullos inter istos homines scripta quædam, Synodo Nationali, quæ Dordrechti nunc celebratur, exhibita, aut in eadem posthac exhibenda, vel tota vel eorundem partem typis publice divulgare, & populo magno cum Actionum Synodalium contemptu, aut ad vulgi concitationem, communicare; neque expectare velle donec actiones prædictæ Synodi ad finem perductæ & conclusæ fuerint, prout fieri æquum ac necessarium erat: quæ omnia cum in Republica bene constituta tolerari nequaquam debeant, sed adversus istiusmodi mala, hoc præsertim tempore, mature prospici, eademque secundum jura, Edicta præcedentia, Leges, & consuetudines Fœderatarum Belgij Provinciarum impediri ac puniri consultum sit ac necessarium; Hac de caussa, Nos matura deliberatione consultationeque habita, denuo vetavimus atque interdiximus, vetamus atque interdicimus omnibus ac singulis, cujuscunq; sint status, nationis, qualitatis & conditionis, de legitima Provinciarum gubernatione, civitatumque Magistratibus sinistre loqui, Libros aut libellos ullos, Cantilenas, Narratiunculas, aut Versus, scandalo aut seditioni servientes, aut alia eiusmodi scripta, qualiacunque tandem ea sint, quocunque etiam idiomate aut lingua conscripta, posthac in Fœderatas hasce Belgij Provincias inferre, in ijsdem excudere, eadem vel excusa vel descripta divulgare, divendere, disseminare, aut circumferre; ac nominatim quoque Scripta, Acta, vel Actiones, quæ jam in prædicta Synodo tradita, constituta, aut celebrata sunt, aut quæ in posterum in eadem tradi, constitui, aut celebrari possent, antequam idipsum à nobis publica Constitutione atque autoritate fuerit statutum, permissum, & specialiter indultum: ut hac ratione conventus hujus, tam diu votis expetiti, fructus bono publico perfecte obtineri aliquando possint, utq; Delegati nostri ad eandem Synodum,* instituti

institutisui quod in tota hujus Synodi inspectione habent, compotes fieri queant, ad Dei gloriam, Ecclesiarum bonum, tranquillitatem, ac pacem, & Synodi simulq; Delegatorum laudem atque honorem: sub pœna amissionis talium scriptorum, libellorum, cantilenarum, istiusque generis scriptionum aliarum omnium, ac præterea ducentarum librarum, quarum singulæ quadraginta valent grossos, prima vice. Secunda autem vice sub pœna duplici & correctione arbitraria, atque insuper etiam pœna corporali, qua secundum rei circumstantias & necessitatem, cum Author, & Typographus, tum etiam divulgator, distributor, ac divenditor eorundem, punientur. Utque hæc omnia tanto melius observentur, interdicimus omnibus harum Fœderatarum Belgij Provinciarum Typographis, ne posthac quidquam imprimant aut divulgent, nisi idipsum Provinciarum Delegatis Consiliarijs, seu Deputatis Ordinibus, aut illis, quibus in singulis civitatibus peculiariter hæc autoritas demandata erit, prius exhibitum, atque ab ijsdem perspectum permissumque fuerit; ita vt post hanc permissionem, eidem scripto nihil addi vel demi liceat. Tenebuntur quoque omnes Typographi, sibi servare omnium librorum atque actorum, quæ excusa ab illis fuerint, exemplar authenticum, atque illud ipsum ad Delegatos Provinciarum Consiliarios, seu Deputatos Ordines transmittere, antequam libros ullos, ullave acta divulgare aut divendere ipsis licebit, vt constare queat, quid ijs postea vel additum vel demptum fuerit. Adjungent etiam omnes Typographi singulis exemplaribus ab ipsis impressis nomen suum, locum habitationis, & annum in quo excusa erunt, uti quoque nomen Autoris, vel Interpretis, simulque apponent literas Permissionis in secunda primi folij pagina expressas: Sub pœna etiam centum librarum, quarum singulæ quadraginta pendunt grossos, & amissionis omnium exemplarium prima vice. Secunda autem vice, sub pœna ducentarum similium librarum, & amissionis exemplarium. Tertia vero vice, sub pœna trecentarum similium librarum, & relegationis ex Fœderatis Provincijs per annos decem. Hæc omnia quo accuratius observari queant, mandamus omnibus prædictarum Provinciarum Typograpis, vt intra spatium octo dierum, post edicti hujus publicationem, coram Magistratibus locorum, in quibus habitant, renovent juramentum, quo sancte promittant sese in omnibus huic edicto obedientiam esse præstituros; sub pœna, vt singulis postea mensibus mulctentur centum libris, quarum singulæ quadraginta pendunt grossos, quam diu in præstando hoc juramento negligentes deprehendentur. Omnium autem harum mulctarum pars tertia cedet Prætori, qui Edictum hoc executioni mandabit, altera pars tertia indici, & quæ superest pars tertia, Reipublicæ. Quapropter omnibus Prætoribus & Justitiæ administratoribus, quorum hoc est munus, injungimus & mandamus, ut diligenter inquirant, quinam Edictum hoc nostrum transgrediantur, eosque sine ulla dissimulatione, secundum Edicti hujus nostri formam, puniant, & vt puniantur, curent. Nemo autem vt hujus rei ignorantiam prætendere queat, denunciamus Dominis Ordinibus, Præfectis, Delegatis Consiliarijs, & Deputatis Ordinibus Provinciarum Geldriæ, Comitatus Zutphaniæ, Hollandiæ & VVest-Frisiæ, Zelandiæ, Ultrajecti, Frisiæ, Transisulaniæ, vrbis Groningensis & Omlandiarum, omnibusque alijs justitiæ administratoribus & Prætoribus harum Fœderatarum Belgij Provinciarum, postulamusque, vt hoc Edictum nostrum sta-

tim publicari atque affigi curent in omnibus locis, in quibus ejusmodi publicationes atque affixiones fieri solent: vtque adversus transgressores, prædictarum pœnarum irrogatione, agant, atque agi curent, sine ulla gratia, favore, dissimulatione, aut mora: quoniam Nos bono atque incolumitati Reipublicæ idipsum expedire judicavimus. Datum Hagæ-Comitis sub Sigillo nostro & subsignatione tum nostra, tum etiam Graphiarij nostri, die Vigesimo secundo mensis Decembris, anni millesimi, sexcentesimi & decimi-octavi. Subsignatum erat Gisbertus à Boetselaer v^t. *paulo inferius scriptum erat, Ex mandato Illustrium ac Præpotentum Ordinum Generalium, & signatum* C. Aerssen. *Sigillum autem eorundem Dominorum Ordinum eidem impressum erat in cera rubra.*

Eadem Sessione Remonstrantes Citati in Synodo comparuerunt, quibus à D. Præside exposita est citationis causa, monitique sunt, vt petitæ dilationis rationes Synodo exponerent. Responderunt, se Apostolorum more & exemplo, huic Synodo precari à Deo Patre, & Domino nostro, Iesu Christo, gratiam Spiritus Sancti, vt is consilia, quæ turbatæ Ecclesiæ, patriæque essent salutaria, suggerat. Appulisse se hesterna die mandato eorum, quorum autoritatem subterfugere non potuerint, vt causam suam, quemadmodum antehac, ita nunc, bona conscientia defenderent. Venisse denique vt intelligerent, quando ad collationem accedendum esset: occupatos adhuc se esse in explicandis cistis, ideoque D. Præsidi indicasse, videri æquum, vt dies unus atque alter concederetur sibi, vt sese interea pararent. Neque tamen hoc postulasse, aut quidquam Synodo præscribere velle, sed Illustrium D D. Delegatorum & Synodi arbitrio permittere. Qui concedendam ipsis dilationem in diem crastinum censuerunt: quod & Synodo placuit. Et quandoquidem collationis instituendæ mentionem fecissent, diserte ipsis significatum est, non esse eam Illustrium Delegatorum & Synodi mentem, vt solennis, tanquam inter partes, aut Pædagogica quædam institueretur collatio atque disputatio, cum citati essent (quod & Citatoriæ exprimerent) vt sententiam suam de quinque notis Articulis dilucide proponerent, explicarent, quantumque possent defenderent: ac deinde Synodi de ijs expectarent judicium. Monitique sunt, vt in scopum hunc intuerentur, istisque sese terminis continerent.

Citati Remonstrantes publice insuper significarunt, se libello supplice ab Illustribus ac Præpotentibus Ordd. Generalibus petijsse, vt Nicolaus Grevinchovius, & Simon Goulartius, quos acerrimos causæ suæ patronos & vindices vocabant, in defensione hujus causæ, ipsis adjungerentur: hanc petitionem ab Illustribus ac Præpotent. Ordinibus Generalibus ad Synodum remissam esse. Petere itaque obnixe, vt duo illi supra dicti ipsis adjungi possint, quos & antea ad eam rem fuisse nominatos intellexerant. Se interim caussam esse auspicaturos, neque se Synodum, dum illos præstolarentur detenturos. Cumque secessissent, missi sunt ad eos Ultrajectini Remonstrantes, vt libellum illum supplicem cum Responso Illustr. Ordd. Generalium postularent. Qui retulerunt, respondisse ipsos, libellum illum supplicem non esse sibi redditum: neque enim scripto sed verbis ab Illustribus Ordd. Generalibus responsum ipsis fuisse. Cumque de hac re ageretur, Zuyt-Hollandi indicarunt Nicolaum Grevinchovium in postrema Synodo Zuyt-Hollandica Delphis habita, à Ministerio fuisse remotum. Uti ex sententia illius Synodi, contra ipsum lata, quæ prælecta fuit, patebat. Etiam Gallo-Belgici declararunt, Simonem Goulartium, à Ministerio Ecclesiæ Amstelodamensis, approbante Synodo Gallo-Belgica, remotum jam dudum fuisse. Illustres Delegati, responsum ad hanc petitionem, in diem proximum, differendum esse existimarunt.

Sessione

Digitized by Google

Sessione Vigesima-tertia,

VII. Decembris, Die Veneris ante meridiem. SESS. XXIII.

Illustres Delegati, sententiam suam de postulatione Remonstrantium, Decreto hoc publico declararunt:

Ad petitionem Remonstrantium, qui Greuinchouium ac Goulartium, quorum præsentia atque patrocinio, opus sibi esse judicarent, adjungi sibi postularant; Illust. ac Præpot. DD. Ordinum Delegati, cognita abdicationis utriusque sententia, à competentibus judicibus pronuntiata, ac legitime executioni demandata, neque ulla provocatione hactenus, ad superiorem, vel querela ulla, ut loquuntur, suspensa; declararunt, atque hoc ipso publice declarant, sese postulationi eorundem Citatorum ac petitioni, ex mandato DD. Ordinum, annuere nec posse nec debere. Ita tamen, ut benigne, atque ex favore, eidem Goulartio ac Greuinchouio permittant, uti libere ad Synodum veniant, causam Remonstrantium, privatim consilio promoveant ac instruant: ea lege, ut nulla aut dilatio aut mora Synodalibus injiciatur actionibus. Auditis insuper ac plene excussis eorundem Citatorum rationibus; concesserunt, atque hoc ipso concedunt, ut si quid ad explicationem aut defensionem quinque notissimorum Articulorum, ut & cæterorum quæ ab iis dependent, ante Decreti Synodici promulgationem, deesse existimaverint, quod ad pleniorem eorundem atque ulteriorem facere intellectum videatur, impetrata à Synodo venia, breviter & modeste id proponant atq; scripto comprehendant, seque Synodi judicio submittant. Quemadmodum censuras omnes ac sententias, quæ hactenus adversus eos latæ sunt, ratas atque firmas esse volunt. Quibus nihil beneficio hoc suo, derogatum aut detractum eunt. Quin contra, ut autoritatem, sicut par est, plenam atque firmam obtinere pergant, æquum esse judicant.

Huic DD. Delegatorum sententiæ acquiescendum esse, Synodus judicavit.

Quia autem Remonstrantibus Ultrajectinis, datum in mandatis fuerat, uti causam Remonstrantium defenderent, ideoque, pro Citatis ad eiusdem caussæ cum reliquis defensionem, essent habiti, ut ex Citatoriis quoque literis apparet, ipsorumq; eadem, quæ est M. Simonis Episcopii, ratio esse videretur, moniti sunt amice, ut cogitarent, utrum, dum ea res ageretur, inter Iudices sedere, Synodicumq; cum reliquis præstare juramentum vellent: an vero, potius, sese, ut eiusdem causæ defensores, Remonstrantibus citatis adjungere deberent. Videri enim aut hoc esse faciendum, ut suorum Delegantiũ mandatis satisfacerent: aut mandata ea ipsis esse deferenda, novaq; ab iisdem esse postulanda. Petierunt, vt hęc propositio, scripto ipsis exhiberetur, tempusq; deliberandi concederetur. Quanquã autem hoc, neq; moris, neq; necessarium esse videretur, cum res satis esset manifesta, vt tamẽ ipsis omnino satisfieret, aliquoties repetita, ac deinde scripto ipsis est tradita, tempusq; in crastinũ diem deliberandi concessum.

Comparuerunt eadem hac Sessione Remonstrantes Citati. Quibus indicatum fuit, quid ad petitionem ipsorum de admissione Grevinchovij & Goulartij esset statutum, eumq; in finem Illust. Delegatorum Decretum fuit prælectum. Ubi consedissent; M.

 Simon

Simon Episcopius, S. Theologiæ in Academia Leydensi Professor, omnium nomine, venia non impetrata, orationem habuit. Qua significabant, eos se esse, qui observasse sibi viderentur quædam à nonnullis magni alioquin nominis & famæ Viris, magno asseri molimine, quæ cum gloria sapientiæ, bonitatis, & justitiæ divinæ, Servatoris nostri φιλανθρωπίᾳ, satisfactione, ac meritis, Verbi, Ministerij S. Sancti natura, Sacramẽtorum usu, deniq; cum officio Christiani hominis, consistere non posse existimarent. Quæ deinde cum ingenti offendiculo bonorum, indelebili Reformationis nostræ macula, incredibili pietatis jactura, conjuncta esse arbitrarentur. Quibus deniq; luculẽta adversarijs nostris Reformationem suggillandi & obtrectandi præberetur materia. Majora hæc fuisse & graviora, quam ut tacite ad ea conniverent. Conatos itaq; hanc injuriam & maculam, ab Ecclesijs nostris amoliri: quamvis hoc propositum non recte ipsis cessisset. Hanc ob causam male esse habitos, publicamq; invidiam subijsse: ob eandem multis injurijs fuisse affectos, quas prolixe, multaq; exaggeratione exponebant. Tria hęc ab ipsis inprimis acta fuisse: primo, quod aperte se, atque ex professo opponere ijs conati essent, qui nonnulla horrenda & abominanda quorundam Doctorum placita, aut ipsi se tenere profitebantur, aut pro genuina Ecclesiarum nostrarum sententia, habenda atq; retinenda esse assererent. Alterũ, quod abhorruissent, palamq; ijs se opposuissent, qui propter quinq; ipsorum articulos, ante ullam Synodi sententiam, secessionem, vel absolute, vel per provisionem, ut loquuntur, posse fieri, aut faciendam esse judicassent, vel silentio, factove ipso, id se approbare demonstrassent. Tertium, quod eorum rigorem semper improbassent, qui manentibus salvis, veritatis inprimis necessarijs fundamentis, dissentiones sæpe leviculas & non necessarias, in suspicionem atrocissimæ hæreseos continuo vocassent. Accessisse quæstionem de Iure & autoritate Magistratus circa sacra. Hæc tanti fuisse sibi visa, ut muneri suo neutiquam satisfacturos sese crederent, nisi ijs, quantum possent, irent obviam. Synodum deniq;, atque exteros inprimis Theologos, obtestabantur, ut positis præjudiciis, sincere de causa cognoscerent. Se autem ea spe accessisse, ut aut eam, sicut hactenus defenderant, Synodo probarent: aut veritatis victoriam, si illa caderent, reportarent.

Finita oratione, postulavit D. Præses, ut exemplar, ex quo recitata fuerat, Synodo exhiberetur. M. Episcopius respondit, aliud se non habere, neque hoc esse nitide descriptum, ac propterea petere, ut describere prius ipsis liceret. Cumque instaret Præses, ut hoc ipsum qualecunq; esset exhiberet, petijt Episcopius, ut vel ipsum autographum vel apographum authenticum sibi redderetur: æquum enim esse ut ipse orationis à se habitæ exemplar haberet. Cæterum cum eadem oratio, nonnulla etiam politica continere videretur, mandarunt Illustr. DD. Delegati, ut Remonstrantes singuli eam subsignarent. Quod & factum fuit. Atq; ita subsignatam Synodo exhibuerunt. Monuit deinde Præses dictum Episcopium, orationem hanc intempestive ac præter ordinem, venia à Synodo non impetrata, ab ipso habitam fuisse: cum præsertim nondum ipsis indicatum esset, qua de causa eo essent advocati. Neq; decuisse in primo Synodi ingressu, præmeditata oratione & falsis criminationibus adversus symmystas suos plena, animos præoccupare & exacerbare.

Quoniam vero Illustr. ac Præpotentes DD. Ordines Generales, in legibus, quibus hanc Synodum convocandam & celebrandam decreverant, articulo decimo expresse mandarant, ut omnes ad Synodum deputati, in omnibus illis quæ veritatem concernerent doctrinæ, adhibito iusto plenoq; examine, solum Dei verbum, non autem ulla alia scripta, pro unica veritatis norma haberent, atq; hoc ipsum se facturos, nihilque aliud quam Dei gloriam & Ecclesiarum pacem ante oculos esse habituros, juramento obstringerentur; cumq; ad causam doctrinæ, præsentibus iam Remonstrantibus, pertractandam, esset veniendum, monuit Præses, ipsam rem nunc postulare, ut huic Illustrium ac Præpotentum DD. Ordinum Generalium, præscripto satisfieret. Atque hunc in finem ipse, hac concepta formula, præsentibus, etiam citatis, prævivit:

Promitto coram Deo, quem præsentissimum renumque & cordium scrutatorem credo & veneror, me in tota hac Synodali actione, qua instituetur examen, judicium & decisio, tum de notis quinq; Articulis, & difficultatibus inde orientibus, tum de omnibus reliquis doctrinalibus, non ulla

Digitized by Google

ulla ſcripta humana; ſed ſolum Dei verbum pro certa ac indubitata fidei regula adhibiturum: mihiq; in tota hac cauſa nihil propoſitum fore, præter Dei gloriam, tranquillitatem Eccleſiæ, & cum primis conſervationem puritatis doctrinæ. Ita propitius mihi ſit Servator meus Ieſus Chriſtus, quem precor ardentiſſime, ut in hoc propoſito Spiritus ſui gratia mihi perpetuo adſit.

Reliqui omnes Paſtores pariter & Seniores Belgici ad Synodum Delegati, ac deinde omnes exteri Theologi ordine aſſurgentes, clara voce declararunt ſinguli, idem ſeſe coram Deo ſancte promittere, ac jurare: teſtatique ſunt, tali ſe animo ad Synodum veniſſe: ſediſſe hactenus in ea: atque in poſterum per Dei gratiam eſſe verſaturos.

Remonſtrantibus Ultrajectinis, quia nondum declaraverant, utrum reliquis Citatis, tanquam cauſæ ejuſdem defenſores adjuncturi ſe eſſent, an vero cauſæ Remonſtrantium defenſioni renunciare, atque in poſterum non ut defenſores, ſed ut Iudices, in Synodo ſedere vellent; juramentum non fuit delatum.

Seſſione Vigeſima-quarta,

Sess. XXIV.

VIII. *Decembris, Die Saturni ante meridiem.*

VLtrajectini Remonſtrantes rogati ut ſententiam ſuam de heſterna propoſitione declararent, ſcripto reſponderunt, paratos ſe cum reliquis Synodicum præſtare juramentum: atque arbitrari, non tam arcte ſe mandato de defenſione cauſſæ Remonſtrantium adſtrictos teneri, cum præſertim literæ mandati, hanc defenſionem liberam permitterent, hoc eſt, ſiquidem ipſi eam neceſſariam exiſtimarent. Se autem iudicare, neceſſarium nunc non eſſe, ut ſe Remonſtrantibus Citatis ad defenſionem huius cauſæ adjungerent. Qua de re ut conſtaret, iuſſi ſunt literas mandati, aut earum ſaltem partem quæ permiſſionem iſtam contineret, Præſidi exhibere. Quibus prolatis, ac periodis quibuſdam ex ijſdem publice prælectis, rogata eſt Synodus, ut declararet, an poteſtas de hac cauſſa judicandi ſatis manifeſte illis concederetur, ideoque, utrum, tanquam eius cauſſæ Iudices, ſedere in Synodo deberent ac poſſent. Quamvis autem ex prælectis iſtarum literarum periodis liquido conſtare non poſſet, judicandi atque decidendi poteſtatem ipſis eſſe datam, meliuſque facturi eſſent, ſi liquidioribus mandatis, quibus defendere hanc cauſam juberentur, acquieſcerent, cum præſertim ideo nulli Remonſtrantes ex Provincia Ultrajectina ad eiuſdem cauſæ defenſionem eſſent citati, tamen ne Synodus calumniis exponeretur, quaſi excludere eos vellet, declaratum fuit, eos, inter Iudices hiſce conditionibus ſedere poſſe: 1. Ut rotunde & ſincere declararent, poteſtatem ſe habere non accommodandi tantum; ſed & decidendi, ſeu definiendi, non de veritate tantum; ſed de falſitate quoque quinque Articulorum: ſi eos in conſcientia falſos eſſe convicti eſſent. 2, Ne in hac cauſſa cum Citatis communicarent, neve eliminarent ea, quæ abſentibus Citatis in ipſorum cauſſa agerentur aut dicerentur. 3. Ne dum cauſſa hæc agitur, importunis interpellationibus, actionem Synodi turbarent. 4. Ut in ordine Iudicum poſtea manerent, neque liberum ipſis, poſthac ſeſe Remonſtrantibus, ſive defenſoribus hujus cauſæ adjungere, eſſet. Quinto denique, ut idem Iuramentum Synodicum, quod ab alijs judicibus præſtitum fuit, ipſi etiam præſtarent. Quæ propoſita cum eſſent, petierunt denuo, conditiones has ſcripto ſibi tradi, ac deliberandi de ijs tempus dari. Quorum utrumque illis eſt conceſſum: datumque uſque in veſperam deliberandi tempus.

Eadem Sessione prælectæ sunt literæ, à Deputatis Synodi Hollandiæ Australis, ad Præsidem & Adsessores scriptæ, quibus petebatur, vt Theophilo Ryckvvaert, Ecclesiæ Brielensis Pastori, qui hic inter Citatos Remonstrantes aderat, per triduum ab hac Synodo abesse liceret: vt in classe Brilana, in cujus visitatione versabantur ad accusationes, quæ adversus ipsum multæ gravesque in eadem Classe productæ erant, respondere posset. Illustres Delegati, sententiam de hac petitione rogati, responderunt: Etsi illi qui ad majus tribunal jure evocati sunt, ad minus jure evocari nequeant, tamen permittendum esse arbitrio dicti Theophili, utrum se hoc tempore ibidem classi nec ne vellet sistere. Cui Nobilissimorum atque Generosorum Delegatorum sententiæ, Synodus acquievit.

Sess. XXV.

Sessione Vigesima-quinta,

x. *Decembris, Die Lunæ ante meridiem.*

POst habitas preces ordinarias, significatum est à Præside, Remonstrantes Ultrajectinos propridiana vespera, sibi, Adsessoribus & Scribis responsum hoc scripto exhibuisse, quod & Synodo prælectum fuit.

Responsum Remonstrantium Vltraiectensium ad conditiones ipsis propositas, privatim exhibitum.

Ad conditiones nobis scripto exhibitas hoc in universum respondemus: Causæ nihil esse, cur arctioribus & pressioribus conditionibus adstringendi simus nos, quam alia Synodi hujus membra, ante præstitum juramentum adstricta fuere. Cum hactenus ad Synodum admissi simus, nec quidquam indignum venerando hoc cætu commissum à nobis sit. Pari cum aliis jure vocati huc accessimus; pari jure suffragium diximus hactenus, pari jure, ut porro quoque huic Synodo interesse liceat, æquissimum putamus: nec hic, indulgentiam ullam agnoscimus. Quod si tamen alia hujus Synodi membra declarent, se in conscientia existimare, sibi à Deputantibus datam esse potestatem quinque Articulos Remonstrantium non tantum accommodandi; sed etiam definitive sententiam suam pronuntiandi, non tantum de veritate, sed etiam de falsitate eorundem, si in conscientia falsos judicaverint, uti habet prima conditio, neque nos gravabimur rotunde ad hoc respondere. Ad secundam conditionem respondebimus tunc, quando Synodus hæc Remonstrantes judicaverit omnes partem adversam, cum qua non liceat de his rebus communicare, quæ in Synodo dicuntur aut aguntur. Quod autem de eliminatione dicitur, mirum nobis videtur, cum spectante & audiente frequentissimo auditorum theatro, negotia Ecclesiastica hic loci transigantur: quibus omnibus, aut silentium foret imperandum, aut ad hanc Synodum aditus occludendus.

Ad tertiam conditionem, consentimus.

Ad quartam quod attinet, novimus utique, quid modestiam nostram coram veneranda hac Synodo deceat, nec indecoris interpellationibus alijs Synodi membris molesti erimus, uti neque fuimus antehac. Iuramentum vero cujus mentio fit quinta conditione, præstare sumus paratissimi: & ea quidem conscientia, cujus rationem aliquando Deo judici reddendam scimus.

Deinde declaravit Præses, Remonstrantes Ultrajectinos, de conditionum harum sensu & æquitate, melius edoctos, promisisse se rem maturius esse consideraturos, deque ea deliberaturos, atque eadem vespera responsum categoricum daturos esse. Isaacum autem Frederici, & Samuelem Neranum, hoc ipso demum mane responsum hoc exhibuisse.

Responsum

Digitized by Google

Responsum eorundem posterius Synodo exhibitum.

Quandoquidem videmus, maximam huius Synodi partem, in ea esse sententia, quod iudicent, nos citatis Remonstrantibus adiungere in hac Remonstrantium caussa debere: aliquos vero indulgentiam & gratiosam concessionem interpretari, si locus nobis inter Synodi membra concedatur, quem nobis pari cum alijs iure competere arbitramur: & plerisque nostram præsentiam nunc, ubi de Remonstrantium sententia agitur, ingratam esse, & super hac re diu multumque disceptatum sit: nos Ultrajectini Remonstrantes, re in accuratius examen vocata & serio expensa, ne longior super hac re disceptatio Synodalibus actionibus remoram injiciat, nos, Remonstrantium citatorum cœtui in hac caussa, salvo principalium nostrorum iure, adiungemus.

Subscriptum erat, 10. *Decemb.* CIƆ IƆ C XVIII. *ante meridiem:*
Isaacus Frederici & *Samuel Neranus.*

Significavit insuper D. Præses, Consultissimum Virum D. Stephanum Helsdingium, Ultraiectinæ Ecclesiæ Seniorem, promptitudinem suam in præstando debito iuramento ac sinceritatem etiam suam sibi abunde probasse. Quia autem cum alijs illis duobus se non coniunxerat, neque in Synodo eius negotij caussa comparuerat, deliberatum fuit, annon ad Synodum vocandus esset, ut mentem suam eidem coram exponeret. Monuerunt autem Generosi Delegati, ut illius caussa in dies aliquot differretur.

Reverendi Viri D. Theodorus Tronchinus; & D. Hieremias Poursius, qui iusta & Synodo probata de caussa, cum iuramentum Synodicum præstaretur, abfuissent, id ipsum hac sessione solemniter præstiterunt.

Eadem fuit monitum, Remonstrantes, ante aliquot dies, cum Dordracum primum appulissent, scriptum quoddam Theologis exteris exhibuisse, in quo non nemini in rebus ad historiam pertinentibus iniectus fuit scrupulus, rogatumque est, annon esset opere-pretium scriptum hoc Synodo exhiberi. Exteri Theologi declararunt, scriptum tale Apologeticum à Remonstrantibus fuisse ipsis ante aliquot dies oblatum, seque eiusdem exemplar Synodo libenter communicaturos. Iudicavit autem Synodus, haud recte à Remonstrantibus factum, quod ad exterorum Theologorum animos præoccupandos, scriptum privatim sparsissent: debuisse eos, si quid ad defensionem suæ causæ haberent, publice Synodo proponere.

Comparuerunt denuo citati Remonstrantes, quibus duo Ultrajectini, Isaacus Frederici, & Samuel Neranus sese adjunxerant. Quibus & mandatum fuit ut orationi à M. Simone Episcopio nuper habitæ, una cum reliquis subscriberent. Qui sibi tempus accuratius perlegendi eam atque expendendi petierunt. Quod & concessum illis fuit.

Monitus eadem sessione fuit M. Episcopius, quia nuper iussus tradere orationis habitæ exemplar, unum modo se habere dixerat, cum tamen postea compertum esset, bina eum habuisse, aliudque Synodo tradidisse, quam ex quo eam recitasset, ut cum veneranda Synodo candidius in posterum ac sincerius ageret. Respondit, se haud parum sibi gratulari, occasionem dari rumorem huius rei, de qua erat monitus, in vulgus sparsum, diluendi: nunquam se dixisse, unum tantum se exemplar eius habuisse; sed exemplar satis nitide descriptum se non habere. Adjungebat Eduardus Poppius, se reliquosque qui proxime illi assederant, idem testari. Explicatæ sunt deinde Remonstrantibus caussæ; propter quas potissimum citati essent, prout illæ breviter in Citatorijs expressæ essent: ut, videlicet, sententiam de quinque Articulis suam proponerent, explicarent & defenderent, simulque quas haberent in Confessionem, & Catechesin harum Ecclesiarum considerationes suas exhiberent. Rogati ergo sunt, num præstare id ipsum, nunc parati essent. Petierunt ad hæc illi, ut liceret sibi, antequam ad ipsam rem deveniretur, quædam scripto comprehensa, quæ omnino judicarent esse præmittenda, Synodo proponere. Responsum fuit, licere quidem, modo quæ proponenda essent, non ad personas; sed ad rem ipsam pertinerent. Quæ cum esse talia asseverassent, prælectum ab illis fuit scriptum hoc prolixum:

Nobilissimi, Amplissimi, Domini, Illustrium Ordinum Generalium Delegati, Honorande D. Præses, Reverendissimi, Pijssimi, Doctissimi, Clarissimi Domini, Patres ac Fratres colendissimi.

Nos, Professor SS. Theologiæ, & Ecclesiastæ reliqui, qui quidem per literas, tum Delegatorum Illustrium & Præpotentum Ordinum Generalium, tum etiam Ecclesiasticorum, ad Synodum hanc Nationalem vocati & citati sumus (ad quam accedere paratos fuisse Remonstrantes, etiam ante factam citationem, paucis retro septimanis supra dictis Delegatis Generalium Ordd. exhibito super hac re libello supplice, liquido probatum fuit) & impræsentiarum omnes & singuli, obedientiam nostram summis Potestatibus testaturi præsto sumus, VV. RR. omnibus & singulis pacem & gratiam Domini nostri Iesu Christi ex sincero cordis affectu precamur, optantes, & ardentibus votis apud eundem Dominum Jesum Christum contendentes, ut felicibus hæc ipsa Synodus auspicijs incipiat, felicioribus procedat, felicissimis desinat, ad veritatis, quæ quidem secundum pietatem est conservationem, pacis & concordiæ (proh dolor!) violatæ restaurationem, multarum, quæ in Ecclesias irrepserunt, corruptelarum averruncationem, Reformatæ religionis propagationem & divini nominis gloriam. Amen.

Cum autem in Ecclesia, quæ Domus Dei est, juxta Apostolicam admonitionem, omnia εὐσχημόνως καὶ εὐτάκτως fieri debeant, præcipue vero, cum de ijs rebus disceptatur, quæ Ecclesiarum plurimarum salutem incolumitatemque concernunt; nos vero ad eam citati simus, ut exortæ in negotio religionis controversiæ examinentur, & exulcerati atque exacerbati utrinque animi leniantur, uti habet Delegatorum Illustrium Ordd. Epistola, utque sententiam nostram quoad controversos articulos libere proponamus, explicemus, defendamus; visum fuit nobis omnibus & singulis, in antecessum totius negotij, conditiones aliquot æquissimas stipulari, ne temeraria & præcipiti agendi ratione, vel veritatis defensionem improvide suscepisse, vel conscientiarum nostrarum rationem minus habuisse videamur. Sunt autem conditiones illæ, eædem, quas sibi concedi ab Illustribus Hollandiæ Ordinibus sex Collationis Hagiensis Collocutores non ita pridem exhibita ipsis Ordinibus Holl. Remonstrantia, sive declaratione, flagitarunt. Quarum quidem prima & præcipua hoc habet: ut quæ inter nos & Synodum erunt transigenda negotia, non apud eam, tanquam legitimum controversiarum nostrarum judicem; sed tanquam partem adversam transigantur. Neque enim ab animo & conscientia nostra impetrare possumus, ut eos pro causæ nostræ æquis judicibus agnoscamus, qui se palam professos nostros adversarios esse, facto à nobis, sive per provisionem, uti loquuntur, sive peremptorie, schismate, alijsque inique agendi modis, testati sunt. Hujus vero schismatis reos habemus maximam partem eorum, qui ad hanc Synodum ex Confœderatis Provincijs convenere, Ecclesiasticorum. Quorum alij schismati formando operam suam commodarunt: alij factum varijs in locis foverunt: alij silentio, hoc est, tacita approbatione, venerati sunt. Nec non aliquos eorum, qui hos ipsos Ecclesiasticos literis suis Fiduciarijs ad Synodum delegarunt. Vt his ipsis causæ nostræ judicium committere nihil aliud foret, quam partem adversam & à nobis separatam, & ulla sacra nobiscum habere communia recusantem, pro judice agnoscere. Exteros tamen Theologos excipimus: à quorum æquitate, fide, & prudentia, meliora speramus. Quod ne à nobis dici tantum putent Vestræ Rever. probationes subjungimus; plura addere parati, si res exigat. Quare hac præmissa præfatione, nos Synodum præsentem non agnoscere pro sententiæ nostræ legitimo judice (quod de Exterarum Ecclesiarum Theologis dictum nolumus) ad con-

ad conditionum quas à Vestris Rever. stipulamur recitationem progredimur, in quibus adea solum attendi petimus, quæ rei caput concernunt, neglectis aliquot circumstantijs, quæ præsenti tempore (menses enim aliquot effluxere, ex quo illæ Illustribus Hollandiæ Ordinibus exhibitæ sunt,) minus convenire videbuntur.

Conditiones Synodi legitime instituendæ, quas Remonstrantes Ecclesiastæ primum supplice libello ab Illustrissimis Potentissimisque Hollandiæ & West-Frisiæ Ordinibus, sibi concedi petiverunt; atque etiamnum Remonstrantes, qui speciatim per literas ad Synodum Nationalem vocati sunt, sibi concedi petunt; munitæ testimonijs Reformatorum Doctorum, nec non rationibus perspicuis ac solidis.

1. VT utriusque partis concionatores, Remonstrantes, & Contra-Remonstrantes, tanquam partes adversæ ad Synodum evocentur Nationalem, concessa non Contra-Remonstrantibus solum, sed & Remonstrantibus libertate, eos ex suo cœtu, idque iusto numero, delegandi, quos ad præsens negotium quam maxime idoneos judicabunt: & quantum particulares Synodos attinet, si ad eas quoque vocare Remonstrantes propositum sit, ut hinc inde quidam delegentur, ex utroq; Hollandiæ tractu: quo pari numero, unaquaque parte pro lubitu suo ex hoc vel illo tractu plures pauciores ve delegante, de negotijs Ecclesiasticis in timore Domini præparatorie deliberent: ut utriusque partis Pastoribus imperetur, unum ut in cœtum omnes qui ejusdem sunt sententiæ, conveniant, quo libere de ijs, quæ quisque defendenda sibi sumet inter se conferant, ideoque ut ex tota Synodo duo fiant cœtus, singuli a suo Præside & Scriba instrudi, quibus quoque cœtibus licitum sit in distincta subinde cubicula ad deliberandum se recipere. Ad Conditiones [illegible]

2. Ut salvus conductus omnibus concedatur, qui ad Synodum aut Synodos venturi sunt, sive deputati ad eam fuerint, sive non, utque sedulo caveatur, ne quisquam vel verbo, vel facto lædatur.

3. Ut in ipso Synodi limine ἀμνηστία universalis omnium offensarum & privatarum injuriarum, hinc inde sanciatur.

4. Ut solennis & plenaria instituatur renunciatio, primum in conventu præparatorio nomine Synodi particularis (si necessarius is judicabitur) & mox in Nationali Synodo, omnium contractuum, fœderum, condemnationum & præjudiciorum quæ ante Synodi celebrationem inita susceptaque sunt; etiam schismatum & secessionum inde subsecutarum: utque Ecclesiastæ hinc inde suas quoq; Ecclesias separatas ad finem usque Synodi curantes, tamen pro fratribus in Christo alij alios agnoscant, & pro membris veræ Reformatæ Ecclesiæ habeant, & qua tales, in conventu præparatorio & Synodo Nationali compareant, nomen Domini invocent, & ea, quæ incident, negotia tractent.

5. Ne cuiquam molestia facessatur propter obse[illegible]atem jam à controversiarum initio in istum usque diem, sive scribendo, sive dicendo, sive Remonstrantias exhibendo, sive consilia summis Magistratu[illegible] [illegible] submin[illegible]strando, sive ijs obtemperando, procedendi ac agendi [illegible], [illegible] ut doctrina ipsa, de qua controvertitur, examinetur.

6. Ut ita examinata & expo[illegible] [illegible] [illegible] partis, quo ad controversias præsentes sententia, rationibus [illegible] [illegible] conveniat, vel non conveniat, cum doctrina Reformatarum Ecclesiarum, [illegible] Confessione & Catechismo expressa forte putabitur; Verum ut primo & [illegible] omnia disquiratur, an cum Verbo Dei conveniat, utque non nisi [illegible] in qua[illegible] veritatem singulorum articulorum attendatur, ideoque [illegible] iuramenti coram Deo sancte præstandi, promittat, se non respecturum in hoc negotio ad Confessionem, Catechismum, aut ullum aliud humanæ autoritatis scriptum, scriptorem que; sed ad solam sacram Scripturam, quæ pro sola fidei norma habebitur: nec quidquam propositurum, nisi quod apud conscientiam [illegible] judicat cum ista regula congruere: se Synodo suffragaturum in omnibus, de quibus ex Dei verbo se convictum iudicabit; ideoque hoc ipso iuramento se immunem credat ab omnibus alijs iuramentis, promissis, li-

teris

teris fiduciarijs, mandatis, quæ vel directe vel indirecte huic juramento contravenire queant.

7. Ut utrinque ſcriptis agatur, niſi forte conſentiatur, ſive in totum, ſive parte tenus, in collationem viva voce. Qua in re utrique parti iuſtum tempus dabitur, ut ſcripta debite & prout quiſque cauſſæ ſuæ expedire judicabit, concinnentur.

8. Ut etiam diſpiciatur de reviſione Catechiſmi & Confeſſionis jam decreta. Quo unicuique liberum ſit, ſuas conſiderationes ad illa exhibere; citra metum cenſuræ, ob exhibitionem earundem.

9. Ut de controverſis Articulis non fiat deciſio; ſed accommodationi ſtudeatur: cujus tamen via & ratio rata non habeatur, niſi accedente utriuſque partis conſenſu. Qua de cauſa quoque licitum ſit ſingulis partibus cum abſentibus deliberare, per modum receſſus: utque (ſi forte inter partes convenire nequeat, quod tamen ut fiat in timore Domini ſerio adlaborabitur) Magiſtratus ſummus diſpiciat, ſtatuatque re utrinque cognita, quem ordinem & modum, tum in docendo, tum alijs, in publicis templis obtinere velit.

10. Ut ijs, qui iſti ordini ſtatim obſequi per conſcientiam gravabuntur, juſtum tempus concedatur ſecum deliberandi & diſpiciendi, num expenſis & examinatis omnibus, ei quoque morem gerere poſſit.

11. Si poſſit, ut in Eccleſiæ ſocietatem unitatemque admittatur, & eo loco habeatur, ac ſi nulla unquam cum illo controverſia Eccleſiaſtica habita fuiſſet.

12. Sin minus, & propter hoc Eccleſiæ miniſterio abdicandus ſit, ne ultra vel à Politicis vel Eccleſiaſticis adverſus ipſum agatur: conceſſa tamen illi, quæ alijs conceditur in his regionibus, conſcientiarum libertate.

Priuſquam vero ſingularum conditionum æquitatem neceſſitatemque demonſtremus, pro generali illarum confirmatione tenendum eſt, controverſias illas, quibus componendis Synodus vacabit, non eſſe ex earum numero, in quibus Contra-Remonſtrantes, duriores nempe iſti ac rigidiores, à Remonſtrantibus, ſalva fraternitate ac pace Eccleſiarum diſſentiant, aut de quibus Paſtores ac Doctores ſoli inter ſe amice diſceptent: ſed quæ præcipiti & inconſiderato Contra-Remonſtrantium quorundam zelo, in vulgus publice & privatim, concionibus & ſcriptis ſparſæ, & pro fundamentalibus æſtimatæ, anſam ſchiſmati dederunt, plebemque adeo ipſam, hoc eſt, integras Eccleſias, Hollandicas, Geldricas, Tranſiſulanas, atque eas quæ ſunt diœceſeos Vltrajectinæ, vicinis reliquis frigidam ſuffundentibus, in duas partes diſtraxerunt. Indicio & argumento ſint.

1. Atroces à Contra-Remonſtrantibus in Remonſtrantes ſparſæ criminationes & calumniæ, tanquam in Dei oſores, injurioſos, blaſphemos, calumniatores, murmuratores, querulos, ſuperbos, glorioſos, malorum inventores, fœdifragos, profanos, *αὐτοκατακρίτους*, abominandos, lupos, totius Chriſtianæ religionis irriſores, quin & abnegatores & horribiles ſanniones Dei ac Salvatoris noſtri Ieſu Chriſti; alium ſcopum & doctrinam habentes, quam in hunc uſque diem habuerunt Chriſtus, Apoſtoli ipſius, & Reformatæ Eccleſiæ: cum quibus licitum non ſit, ullos conventus habere.

2. Quod ſententia Remonſtrantium de Prędeſtinatione cum annexis, in Eccleſijs intolerabilis judicata ſit à Contra-Remonſtrantibus, non audito atq; explorato prius Eccleſiæ judicio: Remonſtrantes ipſi hæretici proclamati. Quod pacem petentibus, reſponſum ſit illud Apoſtoli, *Quod conſortium juſtitiæ cum injuſtitia, quæ communio luci cum tenebris?* Quod operoſis voluminibus, ſumma contentione, plebi inculcatum ſit, quinque Articulos Remonſtrantium cum annexis, fundamentum ſalutis evertere atque peſſundare, neque cum fide aut ſalute conſiſtere poſſe, &c. eo quod pernicioſi magis ſint, quam hæreſis Arriana, Macedoniana, Neſtoriana, Eutychiana, &c. Quod Articuli omnes & ſinguli judicati ſint tales, qui gloriæ divinæ derogent, & veram conſcientiarum tranquillitatem perturbent ac tollant.

3. Quod, ne Remonſtrantium ſententia privato huius aut illius judicio ſolum damnata videretur, ipſi ab Eccleſijs Hollandicis ad Collationem Hagienſem Deputati Paſtores ſex, eandem quinque Articulis comprehenſam doctrinam, cum Verbo Dei, Confeſſione Belgicarum Eccleſiarum & Catechiſmo, pugnare, in eadem Collatione pronunciaverint: neque inventus fuerit hactenus inter Contra-Remonſtrantes, qui iudicium iſtud improbaverit, quantum quidem nobis conſtet.

4. Quod

Digitized by Google

4. Quod conquisita sint exterorum suffragia in Remonstrantium præjudicium.

5. Quod non pauci Remonstrantium solis quinque Articulis exceptis, cętera consentientes, aut nullius saltem ἑτεροδοξίας vel criminis coram Presbyterijs aut Classibus suis postulati, nedum convicti (quod & ordine Ecclesiæ prius factum oportuit) Ministerijs suis exautorati, alij insuper à sacræ Cænæ communione abstinere, alij Synodis excedere jussi: licet aliud quidpiam in multis prætexatur.

6. Quod preces communes cum Remonstrantibus habere recusaverint, idque de consilio multarum Ecclesiarum Hollandiæ Borealis.

7. Quod involatum sit in Ecclesias Remonstrantium hactenus integras, & pacem cum Pastoribus suis colentes, templa alibi & suggesta per vim occupata, extrusis & repulsis à suggestu Remōstrantibus, idq; inconsulto, quin invito, Magistratu & Classe.

8. Quod conventus partim extraordinarij, partim ordinarij, Presbyteriales, Classicales, Synodales, separatim habiti, ac de novo instituti sint, non invitatis imo rejectis Remonstrantibus, si qui accedere vellent.

9. Quod à Contra-Remonstrantibus missi sint, per universam Hollandiam aliosque tractus, aliquot candidati, qui Remonstrantium Ecclesias passim turbarent, atque clandestinos conventus çogendo, à concionibus & sacris eorum abstraherent.

10. Quod ab ijsdem ad vicinas Ecclesias & Synodos Ecclesiarum nomine (quod soli sibi vindicant) institutæ sint legationes, in fraudem Remonstrantium, totque Ecclesiarum, quibus legitime præfecti sunt.

11. Quod Catechumeni à Remonstrantibus ad S. Cænam admissi, novo se examini Contra-Remonstrantium subjicere iussi, aut à S. Cæna abstinere.

12. Quod testimonia Remonstrantium, quibus ex Ecclesiarum consuetudine ornari ac honeste dimitti solent communicantes alio migraturi; à Presbyterijs Contra-Remonstrantium repudiata sint: contra si qui à Contra-Remonstrantium Ecclesijs ad ea loca migrarent, in quibus suos habent cœtus Remonstrantes, ijs testimonia reddita ea lege, & quidem in ipsis testimonialibus expressa, ut ad Contra-Remonstrantium cœtus privatos accederent, Remonstrantium vero cœtus & sacra vitarent.

Ex quibus qui iudicium fecerit, agnoscet (ita prorsus confidimus) Contra-Remonstrantes violata omni sacrorum & conventuum Ecclesiasticorum communione, qua Concionum, qua Sacramentorum, Precum, Presbyteriorum, Classium, &c. (quæ Ecclesiasticæ unionis symbola sunt ac tesseræ) secessionem à Remonstrantibus fecisse, adeoque non minorem esse inter utrosque divulsionem & schisma, quam est inter Reformatos & Lutheranos.

Neque hoc in una tantum Provincia formatum est schisma, verum in pluribus, Hollandiæ, Geldria, & iam nuper imminente Synodo Nationali in Ultraiectina ditione & Transisulania, cæteris Contra-Remonstrantibus Zelandis, nempe (qui nos in sua ad exteros Theologos epistola, partem adversam & adversarios suos vocant) & Frisijs, operam sedulam commodantibus schismati fovendo. Quin & Ecclesiæ Wallonicæ, sive Gallicæ, harum Provinciarum, unguis in ulcere esse maluerunt, quam manum medicam adhibere: suis quoque studiis actionibusque non semel schismaticorum instituto patrocinantes. Quorum quidem omnium & singulorum probationes, si Synodus efflagitet, in medium adducere, & vel scripto exhibere, vel viva voce proponere parati sumus.

Quare ut Contra-Remonstrantes huius schismatis deplorandi, in quo ad perfectum & absolutum schisma nihil desideratur, reos peragamus, en apodixeis istas ex ipsorum principiis & confessione formatas. Prima: Qui ob Controversias sua ipsorum confessione non fundamentales, ne quidem expectato super istis publico Ecclesiarum iudicio, publicam secessionem faciunt, ij schismatici sunt ac novatores. At Contra-Remonstrantes ob controversias sua ipsorum confessione non fundamentales, ne quidem expectato super istis publico Ecclesiarum iudicio, publicam secessionem faciunt. Ergo schismatici sunt ac novatores. Maior nobis certa est. Minor duo habet membra. Primum est, Confessione præcipuorum Contra-Remonstrantium, Articulos quinque de Prædestinatione & annexis, non esse fundamentales, quoties aiunt, primo, illos ferri posse in privatis Ecclesiæ membris, quorum non alia esse potest fides quoad fundamentalia, quam Ecclesiastarum. Secundo, in ipsis Pastoribus ferri posse, si silentium promittant, nec eos populo proponant.

Alterum

Alterum membrum est, propter illas controversias, factam esse secessionem. Quod probatur ex varijs Actis Conventuũ variorũ. Acta enim Amstelodamensia ita habent: *Intermittere non potuimus, quin hoc ipso scripto testaremur fratres illos, qui ab istiusmodi Ecclesiarum turbatoribus, &c. se separant iuxta verba* Apostoli Rom. 16.17. & 2. Ioh. v. 7. 10. 11. *Quandoquidem nulla communio esse potest veritatis cum mendacio:* &c. Acta Conventus Hagiensis ita sonant: *Ipsos Remonstrantes habere pro falsis Doctoribus, & tantummodo Synodum Nationalem expectare, ut in ea facta à Remonstrantibus secessio legitime & praeunte Ecclesiastico indicio executioni mandetur.* Promittẽtes, etiamsi Synodus Nationalis primo tempore non procedat, se una cum alijs fratribus, qui jam secessionem fecere (quam ipsi judicant gravissimis & sufficientibus de causis factam) deliberaturos de idonea ratione & modo, universalem & unanimem secessionem faciendi. Videantur quoque Acta conventus Schiedamensis.

Secunda: Quamdiu Remonstrantes à receptis unionis Ecclesiasticæ formulis, puta Confessione & Catechesi recessisse, nullo publico Ecclesiarum judicio pronunciatum fuit, tamdiu non licuit Contra-Remonstrantibus privato judicio, ab eorum societate & sacris recedere, citra culpam schismatis. At vero Remonstrantes à receptis unionis Ecclesiasticæ breviarijs recessisse nullo publico Ecclesiarum judicio pronunciatum fuit. Ergo non licuit Contra-Remonstrantibus privato judicio, ab eorum, puta Remonstrantium, societate, & sacris recedere, citra culpam schismatis.

Tertia: Qui in ijsdem controversijs syncretismum meditantur & pacem offerunt, alijs ad societatem Ecclesiæ reformatæ reducendis, quam negant Remonstrantibus in eiusdem Ecclesiæ unitate retinendis, illi causa sunt schismatis inter se & Remonstrantes. At Contra-Remonstrantes in Belgio hoc faciunt, uti probatur ex collatione eorum, quæ gesta sunt in Synodo Woerdana, cum Actis conventus Hagiensis, Amstelodamensis, Schiedamensis. In illa enim visum fuit invitare ad societatem Lutheranos, quod & Reformati in Germania faciunt Theologi: in his vero facta à Remonstrantibus secessio probata. Ergo.

Quarta: Qui sententiam, sententiæ Remonstrantium de Prędestinatione cum annexis contrariam, non tantum ut falsam, sed etiam ut blasphemam atque horrendam condemnarunt, illi ob istam Remonstrantium sententiam, nullo jure secessionem faciunt. At vero, Contra-Remonstrantium pars non contemnenda (reliquis silentio suo quasi annuentibus) sententiã sententiæ Remonstrantium de Prędestinatione cum annexis contrariam, non tantum ut falsam, sed etiam ut blasphemam atque horrendam condemnarunt. Ergo ob istam Remonstrantium sententiam, nullo iure secessionem faciunt. Minor probatur aperta & solemni protestatione Synodi Geldricæ, adversus decem positiones à Remonstrantibus oblatas.

Quæ cum ita sint, nempe Contra-Remonstrantes esse Remonstrantium partem adversam, ream schismatis, alteramque schismatis partem, uti ex jam dictis liquet, duo colligimus:

Primum: Huic Synodo quæ ex solis Contra-Remonstrantibus, aut eorum sententiæ addictis constat, (Ecclesiastas harum Provinciarum designamus, nec exteros Theologos complectimur) nullo jure judicium de causa Remonstrantiũ competere.

Secundum: Etiamsi rebus Ecclesiæ integris judicium hoc ipsi aliquo jure competisset, nunc facta secessione prorsus excidisse.

Quibus fundamentis nixi, sequentes conditiones nobis ad Synodum accessuris concedi petijmus & etiamnum petimus. Quarum omnium & singularum æquitatem, ne iniqua petijsse videamur, sic porro adstruimus:

Vindiciæ Primæ Conditionis.

Prima conditione hoc petimus, ut utriusq; partis concionatores cum Remonstrantes, tum Contra-Remonstrantes, tanquam partes adversæ, ad Synodum Nationalem vocentur, &c. vide supra. Cui firmandæ hæc sequentia faciunt:

Gravamina Concil. Trident. pag. 7. *nullum fugiunt nostri, quod quidem liberum & neutri parti addictum sit, Concilium.*

Admonitio Neostad. pag. 420. *Maximi est momenti, qui & quales sint ad Synodum liberam vocandi & admittendi. Papa vult tantum sibi iuratos, Theologi Bergenses itidem suos duntaxat complices. Nos vero præcipuum in hoc delectu esse non dubitamus, ut non tantum* Germa-

Digitized by Google

Germanicarum, & Augustanæ Confessionis Ecclesiarum; sed omnium Evangelium profiten-tium, etiam exterarum, &c. legati convocentur.

Et pag. 437. *Conventus, ad cujus judicium provocamus, esse debet legitimus, liber & Christianus: non autem Romanensium aut Bergensium more institui, ex juratis unius partis complicibus, ad condemnandum sine disceptatione & judicio libero partem absentem, aut factionibus oppressam.*

Paræus Irenico pag. 23. *Etiam Papa Romanus Synodum Tridentinam dedit: sed quo-modo aut quorsum? Vt exclusis Euangelicis, Episcopi omnes in Romanæ sedis fidem jurati, soli sententias dicerent,* &c. *Pariter isti varios conventus agitarunt, sed quomodo & quorsum? Prorsus ut ibi: ut exclusis, quos vocant, Calvinistis, Pastores omnes in fidem Vbi-quitatis adigerent.*

Pag. 57. *Sæpe injuriam passa est veritas in Synodis, quia omnes congregati consenserunt eodem errore. Atque ita veritas deserta & silentio præterita est. Hic autem dictum est; non ex una; sed ex utraque parte dissidentium esse mittendos.*

Rationes vero & Argumenta superioris postulati sunto:

1. Quia secus non erit libera Synodus, sed alteri parti obstricta in solidum.
2. Quia neutra pars inaudita judicari debet. Ergo utraque convocari.
3. Quia caussa in Synodo tractanda, ad utramque partem pertinet: quod om-nes tangit, id ab omnibus tractari & approbari debet.
4. Quia, si secus fiat, periculum erit, ne veritas injuriam patiatur.
5. Non modo nihil utilitatis: sed plus etiam mali redibit ad omnes Ecclesias ex conventu & decreto unius partis, excludentis & damnantis alteram.

Videatur super his D. Paræus Irenici pag. 38. 39. *At vero in Synodo præsenti solis Contra-Remonstrantibus præsidendi, assidendi, judicandi, & decidendi partes deferuntur, exclusis ab iisdem actibus Remonstrantibus, uno alterove tantum admisso.*

Secundo, hoc habet prima conditio, ut Remonstrantes & Contra-Remonstran-tes, tanquam partes adversæ, convocentur. Quod sequentibus firmatur:

Gravam. Concil. Trid. pag. 315. *Athanasius discessit è Concilio convocato in Tyro à Constantino, quod animadverteret præcipuos Concilij viros, judicis & partis munere fun-ctures.* Videantur eadem Gravam. pag. 34. & 50. Paræus Irenici pag. 34. *Chryso-stomus ab æmulo Theophylo ad concilium Theodosii mandato convocatum, quater & amplius accersitus, venire noluit, ne eosdem hostes & judices haberet. neque profecto nos, ad Conci-lium tale ut quis veniat, autores cuiquam fuerimus, ubi eosdem habeat adversarios & judices.* Beza de pace Ecclesiæ, *Remedium illud unicum superesse videtur, ut utrimque ex iis ipsis, qui inter se dissident, certi judices quam maxime fieri poterit, tum religione, tum prudentia, paribusque conditionibus omnibus deligantur.*

Paræus Irenici pag. 50. *Si sententiam dicendi deliberativam & decisivam in priva-tis & publicis congressibus, jus haberent æquale omnes legati Ecclesiastici, Scholastici, Poli-tici, sine προσωποληψία, non tantum Episcopi & Prælati, nulli plus deferretur, quam alteri, propter ipsorum Principes, Ecclesias, dignitatem.*

Æquitas hujus postulati per se manifesta est omni jure, ne scilicet parti litis par-tes judicis deferantur. *Tali judicio* (ajunt Protestantes Gravam. pag. 317.) *nec hu-mana committi debent negotia: quanto minus divina, id est, Ecclesiastica.*

Et si ratio ipsa vetat, ne vel inimicitiarum suspectis, tantummodo judicium committatur, quanto minus id adversæ parti committendum? Gentiletus adversus Concil. Trident. pag. 313.

Rursus, si ipsos confœderatos & socios partium litigantium iudicio abstinere æquum est, quanto iniquius erit ipsos litigantes iudicij potestatem usurpare? Gentiletus, pag. 315.

Denique, ex hoc solo, quod Citans odio habet Citatum, dicitur Citatus non satis tutus quem omni iure tutum esse necesse est, uti habent Gravam. Concil. Trid. pag. 40.

Quare cum certum sit, Contra-Remonstrantes, qui Synodum istam constitu-unt, partem alteram esse ex litigantibus, plurimosque adeo in ista Synodo conside-re professos Remonstrantium adversarios, qui eos inauditos jam ante condemna-runt, exautorarunt, sacris omnibus interdixerunt, iniquissimum nobis (salvo me-liore judicio) videtur, ut iidem in hac causa totoque controversiarum inter Re-monstrantes & Contra-Remonstrantes negotio, personam judicis sustineant.

Tertio, eadem conditione petitur, ut tam Remonstrantibus, quam Contra-Remonstrantibus libertas concedatur, justo numero ex suo cœtu eos deputandi, quos quique huic negotio aptos judicabunt.

Suffragatur huic petitioni Gentiletus pag. 122. *Canon* (inquit) *Concilij Niceni vetat reum ullius judicis subire judicium, quem non ipse sibi elegerit, vel ab alijs ad causam delegari permiserit*, &c. Ex quo Canone inferimus, rationabile ac justum esse ut nostræ religionis homines eligant eos, ex quibus, si non in totum, at una saltem parte libera Synodus formetur.

Suffragatur Paræus Irenici pag. 40. *Convenire debent ad conferendum non ab uno vel à paucis unius partis aut unius Principis vel Ecclesiæ Theologis designati; sed delecti & designati à suis Ecclesiis & Magistratibus.* Et pag. 57. *Non ex una; sed ex utraque parte dissidentium mittendi, æquali jure & libertate in Synodo disputaturi. Sic veritas nec reticebitur, nec destituetur idoneis defensoribus, & prætextus ignorantiæ non relinquetur.*

Accedunt hæ rationes.

1. Quia alioquin inæqualis erit partium conditio.
2. Quia ipsa æquitas & ratio postulat, ut quisque designet, quibus res suas committere velit.
3. Secus accidet, ut veritas idoneis defensoribus destituatur.

Ergo nisi Remonstrantibus à Contra-Remonstrantibus concedatur æqua potestas eligendi, ac justo numero delegandi quoscunque causæ suæ defensores maxime idoneos, ipsi judicabunt, atque ex iis pari utrinque conditione Synodus formetur, nequaquam legitimæ Synodi nomine venire potest hæc ipsa Synodus, nec ab istis, qui vel citati, vel sponte sua ad Synodum istam venient, quicquam nisi suo tantum privato, non autem communi Remonstrantium nomine, geri potest.

Quarto petitur, ut singuli sese jungant parti suæ. Adeo ut tota Synodus, in duos quasi cœtus dividatur.

Admonit. Neostad. pag. 425. *Qui de ijsdem capitibus dissentirent ab alijs in singulis controversijs tractandis, juberentur se conjungere, ut constaret quid quisque tueri vellet, & totius Synodi in duas partes divisio*, &c.

Ratio est:

1. Quia contradictoriarum sententiarum assertio, talem divisionem necessario secum trahit. Paræus Iren. pag. 43.
2. Quia aliter disputationis ordo expeditus & perspicuus conservari non potest.

Quinto, ut utraque pars suum habeat Præsidem & Scribam.

Æquum hoc esse judicat Admonit. Neostad. pag. 425. & Paræus Iren. pag. 43. *Facta hac Sessione in duas classes, in qualibet controversia utrique injungeretur nomine Principum, ut binos per suffragia eligerent præsides actionum (nisi forte Principes ipsi nobis dare mallent) & singulos actores.*

Ratio est, quia si nullus erit Præses, quis cœtum moderabitur? Quis agenda proponet? Quis sententias colliget? &c. Si nullus Scriba, quis dicenda aut dicta scriptis concipiet, recitabit? Nam hæc quidem utriusque sunt officia. Sin unius classis Præses alteram quoque moderabitur, jam uni parti concedetur jurisdictio in alteram, nec liberæ erunt singularum classium actiones inter se & Concilia.

Vindiciæ secundæ conditionis.

Secunda conditio habet, ut salvus conductus præstetur omnibus & singulis, qui ad Synodum veniunt.

Hujus

Digitized by Google

Hujus conditionis æquitatem operose probare necessarium non arbitramur, cum facile eam nobis concessuri sint, & jam concesserint Illustrium Ordd. Generalium Delegati. Fuse de ea agunt supra nominati Autores, Paræus, Gentiletus. Admonit. Neostad.

Hoc tantum agatur, ut in urbe Dordracena tutis ac securis à plebis violentia & furoribus nobis esse liceat, quæ cura ad Amplifs. istius urbis Magistratum pertinet.

Vindiciæ tertiæ Conditionis.

Tertia Conditio est, ut ἀμνηςία omnium privatarum offensarum sanciatur.

Gravamina Concilij Trident. pag. 373. *De Constantino refert Theodoretus Episcopus, in Nicena Synodi historia, qua gravitate optimus, & religionis amantissimus Imperator episcopos, qui ad Synodum convenerant admonuerit inter cætera, ut deposita animorum acerbitate, qua se mutuo lacerassent & risum præbuissent hostibus, hoc inprimis cogitarent,* &c. *officij eorum esse, ut in tanta Ecclesiarum distractione, principio charitatem inter se redintegrari patiantur, & mutua odia deponant.*

Pag. 338. *Omnis animorum acerbitas, odia, & offensæ omnes, utrinque deponi debent inter partes, ut nihil hic, quam gloria Dei & pax atque tranquillitas quæsita videatur. Ita recte Gregorius: à Concilio procul absint odia, facinorum nutrimenta, & interna invidia tabescat.*

Paræus Irenic. pag. 29. *Adesdum igitur, ô Constantine, Imperator Christianissime, & istos carnales Episcopos, ubi ad Synodum venerint, Imperatoria tua Majestate increpa, mone, jube, ut deposita animorum acerbitate,* &c. *patiantur principio charitatem inter se redintegrari, mutuaque odia deponant; satyricorum libellorum suorum memoriam aboleant.*

Rationes sunt:

1. Quia hoc quosvis decet Christianos, multo magis in Synodo, ubi veritas investiganda, pietas promovenda, gratia S. Spiritus imploranda, qua se indignos reddunt injuriarum memores.
2. Quia alioquin conventus non erit fraternus.
3. Nec libera erit ac non præjudicata inquisitio veritatis, nec judicium incorruptum animis exacerbatis.

Quare, quousque Contra-Remonstrantes, ut hactenus, ita etiamnum, schisma inchoatum promovent atque dilatant, & durante ipsa Synodo, Ecclesias Pastoribus suis privant, in odium plebis, magis magisque eos adducunt, eousque ut tolerabilior sit Pontificiorum, imo Iudæorum in hisce regionibus, quam nostrorum conditio; aut si quando ab aliis illa fieri videant, sibi displicere publice non testantur; tamdiu citra ullius boni fructus spem in unam Synodum compingentur Remonstrantes, aut idonei sententiæ nostræ judices non erunt Contra-Remonstrantes.

Vindiciæ quartæ Conditionis.

Quarta Conditio habet, renunciandum esse, omnibus pactis, obligationibus, condemnationibus, præjudiciis. Vide supra.

Gravamina Concil. Trident. pag. 353. *Necessarium fuerit ejusmodi Concilio Oecumenico quale dicimus, habendo, ut Pontifex Romanus Episcopos, Prælatos, Antistites Ecclesiarum, quotquot fide data & juris-jurandi vinculis obstrictos & devinctos sibi habet, primo omnium ijs vinculis solutos plane liberet, & juramenti gratiam omnibus plenissime faciat.*

Admonit. Neostad. pag. 423. *Vt non sint jurati in ullam Confessionis particularis aut privatæ formulam, nec autoritati Principum, vel Doctorum suorum, Lutheri, Zvvingly, Philippi, Calvini, vel aliorum addicti, sed omnes jurent, se nihil præter Scripturam & Symbola Catholica habituros loco fundamenti & fidei regulæ.*

In eandem sententiam loquitur Paræus, Irenico pag. 37.

Et pag. 433. inquit idem: *Caveri debet ne impediatur sinceritas judicij factionibus, conspirationibus, pactis, promissis, minis, gratia, autoritate humana, vel simili aliqua caussa; quales omnes abjurari in Synodi principio debent, ut conscientiarum & sententiarum vera sit libertas.*

Videantur Gravam. Concil. Trident. pag. 42. & 54. 55. Paræus Irenico pag. 27. & 12. & 36. Gentiletus pag. 20.

Rationes hæ sunt:

1. Quia secus nec libere, nec sine periculi metu, singuli sententiam suam dicere, aut veritati testimonium perhibere poterunt, non soluto vinculo prioris juramenti aut pacti.

2. Nemo potest judex esse illius rei vel personæ, cui aliquo modo est obstrictus: Judicii enim actus est juris & potestatis superioris in illud, de quo judicium est faciendum.

3. Qui ulli alij scripto, quam sacræ Scripturæ est adstrictus, is neque debet, neque potest ex solis Scripturis judicium facere de doctrinæ veritate alicujus, multo minus potest credi ex puris putis Scripturis judicium fecisse, quod tamen fieri necesse est.

Ad hæc habet ista conditio, ut præjudicia cessent.

Sed & hoc perquam necessarium. Quia Synodi est causas cognoscere, at nisi depositis præjudiciis omnia integra Concilio reserventur, non potest causam legitime cognoscere, quia istis via præcluditur ad liberam & minime impeditam Veritatis inquisitionem.

Videantur Gravam. Concil. Trid. pag. 42.

Tertio postulatur illa conditione, ut schismati renuncietur.

1. Quia si præjudiciis renuntiandum, multò magis schismati.

2. Quia durante schismate, nec Synodus legitima ex utraque parte formari, nec ab alterutra inter utramque dijudicari potest.

Quarto petitur ut alij alios durante Synodo fratres in Christo & membra vere reformatæ Ecclesiæ agnoscant.

Hoc autem etiam suadet ratio, quæ schismati renuntiandum esse probavit. Vt & hæc, quod Synodus sit cœtus eandem fidem profitentium.

Gravam. adversus Concil. Trident. pag. 311. *Etiam hoc considerandum fuerit in hac caussa, & quidem accuratius, quod Pontifex cum sociis suis & addictis, hos Imperij Ordines & Status, qui doctrinam fidei Augustana Confessione expositam amplectuntur, neutiquam pro sociis Christianæ & Catholicæ Ecclesiæ agnoscat; sed pro hæreticis.*

Prius ergo factæ obligationes, condemnationes, fœdera & præjudicia Contra-Remonstrantium in Remonstrantes rescindantur, schisma tollatur, pax Ecclesiis restituatur integra, fraternitas redintegretur; tum vero tanquam socii unius ejusdemque Ecclesiæ inter se conveniant, & dispiciant in communem Ecclesiæ salutem.

Vindiciæ quintæ Conditionis.

Ea hæc est: Ne cuiquam molestia facessatur propter habitum jam à Controversiarum initio in istum usque diem, sive scribendo, sive dicendo, sive Remonstrantias exhibendo, sive consilia subministrando summis Magistratibus jussu ipsorum, sive iis obtemperando, procedendi ac agendi modum; verum ut doctrina ipsa de qua controvertitur, examinetur.

Ratio

Digitized by Google

Ratio 1. Quia mutuæ istæ criminationes infinitæ erunt, litemque ex lite ferent.

2. Magis animos utrimque concitabunt, atque ineptos reddent controversiis de Doctrina fraterne ac placide examinandis & componendis.

3. Quia de istis ex ordine Ecclesiarum nostrarum prius referri debebat ad presbyteria & classes, quam ad Synodum.

4. Quia judicio & censuræ Synodali exempta sunt, quæcunque jussu Magistratus vel coram eo dicta, scripta, aut gesta sunt. Aut enim ea approbavit Magistratus, aut improbavit. Si illud, quis Synodo potestatem dedit revocandi illa, aut censura notandi? Sin hoc, gravius quid in reum statuet Synodus, quam ipse Magistratus.

Videantur ea, quæ ad conditionem tertiam de ἀμνηστία annotavimus.

Adversus hanc conditionem etiam peccant Contra-Remonstrantes, qui durante Synodo, sub variis prætextibus, exhibitæ Hollandiæ Ordinibus Remonstrantiæ, talium vel talium scriptorum, concionum, dictorum, censuras Ecclesiasticas adversus Remonstrantes hic illic exercent.

Vindiciæ sextæ conditionis.

Sexta conditio hæc est: Vt utriusque partis sententia circa id quod controversum est, nec non rationes ejus utrimque rite examinentur. &c.

Prolixam hac de re dissertationem instituit Paræus, Irenic. pag. 51. 52. 53. 54. 55. 56.

Secundo, hac conditione petimus, ne simpliciter inquiratur, quid doctrinæ Ecclesiarum Reformatarum, prout ea Confessione ac Catechismo expressa putabitur, conveniat, quid non; sed quid Verbo Dei consentaneum sit.

Paræus Irenic. pag. 19. *Iudicem supremum & normam absolutam controversiarum fidei, nullam esse posse, nisi Scripturam sacram*, &c. *omnibus Euangelicis constat.*

In eandem sententiam scribit Gentiletus pag. 20. Videantur quoque Gravam. adversus Concil. Trident. pag. 250. 56. 57. 62. 363. 364. 367.

Neque alia lege hæc ipsa Synodus Nationalis indicta est ab Ordd. Generalibus, art. 10. Indictionis, his verbis: *In quorum omnium tractatione, quantum ad veritatem doctrinæ, Deputati*, &c. *solum Dei verbum, non autem ulla alia scripta pro norma habebunt.*

Rationes sunt:

1. Quia normam judicij infallibilem esse oportet, quæ non datur extra Scripturam sacram.

2. Quia in Synodo ipsa quoque scripta Ecclesiastica, puta Confessio & Catechismus, examini subjicienda sunt; non possunt ergo norma esse, ad quam exigantur reliqua.

Tertio petimus, non tantummodo veritatis solius, sed & necessitatis in quovis articulo rationem haberi.

Approbante Paræo, Iren. pag. 15. 16. *Prima* (inquit) *quæstio erit, quinam Articuli sint fundamentales, seu in quibus fidei capitibus vere consistat fundamentum salutis.* &c. locus est prolixus.

Ratio, quia non tam dissensus circa rem ipsam, quàm opinio necessitatis turbas istas & schisma dedit Ecclesiis.

Quarto, ut hæc omnia fiant sub fide juramenti utrimque præstandi.

Paræus Iren. 41. *Diligenter considerandum erit, quibus conditionibus omnes acturi in Synodo, sint adstringendi.* Mox autem recitat Iuramenti formulam.

In Colloquio Noriberg. *Principes Germaniæ postularunt, ut quicunque ad illam Synodum convenirent Episcopi, sacramento Papæ absolverentur, & novo insuper iureiurando se omnia veritatis caussa locuturos, facturosque fidem facerent.* Vide Sleidanum Anno 1523. lib. 4.

Ordines Generales Indictione Synodi Art. 10. *Ad quod* (**nempe ut Dei verbum pro unica habeant norma veritatis, nec alium sibi scopum præfigant, quam Dei gloriam & pacem Ecclesiarum**) *juramento obstringentur Deputati.* &c.

Quinto petitur, ne quisquam quidquam Synodo proponat, quod non in conscientia judicet, huic regulæ, sacrarum scilicet Scripturarum, consentaneum esse.

Gentiletus pag. 12. *Protestantes desiderarunt, ut omnes qui Concilio adessent cujuscunque ordinis, juramento policerentur, se sententias suas libere & sine omni dissimulatione dicturos, ad Dei gloriam.* Videantur Gravam. Conc. Trid. pag. 358.

1. Ratio, Quia quicquid fit, dubitante conscientia, peccatum est.

2. Quia secus non erit seria inquisitio veritatis; sed Sceptica tantum atque Academica dissertatio.

Sexto, ut quisque Synodo se subjiciat in omnibus, de quorum veritate apud conscientiam suam convictus erit.

Admon. Neost. pag. 424. & Paræus Irenic. pag. 41. *Se parituros Synodi sententiæ in omnibus, de quibus ex verbo Dei fuerint convicti:* & pag. 36. *Paratis animis ad subjiciendum se verbo Dei.*

Septimo, ut soluti sint omnes à juramentis promissionibusque huic juramento Synodali contrariis.

Admon. Neost. pag. 424. *Liberentur usque ad finem Synodi omnibus alijs juramentis, quæ huic juramento Synodico obstare possent.* Paræus, Irenic. 42.

Vindiciæ septimæ Conditionis.

Quæ ita se habet: Vt utrimque scriptis agatur, nisi forte utrimque consentiatur in collationem viva voce. Qua in re utrique parti justum tempus dabitur, ut scripta rite & prout quisque causæ suæ expedire judicabit, concinnentur.

Admonit. Neost. pag. 427. *Intra hoc tempus Actores adhibitis in consilium ex suis, quibus vellent, dicenda scripto conciperent,* &c. *scripta illa recitarentur sine festinatione* &c. *ut nihil dictum esset, quod non descriptum daretur adversariis.*

Paræus Irenic. pag. 17. *Initio pars utraque scripto comprehendat suam sententiam, quosnam articulos arbitretur fundamentales esse vel non esse: tum ex utriusque partis scriptis, quæstiones petantur atque formentur controversiæ.* &c. *tertio de quæstionibus controversis singulis, pars utraque sententiam suam scripto exponat: quarto, pars utraque ad alterius sententiam & argumenta scripto respondeat.* &c. *Quibus ad hunc modum peractis, ad viva voce tentatur colloquium.*

1. Ratio est, Ne si viva voce tantum instituatur disputatio: altera pars alteri aut non dicta imputet, aut quæ dicta sunt mutilet, aut in alienum sensum detorqueat.

2. Quia scripto instituta disputatio tranquillior est, & minus affectibus & tumultibus obnoxia.

Deinde, hoc quoque isto postulato petitur, ut Responsionum extemporalitas atque præcipitantia vitetur.

Admon. Neostad. pag. 428. *Vt nihil extemporale, nihil non meditatum, nihil non omnium fratrum sententia, nihil non scriptum & accurate examinatum prius, quam dictum audiretur ac probe intelligeretur in eo consessu.* Suffragatur Paræus Irenic. pag. 43.

Vindiciæ Conditionis octavæ.

Vt libera instituatur revisio, sive examen, Confessionis & Catechismi, citra metum censuræ.

Aptari ad hoc potest, quod dicitur Gravam. Concil. Trident. pag. 7. *Multis jam annis flagitarunt Protestantes, talem indici Synodum, in qua vera Religio per viros pios, amantes veritatis, minimeque suspectos ab errorum depravatione, recte vindicata in locum suam assereretur, & erronea ac falsa doctrina omni extermi natâ, quæ sincera, vera, & incorrupta esset, restitueretur, doceretur, & conservaretur.*

Contu-

Consulantur etiam Gravam. pag. 17. 28. 360. quæ loca mutatis mutandis, Confessioni & Catechismo, quibus Religionis nostræ summa continetur, optime accommodari possunt.

Rationes hæ sunt:

1. Quia nisi hoc examen concedatur, non erit Dei Verbo integer suus honor; nempe, solum illud esse omni humano examini exemptum.

2. Quia scripta ista humana sunt, ideoque & errori obnoxia. Dispiciendum igitur, idque ex mandato Dei perpetuo, annon alicubi error lateat corrigendus, tum quoad verba, tum quoad sensum, tum quoad sufficientiam, ordinem, scopum. &c.

3. Ratio: Quia finis Synodi Nationalis est, ut dispiciatur, An Ecclesia harum Regionum bene se habeat & curetur, nequid detrimenti capiat; qui finis attingi non potest, nisi per examen doctrinæ.

4. Ob utilitatem hujus Examinis. Aut enim in eo corrigentur scripta hæc ab erroribus suis, aut confirmabitur magis eorum veritas, tantoque redderetur affectis eorum gratior.

5 A temporis huius circumstantia, quæ speciatim Examen hoc postulare videtur: 1. Quia de phrasibus aliquot istorum scriptorum, inter ipsos Verbi divini Ministros contenditur. 2. Quia Doctrina Ecclesiæ Reformatæ nunc autoritate magistratus demum confirmanda videtur; quod bona conscientia à Magistratu fieri nequit, nisi de veritate ejus persuasus fuerit, ad quam persuasionem ingenerandam, huiusmodi examen prorsus est necessarium.

Petimus vero ista conditione, ut citra metum censuræ hoc examen instituatur.

Ratio est, Quod in deliberandis rebus serijs, arduis, & gravibus, ut utiliter consulatur, oporteat metum periculi omnem longe abesse ab ijs, qui sententiam dicunt: Metus enim infirmitas est voluntatis, & consilij vulnus. Gravam. Concil. Trid. pag. 327.

Paræus Irenic. pag. 41. *Certi sint sibi non fore fraudi, nec apud suos, nec apud alios, libertatem sententiarum, tam ante quam post actionem absolutam.* His adde, quod pag. 48. scribitur Gravam. Conc. Trid.

Contra vero Contra-Remonstrantes tot jam retro annis, ob decretam ab ipsis Generalibus Ordinibus Confessionis & Catechismi revisionem, litem nobis moverunt. Adhæc Collat. Hagiensis. pag. 15. absurdum atque iniquum existimant, Remonstrantes dubia sua in Confessionem & Catechismum Synodo movere & de ijsdem judicare velle. Ergo sic isti liberum examen concedūt, ut qui dubium solummodo moveat ullum, licet contra Confessionem & Catechismum nihil decernat, eo ipso potestatem judicandi ac jus suffragij amittat, hoc est, censuram non levem incurrat. Quod si inspiciantur singulorum ad hanc Synodum Delegatorum instructiones, quas vocant, atq; aperiantur arcana mandatorum, tum vero aut istas vehementer a consuetis ejusmodi delegationū atq; instructionum formulis recessisse liquido constabit, aut plerosq; cautione ea mandatarijs literis expressa delegatos, ne qua in Confessione aut Catechismo admittatur correctio. Quod si ita se habeat, liberum istarum Formularum examen impeditur.

Vindiciæ nonæ Conditionis,

Vt de controversis Articulis non fiat decisio; sed accommodationi studeatur; cujus tamen modus ratus non habebitur, nisi utriusq; partis consensu. &c.

Controversias hodiernas de Prædestinatione cum annexis, non decisionibus Synodalibus; sed moderatione ac tolerantia mutua terminandas esse, hactenus judicarunt Doctores Reformati fere omnes; Rex Magnæ Britanniæ, Ordines Hollandiæ, Ultrajecti, Transisulaniæ.

Consensum utriusque partis requirit ipsa natura, ratio, & vis moderationis, quæ tota in hoc versatur, ut partes ad consensum voluntarium inducantur. Secus uni parti in alteram concedetur jurisdictio. Deinde, repugnat naturæ Religionis, fidei

ac charitatis erga proximum, ut parti adversæ obtrudantur conditiones pacis Ecclesiasticæ, citra consensum spontaneum.

In hac autem Synodo lis tota non utriusque partis consensu, nec moderatione mutua concilianda, sed suffragiorum numero, hoc est, arbitrio unius partis prædominantis, scilicet, Contra-Remonstrantium, decidenda & terminanda videtur, ex Indictionis Synodalis Articulis.

Quod de habendo recessu in hoc ipso postulato dicitur, necessarium omnino est:

1. Quia tam deputantibus Ministris Ecclesiæ, quam deputatis, æque imposita est necessitas examinandi & dijudicandi. Prophetæ duo aut tres loquantur, alij dijudicent. Nemo autem Pastor potest hoc munus suum alteri resignare, vel per alium examinare aut dijudicare: nemo potest aut debet alteri homini eousque fidere, ut ipsius judicio in rebus tanti momenti stet, aut cadat.

2. Communis est potestas judicandi.

3. Omnes instructi sunt donis ad judicandum necessarijs, secus ad munus publice docendi admitti non debebant. 1. Tim. 3. Tit. 1.

4. Omnes ex æquo tenentur reddere rationem pro animabus sibi commissis. Hebr. 13. 17.

5. Res in Synodo tractandæ, ad omnes æque spectant citra discrimen.

6. Et ejus sunt naturæ, ut à pluribus rectius examinari & certius dijudicari possint, quam à paucioribus: potest enim fieri ut sequenti revelatum sit, quod ignoret prior. 1. Cor. 14. 30.

7. Quia Synodus Deputatorum inferior est cœtu deputantium, & tota ab horum voluntate dependet.

Firmatur hoc ipsum Festi Hommij testimonio, Disputat. 18. De autoritate Concilorum, thesi 4. *Decreta* (inquit) *Conciliorum Ecclesiis non debent proponi aut obtrudi, tanquam edicta quadam pratoria aut decreta Persica; sed mitti debent acta habiti Concilii ad omnes Ecclesias, ut ab iisdem ad amussim Verbi divini examinentur, & si cum ea consentire fuerint comperta, approbentur, atque ita tandem ab Ecclesiis approbantibus voluntarie & unanimiter, haud sane invite aut coacte, recipiantur. Ecclesia enim conscientias suas Delegatorum suorum ad Synodum iudicio non alligarunt, neque eis absolutissimam quidvis ipsarum nomine statuendi potestatem concesserunt: sed conscientia soli Verbo Dei semper manent alligata: cui si conformia compererint Delegatorum acta ac decreta, tum demum Ecclesia ea rata habere atque approbare debent. &c.*

At vero hoc ipsum quod nos ad Deputantes quoque Ecclesias, & quidem maxime, pertinere contendimus, totum hujus Synodi arbitrio committitur. Indictionis Synodalis Articulo 11. Hoc est, Ecclesiarum conscientiæ (quod salva superiorum pace ac reverentia dictum esto, quia aliter eius Articuli verba interpretari non possumus) alligantur iudicio suorum Delegatorum, atque his conceditur potestas quidvis, quod Delegatis expedire videbitur, earum nomine statuendi. Certe ex ijsdem Indictionis articulis, quicquid plurium Delegatorum suffragijs constitutum fuerit, id vim decreti Synodalis habere iubetur, dummodo accedat Illustr. Ordd. Generalium approbatio articulo ultimo: non expectato, ac ne tentato quidem examine, nedum consensu Ecclesiarum.

Denique addimus in postulato hoc: ut penes Magistratum summum sit dispositio publici ordinis ac modi docendi quem in publicis templis Ecclesijsque obtinere velit.

Suffragantur Musculus in Loc. Com. De Magistrat. fol. 1371. edit. Hervag. *Nos absq; ulla simulatione sic sentimus, quemadmodum penes pium Magistratum superior est Religionis potestas & cura, ita penes illum etiam est legum Ecclesiasticarum constitutio, & eorum qua prolapsa sunt in Religione reformatio.* Idem fol. 1373. Paræus in Epistola ad Landtgrav. Hassiæ præfixa Hoseæ: *Officium magistratus est, religionis solennem ἐπανόρθωσιν de Doctrina & Oeconomia Ecclesiastica ad normam Scripturarum divinarum legitime, ubi deest, sanare.*

Pro huius conditionis confirmatione, argumenta cuivis obvia sunt in testimonijs allegatis, alijsque in hanc rem editis disputationibns DD. Reformatorum adversus Pontificis potestatem in rebus fidei.

At

Digitized by Google

At notiſſimum eſt, eam eſſe plurium Contra-Remonſtrantium ſententiam, ſu-
premam de rebus ſacris judicandi poteſtatem, ſub Chriſto penes Eccleſiam eſſe;
ſpiritualia Chriſti ſolius eſſe & Eccleſiæ in ſolidum, ut juriſdictiones unæquæque
ſuorum ſunt Magiſtratuum: poteſtates iſtas, puta Eccleſiaſticam & Politicam etiam
perſonis diſtingui, hoc eſt, non poſſe ſimul in unam eandemque perſonam cadere.
Vtramque poteſtatem ſimul oportere conſiſtere ac progredi, tanquam duo bra-
chia ſub uno eodemque capite.

Vindiciæ decimæ Conditionis.

Ea ſic habet: Vt ijs, qui iſti ordini ſtatim obſequi per conſcientiam gravabun-
tur, juſtum tempus concedatur ſecum deliberandi & diſpiciendi, num expenſis &
examinatis omnibus, ei quoque conſentire poſſint.

Feſtus Diſput. 18. de Concil. autorit. theſi 2. pag. 85. *Fundamentum omnis autorita-
tis Synodalis eſt convenientia cum ordinatione & veritate divina. De qua prius nobis liquido
conſtare debet, antequam Synodus aliqua apud nos autoritatem ullam obtineat.*

Et theſi 3. *Quare, autoritas Conciliorum non eſt prætoria, neque debet eſſe tanta, ut de-
cretis eorum, tanquam ſi eſſent veritatis, infallibiliter ſimpliciter acquieſcamus, abſque ulteriore
examinatione: ſed debemus ea prius ad Verbi divini amuſſim expendere, & ſi deprehendamus
cum ea convenire, ſententiæ & conſenſui Eccleſiæ nos conformare: ſin vero ab ea diſſentire com-
periamus, non tantum licet nobis; ſed etiam debemus, decretis talibus debite & legitime re-
fragari.*

Ratio eſt, quia vis non inferenda eſt conſcientijs.

Vindiciæ undecimæ Conditionis.

Qui decretis Synodi poſt juſtam deliberationem acquieverit, ad plenam Eccle-
ſiæ communionem ac pacem admittatur. &c.

Ratio eſt, Quia nihil jam ſupereſſe videtur, quod ab eadem Eccleſiæ commu-
nione ipſum arcere poſſit.

Vindiciæ ultimæ Conditionis.

Si non acquieſcat, atque ob hanc cauſam publico Miniſterio exautorandus vi-
deatur, poterit cedere: dummodo ne ulteriore vel Politica, vel Eccleſiaſtica pœna
gravetur. &c.

Feſtus præf. ad Specimen. *Confeſſionibus tanquam formulis conſenſus ſubſcribere de-
bent omnes, qui in Eccleſijs illis* (quarum ſcilicet iſtæ ſunt Confeſſiones) *publico docendi
munere fungi volent.*

Item. *Si quis exiſtimet ſe in recepta doctrina aliquid obſervaſſe, quod ſacris literis minus
conſentaneum arbitretur, communi Eccleſiarum judicio expendendum proponere debet, ut ſi
rationes eius Verbo divino congruere comperiantur, communi conſilio mutatio inſtituatur: ſin
minus, ut aut Eccleſiæ judicio acquieſcat, aut deſinat docere in illis Eccleſijs, quarum doctrinam
ipſe non approbet.*

Vt vero poſt exautorationem gravius quiddam adverſus ipſum ſtatuatur, à ra-
tione & charitate alienum eſt, cum Eccleſiaſtico ordini jam exemptus ſit, & priva-
tam illi, ut & alijs civibus, vitam agere per leges patriæ concedatur.

Reverendiſſimi Viri,

Hos articulos & conditiones non proponimus, ut Veſtris Rever. ex imperio
quicquam præſcribamus; verum ut in re tanti momenti conſcientias noſtras,
ut Paſtores & fideles Ieſu Chriſti ſervos decet, exolvamus. Si illas impetrare de-
tur, hilari ac læto animo ad negotium, quod agitur, nos accingemus; re ipſa
oſtenſuri, quam nobis cordi ſit incolumitas & pax florentiſſimæ hujus noſtræ
patriæ, totque in ea Eccleſiarum, ac juxta ſalutaris Veritatis conſervatio, &
conſcientiarum tranquillitas, nec cuiquam ceſſuri ſumus charitatis, humilita-
tis, manſuetudinis, quæ Chriſtianorum teſſeræ ſunt, officijs, in omnibus ijs, quæ
cum

cum discendo, tum docendo ad pacem sectandam, obtinendam, conservandamque facere videbuntur. Sin vero eas impetrare non detur, animas nostras optimæ conscientiæ testimonio solabimur, & æquissimas nos conditiones cum præstantissimis religionis Reformatæ Doctoribus petijsse, vestras Rever. non admisisse, judicabimus, & judicabit nobiscum præsens & futura ætas.

Subscripta erant nomina.

Simon Episcopius, SS. Theologiæ Professor. Eduardus Poppius. Ioannes Arnoldus Corvinus. Bernardus Duinglo. Carolus Niellius. Henricus Leo. Philippus Pynacker. Assuerus Matthisius. Thomas Goswinius. Dominicus Sapma. Theophilus Ryckewaert. Bernherus Vezekius. Henricus Hollingerus. Samuel Næranus. Isaacus Frederici.

Ea postquam prælecta essent publice, responsum illis fuit, indignum huic Synodo videri, citatos Iudicibus leges præscribere velle, ipsosque hic diversam Synodi formam postulare, ab ea quæ Illustrium ac Præpotentum Ordinum Generalium decretis legibusque convocata & stabilita fuit. Hanc Synodi hujus accusationem, non ipsi tantum Synodo, verum ipsis quoque Illustribus & Præpotentibus DD. Ordinibus, qui eam convocarant, tum & omnibus Belgicis Ecclesijs, quæ suos ad hanc Synodum Deputatos ablegarant, haut parum esse injuriam. Criminationes enim contra Delegatos Iudices prolatas, in ipsos redundare Delegantes. Non posse Remonstrantes Synodi autoritatem vel subterfugere, vel elevare, sine manifesto & autoritatis politicæ, & ordinis Ecclesiastici contemptu. Ab Illustribus & Præpotentibus DD. Ordinibus Generalibus, latas esse leges, secundum quas hæc Synodus instituta sit & convenerit: eas non debere ab ijs contemni, nec posse à Synodo mutari. Proinde, rectius facturos, si missis ejusmodi effugijs & tergiversationibus, Illustrium DD. Delegatorum & Synodi mandato morem gerant: quo præsentem hanc Synodum pro legitimo caussæ suæ judice agnoscere, atque in rem præsentem venire jubentur. Moniti sunt insuper, de Synodo, Sacrosancto juramento jam obstricta, bene ut sperarent: judicium ejus prius expectarent, forte illam conscientijs ipsorū satisfacturam. Quod si fiat, caussam eos gratias Deo agendi & acquiescendi habituros: sin minus, tum demum de Synodo conqueri eos merito posse.

De secessionibus earumque causis, suo loco & tempore postea agendum esse. Responderunt Citati, se Illustribus & Præpotentibus DD. Ordinibus, autoritatē suam deferre, Synodumque hanc suo loco relinquere. Posse tamen ejus judicium eodem jure refugere, quo multi olim Patres quorundam Conciliorum priscorum: majores nostri, Concilij Tridentini; nostrique olim, Flaccianorum judicijs se submittere recusarunt.

Ostensum fuit illis, quam dispar hæc esset comparatio. Nos enim eidem subesse Magistratui. Quod si eadem res esset, caussæ nihil esse, cur non ipsi quoque, Ecclesiarum Belgicarum ac Reformatarum, membra esse se diffiterentur. Ideoq; magnam Synodo ab illis fieri injuriam. Ac deinde, moniti sunt denuo, ambagibus ut missis, ad rem venirent.

Quia autem quædam in postremo hoc scripto, ad ipsam quoque Remp. atque Illustrium ac Præpotentum DD. Ordinum Generalium autoritatem spectare videbantur, Generosi Nobilissimique Delegati, ea se ad ulteriorem cognitionem revocaturos esse, significarunt.

SESSIO XXVI.

Sessione Vigesima-sexta,

Eodem Die post meridiem.

De scripto Remonstrantium ante meridiem prælecto, quæsitum fuit, tum Illustrium atque Amplissimorum DD. Delegatorum, tum Ecclesiasticorum tam Exterorum, quam Provincialium, judicium. Illustres Delegati sententiam suam hoc publico decreto declararunt:

Excussis

Digitized by Google

Excussis atque examinatis singulis atque omnibus articulis conditionibusq; quas citati ad hanc Synodum atque evocati Remonstrantes, publice exhibuerunt atque prælegerunt, quasque ab hac Synodo concedi sibi ante ulteriorem rerum inchoationem, disquisitionem, ac tractationem petierant; Illustrium ac Præpotentum Ordd. Generalium Delegati diligentius examinata formula, ac legibus, ad quas omnes actiones Synodales & quæcunque porro hic agenda sunt institui, ac dirigi, iidem Ordines mandarunt; declarant semel ac significant, singulis petitionibus, articulis, conditionibusque, ab iisdem Illustribus ac Præpotentibus Dominis, abunde jam prospectum esse. Et quæ porro cumque in hanc rem toto actionis tempore sese offerent, mature à Synodo curari ac decerni posse. Quapropter, ut ne aut mens aut institutum eorundem Illustrium ac Præpotentum Dominorum ullo modo elidatur, aut Synodales actiones porro conturbentur, diutiusque tempus in Reip. atque Ecclesiæ detrimentum extrahatur, Illustrium ac Prævotentum Ordinum jam ante dicti Delegati, censent adeoque mandant Remonstrantibus Citatis atque imperant, ut citra effugii moram, aut dilationem ullam, ad ulteriora, ac præsertim quæ in Synodo agenda sunt, procedant. Tum quæcunque à Synodo, hoc fine decernentur, iis morem gerant, atque obediant.

Tota quoque Synodus sententiam rogata, conditionum harum postulationem, insolentem, iniquam, intempestivam, atque ex adverso, cum legibus indictionis Synodi ab Illustribus & Præpotentibus DD. Ordinibus Generalibus præscriptis, pugnare declaravit: accusationem autem istam, qua eandem Synodum, maxima sui parte ut schismaticam publice proscinderent, simulq; tergiversationem illam, atque exceptionem, qua ejusdem Synodi, tanquam partis adversæ, judicium atque autoritatem declinare conarentur, nulla solida subniti ratione, multisq; modis Synodo injuriam esse. Quod ipsum in Illustres ac Præpotenres DD. Ordines Generales redundare, quorum legibus & autoritate ea convocata esset. Quin & in omnes Reformatas Ecclesias Belgicas, quæ Deputatos suos ad eandem legitime ablegassent. Ideoque Citatos acriter redarguendos & monendos serio, ut inpostetum ab exceptionibus ejusmodi sibi temperarent, majore cum reverentia de summi Magistratus actionibus loquerentur, à tam atrocibus accusationibus, injustisq; Synodi criminationibus desisterent, autoritatem ejus non defugerent; sed eandem pro legitimo causæ judice agnoscerent. Ecclesiarum Hollandiæ Australis deputati, paucis exponebant, quibus occasionibus, quasq; ob causas, nonnullæ in Hollandia Australi Ecclesiæ, cum Pastorib. Remonstrantibus nullam ulterius communionem habere, essent coactæ. Duodecim illas Conditiones hoc scripto propositas, à Remonstrantibus Hollandis nuper etiam libello supplice, Illustribus Potentibusque Hollandiæ & West-Frisiæ Ordinibus, fuisse exhibitas, qui audito super iisdem Synodi Delfensis circa illud tempus congregatæ judicio, petitionem hanc Remonstrantium rejecerant, illisque imperarant, ut missis ejusmodi tergiversationibus, ordini jam ab Illustribus Ordinum Generalium Celsitudinibus constituto, & in Ecclesiis Reformatis recepto acquiescerent. Et quia criminationes, quibus Remonstrantes in hoc scripto suo Synodum schismatis ream agere conarentur, Zuyt-Hollandicas potissimum tangerent Ecclesias; petere se, ut ad omnes illas respondere sibi permitteretur, publice significabant. Iudicavit autem Synodus, illud eo tempore nec conveniens nec necessarium esse, ne agendi ordo ab Illustr. ac Præpot. DD. Ordinibus Generalibus institutus, turbaretur: cumque essent personalia, doctrinalibus, de quibus suo & loco & tempore agendum esset postea, permiscerentur. Vocati sunt deinde Remonstrantes: qui, postquam serio à Præside de omnibus, de quibus eos Synodus reprehendendos esse statuerat, moniti essent rogatique, ut inposterum prudentius agerent, modestius loquerentur, & protervia tam juvenili atque intemperantia animi & linguæ abstinerent, prælectum ipsis fuit à Clariss. Viro D. Heinsio, Illustrium DD. Delegatorum in hac caussa decretum, jussique sunt eidem morem gerere, atque ad rem omissis ambagibus

bagibus venire. Ac si jam parati essent (uti se paratos fore dixerant) sententiam de quinque articulis suam exponerent: & considerationes quas tam in Confessionem, quam in Catechesin nostram annotarant, exhiberent. M. Episcopius respondit, Quæ ab ipsis proposita fuissent, jure meritoque & gravissima de caussa proposita fuisse: eaque personalia non esse, quia totæ Ecclesiæ secessionem fecissent. Ideoque prolixius hæc à se exposita: quod hæc serio agenda esse existimassent. Non agnoscere, scripto ullam Magistratui summo injuriam esse factam. Ad ipsum scriptum provocare. Non fuisse institutum suum, Illustres DD. Ordines taxare, adeoque ne in mentem quidem sibi venisse. Injuriam sibi fieri, si hoc sibi impingeretur. Respondit Præses, ea ratione injuriam supremo magistratui fieri, si is convocasse Synodum schismaticam, eoque illegitimam, diceretur. Cum præsertim alias leges, aliamque Synodi habendæ formam, quam quæ à supremo magistratu constitutæ sunt, præscribere vellent. Neque obscure Illustr. Hollandiæ, Zelandiæ, Vltrajecti, Frisiæque Ordines, ut autores schismatum traduci, cum satis constet, autoritate eorum Ecclesias, quæ à Remonstrantibus Pastoribus Hagæ-Comitis, Vltrajecti, alijsque in locis secessionem fecissent, protectas, illisque de idoneis doctoribus prospectum fuisse: eosdemque præsentia sua, congregationes illas approbasse.

Carolus Niellius, dictis Episcopij addidit, licuisse semper citatis adversus Iudicis incompetentiam excipere: etiam Ecclesiæ praxin hoc permittere. Iniquum esse, alicujus caussæ judiciũ permitti ijs, qui ante eam condemnassent, ac secessionem jam fecissent. Eos quippe hoc ipso incapaces judicandi sese reddidisse. Quod si hodie D. Pelargus ad Synodum Ubiquitariorum vocaretur, jure adversus eam posse excipere: eodemque jure posse se adversus hanc præsentem. Dolere, juvenilem sibi objici proterviam, quorum quidam viginti annos sint in Ministerio versati. Responsum est à Præside: Nunquam praxin hanc Ecclesiarum fuisse, ut Pastores, quoties exorientibus erroribus ex officio sese opponerent, propterea jure suffragiorum, aut de illis ipsis erroribus judicandi potestate exciderent: ita enim omnem everti judiciorum Ecclesiasticorum ordinem, efficique, ne Pastores officio suo fideliter fungi queant. De secessionibus, quo jure & quibus de causis factæ essent, suo loco inquisitum iri, ubi nempe ad personalia deventum esset. Æquum esse, ut eos nunc judices agnoscerent, qui autoritate summi Magistratus & suffragijs Ecclesiarum dati illis essent. Adversus horum incompetentiam excipere, esse autoritatem supremi Magistratus defugere, ordinemque omnem Ecclesiasticum turbare. Comparationem inter hanc & Ubiquitariorum Synodum, esse admodum iniquam. Quare denuo eos monuit, ut exceptionibus illis missis, Illustr. DD. Delegatorum decreto parerent.

Niellius respondit, admonitiones non satisfacere conscientijs: esse quidem penes supremum Magistratum convocandi talem Synodum, prout ei visum esset, potestatem; sed iniquum esse, judicium permitti illis, qui jam ante caussam condemnassent. Posse quidem magistratum agendi modum præscribere: conscientijs autem imperare, non posse. Habere potestatem loco movendi ministros; sed non animis eorum imperandi. Illustr. Delegati monuerunt, formulam habendæ Synodi ab Illustribus ac Præpotentibus Ordinibus Generalibus præscriptam esse: secundum illam esse agendum. atque ad eam sese ut componerent, serio eos cohortati sunt. Niellius respondit, leges Illustrium & Præpotentum Ordinum Generalium, quibus Synodus indicta fuit, inter alia mandare, ne post eam dubitare ipsis liceat. Ad quæ Delegati denuo mandarunt, ut Decreto morem gererent, atq; exceptiones omnes missas facerent. Addidit Præses: non ab ipsis peti ut pronunciarent, quales judices nos esse existimarent; sed ut ordini à supremo Magistratu & Ecclesijs constituto sese submitterent. Monuitq;, ut omissis omnibus tergiversationibus, declarationes suas atq; observationes, si paratæ essent, tandem exhiberent. Reponebant Delegati, se ipsorum conscientijs præscribere nihil velle; sed & jus legitime causam defendendi ademptum nolle, aut omnino ulla ex parte imminutum. Verum cum Illustrium ac Præpotentum Ordinum Generalium subditi essent, debere ipsos legibus ac constitutionibus illorum obedire, atque hoc esse quod iterum illis serio mandarent. Respondit Episcopius, Nunquam expectasse se futurum, ut decreto urgerentur; sed

sperasse,

Digitized by Google

sperasse, rationes suas examinatum iri, atque hoc ipsum unice nunc petere. Et quandoquidem de tranquillandis multis animarum millibus, deque restituenda Ecclesiarum pace ageretur, non debere parti acerbatæ atque exacerbanti judicium permitti, nec deferri illis, qui jam condemnassent alteram. Sed & conquestus est, Remonstrantes Vltrajectinos ex Synodo esse ejectos, quia bona conscientia defensionem causæ Remonstrantium deserere non potuissent. Responsum ei fuit, permissum Remonstrantibus Vltrajectinis fuisse, ut inter Iudices sederent; si mandatum de defendenda Remonstrantium causa deserere, & juramentum Synodicum præstare voluissent. Non fuisse ex Synodo ejectos; verum sua sponte Citatis Remonstrantibus se adjunxisse, ut eandem causam pariter defenderent. Neminem autem posse, in judicio eodem, ejusdem causæ defensorem esse pariter & judicem. Moniti sunt iterum, ne tergiversationibus hisce diutius actiones Synodicas turbarent; sed ut ad rem venirent. Posse quidem aliquando fieri, ut Theologi qui sub diversis Principibus viverent, alij se aliorum judicijs submittere jure detrectarent: nos vero omnes, sub unius summi Magistratus imperio cum simus, cui præsentibus hoc judicium deferre placuerit, non posse Remonstrantes adversus hos judices, tanquam incompetentes excipere, quin se omne legitimum judicium subterfugere ostenderent. Episcopius respondit, Non se subterfugere judicium; sed hoc tantum petere, ne adversa pars sit judex. Rogavit eum Præses, ut quandoquidem hunc judicem qui auctoritate supremi Magistratus & Ecclesiarum constitutus esset, rejiceret, quem habere vellet causæ suæ judicem significaret. Respondet Episcopius, collationem inter partes posse institui. Regessit Præses, collationem non esse judicium: de judicio judicibusque quæri: rogare se, quorum judicum judicio causam hanc permitti velint, libere explicent, aut alios dent judices. Ad hæc Episcopius, de eo nunc non posse respondere: hoc saltem dicere, his judicibus judicium legitime non competere. Et quamvis alium assignare non possit, sufficere hoc ipsis, partem adversam legitimum judicem esse non posse. Interim DD. Delegati aliquoties monuerunt jusseruntque, ut se Illust. DD. Ordinum Generalium subditos esse cogitarent, eorumque instituto, legibus, constitutionibusque sese subjicerent. Adjunxit Præses, illud ipsum esse in quæstione, utrum Synodus pro parte adversa debeat haberi, an vero legitimus esse judex possit. Quia Ecclesiæ nonnullæ, quarum ibi essent Deputati, secessionem à Remonstrantibus aut fecissent, aut eandem approbassent. Remonstrantes quidem negare, Synodum legitimum Controversiarum harum esse posse judicem. 1. Quod pars adversa sit. 2. Quod sit schismatica. Vtrumque illis probandum esse, & à Synodo negari. Hanc controversiam tum ab Illustr. DD. Ordinibus Generalibus decisam esse, cum illis visum fuit, ad dijudicationem hujus causæ convocare hos judices: tum ab Ecclesijs hisce Belgicis, cum ab ijsdem ad eundem finem hi legitime missi & deputati essent. Quare denuo monuit, ut exceptiones illas missas facerent, & si jam parati essent, declarationes & considerationes exhiberent. Illi in crastinum differri, atque exemplar Illustrium Delegatorum Decreti, sibi dari, ut de re tota maturius deliberare possent, postularunt. Iudicium autem Synodi Delfensis, quo respondetur ad XII. Conditiones habendæ Synodi, a Remonstrantibus propositas, cujus in hac Sessione fit mentio, hoc fuit.

Illustribus ac Potentibus Dominis Ordinibus Hollandiæ ac VVestfrisiæ, DD. suis Clementissimis.

Illustres ac Potentes Domini, Quandoquidem Potentibus Dominationibus vestris per Deputatos vestros, nobis ad urbem Delphos in Hollandiæ Australis Synodo congregatis, libellum quendam exhibere placuit, in quo Ministri nonnulli, gravamina sua ad-

versus Potentum Dominationum vestrarum Decretum , de Provincialis aut Nationalis Synodi institutione proponunt, conqueruntur que Potentes Dominationes vestras de ejusdem Synodi conventu indicendo quam primum cogitare (quum contra & nos & omnes pariter Ecclesiæ Belgicæ justiores conquerendi causas habere arbitremur , non quidem de Potentibus Dominationibus vestris , sed de illis ipsis qui hunc libellum obtulerunt, quod artibus & machinationibus suis jam integros decem annos non tantum Provincialem , sed & utramque particularem Hollandiæ Synodum remorati sint) idcirco nec potuimus , nec voluimus committere , quin juxta Potentum Dominationum vestrarum mandatum , cum omni debita reverentia, & submissione Potentibus Dominationibus vestris sententiam nostram de dicto libello exponeremus.

Et quidem ante omnia videtur nobis (salvo vestrarum Potentum Dom. judicio) valde insolens , quod novus hic libellus , ab ijs qui eum obtulerunt , aut qui eum offerri curarunt, subsignatus non sit. Cum præsertim initio hujus querelæ suæ nullos sibi titulos tribuant, quam ministrorum infra scriptorum , quemadmodum excusum quoque exemplar eundem titulum initio præfert. Sed utrum hunc novum libellum, soli illi sex suo nomine composuerint ac subsignarint, an vero communi omnium eorum nomine, quorum mandato collationem illam Hagiensem cum sex alijs Ecclesiarum Pastoribus instituerunt, nec dum cognoscere potuimus; sicuti quoque necdum pro certo nobis constare potuit , quinam illi sint, qui eosdem sex Collocutores ad dictam collationem, & ad omnia illa quæ communi nomine ab illis acta sunt, delegarint. Qui nobis agendi modus (salvo meliori judicio) valde insolens videtur, in Ecclesia Dei. Quod , scilicet nonnulli, dissimulatis nominibus, sine suorum fratrum conscientia, hoc pacto, ad communem reformatarum Ecclesiarum doctrinam oppugnandum , inter se conspirent, tanto autem hoc magis miramur, quod nonnulli, quos hactenus pro Remonstrantibus habuimus , & qui adhuc aperte profitentur se quinque Remonstrantium Articulos probare , & verbo Dei consentaneos judicare, nobis in hac ipsa Synodo nostra testati sint , non tantum suo consilio aut assensu hunc novum libellum non esse oblatum, sed neque primum omnium in quo quinque Articuli expressi sunt : Imo ne quidem ulli Remonstrantium conventui se unquam interfuisse , aut suffragio suo definivisse , quod communi Remonstrantium nomine agendum esset. Quamobrem plusquam æquum esse arbitramur, vt illi , qui ad impugnandam fratrum suorum doctrinam conspirarunt, nomina sua palam profiteantur : quo & illis , quorum doctrinam calumniantur, certo constare possit, quibuscum sibi negotium sit , & quinam ipsis contradicant.

Verumenimvero , quandoquidem Potent. Dominat. Vestris visum fuit dictum novum libellum responso dignari & eundem ad nos remittere , confisi Dominationes Vestras hoc facturas non fuisse, vel saltem ulteriorem ejus rationem non esse habituras , priusquam constet , quinam hujus novi libelli autores sint & oblatores , propterea nos mature & in timore Domini, ex mandato vestro , scripto hoc expenso, illud duo imprimis membra complecti deprehendimus.

Initio enim excipere conantur adversus Synodi tam Nationalis quam Particularis institutionem : nonnullas causas prætexentes quare sese ijsdem Synodis submittere graventur ac recusent. Deinde proponunt insolitas atque ab omni ratione alienas conditiones, sub quibus in dictis Synodis se comparituros , & causam suam coram ipsis acturos recipiunt.

Rationum prætextus , quamobrem se judicio Synodi submittere graventur, cumprimis sumpti sunt, ab incapacitate, ut loquuntur , personarum, quas existimant ad hanc Synodum delegatum iri: Quam incapacitatem seu inhabilitatem conantur ostendere. Primo, quia jam nulli nobis sunt Apostoli, aut infallibilis Spiritus Sancti ductus , qualis in Synodo Ierosolymitana Act. 15. fuit : adeo ut nemo nos jam certos reddere possit Synodos nostras non tam posse errare , quam multæ priscæ Synodi etiam legitime congregatæ erraverunt. Deinde, quia Ecclesiæ & Classes hujus provinciæ in duas partes diversas jam abierunt , quarum una cum altera nullam Ecclesiasticam communionem colit. Quam divisionem Contra-Remonstrantibus conantur imputare, quia ipsi qui Remonstrantes dicuntur, semper optarant, ut altera pars alteram toleraret , potius quam triste hoc schisma admitteret. Contra-Remonstrantes vero erexisse separatos cœtus. Vnde factum fuerit, ut non tantum Ecclesias sciderint, sed adversam quoque Remonstrantium partem sese constituerint,

ac decreta

Digitized by Google

ac Decreta condiderint & subsignarint, quibus Remonstrantes tanquam falsos doctores condemnarint, seseque praeterea ut eorum professos adversarios in omnibus gesserint. Et quandoquidem haec animorum alienatio adversus Remonstrantes, non tantum in hac, sed in vicinis quoque Provinciis ac Synodis, tam Belgicae quam Gallicae Linguae, jam satis sit manifesta, idcirco arbitrantur ejusmodi Synodos, quas ex talibus viris constituras probabile est, qui sese jam ipsorum adversarios professi sunt, non posse judicum partes in ipsorum causa subire; quum natura id ipsa dictet, quod nemo accusator simul & judex esse possit. Haec est summa eorum quae in hac prima sui scripti parte satis prolixe exponunt.

Ad hos rationum praetextus, rogamus Potent. Dom. vestras, ut diligenter attendant, an videlicet in alium finem ab illis proferri possint, quam ut omni Ecclesiastico judicio sese subducant, omnemque spem in posterum praecidant, qua pax & quies per ullum Synodi conventum Ecclesiis aliquando queat restitui. Nam si hae rationes quicquam valerent, nulla unquam Synodus ab Apostolorum tempore, ad controversias ullas componendas, in Ecclesia Dei cum fructu celebrari potuisset, quum experientia tamen diversis temporibus contrarium docuerit, Synodales Conventus, saepe magno cum fructu, ad varias haereses, errores, schismata, atque alias difficultates, quae in Ecclesia Christi exortae erant, tollendas, fuisse institutos.

Verum quidem est, nullas Synodos, quamlibet celebres aut universales, post Apostolorum tempora, extra omne erroris periculum fuisse, ut ipsarum Decreta pro infallibili Dei verbo haberi possint. Nam soli Apostoli & Evangelistae in Novo Testamento ita in omnem veritatem à Spiritu Sancto ducti sunt, ut in doctrina sua errare nequiverint.

Sed hinc non conficitur, quod saeculis insecutis nullae Synodi cum fructu potuerint celebrari. Imo vero, contra potius ex Apostolicae Ecclesiae exemplo colligi potest, quam necessarii atque utiles ejusmodi Synodales conventus, ad quasvis controversias & dissensiones ex Ecclesiis tollendas, habendi sint.

Si enim ipsi Apostoli, licet omnes pariter Spiritu Sancto usque eo donati essent, ut in doctrina sua errare non possent, atque unius alicujus eorum testimonium ad ea quae fidei erant definienda sufficeret, nihilominus ejusmodi conventus habuerunt; quanto magis hic ordo subsecutis seculis, quum reliqui Pastores in doctrina errare potuerunt, servari debuit, ut eo facilius errores ab Ecclesia Dei arcerentur.

Et si Paulus ac Barnabas, eodem Spiritu cum reliquis Apostolis praediti, Hierosolymam se ablegari sint passi, ut sententiam reliquorum Apostolorum de controversia, quae in Ecclesia Antiochena exorta erat, intelligerent: quanto aequius est, ut alii Pastores qui Apostoli non sunt, sese hujusmodi Synodicis Conventibus subjiciant. Nam Christus Dominus, qui Apostolis promisit Spiritum veritatis, qui ipsos ducturus esset in omnem veritatem, Ecclesiae quoque suae pollicitus est, se cum ea usque ad finem saeculi mansurum Matth. 28. 20. &, ubi duo aut tres in ipsius nomine congregati fuerint, se in eorum medio futurum: Matth. 18. 20. Sicuti ergo non sequitur, quia Ecclesia post Apostolorum tempora nullos Pastores habuit, qui in doctrina errare non possint, idcirco externum verbi ministerium infructuosum & inutile esse, quemadmodum Libertini quidam hisce extremis seculis contendunt: ita quoque non sequitur, quandoquidem post Apostolorum tempora, nullae Synodi extra erroris periculum fuerunt, idcirco nullas Synodos, ad haereses, schismata, ac dissidia ex Ecclesia Dei tollenda, esse celebrandas.

Nam sicuti Deus verbum suum per Prophetas, Apostolos, & Evangelistas scripto consignari voluit, idemque verbum scriptum miraculose conservavit; ut ex eo fidi ac pii Pastores, per Ecclesiam legitime vocati, possent cognoscere ea, quae in Dei nomine Ecclesiis per ipsos proponenda essent, ita quoque idem verbum scriptum, tanquam regulam ac normam, constituit, ad quam in omnibus Ecclesiasticis Conventibus, judicia de fidei doctrina dirigenda sint.

Quando autem pii ac docti Pastores, ex diversis Ecclesiis diversisque regionibus orbis Christiani, in timore Domini conveniunt, ut ex Dei verbo judicent, quid in Ecclesia Dei doceri aut non doceri conveniat; omnino confidendum est, Christum, juxta promissionem suam ejusmodi conventui interfuturum, atque eundem Sancto suo Spiritu illustraturum ac recturum, ut nihil in eo quod ad veritatis ac regni ejus detrimentum vergere possit, decernatur.

Sed fac aliquid ejusmodi Decretum iri, veritas tamen propterea oppressa non manebit, sed suo tempore iterum in lucem emerget.

Interim tamen ordo, quies, & pax in Ecclesia Christi servari debet. Nam Deus non est confusionis aut ἀταξίας Deus, sed pacis: atque ideo vult omnia in Ecclesia sua, ordine, pacifice, & quiete geri.

Iam vero nullus ordo, nulla pax esse poterit in Ecclesia Dei, si cuilibet quidlibet docere permittatur, nec ad rationem doctrinæ suæ reddendam; ac se judicio alicujus Synodici conventus submittendum, obligetur: juxta præceptum Apostoli 1. Cor. 14. 29. & 31. ut judicetur de ijs quæ Prophetæ loquuntur, & Prophetarum Spiritus Prophetis subjecti sint.

Ad quod Remonstrantes, eo magis obligantur, quia in Ministeriorum suorum aditu seipsos ad hoc obstrinxerunt, quemadmodum in libello suo fatentur, cum id ipsum sibi objiciunt, & ad hanc difficultatem respondere conantur. Sed quam parum apte ad rem respondeant, ex sequentibus satis liquebit.

Quod vero velint hoc rerum & temporum statu, Apostolicum ordinem servari non posse, quia Ecclesiæ jam divisæ sunt, non minus omni ratione caret, atque illud de quo jam egimus. Quid enim aliud Ecclesias has divisit, quam diversitas doctrinæ, quæ in Ecclesijs ex illis audita est, Sin propterea in Synodicis conventibus de doctrina nihil certi statuere liceat, quia Ecclesiæ per diversas doctrinas divisæ sunt & separatæ, tum sane nullo tempore in Ecclesiæ turbis & schismatibus Synodi erunt convocandæ, & ad eundem modum illis, qui in Ecclesiam Dei nova dogmata antehac conati sunt invehere, semper proclive fuisset excipere, propter Ecclesiæ divisionem nullos conventus Synodicos esse celebrandos.

Idem olim prætendere potuissent Arriani, Nestoriani, Eutychiani, atque alij ejusdem generis sectarij, qui multos in Ecclesijs asseclas habuerunt, easdemque sciderunt ac distraxerunt. Nec tamen eo minus pij Imperatores œcumenicas Synodos conscripserunt. In quibus de eorum doctrina, utrum sc. Dei verbo consentanea esset nec ne, judicatum fuit.

Quod Remonstrantes excipiunt, ijs inter judices de hisce controversijs in Synodo Nationali non esse concedendum locum, qui jam antea præjudicia sua de quinque Articulis ediderunt, firmitate quoque omni caret. Nam hinc necessario sequeretur, nullis Orthodoxis Ecclesiæ Ministris hoc iudicium esse committendum, quia iam antea declararunt se Remonstrantium sententiam probare non posse; atque adeo eos solos in fidei controversiis Iudices esse constituendos, qui neutri antea parti adsensum præbuissent. Ad eumque modum Arrianis alijsque olim hæreticis adversus orthodoxos Pastores semper licuisset excipere. Quo autem pacto in eiusmodi controversiis pij Pastores se neutros, ut loquuntur, præbebunt (quando præsertim tam multi anni intercedunt, priusquam legitimum ac publicum Ecclesiæ iudicium obtineri potest) quum Deus illis præcipiat, ut serio doctrinæ sinceritati attendant.

Quonam præterea modo, pij Pastores dissimulare potuissent, quantum doctrina & modus procedendi Remonstrantium ipsis displiceret? cum animadverterent eos, opiniones suas novas sub tolerantiæ prætextu, non solum in Ecclesias omni conatu introducere, sed Reformatæ quoque Ecclesiæ doctrinam, sine ulla verecundia, quam odiosissime traducere atque exagitare, tum in prima sua Declaratione Anno 1610 Ordinibus exhibita, tum vero etiam magis, in Hagiensi Colloquio, atque omnium maxime in multis subsecutis & calumniarum plenis postea editis scriptis. Cur nobis ergo exprobant nostrum adversus eorum doctrinam, & actiones iudicium, cum ipsi nos tam odiose condemnarint ac calumniati sint?

Si contendant, nobis, tanquam adversæ parti, in Synodo Nationali iudicandi de ipsis potestatem non esse concedendam, nos quod attinet, in hoc negotio aliarum Ecclesiarum, quarum Deputati eidem interfuturi sunt, iudicio nos libenter submittemus, si paria nobiscum facere velint. Tum aliæ Ecclesiis Reformatæ iudicare poterunt, utra pars doctrinæ sanæ constantius inhæserit.

Ac si hæc Remonstrantium exceptio habere locum debeat, nulla Ecclesiastica censura aut disciplina unquam in Ecclesia Dei exerceri poterit; quia illi, qui in doctrina aut moribus scandalorum autores sunt, semper Censores suos, Consistoria, Classes, & Synodos, ceu partem adversam reijcient.

Quod contra hæc prætendunt, verisimile videri, nullos ex ipsis, aut saltem valde paucos, ad Synodum iri delegatum, ac proinde se suffragijs superatum & doctrinam suam condemnatum iri; præsertim cum Contra-Remonstrantes separatos iam antea conventus formaverint, in qui-

Digitized by Google

in quibus Remonstrantium doctrinam ut heterodoxam condemnarint, & sese adversus ipsos conjunxerint, ac certorum Articulorum subsignatione se mutuo obstrinxerint.

Ad hæc respondemus, Remonstrantes suos fratres ac collegas ad ejusmodi separationem faciendam compulisse: quandoquidem omne ecclesiasticum de doctrina sua judicium recusantes, talem hucusq; tolerantiam mutuam urserunt, per quam novas opiniones suas Articulis quinque comprehensas, imo & nonnulli inter eos, multa alia nova dogmata, quinque Articulorum mementum longe excedentia, in Ecclesiam Dei conati sunt introducere. Qui vero ejusmodi tolerantiam probare non possent, neque pati ut in Ecclesia Christi hæc nova dogmata introducerentur, eorum operâ ex functionibus suis eiecti, Ecclesiæ fidis suis Pastoribus & Ministris orbata, atque illi qui hæc ægre ferrent, male mulctati fuerunt. Quæ causa fuit, per quam Ecclesiæ, quæ tales suos Pastores pro fidis veritatis doctoribus & Christi Ministris agnoscebant, ab ejusmodi pravis & perversis operarijs se separare sint permotæ.

Neque hinc tamen sequitur, quod ejusmodi Ecclesiæ, quæ propter causas jam dictas à Remonstrantium communione secesserunt, schismatis causa sint. Nam schismatici in Ecclesia nominari solent, non qui se propter controversias in doctrina exortas segregant ab illis, quos à veritate defecisse intelligunt (alias enim Apostolus Paulus schisma mandasset Rom. 16. vers. 17.) sed illi, qui se ad eum modum segregant, ut communi Ecclesiarum judicio se submittere renuant, aut saltem, qui per novas doctrinas in particularibus Ecclesiis, schismatum autores sunt. Cujus rei judicium penes Synodum Nationalem erit; atque hoc judicium Synodi, Ecclesiæ jam separatæ, de hoc facto suo expectare sunt paratæ.

Quod ergo Remonstrantes dicunt, hoc rerum perturbatarum statu, consuetum Ecclesiæ ordinem non posse servari, sicuti rebus adhuc integris potuit, hoc perinde est, ac si glorientur, res Ecclesiæ nunc usque eo à se esse turbatas, ut nullis remedijs restitui valeant. Nam ipsimet huic Ecclesiæ perturbationi causam dederunt, quum se Ecclesiarum doctrinæ in hunc modum opposuerunt, ut omnes censuras Ecclesiasticas adversus ipsos, Magistratuum autoritate, inhiberi curarent.

Nam quandoquidem ipsi omnium primi à fratribus suis secessionem fecerunt; quum ipsis plane inscijs inter se conspirarunt, atque à Magistratu supremo postularunt, ut in suis opinionibus tolerarentur, & adversus quasvis Ecclesiasticas censuras, quæ contra ipsos institui possent, defenderentur, interimque omni conatu hoc egerunt, ut numerum suum indies augerent, eoque modo suas opiniones Ecclesiis obtruderent; quidnam aliud quæso ijs restabat, qui conscientiæ suæ testimonio, & vocationis suæ ratione ad veritatem, adversus eos qui contradicebant, defendendam, urgebantur, quam ut in conventibus suis viderent, atque inter se deliberarent, quid deinceps facto opus esset, ad veritatem tuendam, omnemque ulteriorem doctrinæ corruptelam sistendam, scandalaque arcenda. quum præsertim tot jam continuos annos frustra requisita esset Provincialis Synodus, aut Nationalis, nullaque spes eius unquam impetrandæ humanitus superesset: sed contra omnibus evidenter pateret, quod Remonstrantes per autoritatem Magistratuum, atque illegitimos & cum Dei verbo pugnantes agendi modos, Ministros, qui cum ipsis sentirent, Ecclesiis ubique obtruderent. In quo instituto, si ipsis tantisper progredi licuisset, donec tandem in omnibus, vel plerisque Classibus maximum Ministrorum numerum in partes suas pertraxissent, nulli dubitamus, quin ad Synodum promovendam, promptissimi fuissent: cum certa spe, fore, ut opiniones suas, sub tolerantiæ prætextu, introducerent. Quemadmodum in Diœcesi Vltraiectensi antehac ab illis est factum.

Sed quoniam metuunt, ut causam suam in particulari vel Nationali Synodo, suffragiorum numero obtinere possint, hinc est quod divisionem Ecclesiarum & præiudicia adversus sese causentur.

Verum enim vero, quomodo sese, sub hoc prætextu, omni Reformatarum Ecclesiarum iudicio possunt subtrahere, quandoquidem pro Reformatæ Ecclesiæ doctoribus seipsi venditant? Quomodo id cum omni ratione non pugnat, ut illi, qui pro Reformatæ Ecclesiæ doctoribus agnosci volunt, nullius Ecclesiæ Reformatæ iudicio se velint submittere?

Si Pastores Ecclesiarum huius Provinciæ pro adversa parte habent, & causas de eis conquerendi se habere existimant, quia præmature adversus ipsos quædam constituerunt, accusent eos coram Synodo Nationali.

Sin habeant quod de ijs quoque conquerantur, qui ex alijs Synodis & Provincijs in Synodo Nationali comparebunt, judicium de hac re permittant ijs, qui ex alijs ditionibus & regnis ad Synodum venturi sunt.

Si nec illorum judicium admittant, quod præsentibus & moderantibus à Magistratu supremo Delegatis instituetur, declarent igitur, quarumnam Ecclesiarum Reformatarum judicio se sistere cupiant.

Si ne hoc quidem facere velint, quomodo se pro Ecclesiæ Reformatæ Pastoribus agnosci postulant?

Quod autem hic obtendunt exemplum primorum Ecclesiæ Reformatorum, qui judicio Synodi Tridentinæ se subjicere recusarunt; illud plane absurdum & alienum est.

Nam Concilium Tridentinum, liberum non fuit. Quum Episcopi, Prælati, atque omnia ejus membra, in verba Papæ jurati essent: nec quicquam ijs liceret decernere, præterquam quod ipsi placeret, & per nuncium suum probaret, quodque cum antecedentium Conciliorum Pontificalium decretis consentiret. Quibus se non minus quam verbo Dei per juramentum obstrictos atque obligatos esse, sentiebant.

Contra autem, quicunque ad Synodum Nationalem vocabuntur ac mittentur: nullis humanis decretis aut scriptis, sed soli Dei verbo adstringentur: adeo ut si quicquam in consensus doctrinæ nostræ formulis deprehendatur, quod à verbo Dei dissentit, non tantum illis liceat, sed etiam necesse sit, ad normam Verbi divini examinare ac corrigere.

Deinde & hoc manifestum est, quod primi Ecclesiæ Reformatores pro Doctoribus Ecclesiæ Pontificiæ haberi noluerint, sed contra ab ijs secessionem fecerint, ac proinde causas justas habuerint, cur judicio Ecclesiæ Romanæ se subiicere recusarint.

Ad eundem modum in Germania Doctores nostri pacem & fraternitatem Ecclesijs Lutheranis quidem obtulerunt; sed eorum Confessionem nunquam receperunt, nec se pro Doctoribus Lutheranis haberi postularunt, nec unquam in hoc consenserunt, ut Lutheranorum opinio in templis suis doceretur; ac propterea Lutheranorum judicio se submittere non tenebantur.

Quo pacto hoc congruit cum eo quod fit à Remonstrantibus, qui pro Doctoribus Ecclesiæ Reformatæ haberi postulant, prætexentes se à doctrina Reformatarum Ecclesiarum non recessisse: & tamen nulli earundem Ecclesiarum judicio se volunt submittere?

Vnde satis quoque constare potest, quam abs re allegetur exemplum Synodi Nationalis Pontificiæ, quam Galliæ Rex convocare posset; cuiusque judicio Reformatæ quæ ibi sunt Ecclesiæ, se nollent adstringere. Nam justas hujus facti sui haberent causas, quia ipsi nunquam Ecclesiæ Pontificiæ Doctores censeri voluerunt, sicuti hi pro Ecclesiæ Reformatæ doctoribus haberi cupiunt.

Et quid, obsecro, per hæc exempla aliud indicant, quam quod sibi videantur, tam longe à nobis dissentire, quam primi Reformatores ab Ecclesia Romana dissenserunt. Quum tamen contra testificentur, se ab Ecclesiæ Reformatæ sententia non recessisse: sed, solis quorundam singularium Doctorum opinionibus in Ecclesia se opponere.

Quare igitur judicium de doctrina sua communibus Ecclesijs non committunt?

Quod autem præterea excipiunt adversus nonnullos Ministros, tum in urbibus hujus Provinciæ, quæ per Dei singularem gratiam has turbas & schismata passæ non sunt, tum etiam in Provincijs vicinis, eosque à judicio de doctrina sua ferendo excludere satagunt, quia se Ministerijs quarundam separatarum Ecclesiarum ad tempus adhiberi sunt passi, id ipsum non minus omni ratione, quam reliqua, caret.

Nam si Remonstrantes per insolitum procedendi modum novaque dogmata (quæ nonnulli eorum jam antea in alijs condemnarant) Ecclesias non turbassent, & ad secessionem ab ipsis faciendam, compulissent: non fuisset necessarium, ut Pastores illi, cum suo & Ecclesiarum suarum dispendio, separatis illis Ecclesiis suppetias ferrent.

Quod ipsum tamen ab ijs factum non est, nisi cum consensu Ecclesiarum & Magistratuum quibus suberant. qui ærumnas earundem Ecclesiarum respicientes, ut Ecclesiis illis hoc pacto prospiceretur, operam dederunt, ne Ecclesiæ istæ, quæ cum ipsis veræ fidei unitatem conservabant, tanquam miseræ oves, sine pastoribus manere cogerentur.

An vero propterea Pastores illi non erunt idonei, qui de doctrina judicent? Quomodo ergo ipsi Remonstrantes se ad hoc judicium idoneos censebunt, quandoquidem se fratrum suorum doctrinæ manifestos adversarios professi sunt?

Pastores illi, qui ad hoc faciendum legitime rogati sunt, non potuerunt Ecclesias, quæ cum ipsis in doctrina consentiebant, in hoc ipsarum ærumnoso statu plane deserere.

Si hic peccarunt, subiiciunt hoc factum suum Nationalis Synodi judicio. Intendant Remonstrantes eis litem, & audiatur quid ipsa Synodus hic sit judicatura.

Digitized by Google

Imo si aliqui ex Pastoribus illis ad Synodum Nationalem deputati propter hoc factum conveniantur, parati sunt, dum hac ipsorum caussa agetur, Synodo tantisper cum accusatoribus suis excedere, ut iis absentibus tanto liberius de hoc ipsorum facto judicetur.

Si Remonstrantes ad eundem modum eidem judicio se velint submittere, æquo animo audientur, caussamque doctrinæ ac factorum suorum, quantum videbitur, illis agere licebit.

Nam ex duobus alterum est necessarium, nisi pro Ecclesiæ perturbatoribus haberi velint; vel ut se communium Ecclesiarum judicio submittant, vel ut aperte demonstrent, illud ipsum judicium verbo Dei repugnare.

Præcipue vero ostendunt Remonstrantes, quod nullum Ecclesiæ judicium agnoscant, quando etiam exterorum doctorum judicium declinare audent, prætexentes, eos, præterquam quod affectibus duci possint, facile quoque Provincialium suggestioni aures præbituros. perinde ac si nulla æquitate, ingenio, aut conscientia viri illi futuri sint.

Quid hoc aliud sibi vult, nisi, quod nullos plane homines, aut saltem nullos inter eos qui religionem Reformatam profitentur, idoneos existiment, qui de ipsis judicent: ac proinde quod se ipsos soli judicare velint, & Ecclesiis reformatis hanc legem imponere, ut quodcunque lubet, docere ipsis concedatur?

An igitur idcirco Ecclesiæ omnes Reformatæ errare judicandæ sunt, aut esse partes adversæ, quia capere non possunt opinionem Remonstrantium verbo Dei esse consentaneam? Aut, an arbitrantur Remonstrantes tot pios doctosque viros quot in Synodo Nationali comparebunt, omni conscientia carituros; nec sincere & absque partium studio, de ipsorum caussa esse iudicaturos; imo & eam ipsam amplexuros, si ex Dei verbo eam demonstrare possint?

An vero Remonstrantes existimant se solos habere Spiritum Dei, ac se magis extra erroris periculum esse, quam cæteros omnes Ecclesiæ doctores?

Nostro iudicio plane absurdum est, quod hi homines, qui nova hæc dogmata in Ecclesiam conati sunt introducere, omnes reliquos pastores velint suspectos reddere, & tanquam adversarios rejicere.

Nam eadem plane ratione, omnes olim hæretici, iudicium Ecclesiæ tanquam sibi adversarie rejicere potuissent.

Si contendant, se nihil novi conatos esse invehere, quænam ergo difficultas impediat, quo minus scrupulos quos habent, fratribus suis communicare, & expendendos dare audeant?

Aut quid opus fuit, ut à supremo Magistratu in opinionibus suis aduersus omnes Ecclesiasticas censuras protegi peterent?

Cæterum, quod attinet accommodationem, ut loquuntur, vel decisionem harum controversiarum, nos eam Synodi Nationalis judicio permittimus. De qua confidimus, sicuti nullam accommodationem probabit, quæ veritati sit noxia; ita quoque nihil decisuram, de quo non aperte ex Dei verbo, sic facto esse opus, ostendi possit.

Et quandoquidem ipsi Remonstrantes confitentur, varias accommodandi vias posse iniri, licet ipsa doctrina cum veritatis detrimento, non flectatur; valde mirum est quod Synodo eiusmodi accommodandi modum velint præscribere, qui ipsis probetur, per quem non minus ipsorum opinio, quam antiqua Ecclesiæ sententia tolerari debeat.

Hisce paucis, satis responsum putamus ad primam hujus libelli partem, in qua Remonstrantes caussas proferunt, cur graventur ad Synodum accedere, & einsdem iudicio se ipsos submittere.

Iam vero quod attinet duodecim illas conditiones quas proponunt, & sequendas ac servandas esse sentiunt, ut æqua ac neutri parti addicta Synodus celebretur.

Nos sane iudicamus nonnullas ex illis ut insolitas & inauditas, observari non posse.

Nam quænam illa Synodus futura sit, in qua duæ partes adversæ conveniant, ipsaque Synodus in duos conventus separetur: quorum quisque proprium Præsidem aliosque actionum directores habeat: in qua conventus uterque seorsim agat, & quidem separatis cubiculis? Quod in primo suo articulo proponunt.

Nobis sane, eiusmodi Synodum ab Apostolorum tempore ad hunc usque diem convenisse, non constat.

Et quorsum obsecro hoc tenderet? nisi cum Remonstrantibus non omnia possent concedi quæ cuperent, ut deinde re infecta libere discederent, atque hoc pacto ipsum schisma multo, quam antea fuisset, gravius redderetur?

Idipsum quoque pugnaret cum Decreto, quod Præpotentes D D. Ordines Generales, & Potentes Dominationes vestræ, de hac re iam antea condiderunt.

Salvus conductus, seu liberi commeatus diploma, nostro judicio neutri parti est necessarium, quandoquidem nostrarum Provinciarum status is est, ut nemini facile metuendum sit, propter sententiam suam de religione, in se gravius quippiam constitutum iri.

Cui quoque difficultati Magistratus urbis, ubi Synodus conveniet, ita providebit: ut injuria ipsi fieret, si publicus salvus conductus ad id requireretur.

Nos, Deo sit laus, sub jugo Pontificio, aut conscientiarum Tyrannide non vivimus.

Si publica fide sibi caveri velint, neminem futurum qui eos verbo sit offensurus, quis hoc illis præstare poterit? quandoquidem iam antea, per insolitos agendi modos, maximæ partis populi odium in se concitarunt.

Adeo ut hanc conditionem ita late intellectam, sicuti & eam quæ antecessit, pro mero effugio habeamus: quia per eam stipulantur quod præstari non potest.

Neque etiam necessariam arbitramur, quam subjiciunt, ἀμνηστίαν, seu omnium privatarum injuriarum abolitionem, sicuti nec omnium antecedentium obligationum renunciationem. sufficere putamus, ut duæ partes quæ de se mutuo conqueruntur, Synodi judicio utrinque se submittant, sanctumque animo propositum concipiant, quo eidem judicio in posterum acquiescant, omnes simultates deponant, & præteritas injurias obliviscantur.

Quod præterea stipulantur, ne quisquam in Synodo cogatur rationem reddere ullius facti, contra publicum Ecclesiæ ordinem perpetrati, pugnat etiam cum ipso Ecclesiæ ordine; qui postulat, ut non tantum de doctrina, sed de factis quoque Ministrorum & publicis scandalis, legitime in Synodis cognoscatur.

Et plane metuendum est, ne sine debita censura, adversum eos, qui per doctrinam & facta sua, scandalorum & magnarũ offensionum autores fuerunt, Ecclesiæ ad quietem reduci possint.

Quod porro petunt, ne à Synodo inquiratur utrius partis sententia, Remonstrantium, nempe, an Contra-Remonstrantium, cum doctrina Reformatæ Ecclesiæ congruat, sicuti ea in Confessione & Catechesi continetur; sed ut ante omnia examinetur, quid cum Dei verbo consentiat, illud non convenit cum eo quod Remonstrantes hactenus sunt gloriati: quod ipsi, videlicet constanter permanserint in antiqua vere Reformatarum Ecclesiarum sententia, quæ Confessione & Catechismo exprimitur.

Nam si, ut loquuntur sentiunt, cur illius quoque rei iudicium Ecclesiæ non permittunt? nisi quia metuunt, inanem fuisse hanc gloriationem, tum iri deprehensum.

Neq; nos tamen idcirco statuimus satis id fore, si de prehendantur adversus veterem Ecclesiæ sententiam sensisse & docuisse: sed necessarium iudicamus, ut deinde pergatur, & utra sententia cum Dei verbo consentiat, vetus, scilicet, Ecclesiæ, an nova Remonstrantiũ, examinetur.

Quod omnia volunt scripto peragi, illud Synodi iudicio permittimus.

De Confessionis recognitione, antea satis declaratum est nos non impedire, quo minus Confessio relegatur & recognoscatur, prout antiqua consuetudo postulat.

Et nobis quoque placet, ut illi nulla censura propter animadversiones suas, quas proferent, notentur; qui se Synodi judicio submittent, & ordinem hic constituendum sequentur.

Sententia etiam nostra est, Synodo nationali liberum fore, ut decidat, quæ secundum Dei verbum decidenda esse judicat, ac porro omnia dispiciat, quæ sine detrimento veritatis, cumque Ecclesiæ ædificatione facere ad pacem possint.

Cui rei, ut confidimus, illi qui ad Synodum Nationalem delegabuntur, unanimi consensu invigilabunt.

Confidimus quoque Præp. DD. Ordines Generales, quum de veritate atque æquitate constitutionum Synodalium apud se persuasi fuerint, easdem consensu suo approbaturos, ac publica autoritate executioni demandaturos.

Quemadmodum etiam censemus, penes judicium & prudentiam tam Synodi, quam supremi Magistratus futurum, qua ratione cum ijs, qui Synodi judicio acquiescent, vel non acquiescent, deinceps agi oporteat.

Hæc sunt Nobiles, Potentes, & Clementissimi Domini, quæ debita cũ reverentia ac submissione ad hunc libellum breviter adnotanda, ac Potentibus, DD. vestris proponenda judicavimus.

Multa præterea alia in eodem libello observari possent, qualia cumprimis sunt, quibus Synodi Geldricæ & Præsidis ejusdem Synodi actiones sugillant, (de quibus ipse Præses, conventui nostro, Geldricæ Synodi nomine adsistens, maximopere conquestus est, & contrarium nobis declaravit) item variæ, iniustaque accusationes, calumniæ, & injuriæ, adversus alios quosdam Pastores, tum intra, tum extra hanc Provinciam institutæ. Quarum culpam facile probari posset magis residere penes ipsos accusatores, quam penes illos quos apud Potentes Dominationes Vestras conantur traducere: quemadmodum & alia singularia plurima. Sed

Digitized by Google

Sed ne Potentibus Dominationibus vestris prolixiore responso molesti simus, utque omnia, juxta mandatum vestrum, quæ acerbitatem, perturbationem, aliosq́; affectus sapiunt, vitemus, ad singularia illa respondere, aut hujus generis calumnijs atq́; occasationibus acrius obviam ire nobis visum non fuit. Interim Potentes Dom. vestras demisse rogamus, ut responsum hoc nostrum boni atque æqui consulatis, deque ipsa re statuatis, quod vobis pro prudentia vestra, ad Patriæ commune bonum, & Ecclesiarum pacem maxime necessarium videbitur.

Et quandoquidem libelli hujus auctores, circa finem scripti sui innuunt, se adversus quasvis ejusmodi Synodorum (quas hic improbant) citationes, aures suas obturaturos, quod nonnulli ex ijs reipsa quoque ausi sunt, quum, adversus iteratum Vestrum mandatum, coram Synodo hac non comparuerunt.

Rogamus Pot. Dominationes vestras, ut hæc ad animum revocent, & autoritate sua procurent, ne quisquam in posterum, qui ad hanc aut ad Nationalem Synodum citatus est aut citabitur, se sistere recuset, quando videlicet in eum finem citabitur ut doctrinæ atque actionum suarum rationem reddat.

Actum Delphis in conventu nostro Synodico ad 24 Octobris 1618.

PP. DD. Vestrarum humillimi Servi, Pastores & Seniores ad Synodum Zuythollandicam deputati, atque omnium nomine *Henricus Arnoldi, Præses. Balthasar Lydius, Assessor. Ioannes Lamotius, Scriba.*

Sessione Vigesima septima,

SESS. XXVII.

XI. *Decembris, Die Martis ante meridiem.*

REmonstrantes citati iterum comparuerunt, rogatique sunt, an sententiam suam de quinque Articulis proponere, & Considerationes suas super doctrina in Confessione & Catechesi harum Ecclesiarum comprehensa, quas se habere sæpius professi fuerant, parati essent exhibere, prout in Citatorijs ipsis fuerat mandatum: Responderunt, se scriptum habere paratum quod præmittendum esse judicarent, utque idipsum prælegere sibi liceret, petierunt. Rogati, utrum hoc scriptum explicationem sententiæ ipsorum contineret: non quidem eam continere, sed quasi præambulum quoddam esse scriptum, quod mox secutura essent alia. Quamvis autem scriptis hujusmodi diu detenta esset Synodus, meritoque rejici ea quæ non facerent ad rem potuissent, tamen ne de quo conquererentur haberent, permissum ipsis fuit, ut prælegerent: fuitque hujusmodi.

Nobilissimi Illustrium Generalium Ordinum Delegati, Reverende Domine Præses, Reverendissimi, Clarissimi, Doctissimi, pijssimique Patres ac Fratres.

PRudenter monet doctissimus Paræus, Irenici sui pag. 34. se nemini autorem fore, ut ad Concilium accedat, ubi eosdem habeat adversarios & Iudices. Nam ubi pars adversa sola jus dicit, vix fieri potest, quin in alterius præjudicium, condemnationem, & oppressionem, consilia omnia & decreta dirigantur. Hujus vero rei documenta quam plurima, nobis exhibet hæc ipsa Synodus. In qua, præterquam quod nobis rigidissime præscribitur, quid dicendum nobis sit, quid non, usque adeo ut non-nisi impetrata precibus & obtestationibus venia, ad scriptorum nostrorum, quæ ad sententiæ & causæ nostræ patrocinium facere nobis videntur lectionem accedere concedatur; hoc etiam per D. Præsidem agitur, ut modo in malæ fidei,

modo

modo in læsæ Majestatis crimen nos adducat, quasi non sufficerent nobis plurimorum Theologorum iræ & odia, ut etiam summæ nostræ Potestates iniquis agendi modis, in nos concitandæ sint.

Hesterna enim Sessione Matutina, suspicionem hanc Synodo atque auditoribus quotquot adsunt, injicere conatus fuit D. Præses, ac si mala fide à D. M. Episcopio S. Theologiæ Professore actum foret, ut-pote qui post habitam suam orationem petenti orationis exemplar Præsidi responderit, se non aliud habere exemplar quam unicum illud, quod ad manus esset. Cum tamen eo ipso die Secretario Delegatorum Illust. D. D. Ordd. alind exemplar sua manu scriptum exhibuerit. Ad quod ipsum respondit supra dictus Episcopius, sibi insignem hac in parte injuriam à D. Præside fieri, & hallucinari eius Reverentiam: se enim disertis & formalibus verbis dixisse, non habere se exemplar satis nitide descriptum: reliqua vero nec dicta sibi, nec cogitata esse. Provocans super hac re ad ipsius Synodi testimonium. Cui inter D. Præsidem & D. Episcopium contentioni finis tandem Delegatorum Illust. Ordd. Generalium intercessione impositus est. His peractis, pomeridiana Sessione aliam in nos invehendi occasionem arripuit, ex scripto quodam nostro antemeridiana Sessione prælecto; & Synodo fusa & prolixa Oratione persuasit, nos censura esse notandos, quod ausi fuerimus Illust. Ordd. Generales & particulares, nec non Illustriss. Principem Auriacum schismatis accusare, nec non etiam maximam partem Synodi: quam etiam censuram, suffragante Synodo, paucis exceptis instituit. Ad primum respondimus & respondemus, alteram nobis hic fieri ab eodem Præside injuriam, & in toto nostro scripto nusquam nisi cum reverentia nos de Illustriss. Ordd. Generalibus & eorum Delegatis loqui. Et profecto non tam sunt honoris sui & Delegantium suorum existimationis, quam in Rep. sartam tectam esse oportet, prodigi, hi ipsi, qui præsentes sedent Illustr. Ordinum Generalium Delegati, ut hoc in suas dominationes commissum crimen, si quidem commissum esset, silentio præterire vellent. Quin, ut quod res est appareat, diserte dicimus in Præfatione, nos schismatis reos habere maximam partem eorum, qui ex confœderatis Provincijs ad hanc Synodum convenere Ecclesiasticorum. Ecclesiasticos designamus, ut horum actiones à Politicorum actionibus, de quibus pronunciare nolumus, distinguamus. Et pag. 3. 4. & 5. fuse probatur, hos ipsos Ecclesiasticos (de Magistratibus ne γρῦ quidem) schisma fecisse, idque ijs rationibus, quæ in Magistratum non quadrant, sed Ecclesiasticos Contra-Remonstrantes solummodo spectant. Accedit, quod cum maximam Synodi partem istius criminis, nempe schismatis, insimulaverimus, Exteris Theologis exceptis, minime Illust. Ordd. Generalium Delegati à nobis taxati sint, utpote qui vel ipso Præside judice, à Synodo ipsa distinguuntur, sed qui Synodalium actionum directores sunt moderatoresque. Nec est profecto moris nostri, Magistratuum nostrorum dignitatem vel directè vel indirectè, nedum publicis scriptis, suggillare, sed uti reverentiam & obedientiam prioribus, ita præsentibus, quoad salva conscientia juxta Dei Verbum fieri poterit, præstabimus semper, etiam Deum pro incolumitate hujus nostræ patriæ, Illust. General. Ordd. nec non Illustriss. Principis Auriaci salute orantes. Quare istam D. Præsidis criminationem, errorem, ac hallucinationem non levem interpretamur. Alterum quod attinet, nempe nos Ecclesiasticos plerosque schismatis accusasse; agnoscimus, nec hac in parte quicquam à nobis peccatum arbitramur. Id quod verum est diximus, & testantur idipsum, diremtæ in duas partes Hollandicæ, Geldricæ, Vltrajectenses, & Transisulaniæ Ecclesiæ, idque Contra-Remonstrantium studijs, uti probatur à nobis in supra dicto scripto rationibus varijs. quibus non justa refutatio, sed Synodalis censura, nec non decretum Illustr. Ordd. Generalium Delegatorum opponitur. Cui decreto refragari, muneris nostri non est. Censuram tamen Synodalem quod attinet, nos eam multiplicis nullitatis arguimus. Primo, quod, quæ veritatis sors esse solet, indignè ferat, nos plerosque Contra-Remonstrantes in Synodo præsentes schismatis reos agere. Hoc enim ita se habere, conscientijs nostris persuasissimum est, quicquid tandem hac de re secus judicaverint, judicent, ac judicabunt ipsi Contra-Remonstrantes. Secundo, quia hæc ipsa censura, in eandem schismatis culpam à nobis vocatos Illust. Ordd. Generales, odiose & præter rei veritatem supponit. Tertio, quia juvenilis protervia ac petulantiæ accusat eos, quorum aliqui ætate & annis non solum multis Synodi membris, sed etiam ipsi D. Præsidi non cedunt. Quarto, quia protervia non est, nec petulantia juvenilis censeri debet, quod præmeditati, consulto ac plena animi deliberatione scripsimus, & ut toti orbi Christiano constaret, voluimus. Quæ porro de judice nostrarum controversiarum, inter nos & D. Præsidem disceptata sunt, eo redeunt, quod à conscientijs nostris impetrare non possumus

Digitized by Google

possumus, eos ut judices agnoscamus, qui partem alteram litis nobiscum sustinent, qui schismate facto à nobis secessere, nulla sacra nobiscum communia habere volunt; sed scriptis suis nos jam ante condemnarunt. Iuris naturalis arbitramur, ne pars adversa judex sit in sua causa, & adversus juratos etiam Iudices, si adversarij sunt, in re controversa excipi posse. Hæc axiomata practica per se & natura sua nota, altius animis nostris insident, quam ut vel ulla Illust. Ordd. Generalium, vel hujus Synodi autoritate nobis eximi queant. Quod de praxi Veteris & recentis Ecclesiæ dictum fuit, respondimus & respondemus, Veteris in convocandis Synodis variam fuisse pro temporum diversitate rationem. Ipse enim Athanasius discessit ex Concilio convocato in Tyro à Constantino, quod animadverteret, præcipuos Concilij viros, judicis & partis munere functuros. Recentem Ecclesiam quod attinet, non ob aliam causam Reformati Concilium Tridentinum adire detrectarunt, quam quod Pontificios pro parte adversa haberent. Ob eandem caussam ad Flaccianorum Synodos venire detrectarunt nostri sub eodem tamen Magistratu, Duce Saxoniæ, viventes. Et quid si ad Lutheranam Synodum in Germania alijsque locis vocarentur Calviniani, quos vocant, num partem adversam judicem agnoscerent? Nequaquam. Exempla Coolhasij, VViggeri, Hermanni Herberts, aliena sunt. Nam nullum inter hos & alios factum fuerat schisma, uti nunc inter nos & Contra-Remonstrantes. Nec refert quod juramento adstricta sint omnia Synodi membra, se secundum conscientias ex Verbo Dei judicatura. Nam etiam contra judices juratos excipi, quotidiana docet praxis, si quando in propria causa judicare volunt. Ad id quod allegatum fuit à D. Præside, alia ratione hæresibus occurri non posse, Respondemus, ad rem minus facere, cum nec hæretici simus, nec hæreseos convicti. Ad id quod quæsitum fuit à D. Præside, quem vellemus judicem, respondemus, nobis inpræsentiarum sufficere, hoc dixisse, hanc saltem Synodum, quæ jam ad judicandum comparata est, non posse esse maxima sui parte judicem, cum pars adversa sit. Quod si tamen ad hanc Synodum deputati fuissent ex confœderati Belgij provincijs viri pacis amantissimi, quæ mens fuit Illustr. Generalium Ordd. nec qui se schismati huic faciendo vel promovendo immiscuissent, minus causæ nobis foret adversus talem Synodum excipiendi. At nunc ad eam delegati sedent Ecclesiastæ, quam plurimi compertissimi nostri adversarij: quorum in locum mitti potuissent Viri moderatiores, quique schisma factum improbarunt, licet in Contra-Remonstrantium sint sententia. Qui tamen in deputationibus præteriti sunt. Et frustra alium judicem eligemus, cum alium nobis dare non decreverint Illustr. Ordd. Generales, & hunc præsentem judicem patienter ut feramus, petatur.

Quamobrem, ne diutius super hac re disceptemus, nos omnes & singuli hac solemni & diserta Protestatione toti huic Synodo & universo orbi Christiano testatum facimus, nos præsentem Synodum aut maximam ejus partem propter causas supra dictas, & in scripto à nobis exhibito comprehensas, & rationibus munitas, non habere pro legitimo Controversiarum nostrarum judice, adeoque judicium ejus nullum apud nos & Ecclesias nostras habiturum pondus. Qua Protestatione præmissa, ad rem præsentem, & propter quam citatos nos credimus, nos accingemus. Hoc petentes, ut hoc quoque scriptum nostrum & Protestatio actis Synodalibus inseratur.

Subscripserant qui ante.

Hoc Scriptum cum fuisset prælectum, rogata de eodem fuit, tum Illust. Delegatorum, tum totius Synodi sententia. Ac primo de criminationibus, quas intendebant: deinde, de Protestatione illa solenni adversus Synodum. Prima criminatio fuit, M. Episcopium immerito à Præside fuisse reprehensum, quod cum Synodo in tradendo orationis suæ exemplari haut satis sincerè nuper egisset. Quę res, quanquam initio per se omittenda videretur Synodo, quod ad maiora properaret; tamen cum & fidem Præsidis in dubium vocaret, & ad vniversum Conventum provocasset Episcopius, rogata fuit tota Synodus à Pręside, ut de re tota testimonium veritati perhiberet. Declararunt omnes, in recenti adhuc habere memoria, summam verborum M. Episcopij: nonnulli quoque se formalia ejus verba calamis excepisse, ex quibus aliud intelligere non potuissent, nisi quod M. Episcopius cum habita superiori die Venetis oratione jussus esset exemplar ex quo eam recitasset, Synodo tradere, responderit, aliud se exemplar non habere: ac proinde petiisset, ut liceret prius sibi illud describere: cumque

cumque urgeretur ut extemplo exhiberet, reposuisset, satis nitidè descriptum non esse, sed maculatum, jussusque, ut nihilominus hoc ipsum qualecunque esset, traderet, ut sibi aut autographum ipsum aut apographum authenticum redderetur petiisset: æquum enim esse, ut cum exemplar præter hoc non haberet aliud, ipse orationis suæ exemplum retineret. Qui formalium ejus verborum non meminerant, testati tamen sunt omnes, mentem se M. Episcopij non aliter quam Præsidem cepisse. Rogati quoque Illustres Delegati, ut testimonium hac de re ferre dignarentur, responderunt, M. Episcopium non alia verborum forma usum fuisse, quam ex qua pateret, unum tantum exemplar ipsum habere. Clarissimus vir D. Heinsius eorundem Dominorum Secretarius, testimonium dicere rogatus, non alia verborum forma usum fuisse, testatus est. Ac proinde judicauit Synodus, M. Episcopium jure à Præside hac de re monitum ac reprehensum fuisse, utque postea candidius & sincerius cum Synodo ageret, denuo esse monendum. Secunda criminatio adversus Præsidem instituta hæc erat, Quod Remonstrantes, in odium summi Magistratus immerito adducere conatus fuisset, ut qui in scriptis suis, eidem schismatis crimen impegisset, atque in dignitatem ejusdem & authoritatem injurij fuissent. Ad quam criminationem diluendam, Præses loca quædam ex ipsorum scriptis, quæ tum Synodo, tum exteris Theologis ante ab ipsis fuerant exhibita, prælegit, meritoque eos hac de re fuisse reprehensos, demonstrauit. D. D. Delegati rogati, ut de hac quoque Criminatione sententiam suam dicere dignarentur, responderunt, Non potuisse se aliter intelligere, quam quod Remonstrantes de summo Magistratu non satis reverenter essent locuti, ac proinde reprehensionem illam à Præside merito esse factam. Idem quoque & Synodus rogata est. Cumque jam suam Assessores, Scribæ atque Exteri Theologi, dixissent sententiam, quia jam elapsum tempus erat, res in proximam dilata Sessionem est.

SESS. XXVIII.

Sessione Vigesima octaua,

Eodem Die post meridiem.

OMnes tam Exteri, quam Provinciales Theologi reliqui rogati, ut testimonium sententiamque suam de secunda hac Remonstrantium criminatione dicerent, consentientibus suffragijs declararunt, reprehensionem Remonstrantium quod de summo Magistratu ejusque actionibus non satis reverenter loquuti essent, à Præside, jure merito, tempestive, & publica autoritate factum: Quod si aliqua in parte peccatum ab eo esset, lenitate potius quàm nimia severitate modum excessisse. Remonstrantes enim tum sermonibus, tum scripto suo, partim Synodo, atque exteris Theologis hactenus traditis, non tantum Synodi, sed supremi quoque Magistratus, atque Ecclesiarum Reformatarum Belgicarum, dignitatem multis modis læsisse. In primis falsa illa criminatione, qua Conventum tam illustrem ut schismaticum illegitimumque accusarent. Quæ in ipsum summum Magistratum, cujus jussu atque autoritate convocatus esset, cujusque Delegati ipsius nomine huic Synodo interessent, eamque moderarentur, non redundare non posset. Quemadmodum & in ipsas Reformatas Belgicas Ecclesias, quarum Deputati eam Synodum constituerent: imo in Reges, Principesque & Magistratus Exteros, qui tot venerandos Theologos ad eandem ablegassent. Denique, in eos ipsos Deputatos Exteros Theologos, qui eidem Synodo interessent. Quocirca visum fuit hanc criminandi in Remonstrantibus licentiam proterviamque, acri reprehensione castigandam denuo, monendosque serio, ut missis ejusmodi falsis atque conquisitis criminationibus, sincerius in posterum modestiusque agerent, neque libertate Synodi ac lenitate abuterentur. Illustrium denique Delegatorum decreto morem gererent, & sine ulla tergiversatione in rem præsentem venirent.

Rogati quoque ipsi Delegati, cum universa Synodo, quid de solenni illa Remonstrantium

ſtrantium adverſus Synodum proteſtatione, tum de rationibus quibus niterentur ſentirent,atque ut de tota cauſſa melius exactiuſque ſinguli pronuntiare poſſent,jam ante facta, denuo prælecta & ad calamum dictata eſt proteſtatio. Rogatique ſunt ſinguli, ut Seſſione proxima, quia tempus jam elapſum erat, ſententias ſuas ſcripto explicarent.

Seſsione Vigesima-nona.

XII. Decembris, die Mercurij ante meridiem.

AMpliſſimus Vir, D. Ioſias Vosbergius, qui in Zelandiam profectus abſuerat,cum juramentum in Synodo præſtaretur, idem jam reverſus præſtitit.

Advocati ſunt citati Remonſtrantes, quo iiſdem, tum in Synodo præſentibus, Theologorum de ipſorum Proteſtatione judicia prælegerentur. Iudicia hæc fuerunt:

De Proteſtatione & duabus Exceptionibus Remonſtrantium Sententia Theologorum magnæ Britanniæ.

PVtamus Miniſtros Belgicos, etiamſi contrariam ſententiam publice docuerint, ac defenderint, poſſe nihilominus, & (quandoquidem huc legitime vocati ſunt) debere iudices ſedere in cauſa Remonſtrantium examinanda & diiudicanda; Nec poſſe Remonſtrantes ullo jure illorum in hac Synodo congregatorum autoritatem declinare. Nam quod obtendunt Contra-Remonſtrantes eſſe ſchiſmaticos, id nec verum nobis videtur, nec veriſimile.

Primo, quia ſuprema Ordinum poteſtate & communibus Eccleſiarum Belgicarum ſuffragijs ad hanc Nationalem Synodum celebrandam præ alijs electi, approbati, & conſtituti ſunt. Schiſmatici ergò ſi habeantur, eodem ſchiſmatis crimine tota hæc Eccleſia atque Reſp. involvitur.

Secundo, quia conſtat hæc Synodus ex perſonis nulla Eccleſiaſtica cenſura notatis, nullo publico, aut legitimo iudicio de ſchiſmate convictis unquam, aut condemnatis; Proteſtatio autem Remonſtrantium facta in contrarium, vim latæ ſententiæ habere non debet.

Tertio, quia Profeſſores Delegati ab Ordinibus & Paſtores deputati à Synodis ſuis provincialibus conſtituunt corpus repræſentativum totius Eccleſiæ Belgicæ. A ratione autem alienum eſt, ut pars Schiſmatica & ab integro corpore divulſa cenſeatur, quæ ordinatione & autoritate legitima totum corpus repræſentat, & virtute ſua continet.

Quarto, Seceſſio (ſi qua olim fuit) ea Magiſtratus autoritate, aut tolerata fuit pacis cauſſa, donec commodiore aliqua via Eccleſijs proſpici poſſet: aut ſaltem mox emendata & ſublata fuit; ſeparatio autem à paucis facta, ad tempus tolerata, jamque ſublata, non poteſt infamem & generalem ſchiſmatis maculam quam plurimis hujus Synodi membris adſpergere.

Quinto, quia ipſi Remonſtrantes, recedendo à doctrina communiter recepta, initium & cauſſa hujus ſeparationis extiterunt; Nam Veritas habetur, quod à primordio in Eccleſia aliqua traditum & receptum fuit; error deputatur, quod poſtea inducitur, donec habito legitimo examine & judicio, contrarium concludatur. Quo etiam accedit, quod illi dici non poſſint à doctrina Remonſtrantium receſſiſſe (quod in ſchiſmate neceſſario præſupponendum eſt) qui illam nunquam receperint, ſed ab initio ſibi propoſitam reiecerint, & condemnarint.

Denique quia in confeſſo fuit apud omnes exteros Principes & Reſpublicas; qui ſuos Theologos huc delegarunt, ſuprema Reip. & Eccleſiæ Belgicæ autoritate non conciliabulum ſchiſmaticorum, ſed legitimorum Paſtorum Synodum fuiſſe convocatam.

Neque ſecundo valet ad Synodi hujus autoritatem enervandam, quod cauſantur Remonſtrantes maximam Synodi partem conſtare ex adverſarijs ſuis, neque naturale jus permittere, ut, qui adverſarius eſt, in cauſa ſua iudex ſedeat.

Huic sententiæ refragatur, primo perpetua praxis omnium Ecclesiarum. Nam in Synodis Oecumenicis Nicæna, Constantinopolitana, Ephesina, Chalcedonensi, in Synodis etiam Nationalibus & Provincialibus approbatis, qui antiquitus receptam doctrinam oppugnarunt, ab illis, qui eandem sibi traditam admiserunt, & approbarunt, examinati, judicati, & damnati sunt.

Secundo ipsius rei necessitas huc cogit; Nam cum suprema potestas determinandi controversias in qualibet Ecclesia sit penes Synodum Nationalem, legitime convocatam & formatam, fieri non potest, ut nova dogmata in quæstionem vocentur & ventilentur, nisi ab illis, qui antiquitus traditæ doctrinæ adhærescunt. Theologi enim in negotio religionis, neque esse solent tanquam abrasæ tabulæ, neque esse debent. Si igitur soli neutrales possunt esse judices, extra Ecclesiam, in qua lites enatæ sunt, semper quærendi essent, & nulla Ecclesia esset ad componendas suas lites idonea.

Tertio, ipsa æquitas hoc suadere videtur. Nam quæ ratio reddi potest; cur suffragiorum iure priventur omnes illi pastores, qui ex officio receptam Ecclesiæ doctrinam propugnantes, secus docentibus adversati sunt? Si hoc obtineret, nova dogmata spargentibus nemo obsisteret, ne ipso facto jus omne postmodum de illis Controversijs judicandi amitterent.

Quarto, in eo erratur, quod Pastores in sua causa hoc modo judices esse præsumuntur. Veritas communis Ecclesiæ thesaurus est, nec potest ullo pacto fieri peculium singularum personarum; Dei & Ecclesiæ publica causa est, non sua cuiusque, quæ in Synodis agitur. Atque hanc ob causam sacrosancto iuramento obstringuntur, seposito omni partium studio, & affectibus inordinatis, non tanquam de sua caussa, sed tanquam de caussa Dei; ex verbo divino se iudicaturos.

Denique Iudex non habet eam potestatem in caussa Religionis definienda, quam habet in rebus externis. In rebus externis, iniqua Iudicis sententia alteri eripit, ad se pertrahit rem alienam. At qui autoritatem iudiciariam exercent in caussa Fidei, neque sibi adiudicare, neque adpropriare possunt ipsam veritatem, neque alijs eripere. Cum igitur supremum tribunal apud eos sit, externum eorum iudicium non potest declinari, utpote quod soli Deo subjicitur.

Hasce ob caussas putamus protestationem Remonstrantium infirmis fundamentis nixam, illosque tam divino, quam humano iure obligatos, ut se huic Synodo subiiciant, & Protestationi suæ tanquam temere factæ renuncient; Id quod nobis & toti Synodo gratissimum fore arbitramur.

Sententia Palatinorum,

De quæstione, an Protestatio Remonstrantium de nullitate Synodi valeat, quia Provinciales sint adversa pars, & schismatici?

Respondemus. Si nos citatorum loco essemus, gratularemur nobis, si eius doctrinæ, ob quam videremur nobis aliquid passi esse, rationem reddere posse mus, iussu summi Magistratus, in tam augusto consessu, in tot testium oculis.

Miramur igitur, Citatos adeo reluctari, imo vero totam Synodum reiicere protestatione sua; quæ minime admittenda est; quia principes eius causæ nullæ sunt, quod videlicet maximam Synodi partem habeant adversam, & eandem schismaticam.

Ratio prima nullius valoris est. Nam semper membra unius Ecclesiæ, à corpore ipso, videlicet Ecclesia, membrorum illorum fuerunt iudicata.

In Vetere Testamento Novatores ad summum Sacerdotem, à Sacerdote ad Legem & testimonium remittebantur. In Ecclesia Novi Testamenti Arriani, Macedoniani, Eutychiani, Nestoriani, ab ijs indicati sunt, quos illi putabant esse partem sibi adversam. Optatus etiam Milevitanus lib. 5. adversus Parmenianum consulit; Vt oborta inter Christianos controversia non ad Paganos aut Iudæos recurratur; sed ut inter se fratres ex verbo Dei controversias componant.

Mos veteris Ecclesiæ, ad nostras Reformatas derivatus est.

In Palatinatu meminimus, unum atque alterum Novatorem se patefacere. Moniti sunt primum à Classe sua, deinde à Senatu Ecclesiastico: Qui refractarij fuerunt, dimissi sunt. Triginta anni sunt, quando Samuel Huberus in Helvetia, super iisdem Controversijs quæ in

Digitized by Google

Belgio motæ sunt, litem suis collegis intendit: & traduxerat non paucos in suas partes. Senatus Bernensis, ut gliscenti malo occurreret, benedictæ memoriæ viros Theologos; Theodorum Bezam Genevæ, Iohannem Iacobum Grynæum Basilea, Iohannem Gulielmum Stuckium Tiguro, & qui adhuc vivit venerandum senem Ioannem Ietzlerum, Scaphusio convocavit. Auditus ab his Huberus & institutus fuit. Sed cum cedere nollet, dimissus, turbas quidem alibi movit, Ecclesias autem Bernatum tranquillas reliquit.

Obiiciunt Citati, Provinciales non posse esse iudices suos, quia hactenus sua dogmata impugnaverint: sed falsa nituntur hypothesi, pugnante,

1. Cum officio Ministrorum Ecclesiæ, quod jubet eos refellere contradicentes.

2. Cum ordine Ecclesiæ, qui est, ut duobus pluribusve prophetantibus, reliqui dijudicent, & ut Spiritus Prophetarum Prophetis sint subiecti.

Obiiciunt rursum, se à Provincialibus pridem esse damnatos. Respondemus, etiam Alexandrum Episcopum Alexandrinum privatim ante Concilium Nicænum improbasse Arrij dogmata: sed propterea pro illegitimo eius iudice publico non fuisse habitum.

Et fac esse, Contra-Remonstrantes aliqui rigidiores fuerint in censura (omnes enim homines sumus) tamen posteaquam iuramentum sinceritatis, charitatis, & veritatis præstiterunt, non debent idcirco à diiudicatione doctrinæ Synodica removeri.

Obiiciunt præterea in Saxonia & Marchia, longe aliam Synodorum rationem fuisse institutam.

Respondemus, quod ad Saxoniam attinet, Casparus Peucerus, Fridericus VVidebramus, Christophorus Pezelius, Caspar Cruciger, Henricus Mullerus, Clarissimi Theologi, nihil æque in votis habuerunt, quam ut publice fidei suæ rationem edere possent. Sed in Torgensi Synodo, Anno CIƆIƆLXXIV celebrata, non ratio & exploratio fidei ipsorum: sed subscriptio & approbatio manifestorum errorum fuit postulata.

In Marchia Brandeburgica, cum ante quadriennium Super-attendentes, numero pæne quadraginta, volente sic Serenissimo Electore, mihi Sculteto, & alijs ad eam rem designatis, suam de manducatione orali, Vbiquitate, & id genus alijs, fidem explanare, & quantum possent defendere deberent, non illi exceperunt contra nos, tanquam partem adversam, sed alij ætatem, alij alia causati, deprecati sunt illud, & Magistratui suo polliciti sunt, se deinceps à calumnijs doctrinæ nostræ sibi temperaturos.

Obiiciunt ultimo Vrsinum & Paræum, qui Concilia illa non adeunda suaserint, in quibus ijdem sunt & accusatores & iudices. Sed frustra hos viros nobis obiiciunt, qui contra conciliabula Pontificiorum & Lutheranorum scripserunt; quæ tantum differunt ab hac Synodo, quantum cœlum à terra distat. Nam,

1. In illis decreta hominum, Papæ puta & Lutheri; hic decreta Dei audiuntur.
2. Ibi præiudicia ad Synodum adferuntur & inde auferuntur: Hic neminem putamus esse, qui non sit ita animatus, ut si quæ Remonstrantes ex Dei verbo possint evincere, cupide ea sit arrepturus.

3. Ibi adversarij manifesti: hic fratres, & eiusdem Ecclesiæ socij.
4. Ibi servilia omnia: hic libera omnia, quoad fidei professionem & defensionem.
5. Vrsinus & Paræus nuspiam docuerunt scripseruntve, ubi in particularis alicuius Ecclesiæ visceribus morbus aliquis subnascitur, illum non in illius Ecclesiæ domo curandum.

Nuspiam etiam scripserunt, exortis erroribus non licere fidos Dei ministros ijs occurrere: & si hoc faciant, illos iure suffragij in iudicijs de Religione publicis excidisse.

Altera Citatorum ratio pro nullitate Synodi, ducitur à schismate. Sed hic probe observandum est, non culpandum esse, qui secessionem facit; sed qui alios secessionem facere cogit: Sicut non Maiores nostri vituperandi sunt, qui secessionem ab Ecclesia Romana fecerunt; sed Papa, qui tyrannide & idolomania stupenda in Ecclesiam invecta, coëgit nostros à se secessionem facere. Idem in Belgio videtur factum: Novatores schisma fecerunt à doctrina, schisma fecerunt ab ἀταξία Ecclesiastica, quando Synodis & censuris Ecclesiarum renuntiarunt. Vt igitur illi reprehendendi; ita laudandi, qui in societatem novæ doctrinæ venire noluerunt.

Deinde, sint Provinciales schismatici, ut hoc ita ponamus, si Citati patriam, si Ecclesiam, si utrinsque tranquillitatem amant, erat pietatis eorum hoc agere, ut scandalum schismatis

tollatur. Neque enim nunc de refricandis & exasperandis; sed de sanandis Ecclesiæ vulneribus cogitandum est.

Et quoniam hactenus exteros semper exceperunt, ut ut non optime de Domesticis sperarent, debebant tamen hoc tribuere Exteris, illos Provincialibus injusta dicturis, iniqua decreturis, minime patrocinaturos.

Hæc & alia graviter Citatis inculcanda. Monendique sunt, ut, quoniam toties ad Iesum Christum hactenus provocarunt, demonstrent huic Synodo, se non tantum nomen Iesu in ore, sed etiam amorem eius habere in corde.

Sententia Fratrum Hassiacorum,

De Protestatione Fratrum Remonstrantium, Hesterno die ab ipsis Venerandæ huic Synodo prælecta & exhibita.

DVo sunt potissimum in eo Remonstrantium libello, qui hesterno die ab ipsis publice in hoc Venerando consessu prælectus fuit, de quibus sententia nostra exposcitur. Primum complectitur ipsam Remonstrantium Protestationem, qua huic Synodo negant competere jus & potestatem, Controversias, quas ipsi in suis Ecclesijs Belgicis moverunt, dijudicandi & decidendi. Alterum concernit nonnullas ipsorum rationes, & quidem duas præcipue, quibus hanc ipsam Protestationem suam fulcire conantur.

Protestationem ipsam quod attinet, videtur ea, quod hesterna vespera bene monitum fuit, non tam impetere hanc Synodum quam Illustriss. D. D. Ordines Generales, utpote qui Synodum hanc convocarunt eidemque potestatem fecerunt, controversias, quæ has Ecclesias Belgicas turbarunt, cognoscendi, & secundum verbum Dei, seu unicam perfectam, & infallibilem fidei normam ac regulam, diiudicandi. Cum enim Illustriss. D. D. Ordines Generales, ipsorum Remonstrantium confessione, ius habeant & potestatem convocandi Synodum; & vero negari non possit, Synodum hanc ab ipsorum Dominationibus convocatam, & in eadem legitimum modum ac ordinem, quem Dominationes ipsorum præscripserunt, hactenus observatum fuisse; haud intelligimus, qui possit huic Synodo ea detrahi potestas, quam Illustriss. D. D. Ordines legitime ipsi concesserunt, quin simul imminuatur autoritas quæ ipsis Generalium Ordd. Dominationibus competit.

Existimamus itaque summe necessarium esse, ut non tantum Synodus, verum etiam ipsi Illustriss. D. D. Ordd. Generalium Delegati, interposita sua autoritate publice declarent, supradictam Remonstrantium protestationem ipso iure esse nullam. Vt vero Remonstrantium conscientijs, si qua fieri possit ratione, consulatur, vel saltem auditorio huic innotescat non inique cum Remonstrantibus hac in parte agi, nec quidquam, quod juri naturali repugnet, ab ipsis efflagitari; omnino indicamus utile & consultum, ut simul rationes, quibus usi fuerunt Remonstrantes, solide confutentur, eaque confutatio ipsis proponatur & Actis Synodalibus, non minus quam Protestatio ipsorum, inseratur.

Sunt autem duæ potissimum rationes, quibus se conficere posse autumant, Synodum hanc, aut maximam eius partem, non esse legitimum Controversiarum ipsorum iudicem. Altera est, quod Synodus hæc sit pars adversa: Altera, quod rea sit schismatis. Vtraque ratione atrocem huic Synodo injuriam fieri putamus. Pro parte adversa (ne quidem quoad fratres Belgicos) declarari non potest hæc Synodus, quin simul declarentur pro parte adversa omnes ac singulæ Ecclesiæ Belgicæ, à quibus fratres Belgici præsentes ad hanc Synodum missi fuerunt. Repræsentant enim illi Ecclesias, quarum Credentialibus instructi in hac Synodo comparuerunt. Quod si omnes ac singulas Ecclesias Belgicas Fratres Remonstrantes pro parte sibi adversa declarent, jam non amplius earundem Ecclesiarum membra esse poterunt; sed necesse est fateantur ab ijs exijsse, & secessionem fecisse. Nec ullius ponderis est, quod dicunt omnes fere fratres Belgicos præsentes, jam tum in contrarium pronuntiasse, & ipsorum sententiam & doctrinam falsitatis & erroris arguisse. Nihil enim novi est; sed omnibus temporibus in Ecclesia Dei fieri consuevit, & etiam-

Digitized by Google

& etiamnum hodie observatur, ut subnascentibus novis controversijs, opinionibus & hæresibus, fidei Ecclesiarum pastores sese mature, tam viva voce, quam scriptis opponant; ne malum eundo vires acquirat & per longas moras invalescat, totumque Ecclesiæ corpus corrumpat: qui tamen Ecclesiarum Doctores & Pastores eo nomine in publicis Synodis suffragij jure nequaquam exciderunt. Iubeantur Remonstrantes vel unicam Synodum legitimam nominare, in qua non inter Iudices consederint viri Theologi, qui jam ante hæreses in istis Synodis damnatas, vel viva voce, vel scriptis editis impugnarint. Ecclesia Orthodoxa semper se hæresibus opposuit, & etiamnum opponit: quam tamen nunquam non pro parte adversa habuerunt, & etiamnum habent, ac in posterum habebunt hæretici. Nunquam igitur vel olim institui potuissent, vel hodie & inposterum convocari possent legitimæ Synodi, siquidem isti Remonstrantium exceptioni locus esse debeat. Arrius, Nestorius, Eutyches, & id genus alij hæretici, in Nicæno, Ephesino, Chalcedonensi, alijsque legitime congregatis Concilijs jure damnari haut potuissent secundum hanc Remonstrantium legem: quia istis Concilijs interfuerunt Iudices, Episcopi orthodoxi, à doctrina hæreticorum alieni.

Cum in Ecclesijs Saxonicis primum spargeretur dogma Vbiquitatis & propter vicinum malum aliquid mali paterentur Ecclesiæ nostra Hassiacæ, autoritate Illustrissimorum Principum D. D. D. D. Gulielmi, Ludovici, & Georgij, & Philippi Lantgraviorum Hassiæ, fratrum felicissimæ & beatissimæ recordationis, Nationales Synodi distinctis vicibus in patria nostra celebratæ, & in ijs decreta facta fuerunt de vitandis in doctrina de Persona Christi, & communicatione Idiomatum locutionibus abstractivis, & dogmatibus ex doctrina Vbiquitatis fluentibus, & cum ea cohærentibus. Nec quidquam tum temporis his decretis Synodalibus faciendis obstitit illa de parte adversa exceptio.

Ante annos circiter undecim, Illustriss. noster Princeps ac Dominus, D. Mauritius, Hassiæ Landtgravius, &c. Dominus noster clementissimus, revocaturus Ecclesias inferioris & superioris Hassiæ suo imperio subiectas, ad pristinum in doctrina consensum, & decretorum Synodicorum, unanimi totius Hassiæ Ecclesiarum consensu antehac factorum, observantiam, conscripsit Synodum Hassiæ Generalem, ad quam citati fuerunt illi, qui contra Decreta Synodorum Nationalium Hassiacorum dogma Vbiquitatis, & quod cum eo cohæret, oralis manducationis corporis Christi in cœna Dominica, propugnabant: & contra hos ipsos ex verbo Dei pronunciatum fuit, & Decreta jam ante multos annos, viventibus & approbantibus quatuor principibus Hassiæ, in Synodis Generalibus Hassiacis facta, denuo in lucem protracta, & de novo confirmata fuerunt, non obstante hac, de parte adversa, exceptione.

Schismaticam hanc Synodum Remonstrantes pronuntiare jure haut possunt, ne quidem quoad fratres Belgicos. Profitentur enim illi adhuc dum per Dei gratiam non minus ac Ecclesia Belgica à quibus ad hanc Synodum delegati sunt, eam ipsam doctrinam, quæ secundum Dei verbum in formulis receptis Confessionis Belgicæ ac Catecheseωs continetur, quæque multis ab hinc annis in his provincijs tradita fuit. Remonstrantes contra, quantum nobis hactenus de ipsis cognoscere licuit, illi ipsi sunt, qui privatas, & à recepta in his Ecclesijs doctrina discrepantes opiniones in his provincijs disseminarunt, non expectato prius & audito Classium vel Synodorum Provincialium (quibus ut suas in Confessionem & Catechismum notas, & animadversiones censendas traderent, nunquam adduci potuerunt) iudicio. Neque vero obiecti schismatis nostro iudicio fratres Belgici, Ecclesiarum ad hanc Synodum delegati convinci poterunt, exinde quod nonnullis in locis peculiares & à Remonstrantium Ecclesijs distincti cœtus instituti fuerunt. Cum enim, quantum intelleximus, non privata unius vel plurium verbi divini Ministrorum; sed publica Magistratus autoritate ad certum tempus, donec Ecclesijs commodius prospiceretur, istæ separationes factæ fuerint, immerito culpa schismatis impingitur, vel Magistratibus, vel ipsis etiam Ministris. Magistratibus culpa hæc schismatis impingi nequit, cum nihil illi fecerint præter suum officium, cuius maxima ac præcipua pars est, diligenter vigilare, ne subditi falsa & erronea doctrina seducantur, operamque dare, ut conservetur in sana doctrina conservetur. Ministris ipsis culpa hæc schismatis tribui nequit, quoniam iussu Magistratus iverunt, quocumque missi fuerunt: cuius voluntati refragari, adeoque Ecclesias periclitantes sua opera destituere, per conscientiam suam integrum ipsis haut fuit. Atque huius rei rationem non dubitamus tum demum manifestatum iri, cum absolutis doctrinalibus, ad hanc de facto schismate caussam ventum fuerit.

Iudicamus itaque utrumque Remonstrantium argumentum, quo Synodi hujus judicium se jure declinare & enervare posse existimant, parum ponderis habere.

Hæc salvis aliorum judicijs.

Remonstrantium adversus Synodum Nationalem Protestatio.

NOs omnes & singuli hac solenni & diserta Protestatione toti huic Synodo, & universo orbi Christiano, testatum facimus, nos præsentem Synodum, aut maximam ejus partem, propter caussas supradictas, & in scripto à nobis exhibito comprehensas & rationibus munitas, non habere pro legitimo nostrarum Controversiarum judice: ideoque judicium ejus nullum apud nos & Ecclesias nostras habiturum pondus. Rationes huius Protestationis primariæ sunt duæ. 1. Quod Synodus hæc sit pars adversa. 2. Quod schismatica.

Sententia Helvetiorum,

AD Protestationem ipsam quod attinet, eam jure ipso nullam & ponderis nullius esse affirmamus: quin & charitatem in Remonstrantibus atque modestiam desideramus vehementer.

Ad rationem priorem quod attinet. Nos Synodum hanc totam, totam, inquam, non fratres Belgas minus, quam Theologos exteros, partem non esse adversam; sed motarum Controversiarum legitimos judices, à suprema harum Provinciarum Potestate legitime vocatos, ab Ecclesijs suis legitime huc deputatos, literis Fiduciarijs authentice ornatos, præsentia atque præsidio D D. Delegatorum honoratos & comprobatos, ac proinde extra omnem incompetentiæ aleam constitutos, asserimus.

Vt Potestas suprema, Christiana tamen orthodoxa & pia, iudicium controversiarum Ecclesiasticarum committat Ecclesiasticis ijs, quos existimat ad rem hanc cumprimis idoneos, tametsi ijdem illi ante Synodi congregatæ tempus pro ratione muneris sui suspectam doctrinam & voce & scripto redarguissent: Id vero nititur perpetua tum Veteris, tum Recentioris Ecclesiæ praxi, cui praxi secundum Deum, tranquillitatem suam Ecclesia Bernensis, quam ante annos triginta caussa Huberiana turbaverat, sese debere lubens meritoque fatetur. Et quidem sanctissima huiusce praxeωs quanta necessitas extiterit semper, quantisque perplexitatibus contemptus eiusdem involveret Ecclesiam universam, neque commemorare est opus, neque Remonstrantes ipsi ignorant.

Ad posteriorem quod attinet, Synodum hanc à schismatis infamia vindicat iudicium Serenissimi Regis Magnæ Britanniæ, & Illustriss. Electorum & Principum Germaniæ; Illustrissimorum Magistratuum tum nostrorum, tum aliorum. Nequaquam enim hi sapientissimi religiosissimique Ecclesiæ nutritij, quos nostro seculo bonitas divina concessit, incomparabiles Theologos suos ad Synodum illegitimam, Synodum schismaticam, Synodum Lestricæ, Constantiensi, Tridentinæ similem, misisse credendi dicendive sunt.

Cæterum ut criminatio acerba est, venerandam hanc Synodum appellare schismaticam; ita intempestivum nobis videri non diffitemur, Remonstrantes criminis ejusdem, hoc quidem tempore, agere reos & condemnare. Est enim veneranda & sancta hæc Synodus congregata eum in finem, ut doctrinam Remonstrantium propositam, explicatam defensamque audiat, ad Dei verbum probe examinet, de ejus vel veritate vel falsitate pronuntiet. Eo usque igitur sententiam de schismate, eiusque autoribus suspendendam esse sentimus, quandoquidem pars ea, quæ post examen convicta fuerit doctrinæ erroneæ, hoc ipso schismatica quoque intelligetur, nisi cum corpore, à quo se sensit avulsam, rursus coalescat.

Si tamen venerando D. Præsidi, vel cuiquam alij visum fuerit, venerandam hanc Synodum de historia motuum horum Ecclesiasticorum instruere breviter & erudire; per nos quidem illud est liberum nec improbabimus.

De Protestatione Fratrum Remonstrantium, Sententia Theologorum Genevensium.

Quandoquidem in omni corpore vel Politico vel Ecclesiastico, necessaria est ad ipsius conservationem potestas aliqua iudiciaria, quæ proportione respondet illi corporis animalis facultati, qua noxia depellit & excernit, commoda & sibi congruentia asservat, applicat, & assimilat: Omnino illa Potestas est ab omnibus & singulis eiusdem corporis partibus & membris agnoscenda: quandoquidem compages corporis constat influxu illius potestatis, quo intercepto vel præcluso, cessat ordo, temperamentum, vita, motus, & officiorum, ad commune corporis bonum, contributio.

In Ecclesia, cuius regimen est formæ Aristocraticæ, penes Synodum legitime convocatam residet, saltem organicè & representative, ius illud supremum iudiciale.

In Synodum ipsam nulla dari vel admitti potest legitima exceptio à membris earum Ecclesiarum, quæ Synodum constituunt: nam nulla est exceptio adversus supremum iudicem, ordinem publicum & receptum, & leges.

In personas Synodi talis, legitime convocatæ, in quantum de dogmaticis agitur, nulla exceptio vel recusatio à personalibus petita, admitti potest, nisi talis quæ vel defectum ordinis arguat, (utpote sedere aliquem sine legitima missione vel vocatione, vel qui malam iamque compertam malitia conscientiam, & pravas de doctrina Christiana sententias foveat) Alioquin qui comparent, non suam caussam agunt, sed publicam Ecclesiarum: Personæ hic proprie non iudicantur, sed dogmata.

Adde quod omnis exceptio à superiore aliquo debet iudicari, sitne admissibilis nec ne. Si excipiens suas rationes non probat, neutiquam æquum est, ex libidine ipsius vel aboleri vel infirmari judicium. Detrectatio pertinax judicij legitimi Ecclesiastici, cum ab Ecclesia, quæ potestate coactiva est destituta, non possit in ordinem revocari, duo supersunt refugia, quibus caveri potest ἀταξία, & membrorum ordinis dissipatio: nempe Politica potestas exerens brachium coactivum: vel exercitium potestatis Ecclesiasticæ in separandis & segregandis publico iudicio illis, qui ordinem à Deo imperatum violant, nec uno spiritu vel influxu se regi patiuntur. Intelligimus autem hic influxum ordinis tantum, non mysticum & efficacitatis.

Sequior est ratio, cum agitur de corpore ab altero corpore independente, nec illi subiecto ulla Dei lege: vel etiam de Persona, vel Personis quæ ultro unioni renunciant. Corpus autem est independens vel propter Politiarum & imperiorum diversitatem: vel etiam propter apertam professionem divisionis, aliquando legibus in eadem politia vel permissam vel toleratam, ut videre est in Ecclesijs Gallicanis Reformatis.

Ideo licuit nostris, protestari adversus Concilium Constantiense, & Tridentinum, quia non profitemur unionem cum illis, imo illam adspernamur & aversamur. Ita fecerunt & olim & nuper omnes illi, qui Synodorum autoritatem & cognitionem defugerunt, eo ipso sese à communione illarum Ecclesiarum Synodis illis repræsentatarum, abscindebant.

Nullus à Synodi legitimæ iudicio gravari conscientiam suam merito potest caussari: quandoquidem nulla vis ipsi infertur manendi in corpore, & cum corpore sentiendi vel consentiendi. Populus enim Christi est voluntarius. Separationem autem illam à corpore Ecclesiæ, non consequitur apud nos more Romanensi, proscriptio, persecutio in corporalibus & civilibus, sed tantum privatio illorum bonorum spiritualium, quæ resident in corporis unione, & per illam singulis membris dispensantur & applicantur.

Ordo denique observatur, qualem Deus sancivit & sanctificavit exemplo Apostolorum, & omnium ætatum Ecclesiæ, confirmavit, reductive ad dictum Christi: Dic Ecclesiæ; Si Ecclesiam non audiverit. *&c. Habuit Vetus quoque Testamentum suum Synedrium magnum septuaginta seniorum de Pseudo-propheta, de falso cultu. &c. iudicans.*

Quare cum fratres Remonstrantes, sint tantum pars corporis Ecclesiarum in Belgio Reformatarum, pars minor, pars nova, in sententia omnino debent stare iudicio corporis repræsentati per Synodum, loquentem mandato, ore, & ex sensu totius corporis.

Nec licet ipsis corpus in partes vocare, vel sibi adversariam fingere, vel sibi ius corporis arrogare, quod ipsis nulla lege permittitur, vel hactenus à suprema Potestate permissum fuit.

Deinde ipsi se ut fratres hactenus ferunt, & queruntur, quod schismate illo prætenso non satis pro fratribus habeantur. Quod certe tacitam confessionem includit, ipsos velle adhuc communionis legibus subesse.

Adversus personas nihil personale possunt excipere; cum hic agatur de doctrina, & ipsi Remonstrantes sint tantum Patroni, & proprie nihil proprium hic agere debeant: ipsi quoque Synodi Deputati sustineant personam suarum Ecclesiarum deputantium ad morem veterum τοποτηρητῶν in Concilijs, novo sacramento adacti, fratrum omnium, vigilantiæ mutuæ, censuris, & correctioni subiecti.

Atque quicquid eius rei sit, tamen rationes suæ recusationis probare supremæ potestati vel eius Delegatis præsentibus tenerentur, ac postmodum illorum iudicio acquiescere.

In judicijs forensibus iudex inferior emisso voto, ab omni ulterius iudicandi officio cessat quidem. Verum hic res secus se habet: 1. *Quia Ecclesia istos gradus iudiciorum in dogmaticis non agnoscit: & Synodus ipsa nihil aliud est, quam Conventus fratrum sententiam veram pro corpore toto inquirentium, vel de sententia communi Ecclesiæ & corporis pronunciantium. Deinde liceret etiam in πολιτείᾳ, postquam diversi iudices inferiores, de facto aliquo indicaverint, ipsos adhibere publica Principis autoritate ad consilium de sancienda lege communi circa factum iam indicatum. Atqui Illustriss. Ordines convocarunt Synodum, ut communibus suffragijs respondeatur de iure & lege: non autem de singulari aliquo facto. In singularibus iudicijs præteritis gravatus omnis, habuit præsto provocationis remedium.*

Schisma caussificari nostro iudicio est absurdum: quia hic agitur de dogmatibus præcipuis & forsan fundamentalibus. Schisma autem nullum proprie est in tali & tanta sententiarum discrepantia. Deinde rationes istius schismatis prætensi essent examinandæ, nec possunt alibi quam in Synodo commodius. Fuerunt enim istæ secessiones singulariter per diversas Ecclesias factæ & forsan diversis de causis; adeo ut plures de unius facto rite pronuntiare possint. Denique illæ secessiones fuerunt tantum provisionales, ut vocant, usque ad hanc Synodum quæ jam iudicatura est de causis.

Quare Fratres Remonstrantes, vel abjicere debent protestationem omnem adversus Synodum, & subjicere sua dogmata illius judicio, quæ certe nec debet nec vult quidquam supra, vel ulterius in hoc toto negotio tentare, quam quod ab omni Synodo laudata semper fuit observatum: vel certe si manent in protestatione immoti, eo ipso sese declarant, ultro unioni Ecclesiarum Reformatarum Belgicarum renuntiare. Quod si faciant, dispiciat postea summa potestas, quid facto sit opus.

Subscriptum erat
Iohannes Deodatus.
Theodorus Tronchinus.

Iudicium & Consilium Fratrum Bremensium, De Protestatione Remonstrantium.

Q*Væritur: An Synodus Protestationem Remonstrantium possit admittere?*

Respondetur, judicamus venerandam Synodum non posse protestationem, quæ extat in clausula gravaminum, à Remonstrantibus exhibitorum, approbare aut tolerare.

Ratio-

Digitized by Google

Rationes sunt istæ. 1. Synodus hæc à legitimo & summo harum provinciarum Magistratu est convocata, ex eo pio fundamento quod intelligeret & ad animum revocaret; partem hanc officij sui esse, ut & Christianæ fidei puritatem tueatur ac propaget, & Ecclesiarum tranquillitatem in præsens & futurum tempus procuret.

Secundo, Nemo in hanc Synodum venit, nisi à particularibus suis Magistratibus & Ecclesijs delegatus, & hic agnitus atque receptus.

Tertio, Omnes coram Deo & injurati & iurati sunt testati se eundem cum summis harum provinciarum Magistratibus scopum sibi habere propositum.

Quarto, iussi sumus atque etiam propositum habemus, de quinque famosis Articulis & alijs, nonnisi ex verbo Dei secundum informationem nostræ conscientiæ, sententiam dicere atque iudicare.

Quinto, In nullius conscientiam, etiam dum ex nostra conscientia sententiam dicemus, jus nobis sumimus aut usurpamus; sed Deo iudici soli eam subiicimus: & oramus, ut in omnium nostrorum animis salutarem veritatem persuasam reddat.

Sexto, Nullæ hic vel insidiæ struuntur, vel ullum periculum intenditur. Quin imo securitas publica omnibus ad accessum, commorationem, & recessum præstatur.

Septimo, Ipsis etiam Potestatibus summis nullum præiudicium adferimus; aut quidquam præscribimus; sed earum pietati, prudentiæ & æquitati dispositionem, approbationem, improbationem & executionem secundum ipsarum conscientiam permittimus.

Octavo, Ita ad audiendum etiam fratres Citatos accedimus, tanquam perpensuri, an aliquid sint allaturi aut monituri ante à nobis minus observatum, quod ad illustrationem divinæ veritatis & offendiculorum Ecclesiam Dei urgentium emendationem facere possit, omninoque veriora & meliora docturis cedere parati.

Nono, Huiusmodi Protestationibus nunquam Prophetæ & Apostoli sunt usi; sed semper parati fuerunt coram omnibus, à quibus interrogabantur, etiam Ethnicis, ad rationem reddendam eius spei quæ in ipsis erat.

Decimo, præterea etiam eiuscemodi Protestationes liquido nimis adversantur decreto & detrahunt autoritati Illustriss. Ordinum, atque illorum Nobilissimorum & Consultiss. Delegatorum; qui omnino hoc volunt, ut ad rem ipsam Citati accedant, & optima, qua poterunt, forma, & ad intelligendum, & si possint persuadendum, vel saltem pro suis viribus probandum, suam, pro qua pugnant, sententiam aggrediantur.

Undecimo, habenda hic etiam est ratio futuri temporis, ne ordinarias presbyteriorum & Synodorum conditiones, exemplo dato, subterfugere audeant, qui in censuras Ecclesiasticas sua culpa incurrent. Et sane, si Remonstrantium in morem adversus supremorum Magistratuum Decreta, Ecclesias, & Synodos excipere liceat, omnibus hæresibus & sectis ianua aperietur: omnia Ecclesiæ iudicia, ad quæ nos ipse Servator noster remisit, subvertentur, & perpetuæ male feriatorum hominum concertationes, pacem, & tranquillitatem Ecclesiasticam sine fine turbabunt.

Duodecimo, Male audiet hæc Synodus una cum Citatis, si hoc tempus inanibus altercationibus consumere pergamus, quod rebus utilissimis debetur, & in eas collocari potest.

Solutio Objectionum.

Objectio Prima.

PArs adversa non potest esse Iudex. Atqui Hæc Synodus, vel certe plerique in ea, sunt pars adversa. Ergo.

Respondetur ad maiorem, Ea habet nonnullas exceptiones inter quas sunt etiam istæ. 1. Pars, qua pars, non est Iudex. Potest autem ex Dei ordinatione duplex in unam personam respectus coincidere, ubi divina legatio, autoritas, adiuncta lex & instructio, veluti novam personam facit. 2. Pars adversa, aut est privata persona vel multitudo aut est publica. Illa non potest esse simul pars & Iudex: hæc vero potest. Ita magistratus in sua causa sedet Iudex secundum leges & statuta. 3. Pacto quoque conventum esse potest, ut pars offensa simul habeat iudicatum.

A-

Ad Minorem. 1. *Pars non sumus: sed pro modulo Ministerij, consultores & iudices. Quatenus à Magistratu & Ecclesia ad hoc requisiti, impetrati, & in solemne iuramentum adacti sumus. Quo officio quem in modum functuri simus Dei cordium cognitoris est vel approbare vel vindicare.* 2. *Certe nullum alium in finem huc convenimus, quam in subsidium veritatis & pacis communi Ecclesiarum bono; nullam aliam Instructionem habentes, quam ut ex Dei verbo iudicemus.*

Sed instant: Plerique scriptis & concionibus suis se nobis opposuerunt, & sententiam nostram iam pridem condemnarunt.

Respondetur, Servis Dei competit iudicium tum privatum tum publicum de rebus ad officium suum pertinentibus. Tota enim scriptura clamat, verbi Ministrum non tantum debere esse διδακτικὸν, *verum etiam potentem ad obturandum os contradicentibus. Quare respondebunt tum privatim & singuli, tum publice & cum alijs. Id autem comprimis præstabunt, ubi accedit autoritas & mandatum Magistratus.*

Objectio Secunda.

Schismatici non possunt esse iudices in caussa Religionis. Hæc Synodus magna sui parte est schismatica. Ergo.

Respondetur ad Maiorem. De schismate sic forte quidam responderent, de quo tamen non litigabimus cum quoquam. Schismatici possunt esse iudices bona conscientia, & possunt recta pronunciare. Qui enim in charitatem delinquunt, non ilico hæreticas opiniones sectantur. 2. *Schismatici sunt, qui vel occasionem dant vel, patiuntur distractionem. De illis non semper, de his autem raro vera est propositio.* 3. *Schisma aliud est formatum & inchoatum, seu ad tempus, confusis rebus, tumultuarie factum: Aliud autem est firmatum. Quantum ad illud, Maior non admittitur: quantum ad hoc, ordinarijs Ecclesiarum Ministris sub Magistratibus & Ecclesijs suis ius suffragiorum, omninoque iudiciorum manet, cum in nulla parte officij sunt abdicati, seu inhabiles declarati: Et omnino schisma non aufert sua iura Magistratui, neque Ecclesiarum Antistitibus, quorum causæ Magistratus sive de iure, sive de facto, sive utroque modo patrocinatur.*

Ad minorem satis heri est responsum, recitata rerum in Belgio gestarum historia: suoque loco & tempore pluribus declarabitur, itaque nos hoc illis, quibus ista singulariter sunt explorata, & vero nunc etiam publice nota relinquimus.

Hæc Historia à Zuythollandis recitata, paucis in Præfatione repetitur, quæ passim, præsertim in rebus facti, lectori consulenda.

Remedia.

Porro, quæritur, qua tandem ratione nos ex obiectis impedimentis extricare possimus.

Respondetur. 1. *Ex prædictis & similibus ostendatur, quam iniqua sit illorum Protestatio.* 2. *Iterato & fraterne inculcetur, merito ijs, quæ à D. Præside audiverunt acquiescendum esse, quod videlicet, neque ipsorum, neque ullius mortalis conscientiam simus obligaturi.* 3. *Magistratus autoritas imploretur, si fortassis eam tandem sint agnituri & secuturi.* 4. *Sin vero præter spem & expectationem nostram, in sententia perseverent; tamen iustitiæ* ἐπιείκειαν *miscendam, & nihilominus ad causæ principalis disquisitionem in timore Domini progrediendum censemus. Nam esto, Synodi huius iudicium nullum apud eos pondus habeat, tamen quis novit, quem Deus Synodo sit largiturus eventum, quamque felicem? Esto, apud eos nullum pondus habeat; tamen apud alios, idque dubio procul cum eorum confusione, habere poterit.* 5. *Ad extremum, si omnibus Synodi monitis, & consilijs obluctati fuerint, protestemur, nos conscios nobis esse, quod non allatis domo præiudicijs, aut ullis etiam occupati affectibus, admodum in animis nostris sollicitissimus, ne vel scienter, vel inscienter ex alieno relatu ulla vel minima iniuria Fratres Citatos afficiamus, nostrisque meditationibus multam adjungamus misericordiam. Itaque protestemur & nos, coram Deo, hac tota congregatione membrorum & spectatorum atque auditorum Synodicorum, totis his regionibus, universo orbe Christiano, & secutura posteritate, per nos non stetisse, quominus hæc offendicula in hisce regionibus exorta, placida,*

Digitized by Google

cidi, amica, & omnino Christiana ratione componerentur, & Fratrum ipsorum, Ecclesiarumque saluti & paci pariter consuleretur.

Hæc salvis aliorum melioribus judicijs.

De Protestatione Remonstrantium, Emdensis Ecclesiæ Ministrorum, Iudicium.

SI Protestatio nudiustertius venerando huic cœtui per Remonstrantes, ut vocant, insinuata, nullis respersa audacibus criminationibus, sed nuda & simplex fuisset; non admodum eam fuissemus morati, eaque parvipensa ad rem ipsam ventilandam progrediendum esse absque longiori mora, censuissemus: Sed cum fundamenta duo, toti huic Synodo ignominiosa, quam alternative tangunt, ei substrata sint, minime ad ea connivendum, sed macula hac universæ huic sanctæ congregationi adspersa, eluenda esse videtur.

Primum eorum fundamentum hoc est: Partem adversam non posse controversiæ huius judicem esse. Syllogismus talis erit, ut rectius de hac re iudicari possit.

Qui pars adversa in aliqua causa est, non potest in eadem esse iudex.

At Synodus aut maxima eius pars (sunt hæc ipsissima illorum verba) sunt pars adversa in hac causa.

Ergo Synodus, aut maxima eius pars, in hac causa non potest esse iudex.

Respondemus primo, ad Maiorem, quæ particularis est. Vniversaliter enim sumta non est vera, ne in Politicis quidem. Nam etsi in propria caussa, quæ privatim aliquem concernit, nemo possit esse pars litis & iudex: potest tamen subinde in caussa communi & publica, qualis hæc est. Exempli gratia: Duo sedent in uno collegio; alterum alter accusat perduellionis, proditionis, repetundarum, &c. qualia exempla in historijs passim occurrunt; suamque accusationem liquido probat: accusando eum & probando delictum fit pars eius adversa, & tamen potest nihilominus & debet esse iudex. Alioqui perduelles, fures, latrones, &c. adversus iudices suos semper excipere possent, tanquam contra partem adversam. 2. Respondemus, multo minus verum esse in rebus spiritualibus, conscientiam & æternam salutem concernentibus, probatur id.

1. Ex praxi Veteris Testamenti Ecclesiæ.

Elias, Micha, Ieremias, Amos, alijque Prophetæ pars adversa erant Pseudo-Prophetarum, à quibus multa perpessi sunt; num propterea iudices controversiarum esse non potuerunt? An propterea Babalitis deferendum fuit iudicium de controversijs Religionis? Aut alius aliquis in Vtopia quærendus neutralis iudex? Nullo modo.

2. Ex praxi Ecclesiæ quæ fuit temporibus Christi & Apostolorum:

Christus, Apostoli, pars erant adversa summorum Sacerdotum, Pharisæorum, Scribarum, Iustitiariorum, ceremonias Legis, & cirumcisionem urgentium: an propterea iudices non potuerunt esse in eadem caussa? Imo sane.

3. Ex praxi Ecclesiæ tempora Apostolorum secutæ.

Exempla à Reverendo D. Præside alijsque Clarissimis viris hesterno die allata sunt Athanasij, Cyrilli, Alexandri, aliorum, qui pars adversa hæreticorum fuerunt, & tamen propterea sua vota in dicendo sententiam nequaquam amiserunt.

4. Ex praxi Ecclesiarum elapsi seculi: Cuius exemplum à Clarissimo D. Sculteto heri allatum fuit, & possunt plura adferri.

5. Ex praxi particularium Ecclesiarum & consistoriorum ecclesiasticorum. Exempli gratia. Multum nobis nostrisque majoribus negotium fuit cum Vbiquitarijs, Anabaptistis, Libertinis, Iudæis, alijs. Fuerunt Ecclesiæ Ministri & seniores illorum pars adversa. Nunquid propterea votum nullum habuisse censeri debebunt? Contrarium possemus exemplis domesticis, si opus esset, probare. Sane ea ratione nullam nunc habuissemus Ecclesiam; sed colluviem tantum & mixturam variarum sectarum: Haut secus quam si quis Archimagirus omnis generis edulia & pulmenta in unum conijceret lebetem, id quod Sathan hisce temporibus moliri videtur.

6. Ex

6. *Ex seria hortatione Pauli, Actor.* 20. Attendite vobis-ipsis & gregi in quo Spiritus Sanctus vos posuit Episcopos. *Hic Episcopi Ecclesiæ Ephesinæ & aliarum pars erant adversa falsorum doctorum, non parcentium gregi. An propterea non potuerunt iudices esse in rebus inter eos controversis? Quo, quæsumus, quid absurdum magis? Quorsum enim tam serio eos officij sui admonuisset Apostolus?*

7. *Probatur idem ratione. Nam Ecclesiarum Ministri, nisi serio sese opponerent Pseudo-Doctoribus & Novatoribus ἑτεροδοξίας introducentibus, proditores essent Ecclesiarum suæ fidei commissarum, & canes muti digni qui, ut sal fatuum, pedibus conculcarentur.*

8. *Ex ratione alia. Sic enim agendo omnibus Novatoribus quidvis moliendi & conandi janua aperiretur amplissima: id quod multi quærere videntur.*

Quæ ex Irenico D. Paræi, in ultimo & penultimo suo scripto protulerunt Remonstrantes, videlicet: Non esse necessum ut ad Concilia quispiam accedat, ubi unus, idemque sit Iudex & actor futurus, illa secundum quid sunt intelligenda, ut supra ostensum. Sunt enim hæc de Pontificiorum & Vbiquitariorum Concilijs dicta. 2. Non erunt in hac Synodo eidem actores & iudices. Posito enim Contra-Remonstrantes, qui ad Synodum hanc deputati sunt, adversam partem esse, iudex tamen controversiarum harum solum Dei verbum erit, ad quod juramento coram Deo omnes se obligarunt. 3. Si Doctor Paræus præsens esset, aspectum eius vix ferrent, cuius absentis vellicant barbam. 4. Insignis impudentia toties Paræi Irenico & Admonitione Neostadiana abuti eos, cum de mente & sententia Vrsini & Paræi ipsis optime constet. Hæc ad Maiorem.

Minorem etiam ut falsam negamus; totam Synodum quod attinet. Exteri enim iudicia sua integra sibi servarunt, & iureiurando se obstrinxerunt, à verbo Dei minime se discessuros. Idem prius fratres Belgici præstiterunt, qui propterea non nisi κατά τι, pars adversa dici possunt; minimeque votum suum, ut antea ostensum, in hoc iudicio amiserunt.

Alterum Protestationis fundamentum est, quod Synodus hæc, aut maxima eius pars schismatica sit.

Syllogismus talis erit:

Qui schismatici sunt, non possunt esse controversiæ huius in Belgio motæ, iudices.
At Synodus hæc, aut maxima eius pars, est schismatica.
Ergo, &c.

Respondetur, Primo ad Maiorem. Qui vere & proprie schismatici sunt, non possunt esse iudices. Sed qui necessario propter Dei gloriam, conscientiarum quietem, & fundamentales in doctrina errores ab Ecclesia malignantium, ut maiores nostri à Papatu, alij à Novatoribus & ἑτεροδοξίας introducentibus secesserunt, vere schismatici dici non possunt. Ideoque hoc κατὰ δόκησιν schismate, potestas iudicandi minime eis adimitur.

Secundo ad Minorem; Primo falsissimam esse primam eius partem, in qua de tota Synodo loquuntur. Nunquam enim probabunt, omnia huius Synodi venerandæ membra Schismati obnoxia esse. Hæc itaque mera & intoleranda calumnia est, siquidem sic sentiunt, uti loquuntur.

Altera parte assumptionis, Contra-Remonstrantes tangunt, quos aliquoties proterve in omnibus suis declamationibus pro Schismaticis satis insolenter proclamarunt. Nos palam profitemur, nos fratres Belgas, qui Contra-Remonstrantes dici consuevere, pro talibus minime agnoscere. De quibus non est nunc opportunum prolixiorem instituere disquisitionem. Fratres Belgici legitima ratione sese procul dubio defendent, data opportunitate.

Interea omnino necessarium censemus, antequam ulterius procedatur, si nunc quæstio de schismate, cum multa personalia complectatur, ex professo tractari non debeat, ut aliquo tamen modo Fratrum Belgarum, quos pro schismaticis, Novatoribus, pacis publicæ turbatoribus, qui pios, doctos & Ecclesijs suis charos Pastores suis sedibus exturbarint, eorumque loca rursus occuparint, publice diffamarint, innocentia toti huic cœtui & auditoribus magno numero hic præsentibus, inculcetur, ne ex eiusmodi diffamationibus, scrupulus aliquis auditorum animis inhærescat.

Cæterum

Digitized by Google

Cæterum quod Synodum hanc legitime indictam, congregatam, in timore Domini celebrari cœptam, & hucusque magno cum fructu & voluptate continuatam, cum Synodo illa Tyria comparare, impudenter ausi fuerint, ea demum summa est, non solum Ecclesiasticas, sed etiam Politicas personas, summumque adeo Magistratum concernens insolentia, quam Synodalium actionum moderatoribus coërcendam relinquimus.

Concludentes, Protestationem hanc falsis nixam esse fundamentis publice declarandum & pronuntiandum; omnia autem hæc Synodicis actis inserenda, & tum ad rem ipsam progrediendum esse.

Salvis rectius sentientium iudicijs.

Prælectis de hac Protestatione Remonstrantium, consentientibus hisce Theologorum exterorum judicijs, Nobilissimi ac Generosi Delegati ibi subsistendum judicarunt, sententiamque suam, tum de criminationibus, tum de protestatione Remonstrantium, hoc publico decreto, quod eadem illis insuper prælectum fuit, declararunt.

Cum vir Reverendus M. Simon Episcopius SS. Theologiæ in Academia Lugduno-Batava Professor, à Clarissimo ac Reverendo viro Præside hujus Synodi, Johanne Bogermanno, ex autoritate publica Delegatorum paucis nuper, ac fraterne fuerit admonitus, quod sincere parum cum hac Synodo egisset (quanquam sane maluissent Delegati, dictum Episcopium, reliquosque fratres Remonstrantes, simplici confessione ac candida, delictum de quo omnibus constabat, ne qua dignitati eorum atque muneri hæreret labes, deprecatos esse, & confessione, quod ingenuorum est, aut pudenti saltem excusatione crimen diluisse, tandemque aliquando sine ambagibus in rem præsentem veniri) quia tamen, quasi re deliberata, eo ipso die, quo de alijs agendum erat, coram tota Synodo, sine ulla circuitione, Reverendum & Clariss. virum, Dominum Johannem Bogermanum, Synodi Præsidem nulla tot magnorum, tot clarorum, tot honestorum virorum, qui universam vere Reformatam hoc in loco coram Deo repræsentant Ecclesiam, nulla eorum conscientiæ præsentiæque ratione habita, mendacij accusare non dubitaverit: Illustrium ac Præpotentum DD. Ordinum Delegati, audito prius summo ac unanimi, omnium tum exterorum, tum Provincialium, totius denique venerandæ hujus Synodi, & quidem juramento jam obstrictæ, testimonio, suo quoque addito (inter quos nonnulli sunt, qui verba ipsa exceperunt) graviter, serio, ac pro ea qua hic pollent autoritate, virum Reverendum M. Simonem Episcopium, reliquosque fratres Remonstrantes, monendos esse judicarunt, ut in posterum & ipsius veritatis, quæ virtutum omnium Ecclesiasticarum norma est & regula, quamque Deus vivus, supremus ille atque unicus scrutator renum cordiumque inspector, qui abyssos maris penetrat, adeoque ipsa veritas est, in veritatis suæ interpretibus maxime requirit, rationem habeant: Utque tam illustrem, tam venerandum, tam legitime huc convocatum, Ecclesiarum omnium, quæ eodem fidei vinculo conjunctæ sunt, conventum, in quo ipsi Illustrium atque Præpotentum DD. Ordinum Fœderatarum Belgij Provinciarum præsident Delegati, qui supremum repræsentant Magistratum, revereri, nunc saltem, toties jam moniti, addiscant, neque per convocatorum atque Delegatorum latus, quod non semel cum in Synodo hac veneranda, tum & in libello exteris Theologis nuperrime exhibito, clam ab ijs factum est, ipsos Delegantes atque Convocantes, petulanter ac proterve

terve petant: sed postpositis iam tandem criminationibus, decreto iam postremum plenissima cum potestate ab ipsis promulgato morem gerant, non obstante protestatione, quam omnino admittendam non esse censent ac declarant.

M. Episcopius petijt veniam quædam ad ista dicendi, sed quoniam tempus elapsum erat, res in Sessionem pomeridianam est dilata.

SECT. XXX.

Sessione Trigesima,

Eodem die post meridiem.

Citati in Synodo comparuerunt, monitique sunt, quia jam Theologorum exterorum de Protestationis nullitate sententias, argumentis solidis, & ad tranquillandas conscientias sufficientibus confirmatas, insuper Illustrium D D. Delegatorum, de eadem decretum audivissent, ut postpositis omnibus criminationibus, exceptionibus, protestationibus, similibusque tergiversationibus, ad rem ipsam venirent: rogatique sunt, Vtrum parati jam essent.

M. Episcopius petijt, quia gravis & atrox in ipsum lata esset censura, quia famæ ipsius haud levis facta esset injuria, ut liceret sibi breve aliquod ad defensionem sui scriptum prælegere.

Illustres Delegati, perlustrato prius scripto, quo constaret ipsis, num fortasse novas, quibus Synodus, ut ante aliquoties iam factum erat, distineri posset, criminationes contineret, permiserunt ut prælegeretur: quanquam decreto, superiori Sessione prælecto, nihil detractum aut derogatum vellent.

Illustres ac præpotentes Domini, Honorande Præses, Reverendiss. Clariss. Doctissimi Viri fratres,

Etsi bona conscientia paradisus sit, & ubi satisfactum est conscientiæ, sollicita admodum excusatione opus non sit, nihilominus tamen, cum nemo famæ suæ negligens aut prodigus esse debeat, imo nihil prius potiusve esse possit homini Christiano, & inprimis publico in Ecclesia Iesu Christi munere fungenti, quam nominis atque existimationis suæ integritas, Non potui committere, quin hujus etiam serij mei studij specimen aliquod in hac augusta Synodo extaret. Cum enim graviter admodum & nulla mea caussa vulnerata ac læsa sit, imprimis hodierna die existimatio mea, tanquam si mendacio alicui publico non ita pridem in hoc tam celebri & augusto consessu me obstrinxissem; operæ pretium duxi ad famæ & existimationis meæ justissimam defensionem, hæc paucula Synodo breviter repræsentare, nihil addubitans, quinsi quæ forte suspitio malæ fidei, animo quorundam hæserit, illa nullo negotio evanitura sit, si rem totam æqua lance judicij ponderare, & qua decet sinceritate introspicere non gravabuntur.

Crimen quod mihi impingitur hoc est, postquam orationem auspicatoriam in Synodo hac, de sententia & consensu fratrum meorum recitassem, jussusque essem exemplar illius orationis exhibere, visus sum dicere Reverendo Præsidi, & uti jam hodierna die intellexi, plerisque in hac Synodo, aliud me exemplar non habere, quodque id ipsum ita intelligi voluerim, ex eo liquido constitisse, quod illud ipsum, aut apographum eius, à Præside repeterem. Hæc summa accusationis est.

Reverendissimi Viri, grave hoc quidem crimen est, si verum: sed æque gravis iniuria si falsum: ecquid verisimilius sit, quæso, expendite.

Fundamentum criminationis est, quod existimetur à me dictum esse, aliud me exemplar non habere. Quod etsi verum sit, non est tamen totum id quod dixi, addidi enim non obscure, imo disertis ac formalibus verbis, satis nitide descriptum. Ex quo satis liquet, aperte me agnovis-

agnovisse aliud me exemplar habere & descriptum quidem; sed non satis nitide, quod scilicet dignum esset, quod tam augusto Consessui offerretur. Ita enim se res habebat; descriptum erat exemplar quod habebam, sed sine justis marginibus, minime accurato charactere consignatum, adeoque lituris & mendis non paucis deforme, & quod praecipuum erat, cum ipso principali non collatum. Pridie enim multa & sera admodum vespera descriptum amanuensis dederat. Hæc unica fuit tergiversationis meæ causa. Et quæ, quæso vos, Reverendi Viri Fratres, causa me movere potuisset, cur aliud mihi exemplar esse negarem? An ut fallerem quenquam, nedum tantum & tam augustum Consessum? Atqui nihil in ea oratione erat, quod non præmeditatum, decretum, & jam antea communi consensu Citatorum approbatum fuerat: quin imo omnia eo fine scripta erant, ut in Synodo, & tantum non coram toto orbe Christiano dicerentur. Deinde, qui potuissem? assidebant juxta non tantum multi tenerrimam conscientiarum suarum rationem habentes viri Fratres, sed etiam circumquaq. attentissimi, & oculis in me, in chartam & mensam defixi vultus, quos omnes fallere mihi propositum fuisse, quid habet verisimile? Accedit, quod, simulatque oratio recitata fuit, non tantum id aperte alicui ex me, an aliud exemplar haberem, quærenti, sed non ita multo post, ipsis etiam Delegatis Illust. D. D. Ordinum autographum quale quale erat in manus dederim, ut constare posset omnibus, verum esse quod dixeram. Atqui, dicet fortasse quispiam, quorsum itaque petitum apographum? Respondetur. Quia illud ipsum quod obtuleram cum autographo collatum nondum erat, prout etiamnum ex utriusque collatione constare potest, & constare volui ipsi Illustrium D. D. Ordd. Delegatorum Præsidi, cui exemplaris mei copiam per Secretarium ea ipsa die feci. Non diffiteor quidem Rev: Dominum Præsidem, ipsum autographum meum petiisse, sed autographum ipsum dari à me non dubitabam, cum illud ipsum darem quod ab amanuensi meo descriptum, & à me deinde fratribusque meis subsignatum erat, inprimis quia aliud plane non continebat (paucis tamen verbis quibusdam, eo quod collatio facta non esset, exceptis) quam quod autographo meo continebatur: puduisset enim me tam augusto Consessui offerre autographum meum, tot lituris, tot maculis, tot mendis refertum. Hæc ita esse bona fide acta Deus opt. Max. novit. Quod si cui tamen secus sentire lubebit, illi ego non respondebo aliud, quam quod conscientia mea & eorum qui mihi adsederunt testimonijs omni exceptione majoribus nixus, Deo innocentiam meam commendaturus sum, & in pace animam meam ac silentio possessurus: quin imo gavisurus ex animo, quod etiam censuram sustinere cogar ob culpam cui me minime affinem esse apud animum meum persuasissimus sum & ero, donec Deus ille cordium scrutator, inter me & eos qui de me male sentiunt judicaturus est. Quod ut Actis Synodalibus inseratur, etiam atque etiam rogo.

Subscriptum erat Simon Episcopius,
S. S. Theologiæ Professor.

Responsum ei fuit, ea de re audita fuisse totius Synodi, atque ipsorum D. D. Delegatorum testimonia. Testimonia testimonijs opponi, opus non esse. Verba, ut loquuntur, formalia, à Synodo adeoque ab ipsis Delegatis, fuisse annotata, idque jam totam Synodum testatam esse. Decretum hac in causa factum sufficere debere. M. Episcopius respondit, Quandoquidem fratres Remonstrantes sibi assidentes hac de re non rogarentur, declarare sese eos privatim testatos esse, se quoque hæc ejus formalia verba audivisse, *non habeo aliud nitide descriptum.* Præses eum monuit, ut acquiesceret, dixitque, non Synodum, quæ obiter illius rei mentionem faciendam duxisset, verum hanc molestiam creasse ipsum sibi, qui hanc criminationem sibi, ut ajebat, factam, toti Synodo acerbe objecisset: ac proinde hanc censuram sibi attraxisse. Rogatique denuo Citati sunt, utrum Protestationi jam renunciare vellent, & in rem præsentem, cujus causa advocati erant recta, venire. Monitique sunt, ut positis suspitionibus sinistris, certo sibi persuaderent, Synodum in causa ipsorum ita esse versaturam, ut suam Deo totique orbi Christiano probatura esset conscientiam.

Responderunt de scripto, quod à M. Episcopio prælectum fuit, petere se, ut apographum censurarum judiciorumque, de Protestatione, Theologorum Exterorum & Decreti Illust. D. D. Delegatorum sibi traderetur. Vtque justum sibi concederetur tempus, rationes Exterorum, quod considerationem mereri viderentur, cum precibus ad Deum accuratius expendendi: ne quid temere in re quæ momenti tanti esset, à se fieret: utque bona conscientia Decreto Illust. Delegatorum morem possent gerere. Delegati de petitione hac sententiam rogati, responderunt, censere se, non debere rem sub ullo amplius prætextu differri: mandare itaque, ut in rem præsentem veniretur: tandemque simpliciter, non sub his vel illis conditionibus, Decreto acquiescerent. Citati petierunt: ut secedere liceret sibi, atque inter se quid esset respondendum deliberare. Quod concessum. Ac post aliquam deliberationem responderunt, Sese salvo suo de hac Synodo judicio, salvaque conscientia, pariturос, atque ad rem venturos. Responsum illis fuit, tum ab ipsis Delegatis, tum à Synodo, conscientijs ipsorum, nihil imperari, neque imperatum iri, quod gravare eos posset: privatum quoque unicuique de Synodo liberum relinqui judicium. Quod si vero per judicium de Synodo, publicam hanc contra eandem Protestationem intelligerent, eam ipsis salvam non relinqui: sed tum Synodi Decreto, tum & suo, eam & injustam esse & nullam, satis declaratum: ideoque iterum mandari atque injungi ut parerent & ad rem venirent. In illa enim Protestatione quamdiu persisterent, tamdiu novam legibus omnibusque tum Synodi tum Illust. Delegatorum Decretis, inobedientiam ab illis opponi. Ideoque iterato sunt moniti, ut in posterum caverent sibi ne autoritatem Synodi tam venerandæ, dictis insolentibus aut factis proscinderent vel in dubium vocarent. Inprimis, ne aut voce aut scripto Illust. D. D: Ordd. Generalium autoritatem sub debita censuræ pœna læderent. Responderunt, Se, ut sentirent, ita loqui, & ut loquerentur, ita sentire. Quam responsionem ibi locum non habere demonstratum fuit.

Vt igitur in præsentem rem aliquando veniretur, denuo rogati sunt, an parati essent sententiam de primo Articulo suam, qui est de Prædestinatione divina, cum rationibus Synodo exhibere. Responderunt, existimasse, viva voce collationem hic esse instituendam. Ad eam se parasse, non ad scripta exhibenda. Habere quidem statum Controversiarum ad manum, cæterum sententiæ suę explicationem scripto nondum consignasse. Ex Citatorijs non potuisse aliud se intelligere, quam quod propositio, explicatio & defensio sententiæ suæ prius viva voce esset in Synodo proponenda, ac deinde instituta collatione scripto comprehendenda. Delegati ipsis indicarunt, dolere sibi, quod Citatoriarum, sensum (de quo nemo, nisi qui maligne detorquere eum vellet, dubitare possit merito, capere aut non potuissent aut noluissent. Connexionis rationem perspicue ostendere, mentem hanc fuisse, ut scripto suam exponerent sententiam. Responderunt Remonstrantes: Neminem ipsorum literas ita intellexisse: omnes, quotquot aderant, ad collationem se parasse. Quod in Citatorijs nomine Illustr. D. D. Deputatorum scriptis, expresse diceretur; dandam eam operam, ut animi exulcerati lenirentur, quod existimarent sine Collatione vix fieri posse; judicare se, convenientissimum esse, ut Collatio tanquam inter partes institueretur: utque de illa postea supremus Magistratus judicaret. Delegati prælectis publice Citatorijs suis, mentem suam clare expresserunt, ac diserte indicarunt, nunquam hanc fuisse, ut hic ulla pædagogica collatio, aut ulla, tanquam inter partes, institueretur disceptatio, sed ut ipsi sententiam suam de quinque Articulis proponerent, explicarent, quantum possent defenderent, ac deinde Synodi, ut legitimi Controversiarum judicis, judicium expectarent. Conquerebantur nimis angustos præscribi sibi limites, siquidem viva voce non liceret sibi agere, suamque tantum sententiam proponere; non contrariam quoque oppugnare. Ad quam oppugnandam inprimis se parassent. Responsum fuit, illis permittendum nihilominus esse, ubi sententiam suam scripto explicassent, ut viva voce, si quæ addenda existimarent, addere liceret. De sententiæ contrariæ oppugnatione postea videndum; ubi suam prius defendissent. Mandatum denique ipsis fuit, ut sententiam de primo Articulo suam, proximi diei Sessione prima, scripto exhiberent. Rogati quoque sunt: An Considerationes suas

Digitized by Google

suas de doctrina in Confessione & Catechesi harum Ecclesiarum comprehensa, jam paratas haberent. Responderunt, se quidem illarum considerationum sylvam aliquam in chartis habere, cæterum eas nondum exacte disposuisse neque nitide descripsisse.

Sessione Trigesima prima,

XIII. *Decembris, die Iovis, ante meridiem.* SESS. XXXI.

Citati sententiam suam de primo Articulo, qui est de Prędestinatione divina, decem Articulis seu Thesibus comprehensam, scripto hoc exhibuerunt, quod ab omnibus signatum, ab Episcopio prælectum fuit.

Sententia Remonstrantium

Quam in conscientia sua Verbo Dei consentaneam esse arbitrati sunt hactenus, & etiamnum arbitrantur, circa primum de Prædestinationis Decreto Articulum, hæc est:

I.

Deus non decrevit quenquam ad vitam æternam eligere, aut ab eadem reprobare ordine prius, quam eundem creare decreverit, citra ullius obedientiæ vel inobedientiæ antecedentis intuitum, pro beneplacito suo, ad demonstrandam gloriam misericordiæ & justitiæ suæ, vel potestatis & dominij absoluti.

II.

Cum Decretum Dei, de cujusque hominis tum salute tum exitio, non sit Decretum finis absolute intenti, sequitur neque eidem Decreto subordinata esse media talia, per quæ ad finem destinatum tum Electi tum Reprobi efficaciter atque inevitabiliter perducantur.

III.

Quare nec Deus hoc consilio creavit in uno Adamo omnes homines in recto statu, non ordinavit lapsum ejusque permissionem, non subtraxit Adamo gratiam necessariam & sufficientem, non procurat Evangelium prædicari, homines externe vocari, non confert illis ulla dona Spiritus Sancti ut ista media essent, per quæ eorum aliquos ad vitam perduceret, alios vitæ beneficio destitueret. Christus Mediator non est solum executor Electionis, sed ipsius Decreti Electionis fundamentum: quod alij efficaciter vocantur, justificantur, in fide perseverant, glorificantur, causa non est, quod absolute ad vitam æternam sint electi neque quod alij in lapsu deserantur, Christus ijs non detur, prorsus non, aut inefficaciter vocentur, indurentur, damnentur, causa non est, quod à salute æterna absolute sint reprobati.

IV.

Deus non decrevit sine intervenientibus peccatis actualibus multo maximam partem hominum ab omni spe salutis seclusam in lapsu relinquere.

V.

Deus ordinavit, ut Christus sit propitiatio pro totius mundi peccatis, & vi istius Decreti, statuit credentes in ipsum justificare & salvare, hominibusque media ad fidem necessaria & sufficientia administrare, ea ratione, quam novit suam sapientiam & justitiam decere. Nequaquam autem destinavit ex vi decreti absoluti solis Electis Christum mediatorem dare,

eosdemque solos per vocationem efficacem fide donare, justificare, in fide conservare ac glorificare.

VI.

Nec à vita aterna nec à medijs ad eam sufficientibus ullus rejectus est absoluto aliquo antecedaneo Decreto, sic ut meritum Christi, vocatio, omniaque dona Spiritus prodesse ad salutem omnibus possint, & re vera prosint, nisi ea ipsi in exitium sibi eorundem abusu vertant; ad incredulitatem autem, impietatem, & peccata, tanquam media & causas damnationis, nemo destinatus est.

VII.

Electio singularium personarum peremtoria est, ex consideratione fidei in Iesum Christum & perseverantia; non autem cirtra considerationem fidei & perseverantia in vera fide, tanquam conditionis in eligendo praerequisita.

VIII.

Reprobatio à Vita aterna facta est secundum considerationem antecedanea infidelitatis, & perseverantia in infidelitate: non autem citra considerationem antecedanea infidelitatis & perseverantia in infidelitate.

IX.

Omnes fidelium liberi sunt in Christo sanctificati; ita ut nullus eorum ante usum rationis ex hac vita decedens, pereat. Nequaquam autem in reprobatorum numero censentur etiam nonnulli fidelium liberi, in infantia sua ante ullum actuale peccatum in propria persona commissum ex hac vita discedentes; adeo ut nec Baptismi lavacrum sacrum, nec preces Ecclesia ipsis ullo modo ad salutem prodesse possint.

X.

Nulli fidelium liberi baptizati in nomine Patris, Filij, & Spiritus Sancti, in infantia sua statu viventes absoluto decreto reprobatis adscribuntur.

Reverendissimi Patres & Fratres, Habetis sententia nostra, quoad primum Articulum de Electione & Reprobatione propositionem; quam sententiam propugnare, & ei contrariam, qua Contra-Remonstrantium est, oppugnare parati sumus, & isthac ratione ut eam proponamus & porro explicemus ac defendamus quantum possumus & necessarium judicabimus, veritatis ipsius, gloria divina, conscientia nostra, & adificationis Ecclesiarum interesse putamus. Hic subscripta erant omnium & singulorum citatorum nomina.

Rogati sunt, an singulorum hac communis esset sententia, & an huic declarationi aliquid praeterea additum vellent? Responderunt eam communem omnium & singulorum esse sententiam, ut ex subsignatione constare poterat, neque habere quod hoc tempore additum vellent. Statutum fuit, ut post meridiem ha Theses à singulis Collegijs describerentur, ut tanto maturius deliberari de ijs, & judicari posset. Et quandoquidem in exhibitis Thesibus, quadam & obscuriora & ambigua viderentur, de quibus pressius interrogandi essent; deliberatum quoque fuit (quia citati corpus, uti vocant, aut Collegium non constituerent; sed singuli ex illis viritim essent citati) annon singuli viritim quoque & vocandi & rogandi essent. Visumque fuit, nec consultum esse neque necessarium, ut viritim vocarentur; sed ut omnes simul, cum rogandum esset aliquid, pariter se sisterent: aliquando tamen, hunc vel illum posse interrogari: ita tamen, ut liceret illi in sententia sua explicatione, uti quoque reliquorum ope. Declaravit praeterea Synodus, displicere sibi, quod Citati in exhibitis Thesibus, magis aliorum sententias rejicerent, quam propriam proponerent: quodque potius quid non sentirent dicerent, quam quid sentirent asseverarent: tum quod multa in hoc primo articulo admiscuissent, qua ad sequentes potius pertinerent. Ideoque statuit monendos esse Remonstrantes, ut in sequentibus Articulis de istis sibi caverent, & ad Synodi mandata melius attenderent.

Sessione

Digitized by Google

Seſsione Trigeſima ſecunda,

XIV. *Decembris , Die Veneris ante meridiem.*

QVia Articuli quinque de Prædeſtinatione divina, & adjunctis ei capitibus ita inter ſe connexi ſunt, ut alter ſine altero vix tractari recteque percipi poſſit, placuit Remonſtrantibus injungi, ut ſententiam quoque de quatuor reliquis Articulis ſuam ſcripto comprehenderent, proximoque die Lunæ Synodo exhiberent. Placuit præterea monere citatos, ut Theſes ſuas affirmative potius quam negative conciperent, quo melius de ſententia ipſorum judicari poſſet, cui ſi poſtea contrariæ ſententiæ rejectionem velint addere, integrum hoc ipſis fore. Vocatis Remonſtrantibus injunctum hoc fuit. Submonuit & Præſes, ut potius quæſtionibus illis inhærerent, quæ circa ſuavem de Electione doctrinam verſarentur; quam ut odioſe doctrinam de Reprobatione exagitarent. Reſponderunt, ſe conſideraturos eſſe ea, de quibus à Præſide moniti fuiſſent.

Seſsione Trigeſima tertia,

XV. *Decembris, die Saturni ante meridiem.*

REverendus & Clariſſimus Vir D. Abrahamus Schultetus, S. Theologiæ in Academia Heidelbergenſi Doctor & Profeſſor, in Conſeſſu Synodico, gravem, diſertam ac patheticam Paræneſin Latinam ex Pſalmo 122. *Lætor de eo, quod dicitur mihi, domum Iehovæ adeamus, &c*, publice habuit: illique eo nomine gratiæ ſunt actæ.

Cujus exemplar, quia nacti nondum ſumus, in calce Lector inveniet.

Seſsione Trigeſima quarta,

XVII. *Decembris, die Lunæ ante meridiem.*

REverendi & Clariſſimi Viri, D. Iohannes Biſterfeldius Concionator aulicus & Inſpector Sigenenſis, & D. Iohannes Henricus Alſtedius S.S. Theologiæ in Illuſtri Schola Herbornenſi Profeſſor, ab Illuſtri Correſpondentia VVetteravica ad hanc Synodum deputati, in locum conſeſſus ſolenniter à Scribis ſunt introducti, ab Illuſtribus D.D. Delegatis benigne excepti, atque in ſubſellijs ſuo loco atq; ordine collocati. Prælectę ſunt ab Illuſtr. D. D. Delegatis literæ fidei, quas à dicta Correſpondentia ad Prępotentes D.D. Ordines Generales attulerant. Quæ & Synodo placuerunt, factaq; congratulatione, quemadmodum ab alijs, ita & ab ipſis Synodicum juramentum pręſtitum eſt.

Citati exhibuerunt ſcriptum, in quo ſuam, de reliquis Articulis quatuor, quibuſdam Theſibus explicarunt ſententiam. Quod & ab ipſis eſt prælectum. Sententiam ſuam de ſecundo Articulo, qui eſt de Vniverſalitate meriti mortis Chriſti, quatuor; de tertio & quarto, qui eſt de gratia Dei & Converſione hominis, theſibus duodecim; ac deinde de quinto, qui eſt de Perſeverantia vere fidelium, theſibus ſeu articulis octo comprehenderant. Huic ſententiæ ſuæ explicationi, prolixam rationum quarundum declarationem adjunxerant. Quibus hęc duo probare conabantur.

I. Æquum eſſe ut ſententiam ſuam non affirmativis tantum, ſed & negativis Theſibus exprimerent. II. Non de Electione tantum, una Prædeſtinationis parte; ſed & de altera nimirum Reprobatione, agi debere. In eodem præterea ſcripto declarabant,

bant, illa quæ ab ijs rejiciuntur dogmata, à multis Contra-Remonstrantibus, aut eorum sententiæ addictis tum in his nostris tum alijs regionibus asseri: controversias præsentes, non esse de segmentis unguium aut de levioribus momenti articulis; sed de ijs Theologiæ practicæ capitibus, quæ Dei gloriam maxime illustrarent, studiaque pietatis, si de ijs recte sentiretur, promoverent, aut contra, si minus recte, gloriæ divinæ plurimum detraherent, atque pietatis cursum morarentur. Esse & quamplurima Contra-Remonstrantium dogmata, de Reprobatione ejusque annexis, in gloriam Dei injuria, pietati noxia, quæque ab ipsis Reformationis initijs, haud leves turbas in Ecclesijs dederunt.

Sententia Remonstrantium

De secundo Articulo, qui est de universalitate meriti mortis Christi, hæc est:

I.

PRetium Redemptionis quod Christus Deo Patri suo obtulit, non tantum in se & per se toti generi humano redimendo sufficiens est; sed etiam pro omnibus & singulis hominibus ex Decreto, voluntate, & gratia Dei Patris persolutum est: eoque à participatione fructuum mortis Christi, nemo absoluto & antecedente Dei Decreto præcise exclusus est.

II.

Christus merito mortis suæ Deum Patrem universo generi humano hactenus reconciliavit; ut Pater propter illius meritum salva justitia & veritate sua, novum gratiæ fœdus cum peccatoribus & damnationi obnoxijs hominibus, inire & sancire potuerit & voluerit.

III.

Etsi Christus omnibus & singulis hominibus reconciliationem cum Deo & remissionem peccatorum promeruerit: Nemo tamen secundũ Novi & gratiosi fœderis pactum aliter quam per fidem beneficiorum morte Christi partorum, reipsa fit particeps: nec peccata hominibus peccatoribus remittuntur, antequam actu & vere in Christum credant.

IV.

Christum credere pro se mortuum esse ij soli tenentur, pro quibus Christus mortuus est: Reprobi vero, quos vocant, pro quibus Christus mortuus non sit, nec ad istam fidem obligari nec propter incredulitatem contrariam juste damnari possunt: quin si tales Reprobi essent, ij credere tenerentur, Christum pro se mortuum non esse.

Sententia Remonstrantium

Circa tertium & quartum Articulum.

De gratia Dei, & Conversione hominis, hæc est.

I.

HOmo salvificam fidem non habet à se, neque ex liberi sui arbitrij viribus; quandoquidem in statu peccati nihil boni (quod quidem salutare bonum sit, cujusmodi in primis est fides salvifica) ex se & à se potest cogitare velle aut facere: sed necesse est, ut à Deo, in Christo per Spiritum ipsius Sanctum regeneretur atque renovetur, intellectu, affectibus, voluntate, omnibusque viribus, ut salutaria bona recte possit intelligere, meditari, velle, atque perficere.

II.

Gratiam autem Dei statuimus, non tantum esse principium, sed etiam progressum, & complementum omnis boni; adeo ut ne ipse quidem regenitus absque præcedente sive præveniente ista, excitante, prosequente & cooperante gratia, bonum cogitare, velle aut peragere possit, ullisve ad malum tentationibus resistere: Ita ut

omnis

Digitized by Google

omnia bona opera, actionesque, quas quis cogitando potest assequi; gratiæ Dei adscribenda sint.

III.

Nec tamen credimus, zelum omnem, curam & studium ad obtinendam salutem adhibitum, ante ipsam fidem & Spiritum renovationis, vanum atque irritum, quin imo noxium magis homini esse, quam utile & fructuosum; sed contra, statuimus, audire Verbum Dei, dolere de peccato commisso, expetere gratiam salutarem, & Spiritum renovationis, (quorum tamen nihil citra gratiam homo potest) non modo noxium non esse & inutile; sed potius utilissimum, & quam maxime necessarium, ad obtinendam fidem & Spiritum renovationis.

IV.

Voluntas in statu lapsus, ante Vocationem, non habet potentiam & libertatem, ullum bonum, quod salutare sit, volendi. Ideoque libertatem volendi tam bonum salutare quam malum, in omni statu, voluntati adesse negamus.

V.

Gratia efficax, qua quis convertitur; non est irresistibilis; & licet ita voluntatem afficiat Verbo & Spiritus sui operatione interna Deus, ut & potentiam credendi, sive vires supernaturales conferat & hominem actu credere faciat; tamen potuit homo ex se gratiam istam adspernari & non credere, eoque etiam sua culpa perire.

VI.

Quanquam pro liberrima Dei voluntate, maxima sit gratiæ divinæ disparitas; tamen Spiritus S. tantum gratiæ omnibus & singulis, quibus Verbum Dei prædicatur, confert, aut conferre paratus est; quantum ad promovendam suis gradibus hominum conversionem sufficit: eoque gratia sufficiens ad fidem & conversionem, non tantum ijs obtingit, quos juxta Decretum absolutæ Electionis salvare velle dicitur Deus; verum etiam ijs, qui actu ipso non convertuntur.

VII.

Homo per gratiam Spiritus Sancti potest plus boni facere, quam reipsa facit; & plus mali omittere, quam re ipsa omittit: neque credimus Deum simpliciter nolle ut homo plus boni faciat quam facit, & mali omittat, quam omittit: at ut utrumque sic fiat ab æterno præcise decrevisse.

VIII.

Quoscunque Deus vocat ad salutem, serio vocat, hoc est cum sincera & minime simulata salvandi intentione ac voluntate: nec eorum assentimur sententiæ, qui statuunt Deum externe quosdam vocare, quos interne vocare, hoc est, vere conversos nolit: etiam ante rejectam vocationis gratiam.

IX.

Non est in Deo voluntas istiusmodi arcana, quæ revelatæ ejusdem in Verbo voluntati sic contraveniat, ut secundum eam, arcanam scilicet, nolit conversionem, & salutem maxima parte eorum, quos verbo Evangelij, & revelata voluntate ad fidem & salutem serio vocat & invitat: neque hic, ut quidam loquuntur, sanctam simulationem, aut duplicem personam in Deo agnoscimus.

X.

Nec credimus Deum reprobos, quos vocant, hos in fines vocare, ut magis induret vel excusationem adimat, ut gravius puniat, ut ἀδυναμίαν ipsorum ostendat: non autem, ut convertantur, credant, salventur.

XI.

Verum non est, ex vi & efficacia arcanæ voluntatis seu Decreti divini, omnia non bona tantum, sed & mala necessario fieri; adeo ut quicunque peccant, respectu Decreti divini non possint non peccare: Deum velle discernere, procurare hominum peccata, eorumque opera insana, stulta, crudelia, & sacrilegam sui nominis blasphemiam: movere linguas hominum ad blasphemandum, &c.

XII.

Falsum quoque & horrendum nobis est; DEUM ad peccata, quæ palam prohibet, occulta ratione homines impellere; peccantes non agere contra voluntatem DEI veram propriè dictam; consentaneum esse voluntati DEI, quod injustum est, hoc est, quod præcepto ejus contrarium est; quinimo veram & capitalem culpam esse, facere DEI voluntatem.

Sententia Remonstrantium

Circa Quintum Articulum, qui est de Perseverantia, hæc est:

I.

Perseverantia fidelium in fide, non est effectum illius absoluti Decreti, quo DEUS singulares personas, nulla conditione obedientiæ circumscriptas elegisse dicitur.

II.

DEUS vere fideles, gratia & viribus supernaturalibus instruit, quantum ad perseverandum, & Diaboli, carnis, ac Mundi tentationes superandum, pro infinita sua sapientia sufficere judicat: nec per DEUM unquam stat, quo minus perseverent.

III.

Vere fideles possunt à vera fide excidere, & in istiusmodi prolabi peccata, quæ cum vera & justificante fide consistere non possunt: nec potest hoc tantum fieri; sed & non raro fit.

IV.

Vere fideles possunt culpa sua in flagitia & scelera atrocia incidere, in iisdem perseverare & mori; ac proinde finaliter excidere & perire.

V.

Neque tamen credimus vere fideles, etiamsi in gravia & conscientiam vastantia peccata nonnunquam incidant, protinus omni spe resipiscentiæ excidere; sed fieri posse agnoscimus, ut DEUS secundum multitudinem misericordiarum suarum eos rursum per gratiā suam ad resipiscentiam revocet: quinimo non infrequenter id evenisse credimus: etiamsi de eo quod hoc certe & indubie futurum sit, persuasissimi esse nequeant.

VI.

Itaque hæc sequentia dogmata, quæ scriptis publicis in vulgus sparguntur indies, ut pietati & bonis moribus noxia, toto animo & corde rejicimus: nempe. 1. *Vere fideles non posse deliberato consilio peccare: sed tantum ex ignorantia & infirmitate.* 2. *Vere fideles per nulla peccata à Gratia DEI excidere posse.* 3. *Mille peccata, imo omnia peccata totius mundi Electionem irritam facere non posse: cui si addatur, omnes omnino homines teneri credere se electos esse ad salutem, & proinde ex electione illa excidere non posse, quantam illud securitati carnali fenestram aperiat, cogitandum relinquimus.* 4. *Fidelibus & electis nulla peccata ut ut magna & gravia esse possint, imputari; quin omnia præsentia & futura jam remissa esse.* 5. *Vere fideles in hæreses exitiales, in gravia & atrocissima peccata, uti sunt adulteria & homicidia prolapsos, propter quæ Ecclesia juxta justificationem Christi cogatur testari se ipsos in externa sua communione non posse tolerare; illosque non habituros partem ullam in regno Christi nisi convertantur, non posse tamen à fide totaliter & finaliter excidere.*

VII.

Vere fidelis, uti pro tempore præsenti de fidei & conscientiæ suæ integritate certus esse potest; ita & de salute sua, & salutifera DEI erga ipsum benevolentia, pro illo tempore certus esse potest ac debet: & hic Pontificiorum sententiam improbamus.

VIII.

Vere fidelis pro tempore futuro, certus quidem esse potest ac debet, se mediantibus vigiliis, precibus, aliisque sanctis exercitiis in vera fide perseverare posse, nec ad perseveran-

dum

dum nunquam illi defuturam divinam gratiam: sed, quomodo certus esse possit, se officio suo in posterum nunquam defuturum, sed in fidei pietatis, & charitatis actionibus, uti fidelem decet, perseveraturum in hac militiæ Christianæ schola non videmus: nec ut hac de re certus sit fidelis, necessarium esse arbitramur.

Reverendissimi Patres ac fratres, Habetis sententiæ nostræ quoad reliquos quatuor Articulos propositionem: quam propugnare, & ei contrariam, quæ quoad maximam Thesium supradictarum partem Contra-Remonstrantium est oppugnare parati sumus, & ista ratione ut eam porro explicemus & defendamus quantum possumus & necessarium judicabimus, veritatis ipsius, gloriæ divinæ, conscientiæ nostræ & ædificationis Ecclesiarum nostrarum inter-esse putamus.

Quandoquidem vero, postrema Sessione à Reverendo D. Præside moniti sumus, ut à negativis enuntiationibus abstineremus, & de Electione potius quam odiosa Reprobationis materia ageremus; nos re in accuratius examen vocata, uti nos facturos promiseramus, quantum fieri potuit affirmative nostram super Articulis supra dictis sententiam enuntiavimus: interdum tamen etiam contrariam, ubi necessitas hoc postulare nobis videbatur, rejicientes. Quod ipsum ne sine gravi caussa à nobis factum videatur, Vestris Reuer. rationes aliquot expendendas dabimus; quæ ut sententiam nostram subinde negative exprimeremus, & non solum de Electione, una Prædestinationis parte; sed & de altera eius parte Reprobatione ageremus, suaserunt. Sunt autem Rationes hæ:

I.

Quia impossibile est, ut sententiam suam perspicue & plene proponant Remonstrantes, saltem circa primum Articulum, nisi per negationem & remotionem aliorum decretorum, quæ hominem vel ante lapsum vel in lapsu positum spectant. Nam primus Articulus Remonstrantium in Collatione Hagiensi admissus est prout iacet; sed quæsitum fuit: Annon aliud agnoscerent decretum absolutum & sublimius, quod Electionis decretum dici debeat, quod tum quidem à nostris negatum fuit, & nunc etiam negatur; sive illud sit circa hominem condendum, sive lapsum iam, & in lapsu consideratum.

II.

Quia diserte habent literæ Citatoriæ D D. Delegatorum Illustr, Ordd. Generalium, ut sententiam nostram de quinque articulis proponamus, exponamus, defendamus, quantum possumus, & necessarium iudicabimus. At iudicamus necessarium esse, ut illam partim negative, partim affirmative proponamus.

III.

Quia non potest sententia aliqua rationibus defendi, nisi posita eius contradictoria. Quæ caussa est, cur κοιναὶ ἔννοιαι sive principia prima scientiarum, rationibus à priori defendi non possint, quia illis ut contradicatur vel probabiliter saltem, impedit naturale intellectus & rectæ rationis lumen.

IV.

Quia sparsum est in vulgus, Remonstrantes traducere & mala fide proponere sententiam contra-Remonstrantium: quod si verum est, diserte & rotunde nobiscum illa negent Contra-Remonstrantes; quæ circa hos Articulos à nobis negantur. Putamus enim nos probare abunde posse, contrariam multis supradictis articulis sententiam adstruere Contra-Remonstrantes.

V.

Quia affirmationes negationibus nostris oppositæ, Ecclesias in his regionibus turbarunt, conscientias multorum indies offendunt, & Reformatam doctrinam suggillandi adversariis omnibus ansam præbent, à quibus nos abhorrere, rotunda durioris & sublimioris istius de Reprobatione negatione, significatum volumus; idque eo magis,

quia

quia vulgo nobis sententia Contra-Remonstrantium impingitur, eoque nomine publice male audimus.

VI.

Quia aut veræ sunt nostræ negationes, aut falsæ. Si veræ, quid quæsumus periculi? Imo cur non nobiscum se sentire pronuntiant Vestræ Reuer.? Si falsæ, alterutrum faciendum erit: aut enim ostendendum rationes nostras, quibus istas negationes munire parati sumus, vim concludendi non habere; aut oppositis rationibus evertendæ erunt, & asserendæ contrariæ affirmationes.

VII.

Quia nuper in Synodis Provincialibus Hollandiæ, Geldriæ, & Vltra-jectinæ ditionis, à Remonstrantibus & Contra-Remonstrantibus formati sunt Controversiarum status, per Theses & Antitheses contradictorias; idque eum in finem, ut ita formati in Synodo Nationali examinarentur.

VIII.

Quia in Epistola ad Exteros Theologos Ecclesiastæ VValachri, sententiam suam & nostram subinde affirmative, subinde negative proponunt.

IX.

Quia Contra-Remonstrantes non verentur illa quæ nostris Thesibus hic illic contradicunt, asserere & probare. Quid vetat itaque quominus nobis liceat ad sententiæ nostræ propositionem illa negare?

X.

Si maximam partem istarum Thesium negantium probavit Synodus Geldrica, contrariam damnando sententiam, cur nobis non licebit eadem paradoxa dogmata rotunda negatione improbare.

XI.

Iniquum omnino videtur, ut præscribatur Citato: quid sit dicturus ad caussæ suæ patrocinium, quid non; præcipue tunc cum iudicium ferendum erit de citati caussa.

XII.

Si hoc non concedatur Remonstrantibus, omnino iudicabunt, uti & hactenus iudicarunt: Contra-Remonstrantes latebras quærere, sententiam suam celare velle, aut eius defensioni diffidere, nec aperta & regia via ad veritatis inquisitionem liberam & minime impeditam grassari.

XIII.

Quia fieri vix potest ut rectum de Remonstrantium sententia feratur iudicium, eiusque veritas vel falsitas æqua lance expendatur, nisi etiam contraria sententia ad animum revocetur, & examinetur.

XIV.

Quia familiare est Philosophis & Theologis, in quæstionum controversarum examine κατασκευαστικῶς, & ἀνασκευαστικῶς procedere, & modo ex negationibus inferre affirmationes, modo ex affirmationibus, negationes.

XV.

Denique quia in tali sententiam proponendi modo, præit nobis sacra scriptura, cum inquit: Nolo mortem peccatoris, non vult Deus ut aliquis pereat: *quibus phrasibus & enunciationibus negativis, suam de salute hominis sententiam proponit sapientissimus Deus.*

Caussæ vero propter quas nostram de Reprobatione quoque sententiam exposuimus, hæ sunt:

Quia

Digitized by Google

I.

Quia secundum tenorem literarum Citatoriarum, licuit nobis sententiam nostram proponere, quantum possumus, & necessarium iudicamus. Quod ut à nobis factum esse constet, libere quoque quid de Reprobatione sentiamus, exposuimus.

II.

Quia ad gloriam Dei non minus facit, ut recte de eius iustitia vindicatrice, quæ in Reprobatione declaratur sentiamus, loquamur, scribamus, quam de eius misericordia quæ in Electione manifestatur.

III.

Quia non minus utiles sunt & necessariæ comminationes, ad absterrendos hominum animos à peccatis, quæ à Reprobationis decreto efficacissimæ sumuntur, quam utiles & necessariæ sunt consolationes, quæ ab Electione desumuntur, præsertim corruptissimo hoc nostro sæculo, in quo quamplurimi doctrina gratiosæ Electionis, ad carnis licentiam & peccandi libertatem, suo exitio abutuntur.

IV.

Quia imperfecta & hiulca est tractatio Prædestinationis, omissa eius altera parte, Reprobatione.

V.

Quia scrupuli & difficultates, quæ Remonstrantes & eorum Ecclesias torquent, potissimum sunt circa Reprobationem.

VI.

Quia quotquot de Electione agunt Theologi, etiam ex opposito, de Reprobatione agunt; nec hic sententiam suam exponere gravati sunt Viri Clarissimi Iohannes Calvinus, Beza, Zanchius, Sturmius, Piscator, aliique quamplurimi.

VII.

Quia tractatus pleni horridarum & in Deum contumeliosarum assertionum circa Reprobationem, eiusque annexa in vulgus aliquot jam annis sparsi sunt, non sine bonorum offendiculo, & Reformatæ Religionis infamia.

Quod si ad hæc objiciatur, in Collatione Hagiensi aliter positam esse nostram sententiam. Respondemus. 1. Illum qui Haga-Comitis observatus fuit, disputandi modum, nobis iam non præscribere. Alius dies alias curas secum vehit, & discipulus prioris posterior dies. Quin & ingenue fatemur, plurima nos ex eo tempore, quo ad hoc argumentum, didicisse, ideoque ex præsentibus potissimum scriptis, non autem ex prioribus tantum, de nostra sententia iudicandum erit. 2. In Collatione Hagiensi libello supplice Illust. Hollandiæ & VVest-Frisiæ Ordinibus exhibito deprecati sunt Contra-Remonstrantes, ne de Reprobatione agerent. 3. Adsunt nunc nobis quamplurimi fratres Geldri, Vltraiectini, Transisulani, qui Collationi isti non interfuere, quibus iam prout ipsi necessarium indicabunt, sententiam suam efferre licet. 4. Tunc temporis non erat pronuncianda sententia de veritate aut falsitate Articulorum, uti nunc. Quare æquissimum est, vt plenaria concedatur Remonstrantibus sententiæ suæ propositio, explicatio, & defensio.

Si dicatur: nos Orthodoxam Ecclesiæ doctrinam traducere velle, ideoque huic periculum ingens imminere in ista agendi ratione. Respondemus. 1. Nos oppositam nostris Articulis sententiam habere pro heterodoxa. 2. Non agnoscere pro Ecclesiæ doctrina; sed plurimorum Doctorum placitis. .3 Nihil caussæ esse, cur periculum doctrinæ suæ imminere credant Contra-Remonstrantes, siquidem à partibus ipsorum stet veritas, quæ sibi ipsa sufficit adversus subdolas omnes & speciosissimas licet argumentandi rationes. 4. Hoc unice fere desideramus à Veneranda hac Synodo, num pro sua & Ecclesiæ doctrina agnoscat ea, quæ nostris Thesibus contradicunt, & nominatim illa, quæ de Creatione maximæ partis ho-

minum ad interitum, Reprobatione infantium ex fidelibus etiam parentibus progenitorum, necessitate lapsus, vocatione ex Dei voluntate inefficaci, peccatorum omnium inevitabili necessitate, voluntate Dei arcana & revelata, Dei ad peccati existentiam operationibus & decretis, impossibili fidelium etiam in horrenda scelera lapsorum à fide iustificante defectione, alijsque capitibus à multis Contra-Remonstrantibus, & eorum sententiæ addictis, tum in his nostris, tum in alijs regionibus asseruntur: à nobis vero in Articulis iam recitatis reiecta & improbata sunt.

Si quis dicat, Confessionem à nobis exigi sententiæ nostræ, eamque affirmative non negative enuntiandam esse. Respondemus. 1. A nobis non solum exigi sententiæ nostræ confessionem, sed etiam eius explicationem & defensionem: quæ citra reiectionem oppositæ sententiæ, recte institui non potest. 2. Nec hoc necessarium est, ut solummodo affirmativæ sint confessiones, cum etiam Ecclesiarum confessiones Catholicæ, Harmonia Confessionum, quin ipsa nostra Confessio Belgica, adversariorum sententias non raro reiiciant, & veras esse negent.

Agnoscimus cum Rev. D. Præside, Doctrinam Electionis esse suavem, & consolationis plenam; Reprobationis vero ingratam: sed arbitramur eas, quæ ex absoluta & inconditionata Electione eliciuntur, consolationes periculi plenas esse, & peccandi commeatum hominibus (si ex sua indole æstimentur) facere, & oppositam Reprobationis absolutæ doctrinam iure meritoque odiosam esse, quia desperationis plena est, & iustitiæ divinæ contraria. Neque id tantum agendum Ecclesiæ Pastoribus, ut peccatores solentur, verum hoc quoque studium ipsorum esse debet, ut sceleratos & improbos moneant, fugere à ventura illa Reprobationis ira. Habet Ecclesia visibilis filios Dei, habet & mancipia Sathanæ, licet professione filij Dei esse videantur. Vtraque hic doctrina opus, & filijs Dei hæreditas ab æterno Electione præordinata, annuntianda, & improbis pœna quoque ab æterno Reprobationis decreto præordinatæ, denuntiandæ sunt.

Quamobrem statum sententiæ nostræ iam exhibitum mutilari, imminui, mutari, truncari, ab alijs minime æquum foret. Ipsi nos optimi sumus sententiæ nostræ interpretes, ipsi novimus qua parte nos in salebroso & difficili hoc argumento calceus urat, quid animos nostros torqueat, quid Ecclesiis nostris offendiculo sit. Cumque libera hæc sit Synodus, & mens sit Illustr. Ordd. Generalium, ut quam possumus plenissime, apertissime, sententiam nostram explicemus, concedi hoc nobis debere, iure arbitramur, parati, si res exigat, plura adhuc addere, & plenius mentem exponere, si quid aut non satis aperte, aut non plene satis à nobis propositum fuisse credatur. Potissimum vero, quod nos in toto hoc argumento quam maxime angit & anxie habet, sunt quam plurima in gloriam Dei iniuria, & pietati noxia multorum Contra-Remonstrantium de Reprobatione eique annexis dogmata; quæ ab ipsis Reformationis initijs, turbas non leves Ecclesiis nostris dederunt. In his ut nobis & Ecclesiis nostris satisfiat, à Vestris Rever. per sacrosanctum Iesu Christi nomen petimus. Vident facile Rever. Vestræ, quæstiones & controversias præsentes non esse de segmentis unguium, aut levioris momenti rebus; sed de ijs Theologiæ practicæ capitibus, quæ gloriam Dei quam maxime illustrant, & pietatis studia promovent, si de ijs recte sentiatur: aut contra gloriæ Dei quam maxime derogant, & pietatis cursum remorantur, si de ijs male sentiatur. Est autem Evangelici Doctoris officium, ea sectari ante omnia, quæ ad veritatem, quæ quidem secundum pietatem est, faciunt. ea vero è Christianorum Scholis & Ecclesiis exterminare dogmata, quæ impietati fomenta & alimenta sufficere & subministrare posse creduntur. Si silentio illa dogmata præteribit Veneranda Synodus, indicabimus & indicabunt Ecclesiæ nostræ, à Vestris Rever. ea tacito consensu probari. Si probentur, muneris nostri erit, concreditum nobis gregem Iesu Christi sedulo monere, ab istiusmodi ut sibi dogmatibus serio caveat. Si (quod speramus) publica Synodi voce improbabuntur, Deo Opt. Max. gratias agemus, quod Ecclesiam suam ab istiusmodi Zizanijs & erroribus purgare aggressus fuerit.

His omnes & singuli
subscripserunt.

Statutum quoque fuit, ut hoc scriptum post meridiem describeretur, quo accuratius expendi atque examinari posset.

Quia

Digitized by Google

Quia autem in scripto Citati quoque referebant, primum Articulum suum in Collatione Hagiensi à Contra-Remonstrantibus, prout jacet, admissum fuisse, eosq; in eadem Collatione exhibito Illustr. Hollandiæ & West-Frisiæ Ordinibus libello supplice, deprecatos esse, ne de Reprobatione agere cogerentur; Scriba Festus Hommius, qui Collationi isti interfuit, paucis exposuit, quam non bona fide hęc de illis dicerentur. Concessisse quidem Collocutores Contra-Remonstrantes hanc sententiam quæ primo Remonstrantium articulo exprimitur, nimirum, Deum decrevisse fideles perseverantes salvos facere, cum verbo Dei non pugnare, sed quia eam loco doctrinæ de Electione divina posuissent, docuissentque eam nihil aliud esse, quam generale illud Dei decretum, quo Deus statuit velle salvos facere fideles perseverantes; hanc doctrinam eos oppugnasse, atque ostendisse, illam cum Verbo Dei pugnare: sed nec libello supplice fuisse deprecatos, ne de Reprobatione ageretur. Cæterum, quia Remonstrantes subdole in ipso Collationis initio, septem quæstionibus spinosis, ac minime necessarijs, non tantum ad Reprobrationis, sed Electionis quoque doctrinam spectantibus, à recto agendi ordine Contra-Remonstrantes in ambages abducere conarentur, Contra-Remonstrantes libello supplice apud Illust. DD. Ordines de tam iniqua agendi ratione conquestos fuisse, atque ut Remonstrantibus mandaretur, ne extra justam agendi rationem jam inchoatam evagarentur, petijsse. De Reprobatione autem Contra-Remonstrantes, quantum ad ædificationem satis erat, sententiam suam clare ibidem explicasse, uti scriptorum editorum fide probari potest. Idem etiam Reverendus & Doctissimus Vir, D. Iohannes Becius, qui & ipse huic interfuerat Collationi, suo præsens comprobabat testimonio. Quia autem Remonstrantibus per Citatorias injunctum fuerat, ut considerationes suas de doctrina tam in Confessione, quam in Catechesi harum Ecclesiarum comprehensa, scripto consignatas Synodo exhiberent, nec dubium esse posset, quin eas aut paratas haberent, aut quam primum parare eas possent, postulatum fuit, ut easdem proximo die scripto exhiberent. Responderunt hanc postulationem præter omnem expectationem eis evenire: intellexisse ex literis Citatorijs has aliquando sibi esse exhibendas, sed existimasse quinque Articulos jam exhibitos prius fuisse explicandos, defendendos atque à Synodo dijudicandos, ac tum demum has considerationes proponendas esse. Aliud se ex Citatorijs intelligere non potuisse, ac propterea Considerationes illas non parasse, neq; tempore tam brevi parare posse: petere itaque ut Synodo placeret, eo, quo cœptum erat pede, progredi; utq; harum Considerationum exhibitio, post absolutam quinque Articulorum tractationem differretur. Responsum illis fuit: Institutum agendi ordinem nihilominus servandum esse, neque de illis Considerationibus, nisi post pertractatam quinque Articulorum controversiam agendum esse: postulare pręterea Synodum, ut eas primo quoque tempore pararent ac traderent, si forte illustrationi sententiæ ipsorum servire possent. Debuisse illos jam paratos esse, cum ante decennium, præsertim à Synodis particularibus harum exhibitio illis imperata esset, & nupertime Hollandis Australibus ab Illust. DD. Ordinibus Hollandiæ & West-Frisiæ injunctum, ut easdem Synodo Delphensi exhiberent. Et quia ante multos annos, eas ipsas ijsdem Illust. Ordinibus Hollandiæ & West-Frisiæ obsignatis literis transmisissent, sylvamque earundem se paratam nuper habere professi essent, subjecerunt, se ea de re nondum inter se contulisse, neque omnes easdem habere Considerationes. Paratam quidem nonnullos earum rerum sylvam aliquam habere, sed Belgice conscriptam, neque hactenus digestam. De sua ex ijs sententia iudicari non posse. Quia eas non pro sententijs suis, sed pro animadversionibus tantum consideratione dignis haberent: nullas autem se habere considerationes; quas habere pro sententijs suis vellent. Et quidem quas DD. Illust. Ordinibus olim transmisissent, in multis nunc mutatas esse, quia *dies diem doceret*. Deinde viritim singulos rogavit Præses, utrum aliquas haberent Considerationes. Responderunt, Henricus Leo & Bernerus Vezekius, nullas se habere. Henricus Hollingerus, de Considerationibus se non cogitasse. Vbi suas Hollandi proposuissent, se quoque de ijs dispecturum: hoc quidem tempore vix unam habere. Zuyt-Hollandi, se habere suas, quas nondum digessissent. Noort-Hollandi, se eo fine Confessionem & Catechesin non legisse, ut Considerationes aliquas in eam annotarent: putare tamen esse in illis quædam consideratione digna: seque ea, modo sibi aliquod concederetur temporis spatium, consignare posse.

 Sapma,

Sapma, se vidisse quasdam animadversiones in sylva illa annotatas, quas existimaret esse consideratione dignas. Goswinus, occurrisse sibi quædam in Catechesin explicanti, quæ consideratione digna esse judicaret: ea autem non habere consignata. Assuerus Matthisius, se non habere quod addat ad dicta collegæ sui Goswini. Carolus Niellius, se non explicare Catechesin Palatinam, sed Genevensem: in ea nihil se observasse quod magni esset ponderis. Habere se nonnulla quæ in Confessione Ecclesiarum nostrarum observasset: ea vero se cum nemine communicasse: spectare autem ea ordinem doctrinæ potius, quam dogmata Catholica. Ultrajectini Remonstrantes responderunt: se tantum in causa quinque Articulorum sese Remonstrantibus adjunxisse: si quæ præterea haberent, se ea tanquam gravamina postea exhibituros esse. Mandatum illis denique fuit, quia corpus, ut loquuntur, non constituerent, ut singuli seorsim suas quas haberent considerationes, Synodo exhiberent: qui multas haberent, multas, qui paucas, paucas, qui nullas, nullas. idque intra spatium quatridui. Responderunt, se non refragari quin hoc fieret. Posse tamen fieri, vt omnes inter se convenirent, visisque aliorum alij considerationibus, eas esse dignas examine judicarent, atque in eo casu posse eas conjungi. Responsum fuit, licere quidem hoc ipsum, modo ne alius alium inductionibus pravis in partes suas pertrahere conaretur.

SESS. XXXV.

Sessione Trigesima-quinta,

XVIII. *Decembris, Die Martis ante meridiem.*

PRopositum fuit, advenisse Reformatæ Ecclesiæ Campensis Deputatos, qui nonnulla Synodo haberent proponenda: eosque petere, ut quamprimum audiri possent. Atque in hunc finem literas commendatitias ab Illustriss. Principe Arausicano attulisse. Placuit sequenti die audiendos esse. Atque examinata fuerunt Acta Sessionum aliquot præcedentium.

SESS. XXXVI.

Sessione Trigesima-sexta,

XIX. *Decembris, Die Mercurij ante meridiem.*

COmparuerunt Deputati Ecclesiæ Reformatæ Campensis, quibus ab eadem Ecclesia adjunctus erat Reverendus Vir D. Iohannes Acronius, S. Theologiæ in Academia Franekerana Professor, & Ecclesiæ Campensi ad tempus in Ministerio verbi inserviens. qui scripto duodecim accusationum capita adversus Eduardum Vosculium, Thomam Goswinum, Assuerum Matthisium, & Iohannem Schotlerum, Ecclesiæ Campensis Pastores, proposuerunt: simulque, quanto in periculo ea quæ in recepta doctrina ibidem persisteret Ecclesia, versaretur. Ei scilicet comminationibus partis adversæ quotidie metum incuti, ne ex Templo atque adeo ex Urbe ejiceretur. Quare & obnixe à Synodo petierunt, ut Ecclesiæ huic laboranti quam primum succurri, eiusdemque querelis remedium adhiberi posset.

Deputati Transisulani Synodo exposuerunt, supradictos Ecclesiæ Campensis Pastores, in sua quoque Synodo fuisse accusatos. neque eorum causam ibidem plene dijudicatam fuisse: eosque nondum à reatu absolutos ad hanc Synodum Nationalem provocasse, uti ex ijsdem Actis, quæ prælecta sunt, constaret.

Re deliberata, tametsi causa hæc ad Personalia potissimum spectare videretur, quæ demum absolutis doctrinalibus pertractanda essent, quia tamen Ecclesia Reformata in evidenti periculo versari videretur, & Pastores dicti, de multis etiam doctrinæ capitibus accusati essent; statutum fuit, ut reliqui duo Pastores, Vosculius & Schot-

Digitized by Google

& Schotlerus, qui inter Citatos non comparerent, quamprimum ad Synodum citarentur. Citationis autem tempus ex sententia Illustr. DD. Delegatorum, iudicio & prudentiæ Præsidis & Assessorum permissum fuit, ut explorato penitus Ecclesiæ illius statu, illud maturarent aut differrent, prout illis necessarium videretur.

Cæterum, ut illius laborantis Ecclesiæ periculo obviam iretur, placuit Amplissimum eius Urbis Magistratum Synodi nomine per literas rogandum esse, ut Ecclesiam jam dictam adversus omnem vim atque omnes injurias auctoritate sua protegere dignaretur: simulque imperare duobus illis Pastoribus, ne in posterum plebem adversus Ecclesiam jam dictam invectivis aut tribunitijs concionibus incitarent; sed pacifice & modeste se in ijs gererent. Illustres Delegati rogati à Synodo, suas quoque literas ad Amplissimum Magistratum Campensem, eundem in finem addiderunt.

Quia autem eo tempore Festum Natalis D. N. Iesu Christi instabat, propter cujus celebrationem actiones Synodi per aliquot jam dies interrumpendæ essent, Delegati Exteros Theologos rogarunt, ac Provinciales monuerunt, ut in Urbe omnes propter incertam aëris hyberni tempestatem sese continerent. Quo statim post Festum ad Synodicas singuli actiones redirent. Addidit Præses, Reverendos Seniores à Frisica Synodo Deputatos, gravi de caussa publico nomine domum esse revocatos, ideoque fore necessariam illorum per tempus aliquod absentiam. Quæ & à Synodo concessa ipsis fuit: monitique sunt, ut quam posset fieri citissime, de reditu cogitarent.

Sessione Trigesima-septima,

SESS. XXXVII.

XX. *Decembris, Die Jovis ante meridiem.*

COmparuit atque in Synodum solemniter introductus fuit Clarissimus Vir D. Gualtherus Balcanquallus, S. Theologiæ Baccalaureus, aulæ Pembrochianæ in Academia Cantabrigiensi Socius, à Serenissimo ac Potentissimo Magnæ Britanniæ Rege Iacobo I. Ecclesiarum Scoticarum nomine ad Synodum Deputatus, qui significavit, se Illustr. DD. Ordinibus Generalibus in ipsorum consessu exposuisse caussas, quare à Serenissimo Magnæ Britanniæ Rege, neque citius, neque plures nomine Ecclesiarum Scoticarum ad Synodum essent missi. Scoticas Ecclesias causæ Ecclesiarum Belgicarum semper favisse, semperque pro earundem salute atque incolumitate cum bello premerentur, publicas preces, posteaque cum dissensionibus turbarentur, privata vota conjunxisse. In ijsdem animis semper perstituras, seque ipsarum nomine in hoc conventu ad Ecclesiarum Belgicarum pacem, consilia sua omnia pro virili directurum. Ac deinde juramentum præstitit Synodicum.

Monitum à Præside fuit, quia plura essent dogmata, quam quinque Remonstrantium Articuli, quæ cum recepta Ecclesiarum nostrarum doctrina pugnarent, de quibus inde agendum esset, ut singularum Synodorum Deputati, in tempore omnia gravamina, si quæ haberent, dogmatica, pararent, eaque scripto comprehensa Præsidi exhiberent, ut eorum quorum maxime necessaria videretur pertractatio, postea delectus fieret.

Rogati præterea sunt singuli, ut si quid in Thesibus Remonstrantium exhibitis forte observassent, quod non satis plene aut perspicue expositum esset, scripto id comprehensum Præsidi exhiberetur. Quod & à quibusdam est factum.

Quia vero Remonstrantes, aliquoties verba illa Citatoriarum Synodi, quibus jubebantur, ut sententiam suam proponerent, explicarent, ac defenderent, quantum possent, & necessariũ judicarent; prout ita interpretati erant, quasi in ijs concessa esset ipsis libertas ad eum modum sententiam suam explicandi & proponendi, ipsi necessarium judicarent, atq; huic interpretationi iniquas superstruerent exceptiones; rogata fuit Synodus, ut mentem de hisce verbis suam explicaret, ne, cum ad rem esset ventũ,

Præses à Synodi sententia aberraret, aut Citati justæ libertatis terminos egrederentur, vel exceptionibus iniquis subterfugia quærerent. Illustr. Delegati sententiam rogati, responderunt, intelligere se comma illud, quantum necessarium judicabunt, non ad propositionem & explicationem sententiæ; sed tantum ad eiusdem defensionem referendum esse, idque clare perspici in Citatorijs, quæ ab ipsis ad Citatos essent datæ. In quibus diserte erat scriptum, ut sententiam suam proponant, explicent, & quantum necessarium judicabunt, defendant: adeo, ut ex ijs manifestum sit, illud comma, ad defensionem solam referri: neque posse, nisi quis cavillari velit, ad propositionem atque explicationem trahi. Quæ non debeat ipsorum judicio aut arbitrio permitti, sed ad eum modum ab ipsis institui, quem Synodus necessarium judicaret. Tota quoque Synodus, consentientibus suffragijs declaravit, hanc suam esse sententiam. Quare visum fuit, hanc verborum Synodi in alienum sensum detorsionem, Remonstrantibus esse indicandam: eosque serio monendos, ut ab eiusmodi cavillis in posterum abstinerent, neque eiusmodi subterfugia deinceps quærerent; sed ut se ad sententiam suam plene dilucideque proponendam pararent: non quantum ipsis, sed quantum Synodo ad plenam eiusdem cognitionem justumque examen, sufficere & necessarium videretur. Monitum deinde fuit, quia Citati in exhibitis scriptis quam plurimas narrationes, criminationes, & excusationes interseruissent, de quarũ fide Synodo toti ac præsertim exteris Theologis non constaret, annon operæ esset pretiũ, plenius de hisce rebus erudiri Synodum: placuitq; ut singularũ Synodorum Delegati, inprimis Geldriæ Australis, & Borealis Hollandiæ, ditionis Ultrajectinæ & Transisulaniæ, in quibus potissimum res istæ cum Remonstrantibus essent gestæ, brevem, fidelem, & accuratam de ortu & progressu harum Controversiarum & Contentionum, quæ in singulis acciderunt Provincijs, narrationem historicam conscriberent, Synodoque exhiberent. Quod se facturos esse, quantum per occupationes liceret, in se receperunt.

SESS. XXXVIII.

Sessione Trigesima-octava,

XXI. *Decembris, Die Veneris ante meridiem.*

Remonstrantes scripto considerationes suas in Confessionem Ecclesiarum Belgicarum exhibuerunt, excusaruntque se, quod per temporis angustiam, quas in Catechesin haberent, parare & simul tradere non potuissent. Subsignatæ erant à Citatis ex Hollandia Australi, M. Simone Episcopio, Eduardo Poppio, Ioanne Corvino, & Bernardo Dvinglonio. Reliqui quoque subsignatione declarabant, sese visis hisce fratrum Symmystarum Hollandiæ Australis, quantumque per temporis angustiam licuisset, examinatis atque expensis, considerationibus, dignas judicasse, ad quas in recensione Confessionis in Synodo Nationali aliquando instituenda, serio attenderetur.

Prælecta fuit Præfatio quam his Considerationibus præfixerant, in qua declarabant, qua occasione illæ observatæ atque Illustr. DD. Ordinibus Hollandiæ ac West-Frisiæ literis obsignatis transmissæ olim fuissent. Inter cætera autem, multis de Confessionis atque Catecheseos recensione disserebant. Sed & testabantur in ijs ipsis, nullum se Catholicum dogma in dubium vocare, neque quidquam in ijs definire, exceptis ijs, quæ in alijs ipsorum scriptis definita essent. Considerationes in Catechesin, dicebant harum numerum excedere. Eas autem se præ temporis angustia non potuisse parare; sed quam primum exhibituros. De Catecheseos ac Confessionis recensione, itemque de occasione, qua Considerationes istæ, ut vocari ab ijs solent, postulatæ olim fuerant à Remonstrantibus, fuse disseruit Festus Hommius, qui & probavit, plurima illa præfatione haud bona fide narrari, longeq; aliam, cur & postulatæ essent & exhibitæ, fuisse rationem. Quapropter denuo monitum fuit, ut fidelis harum controversiarum narratio Historica quamprimũ conscriberetur, Synodoq; exhiberetur.

Quæsitum porro fuit, num à Remonstrantibus ista considerationum exhibitione, Synodi decreto satisfactum esset. Illustres Delegati, de hac exhibitione, quin & de interpretatione illa verborum, quæ in Citatorijs extarent à Remonstrantibus detorta, sententiam suam hoc publico Decreto explicarunt.

Cum

Digitized by Google

Cum citatis atque publica autoritate advocatis fratribus Remonstrantibus, ab Illustrium ac Præpotentum DD. Ordinum Delegatis, injunctum, imperatum, ac mandatum sit nuper, Primo, vt considerationes super Catechesi & Confessione suas, intra diem quartum exhiberent, (quam quidem tempestatem ipsi sufficere tum judicabant) cum præterea serio graviterque sint moniti, singuli vt exhiberent suas: quanquam inter eos essent, qui habere nullas sese testarentur: nunc autem præter promissum, & bonorum ac piorum expectationem, suas tantum ad Confessionem exhibuerint, non etiam ad Catechesin, iisque omnes pariter, etiam qui nullas se habere fuerant testati, subscripserint; ea in re cum sine dubio ipsi intelligant, sese nec promissis suis, nec eorum, qui supremum in hoc loco repræsentant Magistratum, dignitati atque autoritati fecisse satis: mandant, coram toto hoc conventu tam illustri, tam venerando, injungunt, præscribunt atque imperant, Illustrium ac Præpotentum DD. Ordinum Delegati, vt in posterum majorem sui, maximam illorum rationem habeant, quos suprema potestate armavit Deus immortalis: quique contemptum suum, vt meretur, vindicare & possunt, &, judicio omnium, tam sæpe provocati, debent. Cumque præterea iterum, in scripto hodie exhibito, Nobiliss. ac Generosi Delegati observarint, eos more suo ad mandatum DD. Ordinum atque ad Citatoriarum verba literarum provocare; monitos eos pro autoritate sua volunt, vt in posterum id genus cavillationibus & dictarum formularum interpretationibus abstineant. Cum hoc minime ipsis, sed Illustribus ac Præpotentibus Ordinibus, Dominis suis, eorumque competat Delegatis. Quare jubent, dicti Delegati, atque imperant, vt quas olim iidem Reverendi Fratres Remonstrantes DD. Ordinibus Hollandiæ, super Catechesi exhibuerunt considerationes, eas nunc iterum, cum aliis, si preterea quas habent, coram toto hoc venerando conventu, & quidem singuli, die Jovis proximo, tanquam coram facie ipsius Dei examinandas, atque excutiendas proponant. Præterea, quod toties jam monitum, vt considerationes tradant suas: cum præsertim Amplissimi Delegati, extra Reformatam Ecclesiam, nullum inter illos, nullum alibi corpus Ecclesiæ agnoscant.

Tota quoque Synodus judicavit, mandatis Illustrium atque Nobilissimorum Delegatorum, ipsiusque Synodi, à Remonstrantibus non esse satisfactum, atque hac de causa serio esse admonendos, iisque injungendum, vt ad constitutum ab Illust. DD. Delegatis diem, considerationes singuli super Catechesi suas, earumque rationes, scripto exhiberent. Fuit & Citatis prælectum Delegatorum Decretum, significatumque, idem illis & à Synodo injungi. Responderunt, dolere sibi ex animo, cum officium prestarent, seque satisfecisse arbitrarentur, accusari nihilominus inobedientiæ. Non potuisse plura per temporis angustiam parare. Caussam, cur singuli non exhibuerint suas, hanc esse, quod ante quatuor septimanas, Zuyt-Hollandi, ad mandatum Ordinum Hollandiæ, suas consignassent, reliquos autem visis illis, judicasse, eas esse consideratione dignas: non enim habendas esse pro Thesibus aut Conclusionibus; sed tantum pro animadversionibus consideratione dignis. Præses rogavit, quandoquidem jam toties negassent, eas se paratas habere, quomodo nunc dicant, sese eas ante septimanas quatuor ad mandatum Ordinum Hollandiæ parasse? Responderunt, Eas se tunc temporis rudi tantum Minerva parasse, & in chartas conjecisse.

Rogati sunt, qui ex Zuyt-Hollandia citati erant, an hæ traditæ considerationes eædem illæ essent, quas ante annos aliquot obsignatas Illustr. DD. Hollandiæ ac West-Frisiæ Ordinibus tradidissent: M. Episcopius respondit: se ad Illustr. Ordines nullas misisse, cum isto tempore nondum ad Ministerium vocatus esset. Poppius, se quidē eo tempore quasdam concepisse, quas tamen non misisset: omnes autem

quas tunc conceperat, hisce jam traditis contineri. Iohannes Arnoldi Corvinus, paucas se consignatas misisse, easque omnes & plures hisce exhibitis esse insertas. Bernardus Dvvinglonius, se quoque ante annos aliquot quasdam consignasse, & Illustrib. Ordinibus misisse: cæterum quia tunc temporis eo non valeret judicio, quo nunc valeret, plerasque postea delevisse: quod non viderentur ipsi dignæ quæ exhiberentur. Isaacus Frederici, qui eo tempore etiam in Hollandia Australi ministerio fungebatur, respondit, se quoque paucas misisse, inter eas autem nullas fuisse, quæ non istis essent comprehensæ. Etiam rogatis, cui eas, quas transmiserant, tradidissent; respondit Iohannes Arnoldi, sibi hoc excidisse, cæterum arbitrari, ad Collegium Illustr. D D. Deputatorum se misisse. Amplissimus D. Musius, Prætor Dordrechtanus, declaravit, Collegium illud nullas ejusmodi Considerationes unquam accepisse. Dvvinglonius respondit, se illas obsignatas in ædibus Iohannis Utenbogardi reliquisse: ut per illum Illustr. D D. Ordinibus traderentur. Idem quoque se fecisse dixit Isaacus Frederici, seque nescire cui illas tradidisset.

Quæsitum præterea ex ijs fuit, cum plerique in Synodo ante paucos dies professi essent, nullas se habere Considerationes, unde tam multæ ita subito in mentem illis venissent? Responderunt, se visis Zuyt-Hollandorum Considerationibus, & quantum per temporis angustiam licuisset examinatis, judicasse eas accuratiore examine dignas esse.

Rogati præterea, utrum hæ ita ipsorum essent, ut scrupulum illis moverent, (si enim nullos ipsis moverent scrupulos, non videri necessarium, ut ijs expendendis Synodus detineretur:) Responderunt Zuyt-Hollandi, movere quidem ipsis scrupulos aliquos, non tamen ita ut propterea ipsorum fluctuaret fides: verum ita, ut existimarent accuratiore dignas esse consideratione, petebantque, vt hi ipsi scrupuli sibi à Synodo eximerentur. Henricus Leo respondit, nullas se habere, quas prodire à se vellet, neque has velle haberi pro suis; sed censere dignas tantum quæ examinarentur. Idem respondit Bernerus Vezekius. Henricus Hollingerus respondit, se tantum unicam habere quæ sua sit: quam & scripto tradidisset: reliquas tamen existimare consideratione dignas. Quæstionem illam, utrum sibi scrupulum moverent, magni momenti esse: ad eam non posse ex tempore à se responderi. Neque de eadem exacte cogitasse. Si ad eam respondendum sit, tempus se deliberandi postulare. Philippus Pynakerus, se Confessionem eo fine nunquam legisse, ut ullas in eam considerationes annotaret: cæterum quæ scripto consignatæ essent, eas se legisse: neque tales sibi movisse dubitationes, vt propterea Synodi judicium expetere vellet. Non enim suos esse eos scrupulos. Dominicus Sapma, nec se quidem eo fine Confessionem legisse: Visas quidem sibi consignatas examen mereri, nondum tamen sibi scrupulum hærere. Niellius, habere se suas, etsi non quoad dogmata Catholica: exhibitas non omnes esse ipsius, sed plerasque. Isaacus Frederici & Samuel Næranus, se sententiam suam in earum subsignatione dixisse. In quibusdam sibi scrupulum hærere, non tamen in omnibus. Ubi autem hæreat, suo loco indicaturos. Thomas Gosvvinus, expendisse se exhibitas, quantum per angustiam temporis licuisset, seque judicare, attentione accurata dignas esse. Neque tamen penitius inspexisse. Forte enim & sibi scrupulum moveri posse. Assuerus Matthisius, antehac non fuisse sibi scrupulum motum, sed perlectis nunc exhibitis, in quibusdam moveri.

Denique rogati sunt, an præter hasce nunc exhibitas, alias præterea in Confessionem haberent. Plerique responderunt, se ingenue fateri, alias se non habere: alij, nunc sibi alias non occurrere.

Visum ergo fuit, ut quæ jam exhibitæ ab illis essent, describerentur. Quo accuratius à singulis expendi possent.

Digitized by Google

Seſsione Trigeſima-nona,

Sess. XXXIX.

XXVIII. *Decembris, Die Iovis ante meridiem.*

HAc Seſſione Remonſtrantes, ſuas, ut vocabant, in Catechesin harum Eccleſiarum Conſiderationes exhibuerunt: conjunctim quidem ab Epiſcopio, Poppio, Corvino, Duinglonio, Pynackero, Sapma, Nærano, & Hollingero ſubſignatas: ſeorſim vero ſuas tradiderunt ſinguli, Niellius, Goſvvinus, Matthiſius, & Iſaacus Frederici. Ryckvvaert & Vezekius, nullas ſe, quas exhiberent, habere profitebantur.

Rogati ſunt, an hæ quoque eædem eſſent, quas jam olim Illuſtribus Hollandiæ & VVeſt-Friſiæ Ordinibus exhibuiſſent: tum, an præter haſce alias haberent. Reſponderunt, has eaſdem eſſe illas, quas olim Illuſtr. D D. Ordinibus tradidiſſent, quantum meminiſſe poterant: etſi jam multo plures eſſent additæ; ſeque alias præter haſce nullas habere.

Theologi Palatini declararunt, ſeſe à Sereniſſimo Electore Palatino, in mandatis habere, ut ſi quid forte adverſus Catechesin Palatinam adferretur, diligenter caverent, ne in præjudicium Eccleſiarum Palatinarum quidquam ſtatueretur. Quare, petere ſe, ut Conſiderationes iſtæ ſibi traderentur: ut examinatis ijs, reſponſum ad eas pararent, quod deinde Synodi judicio permitterent. Promiſſumque ipſis fuit, nihil in ipſorum præjudicium actum iri.

Quandoquidem traditis jam Conſiderationibus omnibus, ad ipſam porro quinque Articulorum pertractationem atque examen eſſet veniendum, cumque Remonſtrantes in Theſibus exhibitis, ſententiam ſuam nondum ſatis plene ac plane propoſuiſſe viderentur, moniti ac rogati ſunt, mentem ut ſuam ad interrogata quædam Synodi rotundius & plenius explicarent. Reſponderunt, hunc agendi modum nec probare ſe nec ſequi poſſe. Et quia Citatorijs permiſſum ipſis erat, ut ſententiam ſuam proponerent, explicarent, & defenderent, quantum ipſi neceſſarium judicarent, ſe in cauſæ ſuæ defenſione uti hac libertate velle, eamque ita proponere atque explicare, prout ipſi neceſſarium judicarent. Declaratum ipſis fuit, de hac Citatoriarum interpretatione, quam & ante adhibuiſſent, rogatam fuiſſe Synodum, eamque declaraſſe, libertatem illam tantum ad defenſionem ſententiæ in Citatoriis extendi; non autem ad declarationem & propoſitionem ſententiæ eſſe detorquendam. Ideoque modum declarationis, Synodi arbitrio & judicio eſſe relinquendum. Atque ita declarationem eſſe inſtituendam, non quantum ipſis; ſed quantum Synodo ad ſententiæ ipſorum plenam cognitionem juſtumque examen ſufficere ac neceſſarium eſſe videretur.

Ad hæc reſponderunt, ſe ita ſemper Citatorias intellexiſſe, uti eas ſunt interpretati: ſeque eo animo atque ea ſpe acceſſiſſe, ut eo modo ageretur, utque ea libertate fruerentur. Cauſam ſuam hunc agendi modum poſtulare: niſi eam vellent prodere, agere aliter non poſſe: neceſſe eſſe ut primo loco in omnibus Articulis atque argumentis de Reprobatione ageretur: cum in illo Articulo præcipuus totius controverſiæ cardo verſaretur; circa illum præcipui hæterent ſcopuli, atque ex illo præcipuæ exortæ eſſent contentiones. Quare, non poſſe ſe ab animo impetrare, ut alium agendi ſequerentur modum, præter illum, quem ad defenſionem cauſæ ſuæ ipſi commodiſſimum eſſe judicarent. In agendi modo, omne cauſæ ſuæ præſidium eſſe poſitum: ac proinde malle ſe ab actione Synodica deſiſtere atque urbe cedere, niſi ipſis debita in antecessum concederetur ac permitteretur agendi libertas, prout ipſi cauſſæ ſuæ conducere, & neceſſarium eſſe judicarent.

Delegati monuerunt, ut mandatis Synodi obtemperarent, meliuſque, quid ab animo ſuo impetrare poſſent, expenderent. Se enim operam daturos, ut autoritas Synodi & Illuſtriſſimorum D. D. Ordinum Generalium, quorum

quorum locum hic tenerent, sarta atque tecta contra ipsorum exceptiones atque tergiversationes maneret. Rogata fuit, de eadem Remonstrantium tergiversatione, Synodi sententia, reque diligenter expensa, quo ipsis, quantum fieri posset, in hac re obviam iretur, atque omnis conquerendi ansa praecideretur, statutum fuit hunc in modum:

Quoniam Remonstrantes aliquoties professi sunt, se per conscientiam in Synodo subsistere ulterius non posse, nisi prius caveatur ipsis, fore ut de Electione & Reprobatione ea ratione, quam in Thesibus & scriptis suis hactenus exhibitis proposuerunt, in posterum agatur: Synodus, quo magis ipsis fiat satis, publice ac coram omnibus declarat, statuisse sese ac statuere, sententiam ipsorum, non de Electione modo, verum etiam de Reprobatione, expendere atque examinare. Quantum, nempe, in conscientia, ad Dei gloriam, aedificationem & tranquillitatem Ecclesiae, omniumque conscientiarum, posse ac debere satis esse, ipsa judicaret. Ad agendi vero modum, qui hic est servandus, & ordinem quod attinet, suum esse de eo dispicere, non autem Fratrum Remonstrantium qui huc sunt Citati, quicquam praescribere existimat. Eosdemque frustra conscientiam obtendere, cum nihil quod cum verbo Dei pugnet, vel à Delegatis, vel à Synodo, ijs hactenus injunctum sit, atque hic de re agatur, quae non conscientias, sed methodum agendi atque modum spectat. Ideoque, si quam debent, conscientiae habere rationem velint, optime facturos si aequissimis summarum Potestatum imperijs judicioque Synodi, qua par est sese reverentia submittant.

Decretum hoc Synodi Remonstrantibus praelectum fuit, rogatique sunt, utrum ei vellent acquiescere. Responderunt, se per conscientiam non posse. Cumque monerentur, ut de tota re maturius deliberarent, eique rei tempus deliberandi offerretur, illi ulteriore sibi deliberatione opus esse negarunt.

Statutum sibi satis ac deliberatum, istum agendi modum non sequi. Delegati monuerunt serio, ut sub contumaciae, atque, ut loquuntur, arbitrariae Politicae correctionis poena, obloqui cessarent, Decretoque Synodi acquiescerent. Illi nihilominus in proposito persistebant, eodemque modo respondebant, se per conscientiam Synodi Decreto, atque his Delegatorum mandatis, obtemperare non posse.

SESS. XL.

Sessione Quadragesima,

XXIIX. *Decembris, Die Veneris ante meridiem.*

INdicatum fuit à Praeside, Remonstrantes ea ipsa hora curasse scriptum satis prolixum deferri, rogatumque fuit, utrum esset praelegendum. Placuit Illustribus Delegatis, nondum praelegi, sed ut prius sese sisterent Citati. Quibus, ubi jam comparuissent, hoc Decretum suum praelegi mandarunt.

Illustrium ac Praepotentum Ordinum Delegati, post jam toties & suam, & Venerandae huius Synodi interpositam autoritatem, postque tot Decreta hoc in loco promulgata, quae contempta, insuperque à Citatis habita, aegerrime, pro eo ac debent, ferunt, denuo ijsdem imperandum serio existimarunt,

Digitized by Google

marunt, ac jam imperant, ne quis posthac simili temeritate ijs sese opponere audeat, sed præscripto Synodi iam ante prælecto, quod vim plenam, sicut æquum est, ac robur suum obtinere volunt, prompte & sine detrectatione pareat: neque idem illud, vel silentio vel discessu suo infirmare audeat; sub pœna contumaciæ, aliaque arbitraria, etiam Politica, adversus delinquentes statuenda.

Rogati sunt, an tandem Delegatorum Decreto morem gesturi essent. Responderunt, mentem suam sese in scripto Præsidi tradito exposuisse, ac propterea rogare, vt hoc legeretur. Delegati denuo mandarunt, ne ulterius jam moras nectèrent; sed ad rem venirent, candideque responderent. idque his verbis:

Generosi ac Nobiles Illustrium ac Præpotent. D D. Ordinum Delegati, pro autoritate summa, qua hic pollent, vetant denuo atque interdicunt, ne quid hoc in loco prælegatur, quod hesterno postremoque Synodico Decreto ulla ratione adversetur, vel autoritati eius detrahat: quemadmodum & pro eadem mandant, iubent Remonstrantibus Citatis atque indicunt, ne silentio aut discessu, quem prætendunt, suo, venerando atque augusto huic Conventui, moram in posterum injiciant, sed in rem præsentem protinus se sistant atque ad interrogata candide ac sincere respondeant.

M. Episcopius respondit, ut hesterno die declararant, sic & eo die declarare, se per conscientiam parere non posse: nisi plena sibi libertas permitteretur, eo modo causam suam proponendi, explicandi, & defendendi, prout ipsi necessarium judicarent. Declaratum fuit, æquam, justam, atque Christianam libertatem ipsis plenarie concedi. verum absolutam, & quæ nullis circumscripta esset Synodi legibus, concedi ipsis neque posse neque æquum esse. Conscientiam huic inobedientiæ frustra obtendi, cum præsertim nihil imponeretur ipsis quod cum Verbo Dei pugnaret, cumque ea res tantum esset ordinis, ideoque per se media. Haud levem Delegatis totique Synodo fieri injuriam, quoties æquissimis illorum Decretis, conscientias suas opponerent: quasi aliquid iniqui, aut divino Verbo contrarium, ea continerent.

Ut autem postpositis tergiversationibus, ad rem tandem ipsam aliquando veniretur, rogati sunt, utrum Articulos à Remonstrantibus propositos ac defensos, pro suis agnoscerent, jussique ut singuli viritim responderent. Episcopius respondit, non posse se decreto acquiescere, quo juberentur ad ejusmodi quæsita respondere: æquum esse, quam postularint, concedi sibi libertatem: Citatos esse, ut causam communem defenderent: petere itaque, concedi sibi libertatem in omnibus argumentis & articulis, ita eam proponendi explicandi & defendendi, non vt Synodus, sed ut ipsi judicarent esse necessarium. Moniti sunt denuo à Præside, cogitarent saltem se non esse Iudices qui agendi legem debeant præscribere, sed Citatos, quorum sit sese ordini à Iudicibus constituto subjicere. Debere ipsos memores conditionis suæ esse. Quod si membra Ecclesiarum Reformatarum Belgicarum censeri vellent, judicio eorum, qui has repræsentant, se subjicere debere. Insolens & inauditum esse, Ecclesiarum Reformatarum Pastores, earundem Synodi judicio submittere se nolle. Hujus detrectationis causam non esse aliam, nisi quod non assuevissent leges accipere, sed dare: cogitarent nunc, quæ facta esset rerum mutatio, & quo essent loco: ideoque qui essent agnoscerent, seque ut Citatos ordini à Iudice præscripto subjicerent. Respondit M. Episcopius, quicquid facerent, hoc conscientiam dictare sibi: neque intelligere se posse, justam sibi libertatē hactenus concessam esse. Ea autem nisi concedatur, malle se tacere. Henricus Leo rogatus, ut ad propositam quæstionē responderet, dixit, D. Præsidem in eo

Digitized by Google

in eo esse totum, vt in odium supremarum potestatum ipsos adduceret. Quia hoc agendi modo veritas supprimeretur, cedere se malle ministerio & publico, quam hanc legem pati. Nolle quidem refragari Magistratui; non posse tamen isti Decreto acquiescere: semel se examini fuisse subjectum, nolle iterum examinari. Præses reprehendit eum, quod in re tam levi & quæ tantum ordinem spectaret, ministerio abire vellet: rogavitque, utrum bona conscientia id possit facere? Ille petiit, vt ex scripto sibi liceret respondere. Bernerus Weskius idem rogatus, respondit, immorari se scripto exhibito, se quoque semel examinatum; nolle se iterum examen subire: respondere non posse nisi plena ipsis libertas relinqueretur: caussam communem esse: nihil se nisi cum reliquis facturum. Hollingerus dixit, ea se accessisse fiducia, vt hic sua libere eoque modo quem conducere existimarent causæ suæ, agerent. Legem Illustrium Delegatorum cum æquitate pugnare, ac proinde se non posse respondere: neque cuiusvis esse, ad interrogata omnia publice respondere. Iohannes Corvinus respondit, nisi permitteretur ea libertas quam postularent, & quam æquam censerent esse, ulterius se pergere non posse. . Poppius, petere se, vt scriptum Præsidi exhibitum prælegeretur. Præses respondit, D D. Delegatorum Decreto, ne id fieret, præscriptum esse: mandatumque vt responderent singuli, se itaque rogare eum, Utrum ad propositam quæstionem responsurus esset. Atque ille, nisi libertas, quam petierant, concederetur sibi, parere se non posse. Quidvis autem malle pati. Bernardus Dvvinglonius, eandem sibi quoque mentem esse quæ Poppio: non posse illum agendi modum ingredi, nisi postulata concederetur libertas. Philippus Pynakerus se idem respondere. Dominicus Sapma, se non posse per conscientiam. Theophilus Ryckvvaert, caussam suam communem, communibus viribus agendam esse: se non esse ea animi præsentia, vt ad omnia interrogata respondere posset, neque quidquam tam bene dici posse, quod non sæpe in deteriorem partem rapiatur: paulo ante se ludibrio exceptos, ac proinde malle silere. Respondit Præses, nullo quenquam illorum ludibrio affectum esse, sed insolentem illam Episcopij vocem, qua significabat, eam sese libertatem petere, non quam Synodus, sed ipse judicaret necessariam, non sine offensione audiri potuisse. Carolus Niellius, se quoque non esse ea animi præsentia, neque ea in sermone Latino promptitudine, vt ex tempore ad singula quæsita respondere posset. Esse intolerabilem legem, si Synodo liceat quemcunque velit eligere quem interroget, cuique ad interrogata necessario sit respondendum: iniquissimum esse, si quis ex judicio adversæ partis, causam suam agere cogatur: nullam esse tam bonam & æquam, quæ perverti sic non posset. Ac proinde, se huic decreto acquiescere non posse. Fateri quidem, Magistratibus obediendum esse, sed & legem debere ab ijs approbari, à quibus obsequium postulatur. Responsum ei fuit, satis ostendere ipsum, non deesse ipsi nec animi præsentiam, nec sermonis Latini promptitudinem: non esse hic prolixe disputandum aut perorandum: postulari tantum, vt doctrinæ ejus singuli rationem redderent, quam in hisce Ecclesijs docuissent. Nuper exterorum suffragijs evidentissime ostensum ac comprobatum fuisse, Synodum pro parte adversa haberi non posse: ac proinde illud toties ab illis reponendum non esse. Regessit, non licuisse ipsis rationes illas expendere, neque datam fuisse operam, vt ipsorum conscientiis satisfieret. Responsum illi fuit, satis distincte illas fuisse prælectas. Habuisse tempus eas expendendi, proinde debuisse eas conscientijs abunde satisfacere. Verum eos nihil aliud egisse hactenus, quam vt tempus protraheretur, sumptusque in immensum crescerent. Assuerus Matthisius respondit, non posse se à sententia in scripto expressa discedere: petere itaque, ne hoc vitio vertatur sibi. Thomas Gosvvinius, nihil se habere, quod responso collegæ adderet. Samuel Næranus, petere se, vt scriptum exhibitum legatur, rationes expendantur, ac refutentur. Quod nisi fiat, non posse se per conscientiam à petitione recedere. Præsertim cum hanc petitam libertatem illis citatoriæ concedant. Responsum fuit, eas talem ipsis libertatem non concedere, quæ soli illorum arbitrio relicta esset, nullisque Synodi adstricta legibus. Isaacus Frederici membrum Synodi se esse, neque eo animo conjunxisse se Remonstrantibus, vt viritim interrogarentur: sed vt pariter

ut pariter communem causam defenderent. Ac proinde petere, ut in hac re prætereatur: quia alium eventum videret, quam cogitasset. Se in silentio malle expectare, quid sibi eventurum esset. Ac privatim potius victurum, quam ut disputationibus & interrogationibus obnoxius esse velit. Responsum fuit tum à Præside, tum à Daniele Heinsio Delegatorum nomine, ipsos corpus aliquod seu cœtum non constituere, quemadmodum jam sæpius hoc inculcatum esset. Viritim enim eo vocatos esse, ut doctrinæ suæ rationem singuli redderent. Concedi quidem ut conjunctim inter se deliberarent, & si inter eos conveniret, respondere posse, hanc communem esse omnium sententiam. Interim etiam singulos à Synodo rogatos, doctrinæ suæ rationem reddere teneri: neque hoc iniquum esse, cum ipsi quoq; in declaratione scripto exhibita, testarentur, plurima à tempore Collationis Hagiensis didicisse se, ac proinde non tantum ex prioribus scriptis judicari velle. Necesse esse igitur, ut Synodo de sententia in qua nunc versarentur constaret. Cum præsertim jam examen ejus sit instituendum. Id non posse fieri, nisi ad quæsita Synodi diserte responderent. Denique rogati omnes simul sunt, utrum in responsionibus jam ante datis persisterent. Ad quæ omnes pariter & singuli, in iis se persistere, atque arbitrari, causam communem, communiter agi debere, responderunt. Atque ita omnes secesserunt. Placuit Delegatis eos revocari denuo, moneriq;, ut rem maturius perpenderent. Concessumque illis fuit in horam pomeridianam quartam deliberandi spatium. Monitique sunt, ut totam accurate rem expenderent, utq; ad obedientiam se componerent. Responderunt, non opus sibi esse ut amplius deliberarent: Se quod ante dixerant etiamnum dicere, atque in sententia persistere. Non posse in communi causa sigillatim respondere se, nisi in antecessum libertas illa concederetur sibi, ut, quemadmodum judicarent ipsi necessarium, causam suam agerent. Atque ita secesserunt.

Placuit Generosis Delegatis, secundo eos vocari. Cumque rediissent, ab iisdem Delegatis serio ipsis imperatum fuit, ut Decreto Synodi atque ipsorum mandatis morem tandem aliquando gererent. Et quandoquidem contumaces esse persisterent, mandarunt insuper, ne, non impetrata potestate, urbe abirent.

Sessione Quadragesima-prima.

Eodem Die post meridiem.

QVandoquidem Remonstrantes, pertinaci proposito sententiam suam de quinque Articulis, ad interrogata Synodi plenius exponere recusarent, deliberatum fuit, quid in hoc negotio jam porro agendum esset. Placuit prius esse prælegendum Remonstrantium scriptum ante meridiem exhibitum, quod ita habebat:

Nobilissimi Illustr: Ordd. Generalium Delegati, Honorande Præses, Reverendiss. Clariss. Doctissimi Viri Patres ac Fratres,

Quantum voluptatis & gaudij cepimus ex eo, quod ad Synodum hanc Nationalem citatos nos intelligeremus, idque eum in finem, ut sententiam nostram de controversis quinque Articulis libere proponeremus, explicaremus ac defenderemus, quoad possemus ipsi & necessarium judicaremus: tantum profecto doloris & tristitiæ concepimus ex eo, quod ubi ad sententiæ nostræ pertractationem deventum esset, eos nobis in illius defensione limites præscribere visum sit venerandæ huic Synodo, quibus ut circumscribi nos patiamur, non patitur rei ipsius æquitas, veritatis, de qua agitur, causa, & optimis suffulta rationibus conscientia nostra, ad quam tamen tanquam ad actionum omnium cynosuram fideles Iesu Christi servos & incorruptos veritatis assertores respicere perpetuo oportet. Quanquam enim nec ij simus, qui leges ipsi Synodo præscribere aut possimus aut debeamus, sed qui probe sciamus nos Citatos esse, & Citatorum personam, non vero Iudicum in hac ipsa Synodo sustinere; tamen nec ij profecto per Dei gratiam sumus, qui vel deliberato animi

 proposito,

proposito, vel per inconsultam temeritatem, vel per supinam negligentiam, aut aliis de causis eam agendi in præsenti negotio rationem inire in animum induxerimus, quæ Ministerij nostri ad quod vocati sumus, scopo, ædificationi, nempe, Ecclesiarum nostrarum in veritate & pietate, addite etiam, si libet, Citationis ad hanc Synodum fini, prorsus repugnet.

Maledictionem illi denuntiat Scriptura, qui opus Domini segniter ac negligenter facit, nec dignus ille regno cœlorum judicatur, qui admota semel ad aratrum manu, retrospicit, hoc est, à sancto suo & in timore Domini suscepto opere ac proposito, sola rerum terrenarum, gratiæ aut periculi, doloris aut laboris, consideratione se abduci patitur. Novimus utiq; optimam alias & justissimam certissimamq; causam præjudiciis quā maximis gravari, speciose traduci, & aperta licet sit, intricari tamen posse, si de ea pro arbitrio ac libitu disponendi & pronuntiandi potestas omnis sit penes partem adversam; Contra vero nullam esse usque adeo à veritatis, innocentiæ, æquitatis præsidiis destitutam, cui non aliquis color & schema recti obduci queat ab iis, qui adversæ parti eam oppugnandi & in lucem protrahendi, copiam facere detrectant.

Nos, Reverendi Viri Patres ac Fratres, hoc solum nobis dari petiimus, & etiamnum petimus, ut non solum quid de toto Prædestinationis negotio, Electione pariter & Reprobatione (de ordine solo hic contendere nec animus nobis, nec mens est,) sentiamus, credamus, doceamus, nobis in hac Synodo proponere, explicare, & defendere concedatur: verum etiam pari jure ac æquali libertate contrariam oppugnandi, prout necessarium ipsi judicabimus, potestas nobis fiat. Si enim is hujus Synodi, tantis impensis convocatæ, scopus est, ut exacerbati utrimque animi leniantur, ut pax sua Ecclesiis & Reip. restituatur, omnino necessum erit in causas inquiri, quæ tranquillos antea animos exacerbarunt, & etiamnum indies magis magisque exacerbant. Sunt autem causæ, quamplurima dogmata & assertiones, non tam circa Electionis, quam præcipue circa Reprobationis doctrinam; quæ magnorum licet Ecclesiæ Doctorum autoritate fultæ in Ecclesias harum provinciarum non sine gravissimo multorum indies offendiculo, nominis Divini ignominia, & reformationis labe introducuntur. In quibus si conscientiis nostris, si tot tamque florentibus Belgij Ecclesiis, quibus præfecti sumus, Vestris Rever: satisfiat, plana ad concordiam & dissidentium animorum reconciliationem sternetur via.

Et quid, quæsumus, Vos Fratres, æquius est, quam ut nos, de quorum honore, existimatione, Ministeriis, ne quid gravius dicamus, jam agitur, semel patiamini in sinum vestrum, hoc est ejusdem Ministerij consortium & concorporum fratrum ea effundere, quæ nos angunt & sollicitos habent, & in quibus cum spiritu mansuetudinis erudiri à Vestris Rev: humiliter & serio flagitamus, cedere parati unicuique meliora docenti. Multa Thesibus nostris ut falsa & horrenda damnamus, nec temere, sed gravissimis de causis, quia illa ipsa doceri, in vulgus indies spargi, imo, quæ quorundam vel inscitia vel perversitas est, nobis quotidie impingi videmus, audivimus, & cum damno nostro persentiscimus. Hæc ipsa itaque ut à cervicibus nostris amoliamur, ut Dei Verbo contraria esse probemus, ut pietati noxia esse doceamus, quæ lex, quæ ratio prohibet, imo quæ non potius lex & ratio præcipit? Sane, si intra istas leges tacendi & loquendi, quæ tacere vel loqui, nos vellent, nos coërcerent quotquot de rebus Religionis nobiscum disceptant Adversarij, sane de injuria conquereremur quam maxime & merito. Accedit quod præstantissimi Reformatæ religionis Doctores, uti suam de Prædestinatione sententiam defendendi leges præscribi sibi nunquam passi sunt, ita nec adversariis unquam eam oppugnandi & refutandi leges præscribere aut potuerint, aut voluerint. Expendite, quæsumus, Viri Patres ac Fratres, rationes, Vestris Reverentiis à nobis exhibitas, quibus ut sententiam nostram de utroque Prædestinationis decreto tum Affirmative, tum Negative proponere ac propugnare adversus dissentientes & disceptantes Contra-Remonstrantium sententias, nobis potestas concedatur, æquissimum & necessarium esse probavimus.

Si illas solidas esse judicatis, annuite æquissimæ nostræ petitioni; si minus solidas, rationes vestras opponite, quibus redargui ac refutari eas posse creditis. Cogitate & nobis aliquando coram Deo nostro & Iesu Christo summo Ecclesiarum Pastore reddendam rationem villicationis nostræ, & nobis non minus quam Vestris Rev: hanc ante omnia curam incumbere, ut, quod in nobis est, gloriam Dei nostri ac Salvatoris Iesu Christi, cui devoti ac consecrati sumus vindicemus ac propugnemus. At qui hoc in nobis fiet, si grassantibus hac tempestate impune tot erroribus (si modo errores solum dici debeāt) quos Ecclesia Catholica vel damnavit olim, vel pro suis nunquam agnovit eos ubi commodum & quammaxime opportunum est, nempe in hac ipsa Synodo, refutare non liceat & spargente illa ipsa per agrum Domini zizania maligno spiritu,

Digitized by Google

spiritu, otiosi & quasi rerum omnium securi agricolæ dormitemus. Si unquam alias, nunc certe gloriæ divinæ & Ecclesiarum Reformatarum interest, eas ab ijs dogmatis purgari, quorum nomine pessime hactenus apud totum Christianum Orbem audiverunt: qualia hæc sunt: Deum maximam hominum partem exitio æterno destinasse, citra prævisionem peccati; hominẽ creasse ut laberetur; lapsos quamplurimos externe vocare solum, quos interne conversos & salvos fieri nolit; peccata ipsa prædefinivisse, decrevisse ut fiant, procurare etiam, omnia tam bona quam mala necessario fieri; etiam aliquot fidelium liberos in infantia morientes æternæ damnationi adjudicari; Baptismum non in omnibus rite baptizatis infantibus secundum rei Veritatem, remissionem Peccatorum & Spiritum regenerationis obsignare; Fideles in horrenda scelera prolapsos gratiam Iustificationis non amittere, & quæ plura sunt Thesibus nostris rejecta dogmata. Ad quæ profecto silere non pietatis foret: sed impietatis summæ: non prudentiæ; sed irreligiosæ timiditatis ac socordiæ: non facilitatis & moderationis Christianæ: sed in Dei ac Christi gloriam crudelitatis maximæ. Muneris nostri est nihil celare, quod ad promovendum pietatis studia facit, & muneris sui esse putavit Apostolus Paulus, non subterfugere quominus omne Dei consilium annuntiaret. Qui veritatem, inquit Augustinus, occultat, & qui prodit mendacium, uterque reus est: ille quia prodesse non vult, iste, quia nocere desiderat. Quorsum ergo hæc circumcisa & anxia nobiscum agendi ratio? Cur de Electione fuse disputare, de Reprobatione vix loqui, aut non nisi ad aliorum præscriptum & demensum nobis licebit? Cur non minus hæc à peccatis absterreat pœnæ formidine, quam illa officij nostri nos commonefacit, & solatij argumenta efficacissima subministrat? Nec est nobis in hac Synodo negocium cum infirmioribus qui lacte egeant, quos gravioribus quæstionibus exerceri non expedit; sed cum Viris eruditissimis, quique exercitatos in S. Scripturis sensus habent, quibus (uti nos quidem judicamus) hæ disputationes excussæ sæpius sunt, imo in succum & sanguinem jam abijsse videri debent. Apud quos quàm utiliter de hoc argumento dissertatio institui possit, minime dubitamus. Quare ut hic aut silentium, aut sententiam defendendi limites nobis præscribi patiamur, à contrariæ sententiæ assertoribus, non permittit causa nostra, quæ hoc potissimum nomine apud conscientias nostras commendatur, & porro apud Christianos quosvis, adeoque posteritatem ipsam commendabitur, quod supradictorum dogmatum nobis conscij non simus, sed ea toto animo & corde detestemur. De Electione quæ moventur Disputationes nostro judicio minus periculi habent, sed quod Reprobationis caput attinet, resecanda hic sunt multa, quæ sanam doctrinam velut gangræna depascunt, & peccatoribus multis desperationis metum incutiunt. Cumque de Electione in Collatione Hagiensi liberaliter disputatum sit, & quæ nostra super hoc capite sit sententia, Vestris Rev. constare possit ex dicta Collatione, epistola ad Exteros Theologos missa, & ex contraria Declaratione, in qua sententiam nostram à novitatis crimine vindicavimus, minus necessarium arbitramur, de ea solum operosam denuo instituere dissertationem. Verum cum de Reprobatione absoluta & incondicionata, unde omnis in Ecclesias calamitas defluxit, actum nondum sit, necessarium quam maxime erit ad tranquillandas Ecclesias, ut de hoc dogmate, quæque ei annexa sunt, propius dispiciatur, & nobis, si qua commoda ratione fieri poterit, scrupuli eximantur, qui nos in hunc usque diem torserunt, & à Contra-Remonstrantibus dissentiendi causam non levem præbuerunt. Accessistis, Viri Patres, & Fratres, ad Synodum hanc ut judicium rectum judicetis, & post serium ac rigidum veritatis examen, de Veritate aut falsitate sententiæ nostræ pronuncietis. Nostis enim ignorantiam Iudicis plerumque esse calamitatem innocentis. At quomodo pronuntiabitis plena animi persuasione de sententia nostra, si eam, nec plene perceperitis prout eam proponere ac defendere in animo habemus, nec eam quæ nostræ contraria est, oppugnari à nobis libere patiamini? Nec est profecto, quod hic odium Vestræ Rev. sententiæ suæ, aut scandalum Ecclesijs creatum iri metuant. Si de Veritate necessaria & ad pietatem utili, scandalum sumitur, utilius permittitur nasci scandalum, quam Veritas relinquatur. Etsi veritatem à vestris partibus stare creditis, cur limitationibus, restrictionibus & cautelis hic opus? Est ea veritatis, præsertim divinæ, indoles, ut sui ipsam nunquam pudeat; sed nudam se omnibus conspiciendam præberi amat. Non possumus adversus veritatem quicquam, sed pro veritate, ut cum Apostolo Paulo loquamur: & sicut nihil est ad defendendum puritate tutius, ita nihil ad dicendum veritate facilius, inquit Hieronymus. Nullus hostis, nullus reprehensor formidandus est amatori Veritatis. Aut enim merito reprehendet, aut immerito. Si merito, audiendus: si immerito, ferendus est. Nec satisfit nobis, si dicatur, Synodum permissuram, ut nostram de Reprobatione sententiam tractemus, quod illa ipsa ad gloriam Dei, Eclesiarum ædificationem, & tranquillitatem conscientiarum, necessarium fore judicabit. Nam hac ipsa restrictione nobis præciditur libertas, & plenaria sententiæ nostræ defensio & contrariæ impugnatio, præterquam quod non levis suspicandi data sit nobis occasio, Synodum ubi nos de Electione differentes audiverit,

nequaquam permissurũ, ut Contra-Remonstrantiũ, & eorum, quos illi pro Orthodoxis habent, de Reprobatione sententiam, prout necessariũ judicabimus, ad incudem revocari. Nam jam ante in Collatione Hagiensi judicarũt Contra-remonstrantes, hoc spectare ad præjudicium illorũ, qui in hoc argumento aliter sentire possent: Ecclesiasq; magis conturbandas & inquietandas.

Quamobrem responsionis nostræ hesternæ summa fuit: nobis Citatis Remonstrantibus, non esse præscribendum, quomodo sententiam nostram de toto hoc Prædestinationis negotio enuntiare, & contrariam impugnare debeamus, sed nobis in hac Synodo quæ libera vocatur, in qua per consequens veritatis disquisitio libera & minime impedita institui debebat, liberam esse concedendam sententiæ nostræ cum adversæ impugnatione, propositionem, explicationem, defensionem. Et in hac Responsione etiamnum omnes & singuli persistimus: ratione non contumaciam hanc esse & pertinaciam, sed in bono proposito & præcipuo causæ nostræ asylo perseverantiam. Nec ob aliam causam hac matutina Sessione ad horam solitam in Synodo nos non sistimus, quam ne novæ super hac ipsa causa disceptationes forte cum Nobiliss. Delegatorum indignatione, Synodi quoq; offensa & Auditorum tædio moverentur, nobis itaque in hac nostra sententia etiamnum persistentibus, & obnixe rogantibus, ne ulterius nos Vestræ Rev. in hoc negotio constringere, urgere, ac gravare velint. Interea non est quod VV. DD. & RR. hoc nostrum propositum, inobedientiam interpretentur: cum & ipsi Contra-Remonstrantes, cum in Collatione Hagiensi jussi essent ad interrogata quædam de Reprobatione respondere, Magistratui morem gerere gravati fuerint, usque adeo ut Collationem coeptam abrumpere se malle profiterentur, quam ut summarum potestatum imperio se constringi paterentur: nihil aliud conscientiæ suæ prætexentes, quam quod Ecclesiæ ædificationi obfuturam eam agendi rationem judicarent. Quare cum res ipsa loquatur, (Contra-Remonstrantium verbis utimur) non posse nos bona conscientia in arenam hanc descendere, hac lege, ex qua jam ante liquido videmus nonnisi majorem rerum confusionem, conturbationem Ecclesiarum, animorum exacerbationem, inquietationem Reip. & veri ipsius implicationem atque obtenebrationem oborituram, confidimus etiã hanc detrectationem nostram pro contumacia aut tergiversatione, apud æquos rerum æstimatores habitum non iri. Quod si tamen Venerandæ huic Synodo sua stet sententia, bonæ conscientiæ testimonio nos solabimur, & animas nostras in patientia possidentes, & eventum Deo commendantes, cum aliis expectabimus, quid de tota hac re Synodus judicatura sit, ut si illud comperiamus Verbo divino consentaneum, suffragationis robore & cum gratiarum actione comprobemus; sin minus, patienter istud, prout Christi servos decet, feramus: parati deinceps, ita nos componere, ut illæsa semper atque intemerata obedientia ea quam superioribus nostris juxta Dei verbum deberi intelligimus, actiones nostras Deo, proximis & conscientiis nostris, approbemus.

Subscripta erant singulorum nomina.

Scripto hoc prælecto & diligenter expenso, quæsitũ fuit, an propter has rationes à Remonstrantibus propositas, in Synodico Decreto aliquid mutari oporteret: auditis itaque de hac re omnium tam exterorum quam Provincialium Theologorũ sententiis, unanimiter declaratum fuit consentientibus suffragiis, tantam Remonstrantibus libertatem ad defensionem causæ suæ concessam esse, quanta ex ratione & dignitate Synodi, Citatis concedi posset. Ac proinde nullam esse causam, cur Synodicum Decretũ mutandum videretur, aut cur Remonstrantes querelam instituerent, vel autoritatẽ hujus Synodi subterfugerent. Nihil illis esse imperatũ, quod ullo modo conscientias ipsorũ gravare posset. Ac proinde conscientiæ velũ frustra pervicaciæ obtendi. Abunde ipsis omnibusq; modis satisfactum esse. Absolutam illam, nullisq; circumscriptam limitibus libertatẽ, quam petunt, à Synodo concedi ipsis non posse. Æquum esse ut certis sese legibus submittant, quibus si exorbitent, coërceantur. Cũ honore Synodi & ædificatione, majorem ipsis concedi libertatem non posse, quam quæ decreto ejus tum concessa esset. Cæterum, ut de æquitate toti constaret mundo, atque ut Remonstrantes ad officium faciendum tandem aliquando permoverentur, aut si in tergiversatione hac perstarent, magis magisq; iniquitatis convincerentur, atque inexcusabiles redderentur, statutum fuit, ut Decretum hoc Synodicum, paulo prolixiori explicatione extenderetur, utq; libertas ante à Synodo concessa, non sententiam tantum suam defendendi, sed & contrariam oppugnandi, disertis verbis exprimeretur. Ne conquerendi causam haberent ullam, quod mentem Synodi non satis assequuti essent. Utq; hæc fusior Decreti declaratio proximo ipsis die iterum prælegeretur, serioque denuo admonerentur, ut æquissimis tandem Synodi Decretis morem gererent, & ab ejusmodi tergiversationibus desisterent

Sessione

Sessione Quadragesima-secunda,

XXIX. *Decembris, Die Saturni ante meridiem.*

Prælecta fuit Synodo atque approbata prolixior ac plenior superioris Decreti Synodici explicatio, in hunc modum concepta:

*Remonstrantes rogati ut sententiam suam tum Thesibus, tum Scriptis exhibi-
tis propositam, ac primo quidem loco de Electione divina, per rotundas atque
apertas, ad interrogata à Synodo ipsis proponenda, responsiones, dilucidius pleniusque
explicarent; illi ea ratione, eandem penitius exponere recusarunt, petieruntq; expli-
candi modum sibi liberum relinqui, prout ipsi necessarium & causæ suæ utile judica-
rent, non autem prout videretur Synodo. Professi sunt præterea, sibi agendi modum
à Synodo præscriptum iniquum videri. Sibi permitti velle, non tantum primo loco, sed
& circa omnes Articulos & Theses, singulaque argumenta de sententia Contra-Re-
monstrantium & eorum quos illi pro Orthodoxis habent, quoad Reprobationem age-
re, quia in hoc argumento calceus illos maxime urgeat: indignum esse, ut illi qui in
Ministerio tamdiu sunt versati, denuo quasi examini subijciantur; inprimis si in cau-
sa communi singuli viritim interrogentur, cum non omnes sint eadem animi præsen-
tia & promptitudine præditi: hac ratione leges loquendi & tacendi ipsis præscribi,
libertatemque, quæ in legitima Synodo requiritur, præcidi. Rationem causæ non per-
mittere, ut defensoribus limites ab ijs præscribantur, qui contrariæ sententiæ sunt ad-
dicti. Quare testati sunt, se cum bona conscientia hanc agendi rationem sequi non
posse, aut in Synodo diutius subsistere, si hæc ipsis præscribenda sit: malle se publi-
co Ministerio discedere, & quidvis pati, quam huic agendi modo se subjicere. De-
claratum ipsis à Synodo fuit, non esse Citatorum, Iudicibus modum agendi præscribere,
sed præscriptum à Iudicibus sequi. In hac agendi ratione nihil esse injustum; nihil à
Iudicis officio alienum, nihil quod conscientias ipsorum gravare possit. Justam ac
Christianam libertatem, sententiam suam explicandi, ac postea eandem defendendi
ipsis concedi & relinqui: sed ne illa in protervam quidvis sine causa, fructu, atque ædi-
ficatione proponendi, disputandi & cavillandi licentiam abeat, Synodi esse prudenter
dispicere ac cavere. Petitionem Remonstrantium pugnare cum jure & praxi om-
nium Synodorum legitimarum, penes quas semper fuit modum atque ordinem agendi
Citatis præscribere, non autem ab ijsdem accipere. Libertatem eiusmodi quæ nullis,
nec Illustrium DD. Delegatorum, nec Synodi legibus sit circumscripta, qualem hic
petunt, nec illos petere debere, nec Synodum concedere posse, cum ipsa hæc Synodus le-
gibus suis adstricta sit. Diserte hoc ipsis à Synodo indicari & promitti, non tantum
de Electione divina, verum etiam ubi ille Articulus explicatus & absolutus fuerit,
immediate postea de Reprobatione esse agendum, quantum ad Dei gloriam, Synodi
informationem, ædificationem & tranquillitatem Ecclesiæ, omniumque conscientia-
rum posse & debere satis esse à Synodo judicaretur. Naturam rei & doctrinæ, ex-
emplum Apostolorum, & praxin omnium Doctorum, postulare, ut prius de divina Ele-
ctione, quam de Reprobatione agatur, uti quoque ipsi in articulis Hagiensibus
egerunt. Et quia sententiam suam in multis non satis perspicue & plene proposuerunt,*

non esse commodiorem penitius de ipsorum sententia cognoscendi viam, quam per responsiones ipsorum ad interrogata proposita. Sic in judicijs examen causæ institui usitatissimum esse. Sæpius fuiße illis ab Illustr. & Præpot. Ordd. Generalium Delegatis indicatum, non constituere ipsos corpus aliquod, sed singulos pro se viritim citatos esse. Licere quidem hac in caussa inter se communicare, verum & singulos sententiæ & doctrinæ suæ rationem reddere debere, ubi hoc necessarium esse Synodus judicaverit. Si qui forte sint inter ipsos, quibus non sit ea animi præsentia aut promptitudo ad respondendū, eam à Synodo moderationem adhibitum iri, ut inprimis rogentur illi qui maxime inter ipsos in hac caussa exercitati habentur. Quibus an reliqui aßentiantur paucis significari ab ipsis posse. Si vero existiment se probare posse, in Ecclesijs hisce Belgicis ab earundē Pastoribus aut Doctoribus doceri dogmata quædam gloriæ Dei inimica, veræq; pietati noxia, aut quæ à recepta & in Formulis consensus explicata harum Ecclesiarum doctrina dißentiant, uti jam sæpius objectarunt, non arbitrarium ipsis fore, sed à Synodo insuper injunctum iri, ut ea quoq; post explicatam ac defensam sententiam suam, ea qua decet modestia producant, atq; oppugnent; ut Ecclesiæ Belgicæ à tam gravibus objectis criminibus liberentur: & aut accusati, si convincantur erroris, in viam reduci queant, aut patefacta illorum innocentia, accusantiū iniquitas toti Ecclesiæ & mundo patefiat, idq; ad Dei gloriam, & Reip. Christianæ tranquillitatem. Synodum deniq; non tantū permittere, sed & optare, ut rogati liberrime ad quæsita respondeant. Frustra eos conscientiam hic contra obtendere, quandoquidem nihil quod cum Dei verbo pugnet, ijs ab Illustr. Ordd. Generalium Delegatis, aut à Synodo hactenus injunctum aut propositum sit, agaturq; hic de re quæ conscientias non tangit, sed ad methodum tantum & agendi modum spectat: quin potius si conscientiæ suæ, quam debent, rationem habere velint, eos ad obtemperandum æquissimis supremarum potestatum mandatis, huiusque Synodi ordini & judicio acquiescendum, teneri.

Vocati sunt Remonstrantes, fuitq; hæc illis prælecta explicatio, rogatiq; sunt, an Decreto Synodi, uti nunc explicatum est, parere vellent. Illi explicationis huius apographum sibi tradi, pariterque tempus deliberandi petierunt. Delegati indicarunt, statutum ipsis esse, si in tergiversando persisterent, aliquos ex suis eo ipso die Hagam ablegare, ut ad Illustr & Præpot. DD. Ordd. Generales, totam hanc rem referrent, quo illorum sententiam super ea re intelligerent. Ideoque tempus non permittere, ut diutius deliberarent. Ne tamen rem præcipitari conquererētur, mandatum ipsis fuit, ut accepto declarationis huius autographo in proximum conclave secederent, ibiq; inter se deliberarent, quo sententiam mox suam Synodo rotunde exponerent. Communicatis consilijs reversi responderunt, Quanto propius rem in deliberationem vocarent, tanto magis sibi necessariū videri ut longius deliberandi tempus sibi concederetur: multa enim in hac declaratione contineri, quæ hactenus tam dilucide proposita non fuissent. Velle se libenter scripto respondere, ut quantū posset fieri, tum Illustr. DD. Delegatorum mandatis, tum & conscientijs suis satisfacerent, ac proinde iterum amplius deliberandi tempus petere. Addebant, nunquā mentem suam fuisse ut de ordine aut methodo agendi controversiam moverent. Tantum hoc dicere, iniquum esse, si ad libitū adversæ partis respondere tenerentur. Petere se eam libertatem, quam Citatoriæ promitterent, hoc est, ut sententiam de Controversijs suam, quantum ipsi necessarium judicarent, proponerent atq; explicarent. Responsum ijs fuit, Synodum non esse partem adversam, neq; illa verba Citatoriarum ad propositionem atq; explicationem, sed ad defensionem tantum esse referenda: hæc jam sæpius ipsis publice explicata & probata fuisse. Non decere hæc toties reponi: mentem Synodi expressiori hac explicatione satis clare nunc illis perspectam esse, atq; ex illa intelligi facile posse, libertatem illis justam, satisq; amplā concedi. Posse itaq; & debere in re tam perspicua extempore respondere. Rogati sunt

Digitized by Google

sunt denuo utrū missis subterfugijs desistere à petitione illa, & decreto acquiescere
vellent. Responderunt iterum, se deliberandi tempus petere. Vt autem ab hac per-
tinacia omnibus rationibus dimoveri possent, consultum fuit judicatum, ut senten-
tiæ Theologorum exterorum de hoc ipso eorum subterfugio, ipsis præsentibus de
scripto prælegerentur, si earum forte rationibus ad obediendum permoveri possent.

Prælectæ itaque sunt illis Exterorum omnium sententiæ; rationum pondere &
numero abunde munitæ. Qui consentientibus declarabant suffragiis, ab omni ra-
tione & methodo esse alienum id quod Remonstrantes peterent, ut prius de Re-
probatione quam de Electione agere sibi liceret. Decretum Synodi justissimis ra-
tionibus subnixum esse: mandata Delegatorum æquissima esse, neque usquam Dei
verbo contraria. Quare privata iis judicia opponi non posse, neque eorum con-
scientias ullo modo iis gravari: ac proinde posse ac debere Remonstrantes iis pare-
re: libertatem illis justam esse concessam; tantamque, quanta in legitima Synodo
(quæ suis quoque legibus adstricta esset) requiri, aut concedi posset.

Sententia Theologorum Magnæ Britanniæ,

De æquitate Decreti Synodici, cui refragantur fratres Remonstrantes.

*QVoniam veneranda hæc Synodus rogavit, ut Exteri suam de æquitate Decreti senten-
tiam, & facto fratrum Remonstrantium, qui hactenus huic Decreto morem gerere recu-
sarunt, exponant, officij nostri esse duximus, breviter quid de tota hac re sentiamus, explicare.*

*Quod multis argumentis contendunt Remonstrantes, sententiam suam quandoque expri-
mendam negative, quodq; etiam urgent expedire, ut non solum de Electione, verum etiam de
Reprobatione agatur, id totum ijs lubenter concedimus. Quod vero ultra sibi concedi postu-
lant, ut de suis negativis Thesibus, & controversia Reprobationis primo in loco dispiciatur, id-
que præcise ea ratione, qua ipsi in Thesibus exhibitis usi sunt, hoc nobis videtur minime con-
cedendum.*

Nam I. *Ipsa rei natura docet, ab affirmatione esse ordiendum, non à negatione: quia
omnis negatio in aliqua prævia affirmatione fundatur; non poterit ergo doctrina non Ele-
ctionis & Reprobationis clare intelligi, nisi prius Electionis ratio dilucide explicetur.*

II. *Reclamat omnium Theologorum exemplum, quorum nemo à spinosis illis negativis
suam tractationem exorsus est, sed singuli ab Electionis doctrina initium capientes, posteriori
semper loco & parcius de Reprobatione disputarunt.*

III. *Si hæc esset expeditissima & facilima procedendi via, quam nobis delinearunt Re-
monstrantes, tamen nec illis, nec nobis est integrum ea insistere. Non illis, quia jussi sunt pri-
mo in loco suam quam probant & docent sententiam Synodo exhibere, & rationibus confir-
mare; non contrariam, quam improbant exagitare. Non nobis, quia ordinem à suprema po-
testate constitutum pro libitu immutare, temerarium agnoscimus, & à nostro officio alienum.*

*Ratio conscientiæ propter quam Remonstrantes affirmant, se non posse ab ordine in Thesibus
observato discedere, videtur nobis invalida.* I. *Quia methodus, sive ordo procedendi, in
huiusmodi negotiis, est libera circumstantia, neque pertingit ad conscientiam cuiusquam. Est
igitur gravis error & periculosus, malitiam moralem in illis rebus ponere, quas Lex divina
non damnavit, sed libertati nostræ permisit.*

II. *Quia præceptum Magistratus, præsertim supremi, obligat ad obedientiam, quando
non contrariatur præcepto divino. Nullum autem mandatum divinum proferri potest,
quod vetat ab Electione incipere, aut quod constringat de Reprobatione ad præscriptum à
Remonstrantibus ordinem agere.*

III. *Quia in adiaphoris supremus Magistratus vice Dei ostendit quid expedit & decet.
Si igitur ille statuerit expedire, ut hoc tempore & ordine de una re agatur, & alio tempore
de alia: in huiusmodi rebus privatorum iudicia opponere Magistratui; est omnem eius auto-
ritatem enervare, & conscientiæ prætextu confusionem inducere. Iam quod ex adverso
Synodus requirit, ut penes ipsam sit ordinem & modum in Synodicis actionibus præscribere,
& non penes Remonstrantes, id æquissimum est, & omnium Synodorum praxi consentaneum.
Nam* 1. *Si citati Leges præscriberent Synodo in hisce rebus, ipsi in eam exercerent potestatem,*

 quam

quam inferior in superiorem habere non debet. 2. Ipsa Synodi membra non possunt sibi hoc arrogare, ut quo ordine ipsi velint, & quantum ipsi necessarium iudicabunt, de qualibet re proposita loquantur: quanto minus debent citati Remonstrantes hoc sibi vindicare. 3. Synodus lege obstricta est, hasce controversias examinare, quantum iudicabit ad Dei gloriam, Ecclesiæ ædificationem & tranquillitatem conscientiarum facere: at Remonstrantes eo modo obstricti non sunt. Est itaque multo magis metuendum, ne illi excurrant in quæstiones minime necessarias, quam ut Synodus de industria necessarias prætermittat.

Quanquam ne ullus locus detur illorum suspicionibus, iudicamus non abs re fore, ut Remonstrantibus diserte promittatur, non modo tractandam fore doctrinam Reprobationis; sed singulas etiam eorum Theses, quas probare possunt in Ecclesiis hisce Belgicis, fuisse à Contra-Remonstrantibus, quos vocant, defensas.

Sententia Palatinorum.

CVm graves subesse caussas oporteat, cur Subditus à summo Magistratu suo iussus, rationem fidei suæ contra Divi Apostoli Petri monitum reddere nolit: & vero fratres Remonstrantes Illustrissimorum Dominorum suorum iussu in legitima hac Synodo Ecclesiæ roganti, fidei suæ rationem exponere recusent, nec aliud quidquam prætendant, quam libertati conscientiarum suarum non satis esse cautum; merito quæritur, An Synodus arctioribus, quam par est, finibus, Remonstrantium in dicendo libertatem circumscripserit, & an maiorem illis libertatem concedere potuerit aut debuerit? Nos re in omnem partem diligenter excussa; statuimus, libertati conscientiarum Remonstrantium in proponenda, declaranda, defendenda sententia sua, plus quam satis cautum esse: dum toties dictum, promissum & ad ravim usque illis inculcatum est, non solum de Electione, sed etiam de Reprobatione cum illis actum iri, & liberum illis fore, exposita sententia sua contrariam modeste rejicere, & scrupulos de Reprobatione suos expromere: daturamque operam Synodum, ut iis illi eximantur. Æquum autem esse, ut de Electione prius, de Reprobatione posterius agatur, vel ipsi non diffitebuntur, si perpenderint, morem hunc & Scripturæ & naturæ, & scholis Theologicis esse convenientissimum, siquidem Scriptura de Electione frequenter, absque ulla Reprobationis mentione disserit; & Naturæ ordo postulat, ut doctrina Electionis doctrinam Reprobationis præcedat: nec ulius est Theologorum, qui in horum Articulorum pertractatione tali methodo sit usus, qualem Remonstrantes desiderant. Necessarium quoque esse ita procedere inde patet, quia hic ordo à summo Magistratu Synodo præscriptus est: & Remonstrantes tolerantiam doctrinæ suæ, non Reformatæ Ecclesiæ petiverunt: quæ tolerantia nulla illis ratione concedi potest, nisi prius constiterit, an doctrina illa sit tolerabilis: constare autem hoc non potest nisi Synodi iudicio subjiciatur. Et mirum est, Fratres Remonstrantes tantopere laborare de Reprobis, cum Scriptura ipsa parcius de istis, fusius de Electis soleat loqui. Iniquum quoque esse illos propter iudicia Dei in Reprobos, turbare conscientias Electorum; & ita agere causam Reproborum, acsi ad patrocinium hominum iusto Dei iudicio reiectorum suscipiendum, certo sint stipendio conducti. Profanum est porro, in tam profundo mysterio promiscue quæstiones curiosas vel movere vel admittere, cum Apostolus ipse curiositatem illam comprimat, aiens, O homo! tu quis es qui responsas Deo? *Postremo, cum fratrum Remonstrantium periculo coniuncta foret ista, quam postulant, agendi ratio: quando nec fratres Belgas, nec Theologos exteros, reos poterunt peragere illarum blasphemiarum, quibus doctrinam Orthodoxam hactenus impune onerarunt.*

Obtendunt generatim, modum istum interrogandi & respondendi sibi displicere; sed meminisse debebant, Christianis Veteribus gloriosum fuisse fides suæ rationem, etiam coram infidelibus, reddere posse; quocumque id etiam modo fieret.

Obtendunt speciatim. 1. Talem modum esse pædagogicum: se semel examinatos nolle examinari amplius. Nos vero modum istum profitendi Christianum esse agnoscimus, qui in Ecclesia Palatina magno cum fructu pridem est usurpatus, hodieque usurpatur. Neque enim quisquam peregrinus in illa ad functiones sacras admittitur, nisi prius ad quæsita de fide sua responderit, etiamsi decies alibi fuerit examinatus. Itaque non refugerunt hujusmodi examen Clarissimi Wittebergensis & Lipsensis Academiæ Theologi, cum Anno 1592. d.functo Electore Saxoniæ Christiano I. Heidelbergam venissent; Pierius, Gundermannus, Calaminus, Majus, Auleander, Salmuthus, & alij.

Obten-

Obtendunt II. *Improbari sibi modum capitatim singulos rogandi, causanturque alij linguæ Latinæ, alij disputandi imperitiam. Sed observatum fuit, expeditissime illum locutum fuisse, qui videri volebat illius linguæ non usque adeo gnarus. Responsum etiam illis rectissime fuit à Reverendo Præside, non hic disputationes subtiles, sed sinceras tantum responsiones ad quæstiones ex ipsorummet scriptis petitas requiri. Quanquam, ut hæc excusatio illis adimatur, via facilius inveniri poterit, si duo tresve ex coryphæis illorum, reliquis præteritis, interrogentur, & si qua difficultas obtendatur, spatium deliberandi detur.*

Obtendunt III. *Se non posse sententiam suam explicare, & demonstrare, nisi contrariam oppugnent. Atqui si vera est illorum sententia, quod fides & perseverantia prævisa sint, causa Electionis, utique ex proprijs principijs, hoc est, ex Scripturis Sanctis sufficienter illam probare poterant, etiamsi contrariarum sententiarum ne mentio quidem fieret: nec mirari satis potuimus, quendam ex Remonstrantibus dicere, præsidium causæ suæ in isto agendi modo situm esse, ut prius de Reprobatione quam de Electione dicatur.*

Cum igitur quicquid objiciunt, non justæ causæ sed ficti prætextus rationem habeat, existimamus, Synodum nec posse nec debere majorem libertatem fratribus Remonstrantibus permittere, nisi summi Magistratus Decretum violare, autoritatem suam prostituere, Orthodoxam denique de Prædestinatione sententiam publice exagitandam ijs objicere velit. Indicamus autem debere Synodum fratribus Remonstrantibus insuper hoc beneficium, ut graviter eos moneat, ut vel tandem secum perpendant, quid agant cogitentque, quam gravem Deo rationem sint reddituri, qui ad sananda Ecclesiæ vulnera huc vocati, imprudenti discessu suo, ea majora reddere non dubitent, qui contra omnia omnium Conciliorum exempla Synodo leges agendi præscribere non ab ea accipere velint; qui (quod inauditum est) conscientiam suam lædi dicant, si quod Scriptura & Natura volunt, de Electione prius, quam Reprobatione disseratur: & interim conscientiam suam minime vulnerari putant, si Magistratui summo in rebus Dei voluntati non adversantibus sint immorigeri. Cogitent, quid omnes boni, prudentes, & cordati viri, de ipsis judicaturi sint, quando audierint Remonstrantes ad edendam, fidei suæ, non alienæ, professionem citatos, maluisse occupari in exagitanda sententia aliena, quam defendenda sua. Cogitent postremo, quale judicium Ecclesiarum quibus inserviunt futurum sit, ubi audierint suos Pastores, magis de infidelibus hircis, quam de fidelibus ovibus esse sollicitos, & malle illos à cura Electarum ovium recedere, quam Magistratui & Synodo in re æquissima morem gerere.

Sententia Hassiacorum,

De hesterna Remonstrantium declaratione: *Se ex hac Synodo discessuros potius, quam Decreto DD. Delegatorum & sententiæ Venerandæ Synodi, de modo agendi in sententiæ ipsorum declaratione, & probatione observando, parituros esse, &c.*

Dolemus ex animo, DD. Fratres Remonstrantes ita obfirmasse suum animum, ut hesterno die declararint, malle se ex hoc tam augusto Consessu discedere, causæque suæ declarationem ac defensionem coram Veneranda hac Synodo deserere, quam æquissimis superiorum Decretis, toties iteratis parere, & justissimum, ipsiusque rei, de qua tractandum est, naturæ accommodatissimum agendi modum, qui ab Illust. DD. Ordinibus Generalibus, eorumque Illust. ac Nobil. ad hanc Synodum Delegatis præscriptus, totique huic Synodo probatus fuit, inire. Bonam tamen de ipsis, & item plerisque ipsorum, spem concipimus, fore, ut re penitus considerata mentem suam mutaturi, & ad sententiæ suæ declarationem & probationem circa quinque Articulos, secundum DD. Delegatorum voluntatem sint accessuri. Indicamus itaque serio, ipsis ad animum revocandum esse, quam ipsi nullam, ac ne ijs quidem, qui causæ ipsorum favent probabilem rationem habeant, Synodo se subducendi, & causæ suæ actionem tam intempestive abrumpendi. Decreti DD. Delegatorum & sententiæ Synodi iniquitatem, jure obtendere, & si obtendant, probare nulla ratione poterunt. Contenderunt & probare instituerunt, DD. Fratres Remonstrantes, multis adductis rationibus, declarationi suæ sententiæ, circa secundum tertium quartum & quintum Articulos, annexis, se iure merito in sententiæ suæ circa primum Articulum declaratione, tam de Reprobationis quam de Electionis materia egisse; idque non solum affirmative suam circa hunc Articulum sententiam exprimendo, verum etiam negative aliorum sententias quas ipsi iudicent verbo Dei contrarias esse, rejiciendo. At vero utrumque, quod probe à fratribus Remonstrantibus observari volumus, ipsis liberaliter concessum fuit ab hac veneranda Synodo, ut & contrarias sententias ubi suam prius declararint & probarint, rejiciant, & suam de Reprobatione non minus ac de Electione sententiam proponant: ut ita

ita omnes ipsorum rationes adductæ, nihil contra Synodum hanc Venerandam concludant. Insuper, ne ulla ipsis dubitandi causa esset reliqua, promissum fuit aliquoties, omnino in hac Synodo agendum etiam esse de Reprobatione. Solummodo dissensio fuit, & etiamnum esse videtur, in duobus.

Primum: An initium tractationis de primo Articulo fieri debeat, ut quidam ex Remonstrantibus dixerunt, à Reprobatione: & inde deveniri ad Electionem. Vel, ut alij voluerunt, utriusque Electionis & Reprobationis tractatio in propositione & declaratione sententiæ ipsorum, & ipsis etiam rationibus & argumentis omnibus conjungi? An vero, primo loco de Electione: & secundo, de Reprobatione agendum sit.

Alterum: An fratribus Remonstrantibus permittendum sit, ut auspicentur causæ suæ tractationem, declarationem & defensionem, à refutatione sententiæ contrariæ. An vero monendi & urgendi sint, ut inchoent actionem à suæ sententiæ propositione, declaratione & defensione; & hac expedita, progrediantur ad sententiæ contrariæ rejectionem & refutationem?

Prius judicavit Synodus, æquum & naturæ rei conveniens esse: posterius, Remonstrantes. Sententia Synodi de primo, quod videlicet de Electione agendũ sit prius quam de Reprobatione, nititur firmissimis rationibus, quas probe velimus à DD. Fratribus Remonstr. considerari.

1. *Sacræ literæ in ijs locis, ubi ex professo de Prædestinatione tractant, aut de Electione tantum agunt, ut Eph. 1. Aut de Electione prius agunt, de Reprobatione posterius & quidem parcius, ut Rom. 9. Nolle igitur istum à DD. Ordd. eorumq; Delegatis præscriptum & demandatum, & à veneranda hac Synodo probatum ordinem sequi, quid quæso aliud est, quam ipsarum Sacrarum literarum ordinem in hac ipsa Prædestinationis materia, à Spiritu sancto observatum, infringere?*

2. *Omnes, quotquot unquam de Prædestinatione scripserunt, Theologi, Pontificij, Lutherani, Orthodoxi, hunc servarunt ordinem, ut primo loco de Electione, secundo de Reprobatione agerent. Nec quisquam inventus fuit hactenus, qui ita desipuerit, ut primo loco de Reprobatione, secundo vero, de Electione tractandum esse statuerit.*

3. *Ipse naturalis ordo hoc suadet. Cũ enim Reprobatio non possit intelligi facta fuisse, nisi aliquorũ Electio præcesserit; omnino de Electione prius, de Reprobatione posterius agẽdum fuerit.*

4. *Vt Iurisconsultis, qui recti ordinis sunt observantes, absurdum foret, si quis contendat, prius agendum esse de exhæredationis materia quam de hæredum institutione: Ita pariter absurdum est, asserere, prius de Reprobatione, posterius de Electione tractandum esse.*

Nec minori laborat absurditate quod quidam ex fratribus Remonstrantibus sibi concedi petierunt, ut simul in propositionibus, declarationibus, rationibus, & argumentis suis omnibus, liceret sibi agere & de Electione & de Reprobatione. Præterquam enim, quod magna exinde confusio oritura esset earum rerum, quæ distincte tractandæ forent, insuper vix fieri posse videtur, ut uno eodemq; argumento plano, simplici ac perspicuo, concludatur & Electionis doctrina & Reprobationis, quæ Electioni contraria est materia, nisi in unum eundemque Syllogismum velint fratres Remonstrantes infarcire & congerere plures rationes, atque adeo ea quæ diligenti & debita distinctione clare & perspicue doceri possent, facta confusione, data opera, involvere & obscura reddere.

Sententia Synodica de Secundo, Esse primo loco affirmative Remonstrantibus suam sententiam proponendam, declarandam, defendendam, deinde vero ad contrariæ sententiæ rejectionem & impugnationem accedendum; itidem suis nititur firmis rationibus.

1. *Omnis mensura prior est mensurato. Iam vero affirmatio mensura est negationis, non contra negatio affirmationis. Posita affirmative sententia vera, statim apparet, quæ sententiæ sint falsæ: non contra, rejecta una alteraque sententia falsa, ilico apparet, quid verum sit. Est enim Veritas una & simplex, error vero & falsitas, multiplex.*

2. *Ipsa commodæ institutionis & doctrinæ ratio suadet, ut veritas proponatur, declaretur & confirmetur prius quam falsitas rejiciatur & impugnetur. Solet quidem nonnunquam à negationibus fieri progressus ad affirmationem, sed oratorium magis hoc est, quam Logicum & accuratum docendi genus.*

3. *Comprobant hoc omnia legitima, non aliarum tantum disciplinarum, verum ipsius etiam Theologiæ systemata, in quibus ab affirmatione & confirmatione sententiæ veræ fit progressus, ad improbationem & impugnationem sententiarum falsarum.*

4. *Eadem methodus observatur in receptis Symbolis & Confessionibus Ecclesiarum, utpote in quibus primo loco, & quidem potissimum, non, quid non credendum, sed quid credendum sit de Fidei articulis, traditur; subjectis nonnunquam, si quando opus sit, contrariarum sententiarum improbationibus.*

Nec

*Nec est, quod fratres Remonstrantes se gravari putent ista Decreti limitatione; Synodũ ipsorum
sententiam etiam de Reprobatione expendere, & considerare velle, quantum in conscientia indi-
cabit ipsa ad Dei gloriam, informationem, ædificationem, & tranquillitatem Ecclesiarum, om-
niumq; conscientiarum posse & debere satis esse. Nec enim iudicamus hac limitatione quidquam
præiudicari libertati Remonstrantium, in proponenda & defendenda sua de Reprobatione senten-
tia, tam in antithesi suo tempore, quam Thesi: sed hanc limitationem, prout verba iacẽt, exsistima-
mus pertinere tantum ad expensionem & considerationem sententiæ Remonstrantiũ, quæ conside-
ratio non fratrum Remonstrantium est, sed potius huius Synodi. Nec dubitamus, quin veneranda
hæc Synodus facile hoc sit largitura ipsis, ut declarata & probata in Thesi sua sententia, progre-
diantur etiam suo tempore ad antithesin, earumq; adductis rationibus, confirment, modo non studio
moras nimis longas nectant, & actiones Synodi sine causa protrahant, ipsiq; vicissim Synodi per-
mittant libertati, ea ipsa quæ adducturi sunt ad contrariæ sententiæ impugnationem, cognoscendi,
dijudicandi, & an ea, quas forsitan contrariæ sententiæ impacturi sunt, absurditates unquam in
his Ecclesijs Belgicis, quarum causa Synodus hæc instituta est, doctæ fuerint, an potius calumniæ
ipsorum sint, pronuntiandi. Neq; est, ut conquerantur dicto Decreto sibi immerito adimi potesta-
tem pro suo libitu agendi & à negatione ad affirmationem, à Reprobatione ad Electionem pro-
grediendi. Hæc enim potestas ipsis nec concessa fuit unquam à Synodo, nec iure eam sibi vendica-
re possunt. Concessa ipsis nunquam fuit hæc potestas à Synodo: Verba enim illa literarum Citato-
riarum, quæ inprimis in suis rationibus urgent, & quibus hanc sibi potestatem tributam esse opi-
nantur,* ut sententiam suam proponant, declarent, & quantum possint, & necessa-
rium judicent, defendant; *tantum ad defensionem; non vero ad propositionem, & declara-
tionem referri, vel sola particula, ET, docere ipsos poterat. Vt taceamus, ad modum & ordinem
agendi, ista verba nequaquam pertinere. Iure quoq; ipsis hæc libertas haut competit. Nam*

1. *Inquum foret, si Citatus ad iudicium Reus audeat ponere Iudici leges, quo modo & ordine
in ipso examinando & causa eius cognoscenda & dijudicanda progredi debeat. At DD. Fratres
Remonstrantes sunt citati Rei, Synodus vero potestate iudicandi ipsorum causam à summo Magi-
stratu instructa est. Abstineant igitur ab hac licentia ponendi huic Synodo legem de agendi modo.
Non præscribitur ipsis à Synodo, quod invidiose ratione sua undecima ponunt, quid ad causæ suæ
patrocinium dicere debeant. Dicant ad sententiæ suæ defensionem quid & quantum possunt; me-
mores tamen eius, quam summo Magistratui, & venerando huic Confessui debent, reverentiæ,
& eius, quæ ipsos decet, modestiæ. At dicant, secundum DD. Delegatorum Decretum, & Sy-
nodi sententiam affirmative, quid ipsi statuant, antequam reiectionem & impugnationem sen-
tentiarum contrariarum instituant, idq; de Electione prius; de Reprobatione posterius.*

2. *Ostendant Remonstrantes vel unicum exemplum ullius Concilij, seu Oecumenici, seu
particularis, in qua permissa fuerit citatis Reis, quorum causa cognoscenda & dijudicanda fuit,
ista libertas & potestas ineundi rationem & modum agendi, quem ipsi inditaverint suæ causæ
convenientissimum, eumq; obtrudendi Concilio.*

3. *Ipsa in foro coram Politico iudice agendi ratio fratribus Remonstrantibus obstat. Nec
enim à citato Reo judex patietur sibi præscribi aut obtrudi agendi modum. Quin potius ipse
suum inibit agendi ordinem & modum, quem plene cognoscendæ citati causæ iudicabit esse ac-
commodatissimum.*

*Deniq; quod Fratrum Remonstrantium per certa Interrogatoria ipsis proponenda examen con-
cernit, quod nec ætati, nec Ministerio suo convenire, quidam ex istis existimant: iudicamus, ipsos
iure examen illud detrectare nec posse, nec debere. Nec enim aliud ex ipsis, nostro iudicio quære-
tur, quam quod ad declarationem sententiæ ipsorum in exhibitis propositionibus comprehensæ, &
ad terminorum ac phrasium nonnullarum explicationem pertinere videbitur. Iam vero quilibet,
cuiuscunq; sit ætatis vel dignitatis, cumprimis Vir Theologus, secundum præscriptum Apostolicum,
tenetur rationem reddere fidei & spei, quæ in ipso est, cuivis interroganti: præsertim, si hoc fiat
publica autoritate, qua Synodum hanc venerandam à summo harum provinciarum Magistratu
munitam esse, fratres Remonstrantes haud ignorant. Quod si molestum & grave ipsis fuerit viri-
tim respondere ad quæsita singulos, forsitan ab hac Synodo impetrari poterit, ut qui inter ipsos sunt
promptiores & expeditiores, interrogentur primum & à reliquis deinceps, numnam datam ipso-
rum Responsionem & declarationem approbent, quæratur: sic nullam habebunt causam, vel suam
balbutiem, vel timorem, vel aliud quid eiusmodi obtendendi.*

*Existimamus itaque fratribus Remonstrantibus hæc omnia & id genus alia serio inculcan-
da, ipsosque per sacro-sanctum Iesu Christi nomen, Ecclesiæ salutem, & suam ipsorum con-
scientiam orandos, monendos, obtestandos esse, ut probe, quid sibi hac in re facto opus sit,*

perpen-

perpendant, nec ob causam tam levem, contra summarum Potestatum decretum, & veneranda huius Synodi sententiam, caussæ suæ actionem abrumpant. Cogitent illi, magisne suam conscientiam sint gravaturi, si secundum sententiam huius Synodi, præscriptum summi sui Magistratus, toties ipsis repetitum, primo de Electione, deinde vero de Reprobatione sententiam suam declarent, idque in Thesi prius, in Antithesi posterius; an vero, si summo Magistratui, cui, si vel maxime infidelis sit, nihilominus Apostolus obediendum esse præcipit, propter conscientiam, sese hac in parte opponere pergant. Perpendant secum diligenter, quam huius suæ causæ, siquidem bonam eam esse in conscientijs suis persuasi sint, desertionis rationem Deo & Ecclesijs suis sint reddituri. Cogitent in quantam suspicionem (quasi sententiæ suæ affirmative in Thesi propositæ probationi & defensioni ipsi diffidant) se & causam suam apud omnes, qui iudicio pollent, sint adducturi. Considerent, in quantum periculum se, suos, & Ecclesias suas sint coniecturi, idque sine omni, quæ vel minimam speciem habeant, causa & ratione. Attendant, quid de hac ipsorum desertione dicturi & iudicaturi sint alij, non dico sententiæ Orthodoxæ Reformatarum nostrarum Ecclesiarum addicti, sed Pontificij, & quos causæ suæ existimant se habere faventes, Lutherani, ipsique Remonstrantes prudentiores. Certo statuant, neminem inter ipsos fore sano iudicio præditum, cui quidem de tota huius rei ratione plene & vere constiterit, quin dicturus sit ipsos, imprudenter & temere, nulla urgente satis gravi ratione, causam suam deseruisse, Ecclesiarum suarum salutem neglexisse, seque & suos in præsentissimum periculum coniecisse. Oramus ardentissimis nostris votis Deum Opt. Max. qui solus corda hominum inclinat, quo vult, ut fratrum Remonstrantium voluntatem flectat, ad maiorem nominis sui Sacro-sancti reverentiam, debitamque summis potestatibus obedientiam, ut quid sit sui muneris & officij, quid è re sua & Ecclesiarum suarum sit, pensius æstiment, & in id unice deinceps incumbant, ut Dei gloriam & Ecclesiarum salutem, pacem, & tranquillitatem, sibi vere cordi & curæ esse omnibus pijs contestatum faciant.

An Domini Remonstrantes Illustrissimorum, & Præpotentum DD. Ordinum Delegatorum Decretis, & Venerandæ Synodi Nationalis judicio, de proponenda, explicanda, defendendaque sententia sua, salva conscientia acquiescere possint vel debeant?

Sententia Helvetiorum.

Precamur ex animo, ut DD. Remonstrantes, fratres in Domino nobis dilecti, Decretorum hactenus promulgatorum æquitatem illustrem, Synodi mentem sinceram, & consiliorum Synodicorum finem pijssimum, modum item agendi rei ipsi convenientissimum, plene perspicere, decenter agnoscere, & secure in istis acquiescere possint.

Ad nos quod attinet, Synodi huius mentem eam esse persuasi sumus, secundum quam DD. Remonstrantibus concedatur, suam de Prædestinationis membro utroque, non de Reprobatione minus quam de Electione, sententiam proponere plene, explicare libere, defendere sufficienter, adeo ut scrupulus ipsis nullus, nisi ipsimet forte sibi ipsis hic desint, non expediatur. Modo hoc unum à sese impetrari permittant, ut de Electione quam de Reprobatione agatur prius, eo ordine, qui Synodo ad Dei gloriam & tranquillitatem infirmorum necessarius esse videbitur.

Oramus igitur DD. Remonstrantes, ea humanitate & pietate qua par est, ut expendant accurate, num salva pietate & conscientia ordinem eum, quem in tremendo hoc Prædestinationis mysterio nobis Spiritus Sanctus ipse commendavit, sancta industria beatorum Apostolorum accurate expressit, cæteriq; omnes quotquot hoc unquam dogma tractarunt, religiose sunt imitati, num, inquam, ipsi primi & soli hunc ordinem violare, aut detrectare possint?

Oramus ipsos porro, viros non vulgari eruditione præstantes, probe disquirant, num crimine vel suspicione saltem carere possit, conscientiam itentidem opponere Decretis verbo divino nequaquam adversis: à potestate profectis suprema, legitima, fideli, cumprimis ea, cuius ipsi Remonstrantes liberalitate, cuius salvo conductu fruuntur; cui potestati Reformatus pene Orbis secundum Deum salutem suam liberaliter lubensque debet. Utique huius potestatis iussa Christianus omnino omnis, nedum subditus, aut quod primarium est, Ecclesiæ Minister, rationem reddere spei suæ iure divino atque humano tenetur.

Quod

Quod si hoc à sese DD. Remonstrantes impetrari permiserint, eos de nobis persuasos esse volumus, nos ipsorum causa nihil non velle, quod à fratribus, à viris piis & probis expectari fas est. Contra vero, si spem nostrã fallant: certe nos, an conscientia sincera hactenus ad Dei καρδιογνώστου tribunal provocaverint; an serio feralium motuũ, funestissimiq́; dissidij finem quæsiverint; an Ecclesiæ, quam acquisivit sanguine suo Deus, pacem incolumitatemq́; privatæ gloriolæ præposuerint; an tot piorum animarum anxietates & gemitus cordi habuerint; an non alio fine conscientiam, quam ne conscientiam nudare cogantur, prætenderint; vel inviti dubitare suspicariq́; cogemur.

Iudicium VVetteravicorum.

REverende D. Præses, Nihil consignavimus, nec opus esse iudicavimus. Decretum est æquum, planum & Christianum. Remonstrantibus eorumq́; obiectis rationibus, satis & abundanter multoties est responsum. Novi nihil attulerunt, nec novis ideo responsionibus opus est. Quoniam vero Decreti Synodici extensio heri ab Ampliss. DD. Delegatis est permissa, & à maxima Synodi parte approbata; eam adhuc approbamus, ea tamen lege & conditione. I. Vt impetrata quorundam precibus, expresse à D. Præside præmittatur. II. Ad extensionem Decreti quod attinet, duo adhuc ipsis dari posse videntur. 1. Paradoxa, quæ vocant, de Reprobatione quoq; examinanda: 2. Ipsis forte posset concedi, ut prius suam edant declarationem, postea, si opus fuerit, ad interrogata deveniatur.

Subscriptum erat:

VVetteravici.

Sententia Genevensium

De Remonstrantium Exceptione adversus Synodicum Decretum

De ordine agendi in Articulo primo De Electione.

PRimo, non possumus non gravissime affici, & pessime de tot quæsitis cunctationibus sentire, quibus toti Ecclesiæ, suspensæ & suspiranti ad dissidiorum istorum compositionem, & veritatis apertam manifestationem, tam longa temporis spatia, arte, & pervicacitate paucorum pereant: & ingenuus ille & plane paternus candor, fides, patientia, æquitas, ad cuius summum cumulum hactenus nihil reliqui fecit Synodus, nihil de hostili, insidioso, suspicacissimoq; Remonstrantium affectu remisisse, sed magis illum exasperasse & efferasse videtur. Quod ut nobis perinsolens, & à Virorum fratrum, quales se ferunt, & omnium Ecclesiarum Dei moribus alienissimum in conscientiis nostris, probe excussis ad Dei verbum & timorem, videtur, ita protestamur nos, & apud Ecclesiam nostram, & ubivis gentium fideliter exposituros, qui veri authores sint vel dilatæ, vel elusæ spei de tam venerando consessu conceptæ.

Si sedes ipsis animis, illa invicta perpetuo statutis Synodicis adversandi sententia, larvam deponant tandem, separent se, nec fratrũ ementito nomine, amplius nobis illudant: agant ut professi adversarij: ipsis ad candorem, Ecclesiæ omni ad securitatem erit convenientius.

Mirum vero homines & numero, & reliquis qualitatibus modicos, de spiritibus, doctrina, iudicijs, omni exceptione maiorum virorum iudicium Dictatorium sibi arrogare, defugere vero adeo præfracte, vel formidolose, omne alienum, quantumvis legitime institutum iudicium, nisi ex omni parte fauens, & sensui suo obsecundans: quod annon congenuinum sit illi Pseudo-Apostolorum praxi quam describit Apostolus. 2. Corinth. 10. ἑαυτοὺς ἐν ἑαυτοῖς μετροῦντες, καὶ συγκρίνοντες ἑαυτοὺς ἑαυτοῖς οὐ συνιοῦσιν, *cuivis sano iudici expendendum relinquimus.*

Pessimi litigatoris est, vel tempus eximere, & sententiæ dictionem protelare, vel omnia susq; deq; agere, ferre, vertere, ad involvendam perpetuis tenebris causam. Iudicis vero probi est, ordinem agendi moderari, ad capita & fontes suos revocare ambagibus ludentes, atrrime venari veritatem, qua δικαιοπράγημα *etiam iustum evadat.*

Ad hanc formam sese componit, & ad hunc finem collimat Synodus; nulla calliditate, nullis insidiis, nulla iniuria; sed accurato studio veritatem sententiæ Quæsitis expiscandi, & ordine omnia agendi.

Est enim hic caussa Ecclesiæ, non Remonstrantium propria: quidque Ecclesiæ expediat, est Synodi iudicare: accedente DD. Delegatorum autoritate.

Conscientiæ nomen & dictamen, quoties ad eiusmodi circumstantias prætenditur, profanari & deteri nobis videtur: cum potius utendum esset, vocibus abundantiæ sensus proprij, placiti, arbitrij, & independentis licentiæ.

Quis tulerit in iudicio conscientiæ privatæ, in propria caussa, adversus publicum legitimumque ordinem, exceptionem?

Iudicis legitimi sententiæ omni, est parendum, ubi peccatum non imperatur, quantumvis conscientiæ iudicium proprium reclamet, vel errasse iudicio, vel peccasse affectu Iudicem: caveat quisq; nostrum à peccato suo, aliena Deo relinquat. Si in hoc facto conscientia aliqua læditur, certe non Remonstrantium: quandoquidem nullum peccatum includit decretum Synodi. Si vel per somnium affingi isti decreto possit aliquod vitium, lædetur tantum conscientia Synodi, non ipsorum, quibus integerrimi relinquuntur, & illibati sui intimi sensus.

At vero inculpatissimis omnium nostrum conscientijs contumeliam inferri querimur, quasi in conscientias aliquid designetur: cum hæc accusatio tum demum locum habeat, ubi violatur lex omnium conscientiarum, & sensuum privatorum, non cum sensibus privatis, ratione & autoritate resistitur.

Interrogationes sinceras & candidas adhibitas scimus in omnibus Synodis, usurpari in iudicijs quibusvis, admissas fuisse ab Apostolis, Martyribus, Confessoribus, etiam ad infestissima tribunalia stantibus.

Si tantopere gravari se sentiant istis interrogationibus, candide & plene sententiam suam exponãt, adeo ut Synodus idonee informetur, & excludatur omnis legitima suspitio & falsum dogma: & Synodum sublevabunt labore interrogationum, quæ eo potissimũ suscipiuntur, ut ex ignoratione facti, nulla illis fiat iniuria, vel Ecclesiæ, cuius causa hic agitur. Synodus ipsa nõ detrectabit vicissim ipsos instruere, si res tulerit, de communi Ecclesiarum sententia si illa ignoretur, vel detorqueatur.

Illud ex literis Citatorijs arreptum & toties decantatum, quantum necessarium iudicabunt, defendant: *non spectat ad ordinem agendi, sed ad probationum copiam & vim: cui tamen benigne monuerunt poni à recto iudicio, & à rei ipsius necessitate modum, ne persultetur & pererretur campo aperto, nullis repagulis vel finibus. Modestam autem illam monitionem si usus exegerit, etiam autoritate adstringendam æquissimum iudicamus. An enim plus iuris est Citatis, quam ipsis Synodi membris sedentibus, quibus ordo agendi & dicendi modus, Synodi iudicio, DD. Delegatorum mandatis, D. Præsidis prudentia & autoritate temperatur?*

Rei vero ipsa natura clamat, incipiendum esse ab Electionis doctrinæ constitutione certa: quia veritas illius, mensura est veritatis de Reprobatione: peculium & proprium Ecclesiæ, Electio: Scriptura illam amplissime & frequentissime proponit, raro Reprobationem: in Electionis negotio manifesta omnia, & explanata Ecclesiæ, nec æquum est inferri tenebras, & ignorantiam apertis, ex occultorum præsumptione. Nec vero ullus ipsorummet Remonstrantium in tractatione Theologica hanc præposteritatem admiserit, ut Reprobationis argumentum præmittat Electioni, vel ullus laudatus Theologus, id exemplum unquam usurpavit.

Quod si in doctrina Reprobationis nimium forte temere & irreligiose ab ipsis tractata, scrupulos aliquos offendunt, vel quærunt; annon & Ecclesiæ licebit arguere sententiam ipsorum de fide prævisa plurium absurdorum, & ab illis velle liberari, priusquam convellatur sententia communis: ipsorum autem, ut recentiorum, esset suæ sententiæ agrum istis absurdorum sentibus prius expurgare.

Cor Ecclesiæ est doctrina de gratia Dei *absolutissima: hic fuit primus gradus restitutæ & redivivæ Ecclesiæ ex Papatu, quæ Pelagianismum & Semi-Pelagianismum totum combiberat.*

Quare illa doctrina primum omnium est in medio foro, & luce ponenda, & ex illa luce omnis absurdorum nebula dispellenda.

Et vero, cum hic Remonstrantes sententiam Ecclesiæ de Electione non absolute negent, sed temperamento tantum aliquo molliant, & suo iudicio emendent: certe æquissimum est, ut sensũ de illa & rotunde pronuncient; nec sese illatebrent senticetis quæsitarum absurditatum. Si consentiant cum Ecclesia in Electione, facillimum erit solvere nodos absurdarum consequentiarum, & Synodus procul dubio, Palladio gratiæ Dei absolutæ discrimini erepto, facilis & æquissima erit in horridiorum & crudiorum sententiarum explanatione, & quicquid ex fide licebit, charitati dabitur.

Sed absurdis ultro conquisitis, doctrinam receptam ex sola revelatione Dei, non ratiocinatione humana stantem, petere, est ex ipsis tenebris lucem Soli fœnerare, est ex columna ignis Israelitis prævia, columnam nubis, & caliginis AEgyptios disturbantis & profligantis, facere.

Peripa-

Peripateticis relinquatur, in tanta Naturæ & causarum naturalium ignorantia, à remotione magis absurdorum, ἐπαγωγὴ ad verisimilitudinem: quam fides nixa solo Dei verbo, plane abjudicat, & habet pro spectro, & fœtu carnis plane adulterino.

Denique unica fax veritatis & regula esto nobis Verbum Dei, in manifestis liquido & clare loquens: unicus color veritatis in cordibus & frontibus nostris esto, simplicitas. Agatur de manifestis, utilibus, & necessariis, manifeste, manifestis Scripturæ probationibus. Et tum, si occulta à manifestis tantam lucem mutuari possunt, ut citra præsumptionem mysteria ista non amplius carnis τὸ φρόνημα fatigent, tum & nobis hanc accessionem factam gratulabimur: si secus, adigemur & ipsi nos ad veras illas & adorabundas, & coërcitas voces, & confessiones, Iudicia tua, Domine, abyssus magna: ὦ βάθος! ô homo! quis es tu qui responsas Deo? ἐμβατεύων εἰς ἃ μὴ ἑώρακας.

Quare Decretum Amplissimorum DD. Delegatorum, & Synodicum, nobis omni justitia, prudentia, æquitate munitum videtur: nec convellendum ulla ex parte: magisque roborandum Illustriss. Ordinum autoritate, ad quos totũ hoc negotium referri necessarium judicamus.

RESPONSIO

Theologorum Bremensium ad quæstionem,

An Fratres Remonstrantes morem gerere possint ac debeant Decreto Synodico, de re & modo explicandi Controversias in præsentiarum tractandas?

Omnino possunt ac debent. Nam 1 Nihil est in illo Decreto, quod vel naturali æquitati vel verbo Dei repugnet.

2. Profectum & confirmatum est à Magistratu, cui non tantum propter timorem, sed etiam conscientiam obtemperandum est.

3. Agnoscent Ecclesiæ & eius Ministerio deberi reverentiam, non tantum ab auditoribus, verum etiam à symmystis.

4. Decretum ita conceptum est, ut non unius tantum partis; sed omnium conscientiis serio consultum velit, ad illibatam Dei gloriam & informationem atque ædificationem totius Ecclesiæ Dei.

5. Paulus etiam coram infidelibus aliquot, cum gaudio fidei confessionem edidit, & interrogantibus respondit.

6. Quod petunt de tractanda Reprobatione; id eis, quantum ad rem & substantiam, non negatur, sed suo loco largiter satis conceditur.

7. Si in tractatione Electionis videatur ipsis argumentum à Reprobatione petendum esse; neque hoc negatur, modo extra institutum non fiat evagatio.

8. Quod autem volumus ab Electione fieri initium; in eo servabitur ille ipse ordo quem in suis Thesibus habent. Nam primo de Electione septem Thesibus, & deinceps tribus de Reprobatione agunt.

9. Tractatio de Electione, lucem adferet illi, quæ est de Reprobatione.

10. Si huic judicio non parebunt; cogitent, quam male ipsi consulant famæ suæ: ut qui vocabuntur in suspicionem, quasi quærant occasionem se avellendi à Synodo, & captent effugia.

11. Considerandum eis subiicimus, quid, tum Ecclesiæ Belgicæ, tum aliæ sint judicaturæ de ipsis, & eorum actionibus, quod ob rem indifferentem, & Synodico judicio æstimatam, hanc legitimam congregationem turbare voluerint.

12. Si Synodo excedant, nihil lucrabuntur. Nam nihilominus de ipsorum sententia ex scriptis editis, & jam apud Synodum depositis Thesibus & considerationibus duplicibus, cognitio suscipietur, & in Dei timore absolvetur.

13. Et de causa sua, & de affectu in eam suo, sinistra judicia in animis & sermonibus multorum partim confirmabunt, partim excitabunt: quasi absque ulla justa & sufficiente causa Ecclesias inquietaverint.

14. In nulla Synodo unquam propter huiusmodi causulam, judicium legitimum fuit declinatum.

Ad Objectiones

DD. Fratrum Remonstrantium hunc in modum respondemus.

Objectio I.

Conscientia non patitur obsequium.

Respondetur, Conscientia proprie non violatur, nisi alicujus divini mandati transgressione: hic autem nullum tale est. Imo Magistratus præscribit hunc ordinem, cui non potest obsequium hac in re negari.

II. Object.

Nostræ conscientiæ non habetur ratio, sed tantum vestræ.

Respondetur, Et nostræ & vestræ. Vtrique enim sic obtemperamus Magistratui in re media & per se licita.

III. Object.

Negatur nobis libertas proponendi nostram sententiam.

Respondetur, Non negatur: sed intra legitimum modum regitur. Vt & nostra ex Magistratus præscripto ad Ecclesiæ ædificationem accommodata.

IV. Object.

Tantum agitur edictis & autoritate: mallemus autem rationibus.

Respondetur, 1. Mandata fundantur in rationibus, & ea autoritate, quam axioma officij & vocatio divina Magistratus postulat. 2. Quam multæ jam sæpenumero rationes, preces, monitiones, cautiones fraternæ, paternæ sunt conjunctæ!

V. Object.

Videtur hoc agi, ut pædagogice examinemur. id quod non decet officium & ætatem nostram.

Respondetur, 1. Imo reverenter & fraterne cum viris doctis conferre statuimus, ut occasio sit vobis vestram, nobis nostram Confessionem declarandi in commune bonum gregis nobis commissi. 2. Nos interrogando scrupulos nostros vobis proponimus: & promissum est, nos vobis ad vestros esse responsuros & satisfacturos pro modulo nostro.

VI. Object.

Qui minus apti sumus ad loquendum in publico, non debemus hic confundi.

Respondetur, 1. Loquatur communi nomine, & in communi causa, cui id maxime datum est. 2. Si quid arduum occurrat, meditatio non negabitur, & potestas fiet de scripto, sicut & nobis licebit. 3. Interim non gravabuntur cæteri, suum vel consensum vel dissensum ubi opus erit, testari.

VII. Object.

In reprobationis argumento, positum est præcipuum præsidium causæ nostræ.

Respondetur, 1. Sed videndum est, an & quousque hoc argumento merito gravarentur Belgicarum Ecclesiarum Doctores. 2. Licebit etiam de Reprobatione agere, tum in forma quæstionis suo loco, tum in argumentis ubi commodum videbitur.

VIII. Object.

Ob Reprobationis doctrinam cœptæ sunt Controversiæ eæ, quæ hactenus Belgium turbarunt.

Respondetur, 1. At hic in timore Domini perpendatur, quinam primum cœperint contra Confessionem & receptam in his Ecclesiis doctrinam docere.

2. Pieta-

2. Pietatis esse judicamus, ut omnes coram Deo, culpam nostram, licet cum optimo proposito conjunctam, agnoscamus, & emendare studeamus.

3. Confessio autem & Catechesis, nullam dederunt occasionem, nostram doctrinam odiosius exagitandi.

IX. Object.

Scrupuli inprimis magni & multi occurrunt in hoc argumento.

Respondetur, Ii eximentur, quoad ejus fieri potest, salvis Scripturarum principiis. Nam aut erunt quædam secus scripta quam vellemus, sive in veteribus, sive in recentioribus, sive in nostris, sive in aliis scriptoribus. Quæ si non possumus vel probare vel juste excusare: vitari suadebimus, laudata interim pietate auctorum, quatenus omnem salutis nostræ laudem Deo asserere laborant. Aut erunt quædam recte dicta, quæ immerito alios offendant, eaque tuenda. Aut erunt quædam bene intellecta, sed incommodius dicta, quæ commoda explicatione adjuvare & explicare, veritatis & charitatis esse arbitramur. Id autem nostri muneris esse omnes intelligimus, ut non modo verum falso, sed & clarius obscuro, utilius minus utili & rectius tolerabili anteponamus, & ad perfectionem majorem in dies in sentiendo, loquendo & agendo proficiamus.

X. Object.

Ordo nobis præscribitur: quod est indignum.

Respondetur, 1. Ordinem & vobis & nobis præscripsit idem Magistratus. 2. Ordo qui exigitur est, naturæ rei consentiens. 3. Maxime pertinet ad eum pium & laudabilé finem, quem sibi Magistratus & Synodus ex ejus jussu habet propositum.

XI. Object.

Metuimus, ne similiter tempus nunc Electionis negotio extrahatur, & ne Reprobationis doctrina maxime tractatu necessaria prætereatur.

Respondetur, 1. Id non posse fieri, quia statim ad primum Articulum de Reprobatione est agendum. 2. Diserte promissum est, ita factum iri. 3. Agnoscimus ipsi, æque propter Dei justitiam de Reprobatione, atque propter misericordiam de Electione, ad gloriam Dei nostri differendum esse.

XII. Object.

Nostra mutilantur, quia non licet nobis, tam negative, quam affirmative agere.

Respondetur, 1. Vtrumque licet per Synodum; primo vestra asserere, deinde aliena improbare, sed intra modum, ne magis necessaria per minus necessaria excludantur. 2. Fides est affirmativorum magis quam negativorum. Hic autem inprimis de vestra fide agitur.

Hæc salvis aliorum melioribus judiciis.

Judicium Embdanorum.

Fratres Remonstrantes quos vocant, in Synodi judicio, Illustrium DD. Ordinum Generalium, Amplissimorum Delegatorum Decreto jam confirmato, acquiescere merito debere censemus.

RATIO 1. Quia Magistratui morem gerere oportet in omnibus quæ non sunt contra Deum. At rationem reddere fidei suæ cuivis interroganti, inprimis Magistratui pio hoc mandanti; item methodum in agendo à Magistratu præscriptam observare; non est contra Deum, sed sacris literis consonum, & à Spiritu S. mandatum. 1. Pet. 3. & alibi. Ergo. &c.

2. Quia Synodo legitime summi Magistratus autoritate convocatæ, & coram Deo juratæ, obsecundare æquum est. At talis est hæc Synodus. Ergo. &c.

3. Quia eiusmodi Synodis morem gerere detrectantibus, male semper cessit, quod historiæ testantur.

4. Quia citatorum & reorum non est rationē præscribere in agendo judicibus, in ullo aut Ecclesiastico aut Politico judicio. At DD. Remonstr. citati sunt. Ergo, &c.

5. Quia quibus potestas permittitur quod petunt agendi, non debent se difficiles in eo ipso agendo præbere. At Remonstrantibus potestas, etsi limitata, permittitur, etiam de Reprobatione agendi, sed suo loco & tempore. Ergo, &c.

6. Quia Spiritui S. morem gerere nos decet, primo loco & multis ac copiose de Electione agenti in S. Scriptura; parce autem admodum de Reprobatione. Quin itaque eius premunt vestigia?

7. Quia malam, nisi hoc agant, conscientiam inde referent. Vt qui neque Deo methodum de hac doctrina in verbo suo monstranti, neque Magistratui suo, neque Synodo legitimæ obedire sustinent.

8. Quia hic multa falso & per calumniā Contra-Remonstrantibus impinguntur, quæ nunquā probabunt ita doceri. Hoc autē viros bonos & sinceros minime decet.

9. Quia sibi-ipsis multas creabunt & inexplicabiles molestias, nisi obtemperent. Id quod prudenter, ut sunt viri prudentes, expendere debebant.

10. Quia Ecclesias afflictas in Belgio, aliasque Orthodoxas anxie exitum ex hisce difficultatibus desiderantes & expectantes, in suspenso tenent.

11. Quia Exteros Theologos necessario quod domi agant habentes, præter fas sic procrastinando, æquo diutius detinent.

12. Quia bene, fraterne, imo paterne monentibus morem gerere oportet, quales quales sint. Iob servi sui, Naaman Syrus ancillæ consilium, non adspernantur. Ergo nec fratres Remonstrantes, fidas Synodi monitiones spernere debent.

13. Quia gaudium explebunt omnium non tantum in hac Synodo præsentium, sed in locis longe dissitis degētium, quod legitimæ Synodo obtemperarint, & pacis boniq; publici potius curā habere, quam privatis affectibus obsecundare maluerint.

14. Quia Episcopius ipse dixit, si scrupulus in doctrina Reprobationis ei eximi possit, in cæteris non fore magnam difficultatem. Et Niellius, nisi doctrina de Reprobatione ipsum detineret, se velle in alteram partem concedere. Nihil itaq; aut parum restare videtur præter Reprobationis doctrinam, in quo non possit iniri consensus. An autem æquum sit propter solā de Reprobatione doctrinam, carni & rationi cæcæ odiosam, intellectu difficilem, parce in scriptura tractatam, tot florentes Ecclesias, tam multos vere fideles in suspenso teneri, ipsi Fratres viderint.

15. Quid? quod parati simus de Reprobatione non aliter loqui, quam loquitur ipsa Scriptura, & rationi incomprehensibilia Deo nostro committere.

16. Quia Remonstrantium in speciem absurdis, nullo tamen fundamento nixis, possunt ex illorum doctrina, alia absurda, Deoque ignominiosa opponi magno numero. Si autem in iis quæ rationi absurda videntur cumulandis semper fatigabimur, quis, quandoque finis erit contentionum?

17. Quia hic est captivanda ratio & cum Paulo exclamandum, *O altitudo!*

18. Quia suarum conscientiarum paci & Ecclesiarum tranquillitati sic consulent: Exteras etiam Ecclesias exhilarabunt: spei de ipsis conceptæ multorum bonorum ipsos ut Fratres diligentium satisfacient.

19. Denique, quia nisi bene nos monentes audiant, in labyrinthos inextricabiles sese conjicient, & sero tandem suo & Ecclesiarum malo, sapere discent.

Quibus & similibus rationibus moti, judicamus semel adhuc & ex superabundanti monendos, hortandos, & obsecrandos esse fratres Remonstrantes per Deum, per Salvatorem nostrum Iesum Christum, corā cujus tribunali omnes nos comparere oportebit, per amorem Ecclesiarum Belgicarum, tam misere nūc dissipatarum, per propriam ipsorum cum animorum, tum corporum salutem, & si quæ alia & amplior addi obtestatio potest, ut bene monentes audiant, ac affectus suos compescant, Spiritus S. in verbo suo nobis præeuntis exemplar imitentur, Synodoq; minime partiali causam suā dijudicandam libere, sincere, placide, benevole permittant. Moneantur etiam iterum, ne toties provocent ad suam cōscientiam: Nam & nobis nostra est conscientia, eaq; tenera admodū. Quam sane illæsam servare, & in nullius hominis gratiā inquietare volumus. Si adhuc auscultare nolint, protestamur nos, qui ipsis optime

optime volumus, ab ipsorum damno & incommodo, quod hinc ipsis oriri posset, liberos esse velle, & per nos minime stetisse, quominus in rectam viam reducerentur. Quam ob causam noctu diuq; precibus nostris (novit hoc cordium scrutator) Deum nostrum sollicitavimus ac etiamnum fatigamus. Neq; ægre ferent fratres Remonstrantes, si in posterum veritatis patrocinium adversus quosvis eius adversarios, pro viribus nostris una serio suscipiamus. Dominus largiatur eis mentem meliorem, quod ex animo eis exoptamus. *Subscriptum erat,*

Sic sentimus Embdanæ Ecclesiæ ministri ad hanc Synodum Deputati.

Hisce sententijs auditis, iterum moniti sunt Remonstrantes, ut exceptionibus omnibus missis, Synodi Decreto tandem aliquando acquiescerent, bene & quemadmodū oporteret, de Synodo sentirent, si quid forte iniqui imperari sibi existimarent, tum demum tempus conquerendi fore: hactenus iniqui nihil esse ab ipsis postulatum. Responderunt, dolere sibi, sententiam suam à Theologis exteris non recte fuisse perceptam, neq; enim unquam eam fuisse sibi mentem, ut de ordine contenderent, neque sollicitos esse, sive de Electione sive de Reprobatione prius ageretur: modo ipsis iusta, ita causam suam agendi concederetur libertas, prout ipsi necessarium iudicarent. Conscientias suas Synodi iudicio subjici iniquum esse: talem libertatem se postulare, quæ conscientijs ipsorum satisfaceret, & qualem conscientiæ ipsorum necessariam esse dictarent. Ostendit ipsis Præses hoc cum magna omnium admiratione audiri, quod eorum quæ dixissent ipsi, quæq; à tot venerandis viris exceptæ essent, & ad quæ ab omnibus etiam Exteris Theologis, tam solide responsum esset, ipsi se dixisse non meminissent: fuisse enim inter ipsos, qui diserte prius de Reprobatione agi, quā de Electione voluissent. Sed & in exhibito scripto idem ipsos indicare. Dicere enim, de solo Ordine se non contendere. Vnde satis constet, etiā de ordine, etsi non de solo, contendisse. Hac ratione omnem Synodi ordinem, autoritatem & libertatem à conscientijs & arbitrio Citatorum suspendi, quod ipsum omni rationi & ordini repugnaret. Iniquissimum esse postulare libertatem, nullis nec Illust. DD. Delegatorum mandatis, nec Synodi legibus circunscriptam. Cumq; hæc & similia quæ ad obedientiam illos permovere possent frustra essent proposita, mandarunt Delegati, ut iam saltem responderent Categorice: Vtrum Synodi Decreto parituri essent, nec ne? Quare singuli rogati monitiq; sunt, ut diserte responderent. M. Episcopius, quod maximi momēti res esset, ut de scripto sibi respondere liceret, petijt, dixitq; se non incircumscriptam petere libertatem, talem tamen quæ non impediret, quominus causam suam, quantum ipsi necessarium iudicarent, agere liceret. Respondit Præses, de imminuta libertate iusta nondum illos posse queri, siquidem ad rem nondum esset ventum. Episcopius regessit, libertatem hanc in antecessum, & antequam ad rem veniretur, concedi sibi debere: futurum alias, ut lege semel lata postea constringerentur: neq; enim integrum futurum tum tergiversari. Poppius respondit, varia à Theologis exteris esse proposita quæ expendi diligenter mererentur: ad eam rem tēpore opus esse, neq; posse se ad eam quæstionem ex tempore respondere. Iohannes Arnoldi ad ea, quæ à Poppio iam dicta essent, se nihil addere: Duinglonius, rationes plurimas consideratione dignas à Theologis exteris esse propositas. tum vero eam Synodi explicationem quædam continere, quæ expressa in Decreto non fuissent. Ea omnia esse expendenda, ideoque petere deliberandi tempus. non posse simpliciter promittere, se pariturum. Nolle potēstatibus supremis obluctari, malleq; se à Synodo abesse, ut quid porro sibi sit agendum dispiceret. Etiam Ryckwaertius deliberādi spatium petijt. Isaacus itidem exemplar explicationis & deliberandi spatium. Leo respondit, Perpetuo se hoc dilemmate urgeri: An parere, nec ne velint? si tergiversentur, accusari statim contumaciæ; Si pareant, prodere æquitatem causæ. In utroque Contra-remonstrantes certam habere victoriam: se malle publico cedere, quam istis implicari. Petere itaque ut de scripto respondere liceat. Hollingerus quæstionem hanc esse difficiliorem, quam ut ex tempore ad eam respondere posset. Petere se, ut sibi spatium amplius deliberandi, minimum quatuor horarum concederetur. Goswinus æquum esse, spatium deliberandi dari. Assuerus idem se petere, & Decreto DD. Delegatorum nolle refragari. Sapma petere ut allatas à

Theologis Exteris rationes perpēdere liceret. Pynackerus, quia certum esset leges errare posse, non posse conscientias ijs simpliciter submitti, ac proinde se quoque nondum constituere posse, an hisce Synodi decretis parere possit. Næranus, se rogare, ut DD. Delegati spatium deliberandi indulgerent. Vezekius, nihil se habere quod adderet. Auditis his responsis, de ijsdem, absentibus Remonstrantibus, fuit deliberatum, cognitaque de ijs Illustr. DD. Delegatorum sententia, statutum fuit, quo omnibus modis Remonstrantibus satisfieret, danda illis tum Decreti Synodici, tum prolixioris eius explicationis apographa. Concedendum quoq; in horam sextam vespertinam deliberandi tempus: injungendumq;, ut (perlecto diligenter hoc Decreto atque eius explicatione) categorice tandem responderent, An parere nec ne vellent: utque hanc responsionem proprijs manibus sub Decreti forma consignarent. Quod ipsum ijs denuo vocatis indicatum atque injunctum fuit.

Sesſione Quadrageſima-tertia,

Eodem Die poſt meridiem, ab hora ſexta ad decimam veſpertinam.

Remonstrantes hora sexta vespertina comparuerunt. Qui responsum suum ad superiorem Synodi postulationem scripto comprehensum, omniumque manibus sub Decreti forma consignatum, in hunc modum exhibuerunt:

Si per Synodum nobis non nisi Categorica responsione Decreto huic eiusq; explicationi subscribere liceat, simpliciter dicimus: Nos in responsione hesterna die scripto exhibita, etiamnum persistere.

Si vero, quod omnino nobis concedi debere arbitramur, mentem nostram plenius nobis explicare permittitur, ita breviter respondemus:

Scripto exponemus plene ac plane sententiam nostram de singulis Articulis, ac primum quidem de Electione, inde vero de Reprobatione, eamq; eodem modo defendemus, & contrariam sententiam Contra-Remonstrantium, & eorum, quos illi pro Orthodoxis habent, in singulis Articulis plane propositam refutabimus. Quod si quid in explicatione, aut defensione deesse indicabitur, iisdem scripto respondebimus ad quaestiones à Rev. D. Præside proponendas. Aut si res patiatur, viva voce per eos, quos maxime idoneos ipsi indicabimus. Reliqui quid sentiant mox paucis significabunt. Atq; ne hac libertas videatur illimitata, promittimus eam nos in agendo rationem servaturos, quæ à proterva quidvis sine causa, fructu, & ædificatione proponendi, disputandi & cavillandi licentia, longissime absit. Ne vero ultra iustum debitumq; tempus actiones protrahantur, Nobiliss. DD. Delegatorum erit statuere. Quos tamen pro sua æquitate, discretione, & prudentia, iustum nobis ad concinnandi scripta nostra, tempus concessuros speramus. Quibus quoq; ut noster agendi modus probetur, operam dabimus.

Singuli ſubſcripſerant.

Quia autem in hoc responso Contra-Remonstrantium & eorum quos illi pro Orthodoxis habent, sententiā refutare se velle dixerant, rogati sunt, quos intelligerent per illos, quos Contra-remonstrantes pro Orthodoxis habere, quorumq; sententiā oppugnare velle dicerent. Responderunt, se illos tunc esse nominaturos, cum eos allegarent. Cumq; Præses nonnullos, quorum sententias scriptis suis hactenus exagitarant, nominasset, quæreretq; an illos intelligerent; nihil responderunt. Et cum exire jussi essent, iterum quæsitum est, utrum Remonstrantes Synodi Decreto hac responsione tradita satisfecissent? Responsum ab omnibus atque judicatum fuit, Synodi Decreto hac responsione minime esse satisfactum. Remonstrantes in superioribus responsis suis satis manifeste persistere, neq; hactenus, ut oportebat, mentem explicasse. Ideoq; indignos videri posse, cū quibus diutius de hac re ageretur. Cum præsertim plane nunc pateret, obfirmatam pertinaciam ipsorum, nullis rationibus aut modis expugnari posse. Iterum ergo Remonstrantes sunt vocati, quibus Synodi de exhibita ipsorum Responsione judicium diserte indicatum fuit. Sunt & denuo rogati aliquoties, monitique serio, ut tandem aliquando clare, aperte, & categorice, an morem Synodo gesturi essent, declararent. Omnes in data atque exhibita Responsione perstiterunt. Cumq; illos toties frustra rogari appareret, declararunt

tandem

tandem Delegati, statutum sibi esse, omnem rem ad Illustrissimos & Præpotentes DD. Generales Ordines per Deputatos referre: ut ab ijs de personis pariter & rebus ipsorum, quod è re fore videretur, semel statueretur. Mandatumque iterum Remonstrantibus ne urbe excederent; præsertim ad habendas in vicinis locis conciones. Placuit Illustribus Delegatorum Deputatis, ex Synodo, D. Hermannum Faukelium Assessorem, & D. Sebastianum Dammannum Scribam adjungi.

Sessione Quadragesima-quarta,

XXXI. *Decembris Die Lunæ ante Meridiem.*

Habita fuit à Rev. & Doctiss. Viro, D. Iohanne Polyandro, Doctore ac Professore S. Theologiæ in Academia Leydensi, docta, accurata, & pathetica parænesis Latina, ex Esaiæ cap. 52. vers. 7. *Quam amœni sunt super istis montibus pedes.* &c. Quæ hic subijcitur:

Illustres, Generosi, Amplissimi ac Consultissimi Illustrissimorum ac Præpotentum DD. Ordinum Generalium Delegati, Præses nostræ Synodi Venerande, Præsul Ordinis nostri Theologici Reverendissime, cæterique Doctores, Pastores, ac Presbyteri clarissimi, doctissimi, vigilantissimi.

Cum Reverendo D. Præsidi nuper mihi iniungere placuerit, ut Cl. Virorum, Doctoris Halli ac Doctoris Sculteti vestigijs insistens, concionem ex hoc loco haberem, measque in aliquem sacri Codicis contextum meditationes expromerem; non alia in limine excusatione utar, quam quod Præsidis autoritati obtemperare, officij mei esse duxerim, vosque pro singulari vestra erga me benevolentia animique benignitate, qua Deus Opt. Max. inter tot dotes præclaras vos exornavit, hoc meum institutum, ac publicum obedientiæ meæ testimonium, iudicio vestro esse approbaturos, certo mihi persuaserim. Qua fretus fiducia, priusquam concionem meam exordiar, auxilium Domini qui fecit cœlum & terram, hac mea precatione implorabo: vos unice rogans, ut me voce præeuntem, porrecta ad Deum mente sequamini.

Omnipotens ac clementißime Deus, Pater Domini ac Salvatoris nostri Jesu Christi, qui fons es omnis sapientiæ ac doctrinæ, quandoquidem hic in tuo ac Filij tui dilecti nomine congregati sumus, ut de sacrosanctis, arduis atque abstrusis Regni tui mysterijs nobis in Verbo tuo revelatis, pie, placide sancteque disseramus, rogamus te ut in hoc sacrosancto exercitio Majestati tuæ divinæ gratissimo nobisque imprimis salutari, non tantum linguas, sed etiam aures ac singulas nostras cogitationes ad solam legis tuæ divinæ normam dirigas, oculos mentis nostræ summa ac tristissima caligine laborantes Spiritus tui radijs illumines, animos nostros magis ac magis in omnem veritatem introducas, nostraque pectora sincero pietatis ac charitatis fraternæ studio accendas; ad Nominis tui gloriam, Ecclesiæ tuæ ædificationem, & animarum nostrarum salutem. Amen.

Verbum

Verbum Domini, qua decet reverentia atque animi demissione mecum audite, olim per Prophetam Esaiam pronunciatum ac literis consignatum, Prophetiæ ipsius cap. 52. vers. 7. *Quam speciosi sunt super istos montes pedes evangelizantis, pronunciantis pacem, evangelizantis bonum, pronunciantis salutem, dicentis Sioni, regnat Deus tuus.* Quod in genere de præclaris scientijs, heroicis conatibus & amplis muneribus, trito Græcorum Proverbio dicitur, τὰ καλὰ, δύσκολα, id est, *difficilia quæ pulchra*, idipsum speciatim ad munus Ecclesiasticum posse accommodari, tum sacra Scriptura, tum ipsa experientia abunde attestatur. Sacram Scripturam si inspicimus, Apostolus Paulus docet, 1. Tim. 3. illos qui Episcopatum appetunt, opus præclarum desiderare: *opus*, ob functionis istius difficultatem; *præclarum*, ob eius dignitatem. Experientiam si consulimus, hæc varijs ab omni ævo exemplis demonstrat, non minus arduam ac laboriosam, quam laudabilem atque honorificam esse Verbi divini administrationem, qua universa populi multitudo unius hominis lingua in communi sacræ Religionis vinculo, atque in mutuo veritatis pacisque studio, leniter fovetur ac retinetur. Quo respiciens Propheta Esaias, merito exclamat: *Quam speciosi sunt super istos montes pedes evangelizantis, pronunciantis pacem, evangelizantis bonum, pronunciantis salutem, dicentis Sioni, regnat Deus tuus!* Quo epiphonemate vates ille eximius asseverat, nullos illustriore apud Dei populum legatione defungi, nullos pijs suis laboribus de populo Dei melius mereri, quam Verbi divini præcones, qui nomine Dei Regis omnium supremi, pacem inquietis, bonum miseris, salutem perditis, libertatem captivis annunciant. *Occasionem* huius epiphonematis quilibet ex versibus præcedentibus mecum facile animadvertet: in quibus Esaias, ipsam Dei promissionem de Messiæ venturi redemptione, & præcursorum eius missione, priscæ Ecclesiæ sub typo liberationis ex servitute Babylonica adumbrare voluit, ut in hanc lætissimam exclamationem erumperet, qua partim legatis pacem Sioni annunciaturis, Spiritu prophetico acclamat, partim Sioni, de exoptato illorum adventu, gratulatur. Qua gratulatione præcones istos triplici nomine commendat: ab ipsorum, scilicet, dignitate, industria, & doctrinæ suavitate. *Dignitatem* ipsorum, designat figurata locutione, à pedum speciosorum pulchritudine & rectitudine desumpta. Qua & splendidam ipsorum legationem, & honestam coram hominibus conversationem denotat, ut eos à Pseudoprophetis, non tam ex vultu atque oris professione, quam ex legitima vocatione morumque elegantia, dignosci posse ostendat. *Industriam* eorum, non solum ab antiquis Prophetarum moribus describit, qui olim à Deo ad Iudæos missi, montes regionis Palestinæ conscendere, atque ex ijs apud populum concionari solebant, ut ab omnibus clarius longiusque exaudirentur: sed etiam similitudine, vel à Pastoribus, ut nonnulli volunt, vel, ut alij malunt, à speculatoribus montanis desumpta: quorum illi ovibus montes oberrantibus pascendis ac deducendis; hi ex loco aliquo edito excubantes, vicinis suis, aut de hostium, aut de prædonum adventu, aut de alio aliquo periculo præmonendis, invigilabant. Nos, utramque similitu-

similitudinem, Euangelij præconibus adaptari posse arbitramur, propterea quod utroque Pastorum & speculatorum titulo passim in sacris literis insigniantur. Vt pauca è multis eligam, quis nescit verbi divini ministros, apud Ezechielem cap. 34. Pastores vocari, quorum fidei ac curæ Deus oves suas commiserit, ut pereuntes requirant, depulsas reducant, fractas obligent, & ægrotas confirment. Quis nescit eosdem Ezechielis 3. Speculatores nominari, à Deo quasi in monte, vel turri collocatos, ut tanquam ex loco eminentiore populum sibi concreditum intuentes, singulas ipsius actiones observent, & de periculis ipsi, si officio suo desit, imminentibus, mature ac tempestive commonefaciant? Id certe Deus Ezechieli hoc suo alloquio expresse declarat, cap. 3. & 33. *Fili hominis, speculatorem te dedi domui Israelis, ut audias ex ore meo verbum, & admoneas eos à me. Quum dixero improbo, utique moriturus es, tu autem non admonueris eum, neque alloquutus fueris, ut admoneas impium, revocans ipsum à via sua improbissima, ut serves eum; iste improbus in sua iniquitate morietur, sed sanguinem ejus è manu tua reposcam. Tu vero cum admonueris improbum, & non reversus fuerit ab improbitate sua, & à via illa sua pessima, iste in iniquitate sua morietur, & tu animam tuam eripies.* Apostolus Paulus Presbyteris Ecclesiæ Ephesinæ hac sua gravissima exhortatione, Act. 20. idem inculcat, ut animum, & sibimet ipsis attendant, & toti gregi in quo Spiritus sanctus ipsos constituerat Episcopos, ad Ecclesiam Dei pascendam, & lupos ab ea arcendos. Ad Esaiam nostrum ut revertamur, pedes ait Pastorum super montes, ac proinde quasi in medio inter Deum & homines loco esse positos. Vnde tota ipsorum conversatio ab omnibus, illinc, nempe, à Deo altissimo, hinc à Gentibus ad Sionem confluentibus, facile conspici possit. Atque hæc de Legatorum Euangelicorum dignitate & industria dicta sufficiant. Ad *suavitatem* doctrinæ ipsorum ut progrediamur, ea tum ex notatione, tum ex fructibus Euangelij, cognosci potest. Illorum etenim doctrina hic Euangelium nuncupatur, quod κατ' ἐξοχὴν significat, bonam, lætam ac faustam annunciationem de Deo Patre nobiscum reconciliato in Christo Immanuele, nobis nato & à Patre dato, ut sit omnia nobis omnibus; sapientia ignorantibus, via errantibus, veritas dubitantibus, justitia reis, sanctificatio peccato pollutis, redemptio carni, mundo ac principi huius mundi mancipatis, vita æterna mortalibus, panis vitæ esurientibus. *Fructus* huius dulcissimæ doctrinæ quatuor à nostro Vate enumerantur, nimirum, *pax, bonum, salus, ac regnum Dei*: qui fructus tanquam nexu individuo sibi invicem annexi & innexi, hoc loco inter se recte copulantur. Vbi enim ex singulari Dei benedictione semen Euangelij disseminatur, ibi pax viget: & ubi pax viget, ibi pariter bonum & salus animarum & regnum Dei efflorescit. Ideo pax Dei ab Apostolis in salutationibus epistolicis perpetuo, vel cum Dei gratia, vel cum eius misericordia, vel cum utraque conjungitur. Ideo eadem pax ab Angelis in Cantico gratulatorio, quod in honorem infantis nobis nati, ac Filij nobis dati, coram pastoribus Bethlehemiticis decantarunt, media inter Dei gloriam ac benevolentiam erga homines collocatur.

Pacis huius nomine Propheta, omne genus benedictionum, tam corporalium, quam spiritualium complectitur, quæ omnibus hominibus Euangelium fidei obedientia recipientibus, in sacris literis promittuntur. Hæ multiplices Dei benedictiones pacis nomine designatæ, tum in mutua Dei nobiscum in Christo, & nostri cum proximo nostro ob Christum conjunctione, tum in conscientiæ tranquillitate, ex utraque illa conjunctione in cordibus nostris nascente atque accrescente, præcipue consistunt. Hac pace tanquam arcta quadam catena, Reges, Principes & Magistratus, cum suis subditis, Pastores cum suis Ecclesiis, Patresfamiliæ cum suis domesticis, Deus in cælis cum Angelis, in terris cum hominibus, homines cum Deo in Christo per Spiritum S. devinciuntur. Vnde Prophetæ, spiritu prophetico rapti in cælum, Angeli missi in terram, Christus è terra in cælum ad Patrem suum revertens, hanc pacem Ecclesiæ suæ promisit, promulgavit, dedit, reliquit, atque unice commendavit. *Bonum* quod ex hac pace proficiscitur, hic idem denotat quod apud Philosophos Græcos *εὐδαιμονία*, & Latinos, beatitudo. Quicquid enim est rectum, jucundū, pulchrum, perfectum & omnibus modis expetendum, illud in sacra Scriptura *bonum* appellatur. Quamvis Philosophi hoc bonum diversis vestigiis indagaverint, nunquam tamen illud invenire potuerunt, quoniam luce Euangelij atque oculis fidei destituti, nec summum bonum hæreditatis æternæ Christi sanguine acquisitum, nec lepram suam originalem, nec reatum mortis æternæ, duo præcipua mala isti summo bono opposita in se agnoscere, nec verum utriusque mali remedium extra se in Christi sacrificio expiatorio pro nostris peccatis investigare, nedum reperire potuerunt. Quocirca cum Christus sit unicum veræ sapientiæ, virtutis, pacis & beatitatis fundamentum ac complementum, non mirum nobis videri debet, quod insulsi de sapientia, vitiosi de virtutibus, perturbati de pace, ac miseri de beatitudine tam inepte disputaverint. Sed illis valere jussis, ad Prophetam nostrum Esaiam redeamus, qui bonum supremum in his tribus constituit, Primo, scilicet, in pace, de qua jam disseruimus: Secundo, in animarum nostrarum salute: tertio, in regni Dei in nobis instauratione. De quibus paucis est agendum. *Salus* hic soli Deo regnanti tanquam proprio suo auctori attribuitur, ut ex eo colligamus salutem esse ex solo Deo, perditionem vero ab hominibus, hosque omnes in ista perditione immersos permanere, donec prædicatione euangelica, quæ est potentia Dei ad salutem omni credenti, ex regno tenebrarum in regnum lucis translati, sub salutare obedientiæ Deo præstandæ jugum rediguntur. Hæc salus cum pace & bono conjuncta *Regno Dei* subordinatur. Vt tria hæc dona cœlestia, tanquam varia unius causæ supremæ effecta, ab uno Rege supremo ac Capite Ecclesiæ universali Iesu Christo, in omnia & singula ipsius membra profluere persuasum habeamus. Et sane, nulla extra Dei regnum pax certa, nullum bonum solidum ac perfectum proprie sic dictum, nulla vera salus animarum esse, aut percipi potest. Hinc Apostolus Paulus, hæc & consimilia beneficia salutaria, solius regni divini finibus includit, Rom. 14. ubi docet, *Regnum Dei esse justitiam & pacem, & gaudium per Spiritum S. Nec omittendum est, quod Regni divini*

divini Evangelium, tantummodo Sioni, id est, cœtui eorum cum quibus Deus fœdus suum gratuitum sancivit, à Propheta promittatur, cum asserit, Dei legatos Sioni nunciaturos, *Regnat Deus tuus.* Vt statum fœderatorum Dei, ab alienorum statu secernat. Vtrosque, electos, scilicet, & reprobos, Deus quidem communi Providentiæ suæ regimine potenter gubernat. At inter Sionis filios, secundum peculiarem gratiæ suæ οἰκονομίαν, seu dispensationem, regnum erigit salutis ac beatitatis æternæ. Ideo vere dictum à Davide Psalmo, 105. *O semen Abrahami, servi Iehovæ! ô electi ejus! ô filij Iacobi! Hic Iehova, est Deus noster, tametsi judicia ejus sint in tota terra.* Et ab Apostolo Paulo in epistola ad Romanos cap. 9. *Israelitarum fuisse adoptionem, & gloriam, & fœdera, & legis constitutionem, & promissiones.* Ob quæ singularia privilegia, licet Deus Rex cœli & terræ inter ipsos Israelitas sub vetere Testamento peculiariter regnasse verissime dicatur, hujus tamen vaticinij complementum ad Christianos novi Testamenti potissimum spectat. In vetere etenim Testamento, Deus populo suo per suos tantum subditos ac meros homines, Mosem, nimirum, & Prophetas, naturæ humanæ infirmitatibus alijs pares imperavit: in novo autem, Deus Ecclesiæ suæ, per proprium suum Filium, in carne manifestatum, verum Deum, ipsi ratione Deitatis coæqualem, regni sui statuta præscripsit ac revelavit. Non permittit horæ brevitas, nec singularis vestra eruditio, ut operosiore hujus argumenti explicatione vos diutius detineam: cui unicum tantummodo porisma, de tribus sincerorum Pastorum notis adjungam, quibus à mercenarijs discerni posiint. Harum prima ex diversa vocationis eorum forma internoscitur. Fidi enim Pastores, non nisi à Deo missi, Evangelium salutis ac pacis alijs prædicant, sicuti Apostolus Paulus Rom. 10. ex hoc loco argumentatur. Mercenarij vero nequaquam à Deo missi, sponte currunt. Quemadmodum Deus, de ijs conqueritur apud Ieremiam, cap. 23. vel, ut Christus utrosque graphice depingit, Ioh. 10. illi per januam rectam in caulam ovium, hi aliunde in eam ingrediuntur. Secunda nota ex diverso conversationis ipsorum indicio eruitur. Probi enim Pastores, pedibus speciosis, rectis ac candidis ambulantes, digne suo Evangelio, ac suæ vocationi congruenter, in hac vita versantur: ac proinde duplici face, puræ, scilicet, doctrinæ, ac vitæ inculpatæ; populo Dei præeunt. Improbi vero, pedibus atris, obliquis & indecoris incedentes, speciosam suam institutionem, improbis atque impuris suis moribus deturpant. Tertia nota, ex dissimili docendi modo colligitur. Boni enim pastores, unum idemque Evangelium, à primarijs Dei legatis, Prophetis & Apostolis sibi traditum, ex ore Dei ac mente Sacræ Scripturæ enarrant. Mali autem, aut aliud Evangelium Ecclesiæ proponunt, aut idem ex proprio suo corde ac sensu exponunt. Hactenus me, verba Esaiæ explicantem, atque unum ex ijs porisma elicientem, audivistis. Quæ ut ad nostros Ecclesiastas nunc breviter applicem, quemadmodum *Quintilianus* olim à sui sæculi præceptoribus desiderabat, ut, aut plane eruditi essent, aut se non esse eruditos scirent: sic hodie

opto, ut Ecclesiarum nostrarum Pastores, aut plane sint Euangelistæ, aut se non esse Evangelistas agnoscant. Vtinam nonnulli Ecclesiastarum titulo gaudentes, hac mente se esse affectos ostenderent. Minus, profecto errorum, contentionum ac perturbationum, plus veritatis, concordiæ ac tranquillitatis, in nostris Ecclesijs haberemus. Ast nunc, quorundam vitio, qui partes potius agunt male disputantium, quam bene evangelizantium, iustissimoque Dei judicio adversus communem nostrã ἀχαριστίαν seu ingratitudinem ac nauseam puri Evangelij, nobis ab annis quadraginta fideliter prædicati, res nostræ sunt adeo perturbatæ ac permutatæ, ut nostræ Ecclesiæ, quæ domus quondam fuerunt quietis, pacis ac libertatis, ad quas peregrini atque exteri, tam remoti quam vicini, ab hostibus veritatis sua statione expulsi, tanquam ad tutissimum asylum adversus irruentes exterorum inimicorum oppressiones confugerunt, jam sint domus tempestatum, publica dissidiorum intestinorum, & quidem maximorum, theatra, nimiæque quælibet dogmata asserendi licentiæ spectacula. Pastores qui ante has concertationes Madianiticas, pacem, bonum, salutem, & regnum Dei florentissimum, magno cum bonorum gaudio & applausu annunciarunt, nunc, proh dolor! iurgia, schismata, animorum divortia & scandala recensent, non sine gravi infirmorum offendiculo, nec sine summo amicorum nostrorum mærore, & inimicorum oblectamento. Quis vestrum, *Fratres venerandi*, ob hanc tristissimam Ecclesiarum nostrarum faciem, uel potius horrendam faciei earum metamorphosin, mecum non ingemiscat, ob quam totus orbis Christianus nobiscum Reformatus obstupescit: ob quam cælum & terra horrescunt, ob quam Angeli de Cælo ad nos assidue descendentes, summa tristitia afficiuntur: ob quam nostrarum denique Ecclesiarum atque Academiarum suggesta, pulpita, & scamna, contremiscunt ac vehementer desolantur? Quis vestrum hoc Esaiæ oraculum, de Legatis pacis ac salutis ad populum Sionis mittendis, quod Apostolus Paulus ad novi Testamenti præcones referendum esse affirmat Rom. 10. quis, inquam, vestrum hoc oraculum, mecum animo suo perpendens, in hanc lamentationem non erumpat, Vbi est, *ô Esaia*, tua pollicitatio de jucundissimo Pastorum, pacem, bonum, salutem & regnum Dei evangelizantium, adventu? Vbinam sunt pedes eorum candidi, recti, decori, radijs Evangelicæ veritatis, perspicua legitimæ vocationis demonstratione, inculpatæque conversationis splendore coram Deo ac populo ipsius resplendentes? Nonne è contrario quamplurimorum pedes, atri, obliqui & indecori conspiciuntur: qui non missi à Deo, sed in Christi ovile aliunde, quam per veram ianuam ingressi, pravisque moribus contaminati, sua potius placita, quam Christi Evangelium; suas potius disceptationes perniciosas, quam Christi pacem salutarem; suaque potius, vel aliorum hominum, decreta, quam Dei statuta, Ecclesiæ ipsius proponunt? Hæc nostra tempora, hos mores, quotiescunque cum præcedentium annorum moribus mecum confero, non possum eorum deplorationem intra animi mei

præcordia

ribus mecum confero, non possum eorum deplorationem intra animi præcordia continere, quin totus exclamem, O tempora exitialia, quæ præstantissimos nostros quondam Doctores ac Pastores, veritatis ac pacis studiosissimos, præmatura morte nobis eripuistis, aliosque in eorum locum Theologos, alios mores, alia studia, alia consilia, nobis produxistis! Quam beatæ sunt animæ Iunij, Trelcatiorum, & aliorum nostrorum antecessorum, quorum nomina nunc silentio prætereo, quos Deus ex hac valle miseriarum in requiem suam æternam transtulit, ne fundi nostri calamitatem nobiscum intuerentur! Nos vero miseros, qui segetes puræ doctrinæ continuis controversiarum nimbis ac procellis, proh dolor! depressas prostratasque indies contemplamur, quique ob turbulentas nostras divisiones, quotidie acerbissimas inimicorum nostrorum sannas & exprobrationes, exaudimus! Quam meam lamentationem in eam partem arripi nolim, quasi aliorum nævos observans, meos non animadvertam. Non sum adeo mearum infirmitatum ignarus, ut me ex eorum numero eximere audeam, qui suis peccatis iram Dei adversus Rempublicam nostram provocarunt. Nec adeo duro sum corde; ut publicas, easque gravissimas peccatorum nostrorum pœnas ac castigationes, passim in nostris Ecclesijs percipiens, mihi possim temperare, quin meas querimonias pectore meo erumpentes, in sinum vestrum fraternum effundam, vosque orem, ut miseranda hæc dissertationum nostrarum incommoda, mecum apud Deum Patrem misericordiarum deplorantes, ardentissimas nostrarum contentionum, ipsam etiam Dei iram accendentium flammas, lachrymarum vestrarum undis ad cœlum usque surgentibus mecum extinguere festinetis: ne nimia nostra procrastinatione hæc Dei vinea, proprijs vestris manibus plantata, aquisque saluberrimis ex signato sacræ Scripturæ fonte deductis, toties rigata, tot tantisque ex peculiari Dei benedictione ramis aucta atque exornata, ut ipsos in ultimas quoque terræ marisque oras extenderit, ne hæc, inquam, Dei vinea, hoc continuo dissidiorum nostrorum incendio, tandem in fumum & cineres vertatur: mœstaque nostra posteritas, infelicissimas hujus vineæ ruinas adspiciens, eas nobis quoque hac sua querela merito exprobret: O vinea, Deo quondam dilecta! o rami dulcissimorum quondam racemorum feraces! quonam maiorum nostrorum vitio ac torpore cecidistis? Cujus periculi, vos, *Symmystæ venerandi*, nunc commonefacio, non quod de vestra industria ac sollicitudine res nostras collapsas in pristinum statum restituendi, aut de prospero hujus nostræ Synodi successu addubitem, nequaquam, *Domini ac fratres in Christo plurimum observandi.* Quotiescumque enim candelabrum puræ veritatis in plerisque nostrarum Ecclesiarum cathedris singulari Dei erga nos favore hactenus conservatum, atque hanc Synodum vix à nobis expectatam extraordinario atque admirabili Dei beneficio in hac urbe congregatam, tanquam duo salutaris Dei gratiæ symbola ac bonæ spei signa intueor: quotiescunque præcedentium vestrarum vigiliarum ac curarum recordor, quibus unitatem fidei in Deum per charitatem erga ho-

mines operantis, in vestris Ecclesijs alere studuistis: quotiescunque clarissimos ac reverendos Theologos exteros Europæ nostræ Sydera spectatissima, nostræque inprimis Synodi decus atque auxilium non vulgare adspicio & suspicio: quotiescunque denique Generosos, Nobilissimos atque Amplissimos viros Politicos Illustriss. DD. Ordinum Delegatos, nullis ad nos excitandos monitis, nullis ad nos juvandos consilijs & subsidijs parcentes contemplor: toties magna & præclara beneficia ab hac Synodo mihi polliceor, eosdemque ab ea fructus exopto, spero, expecto, quos omnes Christiani nobiscum reformati, per totum orbem terrarum dispersi, ab ipsa exoptant, sperant, & expectant. Quos omnes ac singulos in hoc loco tanquam in specula constitutus, hic animis suis præsentes apud me considerans, videor mihi videre ipsos Reges, Principes, Magistratus, Ecclesiastas, cæterosq; ejusdem nobiscum fidei domesticos, præsertim eos quorum Delegatos hic præsentes habemus, ob Synodi hujus convocationem eximio gaudio gestientes, sua monita, suffragia, consilia, per suos Delegatos nobiscum assidue communicantes, suaque præterea vota, suspiria ac preces pro felici hujus Synodi eventu, ad Deum effundentes. Quorum pio exemplo instigatus, vos quoque pro meo officio non possum non adhortari, ne mora longiore zizania errorum, litium ac dissidiorum, furtivis ac clandestinis Satanæ artificijs, bono semini Euangelico in nostro Belgio paulatim adspersa, longius latiusque propagari patiamini, sed de apto remedio nostrarum Ecclesiarum vulneribus adhibendo, mature ac serio mecum cogitantes, in hoc, quibuscunque poteritis rationibus, incumbatis, ut tantæ omnium piarum animarum nobiscum eandem Religionem profitentium expectationi, tot Dominorum ac Delegantium vestrorum mandatis ac postulatis, tot denique omnium sanctorum votis, commonitionibus ac comprecationibus vos pares exhibeatis: ac sanam nostrarũ Ecclesiarum Reformatarum doctrinam, superiorum temporum iniquitate in his præsertim oris contumeliose accusatam ac prope ream, ab iniquis nonnullorum ipsi contradicentium criminationibus, quam primum vindicetis, motasque controversias, non ex proprio vestro cerebro, sed ex mente Spiritus sancti nobis in Verbo ipsius sacrosancto revelata, absque præjudicio sinistrove affectu, dijudicetis ac dirimatis. Non possum denique, *Auditores Præstantissimi*, vos non obtestari per nomen venerandum sacrosanctæ Trinitatis, quod indies mecum adoratis, per communem nostram fidem in Salvatorem nostrum Iesum Christum, ac per communem Ecclesiarum fidei nostræ commissarum procurationem, ut, qua estis erga Deum pietate atque erga Ecclesias vestras misere laceratas dilectione ac commiseratione, expulsis hisce tribus Principis Averni administris atque emissarijs, quibus hactenus eas perturbavit ac pene evertit, nimirum, falsa hominum Traditione, Discordia, & quidlibet pro cuiuslibet arbitratu docendi ac statuendi Licentia, tres Religionis sorores atq; alumnas, Veritatem, scilicet, Pacem, & Libertatem, sacræ Verbi divini legibus adstrictam, in pristinã suam dignitatẽ passim restituere conemini. Quo vestro conatu, præterquam quod vos Deo, Magistratibus atque Ecclesijs vestris, quorum nomine hic estis congregati, vestram

solenni juramento obstrictam, apud omnes pios atque æquos actionum vestrarum æstimatores liberabitis; magnam quoque laudem ac gratiam apud omnes Sanctos; tam triumphantes in cœlis, quam in his terris militantes, invenietis. Vobis enim ab hac Synodo ad sedes vestras redeuntibus, tum universa hujus Senatus & plebis Dordracenæ multitudo, tum vestri Proceres, Collegæ, concives & fratres in Christo, de re tantæ molis, tantique momenti, tam præclare gesta, communi applausu gratulabuntur: vobis Ecclesiarum Batavicarum fautores, vestri officij ad eas restaurandas in hac Synodo præstiti, probe conscij, undique occurrentes, his Esaiæ verbis acclamabunt, *Quam speciosi sunt pedes, pacem, salutem ac beatam tranquillitatem Regni Jesu Christi Belgicis Ecclesijs restitutam nobis Euangelizantium!* Benedictus sit hoc nomine Rex noster Iesus Christus, nunc in Belgio triumphans. Benedicti estote Iesu Christi legati, huius Euangelij præcones exoptati. Vos denique ex hac Synodo post hanc vitam ad Conventum universalem primogenitorum qui conscripti sunt in cælis, commigrantes, Dominus noster Iesus Christus, Pastorum Princeps, hujusque Congregationis Præses supremus, coram Angelis, suis Delegatis, Prophetis & Apostolis, suis Assessoribus, osculo amplexuque suo gratulabundus excipiet, atque in æternam justorum consummatorum concionem, in qua nulla erit disputatio, nulla æmulatio, nulla accusatio; nulla condemnatio, manu sua propria deducturus, vos omnes ac singulos in perpetuum functionis vestræ laudabiliter peractæ testimonium, hac voce incomparabilis consolationis plena beabit, *Bene est serve bone & fidelis, in exiguo fuisti fidelis: supra multa te constituam. Ingredere in gaudium Domini.* Idipsum, *Iesu Christe*, nobis omnibus ac singulis, hic coram facie tua sedentibus, laborantibus ac lacrymantibus, in extremo tui judicij die largire; hujusque tuæ remunerationis certitudinem Spiritus, tui digito, imis nostris sensibus ad sempiternam animarum nostrarum pacem inscribe. Quod te cum tota hac selectissima servorum tuorum corona, supplex precor hac mea oratione, qua & Patrem tuum, cum quo unus es Deus, in tuo nomine per Spiritum tuum sic invoco:

Omnipotens ac clementissime Deus, Pater Domini ac Salvatoris nostri Iesu Christi, Pater luminum; à quo omnis bona donatio & omne donum perfectum proficiscitur, Pater noster in Filio tuæ dilectionis nobis ex immensa tua misericordia nato ac dato, nos servi tui genua nostra coram adoranda tua Majestate flectentes, te rogamus, ut ovilis tui misertus, preces nostras auribus tuis recipias, potentiam tuam excites, & ad plenam salutem nobis adserendam ad nos accedas. O Deus! restitue nos & fac ut super nos luceat facies tua, atque ita servabimur. Iehova, Deus exercituum, quousque excandesces, ac fumaturus es contra populi tui supplicationes? Nos vicinis nostris exponis contentioni, ideoque nostri inimici nos subsannant. Vitem tuam ex vicinis regionibus in nostram transtulisti! Eam per servos tuos excultam rore ac pluvia tua cælesti rigasti, ut profundas ageret radices, ac ramos suos usque ad ipsos Indos & ultimas terræ marisque oras extenderet. In hac turrim speculatoribus populi exstruxisti. Torcular quoque disciplinæ in ea excidisti. Eandem protectionis tuæ macerie vestivisti ac lapidibus purgasti. Ast hæc vinea loco uvarum dulcissimarum, acerbissimas labruscas

 rixæ, in-

rixæ invidiæque produxit. Nosque illius cultores, triste inter te & nos iniquitatibus nostris divortium fecimus. Hinc nostræ lacrymæ sunt nobis pani ac potui quotidiano. Restitue nos, ô Deus, nosque non amplius iræ, sed benignitatis oculis intuere. atque ita servabimur. Adsis filijs tuæ dexteræ: quorum præsidio hanc nostram vineam in medijs nimbis ac procellis miraculose conservasti, ac maceriæ tuæ ruptiones multis in locis consolidasti. Adsis inprimis Spiritu consilij ac fortitudinis Illustr. ac Præpotentibus Dominis Ordinibus Generalibus harum Provinciarum Confœderatarum, Dominis nostris clementissimis. Adsis Illustrissimo Principi ac Magnanimo Heroi Mauritio Principi Arausicano, nec non Illustribus Generosis ac Nobilissimis Illust. D D. Ordinum Delegatis: Amplissimo ac Prudentissimo Senatui hujus benedictæ civitatis Dordracenæ. Adsis quoque exteris Regibus, Principibus ac Magistratibus, nominatim ijs qui præstantissimos suos Theologos ad nostri subsidium huc transmiserunt. Commendamus tibi speciatim Serenissimum ac Magnum Magnæ Britanniæ Regem, Jacobum veræ fidei defensorem: Illustriss. ac Serenissimum Principem atque Electorem Palatinum Fridericum Quintum, præcedentium atque inprimis Friderici Secundi, Principis vere Pij, nunquam sine causa ab Orthodoxis laudati, sed sine fine laudandi, legitimum hæredem ac verum successorem: Illustriss. ac prudentissimum Lantgravium Hassiæ, Principum Germanorum ocellum: prudentissimos ac maxime cordatos Helvetiæ Proceres: Generosissimos ac fortissimos Comites Nassovicos ac VVeteravicos: Magnificos orthodoxæ Religionis defensores Syndicos ac Senatores Reipublicæ Genevensis: Amplissimos consultissimos nobisque conjunctissimos Magistratus, Bremensem & Emdensem. Adsis nobis quoque hic in nomine tuo congregatis Spiritus tui præsidio, nostrisque cœptis ac consultis salutifera gratiæ tuæ aura sic adspira, ut Regni tui cœlestis veritas salutaris, & tranquillitas beata, in nostris Ecclesijs iterum vigeant atque efflorescant; ad Nominis tui gloriam, & sanctorum tuorum coagmentationem. Audi nos & exaudi, per & propter Salvatorem nostrum atque Immanuelem Jesum Christum: cui tecum & cum spiritu sancto, sit honos & gloria in æternum. Amen.

SESS. XLV.

Sessione Quadragesima-quinta,

Anno Domini nostri Iesu Christi, Millesimo, Sexcentesimo & decimo-nono, secunda Ianuarij, Die Mercurij ante meridiem.

PRælectæ sunt literæ Ampliss. Magistratus Bommeliensis, quibus petebatur, ut Henricus Leo, Ecclesiæ Bommeliensis Pastor, qui ad hanc Synodum citatus erat, ad Ecclesiam remitteretur, quo instante ibidem festo Nativitatis D.N. Iesu Christi, munere suo in docendo, ac Dominicam Cœnam administrando, fungi posset. Synodus audita super hac re Illust. DD. Delegatorum sententia, cognitoque ex Deputatis Geldriæ Ecclesiæ illius statu, cum intelligeret, præsentiam Leonis non esse ei necessariam, & Ecclesiæ ipsi per vicinos Pastores prospectum iri atque porro prospici posse; judicavit. Henrico Leoni, cum reliquis Remonstrantibus subsistendum esse, neque dimittendum saltem, ante DD. Deputatorum, ad Illustres DD. Ordines Generales Legatorum reditum, atque hoc Ampliss. Magistratui

ſtatui Bommelienſi per literas ſignificandum eſſe. Quibus ſuas quoque Generoſi DD. Delegati additurosſe ſignificabant. Moniti denuo ſunt ſingularum Provinciarum Deputati, ut de gravaminibus ad doctrinam ſpectantibus mature præparandis ſerio cogitarent: atque ut inter cætera diligenter ad doctrinam in Diſputationibus M. Epiſcopij nuper editis, comprehenſam attenderent. Sunt & prælecta quædam Synodi Suyt-Hollandicæ gravamina, ad reformationem Academiarum ſpectantia. De quibus quia poſtea in Synodo agendum eſſet, reſque momenti eſſet maximi, moniti ſunt ſinguli, ut mature & ſerio ea de re cogitarent: quo Illuſt. Provinciarum Ordines ſalubribus Synodi conſilijs hac in re juvari, atque in poſterum Academiæ omnes Belgicæ ita inſtitui & gubernari poſſent, ne qua nova in poſterum ex ijs naſceretur calamitas, qualis hactenus ex quibuſdam maximo cum Eccleſiæ damno exorta eſſet: ſed ut debitos optatoſque ex illis Seminarijs Reſp. pariter & Eccleſia perciperet fructus.

Seſsione quadrageſima-ſexta.

SESS. XLVI.

III. *Ianuarij, Die Iovis ante meridiem.*

QVia ab Illuſt. & Præpot. DD. Ordinibus Generalibus, DD. Delegatorum & Synodi Deputati, jam reverſi erant, placuit citari Remonſtrantes, ut ijſdem eorundem Illuſtriſſ. atque Præpot. DD. ſententia ſignificaretur. Comparuerunt Citati omnes, exceptis Iſaaco Frederici, & Henrico Leone. Prælectum illis fuit Illuſt. & Præpot. DD. Ordinum Generalium in cauſſa ipſorum Decretum, & quidem prius Belgice, ac deinde propter Exteros Theologos, in Latinam linguam hunc in modum converſum:

Generales Fœderatarum Belgij Provinciarum Ordines, auditis ipſo hoc die, in Illuſtrium ac Præpotentum Celſitudinum ſuarum conventu, quæ coram à Nobilibus, ſummæ eruditionis atque amplæ dignitatis viris, Henrico ab Eſſen in Ducatu Geldriæ atq; Comitatu Zutphanienſi Conſiliario, Hugone Muſio ab Holy, Equite, Pretore Dordracenſi, ac Strienſis ditionis Ballivo, & Iohanne van Hemert, Conſule Daventrienſi, præterque eos, Reverendo Hermanno Faukelio Aſſeſſore, Sebaſtiano item Dammanno Scriba, Middelburgenſis ac Zutphanienſis Eccleſiæ Miniſtris, miſſis pariter à DD. Politicis, quos ad Nationalem, quæ Dordrechti nunc habetur, Synodum, ipſorum delegarant Celſitudines, fuſe expoſita fuerunt, de quibuſdam potiſſimum difficultatibus, ſeu gravaminibus, ex nonnullis dictis actionibuſque Remonſtrantium, ad eandem Synodum publica autoritate Citatorum, coortis, ut de iis plene Illuſtriſſimorum eorundem atque Præpotentum Dominorum mentem intelligerent ac voluntatem; auditis itidem & prælectis Actis omnibus originalibus Decretiſq; tam Politicorum quam Eccleſiaſticorum nomine ibidem promulgatis, omnibuſque Citatorum Remonſtrantium partim ſcripto exhibitis, partim viva voce redditis in eadem Synodo reſponſis (præcipue à die Veneris, menſis hujus vigeſimo & tertio, ante meridiem; uſque ad diem Sabbati nonum & viceſimum eiuſdem menſis huius Decembris, veſperi, poſt horam decimam, ut loquuntur, incluſive) audito autem imprimis tam Politico Decreto quam Eccleſiaſtico; vigeſimo & ſeptimo ejuſdem menſis ante meridiem, eiuſdemque menſis vigeſimo octavo itidem ante meridiem pronuntiato; nec non & reſponſo, die vigeſimo & nono à jam ante commemoratis Remonſtrantibus Citatis, poſt meridiem, & quidem in ſcriptis exhi-

exhibito; sicut & ijs, quæ ab ipsis coram addita fuerunt: cumque ex Actis ante iam commemoratis, omnibusque appareat Decretis, Reverendos atque exquisitæ eruditionis Dominos exteros Theologos, partim scriptis partim viva voce unanimiter testatos esse, eosdem Remonstrantes Citatos, ante-dictis Decretis, quoties ad ea responderunt; neutiquam nec scripto neque voce hactenus fecisse satis: idcirco Illustres atque Præpotentes Domini, accurate omnibus ac serio ex consilio atque in præsentia Illustrissimi ac Generosissimi Principis ac Domini, Principis Auraici &c. Generosissimi item Domini Comitis Gulielmi Ludovici à Naßau, Locum tenentis, &c. excussis atque expensis; cum imprimis eorundem Dominorum Ordinum Illustres ac Præpot: Celsitudines hoc agant, ut in Nationali ea, quæ nunc celebratur Synodo, omnia eo dirigantur, ut ad optatum, cuius caussa institutus hic conventus est, deveniatur finem (quæ est gloriæ divinæ propagatio, atque religionis veræ Christianæ, quæ in hisce hactenus obtinuit Provincijs, conservatio, utque porro quam maxime id eius potest fieri, bene sit Reipublicæ, pariterque quies atque pax Ecclesiæ, optimorumque incolarum procuretur concordia) declarant & hoc ipso declarant, ante dicta tam à Politicis quam ab Ecclesiasticis sancita atque promulgata Acta ac Decreta, cum optimo instituto suo ac mente ipsisque Decretis, Mandatis, ac Commißionibus, quas super Nationali hac Synodo eiusque moderatione conceperunt aut dederunt, prorsus convenire. Ideoque Illustres atque Præpotentes eorum Celsitudines, ea Acta ac Decreta approbant hoc ipso, omnibusque denunciant, Citatorum Remonstrantium fuisse, iisdem Actis ac Decretis, morem gerere evestigio, iisque se subijcere. Quemadmodum iidem Præpotentes Domini, ut inposterum id faciant, utque similibus pareant Decretis, mandant ipsis ac edicunt. Quod ut facere animum inducant, hortandos censent; atque graviter monendos. Secus enim, hoc est, nisi morem gerant, fore, ut non modo Ecclesiastica in eos censura, verum & Politica stringatur; prout agi cum ijs solet, qui supremam publicamque contempserunt atque conculcarunt autoritatem. Ita tamen, ut iam dictos Dominos Politicos ad eandem Synodum jam Delegatos, præcipuas ejusdem actiones, prout habent concepti de indictione Synodi Articuli, ex vi Commissionum, uti vocant, atque Instructionum, quæ pridem ipsis datæ, & secundum ea, quæ iidem Illustres atque Præpotentes Domini iam decreverunt, omni industria atque diligentia, exequi ac moderari velint. Quod si forte usu veniat, ut Citati Remonstrantes in eadem pergant atque perseverent inobedientia, placet, ut ex scriptis eorum publicis, tum eorum explicationibus, partim scripto partim viva voce, tam in Nationali hac quam in reliquis Provincialibus Synodis, ab ijs ante expressis, iporum de religione opiniones excutiantur, examinentur, & secundum Dei verbum decidantur.

Mandatur autem nihilominus Citatis Remonstrantibus, uti intra urbem Dordrechtum sese contineant, neque ex ea nisi scripto, à Politicis, hanc peculiariter in rem impetrato, se subducant. Ut interea, quoties vocantur, sincere, rotunde, ac sine ullo effugio aut tergiversatione; respondeant, mentemque suam categorice, aut verbis aut scripto

scripto, prout illis à Politicis iniunctum fuerit, ac prout iisdem videbitur Politicis, ad interrogata Synodi explicent. Quod quidem placitum, voluntatem, atque mentis suæ explicationem, in ipso Synodico conventu, ipsis præsentibus atque audientibus Citatis Remonstrantibus, prælegi publice atque recitari mandarunt. Actum in conventu Illustrissimorum atque Præpotentum Dominorum Ordinum Generalium, sub eorum sigillo ac subsignatione, nec non & subscriptione Graphiarij eorundem. Hagæ-Comitis ipsis Ianuarij Calendis Anno MDCXIX.

Subsignatum

Magnus vidit.

Inferius.

Ex mandato Illust. ac Præpot. DD. Ordd. Generalium

C. Aerssens.

Prælecto publice hoc Decreto, serio moniti sunt Remonstrantes, ut quandoquidem illis jam de voluntate & sententia supremi Magistratus, cujus autoritatem subterfugere, nec possint nec debeant, satis constaret, ut tandem aliquando justissimis, non tantum Synodi & Illust. DD. Delegatorum, qui eam moderarentur, sed & ipsius supremi Magistratus, decretis morem gererent: rogatique iterum sunt singuli, utrum id facturi essent. Atque hunc in finem proposita hæc illis fuit quæstio: *Vtrum quinque Articulos Hagienses pro suis agnoscerent: nominatim primum, qui prælectus illis esset.* Illust. Delegati mandarunt, ut eorum singuli conceptis & ad calamum dictatis verbis responderet. Episcopius respondit: Omnibus in timore Domini expensis, &, adjunctis etiam serijs ad Deum precibus, examinatis, non possum impetrare ab animo meo, ut aliam agendi rationem sequar, quam eam quæ ultimo responso nostro exhibita est. Iohannes Arnoldi Corvinus: responsum Clariss. D. Episcopij etiam meum esse volo. Bernardus Dunglonius: Idem respondeo, quod D. Episcopius. Carolus Niellius: Nihil habeo quod addam: in eadem sum sententia. Philippus Pynakerus: Respondeo, ut supra præcedentes fratres Remonstrantes. Assuerus Matthisius: Non possum à conscientia mea impetrare, ut aliter respondeam quàm nunc responsum est, nec spero hoc inobedientiæ crimen ab Ampliss. D.D. Ordinibus reputatum iri. Thomas Gosvvinius: Quod Collega meus Matthisius respondit, idem & ego respondeo. Theophilus Rijckvvaert: Persisto in illa responsione, quæ die Sabbathi a nobis Venerandæ huic Synodo exhibita fuit. Henricus Hollingerus: Respondeo me non posse recedere à responso, quod exhibuimus die Sabbathi, nec posse eam recipere legem, eamque ingredi viam, quam prævideo certo certius tendere ad melioris causæ & ipsius, quam profitemur, veritatis subversionem atque oppressionem, quin graviter sauciem conscientiam, offendam Deum, & Ecclesiæ, atque innumeris pijs Christi cultoribus dem scandalum irreparabile, eoque gravem Dei iram in me concitem. Imitabor exemplum Christi: silebo, & omnem eventum commendabo illi, qui venturus est ad judicandum vivos & mortuos. Dixi. Rogatus à D.D. Delegatis, annon ex calore quodam animi hæc diceret, respondit, se ista præmeditato diu ac sedato animo proferre. Dominicus Sapma: Responso clariss. D. Episcopij, nihil habeo quod addam. Bernerus Wezekius: Neque ego possum aliter respondere, quam antea respondimus scripto exhibito die Sabbathi. Samuel Næranus: Non possum per conscientiam (validis ut videtur mihi suffultam rationibus, quas hodie in scripto nostro ad Ampliss. & Nobiliss. D.D. Delegatos Illust. ac Præpot. Ordinum Generalium exhibuimus atque expressimus) recedere a sententia proxime superiori die exhibita. Eduar-

ta. Eduardus Poppius : Cum debita erga summas potestates reverentia, respondeo, me invocato sæpissime, ac serio sanctissimo Dei nomine & re tota etiam atque etiam expensa apud animum meum, non posse desistere ab ultimo meo responso: Rationes hodie exhibuimus Nobiliss. D.D. Delegantis Illust. D.D. Ordinum Generalium, in quibus etiamnum conscientia mea acquiescit; certo persuasa id quod facio, Deo. Opt. Max, & Domino Meo Christo Iesu probatum iri.

Præses secundo hanc illis proposuit quæstionem : *Vtrum statuerent Decretum de salvandis fidelibus perseverantibus esse integrum Decretum de Prædestinatione ad salutem, nullamque aliam Prædestinationem ad salutem in Evangelio esse revelatam?* Atque hanc esse fundamentum salutis & certitudinis de salute? Monuit porro, ut singuli ad eam responderent. Episcopius respondit: Persisto in responsione mea. Iohannes Arnoldi: Idem facio. Duinglonius: Persisto in responsione data. Niellius: Et ego persisto. Pynakerus: Idem & ego respondeo. Matthisius: Et ego. Thomas Gosvvinius: & ego. Weskius: & ego maneo in responsione mea. Hollingerus: Dixi. Sapma: idem & ego. Næranus: & ego. Poppius: qnia conscientiæ meæ non habetur ratio à Synodo, non expecto ab illa institutionem in veritate, ideoque consultum non est respondere.

Deinde Præses, tertiam hanc qnæstionem proposuit, jussitque ut ad eam responderent: *An hæc, videlicet, ipsorum esset sententia; In Decreto Prædestinationis tantum contineri Electionem qualitatis salvandorum, sive ordinationem fidei in conditionem communicandæ salutis: non autem hominum ad salutem: seu esse tantum ordinationem qualitatis, qua vestitus esse debet, qui salvandus erit?* Responderunt: Episcopius: Dico quod antea. Poppius: Quia conscientiæ satisfacere non licet defensione veritatis & confutatione falsitatis, satius est silere, quam respondendo veritati & bonæ causæ detrimentum adferre. Iohannes Arnoldi: Persisto in responsione jam dictata. Duinglonius: Non habeo; quod priori responsioni addam. Niellius: Nec ego habeo quod addam. Matthisius: Non habeo quod addam responso D. Poppij. Thomas Gosvvinius: Non habeo quod addam superiori meæ responsioni. Pynakerus: nec ego. Rijckvvaert: Idem dico, quod antea dixi. Hollingerus: opinor per hunc agendi modum vim inferri veritati & conscientijs nostris, quemadmodum apparet ex scripto hodie Nobiliss. DD. Delegatis exhibito. Sapma: idem respondeo quod D. Poppius. Weskius: Ego persisto in responsione mea antea data. Næranus: Si liceat nobis de Reprobatione & Contra-Remonstrantium sententia super ea agere, quantum nobis Conscientia nostra, & Ecclesiarum nostrarum ædificatio persuadebit sufficere, & hoc in antecessum promittatur, libenter ad quæsita respondebo: sin minus, silere malo. In hisce responsionibus quia sæpe ad scriptum quoddam suum Illust. DD. Delegatis exhibitum provocarant, quo se harum Responsionum rationes reddidisse testabantur, placuit ijsdem Ampliss. DD. ut hoc toti Synodo prælegeretur, quo eidem quoque de his rationibus constaret:

Nobilissimis Amplissimis DD. DD. Illust. ac Præpot. Generalium Ordinum Delegatis.

QVanquam magna sit, Illust. ac Nobilissimi DD. imo summa sub Deo VV. DD. in nos subditos potestas; cui non solum propter iram; sed & propter conscientiam obedire & morem gerere tenemur, tamen ijs illam limitibus circumscripsit Rex Regum & Dominus dominantium, ut nihil, quod vel rectæ rationi, vel expressæ in Scripturis voluntati divinæ contraveniat, subditis suis imperare ac præscribere possit aut debeat. Recta ratio imaginis divinæ scintilla est, & tacita æterni numinis voluntas. Scriptura altera Dei vox est, & pleniorem voluntatis divinæ significationem continet. Vtraque Conscientiarum omnium & actionum canon est, mensura, & regula, ut si forte summæ potestates per ignorantiam

an

*aut humanam imbecillitatem (quæ Magistratibus etiam prudentissimis & maxime circum-
spectis accidere potest) aliquid ijs repugnans imperent, conscientias subditorum Manda-
tis suis gravare merito videri debeant. Gloria nostra, inquit Apostolus, testimonium
est conscientiæ, à qua non oportet quenquam, nedum Christianum & Iesu Christi ser-
vum, in omni vita sua vel transversum unguem discedere. Sed ut nihil est facilius,
quam conscientiam obtendere: ita nihil necessarium magis, quam ut, si quando illa
gravari se conqueritur, apertis & evidentibus testimonijs probetur, aliquid ipsi præscri-
bi, quod cum naturali æquitate, aut expresso Dei verbo pugnet. Hoc si fiat, libe-
ra est ab humanis imperijs conscientia, utpote soli Deo devincta. Si non fiat, obedien-
tiam debet, nisi rebellis ac refractaria haberi velit. Date veniam, Illustr. ac Nobiles
DD. ut in præsenti, quod agitur, negotio, ubi conscientijs nostris opponuntur conscien-
tiæ aliorum, Vestris Dom. significemus, quænam sit Dei voluntas, quam sequi & nos, &
Vestras Dom. oportet. Muneris nostri est, non populum solum, sed & Reges & Princi-
pes terræ erudire, ne si subditis suis onus imponant, quod conscientias ipsorum torqueat,
causam ipsis ingemiscendi apud Deum præbeant. Vocati sumus vestra autoritate, Il-
lustres Domini, ad Synodum hanc Nationalem, ut de arduis religionis Christianæ
mysterijs, quibus de salute ac æterna damnatione hominum pronuntiatur, senten-
tiam nostram dicamus, explicemus, defendamus. Verum sententia nostra, verita-
tis nostro judicio sententia est, & quidem ejus, qua gloria divini nominis ac me-
ritorum Iesu Christi quam maxime illustrari, & pietas quam maxime promoveri
potest. Volunt Vestræ Dominationes, vult veneranda hæc Synodus, ut in hac Veri-
tatis professione & defensione, eam agendi ineamus rationem, ut nobis à Synodo,
quam maxima sui parte nobis adversam esse apud conscientias nostras judicamus, præ-
scribantur limites hujus professionis & defensionis, & quidem tales, quibus veritas
ipsa aut mutilabitur, aut celabitur, aut tenebris & labyrinthis inextricabilibus in-
volvetur, aut insigne saltem aliquod damnum reportabit. Fiet enim hoc, si libe-
re sententiam nostram exponere, & contrarios errores Deo & pietati inimicos pari li-
bertate refutare, eosque ex illis autoribus citare & producere, quos eorum patronos &
assertores præcipuos esse novimus, quosque ipsi in sententiæ suæ defensione allegare solent
Contra-Remonstrantes, & super horum consensu gloriari, quique clarissime & evidentissi-
me illam proposuisse nobis videbuntur, nobis non licebit; & si institutis ante susce-
ptam à nobis Veritatis defensionem, quæstionibus, idque per capita singulorum extem-
poraneis & non præmeditatis responsionibus Veritas non in lucem protrahatur, sed
cavillationibus, & inutili responsionum inter se commissione obscuretur, & ludibrio
exponatur; denique si à parte adversa leges nobis & modum defendendæ veritatis & op-
pugnandæ falsitatis, cum manifesto veritatis præjudicio præscribi concedamus. Hoc ut
fiat, casum conscientiæ interpretamur, quia & rectæ rationi hoc ipsum & Sacra scri-
ptura repugnat. Suadet recta ratio, ne à parte adversa leges accipiat pars adversa circa
ipsum dissensionis argumentum, utpote quæ imperium in illam non habet. Iuris na-
turalis est, ne quis in propria causa sit accusator, testis, & judex. At in hac Synodo,
maximam Ecclesiasticorum partem si spectes, ijdem sunt accusatores nostri, ijdem testes, ij-
dem judices. Sed ipsius Dei per Mosen loquentis vocem audite:* Iudices & mode-
ratores constituito tibi in singulis portis tuis, quas Iehova Deus tuus dat ti-
bi per tribus tuas: qui judicent populum judicio justo. Ne pervertito judi-
cium, ne accipito personam. *Verum, quam speciem recti, justi ac non perversi
judicij habebit illorum in hac Synodo judicium, quorum alij jam ante scriptis concioni-
bus, & facto à nobis schismate nos condemnarunt: alij ita de nobis publice in ipso Synodi
consessu pronuntiant, ut qui indigni simus, cum quibus Synodus agat: qui nec Deum
nec supremas Potestates, nec Ecclesias suspiciamus, qui audaciam pro muro, & impu-
dentiam pro scuto habeamus, in quorum dictis, factis, gestibus quidquam pietatis ob-
servari non possit: qui non bona, sed mala, imo perdita conscientia agamur. Qui
numero & qualitatibus (En προσωποληψίαν) modici simus, & quæ quamplurima sunt alio-
rum ἄστεργα & plena inclementiæ judicia, quæ animum partium studio non leviter abre-
ptum, ideoque ad judicandum judicio justo minime idoneum, manifeste arguunt. Iudi-
ces iniqui errant à veritate sententiæ, dum intendunt qualitatem personæ, inquit Iso-
dorus, libro 3. de Summo Bono. Paulus Apostolus, vivum & absolutissimum Epis-
copi*

copi & Doctoris Evangelici exemplar, usque ad eo à summorum Sacerdotum hoc est, partis sibi ex professo adversæ, judicio abhorruit, ut rogatus à Festo, an vellet Hierosolymam proficisci, & super controversiis de Religione inter ipsum & Iudæos quæstion ibus istic judicari, maluerit ad Cæsaris tribunal provocare, quam in Ecclesiastico Iudæorum consessu caussam dicere, aut eorum judicio se submittere. Monet Scriptura, serio & cum maledictionis interminatione, ne quis opus Domini segniter faciat. Ierem. 48. At si Vestræ Dominationes DDes velint, ne in lucem protrahantur, prout rei necessitas exiget, Contra-Remonstrantium, & eorum quos illi pro Orthodoxis habent, errores crassi & noxij, volent profecto, ut causam Dei & veritatis segniter ac negligenter agamus, Itaque, nisi in Dei maledictionem incurrere velimus, per conscientiam parere non possumus.

Actor. 25.

Paulus Apostolus in Epist. ad Titum cap. 1. inter alia officia boni Doctoris & hoc requirit, ut sit idoneus ad convincendos contradicentes. Redarguito eos (inquit) ut sani sint in fide. Idem Timotheum suum monet, ut erudiat eos, qui contrario animo sunt affecti, ecquando det eis Deus, ut resipiscentes agnoscant veritatem, cum Scriptura divinitus inspirata sit non solum ad doctrinam; sed etiam ad redargutionem, πρὸς ἔλεγχον. Quare, per Conscientiam hanc muneris nostri partem intermittere, aut ut de ea pro arbitrio suo dispenset pars dissidens & contradicens permittere, nobis non licet, & quidem tunc, cum sententiæ nostræ confessionem edere solemniter jubemur. Vult Scriptura passim ut glorificemus Deum, ut omnia ad gloriam eius faciamus.

Quamobrem, cum læsam à multis arbitremur gloriam misericordiæ, iustitiæ & sanctitatis divinæ, eius certe vindicationem per conscientiam negligere, aut ad placitum aliorum suscipere, tunc cum maxime oportunum est eam asseri, non debemus. Vult Scriptura, ut Ecclesiæ Pastor & Episcopus testimonium habeat, quod sanus sit in doctrina, & abrenuncians pudendis latebris, non cum calliditate ambulet, neque falset sermonem Dei: sed declaratione veritatis commendet seipsum apud omnem conscientiam hominum in conspectu Dei. Nequaquam ergo hoc tempore, quo fama & existimatio nostra proscinditur hoc nomine; quod quæ Contra-Remonstrantium est, nostra esse credatur sententia, ab huius criminis & suspicionis abstersione supersedendum nobis erit, nisi contra disertam Spiritus S. admonitionem, apud fidei nostræ domesticos & extraneos male audire & pro nonsanis in doctrina haberi velimus. Vrget serio Apostolus, ut attendamus ad nos ipsos, ad doctrinam, ad gregem Domini, in quo constituti sumus Episcopi & Pastores. Monet Timotheum, & in eius persona nos quoque, ut ministerij nostri plenam fidem faciamus. finem quoque nostri ministerij vult esse ædificationem corporis Christi. Verum si unquam, nunc tempus est, ut ad nos, ad doctrinam sermonis fidei, ad gregem nobis concreditum; eiusque ædificationem attendamus, utpote cui Contra-Remonstrantium & eorum quos illi pro Orthodoxis habent, contraria nostris Thesibus dogmata offendiculum maximum præbuerunt. Quænam itaque illa dogmata sint, quique eorum assertores, silentio præterire, ubi ad causæ tractationem ventum erit, citra conscientiæ læsionem non possumus.

1 Cor, 6. & 10.
2. Cor. 4.
Actor. 20.
Tit. 1.
2 Tim. 4.
Eph. 4.

Exigit à nobis prudentiæ Christianæ infallibilis Doctor Christus, simplicitatem columbinam, & serpentinam prudentiam. Sed contra hanc erit, si à parte adversa nobis præscribi sinamus istiusmodi leges, quæ, causæ nostræ, sive veritatis, defensioni, quam maxime præiudicant: Estote, inquit Scriptura, imitatores Dei, & Christi, & ad Corinthios scribit Apostolus: Estote imitatores mei, sicut etiam ego sum Christi. Quod facere conscientiæ bonæ, & pectoris Christiani officium est. At quid familiarius Deo, quam per Prophetas invehi, in errores Pseudo-Prophetarum? Quid familiarius Christo, quam quavis occasione vindicare à corruptelis Pharisæorum, Legem Domini? Quid familiarius Paulo, quam tempestive & intempestive refutare Iudæorum de Iustificatione ex operibus sententiam? Nullos hic sibi limites à Iudæis vel Gentilibus, aut quicquam mortalium præfigi passi sunt Apostoli: sed ubi & quando opportunum erat, & quod necessarium judicabant ipsi, in veritate defendenda, & falsitate oppugnanda, perstiterunt intrepidi ad mortem usque. Nec cum Petro non recto pede incedenti, in os resisteret Paulus, eo quod condemnandus esset, silendi aut loquendi leges à Petro sibi poni passus est. Vult Scriptura, ut in Ecclesia Dei omnia εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν fiant. Quo Scripturæ loco, ordinis Ecclesiastici necessitatem probant Orthodoxi omnes.

1 Cor. 11.
Galat: 2.

Sed in

Sed indecens profecto erit, ut divina veritas, quam sanguine suo confirmavit Dei filius, limites defendendi sui & averruncandi errores accipiat ab ijs, qui isti veritati è diametro contradicunt. Indecens erit, ut nondum instituta à nobis Thesium nostrarum defensione & explicatione talis instituatur per Quæstiones & Responsiones Veri inquisitio, ex qua nonnisi maior confusio & rerum tractandarum perturbatio, certissime consequetur. Estque hoc contra ordinem Ecclesiæ & ἄτακτον plane, ut in Synodo quæ ad componendas Ecclesiæ turbas convocata est, de ijs rebus agendi libertas nobis præcidatur, quæ motuum & dissidiorum in Ecclesia, causa præcipua & principalis sunt.

Vident Domin. Vestræ, rem non esse adiaphoram de qua controvertitur, sed à recta ratione, manifestis Scripturæ locis, Dei, Christi, Apostolorum exemplis definitam & circumscriptam esse, ut quotquot mysterium fidei cum pura conscientia tenere volunt, alio pede incedere non debeant, nec si muneris sui rationem habere velint, possint. Si Vestrarum Dominationum, si Synodi conscientiæ secus statuant, nihil nos ijs imperare, quod contrarium suadeat, volumus, quia homines sumus: nihil ijs imperare, quod contrarium suadeat, possumus, quia citati & imbelles sumus. Verum cum conscientia nostra aliter judicent, quarum fide, integritate, innocentia, nihil quoque nobis carius est; humiliter Vestras Dominationes rogamus, ut rationes nostræ & Synodi prius examinentur, & inter nostram & Synodi conscientiam sequestræ intercedant. Si Synodus edocere queat, casum hunc conscientiæ casum non esse & iniqua nos postulare, cedemus libenter: Si nos edoceamus, casum hunc, conscientiæ casum esse, nosque æquissima petere, tandem petitioni annuite.

Hoc vero quamdiu tentatum non est, rogamus Vestras Dominationes ne conscientias nostras porro in hoc negotio à Synodo torqueri sinant, ne vel nobis imponere videantur necessitatem contra conscientiæ dictamen agendi, quod irreligiosum foret, & veritatis causam adversariorum arbitrio permittendi; vel sibi necessitatem imponant, sub specie & titulo inobedientiæ & contumaciæ in Magistratus nostros, in innocentes animas, & fideles Iesu Christi servos & obsequentissimos subditos, durius quiddam, præter meritum nostrum, statuendi. Quod tamen patienter ferre malumus, quam ut causæ Dei & Christi, per negligentiam nostram defugisse videamur, & contra conscientiam agentes, toties execratum in Scripturis hypocriseos crimen committamus, & iram Dei Opt. Max. qui corpus & animam nostram in gehennam conjicere potest, in nos concitemus.

Quapropter plena animi & conscientiæ fiducia in responsione nostra postrema acquiescimus, parati ad rei tractationem accedere, siquidem isto pede liceat. Cumque (quod notari petimus) Synodus indicet casum hunc, conscientiæ casum non esse, nos vero gravius rem omnem ponderemus, utique hac in re nobis gratificari salva sua conscientia poterit.

Hæc quoque Vestras Dominationes scire volumus, ne quidquam quod ad instruendum Vestras Dominationes in re gravissima, quæ non leviores circumstantias, sed Dei gloriam, muneris nostri fidem, Ecclesiæ ædificationem & ipsam veritatis causam concernit, intermisisse videamur.

Subscripta erant omnium nomina.

Illustres D D. Delegati Synodo declararunt, quid ab ipsis ad hoc scriptum esset responsum. Nimirum, existimare se, totum tribus potissimnm niti fundamentis. Primum esse, quod conquererentur nimis arctis sententiæ suæ explicationem constringi limitibus. Ad hoc respondisse, latiorem sententiæ ipsorum explicationem Decreto Synodico ipsis, ubi ad interrogata respondissent,

plene concessam, quo & contrariæ sententiæ oppugnationem, non tantum permissum, sed & imperatum iri significatum fuit: adeo ut de imminuta sententiam suam declarandi & defendendi libertate, conqueri nullo jure queant. Secundum, spectare qualitatem Synodi, cuius autoritatem subterfugere hac criminatione conarentur, quod adversa pars esset. Eam autem criminationem Exterorum suffragijs soli disque jugulatam ac refutatam esse rationibus. Tertium esse, quod conscientias suas Decretis tum Synodi, tum Illust. DD. Ordinum, eorundemque Deputatorum Decretis opponerent. Responsum illis fuisse, Decretis illis nihil mandari, quod ipsorum conscientias jure merito gravare posset. Nec debere eos tantum suis tribuere conscientijs, ne nullam conscientiarum DD. Delegatorum, & totius Synodi, quæ profecto multo minus conscientijs ipsorum alligari posset, habuisse rationem viderentur. Quare, non minus æquum esse, ut suarum quoque Delegati & Synodus haberent rationem: ac proinde denuo mandasse ipsis, quia Illustrium & Præpotentum DD. Ordinum Generalium voluntas ex decreto hoc satis perspecta ipsis esset, ut se ei submitterent.

Præses quartam hanc quæstionem Remonstrantibus proposuit, *Quandoquidem in exhibitis Thesibus dixissent, Deum elegisse cum intuitu antecedentis obedientiæ, quid per hanc obedientiam intelligerent.* Responderunt: Episcopius: non habeo causam cur à sententia mea recedam. Nisi Deum revererer, non facerem quod facio. Iohannes Arnoldi: Persisto in responsione data. Poppius: Nusquam in scriptura legi Pastoribus aut seorsim aut congregatis, permissum esse, ut ita cum conservis suis agerent. Conscientiam allegavi, neque quisquam satisfacit conscientiæ meæ. Respondit ei Præses: totum orbem Christianum judicaturum esse. Pastoribus in Verbo Dei potestatem esse concessam rogandi de conservorum sententia: in Ecclesia Dei debere esse inspectores, qui de Doctorum in Ecclesia doctrina & moribus judicarent. Rogavitque eum: An disciplinam illam, quam Christus & Apostoli instituerunt, ex Ecclesia eliminatam vellet. Poppius respondit: Ei qui conscientiam suam allegat, nihil esse imperandum, nisi opera prius detur, ut conscientiæ ejus satisfiat. Se sincere coram Deo loqui, & rogare Synodum, ne quid tale in se committeret. Dolere se vicem Synodi, quod ita secum ageret: Non autoritate agi debere, sed rationibus conscientijs esse satisfaciendum. Præses ostendit, hoc responsum sapere supercilium. Illos liberrime judicare de Decretis Illust. DD. Ordinum & Synodi, neque pati ut de ipsis eorumque factis judicetur: ipsorum conscientijs jam satis superque debuisse esse satisfactum. Libertatem non tantum suam sententiam defendendi; sed & contrariam oppugnandi Decreto Synodico satis amplam iam concessam ipsis esse, modo iustis illa legibus circumscripta maneat. Synodum ipsam suis esse circumscriptam legibus. Iniquum esse, quod in agendi ratione non supremi Magistratus Decretum, sed præconceptam à se opinionem velint sequi. Nihil dum iniquum ab ipsis postulatum. rectius facturos, si querelas hasce, donec aliquid iniqui ab ipsis peteretur, differrent. Cum in antecessum enim (sicut loquebantur ipsi) ista urgerent, nihil facere aliud, quam quod Synodum accusarent, quasi certum sit, illam aliquid iniqui ipsis præscripturam. Respondit Poppius: Rationes se proposuisse, de quibus judicatura esset posteritas. Dwinglonius rogatus respondit: nullam video caussam, quare à sententia discedere debeam: persisto in sententia mea. Niellius: si non licet autores allegare, non video, quorsum ulterius pergere debeamus. Responsum ei fuit: concessum illis esse Decreto Synodico, sententiam contrariam oppugnare. verum libertatem illam non debere esse illimitatam, ut prolibitu Doctorum Ecclesiarum Reformatarum sententias exagitarent, & eorum quasi sepulchra refoderent, atque animas ventilarent: si modeste, uti decet, agere hoc vellent, Synodum reluctaturam non esse, cum ad eam rem deventum esset. Niellius reposuit, Non petere se illimitatam libertatem, neque animum sibi esse Doctorum Reformatæ Ecclesiæ sepulchra refodere; sed illorum de Reprobatione sententiam, quantum necessarium iudicarent, impugnare velle. Respondit ei Præses, vt de Reprobatione aliquando agerent, non permissum tantum esse, sed iniunctum iri. Ita ut de libertate illa dubitare non possent.

Ille

Ille regessit: Intelligere se, quorsum hæc tendant, ac proinde non posse respondere. Illustres DD. Delegati interfati significabant: Non dubitare se, meminisse Remonstrantes, in exhibito scripto provocasse ad sequestram DD. Delegatorum operam. Eam ipsos non posse non interponere, ac proinde hoc significare, existimare se per Decretum Synodicum abunde ipsis esse satisfactum, seque ijs denuo injungere ut huic saltem acquiescant, neque hanc cunctationum serram toties reciprocent. Reliqui porro moniti fuerunt, ut ad propositam quæstionem responderent. Matthisius respondit: Non possum aliter respondere quam respondi. Pynackerus: Persisto in responsione Die Sabbathi data, quamdiu rationes nostræ non impugnantur. Goswinus: & ego persisto. Ryckwaert: Non habeo quod addam. Hollingerus: detur nobis facultas agendi scripto libere, plene, & quantum judicamus necessarium ad veritatis manifestationem ac defensionem, sublatis cautelis & circumscriptionibus, promittimus vobis, daturos nos esse operam, ut nihil quod æquum & justum est, in nobis desiderari possit. Sapma: non habeo quod addam priori responsioni. Wezekius: Nec ego. Næranus: Quandoquidem Synodus interpretetur non esse conscientiæ casum; posse ac debere hanc ipsorum infirmitatem ferri à Synodo: non egressuros limites modestiæ in refutatione, modo libere refutare liceret. Ne protervi haberentur, munivisse se responsum suum rationibus. Quæ si forte infirmæ sint, ijs tamen se moveri, ut aliter agere non possint: paratos esse respondere, modo ne limites refutandi sibi præscriberentur: nihil se malle quam sententiam suam fusissime explicare, modo libertas, portentosa quædam & hominum saluti noxia, dogmata refutandi, quantum ipsi necessarium judicarent, concederetur. Responsum ei fuit, Rationes illas in scripto expressas satis esse refutatas. Mera tantum illos subterfugia quærere, ne sententiam suam manifestare cogerentur: Libertatem refutandi justam, satis plene ipsis Decreto Synodico esse concessam, atque adhuc concedi: modo illa justis Synodi legibus constringeretur. Ne forte ea agerent, quæ per conscientiam Synodus admittere non posset. M. Episcopius subjunxit: Nihil se aliud petere, quam ut scriptum inspiciatur, sibique concedatur Contra-Remonstrantium, & eorum quos illi pro Orthodoxis habent, sententiam, quantum ipsi necessarium judicarent, refutare. Responderunt Delegati, Scriptum illud à se lectum & expensum esse: Si existimarint, se eam sententiam, quæ pro Orthodoxa hactenus esset habita, erroris & falsitatis posse convincere, ipsis esse permittendum, ut hoc facerent, modo judicium de modo agendi non tantum penes ipsos, sed & penes se & Synodum maneat. Et quia toties objectum ab illis fuerat, in Ecclesiis nostris portentosa quædam tradi dogmata, gloriæ Dei & hominum saluti inimica, quæsitum est à Præside: Si existimarent talia esse, quæ in hisce hactenus Ecclesiis fuissent tradita, quanam conscientia utriusq; partis tolerantiam antehac urgere potuissent? Eo enim tempore, cum tolerantiam urgerent, declarasse ipsos, dogmata quæ Controversa haberentur, levis admodum momenti esse, nec salutis fundamentum attingere. Nunc contra horis singulis ingeminare, tam horrenda ea esse, ut conscientijs suis satisfacere non possent, nisi ea oppugnarent & everterent. Quanam ratione hæc conciliari possint? Videri esse temporis filios, qui ex circumstantia illius, gravitatem dogmatum, aut levitatem metirentur. Responderunt, Nunquam se ursisse tolerantiam, nisi quæ legibus circumscripta esset. Tunc temporis nondum habuisse scripta Piscatoris & quorundam aliorum. Quæ si habuissent, non fuisse istam tolerantiam ursuros. Imperatum ipsis denuo est à Delegatis, quia mens & voluntas Illust. DD. Ordd. Generalium satis perspecta ipsis esset, ut ad obedientiam sese componerent, neque ex urbe sine venia ipsorum discederent. Petebant Remonstrantes, ut Decreti huius Illustr. DD. Ordd. Generalium apographum concederetur sibi. Responderunt Delegati, iustas esse caussas, quare id fieri non posse. Si quid tamen aut obscurum, aut quod non satis recte ipsi intelligerent, esse videretur, bis terve prælectum illis iri. Cui responso acquieverunt.

Sess. XLVII.

Sessione Quadragesima-septima,

IV. *Januarij, Die Veneris ante meridiem.*

HEnricus Leo, qui superiori die, quo reliquis Remonstrantibus Decretum Illust. & Præpotent. D D. Ordd. Generalium prælectum esset, præsens non fuerat, solus vocatus fuit, & comparuit: prælectumque ei dictum Decretum, rogatusque est, utrum hisce Illust. & Præpotent. D D. Ordd. Generalium mandatis morem gesturus esset. Respondit, se sententiam suam scripto comprehendisse: quod & tradidit, petijtque ut prælegeretur. Significavit illi Præses, reliquis Remonstrantibus propositam fuisse hanc quæstionem. *Vtrum quinque Hagiensis Colloquij Articulos, pro suis agnoscerent, obtestatusque est eum, per Dominum Iesum Christum, & per afflictarum Ecclesiarum pacem, ut ad hanc quæstionem sincere, simpliciter, & candide responderet.* Qui subjecit, se, si sibi constitisset ea ratione actum in Synodo iri, ad eam venturum non fuisse. Hagiensi Collationi non interfuisse se: Articulos illos hactenus suos esse, quatenus ijs postea assensum suum adhibuisset. Si libertas postulata concederetur, fidi Pastoris officio se non defuturum, neque vagam & prophanam postulare licentiam, tantum petere debitam sibi concedi libertatem. Et quandoquidem judicium hic ferendum esset, cum periculo conjunctum esse ad omnia interrogata Præsidis respondere. Non posse se causam suam, eorum judicio, à quibus condemnata jam esset, permittere, neq; se de omnibus loqui, sed Provinciales maxima sui parte adversarios esse, quibus committi iudicium non posset. • Esse in Ecclesijs hisce Reformatis, qui secessionem ab ijs fecissent: illos agnoscere Iudices iniquum videri: Non posse se ad quæstionem propositam respondere, nisi concessa libertate postulata. Responsum ei fuit, non tantum ei fore liberum, sententiam contrariam oppugnare, sed & hoc, quod toties iam dictum esset, sponte injunctum illis iri. Liberum etiam illi esse, ut si mentem suam ad interrogata Synodi non satis plene explicare posset, ea postea adderet, quæ ad explicationem pleniorem addenda viderentur, modo ordine hoc fieret. Nihil delinqui, si ad quæstionem hanc responderet. Quare salva conscientia respondere posse: maiorem se in ipso quam in reliquis æquitatem agnoscere, & proinde gratias habere, quod & libere & candide illud quod reliqui allegare noluissent, profiteretur (quæ tamen vera & præcipua tergiversationis causa esset) Synodum nimirum pro parte adversa ab ipsis haberi, ac propterea causam suam eius judicio ac directioni permittere nolle. Rogavit eum Præses, An-non sese in Synodo Geldrica, Nationali subjecisset? Respondit, se hoc non negare. Addiderunt D D. Delegati, ut sententiam contrariam refutarent, non modo liberum illis fore, sed & imperatum iri: permitti iustam libertatem sententiam suam explicandi atque defendendi, modo non illimitata sit. Ad Delegatorum sequestram operam provocasse ipsos: Quare bona omnia debere ab ijs expectare, ad quos provocarant. Proposita jam ipsis Illustr. DD. Ordd. Generalium mandata, quibus conscientiæ ipsorum minime gravarentur. Æquum esse ut ijs morem gererent. Arbitrarium non esse, supremi Magistratus autoritati legitimæ refragari. Iniquum esse, Citatos Iudicibus leges præscribere, & quasi manus ligare velle: Synodi judicium non posse ipsos subterfugere. Spiritus Prophetarum Prophetis subjectos esse. Qui membra Ecclesiarum Reformatarum esse vellent se istorum Ordini subjicere, eosque Iudices agnoscere debere, qui ab ijs essent Delegati. Rogarunt eum denique, ut quandoquidem hoc iudicium declinaret, neque hos Iudices agnosceret, quodnam igitur Iudicium, & quos Iudices in causa sua postularet? Respondit, secundum Remonstrantium sententiam, supremum Magistratum esse legitimum Controversiarum Ecclesiasticarum judicem:

judicem: se autem arbitrari hoc Iudicium Ecclesiæ magis competere. Illam vero, æquiores judices quam sunt isti, & suspectos minus, dare debuisse. Rogatus ab Illust. D D. Delegatis, quid in his Iudicibus desideraret, respondit, esse in hoc Consessu tales, qui pro legitimis agnosci non possent: dubitare præterea, utrum omnes legitime sint deputati. Demonstratum ei fuit, Iudicem legitimum ad rei exceptionem recusari semper non posse. De Rei seu Citati exceptione ipsos Iudicare debere Iudices: Si Iudex legitimus minus idoneis conditionibus instructus videatur, non solere eum rejici propterea, sed adjungi ei aliquem. Hisce Ecclesiasticis Iudicibus additos esse ipsos Delegatos, qui diligenter essent curaturi, nequid fieret iniqui. Respondit Leo, non putare se ullum extare Canonem, quo statutum sit, partem adversam posse esse Iudicem: Synodum autem maxima sui parte adversariam esse, cum in ea multi sint, qui partibus jam faveant, scriptisque suis causam Remonstrantium jam condemnarint. Rogavit eum Præses, quandoquidem dixisset, omnes qui sententiam de hisce controversijs dixissent pro adversa parte habendos esse, annon hac eadem ratione Illust. Ordines pro parte adversa habendi essent, siquidem declarassent, se Contra-Remonstrantium sententiam pro ea habere, quæ cum Reformatis Ecclesijs consentiret. Leo respondit, non constare sibi Illust. Ordines hoc declaravisse: cæterum, si illi declararent, sententiam, quam Contra-Remonstrantes docent, Reformatam religionem esse, nolle se esse membrum istarum Ecclesiarum in quibus ista docerentur. Responderunt Delegati Geldrici, si existimaret tam blasphema à Contra-Remonstrantibus doceri dogmata, cur ea in Geldrica non adduxisset Synodo: cum præsertim hoc ab ipso postulatum esset. Respondit, postremum ipsorum scriptum non fuisse prælectum, sed suppressum. Iidem D D. Delegati responderunt, ipsos noluisse ut prælegeretur: non enim Synodo inscriptum fuisse. Quæsivit postea Leo, An ergo Synodus hæc ipsis plenam permitteret libertatem? Responsum ei fuit, eam ipsis dudum permissam esse, atque ut de eo constaret, denuo Decreti explicatio prælecta fuit. Respondit, satis quidem plenam ibi libertatem permitti videri: sed, fortasse, ubi ad Reprobationem & ad sententiam Contra-Remonstrantium de ea perventum esset, silentium sibi impositum iri. Petijt denique ut scriptum paulo ante à se exhibitum prælegeretur. Quod prælectum quoque fuit. In quo declarabat, statuisse se huic Conventui non interesse, sed citatum comparere voluisse: idque ea spe, ut Collatio amica super quinque Articulis, atque in primis rigida de Reprobatione quorundam doctrina, institueretur. Quod si visum esset illa ratione secum agere, malle se à publico recedere. Expectaturum quidem Synodi judicium, idque si verbo Dei consentire deprehenderet, ei se assensum præbiturum: sin minus, Ministerio cessurum. Quo si privaretur, quia partis se adversæ judicio non submitteret, orbem de eo judicaturum esse. Præses iterum rogavit, An ad quæstionem jam propositam responsurus esset. Respondit, se citatum ut propriam opinionem, quantum necessarium esse iudicaret, explicaret & defenderet: ea lege se velle, ea cessante, se non posse, sed judicium Synodi de Persona & Doctrina sua expectaturum esse. Cumque omnino respondere detrectaret, cum hoc DD. Delegatorum mandato dimissus est: ne sine ipsorum venia urbe excederet.

Quandoquidem Citati, tum Synodi tum ipsorum Illustr. & Præpotent. DD. Ordinum Decretis ac mandatis parere, sententiamque suam ad interrogata Synodi plenius exponere detrectarent, cumque ab ipsis Generalibus Ordinibus, publico Decreto iam statutum esset, ut nisi morem gererent, Remonstrantium sententia ex ipsorum scriptis examinaretur, deliberatum fuit, qua ratione id ipsum commodissime institui posset. Præses proposuit, Annon videretur consultum, ut prius ex ipsorum scriptis quædam, ut vocantur, interrogatoria concinnerentur, quæ se jam aliquo modo parata habere dicebat, atque ut ex ijs postea Theses quædam formarentur, quibus Remonstrantium sententia breviter, perspicue & fideliter comprehenderetur atque explicaretur? Placuit Synodo hanc agendi rationem experiri.

Balthasar Lydius, Ecclesiæ Dordrechtanæ Pastor indicavit, die proximo Dominico sacram Cœnam in ea urbe celebratum iri, gratissimumque Ecclesiæ isti

 fore,

fore, si Venerandæ Synodo placeret tum firmandæ fidei suæ, tum testandi in fide consensus caussa, sacram σύναξιν cum ea celebrare: decretum esse à Presbyterio, ne qua oriretur confusio, ut quicunque accessurus esset, id ipsum prius alicui ex illius Ecclesiæ Pastoribus significaret. Idem Ieremias Pourfius Gallo-Belgicæ Ecclesiæ nomine Synodo indicavit, idemque ab eadem petijt.

Sess. XLVIII.

Sessione Quadragesima-octava,

V. *Januarij, Die Saturni ante meridiem.*

PRoposita sunt Synodo à Præside Interrogatoria nonnulla, ad pleniorem sententiæ Remonstrantium circa primum Articulum explicationem. Monitique sunt Exteri Theologi, ut amanuenses post meridiem, ad describendum statum controversiarum in Synodo Geldrica formatum, & in ipsorum gratiam in Latinam linguam conversum, mitterent.

Sess. XLIX.

Sessione Quadragesima-nona,

VII. *Ianuarij, Die Lunæ ante meridiem.*

PRæses indicavit Isaacum Welsingium, Pastorem Hornanum à Synodi Noort-Hollandicæ judicio ad Nationalē in causa suspensionis à munere docendi appellasse, literasque ab Illust. Principe Arausicano, quibus causa ejus Synodo commendabatur, attulisse. Quæ & prælectæ sunt. Exhibitæ quoque & prælectæ sunt literæ Ioannis Arnoldi Rodingeni illius Ecclesiæ Pastoris, scholæque in eadem urbe Rectoris, in simili suspensionis causa ad Synodum appellantis. Statutum fuit, ad hasce appellationes, literasque attendendum esse, ubi ad tractationem Controversiarum Personalium deventum esset, atque hoc ipsis tempori significandum esse.

Perrexit Præses in dictandis Interrogatorijs ad explicationem primi Articuli, ex scriptis Remonstrantium ab ipso excerptis.

Sess. L.

Sessione Quinquagesima,

Eodem Die post meridiem.

PRælecta atque examinata sunt præcedentium aliquot Sessionum Acta. Eademque occasione denuo moniti sunt Synodorum Geldriæ, Hollandiæ Australis & Borealis, Ultrajectinæ & Transisulaniæ Deputati, ut rerum cum Remonstrantibus in Provincijs suis gestarum, brevem & fidelem historicam conscriberent narrationem, eamque quam primum posset fieri, Synodo exhiberent.

Propositum quoque fuit, annon expediret, ut à Remonstrantibus, præter jam exhibita, considerationes sive animadversiones ipsorum, in λειτουργίαν & Ecclesiasticum harum Ecclesiarum regimen, exigerentur. Cum non esset dubium, quin in ista suas quoque haberent considerationes. Verum dilata fuit hæc deliberatio.

Sessione

Sessione Quinquagesima-prima, SESS. LI.

VIII. *Ianuarij, Die Martis ante meridiem.*

PRopositæ sunt à D. Præside Theses quædam, ab ipso ex Remonstrantium scriptis collectæ, quæ ad explicationem primi Remonstrantium Articuli, qui est de Prædestinatione divina, spectarent. Prælectæ quoque sunt earundem Thesium ex Remonstrantium scriptis probationes. Quo facto moniti sunt singuli, vt diligenter attenderent, utrum mens Remonstrantium iisdem probe expressa esset, an vero aliquid addendum, demendum vel immutandum in iis videretur, utque ea de re sententias suas proxima Sessione per Collegia (si fieri posset) exponerent: simulque Consilia sua de modo, quo in hoc negotio porro procedendum, adjungerent.

Sessio proxima, ex petitione Clariss. DD. Professorum, in diem perendinum dilata fuit.

Sessione Quinquagesima-secunda, SESS. LII.

X. *Ianuarij, Die Iovis ante meridiem.*

PRælectæ sunt singulorum Collegiorum considerationes in Theses à Præside propositas, fuitque judicatum, iisdem Remonstrantium sententiam probe satis ac fideliter expressam esse. Quo nomine & Præsidi pro hoc labore gratiæ sunt actæ. Observata quædam à nonnullis fuerant, quæ commodius mutari, aut dici possent. Iudicarunt plerique aliquanto fore consultius si hæ Theses in pauciores contraherentur: utque inprimis fundamentales maximeque necessariæ servarentur, eæque à Consectarijs distinguerentur. Cujus rei specimina à magnæ Britanniæ Theologis, Zuyt-Hollandis, & à Scriba Festo Hommio, Synodo exhibita sunt.

Consilia de modo in hac caussa porro procedendi à plerisque addita non fuerant. Quare de eo statui eo tempore nihil potuit.

Sessione Quinquagesima-tertia, SESS. LIII.

Eodem Die post meridiem.

PRælecta sunt reliquorum Collegiorum de modo in hac causa procedendi consilia, quibus collatis, potioribus suffragiis statutum fuit, explicationem Remonstrantium sententiæ, eadem hac ratione, qua in primo Articulo factum fuerat, in reliquis porro quatuor esse eruendam, Thesibusque certis includendam, priusquam ad examen & judicium primi Articuli deveniretur. De quo tamen singuli ut serio cogitarent, eumque diligenter expenderent, sunt moniti.

Eadem Sessione quædam à Præside dictata sunt, quæ ex observationibus in Theses, quas paulo ante conceperat, mutanda, aut addenda collegerat. Ac præterea præcipua quædam capita, ad quæ in Controversia de primo Articulo inprimis attendendum esse iudicabat. In quibus hoc præcipue spectandum monebat, utrum Remonstrantium sententia recte satis ac fideliter expressa esset. Rogavit quoque Synodum, annon consultum esse judicaret, ut Citati se sisterent, eorumque de dictis Articulis sententia audiretur. Cæterum, placuit proximo

ab hoc die eos advocari, atque ex ijsdem Articulis interrogatoria quædam à Præside proponi, mandarique illis, ut ad pleniorem sententiæ suæ declarationem ingenue & aperte responderent.

Sess. LIV.

Sessione Quinquagesima-quarta,

XI. *Ianuarij, Die Veneris ante meridiem.*

Remonstrantes vocati comparuerunt. Et quia Isaacus Frederici præsens non fuerat, cum reliquis Edictum Illustriss. ac Præpotent. Ordd. Generalium superioribus diebus prælegeretur, ut ipsi quoque de eorundem D D. Ordd. voluntate constaret, denuo idipsum præsentibus cæteris omnibus prælectum est. Significatum est insuper à Præside Remonstrantibus, cognitum ipsis esse, huic Synodo non tantum ab Ecclesijs hisce Reformatis, sed & Illustriss. & Præpotent. Ordd. Generalium præscripto injunctum esse, ut ipsorum Remonstrantium quinque Articulos primo loco examinarent. Quod ut sincera conscientia fieret, præstitum esse à singulis juramentum, se hac in causa nihil spectaturos, quam gloriæ Dei propagationem, veritatis confirmationem, & Ecclesiarum ædificationem, atque in ferendo judicio, solius Dei verbum, non autem alia humana scripta pro eiusdem norma habituros. In hujus causæ discussione necessarium fore, ut ante omnia recte cognoscerent Remonstrantium sententiam atque examinarent. In hoc singulos Synodo sincera declaratione inservire debere. Ipsos quidem aliquam sententiæ suæ declarationem super quinque Articulis tradidisse. Cæterum judicasse Synodum, necessarium esse, ut mentem suam latius declararent. Eum in finem postulatum ab ipsis aliquoties fuisse, ut eam ad interrogata quædam latius explicarent. Ipsos vero detrectasse hactenus ad ea respondere, nisi ipsis in antecessum sententiam suam explicandi, & contrariam refutandi libertas concederetur, quantum ipsi necessarium judicarent. Hinc contentionem inter ipsos & Synodum esse exortam. Hinc ad nauseam usque toties illis inculcatum, æquam ac plenam ipsis concessam esse libertatem, non tantum sententiam suam explicandi & defendendi: sed & contrariam rationibus oppugnandi; modo interim sit Synodi dispicere, ne illa libertate abutantur. Varia super hac re ultro citroque fuisse dicta ac scripta, tandemque Illustriss. & Præpotent. D D. Ordinum Generalium intervenisse autoritatem. Quorum Decreto parere recusarint, neque hactenus ad interrogata Synodi respondere voluisse. Vocatos esse iterum eandem ob causam. Synodum denuo periculum facturam, utrum tandem aliquando responsuri essent. Moneri itaque ac rogari serio, ut ingenue ac sincere ad quæstiones à Synodo proponendas responderent. Ac primo, Num adhuc sententiæ suæ declarationem & defensionem quæ in Hagiensi Collatione contineretur probarent. Hujus quæstionis rationem non esse obscuram, quia antehac professi essent, se ab eo tempore multa didicisse, neque velle ex prioribus illis scriptis de sententia sua judicium ferri, quia dies diem doceret. M. Episcopius rogatus, ex scripto prolixe respondit: sperasse se conscientiæ suæ satisfactum iri, quod ne quidem leviter tentatum sit. Leges se nolle Synodo præscribere, sed neque ab ea quaslibet accipere. Petere se eam libertatem, quam & jura, & Citatoriæ diserte concederent. Non se subterfugia quærere, neque metuere ne dogmata gloriæ Dei inimica & saluti hominum noxia, ex ipsorum Confessionibus exsculperentur. Qualia se in Contra-Remonstrantium sententia ostendere posse existimarent. Tantum abesse, ut subterfugia quærerent, ut parati essent sententiam suam, quantum ipsi necessarium judicarent, propo-

nere,

nere, explicare ac defendere. Permittere se, cum sententiam suam ita proposuissent, si quid Synodo quærere placeret, ut hoc fieret. Se ad propositas quæstiones vel sexcentas vel millenas responsuros esse : sive viva voce, sive per eos, quos maxime huic rei idoneos judicarent. Mandatum ex sententia Delegatorum fuit, ut hoc scriptum omnium manibus subsignatum traderent. Quod & factum fuit. Fuit autem tale:

Honorande Domine Præses, meminit dubio procul abunde satis Reverentia Tua, quid Sessione ultima à nobis omnibus & singulis unanimiter & concordibus sententijs atque animis ad quæstiones propositas responsum sit. Speraveramus equidem futurum, ut conscientiarum nostrarum, &, quibus illas subnixas esse demonstravimus, fundamentorum, ratio haberetur ab hac Synodo, cui id maxime curæ esse oportet, ut conscientias Fratrum ac Symmystarum suorum vel rectius instruat, melioribusque rationibus edoceat, sicubi errent; vel si infirmiores fuerint, Spiritu mansuetudinis sublevet atque suffulciat. Nihilque agat, quod aliud quid quam Christianum huiusmodi & benevolentiæ plenum animum atque affectum in omnibus actionibus spiret. Hac spe freti expectaveramus, ut rationes nobis & argumenta proponerentur, quæ vi & efficacia sua suaderent nobis, ut à proposito nostro discederemus. Et sane postulabat id tum Charitas Christiana, quæ conscientijs proximi, qua potest, optima ratione sponte & ultro succurrere & consulere gaudet; tum Naturalis ipsa æquitas, quæ alteri facere nos iubet, quod ipsi nobis fieri optaremus, & cuperemus. Sed proh dolor! nihil horum omnium vel tentari leviter videmus; sed per eandem rursus lineam, eodem mandato atque imperio nos gravari sentimus, tanquam si conscientias nostras eo tantum fine hactenus obtendissemus, ut quia nulla solida ratione tecti atque muniti videbamur, sub earum obtentu quidlibet diceremus ac faceremus, leges ac Decreta summarum potestatum insuper haberemus, & quod præcipuum crimen est, ulteriorem causæ totius disquisitionem declinaremus: A quibus omnibus quam longissime nos abesse persuasissimi sumus.

Leges nullas Synodo præscribimus, sed nec quaslibet accipimus aut admittimus. Eam enim libertatem in libera Synodo dari, & concedi nobis postulamus, quam Citatis omnibus ad causam suam dicendam, jura omnia, divina pariter ac humana, concedunt, quamque literis Citatorijs plena manu concessam nobis esse arbitramur. Subterfugia nulla quærere in animo habemus. Neque enim causa ulla est cur ea nobis quærenda esse existimemus. Nihil habet sententia nostra, cuius nos pudere debeat, quod occultatum, fucatum aut incrustatum cupiamus. Plana in ea omnia sunt atque facilia: nullæ salebræ, nullæ ambages, nullæ ambiguitates quas non planissime expositas, explicatas & detectas ex animo velimus: non metuimus ut quisquam ex ea expiscetur atque exsculpat eiusmodi dogmata, quæ divinæ gloriæ injuria, pietati noxia & in totam Religionem Christianam contumeliosa sunt, qualia non pauca habet Contra-Remonstrantium sententia, quos propterea subterfugia quærere majori jure dicere liceret. Quinimo uti hactenus semper, ita in-præsentiarum aperte iterum atque ingenue profitemur, tantum abesse, ut sententiam nostram occultatam cupiamus, aut ulla subterfugia quæramus, ut contra ideo nobis plenariam potestatem concedi petamus, explicandi & defendendi sententiam nostram, quantum possumus, & necessarium judicamus, ne quisquam deinde sit qui iure aliquid ultra à nobis desiderare possit, quod ad exactam totius causæ cognitionem facere ulla ratione videatur. Quod ipsum ut serio atque omnino nobis propositum esse Consessus universus intelligat, iterum promittimus, prout responsione nostra ultima scripto huic Synodo exhibita promisimus, si quid deinde in explicatione & defensione sententiæ nostræ, ac contraria impugnatione Synodo huic ad pleniorem intelligentiam quærere placebit, nos non tantum ad propositas hactenus quæstiones, sed etiam si vel sexcentæ aut millenæ aliæ forent, ad omnes & singulas ultro ac libenter responsuros esse, vel scripto, vel si res patitur viva voce, per eos, quos ei rei maxime idoneos judicabimus. Quod tanto

ardentius

ardentius petimus; quia nihil dubitamus, quin in explicatione & defensione sententiæ nostræ contrariæque impugnatione, alia multa, quam quæ quæstionibus continebuntur, allaturi simus; quæ multum ponderis atque momenti ad causæ totius cognitionem allatura sunt, & sine quorum intelligentia haud facile erit negotium totum, prout meretur, pertractare & dijudicare. Quod si impetrare non liceat, nulla caussa est, cur ab instituto nostro discedamus, aut ad propositas quæstiones respondeamus. Nos contra justissimas causas nos habere arbitramur, cur in proposito persistendum sit. Ne, videlicet, caussæ nostræ optimæ defuisse & veritatis plenariam defensionem, contrariæque falsitatis impugnationem neglectui habuisse, aut non ex officio & conscientia suscepisse ulla ratione videamur.

Subscripta erant omnium nomina.

Responsum autem fuit, non videri necessarium ut prolixe refutaretur, cum omnibus de æquitate Decretorum tum Illustr. & Præpotent. Ordd. Generalium, eorumque Deputatorum, tum & Synodi plus satis constaret. Quæ in hac caussa, ea conscientia, æquitate & integritate egisset, ut si eo quoque tempore iniqui aliquid mandatum à se esse depræhenderet, quo ipsorum conscientiæ merito gravari possent, omnes Synodicos melius edoctos errorem suum agnituros, petiturosque, ut in meliorem ea partem acciperent. In Synodo omnes æquitatis leges esse observatas. Iustam ipsis libertatem toties permissam & concessam esse, ut vel juramenti loco hoc promissum esse posset. Nihil autem peti à Synodo, nisi ut penes se sit potestas eam legibus honestis intra terminos coërcendi, si eosdem forte excederent. Declaravit Episcopius, nullam aliam se petiisse libertatem, quam quæ æqua sit, quæque omnibus Citatis concedi & soleat & debeat. Responsum fuit, talem libertatem ipsis à Synodo concessam esse, quin & amplius concessum iri, modo Synodi prudentiæ atque autoritati committatur, ut prospiciat ne quando ejus limites transgrederentur. Si existimarent Synodum aut Delegatos libertatem eam imminutam aut ademptam velle, magnam fieri ab ipsis Synodo & Delegatis injuriam. Quare Præses iterum amice & fraterne eos cohortatus est, ut pie & sincere agerent: utque ad interrogata Synodi tandem responderent; neque in subterfugiis ulterius progrederentur: pollicitusque eis est solemniter & quidem Synodi totius nomine, libertatem plenam quæ Citatis jure merito debetur, tributum iri. Episcopius respondit, si concedatur nobis mentem nostram de singulis explicare articulis, ac primum quidem de Electione, inde vero & de Reprobatione, eamque eodem modo defendere, & contrariam sententiam Contra-Remonstrantium, eorumque quos illi pro Orthodoxis habent, in singulis articulis plane propositam refutare, si quid tum in Explicatione aut Defensione deesse judicaretur, se ad quæstiones proponendas, sive scripto, sive viva voce, per eos, quos maxime idoneos ipsi existimarent, responsuros. Circumstantias temporis & similes arbitrio Delegatorum se permittere. Hæc libertas si concederetur sibi, ad propositas quæstiones responsuros esse. Præses dixit, in scripto tamen exhibito eos declarare, si categorice ipsis ad Synodi Decretum sit respondendum, persistere se in priori responso. Toties inculcatum esse illis in hoc rei cardinem versari. Libertatem ipsos petere non sententiam tantum suam defendendi, sed & aliorum, quantum ipsi judicarent necessarium, exagitandi. Ad quæ multi simul voce pariter sublata, hoc nequaquam à se peti. Exagitandi verbum non agnoscere, neque eo usos esse. Cumque multi testarentur ea voce usos esse, responderunt, hanc non esse mentem suam. Aliquem fortasse inter ipsos ea voce usum esse, nec idcirco æquum esse, ut quod unus forte aliquis dixisset, omnes luerent. Etiam Episcopius, ea usum se negabat. Quam tamen multi in Synodo audivisse se testabantur. Cumque reprehensi essent obiter, quod omnes simul extra ordinem clamarent pariter aut loquerentur, denuo illis declaratum fuit, Illustres atque Præpotentes Ordines, ipsamque Synodum, libertatem ipsis non sententiam modo suam defendendi, sed contrariam quoque oppugnandi permisisse:

fisse: modo ipsi libertatis hujus moderamen relinquatur. Neque tantum hoc permitti, sed injunctum iri insuper à Synodo, ut si, quod jam sæpe objecerant, dogmata ulla gloriæ divinæ inimica, aut saluti hominum noxia, horrenda, aut blasphema in Ecclesiis hisce doceri crederent, in medium proferrent, atque oppugnarent. Negationem justæ libertatis, veram hujus subterfugij non esse caussam, sed propterea responsionem eos detrectare, quia Synodum hanc pro legitimo caussæ suæ Iudice agnoscere nolint. Respondit Episcopius, Nos quidem ita sentimus, verum ut sentimus ita nobis pronuntiare non licet. Præses iterum atq; iterum amice eos monuit, ut desisterent tergiversari: nondum enim quicquam ijs quod iniquum esset propositum fuisse. Si quid tale in progressu forte eveniret, tum ejusmodi querelis locum fore. Rogavit ergo rursus Episcopium, num sententiam in Collatione Hagiensi propositam ac defensam agnosceret pro sua? Qui respondit, se ad eam quæstionem tum responsurum, ubi postulata sibi libertas concederetur. Rogatus porro, An doctrinam in scripto contra Walachros explicatam pro sua agnosceret; posse se progredi negavit, nisi prius ad ipsorum rationes, quas exhibuissent nuper scripto, responderetur. Ad eandem quæstionem Eduardus Poppius respondit, Nihil se habere, quod responsioni datæ adderet. Si libertas postulata concederetur, sese responsurum. Dictum ei fuit, eam toties concessam & promissam jam esse. Eam nempe, quæ & justa, Synodique legibus esset circumscripta. Non debere ita tergiversari sub prætextu conditionis concessæ & decretæ. Illustres D D. Delegati per Amplissimum & Clarissimum virum, D. Rochum Honardum declararunt, hanc rem diu sæpiusque jam tractatam esse. Velle sese finem ei aliquando jam imponi, neque eandem serram toties reciprocari. Ad justam causæ disquisitionem, nullam illis libertatem defuturam. Delegatos polliceri, sese operam daturos, ut nec locus ipsis, neque tempus plene agendi causam suam negaretur. Mandare itaque, ne diutius, quod toties jam dictum esset, subterfugerent, sed ut tandem aliquando ejusmodi tergiversationibus finem imponerent. Perpetuo enim silentio veritatem nec inquiri, nec defendi. Episcopius respondit, si quod peterent promitteretur, sese parituros. Et paratos jam declarationem sententiæ suæ de primo Articulo exhibere: hac lege se libenter eam tradituros, siquidem id D D. Delegatis videretur. Præses eos obtestatus est per conscientias suas, ut ostenderent, quid in eo sit peccatum, si ex Illustriss. D D. Ordd. Generalium mandato, ad propositam quæstionem responderent. Si in hisce interrogatoriis, ad justam declarationem quidquam deesset, pleniorem eos posse tradere. Sufficere debere, eam concedi ipsis libertatem, quæ Citatis deberetur. In antecessum aliam velle postulare, supervacaneum esse, neque aliud, quam subterfugium hoc loco intempestivum. Querimoniam illam de libertate non satis plena ipsis concessa, esse injustam: cum tot præcedentibus Sessionibus toties contrarium propositum illis esset ac promissum: iniquum esse & alienum de non data loquendi libertate conqueri, ubi aliquis jubetur loqui. Poppius denuo rogatus, ut ad propositam quæstionem responderet, dixit, Se tum responsurum, ubi ea quam peterent libertas concessa esset. Nolle se quidquam præscribere, hoc enim ad Illust. DD. Delegatos pertinere, ac proinde nolle se falcem suam in alienam mittere messem: non esse tutum ad omnia proposita ex tempore respondere: tum fortasse se responsurum, cum libertas illa jam concessa esset. Ioannes Arnoldi Corvinus idem rogatus, respondit: In responsione, nempe jam & ante data, se persistere. Dwinglonius: si declaretur, hanc esse Synodi mentem, concedi ipsis eam, quam petunt, libertatem, se paratum esse ad respondendum. Si vero non concedatur, libere se profiteri, non posse se à data responsione discedere. Præses monuit, illos nunquam Categorice, sed per SI conditionale semper respondere: rotunde & Categorice esse respondendum. Dwinglonius respondit, Candide ipsos agere, neque velle decipere, ac propterea ita respondere. D D. Delegati monuerunt, causæ nihil esse, quare ipsi de candore quoque D D. Delegatorum, totiusque Synodi dubitarent. Præses subjunxit, Synodum loqui plane: ipsos autem obscure: à Synodo enim eam libertatem, quam omnia jura divina & humana Citatis concedunt, diserte ipsis promitti: non itaque opus esse, ut sub ambigua illa & obscura loquutione subterfugia quærerent, Synodumq; legibus, quas admittere nec debeat, nec possit, adstringerent.

ſtringerent. M. Epiſcopius, oſtẽdi ſibi petijt, quidnam in reſponſis ſuis merito deſiderari poſſet? Ad quæ Præſes, ſatis hoc jam dictum eſſe, quod nimirum Synodi autoritatem non agnoſcant, neq; juſtis, ubi opus ſit, illius velint coërceri legibus. Rem eſſe inauditam, citatos judicibus agendi modum velle præſcribere, & de eodem illis controverſiam movere. Poppius dixit, Liceat nobis illa, quam petimus, frui libertate. Quicquid Illuſt. D D. Delegati nobis mandaturi ſunt, aut faciemus, aut patienter feremus. Reſpondit Præſes: Decreta Illuſt. D D. Ordinum Generalium & Synodi, ſufficere ipſis debere: illa eſſe clara & æqua: exceptiones autem quas adferrent, ambiguas eſſe & nullius momenti. Niellius rogatus, utrum ad propoſitam quæſtionem reſpondere vellet: dixit, Quæſtionem eſſe intricatam. Non poſſe ſe ex tempore reſpondere. Se re ipſa nunc experiri, eam libertatem, quæ æqua ſit, ipſis non concedi. Cum enim ſuſpicio nuper tantum eſſet, futurum, ut Perkinſij, Piſcatoris, aliorumque errores, qui à multis aliis in his quoque regionibus condemnantur, producerentur, ſtatim præciſam ſibi fuiſſe hanc libertatem. Adeo ut crimen ſit vel nominare eos, quos errare facile probari poſſit. Reſponſum ei fuit, non vere, ſed per calumniam iſta dici. Rogatuſque denuo, num reſpondere vellet, negavit ſe, niſi prius refutatis ſuis rationibus, reſpondere poſſe. Henricus Leo idem rogatus, dixit, ſe citatum eſſe, ut ſuam proponeret ac defenderet ſententiam, non, ut ad ſcriptum reſponderet: velle ſe ſuam proponere, non alienam. Sed & judicari non ex aliena, ſed ex ſua velle. Rogatus denuo, Annon ſententia in Collatione Hagienſi propoſita ipſius eſſet, reſpondit, ſe nondum accurate perpendiſſe: rogare ſe, ut ſuam ſibi proponere liceret, neque cogeretur declarare quid de aliena ſentiret. Vezekius idem rogatus reſpondit, in eadem ſe reſponſione perſiſtere. Hollingerus, ſe uti nuper, ita nunc reſpondere. Nimis anxium præſcribi agendi modum, neque opus eſſe hæc Pædagogica interrogatione. Iſaacus Frederici, ſe non perpendiſſe Hagienſem Collationem. Petere, ut permittatur ſibi libertas ſententiam ſuam proponendi. Deſiderare ſe, ut ad omnes rationes ſuas reſpondeatur. Ryckvvaert, ſi liceat ſibi eam quam peterent agendi rationem ſequi, ſe non habere, quod adderet. Næranus, aſſentiri ſe Collegæ ſuo Iſaaco Frederici: paratum ſe ad omnia interrogatoria reſpondere juxta tenorem Citatoriarum: non interfuiſſe ſe Collationi Hagienſi, neque iſto tempore functum eſſe miniſterio. Eſſe rem exigui momenti, ſi primo loco permitteretur ſuam explicare ſententiam ac mox reſpondere. Præſtare autem illud, quia forte in eius explicatione, in multis ſatisfacturi eſſent, de quibus poſtea non eſſet opus interrogare. Non poſſe quædam ab ipſis plene explicari ſi interrogationum limitibus circumſcribantur. Reſponſum ei fuit, eodem rem redire, ſive primo loco, ad interrogata reſponderent, ſive primo loco ſententiam ſuam ſcripto explicarent. Et quandoquidem à Synodo decretum jam eſſet, atque injunctum, ut ad ea, quæ proponerentur, primo loco reſponderent, non debere ipſos de hoc ordine adeo præfracte contendere. Neque enim interrogationum limitibus ita circumſcriptum iri, quemadmodum exiſtimarent: liberum enim ipſis fore, poſtea ad hanc declarationem ſemper addere & exponere quæcunque ipſis ad pleniorem ſententiæ declarationem addenda viderentur: cumque urgeretur ut reſponderet, dixit, Citatoriis ſe inhærere. Oſtendit ei Præſes, eas non permittere ipſis libertatem non circumſcriptam, nec per eas prohiberi, quominus Synodo interrogare eos liceret. Reſpondit, Interrogatoria illa fore ſupervacua, ſi in anteceſſum ſententiam ſuam plene declararent. Significavit Præſes, Decretum jam eſſe ut prius ad interrogata reſponderent. Si ea ad plenam totius ſententiæ ipſorum explicationem non ſufficerent, licere eandem poſtea plenius explicare. Næranus addidit, vidiſſe ipſos aliquod iſtorum interrogatoriorum ſpecimen, ex quo facile colligerent, per illa non permitti plenam libertatem explicandi quid ſentirent. Reſponſum fuit, Si hoc forte fieret, permiſſum ipſis iri, ut eam poſtea, quod & ante dictum fuerat, plene explicarent. Rogavit Næranus, cur ergo negotium ſibi faceſſeretur, & à Citatoriis diſcederetur? Reſponſum ei eſt, negotium ipſos ſibi & Synodo faceſſere. Sæpius fuiſſe explicatum, à Citatoriis non diſcedi. Synodi eſſe agendi ordinem præſcribere. hunc nunc eſſe à Synodo conſtitutum, ut ad interrogatoria ſententiam ſuam explicarent: ſi quid ad uberiorem explicationem

poſtea

postea deesse existimarent, posse hoc illos indicare, causæque suæ nondum esse satisfactum dicere. Semper enim libertatem, plenius se declarandi, concessum ipsis iri. Quare moniti sunt, iterum & quidem serio, Synodo honorem istum exhiberent, ut jam saltem aliquando ad illius interrogata responderent. Addiderunt, sua quoque monita & jussiones Delegati: multisque, ut antea, probatum fuit, non esse Citatorum leges Iudicibus præscribere; aut pro suo arbitrio tempus extrahere. M. Episcopius respondit, se hoc non facere, neque hoc agere, ut protraheretur tempus, sed in scripto suo petere, ut ab Illust. Delegatis spatium præfigeretur sibi. Non esse egressuros limites, sed paratos esse Decretis parere, modo justa ipsis concederetur libertas. Illust. Delegati responderunt, toties nunc justam libertatem esse promissam, toties jam ipsis imperatum esse, ut Synodo parerent. Velle ac jubere ipsorum Amplitudines, ut judiciale hoc eloquium, fidem & obedientiam apud ipsos tandem aliquando inveniret. Præses addidit, cum sit charitatis omnia sperare, debere ipsos quoque bona omnia de tam Veneranda fratrum Congregatione sperare, præsertim cum ab eadem, justa & æqua libertas toties permissa nunc esset. Non debere existimare ipsos, nullam esse æquam libertatem; nisi sub certis conditionibus promitteretur. Episcopius regessit, eandem charitatem postulare ut ab ipsis bona omnia expectarentur, addiditque, modo sibi postulata concederetur libertas, & exhiberentur quæstiones, esse se ad eas responsuros. Responsum fuit, quod de concedenda libertate diceretur, odiosum esse ac tædiosum toties in hac Synodo repeti, cum præsertim justa libertas tam prolixe & toties concessa & promissa ipsis esset. Interrogatoria autem ut exhiberentur ipsis, neque opus esse, neque usitatum in judicijs. Episcopius reposuit: Quid sit moris in hac re se nescire, saltem videri sibi hoc æquissimum. Pynackerus rogatus, ut ad propositam quæstionem responderet, dixit: Quia contentio tantum de ordine esse videretur, si interrogata exhiberentur sibi, liberumque esset eo pede, quo jam postulassent, respondere, recusaturum se non esse: Ex tempore se non posse respondere: Æquum esse, ut longioris temporis spatium sibi concederetur. Declaravit Præses, interrogationes obscuras non fore, sed ad eas ex tempore facile responderi posse, modo vellent. Quod si forte quæstiones non satis recte aut clare proponi ipsis viderentur, posse ipsos hoc ostendere, & Synodum juvare, ut de ipsorum mente perspicue constare posset.

Episcopius addidit, se paratos esse omnia, quæ ad ipsorum & nostram salutem sufficere putarent, proponere & declarare. Dixit Præses, Peti, ut hoc fieret, imo imperari ipsis, neque minus tamen eos conqueri & adhuc cunctari. Sapma idem rogatus, respondit, se non esse leges accepturos ab ijs, quos in conscientia sua pro parte adversa haberent. Candorem hujus responsionis dilaudavit Præses, atque hanc esse veram hujus tergiversationis causam ostendit, quod Synodum pro Iudice legitimo non agnoscerent, ideoque respondere nolle, ne si responderent, pro Iudice eam agnoscere viderentur. Gosvvinus interrogatus dixit; Responsio mea, in scripto nostro est exhibita. Assuerus Matthisius, responsurum se esse, si libertas postulata concederetur, & interrogandæ quæstiones exhiberentur. Quumque omnes declarassent alia conditione parere & respondere se nolle, exire jussi sunt.

Dimissis Remonstrantibus, deliberatum fuit, quid in hac causa, jam porro agendum esset, ut Illust. & Præpot. D. D. Ordd Generalium mandatis, & Ecclesiarum expectationi satisfieret. Præsertim cum professi jam essent Remonstrantes, se non velle tantum ex scriptis suis judicari, sed ex sententia sua quam nunc habent, eamque ad quæsita Synodi declarare detrectarent. Quæsitum fuit, annon tempus esset, ut sepositis præteritisque hujus aut illius, quas peculiariter haberent, sententijs, eæ præcipue examinarentur, quas in scriptis suis proposuissent, & publicassent Remonstrantes hactenus. quia istis Belgicæ Ecclesiæ potissimum jam essent conturbatæ. Illust. D. D. Delegati, deliberationem in horam quintam pomeridianam differri voluerunt, rogatique sunt omnes Synodici, ut sententias suas, si id fieri posset, per Collegia, vel scripto vel viva voce, exponerent.

SESS. LV.

Sesſione Quinquageſima quinta,

Eodem die poſt Meridiem.

ROgatum fuit Synodi judicium, de antemeridianis Remonſtrantium reſponſionibus atque actionibus; deliberatumque fuit, quid porro tum cum illis, tum in illorum cauſa eſſet agendum. Nonnullis quidem, inter Exteros præſertim Theologos, viſi fuerant Remonſtrantes, aliqua ratione propius ad Illuſt. DD. Delegatorum & Synodi voluntatem accedere, qui proinde exiſtimabant, exhibenda ipſis eſſe interrogatoria, ac mandandum, ut rotunde & perſpicue ad ea reſponderent. Quo hac ratione Synodus labore inquirendi ipſorum ex ſcriptis ſententiam, ſublevaretur, temporiſque fieret compendium. Sed potioribus ſuffragijs judicatum fuit, ſi declarationes ipſorum penitus inſpicerentur, nihil aliud ipſos reſpondiſſe, quam quod antehac toties reſpondiſſent, neque ad voluntatem Synodi propius ſe accommodare, ſed adhuc in conſueta & toties repetita tergiverſatione ac contumacia palam perſiſtere, ideoque dignos eſſe, qui propter hanc pertinacem & invincibilem contumaciam, cenſura Eccleſiaſtica notarentur. Quam Synodus ſuo tempore irrogandam ſibi reſervaret. Et quia toties tentata jam eorum eſſet pervicacia, pateretque manifeſte, eam nullis rationibus, juſſionibus, aut monitis vinci poſſe; placuit, Remonſtrantes hac in re non eſſe amplius urgendos aut monendos; ſed in cauſæ examine pergendum. Quare ex conſilio mandatoque DD. Ordinum, ex ipſorum ſcriptis, cum communibus, tum ſingulorum, examen doctrinæ eſſe inſtituendum. Illuſtres Delegati hac de re ſententiam rogati, Remonſtrantes advocari juſſerunt, iiſque præſentibus ſuam hoc Decreto ſententiam explicarunt. Quod & prælegi juſſerunt.

Quandoquidem Ampliſſimi atque Generoſi Delegati cum mœrore hactenus obſervarunt, huc citatos publica autoritate Remonſtrantes, etiam poſt recitatum hoc in loco Illuſtriſſimorum atque Præpotentum Dominorum Ordinum Decretum, in eadem pertinacia ac contumacia perſiſtere, placuit iiſdem Generoſis Nobiliſſimiſque Dominis, ſtare atque inhærere promulgato pridem Illuſtriſſimorum atque Præpotentum D.D. Ordinum Decreto, eaque, quæ hoc ipſo continetur pœna. Vtque in ſcriptis Remonſtrantium, quæ publice ab omnibus leguntur, eorumque examine pergatur; ex iiſque tota, quantum poteſt fieri, doctrina, quam tuentur hactenus, ac ſententia, eliciatur. Mandant inſuper & quidem pro autoritate Remonſtrantibus, præcipue poſt declarationem, toties, atque etiam hoc ipſo die, tum à Delegatis, tum à Venerandæ hujus Synodi Præſide, tanto repetitam cum labore ac moleſtia, ut ſi quæ ad explicationem aut defenſionem eorum quæ ab ipſis ſunt edita, aut habent, aut adferre poſſint, ea exhibeant. Ita tamen, ut poteſtas illis concedatur, cogitandi, an Synodicis Decretis pridem promulgatis, die Lunæ, & quidem ante meridiem, morem ſe geſturos, declarare vellent. Dordrechti XI. IANVARII. ANNO DOMINI, M.DC. XIX.

Præ-

Prælecto hoc Decreto postularunt Remonstrantes, apographum ejus sibi concedi. Responsum illis fuit ab Illustr. D. D. Delegatis, apographum ipsis dari non posse, sed permittere, ut ipsis hoc iterum atque iterum relegeretur. Fuitque ad illorum petitionem iterum distinctè prælectum. Mandarunt etiam Delegati, quia Episcopius ante Meridiem dixisset, paratos se exhibere pleniorem primi Articuli explicationem, ut omnia, quæ parata haberent, Synodo exhiberent. Respondit Episcopius, se non dixisse, paratos se jam esse, sed paratos brevi fore. Præses eum monuit, ne hoc negaret: neque enim à quoquam aliter fuisse intellectum. Atque hoc eo confirmari, quod scriptum aliquod in manibus habuerit, porrexerit, atque ostenderit, cum ista diceret: tanquam si hoc esset illud paratum scriptum. Ille nihilominus, in ista negatione persistebat.

Sessione Quinquagesima sexta, SESS. LVI.

XII. *Januarij, Die Saturni ante meridiem.*

HAc Sessione lectæ sunt binæ Amplis. Magistratus Campensis literæ. Quarum prioribus ad Synodicas respondebatur: quibus significabant, daturos se operam, ne Ecclesia Reformata in illa civitate, quæ addicta esset Contra-Remonstrantium sententiæ, ulla, à parte adversa, injuria aut ignominia adficeretur. Monuisse etiam serio Ministros Remonstrantes, ne in concionibus suis plebem adversus Ecclesiam illam concitarent. Alteris à Synodo petebant, quandoquidem duo Ministri, Voskulius & Schotlerus, ad hanc quoque Synodum citati essent, & Ecclesia Campensis omnium Pastorum suorum simul opera carere non posset; ut aut capita accusationum ad Voskulium & Schotlerum mitterentur, quo ijs scripto respondere & apud Ecclesiam suam manere possent, aut si omnino illis sit comparendum, ut interim Gosvvinus & Matthisius, qui in Synodo inter Citatos Remonstrantes comparerent, ad Ecclesiam illam remitterentur. Prælectæ quoque sunt literæ Presbyterij Campensis, tum Remonstrantium, quibus idem petebatur: tum Contra-Remonstrantium: quibus se excusabat, quod propter adversæ partis absentiam, ad præscriptum diem nullos misisset.

De petitione Magistratus Campensis & Presbyterij Remonstrantium, deliberatum aliquandiu fuit. Omnibusque accurate expensis, potioribus suffragijs statutum, duos Pastores illos Campenses denuo citandos esse, tempusque comparitionis, Præsidis & Adsessorum prudentiæ & curæ esse relinquendum. Monitum deinde fuit, ut à meridie ex singulis Collegijs aliqui ad describendum declarationes Synodales Vltraiectinas convenirent.

Sessione Quinquagesima-septima, SESS. LVII.

XIV. *Januarij, Die Lunæ ante meridiem.*

ILlustres Delegati indicarunt Synodo, uti antea sæpe laboraverant ut Citatis Remonstrantibus satisfacerent, ita die Saturni superiore extremam adhibuisse manū, totumq; pomeridianum tempus insumpsisse monendo, obtestando atq; imperando, ut de notis quinq; Articulis, quibus Ecclesiar. nostrarum status hactenus fuisset perturbatus,

ſententiam ſuam exponerent, explicarent, quantumque judicarent neceſſarium, defenderent: Sed & permiſiſſe ipſis libertatem, ut de Reprobatione non tantum propriam exponerent defenderentque, verum & contrariam quoque impugnarent, modo penes Synodum relinqueretur, ut ſi forte illa libertate abuterentur, juſtis eam legibus coerceret. Etiam in ſe recepiſſe, ſeſe, niſi ipſis plane hac in re à Synodo & plene ſatiſficeret, proſpecturos ne querendi cauſam haberent. Fruſtra tamen hæc omnia illis propoſita fuiſſe, neque quidquam apud eos profeciſſe. Reſpondiſſe illos ſcripto Belgico, quod paucis mutatis denuo a Delegatis propoſitum ipſis fuiſſet, monitoſque omnes eſſe, ut ei ſubſcriberent: cum exiſtimarent, ne ipſorum quidem judicio poſſe amplius peti, quam paulo ante ipſi petijſſent. Conditiones enim quas propoſuiſſent, pæne iiſdem verbis reddidiſſe ipſis. Neque tamen paullo poſt reverſos, potuiſſe adduci, ut illis ſubſcriberent: provocaſſe enim denuo ad clauſulam, Vigeſimo & Nono Decembris, ab ipſis propoſitam: quæ non tantum ſæpe antea à Delegatis, ſed & nuperrimo ipſorum D. D. Ordinum reſcripto penitus rejecta eſſet; Manifeſta cavillatione & ludibrio eorum, quæ toto fere pomeridiano tempore cum ipſis eſſent acta. Vt igitur tergiverſationibus illis finis aliquando imponeretur & ad rem veniretur, poſtulare ipſos Delegatos ut ſignificaret Synodus, annon hiſce officijs decreto Illuſtr. ac Præpot. Ordd. Generalium ſatiſfactum eſſet? Quod ſi ita judicaret Synodus, arbitrari ſe, vocandos eſſe Remonſtrantes ac poſtremo jam monendos, ut Decretis Illuſtr. D. D. Ordd. Generalium, eorundem Deputatorum, & ipſius Synodi parerent. Sententiam ſuam ad Synodi interrogata explicarent, ſcriptumque ad declarationem primi Articuli, quod paratum ſe habere dixiſſent exhiberent. Iudicare autem, in ordine agendi Synodo pergendum eſſe deinceps, quemadmodum Decreto Illuſt. ac Præpot. Ordd. Generalium conſtitutum eſſet. Vt autem Synodo conſtaret, quas conditiones Remonſtrantibus propoſuiſſent, ſcripta illa recitari publice mandarunt. Prius ſcriptum Belgicum hunc exprimebat ſenſum, de verbo ad verbum Latine redditum:

Illuſtres, Nobiles, Præpotentes Domini: Nos adjungimus ad præcedentia reſponſa noſtra, & oblationes, quas obtulimus, & ſcripto exhibuimus, vigeſimo nono Decembris proxime præterito, & undecimo Ianuarij, nos paratos eſſe ad interrogata quæ à R. D. Præſide propoſita ſunt, & porro ſuper ſingulis ex quinque Articulis proponi poterunt, perſpicue & abſolute reſpondere, & reſponſa noſtra ſimul cum explicatione noſtra ſuper ſingulis Articulis, quemadmodum antea à nobis propoſiti & exhibiti ſunt, intra tempus juſtum Synodo exhibere.

In quibus verbis cum manifeſta lateret ambiguitas, utpote cum iterum ad reſponſum ſuum vigeſimo nono Decembris exhibitum provocarent, Illuſtres Domini Deputati quod ſubſequitur conceperunt, dictiſque Remonſtrantibus ut ipſi ſubſcriberent exhibuerunt:

Nos ſubſcripti declaramus, paratos nos eſſe ad interrogata, quæ à R. D. Præſide Synodi nobis propoſita ſunt, & porro poterunt proponi, ex notis quinque articulis & difficultatibus ex iis ortis, perſpicue & abſolute ſcripto aut voce pro occaſione rei reſpondere & reſponſa noſtra ſimul cum explicatione noſtra, & ſententia, intra tempus juſtum Synodo exhibere.

Actum ſub noſtra
ſubſignatione &c.

Qui pro ſubſignatione, quam Illuſtres eorum Amplitudines expectabant, cum prope ſingula eorum verba, & promiſſa contineret, hæc iterum verba ſcripto exhibuerunt.

ri

Vt appareat nos de ordine non contendere, præcedens Decretum subſignamus: ea lege, ne nobis reliquæ conditiones in reſponſo noſtro, vigeſimo nono Decembris ſcripto exhibito, expreſſa, denegentur.

De hoc Remonſtrantium reſponſo, D. D. Delegati petierunt, ut Synodus ſententiam ſuam declararet, ſimulque, utrum Remonſtrantibus non abunde ſatisfactum eſſet. Quod ſi ſatisfactum eſſe exiſtimaret, annon judicaret in examine hujus cauſſæ, ex ipſorum ſcriptis ſecundum Decretum Illuſt. ac Præpot. Ordd. Generalium pergendum eſſe: denique, annon Remonſtrantes denuo ad Synodum vocandi eſſent. Re diligenter & mature expenſa, Aſſeſſôres, Scribæ, & Exteri Theologi, conſentientibus ſuffragijs unanimiter declararunt, exiſtimare ſe, Remonſtrantes in eadem etiamnum pertinacia, contumacia atque inobedientia perſiſtere. omnibus modis ſatis ſuperque indultum ijs, imo plus æquo conceſſum: Delegatorum æquanimitate, totiuſque adeo Synodi patientia, diu multumque abuſos eſſe: Satis apparere, pertinaciam eorum nulla ratione poſſe frangi. Bona illos conſcientia & potuiſſe & debuiſſe æquiſſimis Illuſtr. & Præpot. D. D. Ordinum Generalium, eorumque Delegatorum & Synodi Decretis morem gerere. Libertatem ipſis pleniorem concedi non potuiſſe, quam quæ toties à Synodo oblata & permiſſa fuit. Fuiſſe quidem viſos ſuperiore die Veneris paulo propius ad Synodi voluntatem ſe accommodare. Quam ob cauſſam etiam nonnulli inter Exteros Theologos exiſtimaſſent, quæſtiones interrogandas ipſis eſſe dandas, ut ad eas reſponderent: ſed ex hac poſtrema ipſorum reſponſione nunc intelligere, ſe ambiguis ipſorum promiſſionibus deceptos fuiſſe; ac proinde quia apparet nullam ſupereſſe ſpem eos ad meliorem mentem reducendi, arbitrari miſſos eſſe faciendos, & à præſentia Synodi amovendos. Vocandos iterum in Synodum eſſe, ut hæc ipſis indicentur. cæterum pauciſſimis cum ijs eſſe agendum, ne novis cavillationibus tempus iterum protraherent, ac deinde ſolemniter ex Synodo eſſe dimittendos. Ordinem vero agendi, Decreto Illuſt. D. D. Ordinum Generalium præſcriptum, in hujus cauſæ examine, porro ſequendum eſſe. Auditis Exterorum Theologorum ſuffragijs, judicarunt D. D. Delegati, neceſſarium non eſse, ut in perquirendis Provincialium ſuffragijs pergeretur. Voluerunt tamen Remonſtrantes advocari, ac poſtremo Delegatorum ac Synodi nomine ipſis imperari, ut vel jam ſaltem reſponderent Categorice: an ſimpliciter ac ſine iſta, quam jam toties adjunxerant, conditione, Decreto Illuſt. & Præpot. Ordinum Generalium, hujuſque Synodi, parere, ac in rem præſentem venire vellent. Vocati Remonſtrantes comparuerunt, juſſique ſunt ſimpliciter & Categorice, ad ſuperiorem quæſtionem reſpondere. Qui & Synodo ſcriptum obtulerunt. Quo ſignificabant, etiam ad eam quæſtionem jam reſponſum eſse. Iuſſerunt Illuſt. Delegati, ut ſinguli viva voce pro ſe reſponderent. Qui dixerunt, ſingulos huic ſcripto ſubſcripſiſſe, atque in eo ad propoſitam quæſtionem Categorice reſponderi. D. D. Delegati denuo monuerunt, ut ſinguli viva voce reſponderent: habere cauſas ſuas, quare ita reſponſum velint. Illi perſtiterunt in priori reſponſo, dixeruntque, Omnium reſponſum planum atque apertum ſcripto contineri, omniumque manu illud eſse ſignatum. Præſes iterum rogavit ſingulos, an reſpondere vellent, juſſitque ut ſimpliciter per Ita & Non reſponderent. Dixerunt, in libera Synodo ſemper licuiſſe de ſcripto reſpondere. Iuſserunt tandem Delegati, ut hoc ſcriptum ipſis traderent. Illi petierunt, ut liceret ſibi ſuum publice prælegere. Quod cum non permitteretur, tandem ipſis Delegatis tradiderunt. Qui mandarunt, ut ſecederent. Atque interim altera illius pars eſt prælecta; quæ reſponſionem ad Illuſtr. D. D. Delegatorum atque Synodi petitionem continebat. Cui prolixa Theſium de primo ipſorum Articulo adjuncta erat explicatio. Scriptum autem erat hujuſmodi.

Nobilissimi D. D. Delegati, Honorande D. Præses, Reverendissimi, Clarissimi, Doctissimi Viri, Patres ac Fratres.

QVanquam inviti denuo in hanc contentionis & disceptationis cum Veneranda Synodo arenam protrahimur; In qua, aut caussæ nostræ & veritatis quam ex sententia nostra defendendam suscepimus, ultronei & inconsulti proditores audiemus, si illi morem geramus; aut si renuamus, Synodi & publicæ autoritatis contemptores audiemus; Tamen quia inpræsentiarum respondendi necessitas rursum imposita est, existimamus nos gemino nostro responso, quorum prius vigesimo nono Decembris scripto exhibuimus, posterius undecimo hujus mensis Ianuarij, in ipso quoque Synodi consessu prælegimus, & ad postulatum R. D. Præsidis Rever. vestris tradidimus, officio nostro & omnibus, qui scriptorum istorum argumentum penitius excutere volent, abunde satisfecisse.

Quippe in quibus sincere ac candide obtulimus, nos plene ac plane ea qua decet modestia explicaturos scripto sententiam nostram, eandemque eodem modo defensuros, & contrariam sententiam Contra-Remonstrantium, & eorum quos illi pro Orthodoxis habent, scripto quoque (neque enim ad justam collationem ac disputationem venire nobis datur) refutaturos, quantum possumus & necessarium esse judicabimus: Quin etiam si quid in explicatione vel defensione desiderabitur, ad quæstiones omnes si vel sexcentæ, vel millenæ forent, citra ullam tergiversationem, vel scripto, vel si res patiatur, viva voce, per eos, quos maxime idoneos judicabimus, responsuros, relicta Illust. ac Nobiliss. D.D. Delegatis de tempore dispiciendi potestate. Quia tamen Synodus in his nostris responsis iteratis, jam aliquoties non acquievit, & post prælectum nobis Illustr. ac Præpot. Ordd. Generalium Decretum, ipsis denuo D. D. Delegatis visum fuit, superiore die Veneris Sessione vespertina, novo Decreto nobis mentem suam & voluntatem significare (licet plerosque Clarissimorum Theologorum Exterorum suffragijs suis scripto exhibitis petitionem nostram non prorsus improbasse intelligamus, quo nomine nobis gratulamur) nos uti hactenus summarum potestatum reverentes fuimus, ita neque nunc quicquam, quod Nobilissimos D. D. Delegatos jure meritoque offendere possit, aut debeat, ad supra dictum Decretum, quoad ejus tenorem ex sola recitatione percipere licuit (neque enim placuit ipsorum Dominationibus, apographum nobis concedere) respondebimus. Alterutram ex mente & voluntate istius Decreti nobis incumbere videmus; aut ut faciamus, quod nobis injungitur: aut ni faciamus, pœnam incurramus, quæ nobis denuntiatur.

Quod faciendum præscribitur, illud est, ut morem geramus Synodicis Decretis. Verum hoc nos non posse per conscientiam, jam sæpius significavimus, quin Synodi mandatum ab æquitate naturali recedere, & nobis ea, quæ divinæ voluntati contraveniunt, præscribere, fuse satis jam ante probavimus, atque idcirco etiamnum in illa sententia persistimus: nequaquam tamen ijs Synodi Decretis refragaturi, quæ apud conscientias nostras judicabimus rectæ rationi & Dei Verbo consentanea esse. Quod si vero ob hoc, pœna cum Ecclesiastica tum Politica digni censebimur, ad patientiam & mansuetudinem, quod Christianorum est, nos componemus, atque hic præclaro isto Hilarij dicto nos solabimur: Ecclesia dum contemnitur, proficit: dum læditur, vincit: dum arguitur, intelligit: tunc stat, cum superari videtur.

Interim judicent æquiores, annon à praxi Ecclesiæ alienum sit & alienissimum esse debeat, ut illis, qui ad caussam libere dicendam in foro Ecclesiastico (ubi res Religionis quæ conscientiam spectant, examinantur) citati venerunt, politicæ etiam pœnæ & supplicia intententur, aut intentata mox infligantur. Idque ob hoc, quod legibus in manifestum causæ suæ & veritatis præjudicium conceptis, obtemperare propter conscientiam, additis rationibus hujus sui facti, non possint.

Illud insuper hic serio Vestris Rever. inculcatum volumus, nos de ordine, qui in Responsione ad quæstiones à R. D. Præside proponendas & sententiæ nostræ explicatione observari debeat, non contendere; quin die Sabbathi iam proxime elapso Nobiliss. DD. Delegatis hunc scrupulum exemisse, & responsione brevi scripto comprehensa significasse; nos simul & Responsionem ad quæstiones iam dictas, & explicationem sententiæ nostræ Synodo exhibituros esse, salvis manentibus alijs conditionibus responso nostro XXIX. Decembris & XI. huius mensis exhibito expressis.

Cæterum quandoquidem DD. Delegatis visum fuit, eodem suo Decreto nobis imperare, ut Synodo de sententia nostra ex publicis scriptis antehac editis iudicium latura, ea insuper tradamus, quæ scriptis illis ad pleniorem explicationem & defensionem sententiæ nostræ addenda putabimus, En inpræsentiarum Vestris Rever. offerimus explicationem sententiæ nostræ circa primum Articulum de Prædestinatione, quem nuper decem Thesibus comprehensum Synodo exhibuimus. Quas iustum tempus nacti rationibus ex Verbo Dei & rectaratione petitis munire ac tueri parati sumus, atque hoc pede in reliquorum Articulorum pertractatione procedere.

Subscripta erant omnium nomina.

ITerum vocati Remonstrantes sunt, iterumque singuli rogati, an in hoc responso scripto jam exhibito persisterent? Responderunt ad unum omnes, se in eo persistere, jussique sunt singuli, ut isti quoque scripti illius parti, quæ responsionem istam continebat, subscriberent. Quod & factum est. Quia vero in prælecto quoque scripto declarabant intellexisse se, plerosque Clarissimorum Theologorum exterorum suffragijs suis scripto exhibitis, petitionem ipsorum non prorsus improbasse, quo nomine sibi gratularentur; Præses indicavit ijs, posse illos ex iisdem auditoribus intelligere, eosdem illos Theologos exteros postremis suffragijs suis declarasse, deceptos se à Remonstrantibus superiori illa declaratione, quam ipsi, quia ab illimitata illa libertate videbantur recedere, secundum Christianam charitatem, sinceram arbitrati essent; nunc autem intelligere, eos in eadem postulanda persistere, atque in usitata pertinacia atque inobedientia perseverare. Ac proinde existimare se, indignos esse eos, qui in Synodo diutius audirentur. Fuisse inter ipsos, qui fidelem proposuerint narrationem historicam, qua ostendebatur, istiusmodi agendi ratione ab ipso comparitionis initio, ad hunc usque diem, fuisse usos. Causam hujus pertinaciæ hanc esse primariam, uti in prioribus scriptis declarassent, quod pro legitimo harum controversiarum judice Synodum non agnoscerent, sed pro parte adversa haberent: ac proinde statim eos ab initio contra eam esse protestatos. Theses exhibitas ea ratione non conscripsisse, qua à Synodo injunctum ipsis fuisset: Æquissima tum Illust. DD. Delegatorum, tum Synodi Decreta sæpius contempsisse, cum sententiam suam jussi essent ad interrogata Synodi plenius declarare; hoc sæpius ipsos detrectasse, nisi in antecessum illimitata ipsis concederetur libertas: hoc est, quæ non justis Synodi legibus, sed ipsorum tantum circumscripta esset arbitrio, quamque Synodus concedere illis non potuisset. Hac arrepta occasione, Synodum diu detinuisse. Et quamvis toties Illustissi. DD. Delegatorum mandatis atque etiam Illustriss. D D. Ordinum Generalium decreto imperatum illis fuisset, ut ab eadem desisterent, tamen in ea pertinaciter perstitisse. Pressos tandem penitius visos non tam libertati illi inhærere amplius, quam ordini: An nimirum prius ad interrogata responsuri, an vero potius declarationem suam tradituri essent. Hanc ob causam quosdam inter exteros Theologos, adeoque ipsos Delegatos sperasse, tandem aliquando in rem præsentem venturos. Declarasse Illustriss. ipsorum Amplitudines, multis rationibus allaboratum ab ipsis fuisse, ut ad faciendum officium permoverentur: sed conditiones illas, quas proposuissent, prius de illimitata libertate iterasse; Idemque in scripto jam postremum exhibito fecisse.

Quo facto manifeste debitum Decretis Illustriss. Delegatorum ac Synodi obsequium detrectasse. Æquitati, lenitati, mansuetudini eorundem, ut & Synodi, nihil præter artes, fraudes, ac mendacia opposuisse. Adeo, ut inter Exteros Theologos non nemo esset, qui pronuntiarit publice, desinere illos eo modo quo cœpissent. Fraudibus cœpisse ac mendacijs, mendacijs & fraudibus desinere. Ac cum hoc elogio dimittendos. Quippe Episcopium, quemadmodum initio actionis negaverat, aliud se exemplar orationis suæ habere, cum postea tamen compertum fuerit, bina habuisse: sic postrema Sessione iterum negasse à se dictum, ad exhibendum declarationem primi articuli paratos se esse; cum tamen id diserte dixerit, & porrecta manu scriptum ostenderit. DEUM inspectorem cordium artes illas omnes videre, & Synodi sinceritatem cognitam habere: campatienter diuque obedientiam illorum expectasse, Deumque pro ipsis orasse, ut aliter agerent, sed omnes illorum actiones plenas semper artium, fraudinm, & illusionum fuisse: ac propterea, cum Synodo per ipsos inceptam cum illis actionem continuare & tranquille ac sedate agere, propter eorum præsentiam non licuerit, ex Synodo eos dimitti. Quotiescunque vero Synodus aliquid ab ipsis postulare vellet, indicatum hoc ipsis iri. Et quandoquidem ab ipsis contra Synodi atque ipsius summi Magistratus jussa ac Decreta multiplex commissa esset pertinacia, Synodum toti orbi Christiano patefacturam, spiritualia sibi non deesse arma, quibus illam vindicare possit, justissimamque suo tempore censuram illis irrogatum iri. cujus æquitatem quin toti Christiano orbi probatura sit, Synodum non dubitare. Hæc cum illis dicta à Præside essent, surrexerunt, atque ex Synodo discesserunt. Episcopius inter discedendum adjecit, Ad hæc cum Servatore nostro Iesu Christo silebimus, qui judicabit aliquando de fraudibus ac mendacijs nostris. Næranus, Provocamus ad judicium Dei, in quo illi qui nunc sedent ut judices, tunc judicandi stabunt. Alijs de illata sibi injuria protestantibus, Illustres DD. Delegati denuo ipsis imperarunt, Ne quisquam illorum sine sua venia urbe discederet.

Sess. LVIII.

Sessione Quinquagesima octava,

Eodem Die post meridiem.

QVia Remonstrantes ante meridiem scriptum admodum prolixum ad declarationem primi Articuli exhibuissent; quæsitum fuit, qua ratione illud cum omnibus commodissime communicari posset, ut tanto accuratior eius à tota Synodo haberi posset ratio: Visumque fuit, esse describendum ab amanuensibus, ne descriptione eias. Synodi actiones interrumperentur. Atque hanc scriptionem, die sequenti ante meridiem esse inchoandam.

Et quandoquidem ijdem Remonstrantes sententiam suam ad interroganda à Synodo explicare omnino tunc detrectassent, ac propterea dimissi essent, deliberatum fuit, qua ratione & ordine porro in examine hujus causæ ex ipsorum scriptis procedendum esset: ut plene & debite causæ satisfieret, viaque quam brevissima negotium expediretur. Assessores, Scribæ, & plerique Exterorum Theologorum, sententiam declararunt. Sed quia elapsum erat tempus, ita ut totius Synodi judicium rogari non posset, dilata est in diem crastinum hæc deliberatio.

Seſsione Quinquageſimà nona, Sess. LIX.

XV. *Ianuarij, Die Martis ante meridiem.*

HAc Seſſione, præcedentium aliquot Seſſionum Acta examinata atque approbata ſunt.

Seſsione Sexageſima, Sess. LX.

Eodem die poſt Meridiem.

ROgata ſunt ſuffragia reliquorum de modo in examine quinque Articulorum poſt hac ſervando: auditiſque ſingulorum judicijs, & Illuſt. DD. Delegatorum conſilijs, ſtatutum eſt, ex illis omnibus Decretum unum eſſe formandum, quod poſtea Synodo prælegeretur, atque ab eadem approbaretur.

Seſsione Sexageſima-prima, Sess. LXI.

XVI. *Ianuarij, Die Mercurij ante meridiem.*

PRopoſitæ ſunt à Præſide Theſes quædam, quibus Remonſtrantium de Articulo ſecundo ſententia explicabatur.

Prælectum fuit Decretum, de modo in examine quinque Articulorum poſthac ſervando: ex potioribus ſuffragijs hunc in modum formatum:

Collatis diligenter per Præſidem Aſſeſſores & Scribas, ex præſcripto Illuſt. DD. Delegatorum, ſuffragijs omnibus, tum ſcripto, tum viva voce ſuperioribus diebus in Veneranda hac Synodo dictis, ſuper modo agendi circa examen & judicium quinque, quos vocant, Articulorum, compertum eſt plurimis placere, ut ſingula quamprimum Collegia, ad examen illud inſtituendum, judiciumque formandum ſerio ſe accingerent. Ac primo quidem loco primum Articulum in manus ſumerent. In cujus examine (ut & deinceps in cæterorum) ad interrogatoria & Theſes à Præſide dictatas (ut & poſtea dictandas) quilibet inprimis attenderent. Si quis tamen plura quæ ad ſententiam Remonſtrantium proponendam atque explicandam facere poſſent, quæ forte in Theſibus aut interrogatorijs iſtis indicata non eſſent, addere vellet & poſſet, id cuique liberum relinqueretur. Et ut privatim ſingula Collegia ante meridiem de hoc examine cogitarent, ita poſt meridiem, ne Synodus intermiſſa ac nulla Auditorum ſpectatorumque ex omnibus paſſim oris quotidie accurrentium ratio haberi videretur, publicus (niſi omnino res ipſa aliud poſtularet) celebraretur conventus. In quo potiſſima Remonſtrantium argumenta, maxime ex Scripturis deſumpta, ipſorumque adeo ad contrariæ ſententiæ rationes, maxime ex iiſdem

Scripturis petitas responsa proponerentur atque excuterentur; praeuntibus D. D. Doctoribus ac Professoribus, tum Nostratibus, tum Exteris, ad denominationem Præsidis: Relicta interim singulis libertate, dictis addendi, suamque de propositis argumentis sententiam dicendi. Quare necesse quoque esse, ut quilibet serio de argumentis istis & responsionibus apud se cogitaret ac meditaretur. Daturum autem operam singulis sessionibus Præsidem, ut de quibus proxima sessione agendum eßet, universæ Synodo constaret. Ac si quis eßet, qui de re aliqua, de qua forte à Præside monitum non eßet, judicium Synodi audire, sua vel aliorum causa, desideraret; ejus si privatim Præsidem compellaret, rationem habitum iri, prout ipse adhibito consilio Adseßorum & Scribarum, ac si opus eßet etiam plurium, ex usu Synodi, aut ejus rei, de qua ageretur, esse existimaret. Iudicium de quolibet Articulo formatum, additis rationibus, quibus subnixum esset, Præsidi privatim exhibendum, donec de omnibus Articulis judicium formatum, & similiter exhibitum esset.

Rogata fuit Synodus, utrum hæc agendi ratio Decreto expressa placeret. Fuitque pluribus suffragiis approbata. Illustres D. D. Delegati, idem rogati, sibi quoque non displicere testati sunt. Ac statutum fuit, Primi Articuli examen, proxima die eadem ratione inchoandum.

SESS. LXII.

Sesſione Sexagesima-secunda.

XVII. *Ianuarij, Die Iovis ante meridiem.*

COmparuit, atque in Synodum solemniter fuit introductus Reverendus & Clarissimus Vir. D. Thomas Goadus, S. Theologiæ Doctor, à Serenisſ. Magnæ Britanniæ Rege misſus, & in locum D. D. Iosephi Halli, qui propter valetudinem, patriam repetere cogebatur, suffectus. Cujus, quanquam absentis, scriptum publice lectum est, quo idem Doctor Hallus, luculenter sane atque humanissime, toti Synodo valedicebat.

Visumque est eidem, à Præside, uno Assesſore & Scriba, vicissim valedicendum. Prælectæ quoque sunt Illust. & Præpot. D. D. Ordinum Generalium literæ, quę de hac surrogatione testabantur. Habitaque insigni ad conventum oratione, ac præstito ab ipso Iuramento Synodico, inter membra hujus Synodi admisſus est.

Clarissimus Vir. Doctor Sibrandus Lubbertus publice Quæstionem hanc explicavit, Vtrum ex hisce Scripturæ locis, Ioh. 3. 36. & 6. 40, Heb. 11. 6. & 1. Cor. 1. 21. probari posſit, *Decretum de salvandis fidelibus, esse integrum de prædestinatione ad salutem Decretum.*

Deputati Ecclesiæ Campensis, scripto summam Ecclesiæ istius necessitatem indicarunt, petieruntque, ut eidem quam primum succurreretur. Visum fuit, die Lunæ proximo, privatim, à quibusdam, quos sibi adjungeret Præses, audiendos esse. Rogatique sunt Illust. D. D. Delegati, ut & ipsi quosdam ad cognitionem hujus causæ ex ipsorum numero adjungere dignarentur.

Sesſione

Seſsione ſexageſima-tertia,

Sess. LXIII.

XVIII. *Ianuarij, Die Veneris poſt meridiem.*

CLariſſimus Doctor Franciſcus Gomarus, publice de genuina ſignificatione vocum, Eligere, electio, & electi, diſſeruit, probavitque; neque ex hiſce vocibus, neque ex locis Eph. 1. 4. 5. 6. quos accurate explicuit, probari poſſe, ſubjectum electionis eſſe Fideles perſeverantes. Habitæque fuere ſuper eadem quæſtione amicæ συζητήσεις & diſſertationes.

Seſsione ſexageſima-quarta.

Sess. LXIV.

XXI. *Ianuarij, die Lunæ ante Meridiem.*

PRælectum publice utraque lingua Belgica & Latina, Decretum ſeu Declaratio, Illuſt. & Præpot. D. D. Ordd. Generalium, ſuper Remonſtrantium ex hac Synodo dimiſſione: quod ita habebat.

DECRETVM.

ORdines fœderatarum Belgij Provinciarum Generales, auditis die heſterno in Illuſtrium atque Præpotentum Celſitudinum ſuarum conventu, quæ præſentes ipſis expoſuerunt Generoſiſſimus D. VValravius, Dominus de Brederode, Baro Vianæ & Ameydæ, Burchgravius Vltrajecti, Noordeloſiæ Dominus, &c Dominus item Hugo Muſius ab Holij, Eques, Prætor Dordracenus & Strienſis ditionis Ballivus, præterque eos Reverendus Hermannus Faukelius Aſſeſſor, Feſtus item Hommius Nationalis Synodi Scriba; Middelburgenſis ac Leydenſis Eccleſiæ Miniſtri, pariter à Dominis Politicis, quos ad Nationalem, quæ Dordrechti nunc habetur Synodum, illorum Illuſtriſſimæ ac Præpotentes delegarunt Celſitudines, Delegati atque miſſi, ut ex ijs plene iidem Illuſtriſſimi ac Præpotentes intelligerent Domini, quæcunque in eadem Synodo, poſt Decretum ſuum primo Ianuarij datum, ijsque quos eo tempore jam antedicti Domini Politici itidem delegarant, traditum, acta atque geſta ſunt; auditis item ac prælectis Actis omnibus originalibus Decretiſque tam Politicorum quam Eccleſiaſticorum nomine ibidem promulgatis, omnibuſque Citatorum Remonſtrantium à die Iovis, menſis hujus tertio, uſque ad diem Lunæ ejuſdem menſis hujus Ianuarij decimum & quartum, incluſive, ut loquuntur, partim ſcripto exhibitis, partim viva voce redditis in eadem Synodo reſponſis, imprimis autem eo quod die Veneris Ianuarij undecimo ante meridiem iidem Citati Remonſtrantes, in eadem Synodo, ſcripto exhibuerunt reſponſo, ut & Reverendorum D. D. Exterorum ac Provincialium Theologorum judicijs, atque eorundem D. D. Politicorum Decreto, quod poſtea promulgatum eſt; inprimis autem & peculiariter audito (quemadmodum ante dicti Domini ſcripto coram expoſuerunt) qualem quantamque operam iidem Domini Politici

die

die Saturni Ianuarij XII. *ab hora circiter tertia ad horam circiter octavam navaverint, ut jam ante dictos Remonstrantes Citatos eo adducerent, ut plusquam æquis justisque tum Illustrium atque Præpotentum ipsorum Celsitudinum primo Ianuarij exhibitis, tum dictorum Dominorum Politicorum postmodum secutis obedirent atque morem gererent Decretis, auditis insuper quæ scripto ijdem Domini Politici die Lunæ, decimo & quarto Ianuarij ante meridiem, super omnibus jam ante dictis declararunt atque exposuerunt; intelligentes præsertim Citatos eosdem Remonstrantes, quorum fuerat rotunde, sincere, ac sine ulla tergiversatione respondere, mentemque suam categorice, prout illis ab Illustrissimis atque Præpotentibus ipsorum Celsitudinibus fuerat injunctum, ad propositas ab Ecclesiastico Præside interrogationes explicare, loco responsi scriptum exhibuisse, ipsorum de primo Articulo sententiæ præfixum, quod & ipsum in Illustri earundem Celsit. Conventu est prælectum, ex quo tantum non manifeste apparet, jam ante dictos Citatos, nullo prorsus modo, ad ullam sese obedientiam Decretis antedictis debitam composuisse, sed ut publicæ autoritatis contemptores, in omni tergiversationum, effugiorum ac fallaciarum genere, perstitisse. Vt hac ratione, bonum ac felicem hujus tam diu exoptatæ Synodi eventum eluderent, atque infructuosum redderent: postremo autem audito quoque atque intellecto, Reverendissimos Dominos Exteros Theologos, unanimiter paribusque suffragijs atque sententijs judicasse, indignos esse eosdem Citatos, qui in posterum in Synodo audirentur, cum præsertim plene ijs eßet satisfactum, neque ulla omnino appareret spes, fore ut ad officium redirent, ideoque ex ipsa Synodo esse dimittendos, ut in posterum ex præscripto antedicti Decreti, primo Ianuarij ab Illustrissimis atque Præpotentibus Celsitudinibus ipsorum promulgato procederetur, utque ex scriptis eorum publicis atque explicationibus, partim scripto, partim viva voce, tam in Nationali hac, quam in reliquis Provincialibus Synodis & alibi ab ipsis ante expressis, eorum de doctrina opiniones executerentur, examinarentur, & secundum Dei verbum deciderentur.*

Post quæ omnia Reverendus Præses Ecclesiasticus eosdem Citatos ijs verbis ex synodo dimisit, quæ & ipsa in eodem Illustri Celsitudinum ipsorum Conventu recitata sunt. Idcirco Illustres atque Præpotentes Domini, accurate ac serio ex consilio atque in præsentia Illustrissimi ac Generosissimi Principis ac Domini Principis Auraici, &c. Illustris item Domini Comitis Gulielmi Ludovici à Naßau Locumtenentis &c. excußis atque expensis omnibus, in primis autem hoc etiamnum agentes, in ut Nationali ea quæ nunc celebratur Synodo, omnia referantur eo atque dirigantur ut ad exoptatum cui, instituta est deveniatur finem (quæ est gloriæ divinæ propagatio, ac Religionis vere Christianæ, quæ in hisce hactenus obtinuit Provincijs, conservatio, utque porro quam maxime id ejus potest fieri, bene sit Reip. pariterque quies, atque pax Ecclesiæ optimorumque incolarum procuretur concordia) declararunt & hoc ipso declarant, ante dicta tam à Politicis quam ab Ecclesiasticis sancita, atque promulgata Acta ac Decreta, cum optimo ipsorum instituto, etiam eo, quod nuperrime Calendis Ianuarijs ab ipsorum Celsitudine est conceptum, manifeste expresso convenire. Quamobrem & Illustrissimæ atque Præpotentes eorum Celsitudines, ea Acta & decreta approbant hoc ipso; sicut & hoc ipsum, quod Citati Remonstrantes, post hac Synodo exire sunt jussi. Quibus & mandant, ut & in posterum extra eam se contineant,

tineant, & in urbe Dordrechtana maneant: donec ipsis à jam ante dictis D.D. Politicis, aut ab ipsa Synodo, aliud præscriptum fuerit. Illud quoque insuper illorum Illustrissimæ atque Præpotentes sanciunt Celsitudines, ut hæc Synodus, præcipua, quorum causa indicta est, negotia, secundum illud dirigat Decretum, quod Calendis hujus mensis Ianuarij ab ijs promulgatum est, quæ ad ordinem in istis observandum spectant, ijs ipsis committentes, prout eum maxime idoneum, & ad rei hujus optimum progressum maxime conferre existimabunt. Injungentes insuper, ut hoc bonum institutum suum, placitum, voluntas atque mentis suæ denunciatio, sicut & superior Calendis huius mensis exhibita, publice in ipsa prælegatur Synodo.

Actum in Conventu Illustrissimorum atque Præpotentum D. D. Ordinum Generalium, sub eorundem sigillo ac subsignatione, nec non & subscriptione eorundem Graphiarij. Hagæ Comitis, XVIII *Ianuarij*, CIↃ. IↃ. CXIX.

Subsignatum erat:
Nanninx vidit.

Inferius.

Ex mandato Illust. ac Præpot.
D. D. Ordd. Generalium
C. Aerssens.

CLarissimus Vir. Antonius Thysius, publice de duabus hisce quæstionibus disseruit. Primo, An Decretum Dei de salvandis fidelibus, sit totũ & integrum Decretũ Prædestinationis ad salutem? Secundo, An fides sit conditio in eligendis prærequisita.

Invitatus est totus Consessus, ad funus Reverendi & Clariss. Viri D. Iohannis Bisterfeldij, sequenti die prosequendum.

Sessione Sexagesima quinta,

SESS. LXV.

XXII. *Ianuarij, Die Martis post meridiem.*

INstituta fuit *συζήτησις* super quæstionibus, quæ à Clariss. D.D. Professoribus pertractatæ fuerant, atque in primis illa, Quomodo intelligenda sit phrasis hæc, cum Scriptura dicit, Eph. 1. 4. *Nos esse electos in Christo:* atque etiam, Quomodo Christus fundamentum Electionis dici possit.

Sessione Sexagesima sexta,

SESS. LXVI.

XXIV. *Ianuarij, die Iovis post Meridiem.*

CLarissimus Vir, Doctor Iohannes Polyander, publice explicavit hæc loca, Philip. 4. 3. Apoc. 21. 27. Luc. 10. 20. In quibus agitur de inscriptione nominum in libro vitæ: Rom. 8. 29. *Quos prædestinavit, eos vocavit, justificavit,* &c. & 2. Tim. 2. 19. *Firmum stat fundamentum Dei, &c.*

Reverendus Vir, Antonius VValæus, disseruit de locis, Actor. 13. 48. *Crediderunt quotquot erant ordinati ad vitam æternam.* Rom. 9. 11. *Nondum enim natis pueris,* &c. Qua occasione, etiam, brevem totius illius capitis analysin proposuit. Et Rom. 11. 5. *Reliquiæ secundum electionem gratiæ, factæ sunt.*

R Sessione

SESS. LXVII.

Sessione Sexagesima-septima,

XXV. *Ianuarij, Die Veneris post meridiem.*

CLarissimus Vir Doctor Iohannes Davenantius, publice hanc quæstionem tractavit: An electio divina sit unica, an multiplex. Atque hac occasione explicuit. 1. Quale sit genuinum Prædestinationis Decretum. 2. Qualia Decreta Remonstrantes pro Decretis Electionis statuant. 3. Quales distinctiones ex ijs deducant. Fuitque deinceps de hisce quæstionibus multisque alijs postea instituta *συζήτησις*, in qua Clarissimus quoque Doctor Samuel VVardus, prolixe ad nonum Remonstrantium argumentum respondit. Quo probare conantur, Decretum de salvandis fidelibus esse ipsissimam Electionem ad salutem, quia ejus fundamentum est Christus. Clarissimus Philosophus Rudolphus Goclenius Senior, accurate ex principijs Logicis refutavit palmarium Remonstrantium Syllogismum, ab executione Prædestinationis desumptum. Clarissimus Matthias Martinius, paucis explicationem, quomodo vel quatenus Christus Electionis fundamentum dici possit, repetijt.

SESS. LXVIII.

Sessione Sexagesima octava,

REverendus & Clarissimus Vir, D. D. Abrahamus Scultetus publice de sensu Electionis ejusque certitudine peroravit: habitaque fuit de eadem quæstione collatio, in qua Reverendus Senex Daniel Eilshemius, declarabat, se istam de Electionis ac salutis certitudine doctrinam, quæ à Clarissimo D. Sculteto explicata fuerat, per integros quadraginta quatuor annos in Ecclesia Emdensi, magno cum Collegarum consensu & Ecclesiæ insigni ædificatione, docuisse.

SESS. LXIX.

Sessione Sexagesima nona,

XXIX. *Ianuarij, Die Martis post meridiem.*

CLarissimus D. Doctor Henricus Altingius, plublice doctrinam de Reprobatione, atque inprimis Reformatæ Ecclesiæ de eadem sententiam, & causam ostendit, addiditque explicationem trium hypothesium: 1. Quod per hanc doctrinam, Deus non statuatur Autor peccati. 2. Quod peccata, etsi statuantur Reprobationis consequentia, tamen ex natura hominis corrupta, ut unica eorum causa, promanent. 3. Quod induratio & excæcatio justa sint Dei judicia, atque hac ratione Deo attribui possint.

SESS. LXX.

Sessione Septuagesima,

XXX. *Ianuarij, Die Mercurij post meridiem.*

PRoposuit Præses, esse inter fratres Synodicos nonnullos, qui, hunc agendi modum in examine primi Articuli hactenus observatum, in compendiosiorem & commodiorem posse mutari existimarent. Propterea rogare se Synodum, ut declarare velit, utrum cœpto modo, nec ne pergendum esset. Plurium suffragijs statutum fuit, in cœpto hoc agendi ordine pergendum videri. Quod judicium Illust.

quoque

Digitized by Google

quoque ac Generosi Delegati approbarunt, qui monuerunt, ne Decretum, hoc est, Canones, nisi omnia prius publice probeque, examinata ac discussa essent, formaretur.

Sessione Septuagesima-prima,

XXXI. *Januarij, Die Jovis ante meridiem.* SESS. LXXI.

PRæses Synodo probationes quasdam Thesium ante à se conceptarum proposuit.

Eadem quoque Sessione, examinatæ Theses sunt, ab ipso de sententia Remonstrantium, circa secundum Articulum, propositæ.

Sessione Septuagesima-secunda,

Calend. Februarij, Die Veneris post meridiem.

CLarissimus Vir, D. Gualtherus Balcanquallus, publice tractavit hanc quæstionem: An voluntas Patris Filium in mortem tradentis, & Filij, mortem subeuntis, fuerit, omnibus & singulis hominibus salutem conferre. Atque hac occasione etiam prolixe de Remonstrantium distinctione inter impetrationem & applicationem reconciliationis & remissionis peccatorum, disseruit.

Clarissimus D. Doctor Georgius Cruciger, publice hanc quæstionem, An impetratio reconciliationis & ejusdem applicatio æque late se extendant, explicavit, simulque præcipua Remonstrantium argumenta, quibus reconciliationem multis impetratam fuisse contendunt, quibus tamen non fuerit applicata, examinavit.

Sessione Septuagesima-tertia,

IV. *Februarij, Die Lunæ ante meridiem.*

PRælectæ sunt literæ à Iohanne Schotlero, Pastore Campensi, ad Synodum citato, scriptę. Quibus excusabat se, quod per morbum, ad diem præstitutum adesse non posset. D. Langius, Synodo exposuit, quomodo se Schotleri hujus res haberent: ipsum nimirum, cum reliquis Pastoribus Campensibus, à Synodo Transisulana, ob varias accusationes, in reatu teneri: causamque ejus ad hanc Synodum dilatam esse.

Deliberatum fuit, de quibusdam scriptis, quæ Ecclesijs nostris usui fore existimabantur: suntque nonnulli rogati, ut de ijs, quantum per Synodicas occupationes fieri posset, quam primum conficiendis, serio cogitarent.

SESS. LXXIV.

Sessione Septuagesimaquarta,

V. Februarij, die Martis post meridiem.

EXaminatæ sunt Theses à Præside, de sententia Remonstrantium circa secundum Articulum propositæ: habitæque sunt συζητήσεις, de distinctione sufficientiæ potissimum & efficaciæ meriti mortis Christi: & an, seu, quatenus, Christus dici possit, sufficienter mortuus esse pro omnibus.

SESS. LXXV.

Sessione Septuagesimaquinta,

VI. Februarij, Die Mercurij post meridiem.

CLarissimus Doctor Steinius, de gratia Dei, per quam homo regeneratur, deque ejus in regenerationis opere perficiendo operandi modo, publice disseruit: simulque explicavit quæstionem maxime hic controversam, An gratia hæc Dei sit resistibilis, an vero irresistibilis. Habita deinde fuit συζήτησις, de Remonstrantium genuina circa Articulum secundum sententia.

SESS. LXXVI.

Sessione Septuagesimasexta,

VII. Februarij, Die Iovis ante meridiem.

COntinuata est Collatio de Remonstrantium circa secundum Articulum sententia. Præses indicavit, Remonstrantes exhibuisse ingens volumen, continens probationem primi ipsorum Articuli: cum sententiæ contrariæ refutatione. Probationem item Articuli Secundi. Significatumque est, jussos esse ab Illust. DD. Delegatis, ut reliqua scripta quam primum etiam pararent & intra octiduum exhiberent.

SESS. LXXVII.

Sessione Septuagesimaseptima,

VIII. Februarij, Die Veneris post meridiem.

PRopositæ sunt à D. Præside Theses, de sententia Remonstrantium, circa Tertium & Quartum Articulum, conceptæ.

Sessione

Seſsione Septuageſima octava,

SESS. LXXVIII.

x I. *Februarij, Die Lunæ poſt Meridiem.*

CLariſſimus Vir Doctor Sebaſtianus Beckius, ad omnia Remonſtrantium argumenta, quæ in Collatione Hagienſi adverſus efficacitatem gratiæ Dei in hominis converſione, & pro gratia reſiſtibili adducuntur, publice reſpondit. Deliberatum fuit de prolixis Remonſtrantium ſcriptis, nuperrime exhibitis, publice ne prælegenda eſſent. DD. Delegati judicabant prælegenda eſſe omnia illa, quæ defenſionem cauſæ Remonſtrantium ſpectarent: reliqua privatim legi per deputatos poſſe.

xII. *Februarij, Die Martis ante meridiem.*

ACta fuit cauſa Campenſis in conventu privato. Cui interfuerunt ex ſingulis Collegijs ſinguli; cum quibuſdam ex Illuſt. DD. Delegatorum collegio.

Seſsione Septuageſima nona,

SESS. LXXIX.

xII. *Februarij, Die Martis poſt Meridiem.*

INſtituta fuit συζήτησις de quibuſdam quæſtionibus, ad explicationem Tertij & Quarti Articuli ſpectantibus. Inprimis vero, quouſque homo per lumen naturæ, aut per verbum externum, pervenire queat. Quomodo item Deus Converſionem efficaciter ſuam in homine operetur, eamque nihilominus ab homine exigere jure poſſit.

Seſsione Octuageſima,

SESS. LXXX.

xIII. *Februarij, Die Mercurij poſt Meridiem.*

COntinuata ſi συζήτησις, de Tertio & Quarto Articulis. Atque inprimis de libertate Arbitrij humani: de liberæ Voluntatis determinatione: de gratia Dei ad converſionem hominis neceſſaria: An, & quomodo, homo in prima Converſione ſe habeat, mere ne paſſive? Item, de cooperatione liberi arbitrij cum gratia divina, alijſque nonnullis quæſtionibus.

SESS. LXXXI.

Seſsione Octuageſima prima,

XV. *Februarij, Die Veneris poſt meridiem.*

NObiliſſimus Vir, Tacitus ab Ayſma, Eccleſiæ Higtumanæ in claſſe Bolſvverdiana Senior, in Synodo comparuit, Literaſque fidei ab Illuſtriſs. DD. Ordinibus Friſiæ, ſimulque à Synodi Friſiæ Deputatis exhibuit. Ex quibus teſtabatur, ſe in locum Nobiliſſimi P. M. viri D. Meinhardi ab Itzerda, nuper defuncti, legitime ſurrogatum eſſe. Quæ literæ prælectæ Synodo placuerunt, præſtitoque ab ipſo ſolenniter juramento Synodico, pro membro Synodi admiſſus eſt.

Clariſſimus Vir D. Ioannes Henricus Alſtedius, publice reſponſiones Remonſtrantium contra Tertium & Quartum Articulum examinavit. Atque hac occaſione, de gratia quoque reſiſtibili, atque irreſiſtibili diſſeruit.

Ex conſilio Illuſt. DD. Delegatorum, ſtatutum fuit, ſcriptum Remonſtrantium nuper exhibitum, ad probationem Primi & explicationem Secundi Articuli, in Synodo legendum eſſe.

Eadem Seſſione prælectæ ſunt Everhardi Voſculij, & Iohannis Schotleri, paſtorum Campenſium ad hanc Synodum citatorum, literæ. Quibus ſignificabant ſe ad iter præparatos fuiſſe, ut coram Synodo comparerent: Sed ab Eccleſia volentes nolentes retentos eſſe. Petebantque, ut liceret ſibi cauſam ſuam per Collegas ſuos Goſvvinum & Matthiſium, qui ad Synodum citati eſſent, agere. Quam ipſorum patrocinio omnino permitterent, eoque ſe ſtaturos aut caſuros addebant.

Prælectæ quoque ſunt Preſbyterij Campenſis Remonſtrantium literæ, quibus obnixe petebant, ut Voſculio & Schotlero, cauſam ſuam per Collegas, qui in Synodo Dordrechtana comparerent, agere liceret: teſtabanturque ipſos, quod ad doctrinam attinet, ſententiam à Remonſtrantibus in Collatione Hagienſi defenſam tutari, eorumque vitam omnibus, apud quos vixerant, approbari.

Denique prælectum fuit, Scriptum Deputatorum Eccleſiæ Reformatæ Campenſis, quæ adverſus Voſculium & Schotlerum, accuſationem inſtituit. Quo ad omnes rationes, quibus illi abſentiam ſuam excuſabant, reſpondebatur. Petebant item, ut quia toties citati non comparuiſſent, contumaciæ à Synodo condemnarentur.

Rogati ſunt Illuſtriſs. Delegati, ut quandoquidem Iuris-Conſulti caſum contumaciæ optime intelligerent, conſilio ſuo Synodum in hac cauſa juvarent. Qui reſponderunt: Citatos hoſce Paſtores, non obſtantibus excuſationibus productis, contumaciæ reos merito condemnari poſſe, ac propter eandem à munere ſuo ſuſpendi. Iudicare tamen ſe, concedendum ipſis eſſe, quatuordecim dierum à literarum acceptione ſpatium. Quod ſi interea non comparerent, tunc ut nunc, & nunc ut tunc, ut loquuntur, pro ſuſpenſis à munere & miniſterio Eccleſiaſtico haberi debere.

Seſſione

Sessione Octuagesima secunda,

SESS. LXXXII.

XVIII. *Februarij, Die Lunæ ante meridiem.*

HAc Sessione scriptum Remonstrantium ad defensionem primi & explicationem Secundi Articuli, prælectum fuit.

Sessione Octuagesima-tertia,

SESS. LXXXIII.

Eodem Die post meridiem.

ROgata fuit Synodi, de contumacia Citatorum pastorum Campensium, Vosculij & Schotleri, sententia: pluriumque suffragijs judicatum fuit, in sententia Illustriss. DD. Delegatorum esse acquiescendum; atque hoc ipsum tum citatis, tum Ampliss. Magistratui Campensi esse significandum.

Sessione Octuagesima quarta,

SESS. LXXXIV.

XIX. *Februarij, Die Martis ante meridiem.*

PRælectum fuit scriptum Remonstrantium, ad declarationem Tertij & Quarti Articuli, Synodo exhibitum.

Sessione Octuagesima quinta,

SESS. LXXXV.

Eodem Die post meridiem.

DEputatis Ecclesiæ Campensis prælecta est Synodi de contumacia pastorum Campensium, Vosculij & Schotleri, sententia. Qui & apographum ejus petierunt: simulque, ut de hac re quamprimum ad Ampliss. Magistratum Campensem scriberetur.

Inter Professores Belgicos & Theologos Bremenses, habita est de varijs quæstionibus ad explicationem Tertij & Quarti Articuli, disceptatio. Tum de Philosophiæ & terminorum Philosophicorum, in controversijs Theologicis, usu, aut abusu.

Sessione Octuagesima-sexta,

SESS. LXXXVI.

XX. *Februarij, Die Mercurij ante meridiem.*

HAc Sessione ad finem perducta est declarationis Remonstrantium, de Tertio, quarto, & Quinto Articulo, prælectio.

SESS. LXXXVII

Sesſione Octuageſima ſeptima,

Eodem Die poſt meridiem.

CLariſſimus Vir D. VVolgangus Meierus, doctrinam de Perſeverantia Sanctorum publice explicuit. Habitæque ſunt de Tertio & Quarto Articulo συζητήσεις.

SESS. LXXXVIII.

Sesſione Octuageſima octava,

XXI. *Februarij, Die Jovis ante meridiem.*

COntinuata fuit defenſionis Remonſtrantium, ſuper Primo Articulo, prælectio.

SESS. LXXXIX.

Sesſione Octuageſima nona,

XXII. *Februarij, Die Veneris ante meridiem.*

HAc quoque Seſſione in defenſionis Articuli Primi Remonſtrantium prælectione, Synodus perrexit.

SESS. XC.

Sesſione Nonageſima,

Eodem Die poſt meridiem.

PRofeſſores Belgici, publice argumenta Remonſtrantium in Collatione Hagienſi producta adverſus Perſeverantiam Sanctorum examinarunt: oſtenderuntque, doctrinam de certa vere fidelium perſeverantia, non eſſe pietati noxiam, nec cum promiſſionibus & comminationibus divinis pugnare: Sed nec ſolicitudinem piam vitandi peccata, nec ardorem precandi tollere.

SESS. XCI.

Sesſione Nonageſima prima,

XXV. *Februarij, Die Lunæ ante Meridiem.*

COntinuata fuit ſuper Tertio & Quarto Articulo de hiſce potiſſimum quæſtionibus συζήτησις: An homo irregenitus, ſine ſupernaturali lumine, poſſit intelligere omnes Sacræ Scripturæ ſenſus, ad ſalutem creditu neceſſarios? Et, An homo poſſit plus boni facere, quam facit, & plus mali omittere, quam omittit.

Propo-

Propositæ deinde sunt à Præside Theses quædam, sententiam Remonstrantium circa Quintum Articulum continentes, ex eorum scriptis excerptæ. Assuero Matthisio & Thomæ Gosvvinio, Pastoribus Campensibus, missa sunt accusationum capita, adversus ipsos Synodo tradita, utque ad illa quamprimum responsionem adornarent, injunctum illis fuit.

Sessione Nonagesima secunda,

SESS. XCII.

XXVI. *Februarij, Die Martis ante meridiem.*

PRælectum fuit Scriptum Remonstrantium, ad defensionem Secundi Articuli de Vniversalitate meriti mortis Christi.

Sessione Nonagesima tertia,

SESS. XCIII.

XXVII. *Februarij, Die Mercurij ante meridiem.*

COntinuata fuit ejusdem Remonstrantium Scripti prælectio.

Sessione Nonagesima quarta,

SESS. XCIV.

Eodem Die post meridiem.

REverendus & Clarissimus Vir D. Theodorus Tronchinus, publice argumenta quædam, pro Perseverantia vere fidelium, proposuit & examinavit.

Sessione Nonagesima quinta,

SESS. XCV.

XXVIII. *Februarij, Die Iovis ante meridiem.*

ETiam hac, continuata est defensionis Remonstrantium Secundi Articuli prælectio.

Sessione Nonagesima sexta,

SESS. XCVI.

Eodem Die post meridiem.

HAbitæ sunt variæ super Articulo de Perseverantia Sanctorum Collationes. Explicatæ sunt item variæ, quæ ad hunc Articulum pertinerent, quæstiones.

Sessione

SESS. XCVIII.

Sessione Nonagesima septima,

I. *Martij, Die Veneris post meridiem.*

COntinuatæ sunt de eodem quinto Articulo collationes.

SESS. XCVII.

Sessione Nonagesima octava,

IV. *Martij, Die Lunæ post meridiem.*

ETiam hac Sessione variarum quæstionum atque observationum circa Articulum de Perseverantia Sanctorum, disquisitiones continuatæ sunt.

Significatum est, perscriptum ab Amplis. Magistratu Campensi fuisse: Eum in judicio Synodi de suspensione à munere docendi duorum Pastorum Campensium Vosculij & Schotleri acquiescere: daturumque operam, ut functiones Ministerij ibidem ad tempus per Pastores Zuollanæ Ecclesiæ administrarentur.

Clarissimus Vir D. Henricus Altingius, Synodo exhibuit literas, cum adjuncto scripto Reverendi senis & Clariss. Theologi, Doctoris Davidis Paræi: cujus literæ, quibus absentiam suam ab hac Synodo propter ætatem excusabat, eamque hoc scripto compensare voluisse testabatur, publice prælectæ sunt.

Salutem & benedictionem à Domino.

Nobilissimi ac Reverendissimi Domini, Patres & Fratres, in Synodo Dordracena congregati,

Q*Vantis lachrymis infelix schisma vestrum, à bonis omnibus domi forisque deploratum hactenus fuit: tantis nunc gratulationibus Synodum vestram in Spiritu Sancto congregatam, ab iisdem excipi, non est quod dubitetis. Etenim, flagrante schismatis incendio, Ecclesias nuper arctissimo pacis & unitatis vinculo colligatas, misere,* In sectas invisa Deo lacerabat Erinnys. *Respub. vestras sancti fœderis glutine prius conjunctas, dissociabat animorum & armorum infesta collisio: suspirabant boni: clam gestiebant improbi: nobis vicini Babylonij, calumniarum & sarcasmorum gladijs ignem discordiæ fodicabant: vobis vicinus hostis, exitio vestro invigilabat.*

Nunc postquam custos Israelis, Deus pacis, dedit in corda vestra, ut vulneribus vestris medicinam ordinariam faciendam esse, necessarium judicaveritis, ad eademque sananda, sancta congregatione, in Christi nomine, concorditer convenistis: En omnium (quicquid improbi faciant) animi ingentem in spem erecti, intestinorum malorum salutarem clausulam expectant, votisque intimis Patrem misericordiarum vobiscum invocant, ut Spiritus sui gratia, secundum verbum suum, consilia & actiones vestras dirigere ad sancti nominis sui gloriam dignetur: quo erroribus latentibus & apertis, cum charitate detectis & eliminatis, ignem dissidij extinguere, Orthodoxæ fidei synceritatem, Ecclesiæ Belgicæ unitatem, Reip. fœderatæ cum securitate tranquillitatem; publice denique & privatim sanctam illam pacis salutisque conservatricem Concordiam, restituere satagatis & valeatis.

Vtinam

Vtinam vero, utinam mihi sanctissimam vestram congregationem, coram intueri; & vel in extrema hærenti exedra, pacis consilia vobiscum juvare, votisque vestris AMEN addere datum esset! Sed enim, hanc mihi desideratam frustra felicitatem, senectutis, loci, temporisque intemperies negavit.

Etsi autem charissimi mei in Domino Collegæ, qui vobiscum sunt, & me excusabunt, & vicem præstabunt satis: ne tamen totus abessem, en meam circa quinque illa πολυθρύλλητα μῆλα τῆς Ἔριδος ὑμῶν, decumanam, ut arbitror, Synodicæ actionis materiam futuram (si forte desideretis) sententiam mittere, vestroque judicio submittere visum fuit.

Cothurnos, deceptionum fontes, & contradictionum nodos latentes retexere cum primis studium fuit. Quippe in quorum detectione disceptantium meta præcipue sistitur.

Subtilitates de objecto Prædestinationis, deque Reprobationis causa, si minus attigisse videbor, consulto factum putetis velim. Certe enim, sapiendum est circa hæc mysteria, atque prædicandum ita, ut ne apud tardioris intelligentiæ multitudinem, redargui quodammodo, ipsa sua prædicatione videantur, uti Augustinus alicubi monuit.

De objecto autem, tuto ac vere dici posse arbitror, DEVM tale genus humanum prædestinasse, quale propagare, vocare, justificare, glorificare decreverat, ex doctrina Apostoli, Rom. 8. 30. lapsu, nimirum, suo miserabile. Vnde per se cadit odiosa illa, de Reprobationis causa, disceptatio. Neque revera D. Calvini diversa est aliquot locis, ubi rem apertius explicavit, sententia: præsertim lib. 3. Institut. c. 23. §. 3. & Comm. ad Rom. 9. 11. ubi propinquam Reprobationis causam diserte dicit esse, vitiositatem per totum genus humanum diffusam: primam vero, DEI beneplacitum.

De meritis seu λύτρου Christi sufficientia & efficacia vulgatam distinctionem sic me retinere videbitis, ut etiam cum ad æternum DEI Patris consilium, & Servatoris intentionem extenditur, maneat vera: & ad Massilianos contradictionis vinculo innodandos accommoda.

Barbarismum resistibilis sive indifferentis gratiæ, suis, quæso, autoribus donate: ex vestris vero Ecclesijs scholisque procul eliminate. Præter enim absurda innumera, quomodo quæso verum, DEO omnia esse possibilia (id quod nuper auditorio meo explicandum fuit) siquidem gratiæ resistibili, impossibile est hominem convertere, donec homo non velit, hoc est, pulvis Creatori, vas figulo cedere nolit? Denique Articulum de Perseverantia, seipsum jugulare, totus mundus jam videt.

Illi igitur deceptorij Articuli, cum æquivoco hoc prophetandi genere non ita pridem apud vos invecto, facite quæso, ne simpliciorum animos, oculosque præstringant, cathedrasve vestras perturbent diutius. Orthodoxa autem Fidei synceritatem, suæ integritati restituite: Vt & discriminis nostri, atque salutis gloria integra, soli divinæ tribuatur gratiæ; &, consolatio Christiana, in hac ipsa gratia sola, firma fixaque in vita & in morte consistat: instauretur publicus Orthodoxorum consensus, floreat, vigeatque in Ecclesia & Republica vestra, postliminio reparata Pax atque Concordia.

Quem

Quem ad finem ubi sancta hac Synodus perducta fuerit, ingens, aeternoque dignum praeconio laboris, operae, impensaeque pretium, vobis & posteritati, quin Universae Orthodoxae Ecclesiae, consecutos vos esse statuatis.

Valete in Domino: qui ut Spiritus sui Numine ac lumine consilijs actionibusque vestris ipse praesidium praestet, iterum iterumque supplex precor. Heidelbergae, prid. Cal. Nov. stylo Iul. 1618.

Vester in Domino.

D. Pareus,
minimus Christi servus,
Septuagenarius.

SESS. LXXXI.

Sessione Nonagesima nona,

v. *Martij, die Martis ante meridiem.*

PRaelectum fuit Scriptum Reverendi & Clarissimi Doctoris *Davidis Parei*, quo prolixe atque accurate sententiam suam de quinque Remonstrantium Articulis, judiciumque suum de praecipuis eorum argumentis, declarabat; quod hic subjungitur.

Quinque Articuli Remonstrantium,

Cum Examine.

PRIMUS ARTICULUS.

D*Eum aeterno, immutabili decreto, in Iesu Christo filio suo ante jactum mundi fundamentum statuisse, ex lapso, peccatis obnoxio humano genere, illos in Christo, propter Christum, & per Christum, servare, qui Spiritus Sancti gratia, in eundem ejus Filium credunt, & in ea, fideique obedientia, per eandem gratiam in finem perseverant: Contra vero, eos qui non convertuntur, & infideles, in peccato & ira subjectos relinquere, & condemnare tanquam à Christo alienos: secundum illud Euangelij Ioh.* 3.36. Qui credit in filium, habet vitam aeternam: qui vero filio non assentitur, non videbit vitam aeternam: sed ira Dei manet super eum.

EXAMEN.

HIc Articulus, prima fronte nihil incommodi vel quaestionis habere videtur, sed summam Euangelij tradere, quales homines, quibus medijs Deus ab aeterno statuerit servare, nempe, credentes in Filium Dei, & in fide fideique obedientia, per gratiam Spiritus Sancti in finem perseverantes: quales contra statuerit condemnare, nempe, non conversos, & infideles; à Christo alienos: quorum utrumque Euangelio docetur.

Sic

Digitized by Google

Sic multi boni, præsertim Politici, de hoc Articulo judicant, neque controversiam altiorem movendam censent: præsertim, cum omnia salutis media, Deo, & Christo, & gratiæ, luculenter adscribere videatur. Et revera, nulla hic quæstio esset, si autores hoc solum vellent, Articulo hoc explicari popularem doctrinam de qualitatibus salvandorum & damnandorum.

Quoniam vero in Collatione profitentur, hunc Articulum continere totam doctrinam de Prædestinatione ad salutem: negant vero qualitates salvandorum, Fidem & Perseverantiam ex Prædestinatione, tanquam ex fonte descendere; sed contendunt eas Prædestinatione, seu Electione priores esse; nec obscure ab hominis voluntate suspendunt (unde necesse est, Deum solida salutis nostræ gloria spoliari; hominem superbia inflari, consolationem Christianam in vita & morte labefactari, justificationem gratuitam & salutis certitudinem abnegari, quicquid in contrarium verborum phalaris prætexatur) idcirco Articulus hic simpliciter probari non potest: estque plenus æquivocationibus, sive cothurnis periculosis, sub quibus Pelagianismus occulte in Ecclesiam invehitur. Quæ fraus ut lateret magis, vocabulo Prædestinationis, consulto abstinuerunt. Collat. Hag. pag. 85.

Fuit autem Pelagianismus, Augustini temporibus hæresis talis:

1. *Peccatum Adami, nemini nocuisse nisi ipsi: nec deteriorem hominem nunc nasci, quam fuerat conditus.*

2. *Christum fuisse missum & mortuum ad expianda omnia peccata, imitatione Adami commissa.*

3. *Salutem in Christo ita in medio propositam esse omnibus, ut quicunque ad fidem & baptismum accedere voluerint, salvi esse possint.*

4. *Qui vero credituri, bene operaturi, & in fide per Dei gratiam juvanda mansuri essent, præscisse Deum ante mundi constitutionem, & eos prædestinasse in regnum suum; quos gratis vocatos, præ alijs credituros, & dignos futuros Electione, deque hac vita bono fine excessuros, prævideril.*

5. *Gratiam Dei omnibus dari ex merito; pro bono usu liberi Arbitrij.*

6. *Et quidem dari in tantum, ut homo in hac vita sine omni peccato esse possit, si velit.*

Adversus hanc hæresin Hieronymus & Augustinus multum disputarunt, & Augustinus quidem ad tria capita in Opusculis suis, tomo 7. omnia revocavit. 1. De peccato Originis. 2. De Gratia & causa Prædestinationis. 3. De Perfectione justitiæ. Pelagius in Synodo Palæstina damnatus, revocavit Errorem in tantum, ut diceret: *Anathema, qui vel sentit, vel dicit, gratiam Dei, qua Christus venit in hunc mundum, peccatores salvos facere, non solum per singulas horas, aut per singula momenta, sed etiam per singulos actus nostros, non esse necessariam: & qui hanc conantur auferre, pœnas sortiantur æternas.* Quis Pelagium hic non absolvisset? Sed fucum & fraudem fecit Palæstinis Episcopis cothurno gratiæ, ut Augustinus ostendit. Verba Pelagij apud August. de grat. Christi; cap. 2.

Reliquit post se discipulos duos præcipue, acris ingenij juvenes, Cœlestium & Iulianum: quibuscum multum Augustino fuit negotij in Africa. Transvolavit hæc pestis tandem Mediterraneum mare, in Siciliam & Galliam Massiliensem; non quidem integra, sed quantum ad caput de Gratia & Prædestinatione & Morte Christi, cuius proinde assertores vocabantur Semi-Pelagiani, & Pelagianorum reliquiæ: de quibus extant Prosperi Aquitani & Hilarij Arelatensis Epistolæ ad Augustinum; & huius erudita duobus libris de Prædestinatione Sanctorum, & de Bono Perseverantiæ, atque etiam tertio de Correptione & Gratia, comprehensa responsio. Qua si Articulorum autores hodie stare vellent, uti stare possent ac deberent (est enim tota Paulina) res iudicata iam haberetur. Reveraenim Massiliensium & Syracusanorum causam nonnihil interpolatam Arminius cum sequacibus hodie reassumpsit. Neque is ignorare id potuit: unde parum ingenua tergiversatione scripsit in Articulis: *Se nec Semi-pelagianismum sibi obiectum, nec dodrantem, nec quincuncem, nec trientem eius agnoscere.*

Ad Articulum ut revertamur, æquivocationes variæ sic patent:

I. Cothurnus primus latet in immutabili Dei decreto. Iuxta Scripturas: Immutabile Dei decretum est, quod absolute non mutatur, nec à Creaturis mutari potest. Sic enim Deus pronuntiat, se immutabilem, & consilium suum immutabile, *Ego Deus, & non mutor: Consilium meum stabit, & omnem meam voluntatem faciam.* *Malach. 3. 6. Esa. 46. 10.*

ciam. Illi vero intelligunt, Deum decreto immutabili quidem statuisse servare credentes, quoad speciem, hoc est, non-nisi credentes: sed non omnino immutabili, quoad individua, hunc vel illum credentem, nisi sub conditione, si hic vel ille credens mutationem non inducat. Sentiunt enim (ut liquet Art. 5.) eos, qui hodie sunt vere credentes, cras posse fieri plane incredulos, rursusque ex incredulis fieri credentes. Consequenter igitur sentiunt, Deum eos, quos heri credentes immutabili decreto sub conditione statuerat servare, hodie mutata conditione rursus statuere non servare, perendie rursus mutata conditione rursus statuere servare. Quod an sit Dei immutabile Decretum statuere, ipsi viderint. Certe vertibilis umbra non magis mutabilis erit tali Decreto: quod Scriptura negat. *Iac.1.17.*

Tale Decretum in Deo ponunt Remonstrantes, dum negant, à Deo ad salutem invitari quenquam, cui salutem omnino non dare decreverit. Hoc vero posito, dicendum est, Deum civitatibus Galilææ & Iudææ, quas Christus prædicans ad salutem invitabat, salutem omnino dare decrevisse. Atqui cum non crederent, salutem iis non dedit. Ergo vel salutem iis dare prius non decreverat, vel postea decretum mutavit. *Matt. 11. 21. & 23.37.*

II. Alius Cothurnus, isque præcipuus, fundamentum reliquorum, summam totius causæ, differentiamque utriusque partis continens, subest verbo *statuisse*. Hoc nobis juxta Scripturas significat, Deum eos, qui in tempore credunt & perseverant & servantur, ab æterno non solum servare statuisse, sed etiam in Christo elegisse, & ad salutem prædestinasse, & qualitates ad salutem requisitas, puta fidem, conversionem & Perseverantiam per Verbum & Gratiam Spiritus S. in eis efficere decrevisse, ut infallibiliter serventur: idque ad laudem gloriosæ suæ gratiæ declarandam. Contra vero eos, qui in tempore non credunt, neque perseverant, neque servantur, ab æterno statuisse non servare, neque in Christo elegisse, neque ad vitam æternam ordinasse, neque fidem & perseverantiam eis dare, sed in cœcitate vel infidelitate originali eos relinquere, & propter peccata damnare decrevisse: idque ad ostendendam in eis iram, & notam faciendam potentiam suam. Vtrumque divini huius statuti membrum ex Scripturis & perpetua mundi historia atque experientia, manifestum est. Prius membrum (quod Electio & Prædestinatio sanctorum ad gloriam vocatur) traditur Rom.8.30. Eph.1.4. Act.13.48. Philip. 2.13. 1. Thes.1.4. 2. Thes. 2. 13. Matth. 24.24. &c. Posterius membrum (quod Reprobationem & Prædestinationem malorum ad pœnam, Theologi vocant) Matth.11.25. Ioh. 10.26. Rom.9.21.& 22. Proverb.16.4. 1. Pet.2.8. Iud.4 &c. Testatur etiam perpetua mundi historia & experientia, Deum subinde sic discriminasse populos, ut unum dignaretur gratia fœderis sui & vocationis per Verbum, alium non: discriminasse etiam vocatorum individua, ut unum donaret efficace gratia, fide, conversione, perseverantia & salute, alterum non: idque nullo populorum, vel individuorum merito, aut præstantiæ ingeniorum ratione habita: (omnia enim invenit pariter à bono cœlesti aversa: omniaque pariter flectere & dirigere ad se potuit, si voluisset) sed mero beneplacito & bonitate. Sic Israëliticum populum elegit peculium, Gentibus aliis reprobatis. Psal. 147.19. *Annuntiat judicia sua Israeli, non fecit taliter ulli nationi.* Esa. 41. 9. *Elegi te, & non reprobavi te.* Cur autem? Deut. 7. 7. *Non quia plures essetis præ omnibus populis, amavit vos Iehova & elegit vos, sed quia diligebat vos Iehova*, &c. Rursus ex vocatis Israelitis subinde alios elegit, alios reprobavit: *Iacob dilexit, Esau odio habuit*, &c. *idque non ex operibus, sed ut propositum electionis firmum maneret.* Et hoc nostro sæculo, nos Christianos solos dignatur vocare per verbum Euangelij: Turcas, Paganos, &c. non dignatur. Ex Christianis etiam vocatis, alios donat vera fide, conversione, perseverantia, & æterna salute: alios non donat, sed in ignorantia, vel hypocrisi relinquit. *Eph.1.5.* *Rom.9.22.* *Fulgent. lib. 1 ad Monim.* *Rom.9.11.*

Neque potest hæc populorum & personarum discriminatio, divinæ providentiæ derogari, & ingenijs hominum adscribi, citra blasphemiam; secus pro discriminatione nostri per vocationem & adoptionem præ alijs, nullis opus foret ad Deum precibus, nec Deo deberemus gratias, nec staret illud Apostoli: *Quis te discrevit? Quid habes, quod non accepisti? Quod si accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Staret vero Atheismus, quem Pelagiana hæresis invexit: Ego me discrevi: habeo quod non accepi. Quod est barathrum inferni. *1.Cor.4.7.*

Est

Est autem in Theologia indubitabilis regula, nitens Sacræ Scripturæ autoritate: Quicquid Deus in tempore facit, id eum ab æterno facere decrevisse, cum *Actor. 15.18.* in Deum cadere nulla possit mutatio. Quare discriminationem illam Electo- *Ephes. 1.3.* rum & non Electorum, sed Reproborum, salvandorum & non salvandorum, sed propter peccata damnandorum, quam videmus Deum fecisse, & facere in tempore, eum ab æterno sic facere decrevisse, indubitabile Christianis esse debet: *Spoliatus enim Deus* (verba Lutheri sunt) *virtute & sapientia eligendi, quid erit nisi idolum fortunæ, cuius numine omnia temere fiunt? Et tandem eo venietur, ut homines salvi fiant & damnentur, ignorante Deo, ut qui non discreverit certa electione salvandos & damnandos, & oblata omnibus generali lenitate, tolerante & indurante, tum misericordia corripiente & puniente, hominibus reliquerit, utri velint salvi fieri, aut damnari: ipse interim forte ad convivium Æthiopum profectus, ut Homerus dicit*, Luth. de servo Arb. cap. 143. Atque hæc est Orthodoxæ de Prædestinatione doctrinæ summa: sicque verbum *statuisse*, in Articulo est iuxta Scripturas & experientiam prorsus intelligendum.

Illis vero longe aliter significat, Deum eos, qui in tempore credunt, & perseverant, ab æterno quidem statuisse servare, sub conditione si crederent & perseverarent. Cæterum nec ad salutem eos magis, quam alios omnes ordinasse, nec in Christo elegisse, nisi eventualiter, quatenus illi præ alijs in Christum crederent & perseverarent: (fidem enim & perseverantiam Electione priorem faciunt) ut vero illi potius, quam alij crederent & perseverarent, non statuisse Deum singulari aliqua gratia in illis efficere: sed decrevisse omnibus hominibus universalem quandam, excitantem quidem & prævenientem, sed indifferentem & resistibilem gratiam offerre, cui qui non resistunt, sed bono usu liberi arbitrij assentiuntur & cooperantur, ad fidem concipiendam & perseverantiam in finem usque præstandam; illi sint in Christo electi & prædestinati, & hos proinde Deum ab æterno eventualiter ex fide & perseverantia prævisa elegisse in Christo, atque ad salutem prædestinasse, seu servare statuisse: Qui vero eidem resistunt, vel non cooperari ad fidem & perseverantiam volunt, illi non sint in Christo electi & prædestinati, & hos proinde Deum ab æterno eventualiter ex prævisa infidelitate, ad damnationem prædestinasse, sive, damnare statuisse.

Hanc esse proprijssimam illorum sententiam, omnes eorum declarationes ostendunt. Eandem vero fuisse Semi-Pelagianorum Massiliensium & Syracusanorum sententiam; legat apud Augustinum locis prius dictis, qui non credit, vel dubitat. Manifestum autem est, quod secundum eam neque fides, conversio, perseverantia & salus nostra, neque discriminatio nostri ab alijs, gratiæ Dei in solidum, sed nostræ voluntati atque cooperationi debeatur. Quando enim, exempli causa, in una civitate ex pluribus eandem concionem audientibus, eandemque gratiam excitantem habentibus, hic credit, ille non credit, hic perseverat, alter deficit, si Paulus Apostolus quærat ex credente & perseverante, *Quis te discrevit? Quid habes quod non accepisti?* Respondebit ille: Ego me discrevi, quia gratiæ excitanti cooperari volui: voluntatem cooperandi habui, non accepi. Quo blasphemo mendacio, nonne homo se cum Diabolo in infernum præcipitabit? Si autem fides & perseverantia, & salus nostra nostræ voluntati superædificatur, quomodo stabit Iustificatio gratuita? Et cum voluntate humana nihil sit mutabilius, nonne tota salus nostra stabit super arena, omnisque certitudo & consolatio Christiana, redibit in nihilum? De altero Cothurno satis.

III. Est & æquivocatio in verbis, *ex lapso peccatis obnoxio genere humano:* lapsum genus humanum Scriptura & Catechesis intelligit, ex lapsu Adæ peccato originali perditum, hoc est, non solum in peccatis mortuum, sed & adeo pravum, *Gen. 8.21.* ut ad bene agendum, prorsus non sit idoneum: & ad omne malum proclive, *Eph. 2.1.* donec per Spiritum S. regeneretur; quale Deus propagare, ex quali etiam sicut *Catechesis* in tempore sibi colligit, sic ab æterno sibi colligere decrevit, hoc est, in Chri- *q. 8.* sto elegit æternam Ecclesiam. Isti intelligunt quidem lapsum, sive originali (de quo varie loquuntur) sive actualibus peccatis obnoxium: non vero ita depravatum, quin possit libera voluntate velle & eligere bonum vel malum: Deum vocantem audire: pulsanti aperire: gratiæ excitanti resistere, vel as-

sentiri & cooperari: qui sensus repugnat Scripturæ & veritati: *Quis te discrevit?* [1.Cor.4.7.] *Non sumus ex nobis idonei,* &c. [2.Cor.3.5.] *Prudentia carnis, est inimicitia adversus Deum.* [Rom.8.7.]

IV. Est quoque notabilis Cothurnus in relativo *illos*: quod nos cum Apostolo Romanor. 8. 30. intelligimus de hominibus certis in individuo, de Petro, Paulo, &c. prædestinatis à Deo, non modo ad salutem & gloriam, sed etiam ad antecedentia media salutis, & ad qualitates in salvandis requisitas, vocationem externam & internam, ad fidem & Iustificationem, ad conversionem & perseverantiam in finem: juxta sententiam Apostoli: *Quos prædestinavit, hos & vocavit; quos vocavit, hos & justificavit; quos justificavit, hos & glorificavit.* Quorum (inquit Augustinus) [De corrept. & grat. cap. 13.] *ita est certus numerus, ut nec addatur eis quisquam, nec minuatur ex iis.* Quibus etiam solis datur infallibiliter, ut credant & perseverent, & perire non possint: sicut dicitur: *Crediderunt quotquot erant ordinati ad vitam æternam,* [Actor.13.48.] hoc est, interprete Chrysostomo, [Chrysost. Homil. 30.] *prædestinati à Deo.* Et: *Qui cæpit in vobis opus bonum, perficiet in diem usque Iesu Christi.* [Philip.1.6.] Et, *impossibile est seduci electos.* [Matt. 24.24.]

Illi intelligunt, homines non certos, sed quoscunque, eventualiter credituros: vel, certos quidem, sed tantum in specie, non in individuo credentes ante electionem: prædestinatos non ad fidem & perseverantiam, sed post fidem ad salutem eventualiter, si perseverent. Brevius, Nos intelligimus *illos*, quos Electio seu Prædestinatio facit credentes & perseverantes; [Rom.11.7.] Illi, quos electio invenit credentes & perseverantes: Brevissime: Nos intelligimus credituros & credentes consequenter, seu post electionem: Illi credituros & credentes antecedenter, seu ordine ante Electionem: quomodo nimirum, currus trahit equos. Si enim fides non potest esse ante vocationem, quæ est electione & prædestinatione posterior: quomodo potest esse ante Electionem? Atqui Apostolus contra: *Elegit nos ut essemus sancti;* [Eph.1.4.] non cum essemus sancti. Sanctificationis vero nostræ principium fides est; Actor. 15. 9.

V. Non dissimilis cothurnus latet in verbis; *in Christo.* Nos intelligimus cum Apostolo; Deum ante jacta mundi fundamenta nos elegisse in Christo consequenter, hoc est, ut fide & Spiritu insereremur Christo, tanquam membra capiti, essemusque in Christo post electionem: mox enim declarat Apostolus. vers. 4. *Prædestinavit nos in adoptionem per Iesum Christum:* adoptio vero fit per fidem. Iohan. 1. 12. Illi intelligunt Deum nos elegisse in Christo antecedenter, hoc est, ante electionem existentes in Christo per prævisam fidem. Vnde vero Electis Fides ordine ante electionem? Num ex gratia Dei? Non certe. Gratiam enim facit Apostolus electione & prædestinatione posteriorem, dicens: *Elegit nos, & prædestinavit ad laudem gloriosæ Gratiæ suæ.* Num igitur ex libero arbitrio? hoc cum Pelagio statuant necesse est. Videatur Augustinus de Prædestinat. sanctor. cap. 19.

VI. In verbis *Per Christum & propter Christum*, dubitari potest, annon etiam lateat Cothurnus. Nos simpliciter intelligimus, per & propter Christi λύτρον satisfactorium. Illi de Satisfactione Christi dissimiliter sentiunt & loquuntur. Constat enim Vorstium, cum quo eundem funem trahunt, de satisfactione Christi vel nulla, vel semiplena, nec necessaria jam pridem multa ex Socino Samosateniano, scandalose disputasse.

VII. Cothurnus insignis latet in vocabulo, GRATIA: quod licet alias varie significet; in quæstione tamen de causa Fidei, conversionis, perseverantiæ & salutis nostræ; Gratia proprie est efficax motus & tractus misericordiæ Dei in mentibus & cordibus Electorum; fidem, conversionem & perseverantiam ineffabili modo operantis: de qua Christus, *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* [Ioh.6.44.] Et Augustinus: [De grat. Christi cap. 24.] *Legant & intelligant, intueantur atque fateantur Pelagiani, non lege atque doctrina forinsecus insonante, sed interna atque occulta, admirabili ac ineffabili potestate operari Deum in cordibus hominum, non solum novas revelationes, sed etiam* BONAS VOLVNTATES. Illi intelligunt Gratiam, tum externæ vocationis per Verbum: tum internæ suasionis moralis per Spiritum, sed indifferentis, quam penes liberum hominis Arbitrium

trium

trium sit bene vel male determinare, recipere vel respuere. Ideo *Resistibilem* vocant, ut patebit Art. 4. Quæ opinio & gloriæ Dei derogat, & hominem suo reti sacrificare, hoc est, contra Deum superbire facit, & certitudinem salutis, atque consolationem nostram, in vita & in morte convellit. Vt ostensum Cothurno secundo.

VIII. Etiam in verbo *Credere* & nomine *Fidei* haud dubie luditur. Nobis *Credere* est, non tantum omni verbo Dei assentiri, sed præcipue & proprie promissioni Evangelij de gratia & remissione peccatorum propter Christi sanguinem confidere: *Crede tantummodo*, pro, confide. Et hunc sensum præsertim habet in phrasi, *Credere in Deum*, *in Christum*. &c. *Si creditis in Deum, etiam in me credite*: pro confidite: consolatur enim ibi Apostolos. *Domine quis est, ut credam in eum?* pro, ut confidam in eo. Fides salvifica nobis est coniuncta cum fiducia promissionis Evangelij, seu promissæ misericordiæ Dei de remissione peccatorum propter Christi sanguinem: ut cum dicimur *fide iustificari*, fides fiduciam significat: &, *fide iustificari*, est fiducia meriti Christi à peccatis absolvi. Quem sensum Apostolus tradit, cum dicit: *quem proposuit Deus placamentum per fidem in sanguine suo, ad declarandam iustitiam suam per remissionem peccatorum præcedentium*: ubi, *fides in sanguine suo*, non potest nisi *fiduciam sanguinis Christi*, significare.

Marc.5.36. Ioh.14.1. Ioh.9.36. Rom.3.28. Rom.3.25.

Illi vero quod *fidem* tantum de assensu, *Credere* tantum pro assentiri intelligant; cum alia multa, tum lubricæ ipsorum de Fide disputationes docent: quibus plerumque fiduciam remissionis peccatorum in fide non requirunt: & fidem iustificare, seu ad iustitiam imputari volunt, non quia Christi meritum sibi applicat; sed quia ipse fidei actus pro impletione legis reputatur; quæ Alberij Triuncuriani deplorati hominis fuit opinio.

Cum igitur tot æquivocationibus depravet veram, occultet falsam de Prædestinatione doctrinam, hic Articulus, utique approbari simpliciter non potest.

An Articulus (seposita Prædestinatione) sufficere & tolerari possit?

QVid vero, inquies, de Prædestinatione adeo est disputandum? Nonne ad salutem sufficit, tenere summam Evangelij Articulo hoc traditam? *Qui credit in filium Dei, habet vitam æternam: Qui non credit, super eo manet ira Dei.* Et, Annon hactenus tolerari possit Articulus?

Scio sic quosdam iudicare, imo scripserunt viri, alias eruditi & pij, de Prædestinatione non esse disputandum in Evangelio, sed tantum prædicandum de promissionibus universalibus gratiæ. Verum boni isti non observarunt, sic scribendo se contradicere Spiritui Sancto, qui certe in Evangelio doctrinam de prædestinatione tradidit, ut supra Cothurno 2. locis allegatis videre est. Videntur autem vel hoc prætextu imprudentes ipsi fundamentum fidei & consolationis nostræ labefactare, vel ab alijs labefactari non observare: illud igitur sive Ambrosij sive Prosperi pijssime dictum, hic tenendum de Prædestinatione: *Quæ Deus occulta esse voluit, non sunt scrutanda, quæ autem manifesta fecit, non sunt neganda: ne in illis illicite curiosi, & in istis damnabiliter videamur ingrati.* Sicut igitur illicita est curiositas, non revelata in Evangelio de Prædestinatione, velle scrutari: sic damnabilis est ingratitudo, quæ de Prædestinatione Deus in Evangelio revelavit, velle negare vel opprimere. Ad quæsitum vero sic respondetur.

Lib.1. de Vocat. gent. cap.7.

Sufficientiam quod attinet, perinde quæras in Ecclesia, Annon sufficiat ad salutem doctrina Catechetica de miseria hominis; de liberatione per Christum; deque Gratitudine? Quorsum igitur lectio Bibliorum, & sublimior Theologia? In Logica, Annon sufficiat tenere tot esse figuras syllogismorum & tot modos? Quorsum igitur Organo Aristotelico opus in scholis? In Politica, Annon sufficiat popularis scienta iuris & æqui ad Rempubl. gubernandam? Quorsum

igitur tantus legum apparatus, tam operosa Iuris-prudentia? In Mathematica, Annon sufficiat nosse triangulum habere tres duobus, &c. diametrum ad circumferentiam esse in subtripla proportione super-partiente unam septimam? Quorsum igitur tam arduæ & intricatæ demonstrationes Euclidis? Ad talia nemo non facile respondendum videt, aliquibus quidem prima istarum disciplinarum Elementa, cognitionemque τοῦ ὅτι satis esse posse; sed non omnibus. Catechumenis in Ecclesia sufficere ad salutem possunt, rudimenta Catechetica salutis: sicut lac infantibus sufficit pro nutrimento: non sufficit vero adultioribus in fide, qui cibum solidiorem requirunt: non Doctoribus Scholarum, Pastoribus Ecclesiarum, quibus ex officio & conscientia uberior Theologicarum rerum scientia est necessaria: Tyronibus classicis in Logica, ad syllogizandum sufficit tot figurarum & modorum cognitio. Philosophis est necessaria τοῦ διότι Organo Aristotelico tradita scientia, unde, & cur tot sint, plures vero esse nequeant. Pedaneo judici vel Notario: elementa juris & justitiæ sufficere possunt: Iuris Professori, causarum Advocato, vel Cancellario. &c. legum fontes necessario cognoscendi sunt. Mechanico illud τὸ ὅλως de Trigono & circulo, sufficiet ad opificium. Mathematum Doctor vel studiosus, demonstrationum τοῦ διότι scientiam desiderat.

Pari ratione dicendum, Articulum hunc (semotis nunc æquivocationibus) Catechumenis & Idiotis, mysteriorum sublimiorum non capacibus, sufficere ad salutem posse; satisque esse illud τὸ ὅτι, quales se esse, quibusque uti mediis ad salutem consequendam oporteat: Credentes nempe in Christum, inque fide & obedientia fidei ad finem usque perseverantes, per verbi & Sacramentorum ministerium, & per huic cooperantem gratiam. Adultioribus vero in fide, inprimisque Scholarum & Ecclesiarum Doctoribus qui nihil præterea necessarium dixerit, jejunus profecto, & imperitus rerum æstimator erit. Quinimo juvat oportetque hos altius scrutari Scripturas, penitiusque cognoscere, ipsum doctrinæ prædictæ τὸ διότι, hoc est, fontem & causam primam Scripturis revelatam: unde qualitates illæ, mediaque salutis cum gratia & salute ipsa, originaliter in nos descendant; unde etiam descendat ista, quam videmus, populorum & individuorum salvandorum à reliqua pereuntium multitudine discriminatio: ne forte (quod ignorato, vel derelicto fonte necesse est fieri) cisternas confractas, aquas non continentes, nobis effodiamus: Ierem. 2.13. hoc est, vocationem, fidem, perseverantiam, salutem nostram, vel ingeniis, viribus, & meritis humanis, vel gratiæ quidem, sed indifferenti & libero arbitrio nostro ex parte vel in totum, cum Dei contumelia nostroque exitio adscribamus.

Hic vero fons, hæcque causa suprema & prima, non est nisi æterna Dei prædestinatio, hoc est, æternum de nobis, præ alijs in Christo servandis consilium. Ex hoc enim fonte fluit salvandorum omnium Vocatio externa & interna ad fidem in Christum: fluit fides & resipiscentia: fluit justificatio, obedientia & perseverentia fidei: fluit tota salus & glorificatio nostra: quod perspicue docet & confirmat Scriptura his & similibus dictis: *Quos prædestinavit, hos & vocavit; quos vocavit, hos & justificavit.* Item: *Electio assecuta est, reliqui occalluerunt.* Item: *Crediderunt, quotquot ordinati erant ad vitam æternam.* Item: *Elegit nos in Christo ante jacta mundi fundamenta, ut essemus sancti & inculpati coram eo in dilectione: quos prædestinavit in adoptionem per Iesum Christum ad laudem gloriosæ gratiæ suæ.* &c. Confirmat idem Augustinus dicens: *Hæc Prædestinatio sanctorum nihil aliud est, quam præparatio beneficiorum Dei quibus certissime liberantur illi, quicunque liberantur.* Confirmat etiam Lutherus valde emphatice his verbis: *Ex æterna Dei prædestinatione, utrumque fluit, & suam originem habet; quis scilicet crediturus, quis non crediturus sit; quis à peccato absolvendus, quis non: ut id omne sit extra nostram potestatem, & in solius Dei manu quod justificamur.*

Rom. 11.7. *Rom. 8.30.* *Actor. 13.48.* *Eph. 1.3.4.*
De Bono Persever. cap. 14.
Præfat. ad Rom.

Hunc igitur fontem Theologis cumprimis & quotquot in fide & Consolatione juvat fieri confirmatiores, probe cognoscendum, Ecclesiæque & Scholis perspicue & sobrie explicandum esse, quis dubitet? Idque duas potissimum ob causas:

I. Propter

I. Propter gloriam Dei: ut scientes media, causasque & qualitates salutis & salutem ipsam, non ex nostro ingenio, sed ex solo Dei beneplacito descendere, non nobis, sed divinæ misericordiæ, in solidum salutem nostram acceptam feramus.

II. Propter Consolationem nostram, ut firmiter statuentes fidem, perseverantiam, & salutem nostram, non viribus vel arbitrio nostro niti, sed in æterno immutabilique Dei consilio fundari, eandem certam atque immobilem fore confidamus, & hac freti fiducia, precibus assiduis, bonisque operibus, vocationem & electionem nostram, firmam nobis reddere satagamus. 2. Pet. 1. 9.

Atqui fontem hunc limpidissimum, cœno æquivocationum conspurcat obstruitque penitus hic articulus. Negat enim (videatur Collatio) fidem & perseverantiam nostram, ex æternæ Electionis fonte tanquam effectum ex causa prima descendere: utramque, in speciem gratiæ Dei, revera, humanæ voluntati adscribit: quia voluntatem humanam, gratiæ Dei resistibilis Dominam facit: liberum arbitrium gratia Dei resistibili fortius & potentius constituit, totumque salvandorum & damnandorum discrimen, ab hominum voluntatibus suspendit. Qua ratione gloriam salutis humanæ, Deo in solidum tribui non posse, sed necessario derogari, manifestum est.

Hinc & certitudinem gratiæ, fidei, justificationis, perseverantiæ, totiusque salutis, proinde & unicæ consolationis nostræ, in vita & in morte funditus convellit. Cum gratia enim resistibili, & voluntate hominis resistente, vel resistere valente, tanquam cum duobus principijs vel repugnantibus, vel in horas variantibus, quis non intelligat, certam fiduciam gratiæ, justificationis, perseverantiæ, salutis, solidamque in vita & in morte consolationem, consistere nullo modo posse?

Hinc de *tolerantia* quid statuendum sit manifestum quoque est. Articulum enim tam æquivocum, tamque periculosis captiosum cothurnis, quis tolerabilem dixerit? Saccarum occulto tinctum veneno, quis sciens volens emerit vel comederit? Quis μῆλον ἔριδος Ecclesijs objiciendum, perpetuarum litium materiam futuram, utile duxerit? Num Medici in scholis ferent, Empyricos pathologicā doctrinā adulterantes vel negantes? Mathematici Mechanicorum ψευδογραφήματα, quibus verbi gratia, tetragoni sinum falsum pro vero inducunt, fontesque scientiæ convellunt, num tolerare possint? Longe minus in Ecclesia, toleranda sunt dogmata æquivoca, quibus prætextu gratiæ gratia negatur: *principium salutis in homine collocatur, divinæ voluntati voluntas hominis præfertur, ut ideo quis adiuvetur, quia voluit: non ideo quia adiuvatur, velit: originaliter malus receptionem boni, non à summo bono, sed à semet-ipso inchoare creditur: aliunde denique Deo placeri nisi ex eo, quod ipse donaverit, docetur.* Prosper Epist. ad August.

Hæc de æquivocationibus primi Articuli. Quomodo vero is recte intelligi, expleri & formari possit, Cothurno secundo est explicatum.

Articulus Secundus.

PRoinde Iesum Christum mundi Servatorem pro omnibus & singulis mortuum esse, atque id ita quidem, ut omnibus per mortem Christi reconciliationem & peccatorum remissionem impetraverit: ea tamen conditione, ut nemo illa remissione peccatorum reipsa fruatur præter hominem fidelem: & hoc quoque secundum Evangelium Ioh. 3. 16. Sic Deus dilexit mundum ut filium suum unigenitum dederit, ut quisquis credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. *Et 1. Ioh. 2. 2.* Et ipse est propitiatio pro Peccatis nostris: nec pro nostris solum, sed & pro totius mundi Peccatis.

Examen.

Rem non novam agunt Remonstrantes hoc Articulo. Olim enim Semi-Pelagiani Massiliæ & Syracusis, eundem tuebantur his verbis: *Pro universo genere humano, mortuum esse Dominum nostrum Iesum Christum, & neminem prorsus à redemptione sanguinis eius exceptum, etiamsi omnem hanc vitam alienissima ab eo mente transigat: quia ad omnes homines pertineat misericordiæ sacramentum: quo ideo plurimi non renoventur, quia quod nec renovari utile habeant; prænoscantur. Itaque quantum ad Deum pertinet, omnibus paratam vitam æternam: quantum autem ad arbitrij libertatem, ab his eam apprehendi, qui Deo sponte crediderint, & auxilium gratiæ merito credulitatis acceperint.* (Prosper Epist. ad Augusti.)

Quo Articulo etsi in speciem Dei gratiam & Christi redemptionem amplificabant: re vera tamen utramque minuebant, Deo gratiam indifferentem, Christo redemptionis meritum, libero arbitrio efficaciam utriusque tribuentes, & dum vellent doctrinam de Prædestinatione, quam ex Apostolo tuebatur Augustinus, evertere, re vera totum Euangelium convellebant, causam fidei & perseverantiæ, proindeque salutis humanæ, Deo & Christo indifferenter, ingenio & arbitrio humano determinative adscribentes: quod quale sit, à Deo docti intelligunt. Vbi enim illud Apostoli, *Quis te discrevit? quid habes quod non accepisti? quod si accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Maledictus qui ponit carnem brachium suum.* (1. Cor. 4. 7. Ier. 17. 5.)

Similiter isti dum articulo hoc de universali reconciliationis omnium hominum cum Deo per mortem Christi impetratione, in speciem gratiam mortis Christi amplificant, revera idem, quod illi agebant, agunt, & dum cogitant Apostolicam Dei Prædestinationem, discernentem salvandos à non salvandis convellere: contra suam Prædestinationem eventualem sponte credentium & perseverantium, seu ad fidem & perseverantiam se ipsos determinantium, fide & perseverantia posteriorem (quæ revera post destinatio non prædestinatio dicenda esset) inducere: humanam voluntatem gratiæ resistibilis Dominam faciendo, & reconciliationem per Christi mortem hominum voluntati exponendo, fidem gratiæ evacuant, consolationem ex morte Christi enervant.

Sed ipsum Articulum inspiciamus. Habet is quatuor membra:

1. *Propositionem:* Quod Christus sit mortuus pro omnibus & singulis: quæ est ambigua.

2. *Glossam:* Quod omnibus reconciliationem & remissionem peccatorum impetraverit: quæ est æquivoca & falsa.

3. *Conditionem:* Quod nemo nisi homo fidelis reipsa fruatur reconciliatione: quæ est vera, & propositionem limitat, glossam vero evertit.

4. *Probationem:* Per duo allegata Scripturæ: quæ nihil ad propositionem directe: in neutro enim allegato fit mortis Christi pro omnibus & singulis aliqua mentio: ut mirandum sit, autoribus aptiora non succurrisse: prioris vero posterius membrum, cogit etiam propositionem limitare & Glossam refellit.

Miscentur igitur vera quædam ambigue dictis, vel falsis.

Verum, inquam, est, *quod nemo peccatorum remissione reipsa fruatur, præter hominem fidelem.* Qui enim non credit, super eum manet ira Dei, non remissio vel reconciliatio: nisi quod verbis, *reipsa fruatur*, subesse videtur Cothurnus de duplici fruitione remissionis peccatorum, seu reconciliationis: *Vna* reali per fidem, fidelibus solis propria, quæ sola vera est: *Altera* non reali sine fide, omnibus etiam infidelibus communi, quæ est fictitia & nulla. (Ioh. 3. 36.)

Hinc vero conficitur, Christum proprie pro omnibus & solis fidelibus, pro nullis infidelibus; & sic non absolute pro omnibus & singulis hominibus, mortuum esse. Nam *mori pro aliquo* proprie est, morte sua aliquem à morte liberare, seu mori alicuius loco, ut ipse vivat: quod liquet, ex 2. Sam. 18. 33. *Vtinã mortuus essem pro te*, hoc est, loco tuo, ut tu viveres. Et de Christo, Rom. 5. 6. 8. *Mortuus est pro nobis, cum impij & peccatores essemus*, hoc est, nostro loco, ut nos à peccato & morte liberati

rati, iustitiæ vivamus, seu vitam æternam habeamus. Sic, 2. Cor. 5. 15. 1. Ioh. 3.16. 1. Ioh. 4. 9. Ioh. 15. 13. &c.

Ambigua ex imperfectione est propositio, *Iesum Christum Servatorem pro omnibus & singulis mortuum esse*. Si addas, *credentibus*; perspicua & vera erit propositio. Si, *hominibus*; manet ambigua. Potest enim accipi, vel de amplitudine meriti mortis Christi, omnibus hominibus ad reconciliationem sufficientissimi: vel de efficacia eiusdem, omnes homines reconciliante.

Priore sensu, vera etiam est Propositio. Mors Christi enim ratione amplitudinis atque potentiæ suæ remedium est peccatis omnium & singulorum hominum expiandis sufficientissimum: neque ad realem reconciliationem deest quicquam omnibus & singulis eam fide accipientibus. Hoc sensu Christus pro omnibus & singulis hominibus mortuus esse dici potest: eodemque dicta Scripturæ, ubi Christus dicitur *mortuus esse pro omnibus*. 1. Tim. 2. 6. *gustasse mortem pro omnibus*. Heb. 2. 9. *propitiatio esse pro peccatis totius mundi*. 1. Ioh. 2. 2. vulgo non incommode intelliguntur: licet etiam strictius accipi possint.

Posteriore sensu de remedij sufficientissimi fructu seu efficacia, quæ est realis cum Deo reconciliatio, & ex morte in vitam restitutio, falsa est propositio. Dicere enim Christum pro omnibus & singulis sic mortuum esse, ut omnes & singulos promiscue, fideles & infideles, qui Christum vel nesciunt, vel oppugnant, Deo reconciliaverit: repugnat Evangelio, quod magno consensu efficaciam mortis Christi solis & omnibus credentibus vendicat. Cui probando, vel una Servatoris Christi sententia, in Articulo allegata, Ioh. 3. 16. *ut omnis.* &c. sufficit. Non dicit enim *ut omnes & singuli homines habeant vitam æternam*; sed *ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam*: prout realis fruitio remissionis peccatorum in Articulo etiam limitatur. Vnde & in dictis præallegatis. 1. Tim. 2. 6. Heb. 2. 9. 1. Ioh. 2. 2. &c. cum de efficacia mortis Christi intelliguntur, universalis *omnes* necessario ad universitatem credentium & Electorum adstringenda est: de qua universitate scite scribens Prosper: *In electis*, inquit, *atque ab omnium generalitate discretis specialis quædam censetur universitas, ut de toto mundo totus mundus liberatus, & de omnibus hominibus omnes homines videantur assumpti.* Lib. 1. de vocat. Gent. cap. 3.

Duabus hisce Veritatibus Remonstrantes evidentissime constringuntur:

Primo: Christum quoad sufficientiam λύτρου & meriti sui pro omnibus & singulis mortuum esse & mori voluisse.

Secundo: Quoad fructum & efficaciam mortis suæ, hoc est, realem cum Deo reconciliationem ac restitutionem, non pro omnibus & singulis, sed pro solis & omnibus credentibus mortuum esse & mori voluisse.

Priorem Veritatem in Collatione nusquam quidem leguntur diserte probare: sed nec palam negare: neque possunt negare nisi insufficientiam meriti statuere velint.

Posteriorem concedunt quoad eventum, *non omnes homines à Christo esse reipsa restauratos; & in statum gratiæ restitutos*: negant vero quoad intentionem Servatoris & consilium Patris: quo quid absurdius & falsius? Quos enim Deus per mortem filij sui non reipsa instaurat in tempore: eos nec reipsa instaurare decrevit ab æterno: *certe enim Deus noster omnia quæ voluit, fecit*. Psalm. 115. 3. Quidquid igitur non fecit, vel facit in tempore, id nec voluit ab æterno. Quos etiam Christus morte sua reipsa non instaurat, eos nec instaurare voluit, nec iuxta consilium Patris debuit. At, fatentibus illis, non omnes homines Christus reipsa instaurat, & in statum gratiæ restituit: Ergo Christum non omnes homines reipsa instaurare, & in statum gratiæ restituere voluisse, vel ex consilio Patris debuisse, fateantur necesse est: secus dicant Christum aliquid non facere, quod facere omni modo voluit, & ita negent non omnipotentiam: Collat. Hag. pag. 497. 498.

vel

vel quod ex consilio Patris facere debuit, & negent obedientiam. Si adhæc obji-
Matt.23.37. ciant: *Voluisse Christum congregare filios Ierusalem; nec tamen fecisse:* dicant etiam, Christum omni modo voluisse eos congregare, non solum externa vocatione & invitatione ad resipiscentiam, per Prophetarum, & suam, atque Apostolorum prædicationem, sed etiam internæ gratiæ ac potentiæ suæ tractione: nec quicquam tamen profecisse: viderint vero quo pacto omnipotentem Dei filium impotentiæ non accusent, seipsos blasphemiæ crimine non alligent.

Vtraque igitur Veritate, velint nolint, constricti, consensum cum Orthodoxis ingenue fateantur oportet, vel non. Si fatentur consensum, quomodo non seipsos perfidiæ damnant, quod inanibus logomachiis Ecclesias unitas lacerent, Remp. tranquillam perturbent? Si negant consensum in priore, quomodo non blasphemant mortem Filij Dei, quasi insufficiens λύτρον? Si in posteriore, quomodo non manifesta contradictione se involvunt? Si enim negant Christum quoad efficaciam & fructum mortis suæ, non pro omnibus & singulis hominibus, sed pro solis credentibus mortuum esse, utique affirment necesse est; Christum, quoad fructum & efficaciam mortis suæ pro omnibus & singulis hominibus, non pro solis credentibus mortuum esse, hoc est, omnes & singulos homines (non solos credentes) Deo reconciliasse, seu, quod idem est, omnes & singulos homines remissione peccatorum reipsa frui fecisse. Atqui hanc affirmationem diserte negant limitatione Articuli, dicendo, *neminem peccatorum remissione re-*
Collat. pag. 497. *ipsa frui præter fidelem hominem:* & disertius in Collatione, dicendo: *non omnes homines à Christo reipsa restauratos, & in statum gratiæ restitutos esse.* Hac igitur Contradictione tenentur: Omnes reipsa reconciliatos seu restitutos: &: Non omnes reipsa restitutos esse.

Examen glossæ propositioni additæ. Hic vero receptum parabunt ad Glossam propositionis: ita Christum pro omnibus & singulis mortuum esse, ut *Omnibus morte sua reconciliationem & peccatorum remissionem impetraverit:* quasi hic sit tertius sensus, quo Christus præter sufficientiæ & efficaciæ mortis suæ respectum pro omnibus mortuus esse dici possit, & ita distinctio superior eludatur: quia omnibus morte sua reconciliationem impetraverit.

Sed dicant, quæso, nobis, quid sibi hic cothurnus velit, quo responsiones Fratrum in Collatione plus decies clusisse leguntur. Nusquam sic Scriptura loqui-
Col.1.20.21. tur, *Christum impetrasse omnibus reconciliationem:* sed aperte dicit, *Deum in Christo*
2.Cor.5.19. *sibi reconciliasse omnia in cælo & in terra: reconciliasse sibi mundum: Christum reconciliasse omnia per sanguinem suum:* significans Christum reipsa restituisse in statum gratiæ mundum synecdochice, hoc est, omnes in mundo credentes: sicut in il-
Ioh.12.47. lis: *Non veni condemnare mundum, sed servare mundum: ut mundus cognoscat me*
Ioh.17.23. *à te missum esse:* Vbi *Mundus* non potest nisi de Mundo electorum intelligi. Item, *Omnia*, hoc est, *Omnes fide justificatos*, ut patet, Rom. 5. versu 11.

Hoc sensu si volunt Christum omnibus reconciliationem impetrasse, pro, omnes reipsa reconciliasse, Cur non aperte loquuntur? &, cur non exprimunt quibus omnibus impetraverit? Si omnibus credentibus, quid litigant? Si omnibus hominibus promiscue, dicant quomodo impetraverit? Meriti amplitudine, an etiam efficacia? Si Meriti amplitudine, rursus quid litigant? Si & efficacia, dicant; absolute & sine fide, an sub conditione fidei? Si absolute omnibus etiam sine fide, quomodo non rursus contradictione se implicant, ex limitatione sua conditionata; *Neminem reipsa frui reconciliatione præter hominem fidelem?* Si sub conditione fidei, quomodo non sic etiam nodo contradictionis constringuntur? Si enim omnibus impetravit sub conditione Fidei; destitutis igitur conditione fidei non impetravit. At conditione fidei destituti, hoc est, infideles, sunt plurimi; ergo plurimis his non impetravit. Hæc vero nonne rursus contradicentia sunt: omnibus impetravit; & plurimis non impetravit? Quomodocunque igitur cothurnum vertant, vel logomachi turbatores deprehenduntur, vel contradictione aperta involvuntur.

Videtur

Videtur autem Cothurnus hic aliquanto accuratius excutiendus, ut quam sit utrique pedi aptus, hoc est, verum & falsum sensum occultet, ex verborum significatione appareat.

Reconciliatio est dissidentium in gratiam restitutio vel reditio. Active Deo & Christo, passive nobis tribuitur.

Verbum *Impetrare* æquivocum est, varie significans, modo exorare, modo præparare, procurare, mereri, acquirere, obtinere, conferre, &c. Phrasis igitur, Christum impetrasse omnibus reconciliationem, valde æquivoca sit, oportet. Atqui æquivocationibus ludere, non est Theologorum, sed Sophistarum, qui fallere volunt.

Non potest tamen phrasis nisi triplicem habere sensum; vel, quod Christus morte sua reconciliationem omnibus impetraverit, quadam metalepsi, merendo seu procurando materiam reconciliationis omnibus sufficientissimam: 1 *Vel*, quod reconciliationem omnibus impetraverit proprie, eandem conferendo omnibus, hoc est, omnes reipsa reconciliaverit; 2 idque vel absolute sine conditione; quomodo, verbi gratia, Ioab in intercessione mulieris Tekoanæ Absolomo parricidæ apud Davidem impetravit reconciliationem absolute; ut sine conditione reduceretur in conspectum Regis, & Pater oscularetur filium: 2.Sam.14.21.33. quomodo etiam Esther Iudæis impetrasse legitur securitatem absolute sine conditione: Esth.7.2.3. *Vel* sub conditione fidei in omnibus ponenda, ut si omnes credant in Filium sint reipsa reconciliati: si non credant, reconciliationis expertes sint: 3 quomodo, verbi causa, Adoniæ seditioso apud Salomonem impetrata fuit impunitas, sub conditione innocentiæ: *Si fuerit filius virtutis, non cadet capillus de capite eius; si vero malum in eo fuerit deprehensum, morietur.* 1.Reg.1.52.

Dicam brevius: Christus impetravit reconciliationem omnibus, vel quoad amplitudinem meriti pro omnium reconciliatione sufficientissimi: vel insuper, quoad efficientiam reconciliationis omnium: idque vel absolute, sive credant, sive non; vel conditionaliter, si omnes credant. Neque dari potest quartus Cothurni sensus.

Quem enim Remonstrantes in Collatione adferunt, Christum impetrasse omnibus reconciliationem, hoc est, effecisse, ut Deus homini peccatori ianuam iterum aperuerit gratiæ suæ: Collat. pag. 172. quamvis nemo ad illius gratiæ communionem sit ingressurus, nisi per fidem: vel est novus Cothurnus, seu schema æquivocum, limitatione rursus auferens, quod prius posuit: (quomodo enim omnibus impetravit reipsa reconciliationem, qui effecit, ut princeps seditiosis aperiat ianuam arcis suæ, quam tamen nemo ingressurus, nisi per mille florenos: quibus fidei conditio longe est præstantior) vel si est impetratio reconciliationis dicenda, ad conditionalem impetrationis modum Tertium pertinet.

Manent igitur tres tantum impetratæ reconciliationis modi, quorum aliquo Christum omnibus reconciliationem impetrasse dicendum illis est.

Si primo, consentiunt Orthodoxis: Quid igitur Ecclesias & Rempubl. turbant?

Si secundo, contradictione se involvunt, affirmantes, Christum omnibus absolutam reconciliationem impetrasse, hoc est, omnes reipsa in statum gratiæ restituisse; quomodo Ioab Absolomo reconciliationem cum Patre absolute impetravit, hoc est, in gratiam Patris eum restituit: Contra vero limitatione Articuli, sicut & in Collatione, diserte negantes, omnes à Christo reipsa restauratos, & in gratiæ statum restitutos. Quæ contradictio non minus aperta est, quam si dicerent, Ioabum Absolomo gratiam Patris absolute impetrasse; & non absolute impetrasse: seu, eum in gratiam Patris reipsa restituisse, & non reipsa restituisse.

Si tertio, contradictionis scopulo rursus alliduntur. Si enim Christus intentione sua omnibus reconciliationem sub conditione fidei in omnibus ponenda impetravit: nullis igitur sine conditione fidei seu fide destitutis, in quibus neque à Deo (qui fidem non dat omnibus, sed quibus vult,) neque à Libero Arbitrio,

(quod

(quod Deo non vivificante mortuum est in peccato) eventualiter fuit ponenda vel ponitur, hoc est, infidelibus impetravit. Infideles autem semper fuerunt & sunt plurimi. Nonne igitur hic etiam manifestus conflictus? Omnibus impetravit; & plurimis non impetravit. Quomodocunque igitur se habeat cothurnus, vel idem cum Orthodoxis æquivocationibus suis sibi volunt, & sic λογομάχοι, Ecclesiæ & Reip. turbatores iuveniuntur: vel Contradictionibus manifestis irretiti tenentur: vel denique (quicquid tergiversentur) in Massiliensium *Semi-Pelagianorum* castra, universalem omnium etiam sine agnitione & fide Christi vitam hanc pertranseuntium reconciliationem tuentium, ab Hubero nuper in Germania renovatam, concedere coguntur.

Atque huc profecto omnia fere eorum argumenta ab Huberianis mutuata collimant: hinc *Christum non fidelium tantum sed & totius mundi*, hoc est infidelium quoque *reconciliatorem* vocant. Hac hypothesi nituntur Classica absurda, quibus Orthodoxos gravare solent: quod alioqui increduli, nisi & his reconciliationem impetrarit, nihil haberent quod crederent, aut si crederent mendacium crederent; quæ sunt falsissima. Licet enim Christus non sit mortuus pro omnibus, quoad efficaciam mortis suæ: est tamen mortuus pro omnibus quantum ad sufficientiam meriti sui. Hoc habent omnes etiam infideles, quod credant in Evangelio Christum pro totius mundi peccatis sufficientissime luisse, omnesque in ipsum credentes Deo reconciliasse; proinde se quoque meriti & reconciliationis huius participes fore, siquidem ex incredulis fideles fiant & in Christum credant. Hoc vero statuentes & credentes, nequaquam mendacium credunt. Mendacium vero crederent infideles, si statuere vellent, vel docerentur, sibi etiam in infidelitate manentibus per Christum reconciliationem impetratam esse. Mendacium enim hoc est, non veritas, Christum omnibus etiam infidelibus qua tales sunt & manent, reconciliationem impetrasse.

Collat. pag. 141, 142, 143. 213.

Etiam supponunt, multos pro quibus omni modo mortuus est Christus, damnari. Id falsum esse Apostoli exclamatio arguit: *Quis condemnabit? Christus est qui mortuus est.* Rom. 8. 34. Hæc enim consolatio Apostolica vana esset, nisi supponeretur universalis: neminem pro quo Christus mortuus est condemnari. Ad hanc enim piæ mentes firmiter subsumere possunt: Pro me Christus est mortuus: & concludere: Ergo non condemnabor. Hæc est Christiana consolatio ex Christi morte. Hanc vero isti destruunt, pro universali particularem supponentes: Aliqui pro quibus Christus mortuus est non condemnantur. Ex puris enim particularibus quæ esset consecutio? quæ consolatio?

Rom. 8. 34.

Frustra vero impetrationis cothurno & Massilianismo prætexunt verba Catechismi, dicentes: *si quis omnino vult, impetrare idem esse, quod restituere in statum gratiæ, quid fiet Catechismo, qui Responsione 37. eodem verbo utitur.*

Collat. pag. 172.

Primo falsum est, quod Catechismus eodem verbo utatur. Non dicit enim, ut gratiam Dei, justitiam & vitam æternam impetraret, sed ut acquireret.

Deinde, si eodem verbo *impetraret* uteretur, nihil id faceret pro cothurno: Non enim dicit, ut *omnibus*, sed ut *nobis*, nempe credentibus, (de quibus est quæstio: *Quid credis, cum dicis passus est?*) *gratiam &c. acquireret, seu impetraret.* Quin Catechismus evidenter eos contradictione constringit: loquitur enim de reali acquisitione gratiæ seu restitutione in statum gratiæ, quali Christus dicitur *Ecclesiam Dei proprio sanguine acquisivisse*, hoc est, in statum gratiæ restituisse. Si igitur *acquisivit* idem est quod *impetravit*, sequitur *impetrare* idem esse quod *restituere in statum gratiæ*; quod negant: & omnibus impetrare reconciliationem idem esse quod restituere omnes in statum gratiæ; quod negando in Collatione, nodo contradictionis denuo se induunt.

Actor. 20. 28.

Collat. pag. 497.

Neque se hoc nodo exsolvunt objiciendo, quod eadem Responsione Christus *iram Dei adversus peccatum universi generis humani sustinuisse* dicitur. Hæc enim verba non patiuntur se ita glossari vel torqueri, Christum universum genus humanum morte sua reconciliasse, vel universo generi humano reconciliationem & remissionem peccatorum impetrasse (quibus enim hanc *acquisiverit*, sive ut loquuntur,

impetra-

impetraverit, sequentia demum verba docent: *ut sua passione &c.*) sed declarant atque amplificant, caussam & materiam passionis, fuisse nimirum hanc, sensum sive sustinentiam iræ Dei, peccato non aliquorum hominum; sed universi generis humani concitatæ. Vnde universitas quidem peccati & iræ Dei adversus illud à Christo toleratæ, efficitur. Vniversitas vero reconciliationis impetratæ vel restitutæ omnibus, minime. Reconciliationis enim impetratio seu restitutio, finem & fructum passionis declarat: verba vero illa non de fine & fructu sed de efficiente & materia passionis loqui manifestum est. Manet igitur nodus: & frustra prætextum cothurno suo in Catechismo quærunt.

Vnam denique in Collatione reperio stropham, ad contradictionis nodum eludendum excogitatam, ubi scribunt: *Passionem & mortem Christi antecedere ordine ipsam fidem, & infidelitatem. Itaque Remonstrantes absurdum dictu existimare, Christum pro fidelibus vel infidelibus (qua talibus) mortuum esse: assentiri vero, mortuum esse pro omnibus hominibus, quorum postea quidam infideles, quidam fideles fiant. Discernere enim illos inter statum hominis* peccatoris ante infidelitatem & in illa. Sic videntur satis cavisse contradictioni huic: Collat.p.171.

Christus pro omnibus & singulis hominibus est mortuus: Et,

Christus pro infidelibus hominibus, qui sunt plurimi, non est mortuus.

Verum-enim-vero his argutijs & novis cothurnis nodum minime solvunt. Occultum vero animi ulcus, & novæ prophetiæ mysterium produnt. Singula igitur excutienda diligentius.

Primo, passionem & mortem Christi antecedere ordine fidem. Esto: Antecedere ordine infidelitatem, falsum est. Infidelitas enim ordine antecedit impietatem & inimicitiam hominis adversus Deum, sicut caussa ordine antecedit effectum. Impietas vero & inimicitia hominis adversus Deum, ordine antecedit passionem & mortem Christi, teste Apostolo: *Christus enim cum adhuc nullis viribus essemus, suo tempore pro impijs mortuus est.* Item, *cum adhuc peccatores & inimici essemus, reconciliati fuimus per mortem filij eius. &c.* Ergo infidelitas etiam passionem & mortem Christi antecedit. Rom.5.6.8.9.

Deinde, nulla est consecutio: Mors Christi ordine antecedit fidem & infidelitatem: Ergo absurdum dictu est, Christum pro fidelibus & infidelibus (qua talibus) mortuum esse. Luditur enim fallacia non causæ: Quoniam, quidquid sit de ordine fidei vel infidelitatis ad mortem Christi, verissimum dictu est: Christum pro fidelibus vel infidelibus (qua talibus) mortuum esse: æquivocationibus, quæ subsunt, remotis.

De infidelibus ostensum est Apostoli testimonio. Si enim verissime dicitur, Christum mortuum esse pro impijs & inimicis (qua talibus) nempe antecedenter, hoc est, qui ordine ante mortem Christi erant impij & inimici: etiam verissime dicitur, Christum mortuum esse pro infidelibus (qua talibus) nempe antecedenter, hoc est, qui ordine ante mortem Christi erant infideles; postea per fidem, impij, inimici, infideles, esse desierunt.

De fidelibus idem est verissimum: idque, sive mors Christi absolute in se, sive relate ad intentionem Servatoris & consilium Patris, consideretur.

Absolute mortem Christi considerando, ex eo quod mors Christi ordine antecedit fidem, conficitur quidem absurdum dictu esse, Christum esse mortuum pro fidelibus (qua talibus) antecedenter, hoc est, quorum fides ordine antecederet τὸ πιστὸν, hoc est, fides esset prior re credita, quod est absurdum; cum in talibus relatis, fides sit posterior re credita: sicut scientia scibili, sensus sensili est posterior juxta Aristotelis doctrinam: minime vero conficitur, absurdum dictu esse, Christum esse mortuum pro fidelibus (qua talibus) consequenter, hoc est, quorum fides mortem Christi intuens sibique applicans, fructum ejus atque effectum consequeretur. Hoc enim sensu Christus servator aperte dicit, *se rogare atque sanctificare se pro credituris in se: se ponere vitam pro amicis, & pro ovibus suis:* nempe consequenter, qui ordine post mortem Christi creditam, futuri essent fideles, amici & oves. In Categor. cap. 7. Ioh.17.19.20. Ioh.15.13.& 10.15.

Relate vero ad intentionem Servatoris & consilium Patris, mortem Christi æstiman-

æstimando, prout revera in hac quæstione æstimari debet. Et phrasin *mori pro aliquo*, proprie intelligendo (ut supra est declaratum) verissimum est dictu, Christum mortuum esse & mori voluisse ac debuisse tantum pro fidelibus (qua talibus) hoc est ijs, qui fide mortem ejus suam facerent: non pro infidelibus (qua talibus) hoc est ijs qui infidelitate mortem ejus negligerent vel contemnerent: Contra est absurdum dictu: Christum (proprio illo sensu) non mortuum esse, nec mori voluisse & debuisse tantum pro fidelibus; sed etiam mortuum esse & mori voluisse ac debuisse pro infidelibus (qua talibus.) Hoc enim, quod non modo Scripturæ sacræ & eventui (ex quibus de voluntate Servatoris & consilio Patris judicari oportet) reclamet, sed & manifestam contradictionem implicet, Remonstrantibus conscientia sua dictabit.

Tertio: quod assentiuntur: Christum mortuum esse pro omnibus hominibus de magnitudine pretij mortis Christi pro omnibus hominibus sufficientissimi, bene habet. De fructu & efficacia ejus omnibus hominibus impetrata vel acquisita, etiamsi omnem hanc vitam alienissima à Christo mente pertranseant, non Scripturæ sacræ nec eventui, sed Semi-Pelagiano Massiliensium errori assentiuntur.

Quarto quod ex omnibus hominibus ordine post mortem Christi quidam fiant fideles, recte est: Quod ordine post mortem Christi quidam fiant infideles, falsum est. Omnes enim Christus moriturus ordine invenit in impietate, in peccato, in inimicitia. Rom. 5. 6. 8. 9. Omnes igitur invenit in infidelitate.

Quod *denique* norunt *discernere inter statum hominis peccatoris ante infidelitatem, & in illa*: sane notitiam hanc ex Scriptura sacra non hauserunt, quæ statum peccati, seu hominis peccatoris ante infidelitatem, & sine infidelitate ignorat: Omnes vero homines filios iræ, & filios incredulitatis atque contumaciæ nasci testatur. Hoc est igitur illud ὕπουλον novæ prophetiæ mysterium & πρῶτον ψεῦδος, cui Articuli quinque & plures alij, confessi, vel occulti, sunt superstructi, hominem nasci sine infidelitate, nec esse infidelitatem, nisi cum homo adultus Evangelium repellit: & *hinc* peccatum originis, si quod sit, pœnam esse non culpam: & *hinc*: hominem animalem habere liberum arbitrium ad bonum & malum: secus injuria postulari fidem ab eo, qui facultatem credendi non habeat: *hinc* prædestinatio & electio ex fide prævisa: *hinc* impetratio universalis reconciliationis ex Christi morte: *hinc* gratia resistibilis seu indifferens: *hinc* apostasia sanctorum, perseverantia incerta, salus dubia, & alia occulta, quæ dies manifestabit.

Rom. 11. 32. Ephes. 2. 2. & 5. 6. Coll. 3. 6.

Ex his omnibus duo habentur manifesta: *Unum*, hac stropha de ordine fidei ad mortem Christi minime expediri, vel eludi contradictionem, qua se hoc articulo implicare coguntur: Christum absolute pro omnibus & singulis mortuum esse, omnibusque reconciliationem impetrasse: & tamen pro infidelibus qui plurimi sunt, mortuum non esse: neque his reconciliationem impetrasse: quod malæ causæ est evidens argumentum. Quando enim adversarius ad contradictoria concedenda adigitur, victus est. *Alterum*: hunc proinde Articulum, quia æquivocationibus & contradictionibus Ecclesiam turbat, seque ipsum elidit, in Ecclesia ferendum non esse.

Articulus Tertius.

Hominem vero, salutarem fidem à se ipso non habere, nec vi liberi sui arbitrij, quandoquidem in statu defectionis & peccati nihil boni, quod quidem vere bonum est, quale quid est fides salutaris, ex se posit cogitare, vel facere: sed necessarium esse eum à Deo in Christo per Spiritum eius sanctum regigni & renovari mente, affectibus,

fectibus, seu voluntate & omnibus facultatibus, ut aliquid boni possit intelligere, cogitare, velle, & perficere: secundum illud Christi Ioh.15.5. *Sine me nihil potestis facere.*

Articulus Quartus.

Hanc Dei gratiam esse initium, progressum ac perfectionem omnis boni, atque id eo quidem usque ut ipse homo regenitus absque hac praecedanea seu adventitia excitante, consequenti & cooperante gratia, neque boni quid cogitare, velle, aut facere possit, neque etiam ulli malae tentationi resistere. Adeo quidem ut omnia bona opera, quae excogitare possumus, Dei gratiae in Christo tribuenda sint. Quoad vero modum operationis illius gratiae, illa non est Irresistibilis: *De multis enim dicitur eos Spiritui sancto restitisse, Actor. 7. & alibi multis locis.*

Examen.

Quanquam hi duo Articuli aliquatenus differunt: quod *Tertius* est de causa operante fidem & Conversionem in homine non renato. *Quartus* priore parte est de caussa operante progressum, incrementa & perfectionem omnis boni in homine renato; posteriore parte, est de modo quo causa illa, tum fidem & Conversionem in non Renatis, tum progressum, incrementa, & perfectionem in renatis operatur: tamen omnino cohaerent; ideoque a partibus conferentibus in Collatione conjuncti fuerunt; imo & *Quintus* qui est de Perseverantia *Sanctorum* cum *Quarto* connexus est, eo, quod modus operationis gratiae tam ad perfectionem; quae perseverantia obtinetur, quam ad initium & progressum refertur. *Coll. pag. 216. 225. 237. 268.*

Tertius non eget multo examine. Si enim nativum verborum sensum sequamur, utraque parte est Sacris literis consentaneus. 1. *Quod* causa procreans fidem salutarem in homine, non sit ipse, vel liberum ejus arbitrium: eo, quod in statu peccati homo non est idoneus ad aliquid boni ex se cogitandum, vel faciendum: juxta Scripturas, Eph.2.9. 2.Cor.3.5.&c. 2. *Quod* necesse sit hominem à Deo in Christo per gratiam Spiritus sancti regenerari, seu illuminari mente, renovari voluntate, affectibus, &c. ad bonum intelligendum, cogitandum, volendum, perficiendum, juxta allegatum, Ioh.15.16.

Quartus quoque priore parte juxta superficiem verborum verus est, & Deo gloriosus: quia initium, progressum, & perfectionem omnis boni hominis regeniti Deo seu gratiae adscribit, juxta dicta, Iac.1.7. Eph.2.9. Philip.1.6. &c. neque in Collatione Orthodoxi aliquid horum reprehendere voluerunt, modo iuxta Scripturae Sacrae mentem intelligerentur. Sed in cauda venenum.

Clausula de modo operationis illius gratiae, quod prius datum est, totum auffert. Modum hunc operationis negant esse *irresistibilem*: in Collatione vocant *resistibilem*: hi termini ipso sono sunt horridi & barbari, imo soloeci.

Barbari sunt, quia nec Scriptoribus Latinis, qnod sciam, nec divinis literis notii Scholis etiam Orthodoxorum, nescio an & Iesuitarum inauditi. *Iesuitas* omnes non legi; *Bellarminus* omninm Antesignanus, auxilij generalis & specialis, motionis & gratiae indifferentis, vel non indifferentis accuratissimus disputator in libris *de Gratia & Libero Arbitrio*, nusquā habet, quod meminerim: ut videatur pars *Arminij* cothurnū *irresistibilis gratiae*, in magnū causae suę compendiū excogitasse, ad conflandam

Veritati invidiam, quasi, nimirum, Orthodoxi gratiam coactivam, vel coactionem docerent. Etiam sensu seu significatione barbari & solœci sunt termini. *Irresistibile* enim, cui non possit resisti: *Resistibile*, cui possit resisti, quo, quæso, autore passive dici probabunt? Quidni active potius Irresistibile, quod non resistere: Resistibile, quod resistere possit, significabit? Multa quidem Verbalia in *bilis* ab activis ducta passive significant, amabilis, placabilis, visibilis, &c. Sed nec pauca à Neutris descendentia, non passivæ, sed neutrius significationis sunt, *risibilis, hinnibilis, latrabilis, peccabilis, conducibilis, habilis, &c.* pro eo qui ridere, hinnire, latrare, peccare, conducere, habere vel capere aliquid potest. Sic & *stabilis*, quod haut dubie sequitur *resistibilis* à resisto, quod est gradum sisto; est etiam repugno: Vt igitur *stabilis & repugnabilis* non est passive, cui diu stari (barbare) vel repugnari potest: sed neutraliter, qui diu stare, & repugnare potest: ita *resistibilis* non est, cui resisti, sed qui resistere potest. Sic gratia resistibilis erit, pro valde resistens: sicut Echo resonabilis apud Sabinum, pro valde resonans. Quo sensu clausula cum utroque Articulo dubio careret: non vero ex mente Remonstrantium. De usu igitur tam barbaræ & ambiguæ vocis, prius Grammaticos consuluissent, quam Ecclesiam eadem turbarent.

Sed sit sane barbarus ille terminus passiva significatione Latinus, sit, inquam, operatio gratiæ resistibilis, vel irresistibilis, cui à voluntate hominis resisti potest, vel non potest: seu quæ libero Arbitrio impediri potest, vel non potest. De hac quid statuendum sit quæritur: Sitne gratia operans hæc omnia, quæ utroque Articulo gratiæ tribuuntur, resistibilis an Irresistibilis dicenda?

Coll. H. p. 217. & p. 239. *Remonstrantes* prius affirmant, posterius negant. *Orthodoxi* in Collatione vocem barbaram & ambiguam non agnoscunt: rem tamen quod attinet, prius negant, posterius contra affirmant: Si, inquiunt, *per resistere intelligitur, Dei operationem posse impedire & expugnare, fatemur à nobis in hominis conversione talem gratiæ operationem statui, quæ hac significatione est irresistibilis, id est, quæ non potest* [illegible] *expugnari per voluntatem hominis repugnantem: idque quoniam gratia Dei in* [illegible] *repugnantiam tandem* [illegible] *impedit & tollit.* Hancque *Coll. H. p. 211. Coll. H. p. 200.* sententiam decem Scripturæ sacræ argumentis firmiter probant: *Remonstrantes,* contra [illegible] rationibus ostendere conantur, plerique æquivocis, ex ambiguo [illegible] quo præcipue nititur illa sententiarum atque Argumentorum [illegible]. Ad quam promte facilius expediendam, & statum quæstionis recte percipiendum, distinctione est opus triplicis gratiæ, juxta triplicem voluntatis humanæ statum.

Est enim humana voluntas consideranda, quid possit, vel faciat ante conversionem, quid in ipsa Conversione, quid post conversionem. Sic triplex gratia est: *Prima,* [illegible] seu vocationis externæ, primo statui [illegible] operans seu motionis internæ, secundo statui [illegible] cooperans, [illegible] quoque internæ, tertio statui voluntatis conveniens.

Gratia vocans, seu vocationis externæ est, qua Deus homines nondum renatos fortis dignatur vocare, seu invitare ad fidem, obedientiam, & salutem, per vocem legis: [illegible] *in præceptis meis ambulate, &c. hæc facite, &c.* & per *Matth. 11. 28. Marc. 1. 15.* Conciones Evangelii: *Venite ad me omnes, &c. Resipiscite & credite Evangelio.*

Hac gratia, quæ prima, præveniens, præcedanea, excitans, invitans, & suadens vocari [illegible] Deus in Veteri Testamento non dignatus fuit quosvis populos, *Psal. 147. 19.* sed solos Israelitas: Testis illud: *Statuta sua annunciat Israeli, non fecit sic ulli Nationi.* [illegible] in novo Testamento non quosvis hodie populos, sed solos Christianos dignatur.

Coll. H. p. 217. De hac gratia ad quæstionem respondetur, quod minime sit irresistibilis, sed nimis resistibilis: imo quod Voluntas non renata nihil possit, nisi gratiæ vocanti resistere: quandoquidem *prudentia carnis est inimicitia adversus Deum: & Legi* *Rom. 8. 6.* *Dei non subjicitur, ac ne potest quidem.* Hinc querelæ Dei & Prophetarum, & Christi, & Apostolorum in utroque Testamento, de vocatorum resistentia & contumacia:

Locutus

Locutus sum vobis, mane surgendo & loquendo, & non audivistis: Vocavi vos & non respondistis: Vtinam populus meus obtemperasset mihi: Israel in vijs meis ambulasset! Quoties volui te congregare & noluisti! Vos semper resistitis Spiritui Sancto, &c. Hanc & non aliam resistibilitatem gratiæ, probant Remonstrantes argumento suo *secundo, tertio, quarto, quinto, sexto, septimo, octavo.* Nonne igitur tanto conatu siliquas, quod dicitur, triturant? Neque enim de hujus gratiæ resistibilitate quæstio, vel dubium est. Ierem.7.13. Psal. 81.14. Math.23.37. Actor. 7.51. Collat.p.227.

Gratia cooperans (de hac prius dicendum) quæ & subsequens, ab istis consequens dicitur, est, qua Deus bonæ voluntati hominis regeniti intus cooperatur, quaque homo renatus, in statu gratiæ corroboratur: De hac dicitur, *Misericordia Domini subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ. Dabo timorem meum in corda eorum, ut non recedant à me. Spiritus tuus rectus ducat me in via recta. Deus confirmabit vos in finem usque inculpatos.* Hanc Paulus precatur Ecclesiis in omnium Epistolarum clausulis. Psal.24.6. Ierem.32.14. Psal.143.10. 1. Cor.1.8. 2. Thes.3.18.

De hac etiam proprie non est quæstio. Etsi enim Deus eam regeneratis (juxta promissiones suas & preces eorum) nunquam totaliter & finaliter subducit: tamen ita eam pro sapientia sua moderatur, ut subinde ad eos, vel explorandos, vel humiliandos, vel excitandos, vel castigandos luctam quandam Spiritus & carnis in eis relinquat: qua modo Spiritus à carne, vicissim caro à Spiritu superatur, id quod lapsus & gemitus & querelæ Sanctorum testantur. Et Apostolus confirmat: *Caro concupiscit adversus Spiritum, Spiritus autem adversus carnem.* Hanc igitur facile patimur etiam vocari resistibilem; non simpliciter tamen, sed secundum quid. Neque enim hæc, sive resistibilitas, sive resistentia est (ut prior) inter voluntatem & gratiam: sed inter sensualitatem, seu carnem in sanctis reliquam, & inter gratiam; testante Apostolo; *Non quod volo, hoc ago, sed quod odi, hoc facio. Non enim facio bonum, quod volo, sed malum, quod nolo, hoc ago:* & ita quidem ut caro à Spiritu, sensualitas à bona voluntate, concupiscentia à gratia tandem superetur. Gal.5.17. Rom.7.15.19.

Denique *Gratia Operans* (quæ cum duabus prioribus ab his confunditur) est motus misericordiæ Dei (ut vocatur ab Augustino) quo intus in mentibus, voluntatibus vel cordibus nondum regenitorum operatur ea, quæ ad conversionem hominis pertinent. Hæc gratia seu motio Dei proprie est, quæ in quæstionem venit, nec tota tamen. Testante enim Scriptura & experientia, sunt hujus gratiæ tres distincti gradus. Aliquorum enim Deus miseretur usque ad bonum illuminationis & fidei historicæ: aliquorum usque ad bonum fidei temporariæ, & alicujus lætitiæ: aliquorum denique, usque ad bonum fidei salvificæ & regenerationis.

Primum gradum ne ipsi quidem Remonstrantes negant esse irresistibilem. *Quando enim*, inquiunt, *Deus voluntatem suam patefacit, irresistibilem Spiritus Sancti virtutem in mente nostra agnoscimus: quoniam mens nostra, ipsum scire, non potest effugere. & in animo nostro, quando illum pulsat: quia, velimus nolimus, cogimur illud sentire.* Coll.pag.273.

De *secundi gradus*, resistibilitate non est laborandum. Illuminationem horum irresistibilem quoque esse non negant illi. De motione ad assensum & lætitiam aliqualem per nos sentire eis licet, quod volent. *Si resistibilem* dicunt, quia motio voluntatem non omnino efficaciter afficit, nihil hoc ad quæsitum. *Resistibilitatem*, quin & *resistenciam* finalem, Scripturæ & exempla probant: *Cum gaudio accipiunt sermonem, sed radicem non habent, qui ad tempus credunt, & tempore tentationis deficiunt. Ex eo multi discipulorum discesserunt ab eo. Nonnulli naufragium fidei fecerunt. Discedent quidam à fide: abnegantes Dominum qui eos mercatus est: recedunt à sancta doctrina eis tradita.* Luc.8.13. Iohan.6.66. 1.Tim.1.19. & 1.Tim.4.1. 2.Pet.2.1.21.

De Tertij gradus operatione (quæ Vocatio interna dicitur,) totum quæsitum est. Irresistibilem hanc Dei motionem esse, firmissime probarunt Orthodoxi:

I. Quia Deus eos, quos efficaciter convertere intendit, sicut irresistibiliter illuminat, sic irresistibiliter non solum potentia sed & actu credendi donat. Collat.p.218.

Philipp. 1.29.& 2. 13. Proinde efficacia motionis suæ, non solum resistentiam, sed
Coll. p. 229. & resistibilitatem in eis tollit. Quod objicitur, *Vobis datum, pro Christo pati*; non ad operantem, sed ad cooperantem gratiam pertinet, de cujus lucta modo dictum: proinde nihil ad rem.

Colla. 218. pag. & 281. II. Quia Deus convertendo nos, dat cor novum, Spiritum novum, auffert cor lapideum; & dat carneum, facitque nos ambulare in præceptis suis. At, cor novum, & spiritum novum, & actum ambulandi in præceptis Domini, fingere cum resistentia vel resistibilitate, absurdum est. Ier. 31. 18. Deut. 29. 4. Ezech.
Collat. p. 219. 36. 26. Contra quod nihil solidi affertur, licet multa dicantur.

III. Quia hominis animalis, in peccatis mortui vivificatio, regeneratio, conversio, nova creatio, cum resistibilitate non minus absurde, quam prima hominis Creatio, vel quotidiana generatio, vel ultima resuscitatio, cogitatur vel fingitur.
Collat. à pag. 295. ad p. 309. Ioh. 3. 3. & 5. 25. Eph. 2. 5. &c. Quæ ratio verbositate nequidquam eluditur.

IV. Quia gratia operans conversionem cum resistibilitate, non differret à persuasione oratoria, vel illicio morali ad fidem: quali vivificationem hominis in pec-
Col. p. 220. catis mortui, fieri est impossibile. Quæ contra dicuntur, οὐδὲν πρὸς ἔπος.

V. Quia gratia operans fidem & conversionem, efficacia sua omnem hominum
Collat. p. 309. & rerum creatarum virtutem superat, eoque nec depravata voluntate humana est
Collat. p. 312. superabilis. Eph. 1. 18. 19. Col. 2. 12. 13. 2. Thes. 1. 11. 2. Pet. 1. 3. &c. Cujus rationis Major minime infirma est. Vis enim pravæ voluntati humanæ insuperabilis, certe eidem est irresistibilis.

Collat. p. 220. VI. Quia si gratia regenerationis esset resistibilis, foret ea communis multis non renatis. At Scriptura eam propriam filiorum Dei facit. Rom. 8. 14. & 30. 1. Cor. 1.
Collat. p. 317. 23. 24. Ioh. 14. 17. Ioh. 6. 36. 45. 1. Ioh. 4. 17. Quæ ratio, non solum pro irresistentia, ut prætenditur, sed etiam de irresistibilitate concludit.

Collat. p. 221. VII. Quia tractus Patris, sine quo nemo venit ad Christum. Ioh. 6. 44. irresisti-
Collat. p. 322. bilitatem gratiæ supponit: secus nemo etiam tractus veniret. Nec ideo tamen trahimur à Patre inviti (quod objicitur) magis, quam inviti illuminamur.

Collat. p. 222. VIII. Quia donum fidei & resipiscentiæ à Spiritu Dei dari dicitur, non solum
Collat. p. 327. quod voluntati offertur resistibiliter, sed quod cordibus inditur, sive infunditur, irresistibiliter. Ioh. 6. 65. Eph. 2. 8. Philipp. 1. 19. 2. Tim. 2. 25. Rom. 5. 5. Cavilli con-
Collat. p. 222. trarij prorsus ἀθεόλογοι sunt.

IX. Quia resistibilitas gratiæ, si debeat fieri conversio, supponit bonam in volun-
Collat. p. 331. tate non renata facultatem non resistendi. Hanc vero negat universa Scriptura. Hæc ratio an nihil adversus hæc concludat, denuo considerabunt Remonstrantes.

X. Quia posita resistibilitate gratiæ, præcipuum opus nostræ saluti necessarium, ip-
Collat. p. 223. sum nempe credere & resipiscere, in hominis arbitrio, tanquam in proxima causa poneretur: discriminis quoque ratio, cur ex duobus non renatis, audito Euangelio, unus credat, alter non credat, ex homine esset: quod unus gratiæ non resistere, al-
1. Cor. 4. 7. ter resistere voluit. contra illud: *Quis te discrevit? quid habes, quod non accepisti?* Quod non modo respectu infidelium (ut fingitur) sed & respectu gratiæ dicitur. Si enim in duobus infidelibus gratia pariter resistibilis ponitur, utique non resistens gratiæ, sed recipiens eam, & credens, poterit non solum resistenti, & non credenti, sed & gratiæ ac Deo respondere, *Ego me discrevi*: quod mendacium à Remonstrantibus approbatur, non sine blasphemia.

Collat. p. 336. XI. Addatur huic ratio alia ex dicto Iohannis 15. 5. *Sine me nihil potestis facere.* Si enim gratia convertens est resistibilis: poterit is qui non resistit gratiæ, Dominum refutare ac dicere: *Ecce sine te non restiti gratiæ.* Nec poterit dicere: *Ex te non restiti*: quia cum ex hypothesi, gratia eadem ponatur in resistente, dicere debuit: *Ille ex te*
De Corrept. & *restitit*: quod est blasphemum.
grat. Cap. 14. XII. Addatur & Augustini ratio: *Qui habet humanorum cordium, quo placet,*

placet, inclinandorum omnipotentissimam potestatem, & de ipsis hominum voluntatibus quod vult facit, & magis habet in potestate voluntates hominum quam ipsi suas. Quique interna atque occulta, mirabili atque ineffabili potestate operatur in cordibus hominum, non solum novas revelationes, sed etiam bonas voluntates: & quidem hoc non facit nisi per ipsorum hominum voluntates: is gratia sua fidem & conversionem in cordibus hominum, non resistibili operatione; sed prorsus irresistibili, nec coactiva tamen; operatur. Atqui Deus habet omnipotentissimam potestatem in voluntates hominum, & in eadem operatur, prout dictum. Ergo. *De grat. Christi. cap. 24.*

Major habet evidentissimam veritatem ex nexu caussæ propriæ cum suo effectu, vt negari nulla ratione posit.

Assumptionem Augustinus docet exemplis duobus. Prius est ex 1. Sam. 10. 26. de Saule, cui cum Deus vellet dare regnum, Israëlitarum vero voluntates possent se ei subdere vel resistere: Deus tetigit eorum corda, ut nec vellent nec possent resistere: idque fecit per ipsorum voluntates. Posterius ex 1. Paralip. 11. & 12. de Davide: quem cum Deus in regnnm successu prosperiore constituere vellet, Spiritus Domini induit Abisaï principem inter triginta, ut diceret: *Tui sumus David & tecum futuri filij Iesse. Nunquid*, inquit Augustinus, *ille posset adversari voluntati Dei, & non potius ejus facere voluntatem, qui in ejus corde operatus est per Spiritum suum quo indutus est, ut hoc vellet, diceret & faceret? Ac per hos Dominus omnipotens, qui erat cum illo, adduxit istos, ut eum regem constituerent. Nunquid corporalibus ullis vinculis alligavit? Intus egit, corda tenuit, corda movit, eosque voluntatibus eorum, quas ipse in illis operatus est, traxit.*

Conclusionem denique præmittit his verbis: *Deo volenti salvum facere nullum hominum resistit arbitrium, sic enim velle & nolle in volentis aut nolentis est potestate, ut divinam voluntatem non impediat, nec impediat potestatem.* Ac ne quis excipiat, Deum resistentiam quidem, sed non resistibilitatem auferre dicit porro: *Non est itaque dubitandum, voluntati Dei, qui in cælo & terra omnia quæcunque voluit, fecit, & qui etiam illa quæ futura sunt, fecit, humanas voluntates non posse resistere, quo minus ipse faciat quod vult, quandoquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus, quod vult, facit.* Apertissimum est igitur, Sanctum hunc Patrem, non solum in hominis conversione atque salute, sed in aliarum quoque actionum arduarum, qualis est regum electio, directione, gratiæ divinæ operationem irresistibilem fortiter asserere, idque propter gloriam Dei, prætextus vero resistibilitatis & coactionis, tanquam inanes elidere.

XIII. Denique, si gratia operans fidem & conversionem, non est dicto modo irresistibilis, sed resistibilis, ut ab hominum voluntatibus impediri posit vel non, sequitur inanes verborum fumos esse, quicquid tertio & quarto Articulo gratiæ Dei ab istis magnifice tribuitur; neque effectus illos, quos prædicant, gratiæ Dei, nisi indifferenter & remote; voluntatibus vero hominum non resistentium, specifice & proxime vindicandos esse: quod sic patet:

Effectus causæ operantis resistibiliter, hoc est, ita ut ejus productio vel inhibitio ab alia non resistente vel resistente caussa pendeat, si producatur, indifferenter quidem & remote operanti, specifice vero & proxime non resistenti, sed admittenti; contra si impediatur, specifice & proxime resistenti, seu admittere nolenti, inhibitio ejus debetur: V. G. Princeps subditis plurimis proponit bravium resistibiliter, ut qui certare voluerit, habeat; qui noluerit, non habeat bravium. Actio principis indifferenter se habet ad plures; volens certare specificabit eam bene; quia erit acceptio bravij: nolens certare specificabit male; quia erit ei carentia bravij. Quis non videat tam hanc quam illam volenti certare vel non, specifice & proxime; Principi, non nisi indifferenter & remote, deberi? Addam aliud, quo gratiam resistibilem declarari ipse aliquando audivi: Pater catillum obsonijs plenum in media mensa assidentibus ex æquo proponit resistibiliter; ut volens capere habeat, nolens non habeat obsonia. Patris operatio indifferens est omnibus; volentes capere specificant eam bene; nolentes male. Quis rursus non videat, obsonia capientibus, specifice & proxime; patri, non nisi indifferenter & remote deberi? Talis est resistibilis operatio gratiæ, quam isti docent.

Ea vero si sic est, illusoria vel falsa sint necesse est omnia gratiæ effecta, quæ magnifice commemorant. 1. Illusorium vel falsum, quod homo fidem à seipso, seu vi liberi arbitrij non habeat: habebit enim à se specificationem operationis gratiæ: quia nolendo resistere gratiæ, discrevit se ab alijs. 2. Quod non possit ex se aliquid boni cogitare, velle, facere. Nam ex se bene specificare operationem resistibilem, indifferentem, bonum est. 3. Quod Deus per Spiritum S. nos regignat, & renovet, &c. Deus enim per Spiritum S. non nisi resistibiliter, indifferenter ac remote, eoque impropriè: nos specifice, proxime & propriè, nosmet regignemus, & renovabimus. 4. Quod hæc gratia sit initium, (de progressu & perfectione circa hanc gratiam non quæritur) omnis boni. Initium enim bonæ specificationis, resistibilis & indifferentis operationis, gratiæ bonum est, ex nostra nonresistentia. Quid porro? A Deo nonnisi resistibilis atque indifferens gratiæ operatio petenda erit; nec nisi pro hac, gratiæ Deo debitæ: nostræ voluntatis & virtutis erit, non resistentia & specificatio bona gratiæ. Hinc nonne Deus gloria sua spoliatur? Homo rei suo habet quod sacrificet, ut infletur superbia in Deum, dicatque: *Ego me discrevi*. Hoc est, cum Satana in barathrum præcipitetur. Si vero ex nobis resistibili gratiæ non resistimus, oblatam accipimus, indifferentem specificamus (quæ cum clausula Articuli quarti necessario cohærent) nonne stat liberi arbitrij idolum? iacet & evanescit peccatum originis? nativaque hominis animalis ἀδυναμία, corruptio, pravitas, de qua adeo queritur in Scripturis Deus; queruntur Prophetæ & Apostoli, queruntur ipsi Sancti? Vbi vero Catechesis, quod natura simus propensi ad odium Dei & proximi, quod adeo corrupti, ut ad bene agendum prorsus non simus idonei? Nimirum hoc est, quod resistibilis gratia it profligatum.

Articulo 1. Coll. p. ... Ex quibus omnibus manifestum est, Remonstrantes, utroque articulo, præsertim clausula quarti, vel æquivocatione vocis Gratiæ supra explicata abuti, operationem gratiæ vocantis, suadentis, excitantis (quam illi vocant adventitiam, præcedaneam) resistibilem asserendo, quam talem esse orthodoxi minime inficiantur: sicque inanibus rixis Ecclesias & Remp. turbare: vel operationem gratiæ operantis fidem & conversionem intelligendo, doctrinam gratiæ cum Pelagio periculose depravare: vel denique contradictionis vinculo, rursus se innodare; gratiæ operanti soli fidem & regenerationem tribuentes: eandem vero resistibilem, hoc est, ab hominis voluntate indifferenter suspensam statuentes: rursus fidem merum Dei donum profitentes: eandem vero resistibiliter à voluntatis assensu suspendentes: quæ nulla sophistica conciliari possunt. Quando vero (ut supra) adversarius contradictoria inducere cogitur, victus esse cognoscitur.

Coll. at. p. 562. Coll. at. p. 226.

Negant, gratiam (seu resistibilem seu non) ex absoluto Dei decreto descendere. Hoc enim cane peius & angue oderunt. Atqui satis est, testari hoc Apostolum, ubi vocationem, non externam tantum, sed propriissime internam illam, justificationis fidei effectricem immediate cum Prædestinatione, tanquam effectum cum caussa prima, connectit. Quicquid vero hi muttiunt, nihil in rem illorum. Fac nullam esse in cœlo Prædestinationem, nullam Electionem. Manet nihilominus firmissimum Scripturæ principium, ab Augustino locis allegatis assertum, *Deum omnipotentem, omnipotentissimam potestatem in humanum voluntates habere, ipsasque voluntates, sicut vult, vel malas relinquere & inclinare vel bonas, hoc est, gratiæ suæ non repugnabiles efficere*: cum quo principio, illa quæ fingitur gratiæ resistibilitas, hoc est ad fidem, & conversionem efficiendam imbecillitas atque indifferentia, & voluntatum ad gratiæ, Deo ipsi in homine operanti rebellandum potentia, si stare posset; nec Deum in cœlo omnipotentem fore, nec ullius unquam hominis ad Deum conversionem & regenerationem futuram esse, tam est evidens, ut nulla in æternum Sophistica convelli possit.

Rom. 8. 30.

Atque hæc de Articulo Tertio & Quarto satis: de quibus, quam sint tolerabiles, liquet.

Articulus

Articulus Quintus.

QVI Jesu Christo per veram fidem sunt insiti, ac proinde Spiritus ejus vivificantis participes, eos abunde habere facultatum, quibus contra Satanam, peccatum, mundum, & propriam suam carnem pugnent, & victoriam obtineant; veruntamen per gratiæ Spiritus S. subsidium: Jesum Christum vero illis Spiritu suo in omnibus tentationibus adesse, manum porrigere: & modo sint ad certamen prompti, & eius auxilium petant, neque officio suo desint, eos confirmare; atque id adeo quidem, ut nulla Satanæ fraude aut vi seduci, vel è manibus Christi eripi possint, secundum illud, Ioh. 10 Nemo illos è manu mea eripiet. *Sed an illi-ipsi negligentia sua initium sui esse in Christo, deserere non possint, & præsentem mundum iterum amplecti, à sancta doctrina ipsis semel tradita deficere, conscientiæ naufragium facere, à gratia excidere: penitius ex S. Scriptura esset expendendum, antequam illud cum plena animi tranquillitate & πληροφορίᾳ docere possent.*

Heb. 3. 6. 14. 2. Pet. 1. 10. Iud. 3 1. versu. 1. Tim. 1. 14. Heb. 11. 15.

Examen.

Cum hoc Articulo, doctrinam de perseverantia Sanctorum in fide, se tradere in Collatione profiteantur Remonstrantes, mirari subeat haud immerito, cur vocem *perseverantiæ* vel verbum *perseverandi* exprimere adeo caveant: ac multo magis, cur ne Deum quidem semel nominare ausint: nisi quia adversativa clausula produnt, se & nomen & rem ab Ecclesia exterminatum ire; tam impij vero conatus auspicem Deum haudquaquam habere se, conscientia ijs dictavit: adeo ut ne ferre quidem possint perseverantiam, donum Dei appellari: sed *male* sic dici, scribere non erubescant. Atqui si verum fatendum est, proterviam cum inscitia sic nimis produnt. Negare enim donum Dei recte dici, quod Deus ipse in Scriptura fidelibus se daturum toties verbo suo promittit, quodque Sancti à Deo sibi dari instanter flatigant, nonne protervum est? nonne inscitia? negare perseverantiam esse donum & quidem infusum? nec cogitare perseverantiam nihil esse nisi ipsam fidem perseverantem in finem usque? Ipsa vero fides nunquid non Dei donum infusum? nonne eam merum donum Dei fatentur ipsi? Atqui haudquaquam fugere eos potest Augustinum donum perseverantiæ adversus Pelagianorum reliquias peculiari asseruisse libro, cui de bono Perseverantiæ titulum fecit. Ejus argumentum non est aliud quam hoc ipsum: Perseverantiam in fide ad finem usque, esse donum Dei, à Deo petendum, darique certo omnibus secundum propositum Dei vocatis atque prędestinatis. Hæc est sententia Augustini. Isti per totam Collationem, ut apparet, ferre possunt perseverantiam Sanctorum: minime vero, ut ea ex prædestinatione, tanquam effectus ex causa defluere, eoque certa esse, adstruatur: quandoquidem omnes quinque articulorum machinæ, ad subvertendum divinæ prædestinationis discretivæ consilium; contraque ad erigendum αὐτεξουσίας idolum, directæ sunt. Sed præsentis articuli verba ponderentur.

Collat. p. 407.

Collat. p. 502.

Quintus quarto respondet. Vt enim tertius cum quarto in extollenda gratia liberalissimus, quæ erat largitus, extrema tandem clausula rursus abstulit: ita iste facultatibus & securitati salutis fidelium, membris tribus prioribus (quadrimembris enim videtur) liberaliter cavet.

I. Quod abunde habeant facultatum ad Satanam & peccatum debellandum per gratiæ subsidium.

2. Quod

2. Quod Iesus Christus in omnibus tentationibus eis adsit, manumque porrigat.

3. Quod adeo eos confirmet, ut nulla Satanæ fraude vel vi seduci, vel è manibus Christi eripi possint. Tam luculentis privilegijs, perseverantiæ nonne sat cautum?

Sed enim: ut prius, in cauda venenum. Adversativa appendice, quæ dederant, in dubium revocant: in Collatione palam auferunt: non tamen absque cothurnis; sed quibus eadem quæ prius, incommoda incurrunt, ut vel æquivocos sese turbatores prodant, vel contradictionibus irretiant? quæ sic patent.

In appendice dicunt: *Sed an illi qui Iesu Christo vera fide sunt insiti, ac proinde spiritus eius vivificantis participes, non possint initium sui esse in Christo deserere, à fide deficere, à gratia excidere, penitius expendendum est ex Scriptura, ante quam id cum πληροφορίᾳ docere possint*, hoc est, se dubitare utrum sit verum.

Atqui si prius verum dixerunt, dubitare de hoc non possunt. Si enim illi vera fide in Christo insiti, *abunde virium habent ad victoriam de Satana & carne.* &c. *& Christus in omnibus tentationibus illis adest, manumque porrigit: & ut nulla Satanæ fraude, vel vi Satanæ possint seduci, & ex manibus Christi eripi, eos confirmat:* quomodo, quæso, dubium esse potest? Quin illi & facultatibus à Christo sibi datis, & ejusdem assistentia, confirmationeque, præsertim in defectionis tentatione adjuti ac freti, initium sui esse in Christo, nunquam sint deserturi, nunquam à fide defecturi, nunquam à gratia distituendi? Revocando igitur in dubium, quod prius asseruerunt, & quidem verissime, nonne secum ipsi confligunt?

Excipient: assertionem suam non esse categoricam, sed conditionatam; Christum vera fide sibi insitis, Spiritu suo adesse, manum porrigere, eosque confirmare, &c. *Si modo sint ad certamen parati, & ejus auxilium petant, neque officio suo desint, &c.* Hanc vero conditionem à multis non poni seu præstari; non igitur sequi conflictum. Sed qualem, quæso, Deum (quem tacite hinc excludunt) qualem Christum, qualem Spiritum fingunt? Talem, nimirum, qui vera fide Christo insitos, facultatibus gratiæ resistibilis quidem instruat: ad certamen vero in tentationibus paratos non reddat: sic stertere sinat, ut auxilium ejus non petant, ut officio suo desint. Atqui promissiones atque assertiones divinæ longe diversum tradunt. Quantumvis enim conditio certaminis, precum, & vigilantiæ quam requirunt, omnino sit necessaria ad perseverantiam: eam tamen non tam poni à fidelibus (quod solum isti volunt) quam Spiritu Dei effici in fidelibus, docent hæc & similia testimonia. *Circumcidet Iehova Deus tuus cor tuum, & corse-*
Deut. 30.6. *minis tui, ut diligas Iehovam Deum tuum toto corde. Timorem meum dabo in corda*
Ierem. 32.40. *eorum, ut non recedant à me.* Quod citans Augustinus, pro bono perseverantiæ
De bono persev. ca. 2. explicat. *Tantus erit timor meus, quem dabo in cor eorum, ut mihi perseveranter*
Ezech. 36.27. *adhæreant. Spiritum meum dabo in medio vestri, efficiamque ut in præceptis meis am-*
Esaiæ 59.21. *buletis, & judicia mea custodiatis & faciatis illa. Hoc erit fœdus meum cum istis, ait*
Iehova, Spiritus meus qui est in te, & verba mea quæ posui in ore tuo non recedent ab
Zach. 12.10. *ore tuo. Effundam super domum David & super habitatores Ierusalem, spiritum gratiæ*
1. Cor. 1. 8. *& precum, & respicient ad me quem confixerunt, &c. Deus confirmabit vos usque in*
Philip. 1.6. *finem. Qui cœpit in vobis opus bonum, idem perficiet usque ad diem Iesu Christi. Qui*
1. Pet. 1. 5. *virtute Dei custodimur per fidem ad salutem, &c.* Hæ vel vanæ sunt pollicitationes,
quod absit, vel falsa est assumptio, à multis vera fide Christo insitis, conditionem non poni seu præstari.

Neque contra faciunt cavilli: promissiones non esse absolutas, sed intelligendas cum conditione à fidelibus præstanda: stricte intellectas excludere etiam minima sanctorum peccata: conditionem præcipi non promitti, &c. Quæ sunt inania effugia. Promissiones enim de ipsa conditione fidei, precum, perseverantiæ, in fidelibus per Spiritum Dei efficienda, diserte loquuntur. Nec sequitur ejus effectionem non promitti, quia præcipitur & exigitur à fidelibus. Nam etiam præcipitur, ut timeant Deum, ut ambulent in præceptis Dei, &c. &

tamen

tamen promittit Deus: Dabo timorem meum, &c. Efficiam ut ambulent in præceptis meis. Præcipitur autem non quod possint, sed quod debeant præstare, ut & agnita sua imbecillitate, sciant quid à Deo petere debeant; ideo enim dicit Augustinus, *Deus iubet aliqua, quæ non possumus; ut noverimus quid ab illo petere debeamus.* Audientes igitur præceptum, petunt dari, quod præcipitur, dicentes cum Augustino: *Da, quod iubes, & iube quod vis: quæ mea verba*, inquit idem, *Pelagius Romæ, cum à fratre quodam Coëpiscopo meo fuissent eo præsente commemorata, ferre non potuit, & contradicens aliquanto commotius, pæne cum meo, qui illa commemorabat, litigavit.* Quod & orthodoxis hodie cum istis accidit. Nec tamen promissiones illæ, Sanctorum lapsus & peccata, magna vel parva, excludunt, sed lapsos à ruina erigunt. Nam etiam ad labentes quandoque justos, promissiones diserte extenduntur: *Iustus si ceciderit non collidetur, quia Dominus supponit manum. Si dereliquerint filij eius legem meam, &c. Visitabo virga prævaricationem eorum: Misericordiam autem meam non auferam ab eo.* De grat. & lib. arb. c. 16. Psal. 37. 24. Psal. 89. 34.

Si igitur articulus hic tribus prioribus membris est verus & certus, ut est verissimus & certissimus: non potest per conditionem incertam excusari, ab hoc manifesto conflictu & contradictione adversativæ appendicis. Omnes vera fide Christo insitos ac proinde Spiritus eius vivificantis participes, à Christo sic confirmari, ut nulla Satanæ fraude, vel vi possint seduci, vel è manibus eripi, est verum & certum: Et, omnes vera fide Christo insitos sic confirmari, ut non possint seduci, Christo eripi, non est verum & certum, sed dubium & incertum, penitius ex Sacra Scriptura expendendum. Qui conflictus iterum est malæ causæ & conscientiæ apertum argumentum. Neque vero conflictum eludunt, sed nodum adstringunt, negando, se caput Doctrinæ de perseverantia Sanctorum trahere in dubium, sed petere tantum amplius institui. Ita enim tota Collatione de Perseverantia Sanctorum disputant & institui petunt, ut inter varias tergiversationes idipsum, quod prioribus articuli membris, ut verum & certum asseruerunt, revera non dubium vel incertum, sed aperte falsum & impium esse contendant. Collat. p. 401.

Porro in eadem Collatione passim, sive ad evitandum hunc conflictum, sive ad conflandam Orthodoxis invidiam, mutato sophistice articuli subjecto scribunt, Orthodoxos docere: *Qui semel crediderunt eos nunquam posse labi, neque lapsuros, sed persuasum sibi habere, quicquid peccent, se nunquam posse fidem amittere & gratia excidere, sed inevitabiliter perseveraturos & salvos futuros.* Atque hoc solum dogma de Perseverantia, seu hunc perseverantiæ modum, tantum sese in dubium vocare seu improbare. Collat. p. 403. 404. 353. 354. 355. 372.

Ad hoc igitur dogma expugnandum & refutandum, machinæ septem argumentorum, quibus sententiam Orthodoxorum oppugnant, proprie directæ sunt.

1. Quia ex se veræ pietati & bonis operibus obsit, seu quia eius prædicatio sit scandalosa, fides licentiosa. Collat. p. 355.

2. Quia media hortationum, promissionum, minarum tollat. Pag. 356.

3. Quia præmonitiones & commonefactiones Spiritus Sancti, de fraudibus Satanæ cavendis, inefficaces reddat. Pag. 359.

4. Quia multos, qui crediderunt, à fide totaliter & finaliter defecisse exempla testentur. Pag. 360.

5. Quia multi fideles graviter lapsi legantur, ut opera carnis, & turpia flagitia commiserint, cum quibus fides stare non possit. Collat. p. 361.

6. Quia eo posito, omnes baptizati infantes fidelibus parentibus nati, servarentur. Pag. 362.

7. Quia multi fideles flagitiis se eousque contaminant, ut sint excommunicandi, & à Ministris Ecclesiæ excommunicentur. Pag. 363.

Verumenimvero si hoc solum & totum est, quod in dubium vocant & oppugnant: Næ illi vel inanes se vitilitigatores, ne dicam, temerarios Ecclesiæ & Reip. perturbatores, rursus produnt, qui de dogmate lites tantas moverunt, quod non

non minus Orthodoxi, quam ipsi, non modo ut dubium penitius expendendum è Scripturis judicant, sed ut palam falsum & scandalosum improbant, oppugnant, exq; Ecclesijs eliminandum censent: vel certe Orthodoxos insigniter calumniantur, affingentes eis dogma, quod illi pro suo minime agnoscunt. Vnde & septem illæ argumentorum machinæ, nonnisi falsum illud dogma feriunt, Orthodoxorum sententiam nihil prorsus lædunt, prout in Collatione demonstratum habetur. Calumniæ vero sic patent.

Collat. p. 368. usque 398.

Prima est in subjecto: *Qui semel crediderunt.* Neque enim de his omnibus affirmant Orthodoxi perseverantiam: cum etiam hypocritæ & πρόσκαιροι temporarij, non perseverantes, credere ὁμωνύμως dicantur, sed de iis solis, qui per veram fidem Christo sunt insiti, & vivifici eius Spiritus participes.

Collat. p. 341.

Altera calumnia est in primo attributo: *eos nunquam posse labi, nec lapsuros.* Nam etiam vera fide Christo insitos & sanctos perseveraturos (cum homines maneant à quibus nihil humani alienum) per carnis imbecillitatem in magna & parva peccata non modo labi posse, sed sæpe lapsos esse, Scriptura sacra & experientia testantur, Orthodoxi sentiunt ac docent.

Tertia est in attributo altero: *fideles quicquid peccent, de perseverantia persuasos esse posse ac debere: hocque absurdum, doctrinam de Perseverantia sanctorum includere.* Hæc vero, non minus aperta & stolida est Sophistica accidentis, quam si dicant: Quia homines sani currere & laborare, &c. possunt & debent; etiam ægros febre vel podagra, currere & laborare posse ac debere. Atqui, sicut morbidi affectus ex accidenti impediunt actiones vitales corporis; sic infirmitates carnis ex accidenti, impediunt operationes spirituales fidei & spiritus.

Quarta calumnia est, in attributo tertio: *fideles nunquam posse fidem amittere, aut gratia excidere.* Hoc enim istis sonat absolutam impossibilitatem. Orthodoxi vero intelligunt limitatam: non posse hoc fieri, quantum ad gratiosas Dei promissiones, fidelem Spiritus Sanct. custodiam & immutabile Dei consilium de Prædestinatis salvandis: idque ex ore Servatoris, Matth. 24. 24. Iohan. 10. 28. Quantum vero ad fraudes Satanæ & vires, imo infirmitates fidelium, si sibi relinquerentur, quovis momento posse & nimis posse eos à Satana & carne sua supplantari, excidere atque perire, palam fatentur.

Coll. p. 365.

Quinta est in eodem attributo: *fidem amittere, gratia excidere.* Quod rursus isti intelligunt absolute. Orthodoxi vero dicunt limitate, quod non possint amittere fidem, excidere gratia, penitus seu totaliter: ita nimirum, ut ex fidelibus fiant infideles & inimici Dei, sicut non renati peccantes: quod Scriptura & experientia testante est falsum.

Sexta est in attributo quarto: *sed inevitabiliter perseveraturos.* Hoc enim istis est, qualescunque etiam carnaliter securos, & vel invitos perseveraturos, quod est à candore & Orthodoxorum mente alienum.

Sic vero cothurnis explicatis, & calumniis remotis, Orthodoxorum doctrina de perseverantia Sanctorum in fide, quod sit vera & salutaris, decem scripturæ sacræ argumentis in Collatione demonstratur.

Coll. p. 342.

1. Quia Deus in verbo suo promisit fidelibus, Christo insitis, totalem & finalem perseverantiam. Ier. 32. 40. Psal. 125. 1. Iohan. 10. 28. &c. Ergo & præstat: quia mentiri nequit: hoc fuit primũ Augustini argumentum pro bono perseverantiæ.

De bono persev. c. 2.

2. Quia Apostoli testantur, Deum promissiones suas de custodia eorum in fide, fideliter præstare & præstiturum. 1. Corinth. 1. 8. & 10. 13. Philipp. 1. 6. 1. Thess. 5. 23. &c.

Collat. p. 343.

3. Quia ex doctrina Apostoli Rom. 8. vers. 30. perseverantia vocatorum secundum propositum, est proprius effectus Prædestinationis, adeo, ut etiam Bellarminus, gratiæ indifferentis seu resistibilis summus patronus, diserte fateatur, perseverantiam esse Prædestinationis maxime proprium effectum: adeo, ut sine perseverantia Prædestinatio impleri non possit.

Collat. p. 343. Bellarm. de Iustif. c. 12.

4. Quia Christus pro perseverantia non solius Petri, sed & omnium, qui per sermonem Apostolorum erant credituri in ipsum, oravit & orat. Pater autem filium semper exaudit: Luc. 22. 32. Iohann. 17. vers. 20. Ioh. 11. 42. &c.

Collat. p. 344.

5. Quia Christo vera fide insiti, indesinenter orant pro sua perseverantia: quicquid

Collat. p. 344.

quicquid vero ex fide orant, à Deo impetrant. Hoc erat secundum Augustini, pro bono perseverantiæ argumentum.

6. Quia Christo per fidem vere insiti; fideliter Dei virtute in fide ad finem usque perseverante custodiuntur. 1. Pet. 1. 5. *Collat.p.345.*

7. Quia vera fide Christo insiti, arrhabone Spiritus S. in cordibus suis obsignantur de sua salute. Proinde etiam de fide & perseverantia. 2. Cor. 1. 21. Eph. 1. 13. *Collat.p.345.*

8. Quia vere fideles sunt velut arbor non arescens: vir prudens ædificans super petra: semen jactum in terram bonam. &c. juxta Scripturas. *Collat.p.346.*

9. Quia vere fideles discernuntur à temporarijs defectoribus, eo, quod illorum fides est radicata in cordibus: horum vero radicem non habet. *Collat.p.346.*

10. Quia Scriptura expresse confirmat, vere fideles nunquam penitus deficere, vel defecturos. Rom. 6. 2. 8. 9. 10. 11. 1. Ioh. 3. 9. Ioh. 5. 4. *Collat.p.347.*

Adversus hæc, quæ verbosissime in Collatione à pagina 454. usque ad paginam 459. disseruntur, universa redeunt ad unum punctum, conditionis in fidelibus requisitæ; quam exceptionem infirmam esse, & promissionibus ipsis elidi prius ostensum est. Omnia vero ad unam hanc solidam invictamque demonstrationem, à positione causarum sufficientium, ad positionem effectus revocantur hoc modo:

Quibus Deus perseverantiam in fide certo dare promisit, & qui virtute Dei custodiuntur in fide usque in finem; & pro quorum perseverantia Christus oravit & orat: & qui indesinenter ipsi pro eadem orant: & quorum denique perseverantia in æterna Dei prædestinatione fundata est: eorum perseverantia in vera fide ad finem usq; non est dubia, sed certa secundum Scripturas. Omnes vera fide Christo insiti sunt tales, quibus Deus perseverantiam dare promisit. Ier. 32. 40. Psal. 125. 1. quique virtute Dei custodiuntur per fidem ad salutem: 1. Pet. 1. 5. & pro quorum perseverantia Christus oravit & orat. Ioh. 17. 20. Rom. 8. 34. quique pro eadem quotidie Deum in precatione Dominica invocant: quorum deniq; perseverantia in æterna Dei prædestinatione fundatur. Matt. 24. 24. Rom. 8. 30. Eph. 1. 11. 14. 2. Thes. 2. 13. 14. Omnium igitur vera fide Christo insitorum perseverantia, non est dubia, sed certa secundũ Scripturas.

Non minus firmam demonstrationem præbet causa proxima, procreans veram fidem, in renatis semper manens, ex duabus Scripturæ sententijs simul junctis. 1. Pet. 1. 23. *Renati estis non ex semine mortali, sed ex immortali per verbum Domini, quod manet in æternum:* & 1. Ioh. 3, 9. *qui ex Deo natus est, peccatum non facit, quoniam semen Dei manet in eo: nec potest peccare, quia ex Deo natus est.* Hinc ita:

Qui sunt renati ex semine immortali verbi Dei, & in quibus hoc semen immortale, (non obstantibus eorum infirmitatibus) manet, in ijs manet etiam, nec unquam deficit fides penitus, proinde & perseverantia: quæ est ipsa fides non deficiens, sed manens & perseverans. Ratio hujus est, nexus individuus causæ & effectus: quia semen immortale verbi Dei non manet (in quibus manet) nisi per fidem. Omnes vera fide Christo insiti, sunt renati ex semine immortali Verbi Dei, teste Apostolo Petro, & in ijs manet hoc semen immortale (non obstantibus eorum infirmitatibus) teste Iohanne Apostolo: in omnibus igitur Christo vera fide insitis manet, nec unquam penitus deficit fides. Proinde & perseverantia.

Quid multis? Si dubia est Sanctorum perseverantia, nec certo datur à Deo omnibus eam quotidie petentibus, toto corde orando: *Sanctificetur nomen tuum, adveniat regnum tuum, fiat voluntas tua, sicut in cælo, sic & in terra, ne inducas nos in tentationem; sed libera nos à malo.* quibus petitionibus perseverantiã à Deo peti & impetrari erudite & sancte docent Cyprianus & Augustinus: inanis præter alias hæc Dei promissio est: *Audite domus Iacob, qui portamini à me ab utero usque ad senectam. Ego vobiscum sum, & usque ad canitiem: ego portabo vos: ego feci: ego feram: ego quoque portabo & eruam.* Inanis erit cordatissima Apostoli persuasio, fiducia & pollicitatio: *Persuasum habeo hoc ipsum, fore ut qui cœpit in vobis opus bonum, perficiat in diem usque Iesu Christi. Nam mihi persuasum est, neque vitam, neque mortem, posse nos separare à dilectione Dei in Christo Iesu: Deus confirmabit vos usque ad finem inculpatos in diem Domini nostri Iesu Christi.* Inanis erit precatio & fiducia sanctorum precantium cum Davide, *Vsque in senium & in canitiem Deus ne derelinquas me: Ostendisti mihi angustias multas & magnas: reversus vivificasti me.* Inanis erit fides justificans, seu fiducia remissionis peccatorum in præsenti: quia qui dubitat de promissione Dei in futurum: mentitur se credere promissioni de præsenti:

Cyprianus de orat. August. de bono persev. cap. 2. 3. 6. *Esa. 46. 3. Philip. 1. 6. Rom. 8. 38. 1. Cor. 1. 8. Psal. 71. 18.*

[illegible] 4. quia connexa est una: *Ego portavi vos: ego quoque portabo vos usque in senium. Ego,*
[illegible] 25. *ego sum, qui deleo iniquitates tuas propter me: & peccatorum tuorum non recordabor amplius.* Inanis denique fides vitæ æternæ & salutis: quia cui dubia est perseverantia in fide, sine qua vita æterna non obtinetur: quomodo de vita æterna certo confidere potest? Qui enim incertus hæret de gratia & vita crastina, quomodo certus erit de æterna? Si pro fide inducetur fallax opinatio; regnabit in conscientijs hæsitatio, dubitatio, formido, anxietas: fidem, fiduciam & consolationem Christianam omnem labefactans atque evertens: hos revera fructus negatio perseverantiæ progenerat. Atqui omnes sunt falsi, impij, blasphemi. Contra omnes igitur stat sanctorum perseverantia.

Nihil vero argumentis his officit cavillum de conditione promissionibus annexa, ut est ostensum.

Nihil etiam perseverantiam Sanctorum lædit calumnia de prædicatione scandalosa & de fide licentiosa perseverantiæ: Secus scandalose prædicassent eam etiam Apostoli; licentiose credidissent Ecclesiæ.

Nihil paralogismus non causæ, de neglectu vel annihilatione mediorum & præmonitionum,&c. His ipsis enim Spiritus S. certitudinem perseverantiæ in cordibus sanctorum operatur atque sustentat.

Nihil exempla hypocritarum vel apostatarum quartæ machinæ, de qualibus etiam, quinque marginalia Articuli loquuntur. Hi enim cum vere fidelibus nihil,
1. Ioh. 2. 19. præter nomen fidei commune obtinent: de quibus proinde omnibus dicitur: *Ex nobis egressi sunt, quia ex nobis non erant. Nam si fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum; verum ut manifestum fieret, quod ex nobis non essent, ideo egressi sunt.*

Nihil Mosis, Aaronis, Davidis, Salomonis, Petri, Iudæ, & aliorum lapsus graves & atroces. Si quid enim contra facerent, totalem saltem, minime finalem perseverantiam labefactarent. Nam illos omnes, quos obijcere solent perseverantiæ hostes, vel non fuisse vere fideles, sed hypocritas, vel finaliter resipuisse doceri potest. Sed neque totalis horum perseverantia labefactari hinc potest, quin promissiones divinæ simul labefactentur: quas prætensæ objectionis exceptione labefactari, est impossibile.

Sunt autem (ut obiter hoc moneatur) lapsus sanctorum, non morose hic exagitandi ab ijs, qui in sanctorum censu haberi volunt: sed γνησίως, ex charitatis regula deplorandi magis, quam judicandi: considerata tum Dei Patris, qui filios peccantes judicare habet, tum filiorum, qui Deo Patri peccant, ratione.

Pari crimine quandoque implicatur filius & servus in domo, imo filius gravius quam servus: tamen pater terrenus servum ejicit domo, filium non exhæredat, sed castigat ad emendationem. Peccatum igitur filij juvenili stultitia admissum, sicut odium filij in patrem non invexit, ita gratiam patris in filium non extinxit. David proditorie occidit Vriam: Ioab, Amasam: Petrus Christum ter perfide negavit: Iudas semel prodidit. Sepone eventum; gravius ille quam iste peccasse videtur. Christus tamen illum, non istum respexit. Adsint jam censores, & Petrum, pro cujus fide ne deficeret Christus oravit, ex metu negando, fidem penitus amisisse contendant.

Ad lapsos vero quod attinet, sicut morbis acutioribus vita hominis periclitatur, donec subveniat medicus: non mox tota extinguitur: ita lapsibus gravioribus sanctorum concutitur fides & infirmatur: non mox penitus excutitur, emoriturque: quia medicus cœlestis, gratia ineffabili semen immortale illud Dei (de quo fuit) in cordibus sustentat, supponitque manum justis quando cadunt, ne collidantur. 1. Ioh. 3. 9. Psal. 37. 24. Hæc nulla ἐπιείκεια humana, nedum pietas Christiana, ulla specie expugnabit.

Nihil denique duo postremi ineptissimi paralogismi perseverantiam sanctorum lædere possunt, si vel scholastice examinentur. Vterque enim, ut quod debet, hoc est, contradictoriam perseverantiæ: aliquos vere & actualiter credentes atque regenitos, fidem & spiritum regenerationis penitus amittere, directe conficiat: necesse habet, vel (ne præmissarum altera sit falsa) ex puris particularibus inepte concludere: prior quidem hoc modo: Aliqui fidelium parentum liberi baptizati, penitus amittunt fidem & Spiritum regenerationis: Ratio, quia alioqui omnes (nullo excepto)

pto) ſervarentur: quod iſtis abſurdum, nobis ex charitate maxime optandum videtur. Aliqui fidelium parentum liberi baptizati, vere & actualiter credunt & regenerantur. Igitur, aliqui vere & actualiter credentes & regenerati penitus amittunt fidem & Spiritum regenerationis. Poſterior vero hoc modo: Aliqui propter flagitia excommunicati, penitus amittunt fidem, &c. Aliqui propter flagitia excommunicati ſunt vere credentes & regenerati: Aliqui igitur vere credentes & regenerati, penitus amittunt fidem. Vel cum hæ ineptæ ſint (ut conſequentiæ corrigantur) prior Minorem univerſalem falſam aſſumere: poſterior Majorem univerſalem falſam itidem ſupponere: ut prior ſic ſe habeat in *Diſamis* (aliter enim concludi nequit: niſi & majorem univerſalem falſam malint.) Aliqui fidelium parentum liberi baptizati, penitus amittunt fidem & regenerationem. Omnes fidelium parentum liberi baptizati vere & actualiter credunt atque regenerantur. Igitur aliqui vere & actualiter credentes ac regenerati, penitus amittunt fidem & regenerationem. Hic Aſſumptionem univerſalem (niſi ſacramentaliter intelligatur, quomodo rurſus vacillaret conſecutio) eſſe falſam, nec ipſi Remonſtrantes negabunt. Ex ſententia enim Auguſtini, (quam Eccleſiæ orthodoxæ ſequuntur) *ſicut in Iſaac, qui octavo die circumciſus eſt, præceſſit ſignaculum juſtitiæ fidei: & quoniam patris fidem imitatus eſt, ſecuta eſt in creſcente ipſa iuſtitia, cuius ſignaculum in infante præceſſerat: ita & in baptizatis infantibus præcedit regenerationis ſacramentum: & ſi Chriſtianam tenuerint pietatem, ſequitur etiam in corde converſio, cuius myſterium præceſſit in corpore.* Neque ad Aſſumptionis univerſalis falſæ probationem verba Catecheſeos p. 74. quicquam faciunt. Aug. lib. 4. de Baptiſmo. c. 24.

Poſterior Majore univerſali in *Datiſi*, vel Minore converſa in *Darij* (aliter enim concludi nequit) ſic erit: Omnes propter flagitia excommunicati veram fidem & Spiritum ſanctum penitus amittunt. Aliqui propter Flagitia excommunicati ſunt vere fideles & regenerati. Aliqui igitur vere fideles & regenerati fidem & Spiritum S. penitus amittunt. Hic majorem univerſalem eſſe falſam, ab orthodoxis in Collatione recte reſponſum eſt; ab alteris vero non refutatum. Poſſunt enim ex Eccleſia & regno Chriſti excludi qui nunquam vere in gratia ſteterunt, ſed ſemper fuerunt hypocritæ fide vera & Spiritu Dei deſtituti. Sic igitur veritatem orthodoxam de Perſeverantia Sanctorum in fide à machinis iſtorum omni ex parte illæſam conſiſtere demonſtratum eſt.

Hæcque de Articulo quinto etiam ſufficiant.

Seſsione Centeſima,

SESS. C.

Eodem Die poſt meridiem.

CLariſſimus vir D. Matthias Martinius, publice doctrinam orthodoxam de Perſona Domini noſtri Ieſu Chriſti, & utraque ejus natura, divina atque humana, explicuit. Qui quæſtiones quaſdam à Vorſtio contra doctrinam de Omnipræſentia eſſentiæ divinæ, deque argumentis quæ ad æternam Chriſti deitatem confirmandam, à Creatione mundi & à nomine Iehovæ deſumi ſolent, propoſitas, accurate diſcuſſit.

Seſsione Centeſima prima,

SESS. CI.

VI. *Martij, Die Mercurij ante meridiem.*

COntinuata fuit prælectio judicij clariſſimi D. Paræi, de tertio, quarto & quinto Remonſtrantium Articulis: ſtatutumque fuit, pro eodem ad Synodum tranſmiſſo, gratias ei eſſe agendas.

Quandoquidem omnia Collegiorum singulorum judicia de quinque Remonstrantium Articulis, jam formata & tradita essent, deliberatum fuit; An ea publice essent admisso promiscuo auditorio prælegenda. Rationibus utrinque examinatis, rogatum fuit consilium judiciumque Illustrium DD. Delegatorum, qui deliberationem hanc in Sessionem pomeridianam differri voluerunt.

SESS. CII.

Sessione Centesima Secunda,

Eodem Die post meridiem.

ILlustres DD. Delegati responderunt, consultius videri sibi, ut cum singulorum Collegiorum suffragia & iudicia prælegerentur, nulli omnino auditores admitterentur. Cui consilio Synodus acquievit.

Inchoata fuit deinde judiciorum prælectione: ac primo quidem Clarissimorum Magnæ Britanniæ & Palatinorum Theologorum de primo Remonstrantium Articulo.

SESS. CIII.

Sessione Centesima Tertia,

VII. *Martij, Die Iovis ante meridiem.*

PRælecta sunt de primo Articulo Theologorum Hassiacorum, Helveticorum, & Wetteravicorum judicia.

SESS. CIV.

Sessione Centesima Quarta,

Eodem Die post meridiem.

PRælecta sunt de eodem Articulo Genevensium, Bremensium & Emdensium Theologorum judicia.

SESS. CV.

Sessione Centesima Quinta,

VIII. *Martij, Die Veneris ante meridiem.*

COntinuata est hac Sessione iudicij Theologorum Emdensium, & Clarissimorum S. Theologiæ Professorum Belgicorum inchoata prælectio.

SESS. CVI.

Sessione Centesima Sexta,

Eodem Die post meridiem.

CLarissimus Vir Iohannes Deodatus, publice de Perseuerantia Sanctorum disseruit: Et inprimis quæstiones hasce excussit: *Quousque sæpe procedat spiritus Dei agens in Ecclesia in corde hominis reprobi: Et quousque electi & vere regeniti aliquando prolabantur:* simulque, *Quodnam & quale sit discrimen inter fidem iustificantem & temporariam.*

Sessione

Sessione Centesima Septima, SESS. CVII.

xi. *Martij, Die Lunæ ante meridiem.*

COmparuit atque in Synodum solemniter introductus fuit Reverendus & Doctissimus vir D. Georgius Fabricius, Pastor & inspector Windeccensis in Comitatu Hannovico, ab Illustri Correspondentia Wetteravica in loco D. Iohannis Bisterfeldij p. m. substitutus, atque ad Synodum deputatus: prælectis Illustrium ac Præpotentum DD. Ordinum Generalium literis, quæ de hac substitutione testabantur. Qui & præstito eadem Sessione juramento Synodico, pro eiusdem membro admissus est.

Continuata est eadem Sessione judiciorum Clarissimorum Professorum Belgicorum, D. Polyandri, D. Thysij, & D. Walæi, prælectio. Quorum etiam judicio, D. Sibrandus Lubbertus subscripserat.

D. Gomarus, publice testabatur, se quoque ipsorum judicium approbare in omnibus, excepto Articulo de objecto Prædestinationis, quod putabat statuendum esse, non tantum hominem lapsum, sed etiam ante lapsum, in Prædestinatione à Deo consideratum.

Prælectum etiam fuit judicium D. Sibrandi Lubberti; cui D. Polyander, D. Thysius vicissim & D. VValæus subscripserant. Idem quoque approbare se testabatur D. Gomarus, excepto dicto Articulo.

Denique prælectum fuit D. Gomari judicium, cui se quoque assentiri, excepto hoc eodem Articulo, reliqui Professores restabantur.

Sessione Centesima Octava, SESS. CVIII.

Eodem Die post meridiem.

THomas Goswinius & Assuerus Matthisius Præsidi scriptum Ecclesiæ Campensis remiserant, quod accusationum capita adversus ipsos producta continebat, cui & suum adiunxerant: quo se excusabant, quod consignandis Synodicis occupati scriptis, ad hasce accusationes respondere non potuissent. Sed & declarabant, neque necessarium sibi, neque consultum videri, ut ad illas responderent.

Prælectum quoque fuit partis adversæ scriptum, quo ostendebatur, debuisse illos ad institutam ἑτεροδιδασκαλίας in Ecclesiam Campensem invectæ accusationem respondere. Cæterum illos effugia quærere, & iudicium declinare, simulque petebatur, ut ad reddendam doctrinæ suæ rationem autoritate Synodi constringerentur.

Aliud insuper scriptum eiusdem Ecclesiæ prælectum fuit, quo Ecclesiæ illius status afflictus declarabatur, petebaturque, ut Gosvvinius & Matthisius, quia ad accusationes respondere detrectabant, à Ministerio suspenderentur.

In negotio Gosvvinii & Matthisij, propter certas causas, nihil eo tempore ulterius agi potuit. Vosculij autem & Schotleri à Ministerio suspensio, denuo confirmata fuit.

Prælecta sunt Geldrorum, Zuyt-Hollandorum, Noort-Hollandorum, & Zeelandorum, de Primo Remonstrantium Articulo judicia.

SESS. CIX.

Sessione Centesima Nona,

xii. *Martij, Die Martis ante meridiem.*

PRælecta sunt de eodem Articulo Ultrajectinorum, Frisiorum, Transisulanorum & Groningensium judicia.

SESS. CX.

Sessione Centesima Decima,

Eodem Die post meridiem.

PRælecta sunt Drentanorum & Gallo-Belgarum de eodem primo Articulo judicia.

Deinde Theologorum Magnæ Britanniæ, Palatinorum, Hassiacorum, & Helvetiorum de secundo Remonstrantium Articulo judicia.

SESS. CXI.

Sessione Centesima Vndecima,

xiii. *Martij, Die Mercurij ante meridiem.*

PRælecta sunt de eodem secundo Articulo Theologorum Wetteravicorum, Genevensium, Embdensium & Bremensium judicia.

SESS. CXII.

Sessione Centesima Duodecima,

Eodem Die post meridiem.

REverendus & Clarissimus Vir, D. Doctor Henricus Isselburgius, publice Doctrinam Orthodoxam de Satisfactione Domini nostri Iesu Christi, pro peccatis nostris, contra Socinianos & Vorstium, explicuit.

SESS. CXIII.

Sessione Centesima Decima-tertia,

xiv. *Martij, Die Iovis ante meridiem.*

PRælecta sunt Professorum Belgicorum, Geldrorum, Zuyt-Hollandorum & Noort-Hollandorum de secundo Remonstrantium Articulo judicia.

SESS. CXIV.

Sessione Centesima Decima-quarta.

Eodem Die post meridiem.

PRælecta sunt de eodem Articulo Zeelandorum, Ultrajectinorum, Frisiorum, Transisulanorum & Groningensium judicia.

Sessione

Seſsione Centeſima Decima-quinta, Sess. CXV.

XV. *Martij, Die Veneris ante meridiem.*

PRælecta ſunt de eodem ſecundo Articulo Drentanorum, & Gallo-Belgicorum judicia. Ac deinceps, quæ de tertio & quarto Remonſtrantium Articulo Magnæ Britanniæ at Palatini Theologi tradiderunt.

Seſsione Centeſima Decima-ſexta, Sess. CXVI.

Eodem Die poſt meridiem.

PRælecta ſunt de tertio & quarto Articulo, Haſſiacorum, Helvetiorum, Wetteravicorum, Genevenſium, Bremenſium judicia, & ex parte Embdenſium.

Seſsione Centeſima Decima-ſeptima, Sess. CXVII.

XVI. *Martij, Die Saturni ante meridiem.*

COntinuata eſt judicij Emdenſium de tertio & quarto Articulis prælectio: ſimulque prælecta ſunt de ijſdem Articulis Profeſſorum Belgicorum & Geldrorum judicia.

Seſsione Centeſima Decima-octava, Sess. CXVIII.

XVIII. *Martij, Die Lunæ ante meridiem.*

ILluſtres ac Præpotentes Ordines Generales, literas ad Synodum tranſmiſerant, à Sereniſſimo Marchione Brandenburgico ad ipſos datas: quas in Synodo prælegi, ejuſdemque actis inſeri voluerunt: Quarum hoc exemplum eſt:

Salutem & benevolentiam noſtram.

PRæpotentes Domini, multumque dilecti amici ac vicini. Non ſine gravi cauſa latere Dominat. Veſtras noluimus, cum ſub initium menſis Octobris proximi, ſtylo novo, ad Sereniſſimum multumque dilectum Dominum ac parentem noſtrum Electorem Brandeburgicum, Pruſſiæ, Juliæ, Cliviæ, Montium, &c. Ducem, Veſtrarum Dominat. de mittendis nonnullis, ad indictam Dordraci Synodum, Celſitudinis ipſius Theologis, literæ in Ducatum Pruſſiæ perlatæ eſſent, Celſitudinem ipſius illico Reverendos ac Doctiſsimos nobis dilectos fideles D. Chriſtophorum Pelargum, & Johannem Bergium, SS. Theologiæ Doctores, & ſuarum ſingulos Eccleſiarum ſuperattendentes Generales, ac Verbi Divini in Eccleſia Francofurti ad Oderam Miniſtros, utrumque Profeſſorem Academiæ eiuſdem loci delegaſſe,

ac per literas ipsis significasse ut ad iter hoc suscipien dum se pararent, debitoque ac constituto tempore, in viam se darent, ut in Synodo Dordraci celebranda se sisterent. Verum illi, cum nonnulla præter expectationem obiecta illis essent, (ac inprimis D. Doctoris Pelargi, cuius potissimum ob ætatem multarumque rerum experientiam habita fuit ratio, adversa, valetudo) præter omnem spem suere præpediti. Ita ut iter tam longinquum suscipere ac absolvere omnino neque tum, neque etiamnum possent. Quapropter, quanquam Celsitudo eius, Dominat. Vestrarum satisfacere petitioni voluerit: tamen etiamnum, rei huic iniecta est remora. Ac, etiamsi Domini Parentis nostri Celsitudo, alios in eorum locum substituere voluerit, ea tamen ipsi, in recenti adeo, &c, ut omnibus est notum, ante paucos annos inchoata Ecclesiarum ac Religionis reformatione, talium virorum non est copia. Eorum inprimis, qui ob longum usum atque experientiam, Colloquijs Actionibusque Synodi istiusmodi, cum laude & fructu adhiberi poßint.

Atque hinc futurum speramus, vt Dominat. Vestræ dicti Domini Parentis nostri Celsitudinem hac in re, excusatam habeant, neque de consensu atque unanimi in omnibus religionis Articulis iuxta antiquissimam, Catholicam, indubitatam ac Christianam fidem nostram, consensione dubitent: cum ipsius Celsitudo suam fidei Confeßionem, (quæ eidem, quam universa Reformata Ecclesia agnoscit, conformis plane ac uniformis est, & ad cuius normam Celsitudo eius in Electoratus sui Scholis ac templis, doceri atque prædicari, juventutemque & Ecclesias institui diligenter curavit, publice typis evulgaverit. Cumque ab omni dubio procul sit, Synodi Conclusionem, eidem fidei Catholicæ Confeßioni conformem atque uniformem futuram; ex usu fore arbitratur Celsitudo eius, si ea ipsa juxta Dominat: Vestrarum aut Synodi judicium ac placitum, ad subscribendum transmitti, atque ita Celsitudinis ipsius Theologi visis Syodicis Actis, Decretum illud subscriptionibus suis approbarent: cumque valetudine alijsque impedimentis præpediti fuerint, absentiam suam necessariam supplerent quasi, atque compensarent. Interim autem Dominat. Vestris, pariterque unitis Belgij Provincijs, eum Synodi istius successum atque exitum serio precamur, ut omnia, ad Altißimi gloriam, divinæ veritatis, fideique Christianæ conservationem atque propagationem; errorum contra ac dissensionum omnium in religione extirpationem, pacem tranquillitatem ac concordiam, perpetuam denique inconcussamque tum Regionum istarum, tum incolarum, vicinorumque omnium prosperitatem, vergant ac cedant. Interim & benevolentiam studiaque nostra, Dominat: Vestris oblata voluimus. Datum Coloniæ ad Spream. x. Januarij CIↃ IↃ C XIX.

Subscriptum,

Dei gratia Georgius Wilhelmus, Marchio Brandenburgicus; Prussiæ, Iuliæ, Cliviæ, Montium, &c., Dux.

Et paulo infra:

Dominat: Vestrarum Semper promptus Amicus & Vicinus, Georg. VVilhelm. Marchio.

Prælecta

Prælecta etiam sunt de tertio & quarto Articulo Zuyt-Hollandorum, Noort-Hollandorum, Zeelandorum & Vltrajectensium judicia.

Sessione Centesima Decima-nona, SESS. CXIX.

Eodem Die post meridiem.

Continuata fuit prælectio judiciorum de ijsdem Articulis Frisiorum, Transisulanorum, Groninganorum, Drentanorum, & Gallo-Belgicorum.

Sessione Centesima Vigesima, SESS. CXX.

XIX. *Martij, Die Martis ante meridiem.*

Prælecta sunt de quinto Remonstrantium Articulo, Theologorum Magnæ Britanniæ & Palatinorum judicia.

Sessione Centesima Vigesima-prima, SESS. CXXI.

Eodem Die post meridiem.

Theologorum Helveticorum, Hassiacorum, Wetteravicorum, Genevensium & Bremensium, de eodem Articulo prælecta sunt judicia.

Sessione Centesima Vigesima-secunda, SESS. CXXII.

xx. Martij, Die Mercurij ante meridiem.

Hac Sessione de eodem Articulo, Theologorum Embdensium, Professorum item Belgicorum, Geldrorum & Zuyt-Hollandorum, absoluta sunt judicia.

Sessione Centesima Vigesima-tertia, SESS. CXXIII.

Eodem Die post meridiem.

Clarissimus Vir, D. Doctor Ludovicus Crocius, publice explicavit doctrinam Orthodoxam de Iustificatione hominis coram Deo, atque inprimis quæstionem hanc: An fides ipsa in justificatione à Deo accepteтur pro omni justitia, quam nos secundum legem præstare tenebamur.

Sessione

SESS. CXXIV.

Sefsione Centefima Vigefima-quarta,

XXI. *Martij, Die Iovis ante meridiem.*

IUdicia de eodem quinto Articulo, Noort-Hollandorum, Zeelandorum, Ultrajectenfium, & Frifiorum, prælecta funt.

SESS. CXXV.

Sefsione Centefima Vigefima-quinta,

Eodem Die poft meridiem.

PRælecta funt fimiliter de eodem Articulo, Tranfifulanorum, Groninganorum, Drentanorum, & Gallo-Belgicorum judicia.

Abfoluta judiciorum omnium de quinque Remonftrantium Articulis prælectione, Præfes Deo egit gratias, pro fummo omnium Collegiorum in Dogmatibus confenfu: monuitque, reftare nunc, ut ex omnibus collatis inter fe iudicijs, Synodica fententia formetur, cumque in finem iudicavit iam à fe conceptos effe atque confectos ex his iudicijs Canones quofdam: petijtque ut ex Collegijs finguli poftero die adeffent, qui Canones exciperent ac defcriberent, pofteaque cum Collegijs communicarent. Si quid in ijs obfervatum effet, quod addendum, demendum, aut mutandum videretur, de eo ipfe, cum Affefforibus confuleretur. Obfervationibus diligenter confideratis, de mutationibus, fi quæ neceffariæ iudicarentur, ad Synodum referretur, pofteaque finguli breviter fententiam fuam dicerent.

SESS. CXXVI.

Sefsione Centefima Vigefima-fexta,

XXII. *Martij, Die Veneris ante meridiem.*

PRæfes propofuit Canones, de primo Remonftrantium Articulo conceptos.

SESS. CXXVII.

Sefsione Centefima Vigefima-feptima,

Eodem Die poft meridiem.

PRæfes Canones de fecundo Remonftrantium Articulo conceptos, propofuit; indicavitque, ut fi qui forte in ijfdem aliquid, cuius explicationem aut mutationem defiderarent, obfervaffent, illud ad fe & ad Affeffores referrent.

SESS. CXXVIII

Sefsione Centefima Vigefima-octava,

XXV. *Martij, Die Lunæ ante meridiem.*

CUm fuperior agendi ratio nonnullis non fatis commoda videretur, Illuft. Deleg. monuerunt confultum fibi videri, ut ad formandos Canones Synodicos, præter Præfidem

Præsidem & Assessores, justus aliquis Theologorum tam Exterorum, quam Provincialium delegaretur numerus. Quo res tanti momenti eo accuratius conficeretur.

Gratias interim pro labore hoc præparatorio Præsidi agentes. Quem rogarunt insuper, ut eum reliquis in eo pergeret. Consilium hoc Illustrium Delegatorum Synodo probatum fuit, atque ad hanc rem potioribus suffragijs deputati sunt ex Theologis Exteris, Reverendus D. Episcopus Landavensis, D. Doctor Scultetus, D. Deodatus, & ex Provincialibus, D. Doctor Polyander, D. Walæus, & D. Triglandius.

Sessione Centesima Vigesima-nona,

SESS. CXXIX.

XVI. *Aprilis, Die Martis post meridiem.*

CAnones de primo Remonstrantium à Deputatis Articulo formati, privatimque examinati in Synodo, lecti atque approbati sunt.

Prælecti quoque sunt Canones de secundo Articulo: de quibus in proxima Sessione amplius deliberandum Synodus censuit.

Sessione Centesima Trigesima,

SESS. CXXX.

XVIII. *Aprilis, Die Iovis ante meridiem.*

HAc Sessione de Canonibus secundi Articulo instituta fuit collatio. habitaque de nonnullis disquisitione, paucisque immutatis, ijdem Canones ab omnibus approbati sunt.

Sessione Centesima Trigesima-prima,

SESS. CXXXI.

Eodem Die post meridiem.

PRælecti sunt Canones de tertio & quarto Articulo, atque ab omnibus approbati.

Prælecti quoque atque approbati sunt Canones de quinto Articulo.

Deliberatum denique fuit, Annon expediret ijsdem Canonibus addi rejectionem aliquam calumniarum præcipuarum, quibus Orthodoxa doctrina de æterna Dei Prædestinatione ab eiusdem adversarijs proscindi soleret. Quod cum Synodo probaretur, prælecta fuit eiusmodi rejectionis formula hunc in finem concepta.

Sessione Centesima Trigesima-secunda,

SESS. CXXXII.

XIX. *Aprilis, Die Veneris ante meridiem.*

EXaminata fuit concepta rejectionis calumniarum formula: cui addendam quoque existimabant nonnulli rejectionem duriorum quarundam & incommodiorum loquutionum, quæ in nonnullis reformatorum Doctorum scriptis reperirentur. Quæ infirmioribus offensionem, adversarijs calumniandi ansam præberent. Quem in finem rationes quædam in utramque partem à Theologis Magnæ Britanniæ, Hassiacis, & Bremensibus, alijsque propositæ sunt. Quibus utrinque diligenter expensis, visum fuit potioribus suffragijs rejectionem incommodiorum locutionum esse omittendam: ne calumniari possent adversarij, rejectione phrasium incommodarum, etiam doctrinam Orthodoxam, quam professi essent illi, qui in eius expli-

explicatione eiusmodi phrasibus durius, aut imprudentius usi videntur, pariter damnari. Cum præsertim manifestum esset, nonnullos ex ijs loquendi modis esse, quibus ipse Spiritus S. usus esset; nonnullos quoque, quos sano sensu ipsi Remonstrantes admisissent: longe autem plurimos, qui dextre ac commode, modo charitas adhiberetur, explicari possent.

SESS. CXXXIII.

Sessione Centesima Trigesima-tertia,

Eodem Die post meridiem.

ITerum prælecta est, rejectionis calumniarum formula, ex observationibus propositis reformata. Auditisque de ea singulorum Collegiorum iudicijs, cum ista nonnihil variarent, rogati quoque sunt Illust. Delegati, quid sentirent. Quibus placuit, deliberationem hanc, in diem Lunæ differri.

SESS. CXXXIV.

Sessione Centesima Trigesima-quarta,

XXII. *Aprilis, Die Lunæ ante meridiem.*

PRælecta tertio fuit, accuratius ex observationibus mutata calumniarum rejectio. Rogatisque de eadem singulorum Collegiorum iudicijs, tandem paucis quibusdam immutatis approbata fuit.

SESS. CXXXV.

Sessione Centesima Trigesima-quinta,

XXIII. *Aprilis, Die Martis ante meridiem.*

PRælecti denuo sunt Canones de primo Articulo nitide descripti, qui & singulorum tam Exterorum, quam Provincialium Theologorum manibus sunt subsignati.

SESS. CXXXVI.

Sessione Centesima Trigesima-sexta,

Eodem Die post meridiem.

PRælecti & subsignati sunt Canones de reliquis, secundo, nimirum, tertio, quarto, & quinto Articulis. Prælecta quoque & subsignata fuit calumniarum rejectio. Quam cum ipsis Canonibus, singulorumque ad singulos subscriptionibus, hic exhibemus.

PRI-

PRIMVM DOCTRINÆ CAPVT
DE
DIVINA PRÆDESTINATIONE

Articulus primus.

CVM omnes homines in Adamo peccaverint, & rei sint facti maledictionis & mortis æternæ, Deus nemini fecisset injuriam, si universum genus humanum in peccato & maledictione relinquere, ac propter peccatum damnare voluisset, juxta illa Apostoli, *Totus mundus est obnoxius condemnationi Dei.* Rom. 3. 19. *Omnes peccaverunt & destituuntur gloria Dei.* vers. 23. Et, *Stipendium peccati mors est.* Rom. 6. 23.

II.

Verum in hoc manifestata est charitas Dei, quod Filium suum unigenitum in mundum misit, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. 1. Iohan. 4. 9. Iohan. 3. 16.

III.

Vt autem homines ad fidem adducantur, Deus clementer lætissimi hujus nuntij præcones mittit, ad quos vult & quando vult, quorum ministerio homines ad resipiscentiam, & fidem in Christum crucifixum vocantur. *Quomodo enim credent in eum, de quo non audierint? quomodo autem audient absque prædicante? quomodo prædicabunt, nisi fuerint missi?* Rom. 10. 14. 15.

IV.

Qui huic Euangelio non credunt, super eos manet ira Dei. Qui vero illud recipiunt, & Servatorem Iesum vera ac viva fide amplectuntur, illi per ipsum ab ira Dei & interitu liberantur, ac vita æterna donantur.

V.

Incredulitatis istius, ut & omnium aliorum peccatorum, causa seu culpa neutiquam est in Deo, sed in homine. Fides autem in Iesum Christum, & salus per ipsum, est gratuitum Dei donum, sicut scriptum est, *Gratia salvati estis per fidem, & hoc non ex vobis. Dei donum est.* Ephes. 2. 8. Item, *Gratis datum est vobis in Christum credere.* Phil. 1. 29.

VI.

Quod autem aliqui in tempore fide à Deo donantur, aliqui non donantur, id ab æterno ipsius decreto provenit; *Omnia enim opera sua novit ab æterno:* Act. 15. 18. Eph. 1. 11. secundum quod decretum electorum

corda, quantumvis dura, gratiose emollit, & ad credendum inflectit, non electos autem justo judicio suæ malitiæ & duritiæ relinquit. Atque hic potissimum sese nobis aperit profunda, misericors pariter & justa, hominum æqualiter perditorum discretio; sive Decretum illud *Electionis & Reprobationis* in verbo Dei revelatum. Quod ut perversi, impuri, & parum stabiles in suum detorquent exitium, ita sanctis & religiosis animabus ineffabile præstat solatium.

VII.

Est autem Electio immutabile Dei propositum, quo ante jacta mundi fundamenta ex universo genere humano, ex primæva integritate in peccatum & exitium sua culpa prolapso, secundum liberrimum voluntatis suæ beneplacitum, ex mera gratia, certam quorundam hominum multitudinem, alijs nec meliorum, nec digniorum, sed in communi miseria cum alijs jacentium, ad salutem elegit in Christo, quem etiam ab æterno Mediatorem & omnium Electorum Caput, salutisque fundamentum constituit, atque ita eos ipsi salvandos dare & ad ejus communionem per verbum & Spiritum suum efficaciter vocare ac trahere, seu vera inipsum fide donare, justificare, sanctificare, & potenter in Filij sui communione custoditos tandem glorificare decrevit, ad demonstrationem suæ misericordiæ, & laudem divitiarum gloriosæ suæ gratiæ: sicut scriptum est, *Elegit nos Deus in Christo, ante jacta mundi fundamenta, ut essemus sancti & inculpati in conspectu ejus, cum charitate; qui prædestinavit nos quos adoptaret in filios, per Jesum Christum, in sese, pro beneplacito voluntatis suæ, ad laudem gloriosæ suæ gratiæ, qua nos gratis sibi acceptos fecit in illo Dilecto.* Ephes. 1. 4. 5. 6. Et alibi, *Quos prædestinavit, eos etiam vocavit, & quos vocavit, eos etiam justificavit, quos autem justificavit, eos etiam glorificavit.* Rom. 8. 30.

VIII.

Hæc Electio non est multiplex, sed una & eadem omnium salvandorum in Vetere & Novo Testamento, quandoquidem Scriptura unicum prædicat beneplacitum, propositum & consilium voluntatis Dei, quo nos ab æterno elegit & ad gratiam, & ad gloriam, & ad salutem, & ad viam salutis, quam præparavit, ut in ea ambulemus.

IX.

Eadem hæc Electio facta est non ex prævisa fide, fideique obedientia, sanctitate, aut alia aliqua bona qualitate & dispositione, tanquam causa seu conditione in homine eligendo prærequisita, sed ad fidem, fideique obedientiam, sanctitatem, &c. Ac proinde Electio est fons omnis salutaris boni: unde fides, sanctitas & reliqua dona salvifica, ipsa denique vita æterna, ut fructus & effectus ejus profluunt, secundum illud Apostoli, *Elegit nos* [non quia eramus, sed] *ut essemus sancti, & inculpati in conspectu eius in charitate.* Ephes. 1. 4.

Causa

X.

Causa vero hujus gratuitæ Electionis, est solum Dei beneplacitum, non in eo consistens, quod certas qualitates seu actiones humanas, ex omnibus possibilibus, in salutis conditionem elegit; sed in eo, quod certas quasdam personas ex communi peccatorum multitudine sibi in peculium adscivit, sicut scriptum est, *Nondum natis pueris, cum neque boni quippiam fecissent, neque mali, &c. dictum est,* (nempe Rebeccæ) *maior serviet minori, sicut scriptum est, Iacob dilexi, Esau odio habui.* Rom. 9. 11. 12. 13. Et, *Crediderunt quotquot erant ordinati ad vitam æternam.* Act. 13. 48.

XI.

Atque ut Deus ipse est sapientissimus, immutabilis, omniscius & omnipotens: ita Electio ab ipso facta, nec interrumpi, nec mutari, revocari, aut abrumpi, nec Electi abjici, nec numerus eorum minui potest.

XII.

De hac æterna & immutabili sui ad salutem Electione, Electi suo tempore, varijs licet gradibus & dispari mensura, certiores redduntur, non quidem arcana & profunditates Dei curiose scrutando, sed fructus Electionis infallibiles, in Verbo Dei designatos, ut sunt vera in Christum fides, filialis Dei timor, dolor de peccatis secundum Deum, esuries & sitis justitiæ, &c. in sese cum spirituali gaudio & sancta voluptate observando.

XIII.

Ex hujus Electionis sensu & certitudine, filij Dei majorem indies sese coram Deo humiliandi, abyssum misericordiarum ejus adorandi, seipsos purificandi, & eum, qui ipsos prior tantopere dilexit, vicissim ardenter diligendi, materiam desumunt: tantum abest, ut hac Electionis doctrina atque ejus meditatione in mandatorum divinorum observatione segniores, aut carnaliter securi, reddantur. Quod ijs justo Dei judicio solet accidere, qui de Electionis gratia, vel temere præsumentes, vel otiose & proterve fabulantes, in vijs electorum ambulare nolunt.

XIV.

Vt autem hæc de divina Electione doctrina, sapientissimo Dei consilio, per Prophetas, Christum ipsum, atque Apostolos, sub Veteri æque atque sub Novo Testamento, est prædicata, & sacrarum deinde literarum monumentis commendata: ita & hodie in Ecclesia Dei, cui ea peculiariter est destinata, cum spiritu discretionis, religiose & sancte, suo loco & tempore, missa omni curiosa viarum Altissimi scrutatione, est proponenda, idque ad sanctissimi nominis Divini gloriam, et vividum populi ipsius solatium.

XV.

Cæterum æternam & gratuitam hanc Electionis nostri gratiam eo vel maxime illustrat, nobisque commendat Scriptura sacra, quod porro testatur non omnes homines esse electos, sed quosdam non electos, sive in æterna Dei Electione præteritos; quos, scilicet, Deus ex liberrimo, justissimo, irreprehensibili, & immutabili beneplacito decrevit in communi miseria, in quam se sua culpa præcipitarunt, relinquere, nec salvifica fide & conversionis gratia donare, sed in vijs suis, & sub justo judicio, relictos, tandem non tantum propter infidelitatem; sed etiam cætera omnia peccata, ad declarationem justitiæ suæ damnare & æternum punire. Atque hoc est decretum *Reprobationis*, quod Deum neutiquam peccati autorem (quod cogitatu blasphemum est) sed tremendum, irreprehensibilem, & justum judicem ac vindicem constituit.

XVI.

Qui vivam in Christum fidem, seu certam cordis fiduciam, pacem conscientiæ, studium filialis obedientiæ, gloriationem in Deo per Christum, in se nondum efficaciter sentiunt, medijs tamen, per quæ Deus ista se in nobis operaturum promisit, utuntur, ij ad Reprobationis mentionem non consternari, nec se Reprobis accensere, sed in usu mediorum diligenter pergere, ac horam uberioris gratiæ ardenter desiderare, & reverenter humiliterque expectare debent. Multo autem minus doctrina de Reprobatione terreri debent ij, qui cum serio ad Deum converti, ei unice placere, & è corpore mortis eripi desiderant, in via tamen pietatis & fidei consque, quo volunt, pervenire nondum possunt; siquidem linum fumigans se non extincturum, & arundinem quassatam se non fracturum, promisit misericors Deus. Ijs autem hæc Doctrina merito terrori est, qui Dei & Servatoris Iesu Christi obliti, mundi curis, & carnis voluptatibus se totos manciparunt, quamdiu ad Deum serio non convertuntur.

XVII.

Quandoquidem de voluntate Dei ex verbo ipsius nobis est judicandum, quod testatur liberos fidelium esse sanctos, non quidem natura, sed beneficio fœderis gratuiti, in quo illi cum parentibus comprehenduntur, pij parentes de Electione & salute suorum liberorum, quos Deus in infantia ex hac vita evocat, dubitare non debent.

XVIII.

Adversus hanc gratuitæ Electionis gratiam, & justæ Reprobationis severitatem obmurmuranti, opponimus hoc Apostolicum, *O homo! tu quis es, qui ex adverso responsas Deo?* Rom. 9. 20. Et illud Servatoris nostri, *An non licet mihi quod volo facere in meis?* Mat. 20. 15. Nos vero hæc mysteria religiose adorantes, cum Apostolo exclamamus: *O profunditatem divitiarum, tum sapientiæ, tum cognitionis Dei! Quam imperscrutabilia sunt Dei judicia, & ejus viæ impervestiga-*

vestigabiles! Quis enim cognovit mentem Domini? Aut quis fuit ei à consiliis? Aut quis prior dedit ei, ut reddatur ei? Nam ex eo, & per eum, & in eum sunt omnia. Ipsi sit gloria in secula. Amen. Rom. 11: 33. 34. 35. 36.

REIECTIO

Errorum, quibus Ecclesiæ Belgicæ sunt aliquamdiu perturbatæ.

Exposita doctrina Orthodoxa de Electione & Reprobatione, Synodus rejicit Errores eorum,

I.

QVI docent, *Voluntatem Dei de servandis credituris, & in fide fideique obedientia perseveraturis, esse totum & integrum Electionis ad salutem Decretum, nec quicquam aliud de hoc Decreto in verbo Dei esse revelatum.* Hi enim simplicioribus imponunt, & Scripturæ Sacræ manifeste contradicunt, testanti, Deum non tantum servare velle credituros, sed etiam certos quosdam homines ab æterno elegisse, quos præ alijs, in tempore, fide in Christum & perseverantia donaret, sicut scriptum est, *Manifestum feci nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi.* Iohan. 17. 6. Item, *Crediderunt quotquot ordinati erant ad vitam æternam.* Actor. 13. 48. Et, *Elegit nos ante jacta mundi fundamenta, ut essemus sancti, &c.* Ephes. 1. 4.

II.

Qui docent, *Electionem Dei ad vitam æternam, esse multiplicem; aliam generalem & indefinitam; aliam singularem & definitam, & hanc rursum vel incompletam, revocabilem, non peremptoriam, sive conditionatam: Vel completam, irrevocabilem, peremptoriam, seu absolutam.* Item, *Aliam Electionem esse ad fidem, aliam ad salutem. ita ut Electio ad fidem justificantem, absque Electione peremptoria ad salutem, esse possit.*

Hoc enim est humani cerebri commentum extra Scripturas excogitatum, doctrinam de Electione corrumpens, & auream hanc salutis catenam dissolvens: *Quos prædestinavit, eos etiam vocavit, & quos vocavit, eos etiam justificavit, quos autem justificavit, eos etiam glorificavit.* Rom. 8. 30.

III.

Qui docent, *Dei beneplacitum ac propositum, cujus Scriptura meminit in doctrina Electionis, non consistere in eo, quod Deus certos quosdam homines præ alijs elegerit, sed in eo, quod Deus ex omnibus possibilibus conditionibus [inter quas etiam sunt opera legis] sive ex omnium rerum ordine, actum fidei, in sese ignobilem, & obedientiam fidei imperfectam, in salutis conditionem elegerit; eamque gratiose pro perfecta obedientia reputare, & vitæ æternæ præmio dignam censere voluerit.* Hoc enim errore pernicioso, beneplacitum Dei & meritum Christi enervatur, & homines inutilibus quæstionibus à veritate justificationis gratuitæ, &

simplicitate Scripturarum avocantur, illudque Apostoli falsi arguitur, *Deus nos vocavit vocatione sancta: Non ex operibus, sed ex suo proposito & gratia, quæ data est nobis in Christo Iesu ante tempora seculorum*: 2. Timoth. 1. 9.

IV.

Qui docent, *In Electione ad fidem hanc conditionem prærequiri, ut homo lumine naturæ recte utatur, sit probus, parvus, humilis, & ad vitam æternam dispositus, quasi ab istis Electio aliquatenus pendeat.* Pelagium enim sapiunt, & minime obscure falsi insimulant Apostolum scribentem: *Versati sumus olim in cupiditatibus carnis nostræ, facientes quæ carni & cogitationibus libebant, eramusque natura filij iræ, ut & reliqui. Sed Deus, qui dives est misericordia, propter multam charitatem suam, qua dilexit nos, Etiam nos cum in offensis mortui essemus, una vivificavit cum Christo, cujus gratia estis servati, unaque suscitavit, unaque collocavit in cælis in Christo Iesu: ut ostenderet in seculis supervenientibus supereminentes illas opes suæ gratiæ, pro sua erga nos benignitate in Christo Iesu. Gratia enim estis servati per fidem, (& hoc non ex vobis, Dei donum est) non ex operibus, ut ne quis glorietur.* Eph. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9.

V.

Qui docent, *Electionem singularium personarum ad salutem incompletam & non peremptoriam factam esse ex prævisa fide, resipiscentia, sanctitate & pietate inchoata, aut aliquamdiu continuata: completam vero & peremptoriam ex prævisæ fidei, resipiscentiæ, sanctitatis & pietatis finali perseverantia: Et hanc esse gratiosam & Euangelicam dignitatem, propter quam qui eligitur, dignior sit illo qui non eligitur: ac proinde Fidem, Fidei Obedientiam, Sanctitatem, Pietatem & Perseverantiam non esse fructus sive effectus Electionis immutabilis ad gloriam, sed conditiones, & causas sine quibus non, in eligendis complete prærequisitas, & prævisas, tanquam præstitas.* Id quod toti Scripturæ repugnat, quæ hæc & alia dicta passim auribus & cordibus nostris ingerit: *Electio non est ex operibus, sed ex vocante.* Rom. 9. vers. 11. *Credebant quotquot ordinati erant ad vitam æternam.* Actor. 13. 48. *Elegit nos in semetipso ut sancti essemus.* Ephes. 1. 4. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Iohann. 15. 16. *Si ex gratia, non ex operibus.* Rom. 11. vers. 6. *In hoc est Charitas, non quod nos dilexerimus Deum, sed quod ipse dilexit nos, & misit Filium suum.* 1. Iohan. 4. 10.

VI.

Qui docent, *Non omnem Electionem ad salutem immutabilem esse, sed quosdam electos, nullo Dei Decreto obstante, perire posse & æternum perire.* Quo crasso errore & Deum mutabilem faciunt, & consolationem piorum de Electionis suæ constantia subvertunt, & Scripturis sacris contradicunt docentibus, *Electos non posse seduci:* Matth. 24. vers. 24. *Christum datos sibi à Patre non perdere:* Iohann. 6. vers. 39. *Deum quos prædestinavit, vocavit & iustificavit, eos etiam glorificare.* Rom. 8. vers. 30.

Qui

VII.

Qui docent, *Electionis immutabilis ad gloriam nullum in hac vita esse fructum, nullum sensum, nullam certitudinem, nisi ex conditione mutabili & contingente.* Præterquam enim quod absurdum sit ponere certitudinem incertam, adversantur hæc experientiæ Sanctorum, qui cum Apostolo ex sensu Electionis sui exultant, Deique hoc beneficium celebrant, qui *gaudent,* cum Discipulis, secundum Christi admonitionem, *quod nomina sua scripta sint in cælis,* Luc. 10. 20. qui sensum denique Electionis ignitis tentationum Diabolicarum telis opponunt, quærentes, *Quis intentabit crimina adversus Electos Dei?* Rom. 8. 33.

VIII.

Qui docent, *Deum neminem ex mera justa sua voluntate decrevisse in lapsu Adæ & in communi peccati & damnationis statu relinquere, aut in gratiæ ad fidem & conversionem necessariæ communicatione præterire.* Stat enim illud, *Quorum vult, miseretur, quos vult, indurat.* Rom. 9. vers. 18. Et illud, *Vobis datum est nosse mysteria regni cælorum, illis autem non est datum.* Matth. 13. vers. 11. Item, *Glorifico te, Pater, Domine cæli & terræ, quod hæc occultaveris sapientibus & intelligentibus, & ea detexeris infantibus: Etiam, Pater, quia ita placuit tibi.* Matth. 11. 25. 26.

IX.

Qui docent, *Causam cur Deus ad hanc potius, quam ad aliam gentem Euangelium mittat, non esse merum & solum Dei beneplacitum, sed quod hæc gens melior & dignior sit ea, cui Evangelium non communicatur.* Reclamat enim Moses, populum Israëliticum sic alloquens, *Et Jehovæ Dei tui sunt cæli, & cæli cælorum, terra & quicquid est in ea; Tantum in majores tuos propensus fuit amore Jehova diligendo eos: unde selegit semen eorum post eos, vos, inquam, præ omnibus populis, sicut est hodie.* Deut. 10. 14. 15. Et Christus: *Væ tibi Chorazin, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes illæ, quæ in vobis factæ sunt, in sacco & cinere olim pœnitentiam egissent.* Matth. 11. 21.

Ita nos sentire & judicare, manuum nostrarum subscriptione testamur,

Iohannes Bogermannus, Pastor Ecclesiæ Leoverdiensis, & Synodi Præses. Iacobus Rolandus, Pastor Ecclesiæ Amstelodamensis, & Præsidis Assessor. Hermannus Faukelius, Pastor Ecclesiæ Middelburgensis, & Præsidis Assessor. Sebastianus Damman, Pastor Ecclesiæ Zutphaniensis, & Synodi Scriba. Festus Hommius, Pastor Ecclesiæ Leydensis, & Synodi Scriba.

EX MAGNA BRITANNIA,

Georgius, Episcopus Landavensis. Iohannes Davenantius, Presbyter: Doctor ac Sacræ Theologiæ publicus Professor in Academia Cantabrigiensi, & Collegij Reginalis ibidem Præses. Samuel VVardus, Presbyter: SS. Theologiæ Doctor, Archidiaconus Tauntonensis, & Collegij Sydneiani in Academia Cantabrigiensi Præfectus. Thomas Goadus, Presbyter: SS. Theologiæ Doctor, Cathedralis Ecclesiæ Paulinæ Londinensis Præcentor. Gualterus Balcanquallus, Scoto-Britannus, Presbyter, S. Theologiæ Baccalaureus.

EX ELECTORALI PALATINATV,

Abrahamus Scultetus, S. Theologiæ Doctor, & Professor in Academia Heydelbergensi. Paulus Tossanus, S. Theologiæ Doctor, & Consiliarius in Senatu Ecclesiastico inferioris Palatinatus. Henricus Alting. S. Theologiæ Doctor, & Professor in Academia Heydelbergensi.

EX HASSIA,

Georgius Cruciger, S. Theologiæ Doctor, Professor, & pro tempore Rector Academiæ Marpurgensis. Paulus Steinius, Concionator Aulicus & S. Theologiæ in Collegio Nobilitatis Adelphico Mauritiano Professor, Cassellis. Daniel Angelocrator, Ecclesiæ Marpurgensis Pastor, & vicinarum ad Lanum & AEderam Superintendens. Rodolphus Cocle-nius, Senior Philosophiæ purioris in Academia Marpurgensi Antecessor primarius, & nunc Decanus.

EX HELVETIA,

Iohannes Iacobus Breytingerus, Ecclesiæ Tigurinæ Pastor. Marcus Rutimeyerus, S. Theologiæ Doctor, & Ecclesiæ Bernensis Minister. Sebastianus Beckius, SS. Theologiæ Doctor, & Novi Testamenti Professor in Academia Basiliensi, ibidemque Facultatis Theologicæ Decanus. VVolfgangus Mayerus, SS. Theologiæ Doctor, Ecclesiæ Basileensis Pastor. Iohannes Conradus Kochius, Ecclesiæ Scaphusianæ Minister.

A CORRESPONDENTIA WEDDERAVICA,

Iohannes-Henricus Alstedius, in Illustri Schola Nassovica, quæ est Herbornæ, Professor ordinarius. Georgius Fabricius, Ecclesiæ VVindeccensis in Comitatu Hannovico Pastor, & vicinarum Inspector.

EX REPVBLICA ET ECCLESIA GENEVENSI,

Iohannes Deodatus, in Ecclesia Genevensi Pastor, & in eadem Schola SS. Theologiæ Professor. Theodorus Tronchinus, divini verbi Minister in Ecclesia Genevensi, & ibidem S S. Theologiæ Professor.

EX REPVBLICA ET ECCLESIA BREMENSI,

Matthias Martinius, Illustris Scholæ Bremensis Rector, & in ea Divinarum literarum Professor. Henricus Isselburg. SS. Theologiæ Doctor, in Bremensi Ecclesia ad B. Virginis Iesu Christi servus, & in Schola Novi Testamenti Professor. Ludovicus Crocius, S. Theologiæ Doctor, Ecclesiæ Bremensis ad S. Martini Pastor, & in Illustri Schola Veteris Testamenti & Philosophiæ practicæ Professor.

EX REPVBLICA ET ECCLESIA EMDANA,

Daniel Bernardus Eilshemius, Emdanæ Ecclesiæ Pastor Senior. Ritzius Lucas Grimershemius, Emdanæ Ecclesiæ Pastor.

SS. THEO-

SS. THEOLOGIÆ PROFESSORES BELGICI,

Iohannes Polyander, SS. Theologiæ Doctor, atque in Academia Leydensi Professor. Sibrandus Lubbertus, SS. Theologiæ Doctor, & Professor in Academia Frisiorum. Franciscus Gomarus, Sacrosanctæ Theologiæ Doctor, & Professor in Academia Groningæ & Omlandiæ. Antonius Tysius, sacræ Theologiæ in Illustri Schola Geldro-Velavica, quæ est Hardervici, Professor. Antonius VValæus, Pastor Ecclesiæ Middelburgensis, & ex eiusdem urbis Illustri Schola inter Theologos ad Synodum evocatus.

EX DVCATV GELDRIÆ ET COMITATV ZVTPHANIENSI,

Gulielmus Stephani, S S. Theologiæ Doctor, & Arnhemiensis Ecclesiæ Pastor. Ellardus à Mehen, Ecclesiæ Hardrovicenæ Pastor. Iohannes Bouillet, Pastor Ecclesiæ VVarnsfeldensis. Iacobus Verheyden, Senior Ecclesiæ Noviomagensis, & Scholæ Rector.

EX HOLLANDIA AVSTRALI,

Balthasar Lydius, M. F. Pastor Ecclesiæ Dei in urbe Dordrechto. Henricus Arnoldi, Ecclesiastes Delphensis. Gisbertus Voetius, Ecclesiæ Heusdanæ Pastor. Arnoldus Musius ab Holy, Baillivus Suyd-Hollandiæ, Senior Ecclesiæ Dordrechtanæ. Iohannes de Laet, Senior Ecclesiæ Leydensis.

EX HOLLANDIA BOREALI,

Iacobus Triglandius, Pastor Ecclesiæ Amstelodamensis. Abrahamus à Doreslaer, Pastor Ecclesiæ Enchusanæ. Samuel Bartholdus, Pastor Ecclesiæ Monachodamensis. Theodorus Heyngius, Senior Ecclesiæ Amstelodamensis. Dominicus ab Heemskerck, Senior Ecclesiæ Amstelodamensis.

EX ZELANDIA,

Godefridus Vdemannus, Pastor Ecclesiæ Ziriczeanæ. Cornelius Regius, Ecclesiæ Goesanæ Pastor. Lambertus de Rijcke, Ecclesiæ Bergizomianæ Pastor. Iosias Vosbergius, Senior Ecclesiæ Middelburgensis. Adrianus Hofferus, urbis Zirizææ Senator, & Ecclesiæ ibidem Senior,

EX PROVINCIA VLTRAIECTINA,

Iohannes Dibbezius, Pastor Dordracenus, Synodi Orthodoxæ Vltrajectinæ Deputatus. Arnoldus Oortcampius, Ecclesiæ Amersfortianæ Pastor.

EX FRISIA.

Florentius Iohannis, Iesu Christi crucifixi Servus in Ecclesia Snecana. Philippus Danielis Eilshemius, Pastor Ecclesiæ Harlingensis. Kempo Harinxma à Donia, Senior Ecclesiæ Leoverdiensis. Tacitus ab Aysma, Senior Ecclesiæ in Buirgirdt, Hichtum, & Hartvvardt.

EX TRANSISVLANIA,

Casparus Sibelius, Pastor Ecclesiæ Daventriensis. Hermannus VViferding, Ecclesiæ Svvollanæ in Evangelio Christi Minister. Hieronymus Vogelius, Hasseltanæ Ecclesiæ Pastor, tempore deputationis inserviens Ecclesiæ Orthodoxæ Campensi. Iohannes Langius, Ecclesiastes Vollenhovianus. VVilhelmus à Broickhuysen ten Doerne, tanquam Senior deputatus. Iohannes à Lauvvick, tanquam Senior deputatus.

EX

EX CIVITATE GRONINGENSI ET OMLANDIIS,

Cornelius Hillenius, Servus Iesu Christi in Ecclesia Groningana. Georgius Placius, Pastor Ecclesiæ Appingadammonensis. VVolfgangus Agricola, Pastor Ecclesiæ Bedumanæ. VVigboldus Homerus, Ecclesiæ Miduvoldanæ Pastor. Egbertus Halbes, Ecclesiæ Groninganæ Senior. Iohannes Rufelaert, Senior Ecclesiæ Stedumanæ.

EX DRENTIA.

Themo ab Asscheberg, Pastor Ecclesiæ Meppelensis. Patroclus Romelingius, Pastor Ecclesiæ Rhuinensis.

EX ECCLESIIS GALLO-BELGICIS,

Daniel Colonius, Pastor Ecclesiæ Leydensis, & Regens Collegij Gallo-Belgici in Academia Leydensi. Iohannes Crucius, Pastor Ecclesiæ Haerlemensis. Iohannes Doucher, Pastor Ecclesiæ Flissinganæ. Ieremias de Pours, Ecclesiæ Gallo-Belgicæ Middelburgensis Pastor. Everardus Beckerus, Senior Ecclesiæ Gallo-Belgicæ Middelburgensis. Petrus Pontanus, Senior Ecclesiæ Amstelodamensis.

SECVNDVM DOCTRINÆ CAPVT

DE

MORTE CHRISTI

&

HOMINVM PER EAM REDEMPTIONE,

Articulus primus.

DEvs non tantum est summe misericors, sed etiam summe justus. Postulat autem ejus justitia [prout se in verbo revelavit] ut peccata nostra, adversus infinitam ejus Majestatem commissa, non tantum temporalibus, sed etiam æternis, tum animi, tum corporis pœnis, puniantur: quas pœnas effugere non possumus, nisi justitiæ Dei satisfiat.

II.

Cum vero ipsi satisfacere, & ab ira Dei nos liberare non possimus, Deus ex immensa misericordia Filium suum unigenitum nobis sponsorem dedit, qui, ut pro nobis satisfaceret, peccatum & maledictio in cruce pro nobis, seu vice nostra, factus est.

Hæc

III.

Hæc Mors Filij Dei eſt unica & perfectiſſima pro peccatis victima & ſatisfactio, infiniti valoris & pretij, abunde ſufficiens ad totius mundi peccata expianda.

IV.

Ideo autem hæc Mors tanti eſt valoris & pretij, quia perſona, quæ eam ſubijt, non tantum eſt verus & perfecte ſanctus homo, ſed etiam unigenitus Dei Filius, ejuſdem æternæ & infinitæ cum Patre & Spiritu S. eſſentiæ, qualem noſtrum Servatorem eſſe oportebat. Deinde, quia mors ipſius fuit conjuncta cum ſenſu iræ Dei & maledictionis, quam nos peccatis noſtris eramus commeriti.

V.

Cæterum promiſsio Evangelij eſt, ut quiſquis credit in Chriſtum crucifixum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Quæ promiſſio omnibus populis & hominibus, ad quos Deus pro ſuo beneplacito mittit Evangelium, promiſcue & indiſcriminatim annunciari & proponi debet cum reſipiſcentiæ & fidei mandato.

VI.

Quod autem multi per Evangelium vocati non reſipiſcunt, nec in Chriſtum credunt, ſed in infidelitate pereunt, non fit hoſtiæ Chriſti in cruce oblatæ defectu, vel inſufficientia, ſed propria ipſorum culpa.

VII.

Quotquot autem vere credunt, & per mortem Chriſti à peccatis & interitu liberantur ac ſervantur, illis hoc beneficium, ex ſola Dei gratia, quam nemini debet, ab æterno ipſis in Chriſto data, obtingit.

VIII.

Fuit enim hoc Dei Patris liberrimum conſilium, & gratioſiſſima voluntas atque intentio, ut mortis pretioſiſſimæ Filij ſui vivifica & ſalvifica efficacia ſeſe exereret in omnibus electis, ad eos ſolos fide juſtificante donandos, & per eam ad ſalutem infallibiliter perducendos: hoc eſt, voluit Deus, ut Chriſtus per ſanguinem crucis [quo novum fœdus confirmavit] ex omni populo, tribu, gente, & lingua, eos omnes & ſolos, qui ab æterno ad ſalutem electi, & à Patre ipſi dati ſunt, efficaciter redimeret, fide [quam, ut & alia Spiritus ſancti ſalvifica dona, ipſis morte ſua acquiſivit] donaret, ab omnibus peccatis, tum originali, tum actualibus, tam poſt, quam ante fidem commiſſis ſanguine ſuo mundaret, ad finem uſque fideliter cuſtodiret, tandemque abſque omni labe & macula glorioſos coram ſe ſiſteret.

Hoc

IX.

Hoc consilium, ex æterno erga electos amore profectum ab initio mundi in præsens usque tempus, frustra obnitentibus inferorum portis, potenter impletum fuit, & deinceps quoque implebitur: ita quidem ut electi suis temporibus in unum colligantur, & semper sit aliqua credentium Ecclesia in sanguine Christi fundata, quæ illum Servatorem suum, qui pro ea, tanquam sponsus pro sponsa, animam suam in cruce exposuit, constanter diligat, perseveranter colat, atque hic & in omnem æternitatem celebret.

REIECTIO ERRORVM.

Exposita doctrina Orthodoxa rejicit Synodus Errores eorum.

I.

QVI docent, *Quod Deus Pater Filium suum in mortem crucis destinaverit, sine certo ac definito consilio quenquam nominatim salvandi, adeo ut impetrationi mortis Christi sua necessitas, utilitas, dignitas sarta tecta, & numeris suis perfecta, completa atque integra constare potuisset, etiamsi impetrata redemptio nulli individuo unquam actu ipso fuisset applicata.* Hæc enim assertio, in Dei Patris sapientiam meritumque Iesu Christi contumeliosa, & Scripturæ contraria est. Sic enim ait Servator: *Ego animam pono pro ovibus, & agnosco eas.* Iohan. 10. vers. 15. 27. Et de Servatore, Esaias Propheta: *Cum posuerit se sacrificium pro reatu, videbit semen, prolongabit dies, & voluntas Iehovæ in manu ejus prosperabitur.* Esai. 53. 10. Denique, Articulum Fidei, quo Ecclesiam credimus, evertit.

II.

Qui docent, *Non fuisse hunc finem mortis Christi, ut novum gratiæ fœdus suo sanguine reipsa sanciret, sed tantum, ut nudum jus Patri acquireret, quodcumque fœdus, vel gratiæ, vel operum, cum hominibus denuo ineundi.* Hoc enim repugnat Scripturæ, quæ docet, Christum *melioris*, id est, novi *fœderis sponsorem & mediatorem factum esse.* Hebr. 7. 22. Et, *Testamentum in mortuis demum ratum esse.* Hebr. 9. 15. 17.

III.

Qui docent, *Christum per suam satisfactionem, nullis certo meruiße ipsam salutem & fidem, qua hæc Christi satisfactio ad salutem efficaciter applicetur, sed tantum Patri acquisivisse potestatem vel plenariam voluntatem, de novo cum hominibus agendi, & novas quascumque vellet conditiones præscribendi, quarum præstatio à libero hominis arbitrio pendeat, atque ideo fieri potuisse, ut vel nemo, vel omnes eas implerent.* Hi enim de morte Christi nimis abjecte sentiunt, primarium fructum seu beneficium per eam partum, nullatenus agnoscunt, & Pelagianum errorem ab inferis revocant.

Qui

IV.

Qui docent, *Fœdus illud novum Gratiæ, quod Deus Pater, per mortis Christi interventum cum hominibus pepigit, non in eo consistere, quod per fidem quatenus meritum Christi apprehendit, coram Deo justificemur & salvemur; sed in hoc, quod Deus abrogata perfectæ obedientiæ legalis exactione, fidem ipsam & fidei obedientiam imperfectam, pro perfecta Legis obedientia reputet, & vitæ æternæ præmio gratiose dignam censeat.* Hi enim contradicunt Scripturæ, *Justificantur gratis, eius gratia, per redemptionem factam in Iesu Christo, quem proposuit Deus placamentum per fidem in sanguine eius.* Rom. 3. vers. 24. 25. Et cum impio Socino, novam & peregrinam hominis coram Deo Iustificationem, contra totius Ecclesiæ consensum, inducunt.

V.

Qui docent, *Omnes homines in statum reconciliationis & gratiam fœderis esse assumptos, ita ut nemo propter peccatum originale sit damnationi obnoxius aut damnandus, sed omnes ab istius peccati reatu sint immunes.* Hæc enim sententia repugnat Scripturæ affirmanti, *nos natura esse filios iræ.*

VI.

Qui impetrationis & applicationis distinctionem usurpant, ut incautis & imperitis hanc opinionem instillent: Deum, quantum ad se attinet, omnibus hominibus ex æquo ea beneficia voluisse conferre, quæ per mortem Christi acquiruntur, quod autem quidam præ aliis participes fiant remissionis peccatorum, & vitæ æternæ, discrimen illud pendere ex libero eorum arbitrio se ad gratiam indifferenter oblatam applicante, non autem ex singulari misericordiæ dono efficaciter in illis operante, ut præ alijs gratiam illam sibi applicent. Nam isti, dum simulant se distinctionem hanc sano sensu proponere, populo perniciosum Pelagianismi venenum conantur propinare.

VII.

Qui docent, *Christum pro ijs quos Deus summe dilexit & ad vitam æternam elegit, mori nec potuisse, nec debuisse, nec mortuum esse, cum talibus morte Christi non sit opus.* Contradicunt enim Apostolo dicenti: *Christus dilexit me, & tradidit seipsum pro me.* Galat. 2. vers. 20. Item, *Quis est, qui crimina intentet adversus Electos Dei? Deus est is, qui iustificat. Quis est qui condemnet? Christus est, qui mortuus est*, Romanorum 8. vers. 33. nimirum, pro illis. Et Salvatori asseveranti, *Ego pono animam meam pro ovibus meis.* Iohann. 10. vers. 15. Et, *Hoc est præceptum meum, ut diligatis alij alios, sicut ego dilexi vos; Maiorem dilectionem nemo habet, quam ut ponat animam suam pro amicis.* Iohann. 15. vers. 12. 13.

Ita nos sentire & judicare, manuum nostrarum subscriptione testamur,

Iohannes Bogermannus, Pastor Ecclesiæ Leovardiensis, & Synodi Præses. Iacobus Rolandus, Pastor Ecclesiæ Amstelodamensis, & Præsidis Assessor. Hermannus Faukelius, Pastor

Digitized by Google

Ecclesiæ Middelburgensis, & Præsidis Assessor. Sebastianus Damman, Pastor Ecclesiæ Zutphaniensis, & Synodi Scriba. Festus Hommius, Pastor Ecclesiæ Leydensis, & Synodi Scriba.

EX MAGNA BRITANNIA,

Georgius, Episcopus Landavensis. Iohannes Davenantius, Presbyter: Doctor ac Sacræ Theologiæ publicus Professor in Academia Cantabrigiensi, & Collegij Reginalis ibidem Præses. Samuel VVardus, Presbyter: SS. Theologiæ Doctor, Archidiaconus Fauntonnensis, & Collegij Sidneyani in Academia Cantabrigiensi Præfectus. Thomas Goadus, Presbyter: SS. Theologiæ Doctor, Cathedralis Ecclesiæ Paulinæ Londinensis Præcentor. Gualterus Balcanquallus, Scoto-Britannus, Presbyter, S. Theologiæ Baccalaureus.

EX PALATINATV ELECTORALI,

Abrahamus Scultetus, S. Theologiæ Doctor & Professor in Academia Heydelbergensi. Paulus Tossanus, S. Theologiæ Doctor, & Consiliarius in Senatu Ecclesiastico inferioris Palatinatus. Henricus Alting, S. Theologiæ Doctor, & Professor in Academia Heydelbergensi.

EX HASSIA,

Georgius Cruciger, S. Theologiæ Doctor, Professor, & pro tempore Rector Academiæ Marpurgensis. Paulus Steinius, Concionator Aulicus & S. Theologiæ in Collegio Nobilitatis Adelphico Mauritiano Professor Cassellis. Daniel Angelocrator, Ecclesiæ Marpurgensis Pastor & vicinarum ad Lanum & AEderam Superintendens. Rodolphus Goclenius, Senior, Philosophiæ Purioris in Academia Marpurgensi Antecessor primarius, & nunc Decanus.

EX HELVETIA,

Ioannes Iacobus Breytingerus, Ecclesiæ Tigurinæ Pastor. Marcus Rutimeyerus, S. Theologiæ Doctor & Ecclesiæ Bernensis Minister. Sebastianus Beckius, SS. Theologiæ Doctor, & Novi Testamenti Professor in Academia Basiliensi, ibidemque Facultatis Theologicæ Decanus. VVolgangus Mayerus, SS. Theologiæ Doctor, Ecclesiæ Basileensis Pastor. Iohannes Conradus Kochius Ecclesiæ Scaphusianæ Minister.

A CORRESPONDENTIA, WEDDERAVICA,

Iohannes Henricus Alstedius, in Illustri Schola Nassovica, quæ est Herbornæ, Professor ordinarius. Georgius Fabricius, Ecclesiæ VVindeccensis in Comitatu Hannovico Pastor & vicinarum Inspector.

EX REPVBLICA ET ECCLESIA GENEVENSI,

Ioannes Deodatus, in Ecclesia Genevensi Pastor, & in eadem Schola SS. Theologiæ Professor. Theodorus Tronchinus, divini verbi Minister in Ecclesia Genevensi, & ibidem SS. Theologiæ Professor.

EX REPUBLICA ET ECCLESIA BREMENSI,

Matthias Martinius, Illustris Scholæ Bremensis Rector, & in ea Divinarum litterarum Professor. Henricus Isselburgh, S. Theologiæ Doctor, in Bremensi Ecclesia ad B. Virginis, Iesu Christi servus, in Schola Novi Testamenti Professor. Ludovicus Crocius, S. Theologiæ Doctor, Ecclesiæ Bremensis ad S. Martini Pastor, & in Illustri Schola Veteris Testamenti & Philosophiæ practicæ Professor.

EX

EX REPUBLICA ET ECCLESIA EMDANA,

Daniel Bernardus Eilshemius, Emdanæ Ecclesiæ Pastor Senior. Ritzius Lucas Grimershemius, Embdanæ Ecclesiæ Pastor.

SS. THEOLOGIÆ PROFESSORES BELGICI,

Iohannes Polyander, SS. Theologiæ Doctor, atque in Academia Leydensi Professor. Sibrandus Lubbertus, SS. Theologiæ Doctor, & Professor in Academia Frisiorum. Franciscus Gomarus, Sacrosanctæ Theologiæ Doctor, & Professor in Academia Groningæ & Omlandiæ. Antonius Thysius, sacræ Theologiæ in Illustri Schola Geldro-Velavica, quæ est Hardervici, Professor. Antonius VValæus, Pastor Ecclesiæ Middelburgensis, & ex eiusdem urbis Illustri Schola inter Theologos ad Synodum evocatus.

EX DVCATV GELDRIÆ ET COMITATV ZVTPHANIENSI,

Gulielmus Stephani, SS. Theologiæ Doctor, & Arnhemiensis Ecclesiæ Pastor. Ellardus à Mehen, Ecclesiæ Hardrovicenæ Pastor. Iohannes Bouillet, Pastor Ecclesiæ VVarnsfeldensis. Iacobus Verheyden, Senior Ecclesiæ Noviomagensis, & Scholæ Rector.

EX HOLLANDIA AVSTRALI,

Balthasar Lydius, M. F. Pastor Ecclesiæ Dei in urbe Dordrechto. Henricus Arnoldi, Ecclesiastes Delphensis. Gisbertus Voetius, Ecclesiæ Heusdanæ Pastor. Arnoldus Musius ab Holy, Baillivus Suyd-Hollandiæ, Senior Ecclesiæ Dordrechtanæ. Iohannes de Laet, Senior Ecclesiæ Leydensis.

EX HOLLANDIA BOREALI,

Iacobus Triglandius, Pastor Ecclesiæ Amstelodamensis. Abrahamus à Doreslaer, Pastor Ecclesiæ Enchusanæ. Samuel Bartholdus, Pastor Ecclesiæ Monachodamensis. Theodorus Heyngius, Senior Ecclesiæ Amstelodamensis. Dominicus ab Heemskerck, Senior Ecclesiæ Amstelodamensis.

EX ZELANDIA,

Godefridus Udemannus, Pastor Ecclesiæ Ziriczeanæ. Cornelius Regius, Ecclesiæ Goesanæ Pastor. Lambertus de Rycke, Ecclesiæ Bergizomianæ Pastor. Iosias Vosbergius, Senior Ecclesiæ Middelburgensis. Adrianus Hofferus, urbis Ziriżææ Senator, & Ecclesiæ ibidem Senior.

EX PROVINCIA VLTRAIECTINA,

Iohannes Dibbezius, Pastor Dordracenus, Synodi Orthodoxæ Vltrajectinæ Deputatus. Arnoldus Oortcampius, Ecclesiæ Amersfortianæ Pastor.

EX FRISIA.

Florentius Iohannis, Iesu Christi crucifixi Servus in Ecclesia Sneecana. Philippus Danielis Eilshemius, Pastor Ecclesiæ Harlingensis. Kempo Harinxma à Donia, Senior Ecclesiæ Leovardiensis. Tacitus ab Aysma, Senior Ecclesiæ in Buirgirdt, Hichtum, & Hartvvardt.

EX TRANSISVLANIA,

Casparus Sibelius, Pastor Ecclesiæ Daventriensis. Hermannus VViferding, Ecclesiæ Svvollanæ in Evangelio Christi Minister. Hieronymus Vogelius, Hasseltanæ Ecclesiæ Pastor, tempore deputationis inserviens Ecclesiæ Orthodoxæ Campensi. Iohannes Langius, Ecclesiastes

siastes Vollenhovianus. VVilhelmus à Broickhuysen ten Doerne, tanquam Senior deputatus. Iohannes à Lauvvick, tanquam Senior deputatus.

EX CIVITATE GRONINGENSI ET OMLANDIIS,

Cornelius Hillenius, Servus Iesu Christi in Ecclesia Groningana. Georgius Placius, Pastor Ecclesiæ Appingadammonensis. VVolfgangus Agricola, Pastor Ecclesiæ Bedumanæ. VVigboldus Homerus, Ecclesiæ Midvvoldanæ Pastor. Egbertus Halbes, Ecclesiæ Groninganæ Senior. Iohannes Ruselaert, Senior Ecclesiæ Stedumanæ.

EX DRENTIA,

Themo ab Asscheberg, Pastor Ecclesiæ Meppelensis. Patroclus Romelingius, Pastor Ecclesiæ Rhuinensis.

EX ECCLESIIS GALLOBELGICIS,

Daniel Colonius, Pastor Ecclesiæ Leydensis, & Regens Collegij Gallo-Belgici in Academia Leydensi. Ioannes Crucius, Pastor Ecclesiæ Haerlemensis. Ioannes Doucher, Pastor Ecclesiæ Flissinganæ. Ieremias de Pours, Ecclesiæ Gallo-Belgicæ Middelburgensis Pastor. Everardus Beckerus, Senior Ecclesiæ Gallo-Belgicæ Middelburgensis. Petrus Pontanus, Senior Ecclesiæ Amstelodamensis.

TERTIVM ET QVARTVM DOCTRINÆ CAPVT DE HOMINIS CORRVPTIONE ET CONVERSIONE ad Deum, ejusque modo.

Articulus Primus.

HOmo ab initio ad imaginem Dei conditus, vera & salutari sui Creatoris & rerum spiritualium notitia in mente, & justitia in voluntate & corde, puritate in omnibus affectibus exornatus, adeoque totus sanctus fuit: sed diaboli instinctu, & libera sua voluntate à Deo desciscens, eximijs istis donis seipsum orbavit: atque è contrario eorum loco cœcitatem, horribiles tenebras, vanitatem ac perversitatem judicij in mente, malitiam, rebellionem, ac duritiem in voluntate, & corde, impuritatem denique in omnibus affectibus contraxit.

II.

Qualis autem post lapsum fuit homo, tales & liberos procreavit, corruptus nempe corruptos: corruptione ab Adamo in omnes posteros, solo Christo excepto, non per imitationē (quod Pelagiani olim voluerunt) sed per vitiosæ naturę propagationem, justo Dei judicio, derivata.

III.

Itaque omnes homines in peccato concipiuntur, & filij iræ nascuntur, inepti ad omne bonum salutare, propensi ad malum, in peccatis mortui, & peccati servi; & absque Spiritus Sancti regenerantis gratia, ad Deum redire, naturam depravatam corrigere, vel ad ejus correctionem se disponere nec volunt, nec possunt.

Residuum

Digitized by Google

IV.

Residuum quidem est post lapsum in homine lumen aliquod naturæ, cujus beneficio ille notitias quasdam de Deo, de rebus naturalibus, de discrimine honestorum & turpium retinet, & aliquod virtutis ac disciplinæ externæ studium ostendit: Sed tantum abest ut hoc naturæ lumine ad salutarem Dei cognitionem pervenire, & ad eum se convertere possit, ut ne quidem eo in naturalibus ac civilibus recte utatur. Quinimo qualecunque id demum sit, id totum varijs modis contaminet, atque in injustitia detineat. Quod dum facit, coram Deo inexcusabilis redditur.

V.

Quæ luminis naturæ, eadem hic Decalogi per Mosen à Deo Iudæis peculiariter traditi est ratio. Cum enim is magnitudinem quidem peccati retegat, ejusque hominem magis ac magis reum peragat, sed nec remedium exhibeat, nec vires emergendi ex miseria conferat, adeoque per carnem infirmatus transgressorem in maledictione relinquat, non potest homo per eum salutarem gratiam obtinere.

VI.

Quod igitur nec lumen naturæ, nec lex potest, id Spiritus sancti virtute præstat Deus, per sermonem, sive ministerium reconciliationis, quod est Euangelium de Messia, per quod placuit Deo homines credentes, tam in Veteri quam in Novo Testamento, servare.

VII.

Hoc voluntatis suæ mysterium Deus in Veteri Testamento paucioribus patefecit; in Novo Testamento pluribus, sublato jam populorum discrimine, manifestat. Cujus dispensationis caussa, non in gentis unius præ alia dignitate, aut meliore luminis naturæ usu, sed in liberrimo beneplacito, & gratuita dilectione Dei est collocanda. Vnde illi, quibus præter & contra omne meritum tanta fit gratia, eam humili & grato corde agnoscere, in reliquis autem, quibus ea gratia non fit, severitatem & justitiam judiciorum Dei cum Apostolo adorare, nequaquam vero curiose scrutari debent.

VIII.

Quotquot autem per Euangelium vocantur, serio vocantur. Serio enim & verissime ostendit Deus verbo suo, quid sibi gratum sit. nimirum, ut vocati ad se veniant. Serio etiam omnibus ad se venientibus & credentibus requiem animarum & vitam æternam promittit.

IX.

Quod multi per Ministerium Euangelij vocati, non veniunt & non convertuntur, hujus culpa non est in Euangelio, nec in Christo per Euangelium oblato, nec in Deo per Euangelium vocante, & dona etiam varia ijs conferente, sed in vocatis ipsis, quorum aliqui verbum vitæ non admit-

tunt securi, alij admittunt quidem, sed non in cor immittunt: ideoque post evanidum fidei temporariæ gaudium resiliunt; alij spinis curarum & voluptatibus sæculi semen verbi suffocant, fructusque nullos proferunt. Quod Servator noster seminis parabola docet, Matth. cap. 13.

X.

Quod autem alij, per ministerium Euangelij vocati veniunt & convertuntur, id non est adscribendum homini, tanquam seipsum per liberum arbitrium ab aliis pari vel sufficiente gratia ad fidem & conversionem instructis discernenti, (quod superba Pelagij hæresis statuit) sed Deo, qui ut suos ab æterno in Christo elegit, ita eosdem in tempore efficaciter vocat, fide & resipiscentia donat, & è potestate tenebrarum erutos in Filij sui regnum transfert; ut virtutes ejus, qui ipsos è tenebris in admirandam hanc lucem vocavit, prædicent, & non in se, sed in Domino, glorientur, Scriptura Apostolica passim id testante.

XI.

Cæterum, quando Deus hoc suum beneplacitum in electis exequitur, seu veram in ijs conversionem operatur, non tantum Euangelium illis externe prædicari curat, & mentem eorum per Spiritum sanctum potenter illuminat, ut recte intelligant & dijudicent quæ sunt Spiritus Dei; sed ejusdem etiam Spiritus regenerantis efficacia ad intima hominis penetrat, cor clausum aperit, durum emollit, præputiatum circumcidit, voluntati novas qualitates infundit, facitque eam ex mortua vivam, ex mala bonam, ex nolente volentem, ex refractaria morigeram, agitque & roborat eam, ut ceu arbor bona, fructus bonarum actionum proferre possit.

XII.

Atque hæc est illa tantopere in Scripturis prædicata regeneratio, nova creatio, suscitatio è mortuis, & vivificatio, quam Deus sine nobis, in nobis operatur. Ea autem neutiquam fit per solam forinsecus insonantem doctrinam, moralem suasionem, vel talem operandi rationem; ut post Dei (quoad ipsum) operationem, in hominis potestate maneat regenerari vel non regenerari, converti vel non converti; sed est plane supernaturalis, potentissima simul & suavissima, mirabilis, arcana, & ineffabilis operatio, virtute sua, secundum Scripturam (quæ ab Authore hujus operationis est inspirata) nec creatione, nec mortuorum resuscitatione minor, aut inferior; adeo ut omnes illi, in quorum cordibus admirando hoc modo Deus operatur, certo, infallibiliter, & efficaciter regenerentur, & actu credant. Atque tum voluntas jam renovata, non tantum agitur & movetur à Deo, sed à Deo acta, agit & ipsa. Quamobrem etiam homo ipse per gratiam istam acceptam, credere & resipiscere, recte dicitur.

XIII.

Modum hujus operationis fideles in hac vita plene comprehendere non possunt; in eo interim acquiescentes, quod per istam Dei gratiam, se corde credere, & Servatorem suum diligere, sciant ac sentiant.

Sic

Digitized by Google

XIV.

Sic ergo fides Dei donum est, non eo quod à Deo hominis arbitrio offeratur, sed quod homini reipsa conferatur, inspiretur, & infundatur. Non etiam quod Deus potentiam credendi tantum conferat, consensum vero seu actum credendi ab hominis deinde arbitrio expectet, sed quod & velle credere, & ipsum credere in homine is efficiat, qui operatur & velle & facere, adeoque omnia operatur in omnibus.

XV.

Hanc gratiam Deus nemini debet, Quid enim debeat ei, qui prior dare nihil potest, ut ei retribuatur? Imo quid debeat ei, qui de suo nihil habet, præter peccatum & mendacium? Qui ergo gratiam illam accipit, soli Deo æternas debet & agit gratias; Qui illam non accipit, is aut hæc spiritualia omnino non curat, & in suo sibi placet: aut securus se habere inaniter gloriatur, quod non habet. Porro de ijs, qui externe fidem profitentur, & vitam emendant, optime secundum exemplum Apostolorum judicandum & loquendum est: penetralia enim cordium nobis sunt incomperta. Pro alijs autem qui nondum sunt vocati, orandus est Deus, qui, quæ non sunt, vocat tanquam sint. Neutiquam vero adversus eos est superbiendum, ac si nosmetipsos discrevissemus.

XVI.

Sicuti verò per lapsum homo non desijt esse homo, intellectu & voluntate præditus, nec peccatum, quod universum genus humanum pervasit, naturam generis humani sustulit, sed depravavit, & spiritualiter occidit: ita etiam hæc divina regenerationis gratia, non agit in hominibus tanquam truncis & stipitibus, nec voluntatem ejusque proprietates tollit, aut invitam violenter cogit, sed spiritualiter vivificat, sanat, corrigit, suaviter simul ac potenter flectit: ut ubi antea plene dominabatur carnis rebellio & resistentia, nunc regnare incipiat prompta, ac sincera Spiritus obedientia; in quo vera & spiritualis nostræ voluntatis instauratio & libertas consistit. Qua ratione, nisi admirabilis ille omnis boni opifex nobiscum ageret, nulla spes esset homini surgendi è lapsu per liberum arbitrium, per quod se, cum staret, præcipitavit in exitium.

XVII.

Quemadmodum etiam omnipotens illa Dei operatio, qua vitam hanc nostram naturalem producit & sustentat, non excludit, sed requirit usum mediorum, per quæ Deus pro infinita sua sapientia & bonitate virtutem istam suam exercere voluit: ita & hæc prædicta supernaturalis Dei operatio, qua nos regenerat, neutiquam excludit, aut evertit usum Euangelij, quod sapientissimus Deus in semen regenerationis, & cibum animæ ordinavit. Quare, ut Apostoli, & qui eos secuti sunt Doctores, de gratia hac Dei ad ejus gloriam, & omnis superbiæ

 depressio-

depressionem, pie populum docuerunt, neque tamen interim sanctis Evangelij monitis, sub Verbi, Sacramentorum, & Disciplinæ exercitio, eum continere neglexerunt: sic etiamnum, absit, ut docentes aut discentes in Ecclesia Deum tentare præsumant, ea separando, quæ Deus pro suo beneplacito voluit esse conjunctissima: Per monita enim confertur gratia, & quo nos officium nostrum facimus promptius; hoc ipso Dei in nobis operantis beneficium solet esse illustrius, rectissimeque ejus opus procedit, cui soli omnis, & mediorum, & salutaris eorum fructus atque efficaciæ debetur gloria in secula. Amen.

REIECTIO ERRORUM.

Exposita doctrina Orthodoxa, Synodus rejicit Errores eorum,

I.

Qui docent, *Proprie dici non posse, quod peccatum originis per se sufficiat toti generi humano condemnando, aut temporales & æternas pœnas promerendo.* Contradicunt enim Apostolo, dicenti Rom. 5. vers. 12. *Per unum hominem peccatum in mundum introijt, ac per peccatum mors, & ita in omnes homines mors transijt, in quo omnes peccaverunt.* Et vers. 16. *Reatus ex uno introijt ad condemnationem.* Item, Rom. 6. vers. 23. *Peccati stipendium mors est.*

II.

Qui docent, *Dona spiritualia, sive habitus bonos, & virtutes, ut sunt bonitas, sanctitas, justitia, in voluntate hominis, cum primum crearetur, locum habere non potuisse, ac proinde nec in lapsu ab ea separari.* Pugnat enim hoc cum descriptione imaginis Dei, quam Apostolus ponit Ephes. 4. vers. 24. ubi illam describit ex justitia & sanctitate, quæ omnino in voluntate locum habent.

III.

Qui docent, *Dona spiritualia non esse in morte spirituali ab hominis voluntate separata, cum ea in sese nunquam corrupta fuerit, sed tantum per tenebras mentis, & affectuum inordinationem impedita: quibus impedimentis sublatis, liberam suam facultatem sibi insitam exerere, id est, quodvis bonum sibi propositum, ex se aut velle, sive eligere; aut non velle, sive non eligere posse.* Novum hoc & erroneum est, atque eo facit ut extollantur vires liberi arbitrij, contra Ieremiæ Prophetæ dictum Cap. 17. vers. 9. *Fraudulentum est cor ipsum supra omnia & perversum:* Et Apostoli, Ephes. 2. 3. *Inter quos* (homines contumaces) *& nos omnes conversati sumus olim in cupiditatibus carnis nostræ, facientes voluntates carnis ac cogitationum.*

Qui

IV.

Qui docent, *Hominem irregenitum non esse proprie, nec totaliter in peccatis mortuum, aut omnibus ad bonum spirituale viribus destitutum, sed posse justitiam vel vitam esurire ac sitire, sacrificiumque Spiritus contriti, & contribulati, quod Deo acceptum est, offerre:* Adversantur enim hæc apertis Scripturæ testimoniis, Ephes. 2. 1. 5. *Eratis mortui in offensis & peccatis.* &, Genes. 6. 5. & 8. 21. *Imaginatio cogitationum cordis hominis, tantummodo mala est omni die.* Adhæc liberationem ex miseria & vitam esurire ac sitire, Deoque sacrificium Spiritus contriti offerre, regenitorum est, & eorum qui beati dicuntur. Psal. 51. 19. & Matth. 5. 6.

V.

Qui docent, *Hominem corruptum & animalem gratia communi, quæ ipsis est lumen naturæ, sive donis post lapsum relictis, tam recte uti posse, ut bono isto usu majorem gratiam, puta Euangelicam, sive salutarem, & salutem ipsam gradatim obtinere possit. Et hac ratione Deum se ex parte sua paratum ostendere, ad Christum omnibus revelandum, quandoquidem media ad Christi revelationem, fidem, & resipiscentiam necessaria, omnibus sufficienter & efficaciter administret:* Falsum enim hoc esse, præter omnium temporum experientiam, Scriptura testatur. Psal. 147. 19. 20. *Indicat verba sua Iacobo, statuta sua & jura sua Israeli, non fecit ita ulli genti, & jura ista non noverant.* Actor. 14. 16. *Deus sivit præteritis ætatibus, omnes gentes suis ipsarum viis incedere.* Actor. 16. 6. 7. *Prohibiti sunt* (Paulus cum suis) *à Spiritu Sancto loqui sermonem Dei in Asia.* Et, *Quum venissent in Mysiam, tentabant ire versus Bithyniam, sed non permisit eis Spiritus.*

VI.

Qui docent, *In vera hominis conversione, non posse novas qualitates, habitus, seu dona in voluntatem ejus à Deo infundi, atque adeo fidem, qua primum convertimur, & à qua fideles nominamur, non esse qualitatem seu donum à Deo infusum; sed tantum actum hominis, neque aliter donum dici posse, quam respectu potestatis ad ipsam perveniendi.* Contradicunt enim hæc Sacris Literis, quæ testantur Deum novas qualitates fidei, obedientiæ, ac sensus amoris sui, cordibus nostris infundere. Ierem. 31. 33. *Indam legem meam menti eorum, ac cordi eorum inscribam eam.* Esa. 44. vers. 3. *Effundam aquas super sitientem, & fluenta super aridam; effundam Spiritum meum super semen tuum.* Rom. 5. 5. *Charitas Dei effusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis:* Repugnant etiam continuæ praxi Ecclesiæ, sic apud Prophetam orantis, *Converte me Domine, & convertar*, Ierem. 31. vers. 18.

VII.

Qui docent, *Gratiam, qua convertimur ad Deum, nihil aliud esse quam lenem suasionem; seu* (ut alij explicant) *nobilissimum agendi modum in conversione hominis, & naturæ humanæ convenientissimum esse, qui fiat*

suasionibus;

ſuaſionibus; nihilque obſtare quo minus vel ſola moralis gratia, homines animales reddat Spirituales; imo Deum non aliter quam morali ratione conſenſum voluntatis producere: atque in eo conſiſtere operationis divinæ efficaciam, qua Satanæ operationem ſuperet, quod Deus æterna bona, Satan autem temporaria promittat. Omnino enim hoc Pelagianum eſt: & univerſæ Scripturæ contrarium, quæ præter hunc etiam alium, & longe efficaciorem ac diviniorem Spiritus Sancti agendi modum, in hominis converſione agnoſcit. Ezech. 36. 26. *Dabo vobis cor novum, & Spiritum novum dabo in medio veſtri, & auferam cor lapideum, daboque cor carneum.*

VIII.

Qui docent, *Deum in hominis regeneratione eas ſuæ omnipotentiæ vires non adhibere, quibus voluntatem eius ad fidem & converſionem potenter & infallibiliter flectat, Sed poſitis omnibus gratiæ operationibus, quibus Deus ad hominem convertendum utitur, hominem tamen Deo, & Spiritui regenerationem eius intendenti, & regenerare ipſum volenti, ita poſſe reſiſtere, & actu ipſo ſæpe reſiſtere, ut ſui regenerationem prorſus impediat, atque adeo in ipſius manere poteſtate, ut regeneretur vel non regeneretur.* Hoc enim nihil aliud eſt, quam tollere omnem efficaciam gratiæ Dei in noſtri Converſione, & actionem Dei omnipotentis ſubjicere voluntati hominis, idque contra Apoſtolos qui docent: *Nos credere pro efficacitate fortis roboris Dei.* Epheſ. 1. 19. Et, *Deum bonitatis ſuæ gratuitam benevolentiam & opus fidei potenter in nobis complere.* 2. Theſ. 1. 11. Item, *Divinam ipſius vim omnia nobis donaſſe, quæ ad vitam & pietatem pertinent.* 2. Pet. 1. 3.

IX.

Qui docent, *Gratiam & liberum arbitrium eſſe cauſſas partiales ſimul concurrentes ad Converſionis initium; nec gratiam ordine cauſalitatis, efficientiam voluntatis antecedere;* id eſt, *Deum non prius hominis voluntatem efficaciter iuvare ad Converſionem, quam voluntas ipſa hominis ſe movet ac determinat.* Hoc enim dogma Eccleſia priſca in Pelagianis jam olim condemnavit, ex Apoſtolo Rom. 9. 16. *Non eſt volentis nec currentis, ſed Dei miſerentis.* &, 1. Cor. 4. 7. *Quis te diſcernit?* &, *Quid habes quod non acceperis?* Item, Philip. 2. 13. *Deus eſt qui in vobis operatur ipſum velle & perficere pro ſuo beneplacito.*

Ita nos ſentire & judicare, manuum noſtrarum ſubſcriptione teſtamur,

Iohannes Bogermannus, Paſtor Eccleſiæ Leoverdienſis, & Synodi Præſes. *Iacobus Rolandus, Paſtor Eccleſiæ Amſtelodamenſis, & Præſidis Aſſeſſor.* *Hermannus Faukelius, Paſtor Eccleſiæ Middelburgenſis, & Præſidis Aſſeſſor.* *Sebaſtianus Damman, Paſtor Eccleſiæ Zutphanienſis, & Synodi Scriba.* *Feſtus Hommius, Paſtor Eccleſiæ Leydenſis, & Synodi Scriba.*

EX MAGNA BRITANNIA.

Georgius Episcopus Landavensis. Ioannes Davenantius, Presbyter, Doctor ac Sacræ Theologiæ publicus Professor in Academia Cantabrigiensi, & Collegij Reginalis ibidem Præses. Samuel VVardus, Presbyter, S. Theologiæ Doctor, Archidiaconus Faunionnensis, & Collegij Sidneyani in Academia Cantabrigiensi Præfectus. Thomas Goadus, Presbyter, S. Theologiæ Doctor, Cathedralis Ecclesiæ Paulinæ Londinensis Præcentor. Gualterus Balcanquallus Scoto-Britannus, Presbyter, S. Theologiæ Baccalaureus.

EX PALATINATV, ELECTORALI.

Abrahamus Sculterus, S. Theologiæ Doctor & Professor in Academia Heydelbergensi. Paulus Tossanus, S. Theologiæ Doctor, & Consiliarius in Senatu Ecclesiastico inferioris Palatinatus. Henricus Alting. S. Theologiæ Doctor, & Professor in Academia Heydelbergensi.

EX HASSIA,

Georgius Cruciger, S. Theologiæ Doctor, Professor, & pro tempore Rector Academiæ Marpurgensis. Paulus Steinius, Concionator Aulicus & S. Theologiæ in Collegio Nobilitatis Adelphico Mauritiano Professor Cassellis. Daniel Angelocrator, Ecclesiæ Marpurgensis Pastor & vicinarum ad Lanum & AEderam Superintendens. Rodolphus Goclenius, Senior, Philosophiæ purioris in Academia Marpurgensi Antecessor primarius, & nunc Decanus.

EX HELVETIA,

Iohannes Iacobus Breytingerus, Ecclesiæ Tigurinæ Pastor. Marcus Rutimeyerus, S. Theologiæ Doctor & Ecclesiæ Bernensis Minister. Sebastianus Beckius, SS. Theologiæ Doctor, & Novi Testamenti Professor in Academia Basileensi, ibidemque Facultatis Theologicæ Decanus. VVolgangus Mayerus, SS. Theologiæ Doctor, Ecclesiæ Basileensis Pastor. Iohannes Conradus Kochius, Ecclesiæ Schaphusianæ Minister.

A CORRESPONDENTIA WEDDERAVICA,

Iohannes-Henricus Alstedius in Illustri Schola Nassovica, quæ est Herbornæ, Professor ordinarius. Georgius Fabricius Ecclesiæ VVindecensis in Comitatu Hanovico Pastor & vicinarum Inspector.

EX REPVBLICA ET ECCLESIA GENEVENSI,

Ioannes Deodatus, in Ecclesia Genevensi Pastor, & in eadem Schola SS. Theologiæ Professor. Theodorus Tronchinus divini verbi Minister in Ecclesia Genevensi, & ibidem SS. Theologiæ Professor.

EX REPVBLICA ET ECCLESIA BREMENSI,

Matthias Martinius, Illustris Scholæ Bremensis Rector, & in ea Divinarum literarum Professor. Henricus Isselburg S. Theologiæ Doctor, in Bremensi Ecclesia ad B. Virginis Iesu Christi Pastor, & in Schola Novi Testamenti Professor. Ludovicus Crocius S. Theologiæ Doctor, Ecclesiæ Bremensis ad S. Martini Pastor, & in Illustri Schola Veteris Testamenti & Philosophiæ practicæ Professor.

EX

EX REPUBLICA ET ECCLESIA EMDANA.

Daniel Bernardus Eilshemius, Emdanæ Ecclesiæ Pastor Senior. Ritzius Lucas Grimersshemius, Embdanæ Ecclesiæ Pastor.

SS. THEOLOGIÆ PROFESSORES BELGICI,

Iohannes Polyander, SS. Theologiæ Doctor, atque in Academia Leydensi Professor. Sibrandus Lubbertus, SS. Theologiæ Doctor, & Professor in Academia Frisiorum. Franciscus Gomarus, Sacrosanctæ Theologiæ Doctor, & Professor in Academia Groningæ & Omlandiæ. Antonius Tysius, sacræ Theologiæ in Illustri Schola Geldro-Velavica, quæ est Hardervici, Professor. Antonius VValæus, Pastor Ecclesiæ Middelburgensis, & ex eiusdem urbis Illustri Schola inter Theologos ad Synodum evocatus.

EX DVCATV GELDRIÆ ET COMITATV ZVTPHANIENSI,

Gulielmus Stephani, SS. Theologiæ Doctor, & Arnhemiensis Ecclesiæ Pastor. Ellardus à Meben, Ecclesiæ Hardrovicenæ Pastor. Iohannes Bouillet, Pastor Ecclesiæ VVarnsfeldensis. Iacobus Verheyden, Senior Ecclesiæ Noviomagensis, & Scholæ Rector.

EX HOLLANDIA AVSTRALI,

Balthasar Lydius, M. F. Pastor Ecclesiæ Dei in urbe Dordrechto. Henricus Arnoldi, Ecclesiastes Delphensis. Gisbertus Voetius, Ecclesiæ Heusdanæ Pastor. Arnoldus Musius ab Holy, Ballivus Suyd-Hollandiæ, Senior Ecclesiæ Dordrechtanæ. Iohannes de Laet, Senior Ecclesiæ Leydensis.

EX HOLLANDIA BOREALI,

Iacobus Triglandius, Pastor Ecclesiæ Amstelodamensis. Abrahamus à Doreslaer, Pastor Ecclesiæ Enchusanæ. Samuel Bartholdus, Pastor Ecclesiæ Monachodamensis. Theodorus Heyngius, Senior Ecclesiæ Amstelodamensis. Dominicus ab Heemskerck, Senior Ecclesiæ Amstelodamensis.

EX ZELANDIA,

Godefridus Vdemannus, Pastor Ecclesiæ Ziriczeanæ. Cornelius Regius, Ecclesiæ Goesanæ Pastor. Lambertus de Rycke, Ecclesiæ Bergizomianæ Pastor. Iosias Vosbergius, Senior Ecclesiæ Middelburgensis. Adrianus Hofferus, urbis Ziriczeæ Senator, & Ecclesiæ ibidem Senior.

EX PROVINCIA VLTRAIECTINA,

Iohannes Dibbezius, Pastor Dordracenus, Synodi Orthodoxæ Vltrajectinæ Deputatus. Arnoldus Oortcampius, Ecclesiæ Amersfortianæ Pastor.

EX FRISIA.

Florentius Iohannis, Iesu Christi crucifixi Servus in Ecclesia Snecana. Philippus Danielis Eilshemius, Pastor Ecclesiæ Harlingensis. Kempo Harinxma à Donia, Senior Ecclesiæ Leoverdiensis. Tacitus ab Aysma, Senior Ecclesiæ in Buirgirdt, Hichtum, & Hartvvardt.

EX

Digitized by Google

EX TRANSISVLANIA,

Casparus Sibelius, Pastor Ecclesiæ Daventriensis. Hermannus VViferding, Ecclesiæ Svvollanæ in Evangelio Christi Minister. Hieronymus Vogelius, Hasseltanæ Ecclesiæ Pastor, tempore deputationis inserviens Ecclesiæ Orthodoxæ Campensi. Iohannes Langius, Ecclesiastes Vollenhovianus. VVilhelmus à Broickhuysen ten Doerne, tanquam Senior deputatus. Iohannes à Lauvvick, tanquam Senior deputatus.

EX CIVITATE GRONINGENSI ET OMLANDIIS,

Cornelius Hillenius, Servius Iesu Christi in Ecclesia Groningana. Georgius Placius, Pastor Ecclesiæ Appingadammonensis. VVolfgangus Agricola, Pastor Ecclesiæ Bedumanæ. VVigboldus Homerus, Ecclesiæ Midvvoldanæ Pastor. Egbertus Halbes, Ecclesiæ Groninganæ Senior. Iohannes Rufelaert, Senior Ecclesiæ Stedumanæ.

EX DRENTIA,

Themo ab Asscheberg, Pastor Ecclesiæ Meppelensis. Patroclus Romelingius, Pastor Ecclesiæ Rhunensis.

EX ECCLESIIS GALLO-BELGICIS,

Daniel Colonius, Pastor Ecclesiæ Leydensis, & Regens Collegij Gallo-Belgici in Academia Leydensi. Ioannes Crucius, Pastor Ecclesiæ Harlemensis. Ioannes Doucherus, Pastor Ecclesiæ Flissinganæ. Ieremias de Pours, Ecclesiæ Gallo-Belgicæ Middelburgensis Pastor. Everardus Beckerus, Senior Ecclesiæ Gallo-Belgicæ Middelburgensis. Petrus Pontanus, Senior Ecclesiæ Amstelodamensis.

QVINTVM DOCTRINÆ CAPVT DE

PERSEVERANTIA SANCTORVM.

I.

QUos Deus secundum propositum suum, ad communionem Filij sui Domini nostri Iesu Christi, vocat, & per Spiritum Sanctum regenerat, eos quidem & à peccati dominio & servitute, non autem à carne, & corpore peccati, penitus in hac vita liberat.

II.

Hinc quotidiana infirmitatis peccata oriuntur, & optimis etiam Sanctorum operibus nævi adhærescunt: quæ illis perpetuam sese coram Deo humiliandi, ad Christum crucifixum confugiendi, carnem magis ac magis, per Spiritum precum & sancta pietatis exercitia, mortificandi, & ad perfectionis metam suspirandi, materiam suggerunt: tantisper dum hoc mortis corpore soluti, cum Agno Dei in cælis regnent.

III.

Propter istas peccati inhabitantis reliquias, & mundi insuper ac Satanæ tentationes, non possent conversi in ista gratia perstare, si suis viribus permitterentur. Sed fidelis est Deus, qui ipsos in gratia semel collata misericorditer confirmat, & in eadem usque ad finem potenter conservat.

IV.

Etsi autem illa potentia Dei, vere fideles in gratia confirmantis & conservantis, maior est, quam quæ à carne superari possit; non semper tamen conversi ita à Deo aguntur & moventur, ut non possint in quibusdam actionibus particularibus à ductu gratiæ, suo vitio, recedere, & à carnis concupiscentiis seduci, iisque obsequi. Quapropter ipsis perpetuò est vigilandum & orandum, ne in tentationes inducantur. Quod cum non faciunt, non solum à carne, mundo, & Satana, in peccata etiam gravia & atrocia abripi possunt, verùm etiam interdum iusta Dei permissione abripiuntur. Quod tristes Davidis, Petri, aliorumque Sanctorum lapsus, in sacra Scriptura descripti, demonstrant.

V.

Talibus autem enormibus peccatis Deum valde offendunt, reatum mortis incurrunt, Spiritum S. contristant, fidei exercitium interrumpunt, conscientiam gravissime vulnerant, sensum gratiæ nonnunquam ad tempus amittunt: donec per seriam resipiscentiam in viam revertentibus paternus Dei vultus rursum affulgeat.

VI.

Deus enim, qui dives est misericordia, ex immutabili electionis proposito, Spiritum Sanctum, etiam in tristibus lapsibus, à suis non prorsus aufert; nec eousq; eos prolabi sinit, ut gratia Adoptionis, ac Iustificationis statu excidant, aut peccatum ad mortem, sive in Spiritum Sanctum committant, & ab eo penitus deserti, in exitium æternum sese præcipitent.

VII.

Primo enim in istis lapsibus conservat in illis semen illud suum immortale, ex quo regeniti sunt, ne illud pereat aut excutiatur. Deinde per verbum & Spiritum suum, eos certo & efficaciter renovat ad pœnitentiam, ut de admissis peccatis ex animo & secundum Deum doleant, remissionem in sanguine Mediatoris, per fidem, contrito corde, expetant, & obtineant, gratiam Dei reconciliati iterum sentiant, miserationes per fidem eius adorent, ac deinceps salutem suam cum timore & tremore studiosius operentur.

VIII.

Ita non suis meritis, aut viribus; sed ex gratuita Dei misericordia id ob-

id obtinent, ut nec totaliter fide & gratia excidant, nec finaliter in lapsibus maneant aut pereant. Quod quoad ipsos, non tantum facile fieri posset, sed & indubie fieret; respectu autem Dei, fieri omnino non potest: cum nec consilium ipsius mutari, promissio excidere, vocatio secundum propositum revocari, Christi meritum, intercessio, & custodia irrita reddi, nec Spiritus Sancti obsignatio frustranea fieri, aut deleri possit.

IX.

De hac electorum ad salutem custodia, vereque fidelium in fide perseverantia, ipsi fideles certi esse possunt, & sunt, pro mensura fidei, qua certo credunt se esse & perpetuo mansuros vera & viva Ecclesiæ membra, habere remissionem peccatorum, & vitam æternam.

X.

Ac proinde hæc certitudo non est ex peculiari quadam revelatione, præter aut extra Verbũ facta, sed ex fide promissionum Dei, quas in Verbo suo copiosissime in nostrum solatium revelavit: ex testimonio *Spiritus Sancti testantis cum Spiritu nostro nos esse Dei filios & hæredes.* Rom. 8. 16. Denique ex serio & sancto bonæ conscientiæ & bonorum operum studio. Atque hoc solido obtinendæ victoriæ solatio, & infallibili æternæ gloriæ arrha, si in hoc mundo Electi Dei destituerentur, omnium hominum essent miserrimi.

XI.

Interim testatur Scriptura fideles in hac vita cum variis carnis dubitationibus conflictari, & in gravi tentatione constitutos, hanc fidei plerophoriam, ac perseverantiæ certitudinem, non semper sentire. Verum Deus, Pater omnis consolationis, *supra vires tentari eos non sinit, sed cum tentatione præstat evasionem.* 1. Cor. 10. 13. ac per Spiritum Sanctum perseverantiæ certitudinem in iisdem rursum excitat.

XII.

Tantum autem abest, ut hæc perseverantiæ certitudo, vere fideles superbos, & carnaliter securos reddat, ut è contrario humilitatis, filialis reverentiæ, veræ pietatis, patientiæ in omni lucta, precum ardentium, constantiæ in cruce & veritatis confessione, solidique in Deo gaudij vera sit radix: & consideratio istius beneficij sit stimulus ad serium & continuum gratitudinis & bonorum operum exercitium; ut ex Scripturæ testimoniis & Sanctorum exemplis constat.

XIII.

Neque etiam in iis, qui à lapsu instaurantur, lasciviam aut pietatis incuriam procreat rediviva perseverantiæ fiducia; sed multo majorem curam, de viis Domini sollicite custodiendis, quæ præparatæ sunt, ut in illis ambulando perseverantiæ suæ certitudinem retineant, ne propter

paternæ benignitatis abusum propitij Dei facies, (cujus contemplatio pijs vita dulcior, subductio morte acerbior) denuo ab ipsis avertatur, & sic in graviores animi cruciatus incidant.

XIV.

Quemadmodum autem Deo placuit, opus hoc suum gratiæ per prædicationem Euangelij in nobis inchoare, ita per ejusdem auditum, lectionem, meditationem, adhortationes, minas, promissa, nec non per usum Sacramentorum, illud conservat, continuat, & perficit.

XV.

Hanc de vere credentium ac Sanctorum Perseverantia, ejusque certitudine, doctrinam, quam Deus ad nominis sui gloriam, & piarum animarum solatium in verbo suo abundantissime revelavit, cordibusque fidelium imprimit, caro quidem non capit, Satanas odit, mundus ridet, imperiti & hypocritæ in abusum rapiunt, Spiritusque erronei oppugnant; sed Sponsa Christi, ut inæstimabilis pretij thesaurum, tenerrime semper dilexit, & constanter propugnavit: quod ut porro faciat procurabit Deus, adversus quem nec consilium valere, nec robur ullum prævalere potest. Cui soli Deo, Patri, Filio, & Spiritui Sancto, sit honos & gloria in sempiternum. Amen.

REIECTIO ERRORVM CIRCA DOCTRINAM DE PERSEVERANTIA SANCTORVM.

Exposita doctrina Orthodoxa, Synodus rejicit Errores eorum,

I.

QVi docent, *Perseverantiam vere fidelium, non esse effectum Electionis, aut donum Dei, morte Christi partum, sed esse conditionem novi fœderis, ab homine ante sui Electionem ac Iustificationem* (ut ipsi loquuntur) *peremtoriam, libera voluntate præstandam.* Nam Sacra Scriptura testatur, eam ex Electione sequi, & vi mortis, resurrectionis & intercessionis Christi Electis donari. Rom. 11. 7. *Electio assecuta est, reliqui occalluerunt.* item Rom. 8. 32. *Qui proprio Filio non pepercit, sed pro omnibus nobis tradidit ipsum, quomodo non cum eo nobis omnia donabit? Quis intentabit crimina adversus Electos Dei? Deus est, qui iustificat. Quis est qui condemnet? Christus is est, qui mortuus est, imo qui etiam resurrexit, qui etiam sedet ad dexteram Dei, qui etiam intercedit pro nobis. Quis nos separabit à dilectione Christi?*

II.

Qui docent, *Deum quidem hominem fidelem sufficientibus ad perseverandum viribus instruere, ac paratum esse eas in ipso conservare, si officium faciat: positis*

positis tamen illis omnibus, quæ ad perseverandum in fide necessaria sunt, quæque Deus ad conservandam fidem adhibere vult, pendere semper à voluntatis arbitrio, ut perseveret, vel non perseveret. Hæc enim sententia manifestum Pelagianismum continet: & homines, dum vult facere liberos, facit sacrilegos, contra perpetuum Euangelicæ doctrinæ consensum, quæ omnem gloriandi materiam homini adimit, & huius beneficij laudem soli divinæ gratiæ transcribit: & contra Apostolum testantem: *Deum esse qui confirmabit nos usque in finem inculpatos in die Domini nostri Jesu Christi.* 1. Cor. 1. 8.

III.

Qui docent, *Vere credentes & regenitos non tantum posse à fide Iustificante, item gratia & salute totaliter & finaliter excidere, sed etiam reipsa non raro ex ijs excidere, atque in æternum perire.* Nam hæc opinio ipsam Iustificationis ac regenerationis gratiam, & perpetuam Christi custodiam irritam reddit, contra diserta Apostoli Pauli verba, Rom. 5. 9. *Si Christus pro nobis mortuus est, quum adhuc essemus peccatores, multo igitur magis, iam justificati in sanguine eius, servabimur per ipsum ab ira.* Et contra Apostolum Johannem, Ioh. 3. 9. *Omnis qui natus est ex Deo, non dat operam peccato: quia semen eius in eo manet, nec potest peccare, quia ex Deo genitus est.* Nec non contra verba Iesu Christi, Ioha. 10. 28. 29. *Ego vitam æternam do ovibus meis, & non peribunt in æternum, nec rapiet eas quisquam de manu mea; Pater meus, qui mihi eas dedit, maior est omnibus, nec ullus potest eas rapere de manu Patris mei.*

IV.

Qui docent, *Vere fideles ac regenitos posse peccare peccato ad mortem, vel in Spiritum Sanctum,* Quum idem Apostolus Iohan. cap. 5. postquam vers. 16. 17. peccantium ad mortem meminisset, & pro iis orare vetuisset, statim vers. 18. subiungat: *Scimus quod quisquis natus est ex Deo, non peccat* (nempe illo peccati genere) *sed qui genitus est ex Deo, conservat seipsum, & malignus ille non tangit eum.*

V.

Qui docent, *Nullam certitudinem futuræ perseverantiæ haberi posse in hac vita, absque speciali revelatione.* Per hanc enim doctrinam vere fidelium solida consolatio in hac vita tollitur, & Pontificiorum dubitatio in Ecclesiam reducitur. Sacra vero Scriptura passim hanc certitudinem, non ex speciali & extraordinaria revelatione, sed ex proprijs filiorum Dei signis, & constantissimis Dei promissionibus petit. Imprimis Apostolus Paulus, Ro. 8. 39. *Nulla res creata potest nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Jesu, Domino nostro.* Et Iohannes, Epist. 1. cap. 3. 34. *Qui servat mandata eius, in eo manet, & ille in eo: & per hoc novimus ipsum in nobis manere, ex Spiritu, quem dedit nobis.*

VI.

Qui docent, *Doctrinam de perseverantiæ ac salutis certitudine, ex natura & indole sua, esse carnis pulvinar, & pietati, bonis moribus, precibus aliisque sanctis exercitijs noxiam: Contra vero de ea dubitare, esse laudabile.* Hi enim demon-

ſtrant ſe efficaciam divinæ gratiæ, & inhabitantis Spiritus S. operationem ignorare: & contradicunt Apoſtolo Iohanni contrarium diſertis verbis affirmanti, Epiſt. 1. Cap. 3. 2. 3. *Dilecti mei, nunc filij Dei ſumus, ſed nondum patefactum eſt id quod erimus. Scimus autem fore, ut quum ipſe patefactus fuerit, ſimiles ei ſimus, quoniam videbimus eum, ſicuti eſt. Et quiſquis habet hanc ſpem in eo, purificat ſeipſum, ſicut & ille purus eſt.* Hi præterea Sanctorum tam Veteris quam Novi Teſtamenti exemplis redarguuntur, qui licet de ſua perſeverantia & ſalute eſſent certi, in precibus tamen, alijſque pietatis exercitijs, aſſidui fuerunt.

VII.

Qui docent, *Fidem temporariorum à juſtificante & ſalvifica fide non differre, niſi ſola duratione.* Nam Chriſtus ipſe Matth. 13. 20. & Luc. 8. 13. ac deinceps, triplex præterea inter temporarios & veros fideles diſcrimen manifeſto conſtituit, quum illos dicit ſemen recipere in terra petroſa, hos in terra bona, ſeu corde bono: illos carere radice, hos radicem firmam habere: illos fructibus eſſe vacuos, hos fructum ſuum diverſa menſura, conſtanter ſeu perſeveranter, proferre.

VIII.

Qui docent, *Non eſſe abſurdum, hominem priore regeneratione extincta, iterato, imo ſæpius renaſci.* Hi enim per hanc doctrinam negant ſeminis Dei, per quod renaſcimur, incorruptibilitatem: adverſus teſtimonium Apoſtoli Petri, Epiſt. 1. cap. 1. 23. *Renati non ex ſemine corruptibili, ſed incorruptibili.*

IX.

Qui docent, *Chriſtum nunquam rogaſſe pro infallibili credentium in fide Perſeverantia.* Contradicunt enim ipſi Chriſto, dicenti, Luc. 22. 32. *Ego rogavi pro te, Petre, ne deficiat fides tua*: Et Euangeliſtæ Iohanni, teſtanti, Ioh. 17. 20. Chriſtum non tantum pro Apoſtolis, ſed etiam pro omnibus, per ſermonem ipſorum crediturìs, oraſſe: verſ. 11. *Pater Sancte, conſerva eos in nomine tuo*: Et verſ. 15, *Non oro ut eos tollas è mundo, ſed ut conſerves eos à malo.*

CONCLVSIO.

Atque hæc eſt perſpicua, ſimplex, & ingenua Orthodoxæ de quinque Articulis in Belgio controverſis doctrinæ declaratio; & Errorum, quibus Eccleſiæ Belgicæ aliquamdiu ſunt perturbatæ, reiectio. quam Synodus ex verbo Dei deſumptam, & Confeſsionibus Reformatarum Eccleſiarum conſentaneam eſſe judicat. Unde liquido apparet eos, quos id minime decuit, citra omnem veritatem, æquitatem, & charitatem, populo inculcatum voluiſſe,

Doctrinam Eccleſiarum Reformatarum de Prædeſtinatione & annexis ei capitibus, proprio quodam genio atque impulſu, animos hominum ab omni pietate & religione abducere. Eſſe carnis & Diaboli pulvinar, arcemque Satanæ, ex qua omnibus inſidietur, plurimos ſauciet, & multos tum deſperationis, tum ſecuritatis jaculis

jaculis lethaliter configat: Eandem facere Deum autorem peccati, injustum, Tyrannum, Hypocritam; nec aliud esse quam interpolatum Stoicismum, Manicheismum, Libertinismum, Turcismum: Eandem reddere homines carnaliter securos, quippe ex ea persuasos Electorum saluti, quomodocunque vivant, non obesse, ideoque eos secure atrocissima quæque scelera posse perpetrare: Reprobis ad salutem non prodesse, si vel omnia Sanctorum opera vere fecerint: Eadem doceri Deum nudo puroque voluntatis arbitrio, absque omni ullius peccati respectu, vel intuitu, maximam mundi partem ad eternam damnationem prædestinasse & creasse: Eodem modo, quo electio est fons & caussa fidei ac bonorum operum, reprobationem esse caussam infidelitatis & impietatis: Multos fidelium infantes ab uberibus matrum innoxios abripi & tyrannice in gehennam præcipitari, adeo ut ijs nec Baptismus, nec Ecclesiæ in eorum Baptismo preces, prodesse queant. Et quæ eius generis sunt alia plurima, quæ Ecclesiæ Reformatæ non solum non agnoscunt, sed etiam toto pectore detestantur. Quare quotquot nomen Servatoris nostri Iesu Christi pie invocant, eos Synodus hæc Dordrechtana per nomen Domini obtestatur, ut de Ecclesiarum Reformatarum fide, non ex coacervatis hinc inde calumniis, vel etiam privatis nonnullorũ, tum Veterum, tum Recentium Doctorum dictis, sæpe etiam aut mala fide citatis, aut corruptis, & in alienum sensum detortis, sed ex publicis ipsarum Ecclesiarum Confessionibus, & ex hac Orthodoxæ doctrinæ declaratione, unanimi omnium & singulorum totius Synodi membrorum consensu firmata, judicent. Calumniatores deinde ipsos serio monet, viderint quam grave Dei judicium sint subituri, qui contra tot Ecclesiarum Confessiones, falsum testimonium dicunt, conscientias infirmorum turbant, multisque vere fidelium societatem suspectam reddere satagunt.

Postremo hortatur hæc Synodus omnes in Euangelio Christi Symmystas, ut in hujus doctrinę pertractione, in Scholis atq; in Ecclesiis, pie & religiose versentur, eam tum lingua, tum calamo, ad divini nominis gloriam, vitæ sanctitatem, & consternatorum animorum solatium accommodent, cum Scriptura secundum fidei analogiam non solum sentiant, sed etiam loquantur; à phrasibus denique ijs omnibus abstineant, quæ præscriptos nobis genuini Sanctarum Scripturarum sensus limites excedunt, & protervis sophistis justam ansam præbere possint, doctrinam Ecclesiarum Reformatarum sugillandi, aut etiam calumniandi. Filius Dei Iesus Christus, qui ad dextram Patris sedens dat dona hominibus, sanctificet nos in veritate, eos qui errant adducat ad veritatem, calumniatoribus sanæ doctrinæ ora obstruat, & fidos verbi sui Ministros Spiritu Sapientiæ & discretionis instruat, ut omnia ipsorum eloquia ad gloriam Dei, & ædificationem auditorum, cedant. Amen.

Ita nos sentire & judicare, manuum nostrarum subscriptione testamur,

Iohannes Bogermannus, Pastor Ecclesiæ Leoverdiensis, & Synodi Præses. Iacobus Rolandus, Pastor Ecclesiæ Amstelodamensis, & Præsidis Assessor. Hermannus Faukelius, Pastor

Ecclesiæ Middelburgensis, & Præsidis Assessor. Sebastianus Damman, Pastor Ecclesiæ Zutphaniensis, & Synodi Scriba. Festus Hommius, Pastor Ecclesiæ Leydensis, & Synodi Scriba.

EX MAGNA BRITANNIA,

Georgius, Episcopus Landavensis. Iohannes Davenantius, Presbyter: Doctor ac Sacræ Theologiæ publicus Professor in Academia Cantabrigiensi, & Collegij Reginalis ibidem Præses. Samuel VVardus, Presbyter: SS. Theologiæ Doctor, Archidiaconus Fauntonuensis, & Collegij Sidneyani in Academia Cantabrigiensi Præfectus. Thomas Goadus, Presbyter: SS. Theologiæ Doctor, Cathedralis Ecclesiæ Paulinæ Londinensis Præcentor. Gualterus Balcanquallus, Scoto-Britannus, Presbyter, S. Theologiæ Baccalaureus.

EX PALATINATV ELECTORALI,

Abrahamus Scultetus, S. Theologiæ Doctor & Professor in Academia Heydelbergensi. Paulus Tossanus, S. Theologiæ Doctor, & Consiliarius in Senatu Ecclesiastico inferioris Palatinatus. Henricus Alting, S. Theologiæ Doctor, & Professor in Academia Heydelbergensi.

EX HASSIA,

Georgius Cruciger, S. Theologiæ Doctor, Professor, & pro tempore Rector Academiæ Marpurgensis. Paulus Steinius, Concionator Aulicus & S. Theologiæ in Collegio Nobilitatis Adelphico Mauritiano Professor Cassellis. Daniel Angelocrator, Ecclesiæ Marpurgensis Pastor & vicinarum ad Lanum & AEderam Superintendens. Rodolphus Goclenius, Senior, Philosophiæ Purioris in Academia Marpurgensi Antecessor primarius, & nunc Decanus.

EX HELVETIA,

Ioannes Iacobus Breytingerus, Ecclesiæ Tigurinæ Pastor. Marcus Rutimeyerus, S. Theologiæ Doctor & Ecclesiæ Bernensis Minister. Sebastianus Beckius, SS. Theologiæ Doctor, & Novi Testamenti Professor in Academia Basiliensi, ibidemque Facultatis Theologicæ Decanus. VVolgangus Mayerus, SS. Theologiæ Doctor, Ecclesiæ Basileensis Pastor. Iohannes Conradus Kochius Ecclesiæ Scaphusianæ Minister.

A CORRESPONDENTIA; WEDDERAVICA;

Iohannes Henricus Alstedius, in Illustri Schola Nassovica, quæ est Herbornæ, Professor ordinarius. Georgius Fabricius, Ecclesiæ VVindecensis in Comitatu Hannovico Pastor & vicinarum Inspector.

EX REPVBLICA ET ECCLESIA GENEVENSI,

Ioannes Deodatus, in Ecclesia Genevensi Pastor, & in eadem Schola SS. Theologiæ Professor. Theodorus Tronchinus, divini verbi Minister in Ecclesia Genevensi, & ibidem SS. Theologiæ Professor.

EX REPUBLICA ET ECCLESIA BREMENSI,

Matthias Martinius, Illustris Scholæ Bremensis Rector, & in ea Divinarum litterarum Professor. Henricus Isselburgh, S. Theologiæ Doctor, in Bremensi Ecclesia ad B. Virginis, Iesu Christi servus, in Schola Novi Testamenti Professor. Ludovicus Crocius, S. Theologiæ Doctor, Ecclesiæ Bremensis ad S. Martini Pastor, & in Illustri Schola Veteris Testamenti & Philosophiæ practicæ Professor.

EX REPUBLICA ET ECCLESIA EMDANA,

Daniel Bernardus Eilshemius, Emdanæ Ecclesiæ Pastor Senior. Ritzius Lucas Grimersshemius, Embdanæ Ecclesiæ Pastor.

SS. THEOLOGIÆ PROFESSORES BELGICI,

Iohannes Polyander, SS. Theologiæ Doctor, atque in Academia Leydensi Professor. Sibrandus Lubbertus, SS. Theologiæ Doctor, & Professor in Academia Frisiorum. Franciscus Gomarus, Sacrosanctæ Theologiæ Doctor, & Professor in Academia Groningæ & Omlandiæ. Antonius Thysius, sacræ Theologiæ in Illustri Schola Geldro-Velavica, quæ est Hardervici, Professor. Antonius VValæus, Pastor Ecclesiæ Middelburgensis, & eiusdem urbis Illustri Schola inter Theologos ad Synodum evocatus.

EX DVCATV GELDRIÆ ET COMITATV ZVTPHANIENSI,

Gulielmus Stephani, SS. Theologiæ Doctor, & Arnhemiensis Ecclesiæ Pastor. Ellardus à Mehen, Ecclesiæ Hardrovicenæ Pastor. Iohannes Bouillet, Pastor Ecclesiæ VVarnsfeldensis. Iacobus Verheyden, Senior Ecclesiæ Noviomagensis, & Scholæ Rector.

EX HOLLANDIA AVSTRALI,

Balthasar Lydius, M. F. Pastor Ecclesiæ Dei in urbe Dordrechto. Henricus Arnoldi, Ecclesiastes Delphensis. Gisbertus Voetius, Ecclesiæ Heusdanæ Pastor. Arnoldus Musius ab Holy, Baillivus Suyd-Hollandiæ, Senior Ecclesiæ Dordrechtanæ. Iohannes de Laet, Senior Ecclesiæ Leydensis.

EX HOLLANDIA BOREALI,

Iacobus Triglandius, Pastor Ecclesiæ Amstelodamensis. Abrahamus à Doreslaer, Pastor Ecclesiæ Enchusanæ. Samuel Bartholdus, Pastor Ecclesiæ Monachodamensis. Theodorus Heyngius, Senior Ecclesiæ Amstelodamensis. Dominicus ab Heemskerck, Senior Ecclesiæ Amstelodamensis.

EX ZELANDIA,

Godefridus Vdemannus, Pastor Ecclesiæ Ziriczeanæ. Cornelius Regius, Ecclesiæ Goesanæ Pastor. Lambertus de Rijcke, Ecclesiæ Bergizomianæ Pastor. Iosias Vosbergius, Senior Ecclesiæ Middelburgensis. Adrianus Hofferus, urbis Ziriczææ Senator, & Ecclesiæ ibidem Senior.

EX PROVINCIA VLTRAIECTINA,

Iohannes Dibbezius, Pastor Dordracenus, Synodi Orthodoxæ Vltrajectinæ Deputatus. Arnoldus Oortcampius, Ecclesiæ Amersfortianæ Pastor.

EX FRISIA,

Florentius Iohannis, Iesu Christi crucifixi Servus in Ecclesia Sneeana. Philippus Danielis Eilshemius, Pastor Ecclesiæ Harlingensis. Kempo Harinxma à Donia, Senior Ecclesiæ Leovardiensis. Tacitus ab Aysma, Senior Ecclesiæ in Buirgirdt, Hichtum, & Hartvvardt.

EX TRANSISVLANIA,

Casparus Sibelius, Pastor Ecclesiæ Daventriensis. Hermannus VViferding, Ecclesiæ Swollanæ in Evangelio Christi Minister. Hieronymus Vogelius, Hasseltanæ Ecclesiæ Pastor, tempore deputationis inserviens Ecclesiæ Orthodoxæ Campensi. Iohannes Langius, Eccle-

EX CIVITATE GRONINGENSI ET OMLANDIIS,

Hieronymus Isbrants. I.V.D. *Edzardus Iacobus Clant à Stedum.*

Et Illustribus ac Amplissimis D D. Delegatis à Secretis, Daniel Heynsius.

Sessione Centesima Trigesima septima,

Sess. CXXXVII.

XXIV. *Aprilis, Die Mercurij ante meridiem.*

Absolutis hunc in modum ijs quæ spectarent ad doctrinam, prælecta est judicij Synodici de Remonstrantibus formula: Eorum inprimis, qui ad hanc Synodum Citati contumaciæ crimine se toties obstrinxerant. Qua de re audita sunt judicia.

Sessione Centesima Trigesima octava,

Sess. CXXXVIII.

Eodem Die post meridiem.

Formula superior ex singulorum suffragiis paululum immutata, denuo prælecta, tandemque omnibus est approbata: nisi quod inter exteros essent, qui quæstiones illas personales, extra jurisdictionem suam esse, existimarent. Cujus formulæ hoc est exemplar:

SENTENTIA
SYNODI,
DE
Remonstrantibus.

Explicata hactenus, & asserta, per Dei gratiam, veritate, erroribus rejectis, & damnatis, abstersis iniquis calumniis; Synodus hæc Dordrechtana (quæ ipsi porro cura superest) serio, obnixe, & pro autoritate, quam ex Dei verbo in omnia suarum Ecclesiarum membra obtinet, in Christi nomine rogat, hortatur, monet, atque injungit omnibus & singulis in Fœderato Belgio Ecclesiarum Pastoribus, Academiarum, & Scholarum Doctoribus, Rectoribus, & Magistris, atque adeo omnibus in universum, quibus vel animarum cura, vel iuventutis disciplina est demandata, ut missis quinque notis Remonstrantium

Articulis,

Articulis, qui & erronei sunt, & mera errorum latibula, hanc sanam veritatis salutaris doctrinam, ex purissimis verbi divini fontibus haustam, sinceram & inviolatam, pro viribus & munere suo, conservent: illam populo & juventuti fideliter & prudenter proponant & explicent: usumq; eius suavissimum atque utilissimum, tum in vita, tum in morte, diligenter declarent: errantes ex grege, secus sentientes, & opinionum novitate abreptos, veritatis evidentia mansuete erudiant, si quando det ipsis Deus resipiscentiam, ad agnoscendam veritatem: ut saniori menti redditi, uno Spiritu, ore, fide, Charitate, Ecclesiæ Dei, & Sanctorum communioni, denuo accedant; atque tandem coalescat vulnus Ecclesiæ & fiat omnium eius membrorum cor unum & anima una in Domino.

At vero, quia nonnulli è nobis egressi, sub titulo *Remonstrantium*, (quod nomen *Remonstrantium* ut & *Contra Remonstrantium*, Synodus perpetua oblivione delendum censet) studijs & consilijs privatis, modis illegitimis, disciplina & ordine Ecclesiæ violato, atque Fratrum suorum monitionibus & judicijs contemptis, Belgicas Ecclesias antea florentissimas, in fide & charitate conjunctissimas, in his Doctrinæ capitibus, graviter & periculose admodum turbarunt: errores noxios & veteres revocatunt, & novos procuderunt, publice & privatim, voce ac scriptis, in vulgus sparserunt, & acerrime propugnatunt: Doctrinam, hactenus in Ecclesijs receptam, calumnijs & contumelijs enormibus insectandi, nec modum, nec finem fecerunt: scandalis, dissidijs, conscientiarum scrupulis, & exagitationibus, omnia passim compleverunt: quæ certe gravia in fidem, in charitatem, in bonos mores, in Ecclesiæ unitatem & pacem, peccata, cum in nullo homine tolerari iuste possint, in Pastoribus censura severissima ab omni ævo in Ecclesia usurpata, necessario animadverti debent; Synodus, invocato Dei sancto nomine, suæ autoritatis ex verbo Dei probe conscia, omnium legitimatum, tum Veterũ, tum Recentium Synodorum vestigijs insistens, & Illustrissimorum *D D. Ordinum Generalium* autoritate munita, Declarat atque Iudicat, Pastores illos, qui partium in Ecclesia ductores, & errorum doctores sese præbuerunt, corruptæ religionis, scissæ Ecclesiæ unitatis, & gravissimorum scandalorum; Citatos vero ad hanc Synodum, intolerandæ insuper adversus supremi Magistratus in hac Synodo publicata decreta, ipsamque hanc venerandam Synodum pervicaciæ reos & convictos teneri. Quas ob causas, primo Synodus prædictis Citatis omni Ecclesiastico munere interdicit, eosque ab officiis suis abdicat, & Academicis functionibus etiam indignos esse judicat, donec per seriam resipiscentiam, dictis, factis, studiis contrariis abunde conprobatam, Ecclesiæ satisfaciant, & cum eadem vere & plene reconcilientur, atque ad eius communionem recipiantur: quod nos in ipsorum bonum, & totius Ecclesiæ gaudium unice in Christo Domino nostro exoptamus. Reliquos autem, quorum cognitio ad Synodum hanc Nationalem non devenit, Synodis Provincialibus, Classibus, & Presbyteriis, ex ordine recepto, committit: quæ omni studio procurent ne quid Ecclesia detrimenti vel in præsens capere, vel in posterum metuere possit. Errorum istorum sectatores spiritu prudentiæ discri-

Digitized by Google

discriminent: refractarios, clamosos, factiosos, turbatores, quam primum officijs Ecclesiasticis, & Scholasticis, quæ sunt suæ cognitionis & curæ, abdicent: eoque nomine monentur, ut nulla interjecta mora, post acceptum hujus Synodi Nationalis Iudicium, impetrata ad hoc Magistratus autoritate, conveniant, ne lentitudine malum invalescat & roboretur. Ex infirmitate, & vitio temporum lapsos, vel abreptos, & in levioribus forte hæsitantes, aut etiam dissentientes, modestos tamen, sedatos, vitæ inculpatæ, dociles, omni lenitate, charitatis officiis, patientia, ad veram atque perfectam concordiam cum Ecclesia, provocent: ita tamen, ut diligenter sibi caveant, ne quemquam ad sacrum Ministerium admittant, qui doctrinæ hisce Synodicis constitutionibus declaratæ subscribere, eamque docere recuset: neminem etiam retineant, cujus manifesta dissensione, doctrina in hac Synodo tanto consensu comprobata violari, & Pastorum concordia, Ecclesiarumque tranquillitas denuo turbari queat. Præterea Veneranda hæc Synodus serio monet Ecclesiasticos omnes cœtus, ut invigilent diligentissime in greges sibi commissos, omnibus subnascentibus in Ecclesia novitatibus mature obviam eant; easque tanquam zizania ex agro Domini evellant: attendant Scholis & Scholarum Moderatoribus, ne qua ex privatis sententijs & pravis opinionibus juventuti instillatis, postmodum Ecclesiæ & Reipubl. pernicies denuo creetur. Denique Illustrissimis & Præpotentibus DD. Fœderati Belgij Ordinibus Generalibus, gratijs reverenter actis, quod tam necessario & opportuno tempore, afflictis & labentibus Ecclesiæ rebus, Synodi remedio clementer succurrerint, probos & fideles Dei servos in suam tutelam receperint, pignus omnis benedictionis & præsentiæ divinæ, Verbi nempe ipsius veritatem, in suis ditionibus sancte & religiose conservatam voluerint: nulli labori, nullis sumptibus ad tantum opus promovendum & perficiendum pepercerint: pro quibus eximijs officijs largissimam à Domino & publice & privatim, & spiritualem & temporalem, remunerationem toto pectore Synodus comprecatur. Eosdem porro Dominos clementissimos obnixe & demisse rogat, ut hanc salutarem doctrinam, fidelissime ad verbum Dei & Reformatarum Ecclesiarum consensum à Synodo expressam, in suis Regionibus solam & publice audiri velint & jubeant: arceant suborientes omnes hæreses & errores, spiritus inquietos & turbulentos compescant: veros & benignos Ecclesiæ nutritios ac tutores sese probare pergant: in personas supradictas sententiam, pro jure Ecclesiastico, patrijs legibus confirmato, ratam esse velint, & autoritatis suæ adjecto calculo, Synodicas constitutiones immotas & perpetuas reddant.

NOMINE ET IVSSV SYNODI.

Sebastianus Damman, Synodi Scriba.
Festus Hommius Eccles: Leydensis Pastor, & Synodi Nat. Actuarius.
In testimonium Actorum, Daniel Heinsius.

Atque hanc quidem sententiam Synodicam Illustriss. ac Præpotentes DD. Ordines Generales postea approbarunt in hunc modum:

APPROBATIO

Illustrissimorum ac Præpotentum Dominorum Ordinum Generalium.

Ordines Generales Fœderati Belgij, Omnibus, qui hasce visuri aut lecturi sunt, Salutem. Notum facimus, Quum ad tollendas tristes & noxias illas controversias, quæ aliquot abhinc annis cum magno Reipubl. detrimento, & pacis Ecclesiarum perturbatione, exortæ sunt super quinque notis Doctrinæ Christianæ Capitibus, eorumque appendicibus, visum nobis fuerit, ex ordine in Ecclesia Dei, ipsaque adeo Belgica, antehac usitato, Dordrechtum convocare Synodum Nationalem omnium Ecclesiarum Fœderati Belgij; utque illa maximo cum fructu & Reipubl. emolumento celebrari posset, non sine gravi molestia, magnisque impensis, ad eandem expetiverimus & impetraverimus complures præstantissimos, doctissimos, & celeberrimos Reformatæ Ecclesiæ Theologos exteros, uti ex prædictæ Synodi Decretorum subscriptione, post singula doctrinæ Capita videre est: Delegatis insuper ex singulis Provincijs ad ejusdem directionem nostris Deputatis, qui in eadem ab initio usque ad finem præsentes curam gererent, ut omnia ibidem in timore Dei, & recto ordine, ex solo Dei verbo, sinceræ nostræ intentioni congruenter, possent pertractari. Cumque prædicta hæc Synodus singulari Dei benedictione, tanto omnium & singulorum, tam exterorum, quam Belgicorum, consensu, de prædictis quinque Doctrinæ Capitibus, eorumque doctoribus jam judicarit, nobisque consultis & consentientibus sexto Maij proxime præterito, Decreta & sententiam hisce præfixa promulgarit: Nos, ut exoptati fructus ex magno & Sancto hoc opere (quale nunquam antehac Ecclesiæ Reformatæ viderunt,) ad Ecclesias harum regionum redundare queant, quandoquem nihil nobis æque cordi & curæ est, quam gloria Sanctissimi Nominis Divini, quam conservatio & propagatio veræ Reformatæ Christianæ Religionis (quæ fundamentum est prosperitatis & vinculum unionis Fœderati Belgij) quam concordia, tranquillitas, & pax Ecclesiarum; itemque conservatio concordiæ & communionis Ecclesiarum, quæ sunt in hisce regionibus, cum omnibus exteris Reformatis Ecclesijs, à quibus nos separare nec debuimus, nec potuimus, Visis, cognitis, & mature examinatis atque expensis, prædicto Judicio & Sententia Synodi, ista plene in omnibus approbavimus, confirmavimus, & rata habuimus, approbamus, confirmamus, & rata habemus per præsentes: Volentes ac statuentes, ut nulla alia Doctrina de quinque prædictis doctrinæ Capitibus in Ecclesijs harum regionum doceatur aut propagetur, præter hanc, quæ prædicto Iudicio sit conformis atque consentanea; Mandantes atque imperantes omnibus Ecclesiasticis cœtibus, Ecclesiarum Ministris, Sacrosanctæ Theologiæ Professoribus & Doctoribus, Collegiorum Regentibus, omnibusque in universum & singulis, quos hæc aliquatenus

Digitized by Google

quatenus concernere queant aut attingere, ut in suorum Ministeriorum & functionum exercitio eadem in omnibus fideliter & sincere sequantur, ijsque convenienter sese gerant. Vtque bonæ nostræ intentioni plene ac per omnia ubique possit satisfieri, denunciamus & mandamus Ordinibus, Gubernatoribus, Deputatis Ordinum, Consiliarijs & Ordinibus Deputatis Provinciarum Geldriæ, & Comitatus Zutphaniæ, Hollandiæ & VVestfrisiæ, Zelandiæ, Vltrajecti, Frisiæ, Transisulaniæ, Civitatis Groningæ & Omlandiarum, omnibusque alijs Officiarijs, Iudicibus, & Iustitiarijs, ut prædicti Judicij Synodici, eorumque quæ inde dependent, observationem promoveant & tueantur, ac promovere & tueri faciant, adeo ut nullam in hisce mutationem aut ipsi faciant, aut ab alijs ullo modo fieri permittant: Quoniam ad promovendam Dei gloriam, securitatem & salutem status harum Regionum, tranquillitatem & pacem Ecclesiæ, ita fieri debere judicamus. Actum sub nostro Sigillo, Signatione Præsidis, & subscriptione nostri Graphiarij, Hagæ Comitis, secundo Julij, Anno millesimo, sexcentesimo & decimo nono, Signatum erat.

A. Ploos. vt

Et inferius,

Ex mandato prædictorum, Præpotentum Dominorum Ordinum Generalium.

Subscriptum: *C. Aerssen*

Eratque spatio impressum prædictum Sigillum in cera rubra.

Eadem Sessione Confessio duorum fratrum Iohannis Geysterani, & Petri Geysterani, Ministrorum Remonstrantium, quorum alter Alcmarianæ, alter Egmondanæ Ecclesiæ Pastorem nuper egerat, Deputatis Synodi Noort-Hollandiæ scripto exhibita, & ad Synodum transmissa, prælecta fuit, & cum summa detestatione ab omnibus rejecta, atque improbata, cum ex illa manifestissime appareret illos sub nomine Remonstrantium, & sub prætextu quinque Articulorum, horrendas atque exsecrandas Socini & Anabaptistarum blasphemias fovere, & in Ecclesias suas conatos esse introducere. Ea sic habet:

Confessio Iohannis Geysterani Ecclesiæ Alcmariæ nuper Pastoris.

De Deitate Christi.

Declarat quædam de hoc Articulo doceri, quæ vera esse sibi persuadere non possit.

Dominum Iesum ab æterno Deum fuisse, sese intelligere non posse.

In Scriptura S. invenire se non posse, illud ad salutem creditu necessarium esse.

Se perpensis iis quæ ab aliquibus de isto Articulo scribuntur, talia ea deprehendisse, quæ hominum tantum abest ut confirment, ut potius in contrariam sententiam abripiant.

Christum non esse Servatorem ex sese, sed ex Patre.

Christum utramque naturam suam accepisse à Patre.

Deum ab æterno Deum esse, agnoscere, an autem ab æterno fuerit Pater, ignorare.

Quod Christus Pater æternitatis appelletur; an non sit consideratione dignum, ideo hoc dici, quia æternam vitam donat.

Neque aliter se intelligere, quam Christum, suam quam habet divinitatem, à Patre in tempore accepisse.

Capere se non posse, Christum ab æterno Deum fuisse, aut illud creditu ad salutem necessarium esse.

De Spiritu sancto.

Fateri ipsum esse æterni Dei æternum Spiritum, sed an proprie sit æternus Deus, percipere non posse.

Declarat, aliud sibi non constare, quam essentiam & personam in Deo, unum idemque esse, secundum fundamenta eorum, qui isthæc ita defendunt. Vereri propterea, ne si ponat tres personas, simul ponat tres essentias, aut tres Deos.

Spiritum S. esse substantiam, per quam Deus operatur, & tamen ab operatione diversum.

Rogatus, an Spiritus sanctus sit Subsistentia, quæ Sapiens sit, & quæ voluntatem habeat, &c.

Respondit, Spiritui S. in Scriptura ascribi, quod scrutetur, quod contristetur, &c. Verum an hæc proprie de ipso dicantur, statuere sese non posse.

Porro rogatus, an non crederet Spiritum S. esse tertiam in Deitate Personam, eiusdem cum Patre & Filio essentiæ, persona distinctum,

Declarat, se hanc materiam tam profunde penetrare non audere.

Declarat insuper, baptizare in nomine Spiritus S. esse, ad mandatum, & autoritate Spiritus S. baptizare.

De Attributis Dei.

Interrogatus, an Deus non sit omnipotens, ubique præsens, summe sapiens, bonus, longanimis, &c.

Respondit, se verbis S. Scripturæ debere interrogari.

Inprimis à D. Plancio rogatus, an crederet, Potentiam Dei infinitam esse in sese: Itemq, An Deus per essentiam ubique præsens sit?

Respondit, se de attributis Dei docere quantum ad salutem sufficeret: Potentem esse plene salvare eos qui ipsi serviunt atque obediunt, & in æternum punire, qui ipsi non obtemperant.

Quoad essentiam Dei, ignorare se, an Deus secundum eam ubique præsens sit, etiam in hoc Mundo &c. neque tam horrendam opinionem esse, ita non sentire.

De Animæ immortalitate.

Rogatus, an Anima post mortem hominis maneat essentia immortalis?

Declarat, Animas esse in manu Dei Patris; verum quomodo, vivæne an mortuæ, mortales an immortales; quandoquidem de modo, quo ibi sint quæritur; fatetur se id ignorare.

De Resurrectione.

De Resurrectione declarat, corpus esse resurrecturum aliud corpus, quam jam sit: sed an eadem corpora quoad substantiam sint resurrectura, dicit se nescire.

Christum quidem in eodem corpore resurrexisse; verum in corpore eius, quod ascendit in cælum, aliquam mutationem quoad substantiam videri factam.

De Officio

Digitized by Google

De Officio Magistratus.

Christiano Magistratui non licere ad defendendos bonos & puniendos malos gladium gestare. Quinimo nemini, quicunque tandem sit, gladio in illum finem uti licere.

De Veteri Testamento.

Fatetur totum Vetus Testamentum à Christo esse sublatum, atque penitus abolitum.

Ea solummodo praecepta Veteris Testamenti nos obligare, quæ Christus in Novo mandavit; eaque obligare nos, non quatenus aut quia in Veteri Testamento aut Lege habentur; verum quatenus à Christo in Novo Testamento sunt mandata.

De Justificatione.

Iustificari nos per fidem in Christum Iesum, ex gratia & misericordia Dei, propter Iesum Christum.

Non bona opera & gratiam pugnare: verum, opera Legis & gratiam inter se pugnare.

Fides einsmodi est, ut eam Deus in homine videre velit, antequam illum justificet.

Sub Fide se bona opera comprehendere.

Bona opera esse conditionem quæ justificationem antecedat; ipsamque justificationem etiam consequi. Impios, de quibus Paul. ad Rom. 4. agit, tales esse impios, qualis erat qui istam Epistolam scribebat, tum cum scribebat; in quem finem allegavit verba Pauli 1. Tim. 1.15. *Fidem ipsam imputari in justitiam.*

Se nusquam in Scriptura invenire, Christi justitiam nobis in justitiam imputari.

Deum propter Christum & in Christo, ex gratia fidem nobis in justitiam imputare.

Vbi cum Papistis disputatur, non disquirendum, an per bona opera justificemur, sed per quæ opera.

De Perfectione hominis in hac vita.

Posse aliquem perfecte sanctum esse, omniaque Christi præcepta custodire, ac per illud posse & debere salvum fieri, & fore.

De Baptismo Infantium.

Rogatus, an infantes eorum qui in fœdere continentur debeant baptizari?

Declarat, ejusmodi infantes baptizari, non speciali aliquo Dei mandato de infantibus baptizandis, sed ad scandalum evitandum.

Addens insuper, se majoris facere baptismum adultorum, quam infantium.

De Peccato Originali.

Nequaquam intelligere, esse aliquod peccatum agnatum.

Peccatum Adami, solummodo temporalem mortem, omnibus hominibus produxisse.

Infantes quidem inde à pueritia corruptos esse, verum in peccato non nasci.

Deum qui repugnantiam homini indidit adversus Legem, etiam vires contulisse, quibus inclinationi isti resisteret. Ita ut eam tam custodire, quam eidem adversari possit.

In Christo fuisse naturam; in qua fuerit affectio, repugnans voluntati Dei, sed quæ non fuerit peccatum, eo quod non sit assensus aut voluntas subsecuta.

Conventus Classicus, examinatis diligenter omnibus, quæ de Ioanne Geystetano constabant, in timore Domini, consentientibus Ampliss. DD. Delegatis, & Synodi nostræ Deputatis, statuit: Quandoquidem manifeste patuit, Ioannem Geysteranum, illegitime ad ministerium promotum esse, atque ex propria Confessione, quam & pro arbitrio correxit, deprehensum fuit, illum à doctrina in Reformata Ecclesia inde à principio Reformationis, in hisce provincijs recepta & prædicata, eo usque discessisse, vt pro Doctore prædictæ Ecclesiæ haberi nec possit, nec debeat, quin imo Reipubl. admodum perniciosus sit; Idcirco visum, illi in posterum, ab omni functione Ecclesiastica abstinendum, nec non illegitimis ejus Senioribus ac Diaconis; donec aliter ab Illustr. & Potentib. DD. Ordinib. Holl. & Westfris. aut à Synodo Nationali, constitutum fuerit.

Confessio Petri Geisterani, nuper in utraque Egmonda Concionatoris.

Serio monitus, vt si quid præter quinque notos Articulos adversus Reformatam religionem haberet, id rotunde declararet; Significavit, se in genere ad istam quæstionem respondere non posse.

Vlterius rogatus, quid sentiret de Trinitate? Petijt sibi ostendi, qui fructus unquam ad pietatem inde provenerint, quod tres vnus sint.

Denuo rogatus, Annon idem de S. Trinitate cum Reformata Ecclesia sentiret; Respondit, se sententiam illius non negare, sed non intelligere.

Deum esse omnipotentem, sapientem, omnia perspicientem, & virtute sua penetrantem, & potentiâ sua vbique præsentem: Verum an secundum essentiam vbique præsens sit, id se nescire.

Deum appellari Patrem respectu fidelium, atque etiam filij sui. Nescire tamen se, an Christus ab æterno Dei filius sit; aut Deus ab æterno. Veruntamen ipsum ad aliquam divinam potentiam evectum esse.

Spiritum Sanctum esse Spiritum Dei, & æternum Spiritum.

Non deprehendere in Scriptura, vnius essentiæ esse cum Patre & Filio.

Neque invenisse in Scriptura, illum æternum esse Deum.

Fateri Spiritum S. esse ab æterno, & ante omnem æternitatem.

Iesum Christum fuisse verum hominem cum in terra viveret. nescire tamen an adhuc talis sit, quoad substantiam.

Ignorare se, an Christus ex duabus subsistat naturis, divina nempe & humana.

Neque putare Christo divinam naturam datam fuisse, ante creationem mundi.

Nos per opera, quæ Christus nobis in Novo Testamento injunxit, coram Deo iustificari; quibus se opus quoque fidei annumerare.

Ignorare se, An Christus fuerit sub Veteri Testamento.

Christum suo sacrificio meruisse, vt nobis peccatoribus observatio præceptorum, & fides in justitiam imputaretur, secundum verba Petri, 1. Pet. 2. v. 22. &c.

Se in illa Sententia esse, hominem Christianum mandata Christi perfecte posse implere in hac vita.

Necessarium esse, omnia Christi præcepta custodire vt saluemur. Ita tamen, vt, non obsit nonnunquam in hoc aut illo delinquere; quod de actibus, non de habitu intelligi velit.

Magis proclivem esse in illam sententiam, eadem corpora resurrectura, quoad substantiam.

Quod ad illud, An hæc nostra corpora quoad substantiam sint in gloriam atque æternum gaudium ingressura; Respondit, mortale superinduet immortalitatem. Pressius rogatus, quomodo verba Pauli intelligenda essent, de substantia, an de modo: negavit se aliter respondere aut posse aut velle.

Neminem gladium gestare posse, ne quidem Magistratum, etiam adversus hostem.

Homicidam non esse gladio à quoquam puniendum.

Ad obiectionem ex Cap. 13. ad Rom. v. 15. Respondit, duplicem esse Dei constitutionem, vnam cui omnes, quantum ad nos pertinet, parere tenemur: alteram, quam voluntas hominis antecedit. In hunc finem adducens exemplum Assur, qui virga iræ divinæ nominatur.

Fateri se, esse in pueris propensionem ad peccandum, & carnales cupiditates.

Infantes in peccatis concipi & nasci, in S. Scriptura non legisse.

Adami

Adami lapsum, temporalem solummodo mortem omnibus hominibus produxisse.

Deum qui repugnantiam homini indidit adversus Legem, etiam vires contulisse quibus propensioni isti resisteret.

Ita ut eam tam observare, quam eidem reluctari possit: quod de Christianis se posse affirmare profitetur.

Infantes baptizari, non ex speciali Dei mandato, sed ad scandalum evitandum.

Baptismum adultorum, magis ædificare quam infantium.

Cum Petrus Geisteranus in hunc modum esset auditus, eique esset concessum, ut Confessionem suam pro arbitrio corrigeret; in timore Dei post maturam deliberationem, omnibusque difficultatibus probe expensis, à conventu, cum consensu Amplis. DD. Delegatorum, & Deputatorum Synodi, statutum est: Quandoquidem ex Petri Geisterani propria Confessione, quæ ab ipso fuit dictata, quamque pro arbitrio suo corrigendam curaverat, manifeste patuit, illum à doctrina Reformatæ Ecclesiæ ab initio Reformationis in hisce provinciis prædicata & suscepta, eousque defecisse, ut pro Doctore prædictæ Ecclesiæ haberi minime possit, imo Reipub. perniciosus sit, judicamus eundem imposterum ab omni functione Ecclesiastica arcendum, donec ab Illust. ac Potentib. DD. Ordinib. Holl. & Westfris. aut à Synodo Nationali, secus statuatur.

Descriptum ex authentico exemplari Actorum Classicalium, in Conventu Illustr. & Præpotent. DD. Ordin. Holl. & VVestfris. exhibito; cum de hac causa præsentibus eorundem Illustr. DD. Delegatis Classicalis conventus habitus fuisset mense Martio an. CIↃIↃCXIX: *cum quo collatum, per omnia convenire, deprehensum est. Hagæ* VI *Martij, Ann.* CIↃIↃCXX.

Test:

Duijck.

Sessione Centesima Trigesima-nona,

XXV. *Aprilis, Die Iovis ante Meridiem.*

ACTA est particularis causa, quæ ex Frisia ad Synodum transmissa erat.

Prælectum fuit & examinatum Procemium quod Canonibus Synodicis, de quinque Remonstrantium Articulis, præfigendum putabatur.

Sessione Centesima Quadragesima.

Eodem Die post Meridiem.

Eadem Sessione prælectum fuit brevius Procemium quod iisdem Canonibus præfigeretur, idemque mutatis nonnullis, quæ in illo observata fuerant, à Synodo est approbatum: quod hic subijcitur.

PRÆFATIO.

In nomine Domini & Servatoris nostri Iesu Christi, Amen.

INter plurima, quæ Dominus & Seruator noster Jesus Christus militanti suæ Ecclesiæ in hac ærumnosa peregrinatione dedit solatia, merito celebratur illud, quod ei, ad Patrem suum in cæleste sanctuarium abiturus, reliquit: Ego, *inquiens*, sum vobiscum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi. *Huius suauissimæ promissionis veritas elucet in omnium temporum Ecclesia: quæ quum non solum aperta inimicorum violentia & Hæreticorum impietate, sed etiam operta seductorum astutia inde ab initio fuerit oppugnata, sane si vnquam salutari promissæ suæ præsentiæ præsidio eam destituisset Dominus, pridem aut vi Tyrannorum fuisset oppressa, aut fraude impostorum in exitium seducta. Sed bonus ille Pastor, qui gregem suum, pro quo animam suam posuit, constantissime diligit, persecutorum rabiem tempestiue semper & exserta sæpe dextera, miraculose repressit, & seductorum vias tortuosas ac consilia fraudulenta detexit atque dissipauit: utroque se in Ecclesia sua præstantissimum esse demonstrans. Huius rei illustre documentum exstat in Historijs piorum Imperatorum, Regum & Principum, quos Filius Dei in subsidium Ecclesiæ suæ toties excitauit, sancto domus suæ zelo accendit, eorumque opera non tantum Tyrannorum furores compescuit, sed etiam Ecclesiæ cum falsis Doctoribus, Religionem varie adulterantibus confligtanti, sanctarum Synodorum remedia procurauit, in quibus fideles Christi serui coniunctis precibus, consilijs & laboribus, pro Ecclesia & veritate Dei fortiter steterunt, Satanæ ministris, licet in Angelos lucis se transformantibus, intrepide se opposuerunt, eorum & discordiæ semina sustulerunt, Ecclesiam in Religionis puræ concordia conseruarunt, & sincerum Dei cultum ad posteritatem illibatum transmiserunt.*

Simili beneficio fidelis noster Seruator Ecclesiæ Belgicæ, annos aliquam multos afflictissimæ, gratiosam suam præsentiam hoc tempore testatus est. Hanc enim Ecclesiam à Romani Antichristi Tyrannide & horribili Papatus idololatria potenti Dei manu vindicatam, in belli diuturni periculis toties miraculose custoditam, & in vera Doctrinæ atque disciplinæ concordia ad Dei sui laudem, admirabili

Digitized by Google

Reipub. incrementum, totiusque Reformati Orbis gaudium efflorescentem, Jacobus Arminius eiusque sectatores, nomen Remonstrantium præ se ferentes, varijs tam veteribus quam novis erroribus, primum tecte, deinde aperte tentarunt; & scandalosis dissensionibus ac schismatibus pertinaciter turbatam, in tantum discrimen adduxerunt, ut florentissima Ecclesiæ, nisi Servatoris nostri miseratio opportune intervenisset, horribili dissidiorum & schismatum incendio tandem conflagrassent. Benedictus autem sit in secula Dominus, qui postquam ad momentum faciem suam à nobis (qui multis modis iram & indignationem eius provocaveramus) abscondisset, uniuerso Orbi testatum fecit, se fœderis sui non oblitum, & suspiria suorum non spernere. Cum enim vix ulla remedij spes humanitus appareret, Illustrissimis & Præpotentibus Belgij Fœderati Ordinibus Generalibus hanc mentem inspirauit, ut, consilio & directione Illustrissimi & Fortissimi Principis Arausicani, legitimis medijs, quæ ipsorum Apostolorum, &, quæ eos secuta, Ecclesiæ Christianæ exemplis longo temporum decursu sunt comprobata, & magno cum fructu in Ecclesia etiam Belgica antehac usurpata, sævientibus hisce malis obuiam ire decreuerint, Synodumque, ex omnibus, quibus præsunt, Prouincijs, authoritate sua, Dordrechtum conuocarint, expetitis ad eam & fauore Serenissimi ac Potentissimi Magnæ Britanniæ Regis Jacobi, & Illustrissimorum Principum, Comitum, & Rerumpublicarum, impetratis plurimis grauissimis Theologis, ut communi tot Reformatæ Ecclesiæ Theologorum iudicio, ista Arminij, ejusque sectatorum, dogmata accurate, & ex solo Dei verbo, dijudicarentur, vera Doctrina stabiliretur, & falsa rejceretur, Ecclesiisque Belgicis concordia, pax & tranquillitas, divina benedictione, restitueretur. Hoc est illud Dei beneficium, in quo exultant Ecclesiæ Belgicæ, & fideles Seruatoris sui miserationes humiliter agnoscunt, ac grate prædicant.

Hæc igitur veneranda Synodus (præuia per summi Magistratus autoritatem in omnibus Belgicis Ecclesiis, ad iræ Dei deprecationem & gratiosi auxilij implorationem, precum & iejunij indictione & celebratione) in nomine Domini, Dordrechti congregata, diuini Numinis & Salutis Ecclesiæ accensa amore, & post inuocatum Dei nomen, sancto iuramento obstricta, se solam Scripturam sacram pro iudicij norma habituram, & in caussa hujus cognitione & judicio, bona integraque conscientia versaturam esse, hoc egit sedulo;

magnaq;

magnaque patientia, ut præcipuos horum Dogmatum Patronos, coram se citatos induceret ad sententiam suam de Quinque notis doctrinæ Capitibus, sententiæque rationes plenius exponendas. Sed cum Synodi iudicium repudiarent, atque ad interrogatoria, eo, quo æquum erat, modo respondere detrectarent, neque Synodi monitiones, nec Generosorum atque Amplissimorum Ordinum Generalium Delegatorum mandata, imo ne ipsorum quidem Illustrissimorum & Præpotentum DD. Ordinum Generalium imperia, quicquam apud illos proficerent, aliam viam eorundem Dominorum jussu, & ex consuetudine jam olim in Synodis antiquis recepta, ingredi coacta fuit; atque ex Scriptis, Confessionibus ac Declarationibus, partim antea editis, partim etiam huic Synodo exhibitis, examen illorum Quinque Dogmatum institutum est. Quod cum jam per singularem Dei gratiam, maxima diligentia, fide, ac conscientia, omnium & singulorum consensu absolutum sit: Synodus hæc ad Dei gloriam, & ut veritatis salutaris integritati, conscientiarum tranquillitati, & paci ac saluti Ecclesiæ Belgicæ consulatur, sequens Judicium, quo & vera, verboque Dei consentanea, de prædictis Quinque Doctrinæ Capitibus, sententia exponitur, & falsa verboque Dei dissentanea reijcitur, statuit promulgandum.

Sessione Centesima Quadragesima-prima,

XXVI. *Aprilis, Die Veneris ante meridiem.*

Acta fuit eadem causa particularis Frisica.

Sessione Centesima Quadragesima-secunda,

Eodem Die *post meridiem.*

Hac Sessione causa eadem Frisica continuata est.

Sessione Centesima Quadragesima-tertia,

XXVII. *Aprilis, Die Saturni ante meridiem.*

Clarissimus vir D. Petrus Molinæus Ecclesiæ Parisiensis Pastor, per D. Deodatum Synodo iudicium suum de quinque Remonstrantium Articulis exhibuit. Quod & publice prælectum fuit. Est autem illud:

Petri

Petri Molinæi Pastoris Ecclesiæ Parisiensis Confessio, super Controversiis, quæ in Belgio agitantur. Quam Sacro Cœtui Reverendissimorum Patrum Synodi Generalis Dordracenæ, examinandam proponit.

PRædestinatio est decretum Dei, per quod in salutis negotio, Deus constituit, quid de unoquoque homine facturus sit.

Huius Prædestinationis duæ sunt partes: Electio, & Reprobatio.

Electio est decretum æternum, eoque immutabile, quo Deus ex genere humano lapso & corrupto, decrevit certos quosdam homines, ex mera sua gratia per Christum, servare, & fidem cæteraque media eis dare; per quæ ad salutem perveniant.

Certum esse numerum Electorum, non modo in Dei præscientia, sed etiam ex eius Decreto & voluntate, credo & profiteor. Alioqui enim, quicquid Scriptura dicit, de libro vitæ, qui nihil est aliud quam Album Electorum; & de numero fratrum nondum impleto, & de ovibus Christo datis, etiam ante conversionem, evanesceret. Quapropter damno Arminium, ejusque sectarios, negantes numerum Electorum, Dei voluntate, & Decreto*, esse definitum. *Ioh. 10.*

Credo & profiteor electos non posse reprobari: nec reprobos salvari: sic enim refigerentur certa Dei Decreta & immutabilia. Arminij scholam secus sentientem, damno & abominor.

Electionem Generalem & Conditionalem, nullam agnosco: qua Arminiani volunt, omnes homines electos esse ad salutem conditionaliter: id est, dummodo credant. Per hanc enim Electionem, Simon Petrus, & Simon Magus pariter Electi sunt. Non potest dici Electio, quæ ad omnes extenditur: Is demum eligit, qui aliquos cæteris præfert.

Credo unicum esse Decretum Electionis, quo Deus decrevit, non tantum quales, sed & quinam servandi sint: nec tantum constituit credentes esse salvandos, sed etiam, quinam & quot, suo dono & beneficio, sint credituri.

Tota illa dissertatio Pauli, quæ est à versu 6. capitis 9. ad Romanos, usque ad versum 29. agit de Electione & Reprobatione singulorum, non vero (ut volunt Arminiani) de Electione tantum, aut reprobatione, *Qualium*, id est, credentium aut non credentium. Id evincunt exempla singulorum: Isaaci & Ismaëlis, Iacobi & Esaui. Tum illa verba, *Miserebor, cuius misertus fuero*, aperte agunt de certis quibusdam personis: non vero de *qualibus*: alioqui Paulus dixisset, miserebor qualium misertus fuero, non vero *cuius*, aut *quorum*.

Scopus Apostoli non est, agere tantum de Electione ad justitiam: sed de Electione ad salutem. Non opponit opera, justificationi per fidem, sed Deo vocanti, idq; ex Electione secundum propositum, & ex mera gratia:

Isaacum & Ismaelem, quemadmodum & Iacobum & Esau, nego ibi proponi, ut typos eorum, qui justificantur per fidem, & eorum qui volunt justificari per opera. Nulla enim esset convenientia inter typum & rem typo adumbratam: cum Esau & Ismael talem justitiam nunquam affectaverint: nec ibi de justificatione sermo sit.

Electionem ex fide prævisa, nullam agnosco: sive prævisa fides ponatur ut causa Electionis, sive ut conditio præcedens. Deus non eligit nos ex fide, sed ad fidem. Nec nos invenit bonos, sed facit. Nec quicquam in nobis prævidit boni, nisi quod ipse facturus est. *Deus enim nos elegit in Christo, ante jacta mundi fundamenta, ut essemus sancti*; Ephes. 1. 3. Non ergo, quia futuri eramus sancti. Fides enim pars est istius sanctitatis. utpote qua sanctificamur non tantum efficienter; sed & formaliter. *Deus nos prædestinavit, quos adoptaret in filios per Iesum Christum* vers. 4. Quos autem prædestinavit ad adoptionem, necesse est prædestinaverit ad Spiritum adoptionis eis dandum: quia testimonium, quod Spiritus adoptionis in nobis perhibet, est ipsissima fides.

Consonant hæc loca. *Misericordiam consecutus sum à Domino, ut essem fidelis.* 1. Cor. 7.

Non

Non ergo quia futurus eram fidelis. Et Actor. 22. vers. 14. *Deus te elegit, ut cognosceres eius voluntatem*. Hæc autem cognitio pars est fidei. Quocirca Paulus ad Titum cap. 1. vers. 1. cum posset dicere electionem esse fidelium, maluit dicere, fidem esse Electorum: nempe quia fides electis peculiaris est, & ab Electione fluens. Nam fidei voce, doctrinam Evangelij non posse hic intelligi, hinc patet, quia doctrina Evangelij etiam reprobis proponitur, nec Electis peculiaris est.

Concinit Lucas Act. 13. v. 48. dicens; *credidisse; quotquot erant ad vitam τεταγμένοι, ordinati*: Vbi qui per τεταγμένους intelligunt διακειμένους, dispositos seu bene affectos, vocem Græcam depravant, & sensu Lucæ excidunt. Quod si Deus non elegit quemquam, ex prævisione operum, (ut fatentur Arminiani) sane nec ex prævisione fidei, & recti usus gratiæ, quandoquidem hic usus gratiæ, & obsequium fidei, opus est quoddam, idque longe præcipuum.

Neque vero sine summo scelere dici potest, Decretum Electionis, dum hic vivimus, non esse peremptorium & irrevocabile: Cum scriptura dicat: *Solidum fundamentum Dei stat, habens hoc sigillum: Novit Dominus qui sunt sui*. 2. Timoth. 2. 19. Et, *ut propositum Dei quod est secundum Electionem, firmum maneret*. Rom. 9. 11. Et, *Do ovibus meis vitam æternam, non peribunt in æternum: non rapiet eos quisquam de manu mea*. Ioh. 10. Et, *Quicquid Pater dedit mihi, ad me veniet*. Ioh. cap. 6.

Quicunque asserunt, Deum in Electione considerare fidem & perseverantiam in fide, ut rem iam præstitam, non vero ut præstandam; cum alijs multis de causis, tum hoc solo nomine erroris arguuntur, quod hoc pacto statuunt, neminem eligi, nisi consideratum iam ut mortuum, aut certe ut constitutum in extremo puncto, quod est vitæ mortisque confinium. Non enim censetur perseverasse, nisi qui cursum absolvit.

Multus est in eam rem Iohannes. Apud eum cap. 6. Christus sic loquitur, *Quicquid dat mihi Pater, veniet ad me*. Ergo prius dati sumus Christo, quam ad eum veniamus: venire autem est credere, ut docetur vers. 35. & cap. 8. vers. 47. *Propterea non auditis, quia ex Deo non estis*. Ergo ex Deo sumus, antequam audiamus. Et cap. 10. vers. 26. *Vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis*: Ergo qui credunt, ideo credunt, quia sunt ex ovibus Christi: Non ut Arminius, qui ideo vult aliquem esse ex ovibus Christi, quia credit. Enimvero ovium nomine hic censentur, non modo credentes, verum & qui nondum credunt, sed qui beneficio Dei sunt credituri: ut diserte docetur vers. 16. Non absimile est illud Iohannis cap. 17. vers. 6. *Patefeci nomen tuum illis quos dedisti mihi*. Ergo prius erant dati, ac proinde electi, antequam Christus eis nomen Dei patefecisset. Non enim hic agi de solis Apostolis, ut fingunt sectarij, indicant verba sequentia, vers. 20. *Non tantum pro iis rogo, sed & pro iis qui per sermonem eorum sunt credituri*. Idem patet ex eo quod Apostoli ibidem opponuntur mundo, ut è mundo selecti. Quod sane ad solos Apostolos non potest pertinere.

Quicunque prædestinatus est ad vitæ sanctitatem & charitatem, necessario prædestinatus quoque est ad fidem, à qua hæc sanctitas fluit, & quæ per charitatem operatur. At Paulus ad Romanos 8. vers. 28. dum dicit nos prædestinatos esse, ut conformes fiamus imagini Christi, dicit nos prædestinatos esse ad sanctitatem. Ergo etiam dicit, nos prædestinatos ad fidem. Etsi autem Paulus hæc dicit ad consolationem afflictorum, eos tamen solatur consolationibus, quæ ad omnes fideles pertinent. Inter quos multi sunt, quos Deus habet indulgentius, & ærumnis eximit. Id vero evincunt verba sequentia: *Quos prædestinavit, vocavit, quos vocavit, iustificavit, quos iustificavit, glorificavit*. Quæ series concatenata donorum Dei, cum ad omnes fideles pertineat, non potest conformitas cum Christo, ad conformitatem crucis restringi, utpote à qua multi fideles excipiuntur.

Præcipui ponderis est, quod ibi Apostolus docet nos esse prædestinatos ad vocationem, & per vocationem ad iustificationem. Quod si prædestinati sumus ad iustificationem: ergo & ad fidem per quam iustificamur.

Mitto quod Arminiani evertunt illud Apostoli, *quos iustificavit, glorificavit*. Quippe qui docent multos, iustificatos esse, qui fide excidunt, ac per id damnantur.

Idem evincit totum caput 9. ad Romanos, ubi inter alia Iacob dicitur amatus à Deo,

Digitized by Google

Deo antequam quicquam fecisset boni aut mali. Ergo & antequam credidisset, & recte usus esset gratia. Tum illud falsum esset, *non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei*: Si ex fide prævisa Deus hominum misereretur. Actus enim credendi, sectarij nolunt gratiam solam esse causam, sed partim gratiam, partim liberum arbitrium, penes quod sit gratia uti vel non uti, eamque vel admittere vel respuere.

Neque vero consentaneum est, Christum, qua homo, alia ratione esse prædestinatum, quam ejus membra. Eum autem esse prædestinatum ad tantum culmen gloriæ ex prævisa ulla virtute, ne sectarij quidem affirmare audeant.

Immo nec Electio, ex fide prævisa, potest vocari Electio, sed potius admissio seu receptio eius, qui ultro venit ad Christum, & qui prius Deum elegit in quo fiduciam poneret, quam à Deo eligeretur.

Quid quod hac ratione omnes infantes immatura morte prærepti, ab Electione excluduntur. Quippe qui non possunt dici electi ex prævisa fide.

Denique, si Electi sumus ex prævisa perseverantia in fide, nemo potest, nec debet credere se electum esse: Sic enim crederet rem, quæ nondum est, & quæ ordine posterior est fide, & perseverantia in fide: sed debet, juxta Arminium, sic secum loqui. Si perseveravero in fide, ero Electus.

Quod ad texturam illam quatuor Decretorum, quibus Arminius totam doctrinam de prædestinatione comprehendit; Quorum primum est, Decretum de mittendo Christo, & morti tradendo: Secundum, de salvandis credentibus & perseverantibus. Tertium, de dando omnibus vires sufficiẽtes ad credendum. Quartum, de salvandis singulis, quos Deus prævidit credituros; Credo & pertendo hæc Decreta digesta esse ordine non probo, & hac Decretorum perturbatione, Euangelium quoque everti.

Secundum enim Decretum, cum includat mandatum Dei de credendo ad salutem, non potest esse Decretum Electionis: nam per prædestinationem Deus decrevit, quid de nobis ipse velit facere, non vero quid nos facere jubeat. Accedit quod hæc series Decretorum, Electionem singulorum à voluntate humana suspendit. Tum sic fiunt duæ Electiones: una generalis quæ eligit *non quos*, sed *quales*; altera particularis, quæ eligit singulos: cum tamen Scriptura unam tantum Electionem ad salutem agnoscat, eamque singulorum. Tum illud gravissimum, quod Electio singulorum, sit posterior morte Christi: quæ opinio Arminianos transversos agit, & præcipitat in multa absurda. Docent enim, Christum non esse mortuum pro ovibus quas pater ei dedit, sed ut omnes homines fierent oves Christi. Nec Christum in morte plus sibi salutem Petri quam Iudæ proposuisse. Cum tamen Christus dicat, se mortem oppetere pro amicis, se animam tradere pro ovibus, & *Ioh. 15.*
pro iis quos Pater ei dedit. Quæ si vera sunt, oportet, ut prius consideretur ut oves, *Ioh. 10.*
& ut à Deo amati, & Christo dati, quam Christus mortem pro iis passus sit.

Nec potest ulla esse capitalior oratio, aut in Christum contumeliosior, quam velle, ut Christus per mortem sit constitutus caput Ecclesiæ, antequam Deus constituisset, quæ futura essent eius membra. Et cum caput Ecclesiæ esset certum, corpus tamen fuisse incertum. Imo vero ex Arminij doctrina, sequitur Christum potuisse esse caput sine corpore. Cum enim censeat, nullum esse Electum qui non possit reprobari; & rectum usum gratiæ prævenientis & comitantis pendere ex libero arbitrio hominis, ideoq; numerum Electorum Dei voluntate non esse certum; poterat fieri ut omnes gratiam istam respuerent, & sic Deus suo fine in mittendo Filio, & Christus fructu mortis suæ, privaretur. Tutius est, Decretum Dei de Electione, non concidere scrupulose in frusta, nec scrutari momenta & ordinem divinarum cogitationum. Ad Electionem enim unum Dei Decretum sufficit; quo etiam statuuntur media, per quæ Deus ad finem destinatum nos perducit. Decretum enim de fine, includit Decretum de medijs ad finem: non secus ac uno eodemque Decreto Deus decrevit dare homini vitam, & media ad vitam, puta respirationem, & cibum &c. Sic Deus uno eodemque Decreto, quos prædestinavit ad salutem, prædestinavit ad fidem.

Illud Pauli ad Ephes. cap. 1. *Elegit nos in Christo*; Sic interpretor: *Destinavit nos ad salutem*

ad salutem in Christo, seu, per Christum, adipiscendam. Non pugnant, Eligere ad salutem non credentem ut credat, & velle salvare credentem.

Etsi Deus magis amat iustitiam suam, quam salutem hominis, non tamen plus amat executionem iustitiæ suæ, qua punit nostra peccata in Christo, quam executionem suæ misericordiæ qua homines salvat: nam ob idipsum voluit Christum luere nostra peccata, vt servaremur.

Quanquam Deus prius dat fidem quam salutem, non idcirco Decretum de fide danda, prius est Decreto de salute conferenda. Deus enim prius intendit finem quam media, & finis semper intentione prior est. Salutem igitur Deus prius intendit, quam fidem, quia fides est medium ad salutem.

Per doctrinam de Electione præcisa, non tardatur pius conatus fidelium, nec languescit industria. Nam quid obstat, quo minus gnaviter incumbatur labori, cuius eventus à Deo definitus est? Christus probe norat vitæ suæ in terris terminum; nihilo secius tamen vitabat pericula, & manibus Iudæorum non semel elapsus est. Ezechias recreatus ex morbo, sciebat vitam sibi ad annos 15. esse prorogatam. Quo tempore tamen non est dubium, quin ederit & biberit. Paulus certus incolumitatis vectorum, & evasionis ex naufragio, nautas tamen hortabatur ad laborem. Nihil tam æquum est, quam ut Decreto Dei sive noto sive ignoto, subserviat piorum labor, & industria.

Ad Quæstionem qua quæri solet, Vtrum Christus sit Electionis fundamentum, sic censeo respondendum. Christum, quatenus est homo & mediator, esse caput Electorum, sed non causam electionis, cum ipse, qua homo, sit electus. Est quidem causa meritoria salutis, & λύτρον. Sed non est causa, cur de duobus pariter peccatoribus, alter alteri præferatur. Causa quærenda est in Dei beneplacito, & amore gratuito, qui ordine antecedit intercessionem Filij, quandoquidem Pater misit Filium, & dedit redemptorem. Nihil detrahitur de magnitudine pretij redemptionis, cum voluntas ejus, qui pretium hoc obtulit, dicitur antecessisse. Id Christus ipse docet Ioh. 3. 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut dederit Filium, &c.* Ergo prius nos amavit Deus, quam Filium pro nobis dederit. Qua dilectione dum Arminiani dicunt, Deum non voluisse nobis vitam æternam, perinde agunt ac si dicerent, Deum isto amore voluisse nos in morte relinquere: Et Deum quando decrevit dare Filium pro nobis, nondum constituisse an per eum nos salvaturus esset. Profecto Christus non est causa amoris, per quem pater voluit mittere filium: Nec ulla fit Christo injuria cum dicitur esse medium, per quod, & in quo nobis Deus confert salutem.

Nec vero dum volumus amorem Patris, per quem nos elegit, ordine antegredi intercessionem Filii, per hoc volumus, Electos esse à Deo amatos extra Christum. Nam etsi amor Patris antecedit missionem Filij, nunquam tamen nos amavit sine consideratione Filij; nec unquam voluit Electis bonum ullum largiri, nisi per Christum & in Christo. Prioritas ordinis potest esse inter duas res inseparabiles: præcipue inter decreta Dei, quæ pariter sunt æterna. Sic in Dei cogitatione prius fuit velle creare hominem, quam velle eum imbuere iustitia & luce: non tamen inde sequitur, Deum unquam voluisse creare hominem sine justitia & luce. Sic plane dicimus, Deum nunquam nos amasse extra Christum, etiamsi ejus amor antecedat ordine intercessionem Christi.

Quosdam esse reprobos ipsa vox electionis arguit: non enim essent aliqui electi, nisi cæteri essent posthabiti.

Reproborum mentionem facit Scriptura. 1. Petri 2. 8. & Iudæ v. 4. Hi in Apocalypsi designantur per eos, quorum nomina non sunt scripta in libro vitæ.

Reprobatio est decretum, quo Deus ab æterno statuit, certis hominibus, non dare gratiam, qua ab insita pravitate & debita maledictione, liberentur, eosque ad justas & commeritas pœnas ob peccatum destinavit.

Reprobos posse salvari, dogma est Arminianum, Christianis auribus insolens.

Porro etsi peccatum sit causa meritoria destinationis ad pœnam, non est tamen causa voluntatis, per quam Deus ponit discrimen inter electos & reprobos. Sint enim duo sontes, rei ejusdem criminis; placeat autem Regi hunc damnare, illum absolvere: peccatum quidem causa est, cur ille plectatur capite; at non est causa cur

Rex

Rex aliter sit affectus erga unum, quam erga alterum, cum par vtrobiq; sit culpa. Caussa discriminis est, quod aliquid intercessit, quod ab uno horum pœnam avertit. Quod quidem in Prædestinationis negotio, est mera Dei εὐδοκία, qua ei visum est, hos donare Christo: cæteros vero, in insita corruptione & commerita maledictione, relinquere. Super quo delectu, nefas est Deo litem intendere, aut eum vocare ad calculos. Sed usurpandum illud Pauli, *O homo, quis tu es? &c.* Hoc unum stet mentibus nostris infixum, Deum his dare gratiam indebitam: illis, irrogare pœnam debitam: ut illi habeant quo laudent eius bonitatem: hi non habeant, quod conquerantur de eius justitia.

Quamvis autem corruptio naturalis sit caussa sufficiens ad reprobationem, non secus ac serpentes rupto ovo recens in lucem editi merito necantur, quamvis neminem adhuc infecerint veneno; non est tamen dubium, quin ob quam caussam Deus damnat, ob eandem damnare decreverit. Damnat autem Reprobos ob peccata actu commissa: luunt enim pœnas in Inferno non solum peccati Originalis, sed & actualium omnium: unde & inæqualitas pœnarum. Ergo & Deus eos damnare decrevit, ob eadem peccata. Nihil enim obstat, quo minus Deus considerans hominem jacentem in corruptione & pravitate naturali, eundem quoque consideret pollutum iis peccatis, quæ per istam pravitatem naturalem est commissurus.

Inter peccata, ob quæ aliquis destinatur ad pœnã, sine dubio est incredulitas & rejectio Euangelij. Nam hac ipsa rejectione peccatur in legem moralem, per quam Deus homines judicaturus est. Lex enim jubet Deum amari toto corde, eiq; in omnibus & sine exceptione morẽ geri: ac proinde & credi loquenti, & jubenti credere obtemperari, quodcunque tandem illud fuerit, quod Deus vel jubebit, vel dicet.

Vt reprobetur ob rejectum Euangelium, & gratiam Christi spretam, is, cui Euangelium nunquam est revelatum, nulla ratio patitur. Sed quem Euangelium non servat, sub lege relinquit, ut per eam judicetur. Quæ tum demum astringit hominem ad credendum in Christum, cum Christus annunciatur: Nec est pædagogus ad Christum, nisi quibus Christi cognoscendi facta est copia.

Deum quemquam destinasse ad pœnam æternam, sine consideratione impœnitentiæ aut incredulitatis, nec dicimus, nec sentimus.

Neque vero si prædestinavit Deus electos ad fidem, idcirco prædestinavit reprobos ad incredulitatem. Distinguenda enim sunt media, quæ Deus in homine invenit ab eis quæ ipse facit. Invenit Deus in homine corrupto media ad damnationem, nempe incredulitatem. At fidem non invenit, sed ipse facit. Inde est quod prædestinat quidem ad fidem, at non ad incredulitatem. Ad id enim demum Deus prædestinat, quod facere decrevit. Denique impœnitentia antecedit ordine Reprobationem: at fides posterior est electione, quippe electionis effectum.

Enodatio Quæstionis; An Christus pro omnibus mortuus sit, hoc est, an Christus omnibus & singulis impetraverit, & acquisiverit reconciliationẽ, & remissionem peccatorum, pendet ab alia; videlicet, an justum sit ut reconcilientur Deo, iisque remittantur peccata, qui Christi gratiam respuunt, & in infidelitate ac impœnitentia perseverant. Non convenire cum Dei justitia, ut ad tales reconciliatio per Christum pertineat, nemo non agnoscit, nisi qui de Deo male sentit. Cum enim hanc legem Deus fixerit, ut nemo servetur, nisi qui in Christum credit, planum est, id a Deo esse statutum; quia scit ita æquum esse, & consentiens cum norma justitiæ. Nec sane par est, ut morte Christi reconcilietur Deo, qui mortem Christi abnegat. Hoc posito, hujus Quæstionis solutio est in promptu. Quærere enim, an mors Christi sit sufficiens ad servandos omnes incredulos & impœnitentes, nihil est aliud, quam quærere, an sit sufficiens, ad aliquid injusti impetrandum, & ad faciendum aliquid, quod Dei justitiæ adversetur.

Christum ergo, pro omnibus esse mortuum, hoc sensu verum est, nempe Christi mortem sufficientẽ esse, ad servandos quoslibet credentes: imo & abunde suffectuream ad servandos omnes homines, si quotquot sunt in toto orbe homines, in eum crederent. Quod autẽ omnes non servantur, caussam esse, non in insufficientia mortis Christi, sed in hominis pravitate & incredulitate. Deniq; eodẽ modo potest dici, Christum morte sua reconciliare omnes homines Deo, quo dicimus, solem illustrare oculos omnium hominum, quamvis multi sint cæci, multi dormientes, multi in tene-

in tenebris abditi. Nempe, quia, si omnes & singuli essent oculati, & vigilantes, & positi in media luce, sufficeret lux solaris ad eos illustrandos.

Hac de causa Scriptura sacra, quæ interdum ait, Christum mortuum esse pro omnibus, eo sensu quem dixi, frequenter generalem illam locutionem coarctat, & restringit: dicens, *Christum animam suam tradere pro ovibus suis*, Ioh.10.11. *& pro Ecclesia sua.* Ephes. 5.25. Et *sanguinem ejus effusum esse pro multis.* Matth.26.28. Et *filium hominis venisse, ut daret animam suam in redemptionem pro multis.* Matth.20.28. Et, *oblatum esse semel ad tollenda peccata multorum.* Hebr. 9. 28.

Contra hæc Sectarij pertendunt, Christum morte sua omnibus & singulis impetravisse reconciliationem & remissionem peccatorum. Quod sane tam multis urgetur incommodis, & tam multa trahit impia & absurda, ut mirum sit eos posse contra obniti.

Principio, morte Christi, Iudæ esse impetratam reconciliationem, cum ipsa mors Christi esset ejus crimen, eumq; ad laqueum adegerit, non est consentaneum.

Cumque eo ipso tempore, quo Christus mortem oppetebat, multi jam cruciarentur in inferno, oportet sit vacui capitis, qui censet morte Christi eis reconciliationem impetratam esse.

Tum hac doctrina Deo aperte illuditur. Fingitur enim Deus concedere Filio reconciliationem hominis, quem ab æterno damnare decrevit, eique largiri rem, quam scit non profuturam. Enimvero, si Christus pro Pharaone & Iuda impetravit reconciliationem, satis sciebat istam impetrationem ipsorum bono & utilitati non cessuram. Inducitur ergo Christus sic rogans Patrem; *Obsecro te, recipe in gratiam eos, quos scio te nunquam recepturum in gratiam.* Nempe hi homines id videntur dare operam, ut Religio Christiana ridenda propinetur.

Nec solum Deo sic illuditur, sed & ipse Deus fingitur illudere generi humano. Constat enim usu, & omnium sæculorum experientia, Euangelium vix decimo cuique annunciari, & nomen Christi maximæ parti orbis esse ignotum. Quod quidem fieri, Dei providentia sic dispensante, nemo negabit; nisi qui res susque deque ferri, & temere fluere putat. Quod si Deus omnes homines sibi reconciliavit per Christum, cur hoc beneficium non promulgat per totum orbem? Cur patitur hanc reconciliationem, maximæ parti generis humani esse ignotam?

Cum vero dicunt, Christum pro omnibus esse mortuum, quod ad impetrationem reconciliationis; non vero, quod ad applicationem: plane fatentur Christum non impetravisse, ut hæc reconciliatio omnibus applicaretur. Vnde fit, ut inanis sit hæc impetratio, & ridicula.

Perinde enim loquuntur, ac si dicerent, alicui impetratam esse liberationem, sed non ut liberetur: aut alicui cibum esse impetratum, sed non esse impetratum, ut hoc cibo vescatur.

Non minus ineptiunt, cum fatentur quidem, fructum resurrectionis ad solos credentes pertinere, at fructum mortis, id est, reconciliationem & remissionem peccatorum, ad omnes & singulos extendunt: perinde ac si dicerent, Christum mortuum esse pro aliquibus, pro quibus non superavit mortem. Et ad omnes quidem pertinere fructum pugnæ, at non victoriæ. Et erunt aliqui, pro quibus cum se obtulerit in cruce, non tamen pro iis se offert in cœlo. At Scriptura hæc nectit, ut indivulsa & inseparabilia; mortuum esse pro nobis, & resurrexisse pro nobis, Rom. 8. 34. *Christus is est, qui mortuus, imo qui etiam resurrexit: qui etiam est ad dexteram Dei, postulans pro nobis.* Et 2. ad Corinth. 5. 15. *ut qui vivunt, posthac non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit.* Nimirum, quia fructus mortis Christi nemo fit particeps, nisi per resurrectionem.

Quid, quod si hæc generalis impetratio reconciliationis totius generis humani admittitur, necesse est infantes omnes, nascentes extra fœdus, esse reconciliatos, & peccatum eis esse remissum. Vnde fit, ut non alio majore beneficio possint affici, quam si quis eos clementi crudelitate in cunis jugulaverit. Nam si in hoc statu reconciliationis moriuntur, certa est eorum salus. At iidem vivi & superstites educabuntur in Paganismo, quæ est certissima via ad damnationem.

His adde, quod hic reconciliatio cum applicatione confunditur. Cum enim nemo possit servari, nisi cui reconciliatio impetrata, applicata quoque fuerit, apparet in his

in his infantibus impetrationem nihil differre ab applicatione. Siquidem infantes in hoc statu reconciliationis mortui, per hanc solam reconciliationem salvantur, (si his creditur:) ac proinde hæc impetratio reconciliationis, in eis vicem applicationis obtinet.

Quod si hæc duo inter se conferantur, impetrare inimicis reconciliationem ut serventur, & salutem eis iam reconciliatis conferre, non dubium est, quin longe maioris sit amoris, mori ad reconciliandos inimicos, quam dare salutem iam reconciliatis. Id diserte docet Apostolus ad Rom. 5. 10. *Si cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius, multo magis reconciliati servabimur per vitam eius.* Nempe, si Paulo creditur, res est longe facilior & probabilior, servare reconciliatum, quam reconciliare inimicum, moriendo pro eo. Cum ergo, quod est longe maximum, & summi amoris τεκμήριον, Christus pro omnibus præstiterit, (si fides Arminio) dicendum erit, Christum mortem oppetendo pro nobis, non minus Pilatum, Iudam, Saulem, Pharaonem, quam Petrum & Iohannem amavisse. Vt autem Christus summo amore amaverit, quos Pater ab æterno odit, & quos scit à Patre ab æterno destinatos ad pœnam, nemo à se impetrabit ut credat, nisi qui vult decipi.

Quod si Christus moriendo fuit vas & λύτρον pro omnibus, etiam pro damnatis, Deo inuretur nota injustitiæ, qui duas pœnas pro uno peccato sumpserit, cum prior satisfactio sufficeret, & bis in idem iudicaverit. Semel enim hi damnati, mortui sunt in Christo, quando Christus in cruce corũ personam sustinuit; & tamen ijdem ipsi in suâ persona moriuntur morte æterna. Enimvero de ijs omnibus pro quibus Christus est mortuus, dici potest, quod dicit Apostolus 2. Cor. 5. *Si unus pro omnibus est mortuus, nempe omnes sunt mortui.* At reprobos cum Christo, aut in Christo esse mortuos, nemo hactenus, quod sciam, ausus est dicere. Ac profecto sequentia verba Apostoli arguunt, eum loqui de omnibus, ad quos pertinet fructus resurrectionis, & qui sunt novæ creaturæ.

Idem Apostolus ad Rom. 5. 11. docet reconciliationem ad solos fideles pertinere. *Gloriamur*, inquit, *in Deo per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem nunc reconciliationem assecuti sumus.* An Paulus tantopere gloriaretur beneficio quod ipsi cum Iuda & Herode commune esset? Sic cap. 5. 25. *Deus Christum proposuit placamentum per fidem in sanguine ipsius.* Non est ergo placamentum sine fide, ac proinde, nec reconciliatio.

Quoscumque Christus reconciliavit, & quibus impetrat remissionem peccatorum, pro ijsdem intercedit: hæc enim duo Scriptura coniungit, mori pro aliquo, & pro eo intercedere Rom. 8. 34. & 1. Ioh. 2. 1. 2. At Christus pro mundo non intercedit, sed pro solis fidelibus, ut dicit ipse Christus Ioh. 17. 9. *Ego pro ijs rogo, non rogo pro mundo, sed pro eis quos dedisti mihi, quia tui sunt.* Ergo Christus mundum non reconciliavit, nec ei impetravit remissionem peccatorum.

Arminiani κρησφύγετον hic adhibent, & distinctiunculam. Faciunt enim duplicem intercessionem Christi, unam generalem, quæ fit pro omnibus: alteram particularem, quæ pro solis credentibus. Quo dicto ipsi se implicant, & orsa à se detexunt. Nam universalis ista intercessio sine particulari plane est supervacanea; frustra enim impetratur reconciliatio, si salus non impetratur. Quod si universali ista intercessione Christus petijt salutem Pilati, Iudæ, denique omnium hominum, frustra petijt, & repulsam passus est. Cum tamen ipse dicat Ioh. 11. 42. se semper à Patre exaudiri. Quod si petijt solam reconciliationem sine salute, inanis fuit eius intercessio. An fortasse Christus petijt salutem omnium hominum, sed sub conditione, nempe si crederent, & ea lege ut credant? Hoc si ita est, tum planum est, eum non intercessisse pro omnibus. Quod enim petitur sub conditione, sublata conditione non petitur. Tum hæc petitio est ἀπροσδιόνυσος in eo, qui petit aliquid sub conditione, quam ipse scit non implendam, neque esse possibilem. Satis enim sciebat Christus moriens, non posse omnes credere nec servari, cum iam tam multi essent damnati.

Sed operæpretiũ est cognoscere, quæ sit illa particularis intercessio Christi Ioh. 17. & quid per eã Christus petat. *Pater* (inquit) *conserva eos.* Et paulo post, *rogo te, ut serves*

eos à maligno verſ. 15. Si hæc interceſſio eſt peculiaris fidelibus, non video quid ſuperſit interceſſioni generali. Nam ſine his omnis interceſſio inanis eſt. Cum autem in oratione Dominica, hæc duo ſimul & iunctim petantur, remiſſio peccatorum & liberatio à maligno; quis ferat tam audax figmentum, quo ſectarij hæc divellunt, & volunt Chriſtum impetrare omnibus remiſſionem peccatorum, at non liberationem à maligno?

Quod ſi Chriſtus orat pro omnibus, orat etiam pro ijs, quos ſcit peccare peccato ad mortem, pro quibus Iohannes ne quidem patitur nos orare. 1.Ioh.5.16.

Non inficior, Chriſtum oraſſe pro crucifigentibus eum. At non pro ijs omnibus oravit, ſed pro ijs tantum, qui id faciebant per ignorantiam. Dicit enim, *Pater remitte eis, neſciunt enim quod faciunt*. Quos paulo poſt ad Chriſti fidem eſſe converſos, teſtatur Lucas, Act. 2. & cap. 3.17.

Cum ergo Scriptura dicit Deum uſque adeo *dilexiſſe mundum, ut dederit Filium* Ioh. 3. 16. Et, *Chriſtum eſſe propitiationem pro peccatis totius mundi.* 1. Ioh. 2.2. Etſi concederemus per *Mundum*, totum genus humanum in ſolidum intelligi, non tamen inde ſequeretur, Chriſtum omnibus & ſingulis impetraviſſe remiſſionem peccatorum. Nam reconciliatio quorundam hominum abunde teſtatur genus humanum à Deo diligi. Chriſtus eſt propitiatio pro peccatis totius mundi, quia in toto mundo nemini remittuntur peccata niſi per eum. Eodem plane modo; quo 1. ad Cor. 15. 22. Paulus dicit, *In Chriſto omnes vivificari*, quia nemo niſi per eum vivificatur.

Specioſe oſtentant locum, 1. ad Tim. cap. 2. 6. *Chriſtus ſemetipſum dedit pretium redemptionis pro omnibus.* Tum illud ad Titum cap. 2. *Illuxit gratia Dei ſalutaris omnibus hominibus*. Sed hic, per *Omnes* intelligi *Quoſvis*, & cuiuſlibet conditionis homines, loci textura evincit. Priori loco, Paulus vult orari pro Regibus: poſteriori iubet ſervos eſſe fidos, & nihil νοσφίζειν. Huius exhortationis αἰτιολογία hæc eſt: quia etiam ad Reges, quantumvis tunc temporis alienos à Chriſto, & ad ſervos quantumvis ſortis abjectæ, pertinet promiſſio ſalutis; nec ulla conditio hominum à ſalute excluditur.

Nihilo plus ad rem facit locus ad Rom. cap. 14. 15. *Ne eſca tua illum perdito, pro quo Chriſtus eſt mortuus*. Ibi enim *perdere*, non eſt *damnare*, ſed ſcandalo percellere, & conſcientiam alicuius offendere, & ſic, quantum in nobis eſt, trahere in ruinam. Nam abſolute quemquam perdere aut damnare, non eſt in noſtra poteſtate.

Secunda Petri cap 2. verſ. 1. Chriſtus dicitur redemiſſe pſeudoprophetas *qui eum abnegant*. At ibi non agitur de redemptione à morte æterna, ſed de liberatione ab ignorantia & errore, ac tenebris ſæculi per lucem Evangelij, quod iſti pravæ doctrinæ admiſtione corrumpebant.

Eadem Epiſt. cap. 3. verſ. 9. idem Apoſtolus dicit *Deum nolle quemquam perire.* Nempe quia non eſt cauſa perditionis cuiuſquam: omnes enim hortatur ad pœnitentiam. Sed non tenetur omnibus dare fidem & dona Spiritus ſancti, nec reſtituere homini vires, quas culpa ſua amiſit. Non eſt autem dubium, quin lapſu Adami amiſſæ ſint vires credendi in Chriſtum, quia hoc lapſu amiſſæ ſunt vires amandi Deum, & obſequendi eius verbo. Cum enim Adam ante lapſum teneretur credere omni Dei verbo, quodcunque tandem illud futurum eſſet, non dubium quin hæc obligatio ad poſteros tranſierit.

Inculcant ſectarij ad nauſeam, & nullibi non ingerunt hoc argumentum, *Quod tenentur omnes credere, id verum eſt. At Chriſtum pro ſe eſſe mortuum, omnes tenentur credere, ergo id verum eſt.*

Hujus Syllogiſmi minor eſt falſa: nam ijs, quibus Chriſtus non eſt annunciatus, non tenentur credere Chriſtum pro ipſis eſſe mortuum; qui tamen ſunt pars generis humani longe maxima. Sed neque ij quibus Chriſtus annunciatur, tenentur credere abſolute & ſine conditione, Chriſtum pro ipſis eſſe mortuum, ſed ſub hac demum conditione, ſi convertantur. Nam ſi in impœnitentia perſeveraverint, tenentur credere, mortem Chriſti ad ſe nihil pertinere.

Damaſcenus lib. 2. Orthodoxæ fidei cap 29. & poſt eum Arminius, duas faciunt Dei voluntates, vnam antecedentem, alteram conſequentem. Eorum mens non

eſt

est asserere, inter Dei voluntates seu potius volitiones, alias aliis esse priores: hoc enim est extra controversiam. sed voluntatem antecedentem eam esse volunt, quæ præcedit humanam voluntatem: consequentem vero, quæ posterior est humana voluntate. Voluntate antecedente multos vocari ad nuptias, qui consequente declarantur indigni ob eorum pervicaciam Matth.22. Antecedente voluntate Deum velle omnes homines servare, sed consequente, aliquos tantum: nempe eos quos prævidit credituros. In hanc latebram se proripiunt Arminiani, quando se sentiunt urgeri. Dicunt autem, voluntati Dei antecedenti resisti posse, & Deum posse frustrari suo voto & intentione, ac desiderio naturali (sic enim loquuntur) at voluntati consequenti non posse resisti.

Hæc doctrina, si quæ alia, in Deum est contumeliosa, eumque accusat insipientiæ, & humanis affectibus induit, eique affingit imbecillia vota, & desiderium inefficax, ac si Deum sic inducerent loquentem: Vellem vos servare, si velletis: sed cum per vos frustrer mea intentione, mutabo consilium, & aliorsum flexa voluntate, vos perdam in æternum. Hoc pacto Deus voluntatem suam antecedentem & desiderium naturale, quod est longe optimum, precario tantum obtinet, & quæsitum licet per humanum arbitrium: Vt sit quod doleamus vicem Dei, qui desiderio suo naturali & longe optimo fraudatur.

Tum illud absurdum, Deum cui omnia ab æterno sunt non tantum prævisa, sed etiam provisa; aliquid intendere, quod scit ab æterno se non assecuturum. Nec minus est absurdum velle, ut firmitas voluntatis divinæ de servandis hominibus, pendeat ab hominis voluntate. Illud vero longe pessimum, quod Deus inducitur secum pugnans, quippe qui omnes cupit servare voluntate antecedente, quosdam vero vult perdere voluntate consequente. Ergo cupit, quod non vult.

Causam cur Deus se patiatur frustrari voluntate sua antecedente, & desiderio, quo serio cupit, omnes homines servari, Arminius hanc esse dicit: quia si in convertendo homine exerceret suam omnipotentiam, vim inferret libero arbitrio, & cogeret hominis voluntatem. Qua in re vir bonus plurimum hallucinatur. Potest enim Deus, sine coactione sic flectere voluntatem, vt sponte sequatur. Sine coactione subito immutavit animum Esau. Gen.33. Et Saulis, 1. Sam.cap.19. v.23. Et Ægyptiorum, Psal. 105. 25. Et Regum, Prov.21. 1. Hanc immutationem voluntatis, illibata libertate humani arbitrij, si Deus facit in improbis, quanto magis in probis & fidelibus? Christus vim non intulit cordi latronis in cruce. Nec trahuntur inviti, sed vltro sequuntur, quibus datur cor carneum ex lapideo. Ezech. 36. vers.26. Etsi certo & infallibiliter convertuntur.

Quid quod irresistibilitatem nemo magis statuit, quam Arminiani. Censent enim intellectum irresistibiliter à Deo luce veritatis imbui. Censent vires ad credendum irresistibiliter dari. Censent morali & efficaci suasione affectus trahi. At his positis, necessarium est vt voluntas sequatur. Nam vbi mens firmam persuasionem imbibit, & affectus voluntatem exstimulant cum mente conspirantes, impossibile est, quin voluntas eorsum se moveat, quo dictat mens à Deo imbuta, quando appetitus eodem impellit. Hæc enim sola sunt incitamenta voluntatis, nec vllo alio movetur impulsu. Nec dubium est, quin Deus, qui pernovit texturam facultatum animæ, & arcana momenta motionum internarum, possit suasionem moralem tam claram & vehementem imprimere menti, & affectus sic accendere, vt voluntas non possit non velle, & vltro se movere, ad id, quod mens suadet & suggerit affectus.

His adde, quod Arminius censet Electos trahi à Deo gratia efficaci, cujus effectus est certissimus & infallibilis: quia (inquit) Deus eos trahit tempore & modo congruo; quo qui trahuntur, certissimo sequuntur, quantumvis possint resistere: cæteros vero trahit modo non congruo, quo qui trahuntur, nunquam sequuntur vocantem. Frustra igitur irresistibilitatem exagitant, quam ipsi tam firmiter stabiliunt: & inconditam vocem & barbaram in medium producunt, ut speciosius certitudini, & infallibilitati Electorum illudant. Nempe hoc est quod Christus docet Ioh.6. 37. *Quicquid Pater mihi dedit, ad me veniet.* Et versu 45. *Quicunque audivit à*

patre & didicit; veniet. Et cap. 10. 16. *Habeo alias oves quas oportet me adducere, & audient vocem meam.*

Instant tamen, & obijciunt illud Matth. 23. vers. 37. & dicunt, Christum voluntate antecedente voluisse congregare Iudæos, ut gallina pullos; consequente vero voluisse spargere per nationes. At ego pertendo, hos pullos actu & revera esse congregatos; quanquam reclamantibus Hierosolymis. Nam per Hierosolyma, primores, sacerdotes, & Scribæ intelliguntur; per pullos vero populus, cujus Deus misertus est. Tum illud, *Quoties volui*, male intelligunt de voluntate antecedente, quæ est Decretum Dei; Cum velle hic nihil aliud sit, quam invitare & jubere.

Quod si Deus serio intenderet, & cuperet omnes servare, ut loquuntur sectarij; efficeret ut omnibus Evangelium innotesceret, sine quo nemo servatur.

Frustra causatur Arminius multis non annuntiari Evangelium, quia in proavis aut tritavis gratiam oblatam repudiaverunt, quo actu posteri meruerunt à Deo deseri. Sane sic loqui, nihil est aliud, quam assignare causam, cur Deus non serio velit salutem omnium & singulorum; & sic secum ipse pugnare. Quanquam ne quidem causa hæc est idonea. Hoc enim adversatur regulæ justitiæ Dei, quæ habetur Ezech. cap. 18. *Anima quæ peccaverit, morietur, filius non feret iniquitatem patris.* Et cum in lege iniquitas patrum dicitur visitari in filijs, hæc pœna non vltra tertiam aut quartam generationem extenditur. Ac plane vera est & sine exceptione sententia Pauli 2. ad Cor. cap. 5. 10. ubi ait, *vnumquemque reportaturum quod in corpore suo fecerit, sive bonum, sive malum.* Non ergo quod fecerit in alieno corpore.

Neque vero, si peccatum Adami imputatur posteris, idcirco sequitur peccata proavorum pronepotibus imputari. Causæ discriminis hæ sunt. 1. Quia peccato Adami puritatem originalem amisimus, peccatis proavorum non amisimus. 2. Adam acceperat dona quæ ad nos transmitteret, quod de nostris proavis dici non potest. 3. Accedit quod mei proavi peccatum erat mere personale, quod de Adami peccato dici non potest. 4. Nec esset compos mentis, qui diceret, Solomonem in Davide Vriam occidisse, quemadmodum nos peccavimus in Adamo. 5. Mitto absurda infinita in quæ se præcipitant. Potest enim fieri, ut alicujus paternus avus Evangelium respuerit, maternus receperit. 6. Cum genti integræ offertur aut aufertur Evangelium, in qua tamen diversi sunt diversis majoribus orti, pijs, impijs, bonis, malis. 7. Quid quod experimento constat, pessimorum majorum pessimam & profligatissimæ improbitatis prosapiam, ad fidem esse conversam? Et (ut ait Apostolus) ubi abundavit peccatum, ibi abundasse gratiam? Quid deterius Romana urbe, in quam ex toto orbe rapinæ erant congestæ? Quid erat Corinthus, nisi lupanar totius Græciæ, & fœdissimarum libidinum emporium? Nihilominus tamen in istis urbibus erexit Deus trophæa Christi, insuper habitis multis populis barbaris, quorum stolida feritas videbatur dignior commiseratione, si res non ex arcano Dei consilio, sed ex humana ratione gereretur.

Non ergo omnium hominum salutem Deus æqualiter cupit, sed vocatio tum externa, tum interna, secundum arcana divinæ prædestinationis dispensatur, ut non sit volentis neque currentis, sed miserentis Dei.

Exclusus temporis angustijs non potui de alijs quæstionibus agere pertractate. De quibus tamen quid sentiam, sic breviter expono.

Gratiam vniversalem datam omnibus hominibus, quæ vel mediate vel immediate sufficiat ad perveniendum ad salutem, nullam agnosco.

Credo, nullam gratiam posse dici sufficientem, sine cognitione Christi.

Sententiam Arminianorum dicentium, Deum teneri dare omnibus vires credendi, repudio ut falsam & temerariam.

Discrimen inter vocationem externam & internam agnosco, & assero vocationem externam posse esse sine interna Spiritus efficacia.

Credo

Credo, Deum non modo dare vires credendi, sed & ipsum actum credendi. Quem actum qui dicunt partim esse à gratia, partim à libero arbitrio, merito Semipelagianis accensentur. Etsi homo libere credit & sponte, totum tamen illud quod facit, est donum Dei.

Credo fidem justificantem esse donum Dei, Electis peculiare.

Credo Electos, quamvis subinde cespitent, & fides eorum vacillet, non posse tamen finaliter excidere.

Porro, etsi dubitatio de salute pijs subinde obrepat, Deus tamen in Verbo jubet nos esse certos de ea. Ad quam certitudinem totis viribus contendendum est. Nec dubium est, quin ad hanc certitudinem multi perveniant, cum Scriptura plena sit his exemplis.

Quisquis autem certus est suæ salutis, oportet etiam certus sit se nunquam à Deo desertum iri, ac proinde se perseveraturum ad finem.

PETRUS MOLINÆUS

hoc credo, hoc profiteor.

Sessione Centesima Quadragesima-Quarta,

SESS. CXLIV.

XXIX. *Aprilis, Die Lunæ post Meridiem.*

Continuata fuit judicij D. Molinæi prælectio, statutumque est pro accuratissimo eo judicio, & consensu in doctrina, gratias ei agendas.

Amplissimi DD. Delegati monuerunt, se Illustribus ac Præpotentibus DD. Ordinibus Generalibus, quibusdam è collegio suo Hagam missis, renunciasse, quid hactenus in Synodo actum esset. Formatum nempe tandem esse unanimi consensu ac subsignatum Synodicum de quinque Remonstrantium Articulis judicium: gratum id imprimis fuisse ijsdem Illustr. DD. Qui & eo nomine singulares Deo gratias agerent: eumque tum Exterorum Theologorum, tum Provincialium laborem, acceptissimum ipsis fuisse. Monere autem, ut quæ restarent agenda, quam celerrime fieri posset, ad finem perducerentur. Hanc quoque inprimis esse Illust. DD. Ordinum voluntatem, ut Confessio fidei Reformatarum Ecclesiarum Belgicarum ex more in Synodis Nationalibus usitato, præsentibus Theologis Exteris relegeretur atque examinaretur. Utque à singulis Synodi membris, tam Exteris quam Provincialibus, libere declararetur, si quæ in Confessione ista ab ijs observata essent, quæ ad dogmata & doctrinæ essentiam pertinerent, quæque veritati in Verbo Dei revelatæ, aut aliarum Reformatarum Ecclesiarum Confessionibus minus consentanea viderentur. Quæ autem methodum aut phraseologiam spectarent, quæque ad Regimen atque ordinem Ecclesiæ pertinerent, ea postea à solis Provincialibus penitius examinatum iri. Monitum proinde fuit eo tempore, Articulum trigesimum primum & secundum, non esse examinandum, quia in utroque, de ordine Ecclesiastico, quem Exteri nonnulli à nostro diversum habent, ageretur.

Cum de exemplaribus Confessionis Belgicæ prius esset prospectum, prælecti sunt ordine omnes Confessionis huius Articuli. Rogatique sunt singuli, ut rigide probeque ijsdem examinatis, libere deinceps ac sincere declararent, utrum in dogmatibus Confessione ista comprehensis, quidquam observassent, quod cum verbo Dei minus conveniret, ac proinde necessario mutandum esse iudicarent.

Statutum fuit ex Illustrium Delegatorum consilio, die Lunæ proximo, Synodicum de quinque articulis judicium, publice pronuntiandum esse.

Sessione

SESS. CXLV.

Sesſione Centeſima Quadrageſima-Quinta,

XXX. *Aprilis, Die Martis ante meridiem.*

Eclararunt Clariſſimi Magnæ Britanniæ Theologi, ſe Confeſſionem Belgicam diligenter examinaſſe, nihilq; in ea deprehendiſſe, quod ad fidei quidem dogmata attineret, quod verbo Dei non conſentiret: nihil obſtantibus Remonſtrantium conſiderationibus: quas ſe una opera examinaſſe teſtabantur, eaſque tales eſſe pleraſque, quæ in omnibus reformatarum Eccleſiarum Confeſſionibus notari poſſent.

Invitatus fuit univerſus cœtus ad funus Nobiliſſimi Ampliſſimiq; viri D. Lamberti Canteri, Reipublicæ Vltrajectinæ Conſiliarij, eiuſdemque Eccleſiæ Senioris ad Synodum Deputati, qui XXIV. Aprilis diem ſuum placide in Domino obierat.

SESS. CXLVI.

Sesſione Centeſima Quadrageſima-ſexta,

Eodem Die poſt meridiem.

Reliquorum tam Exterorum quam Provincialium Theologorum, de doctrinâ in Confeſſione Belgica comprehenſa, rogata ſunt iudicia: fuitque declaratū ab omnibus & ſingulis, conſentientibus ſuffragijs, iudicare ſe, nullum in hac Confeſſione dogma contineri, quod veritati in ſacris Scripturis expreſſæ repugnaret: contra vero omnia eidem veritati & Confeſſionibus Eccleſiarum aliarum reformatarum conſentire. Moniti præterea ſerio ab Exteris Theologis ſunt Provinciales, ut in hac Orthodoxa, pia, & ſimplici fidei confeſſione conſtanter perſeverarent, eamque poſteris intemeratam relinquerent, atque in adventum Domini noſtri Ieſu Chriſti conſervarent. Vnanimiter quoque declararunt Provinciales, ſtatutum ſibi eſſe, in hujus doctrinæ Orthodoxæ profeſſione conſtanter perſeverare, eamque in hiſce Belgicis provincijs pure docere, ſedulo propugnare, atque incorruptam porro per benignitatem Dei conſervare. Cui & pro amabili illo in doctrina tam Externorum quam Provincialium conſenſu gratias egerunt, rogaruntq; Illuſtres Delegatos, ut Eccleſiarum Belgicarum nomine, apud Illuſtriſſ. ac Præpotentes DD. Ordines Generales, intercedere dignarentur, ut iiſdem Illuſtribus Dominis placeret Orthoxam hanc doctrinam in Belgicis Eccleſijs ſartam porro ac tectam autoritate ſua tueri ac ſtabilire.

Monuerunt Eccleſiarum Gallo-Belgicarum Deputati, eandem Belgicam Confeſſionem, in Nationali Eccleſiarum Gallicarum Synodo, quæ in urbe Vitriacenſi, anno CIƆ IƆ LXXXIII fuit habita, ſolemniter fuiſſe approbatam. Quod & ipſum, ex Actis eiuſdem Synodi confirmabant.

Acta Synodi Vitriacenſis.

Nos Paſtores & Seniores, in urbe Vitriacenſi, ad habendam Synodum Nationalem congregati, eoque nomine ab omnibus Eccleſijs Gallicis delegati; ad poſtulationem fratrum, qui ab Eccleſijs Reformatis Belgicis ad nos miſſi fuerant, huic Confeſſioni fidei prædictarum Eccleſiarum, ad mutuam doctrinæ unionem teſtandam, ſubſcripſimus: prout articulo ad hanc rem conſignato, plenius declaratum eſt. Actum Vitriaci ad 25. Maij, 1683. P. Merlinus Præſes. M. Vircllus. &c.

Articulus ſic habet.

Quod ad Confeſſionem fidei & Diſciplinam Eccleſiaſticam, quas fratres Eccleſiarum Belgicarum nobis exhibuerunt, Synodus, hæc pro ſummo conſenſu & unione, quæ

ne, quæ inter Belgicas & huius regni Ecclesias, in utraque intercedit, summas Deo gratias egit. Nec gravata est iisdem subscribere: petiitque, ut prædicti fratres Deputati vicissim Gallicarum Ecclesiarum Confessioni & Disciplinæ Ecclesiasticæ, subscribant. Quod à prædictis fratribus est factum.

Petrus Merlinus: Mattheus Virellus: electi Synodi Præsides.

Hanc autem Confessionem, prout in Synodo recognita & approbata est, hic subiungimus.

ECCLESIARVM BELGICARVM
Christiana atq; Orthodoxa Confessio,

Summam doctrinæ de Deo, & æterna animarum salute, complectens.

ARTICVLVS I.

Corde credimus, & ore confitemur omnes, unicam esse & simplicem essentiam spiritualem, quam Deum vocamus; eumque æternum, incomprehensibilem, invisibilem, immutabilem, infinitum, omnipotentem, summe sapientem, justum, & bonum, omniumque bonorum fontem uberrimum.

II.

Duobus autem modis eum cognoscimus: primo, per creationem, conservationem, atque totius mundi gubernationem: quandoquidem is, coram oculis nostris est, instar libri pulcherrimi, in quo creaturæ omnes, magnæ minoresque, loco characterum sunt, qui nobis Dei invisibilia contemplanda exhibent; æternam nempe ejus potentiam & divinitatem, ut Paulus Apostolus loquitur, Rom. 1. 20. Quæ omnia ad convincendos, & inexcusabiles reddendos homines, sufficiunt. Secundo, ipse sese nobis longe manifestius & plenius in sacro & divino suo Verbo cognoscendum præbet, quantum quidem id, ad gloriam ipsius, nostramque, in hac vita salutem, necessarium est.

III.

Confitemur, hoc Dei verbum, non humana voluntate allatum, traditumque fuisse; sed sanctos Dei viros divino afflatos Spiritu, locutos esse, ut beatus Petrus ait. Postea vero Deus, pro singulari cura, quam de nobis nostraque salute gerit, servis suis Prophetis & Apostolis mandavit, ut sua illa oracula scriptis consignarent. Quin & ipse, duas tabulas legis, digito suo exaravit. Atque hanc ob causam, scripta hujusmodi, Sacras & Divinas Scripturas appellamus.

IV.

Sacram autem Scripturam, duobus voluminibus, Veteris nimirum & Novi Teſtamenti, complectimur: qui ſunt libri Canonici. Quibus, nihil opponi poteſt. Eorum in Dei Eccleſia hic eſt Catalogus. Veteris quidem Teſtamenti, Quinque Libri Moſis; nempe, Geneſis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium: Liber Ioſuæ, Iudicum, Ruth, duo Libri Samuelis, & duo Regum, duo Libri Chronicorum, qui Paralipomenon dicuntur; primus Eſdræ, Nehemias, Eſther. Item Iob, Pſalmi Davidis, Tres Libri Salomonis; videlicet Proverbia, Eccleſiaſtes & Canticum Canticorum: Quatuor Prophetæ Majores, Eſaias, Ieremias, cum ejuſdem Threnis, Ezechiel & Daniel: inde reliqui duodecim Minores Prophetæ; nempe, Oſeas, Ioel, Amos, Abdias, Ionas, Micheas, Nahum, Habacuc, Zophonias, Aggæus, Zacharias & Malachias. Novi vero Teſtamenti; Quatuor Evangeliſtæ; Sanctus ſcilicet Matthæus, Marcus, Lucas & Iohannes; Acta Apoſtolorum: Quatuordecim Epiſtolæ S. Pauli, quæ ſunt, ad Romanos, ad Corinthios duæ, Galatas, Epheſios, Philippenſes, Coloſſenſes, ad Theſſalonicenſes duæ, ad Timotheum duæ; ad Titum, Philemonem, Hebræos: & ſeptem epiſtolæ reliquorum Apoſtolorum; nempe Iacobi, Petri duæ, Iohannis tres, Iudæ: Apocalypſis denique S. Ioannis Apoſtoli.

V.

Hoſce omnes libros ſolos pro Sacris & Canonicis recipimus, ut ad eos, veluti ad regulam, fides noſtra exigatur: iiſq; tanquam fundamento, innitatur, & ſtabiliatur. Eaque omnia, quæ illis continentur, abſque omni dubitatione credimus: idque non tam, quod Eccleſia eos pro hujuſmodi recipiat & approbet, quam inprimis, quod Spiritus Sanctus in cordibus noſtris teſtetur à Deo profectos eſſe, comprobationemque eius in ſe ipſis habeant: quum vel ipſi cæci ea, quæ in illis prædicta fuerunt, evenire, ipſo quaſi contactu deprehendant.

VI.

Differentiam porro conſtituimus inter libros hoſce Sacros, & Apocryphos; qui ſunt, Tertius & Quartus Eſdræ: Libri Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Eccleſiaſtici; Baruch cũ epiſtola Ieremiæ, Adjectiones ad Eſtherem, Canticum in fornace trium puerorum, Hiſtoria Suſannæ, Idoli Belis, & Draconis: Oratio Manaſſis, duo præterea libri Machabeorum: quos quidem Eccleſia legere, & ex ijs documenta de rebus cum libris Canonicis conſentientibus, deſumere poteſt. At nequaquam ea ipſorum vis & autoritas eſt, ut ex ullo teſtimonio ipſorum aliquod dogma de fide aut Religione Chriſtiana, certo conſtitui poſſit: tantum abeſt, ut divinorum illorum librorum autoritatem imminuere valeant.

VII. Credi-

VII.

Credimus Sacram hanc Scripturam, Dei voluntatem perfectè complecti, & quodcunque ab hominibus, ut salutem consequantur, credi necesse, est, in illa sufficien ter edoceri. Nam quum illic omnis divini cultus ratio quem Deus à nobis exigit, fusissime descripta sit, nulli hominum, ne Apostolis quidem, fas est aliter docere, quam iampridem in Sacris literis edocti sumus; imo vero, etiamsi è cœlo Angelus foret, vt ait Apostolus Paulus. Quum enim vetitum sit, ne quis Dei verbo quicquam addat aut detrahat, satis eo ipso demonstratur, doctrinam illius perfectissimam omnibusque modis consummatam esse. Sed nec cum divinis ijsdem scripturis, vlla hominum, quantavis sanctitate præditorum scripta, neque vlla consuetudo, cum divina veritate, (veritas enim rebus omnibus antecellit) neque multitudo, neque antiquitas, neque temporum, personarumque Successio, neque Concilia, Decreta, aut Statuta, comparari possunt. Omnes enim homines mendaces ex seipsis sunt, ipsaque vanitate vaniores. Idcirco, toto animo rejicimus quicquid cum certissima hac regula non convenit, quemadmodum edocti ab Apostolis sumus, cum dicunt, Probate Spiritus an ex Deo sint. Item, si quis venit ad vos & hanc doctrinam non adfert, ne recipite eum in domum vestram.

VIII.

Secundum hanc veritatem & Dei verbũ credimus, in vnum Deum, qui est vnica essentia, in qua tres sunt personæ, incommunicabilibus proprietatibus ab æterno revera ac reipsa distinctæ; nempe Pater, Filius & Spiritus Sanctus. Pater, omnium rerum tam visibilium quam invisibilium causa, origo atque principium est: Filius est verbum, sapientia, & imago Patris: Spiritus Sanctus, virtus & potentia æterna, à Patre filioque procedens. Veruntamen hæc distinctio non efficit; vt Deus in tres sit divisus; quandoquidem Scriptura nos docet, Patrem, Filium & Spiritum Sanctum, singulos distinctam habere suis proprietatibus hypostasin. Ita tamen, vt tres hæ Personæ, tantum sint vnus & solus ille Deus. Manifestum itaque est, Patrem non esse Filium, neque Filium esse Patrem; similiter, Spiritum Sanctum, nec Patrem neque Filium esse. Interim Personæ illæ, ita distinctæ, non sunt divisæ; neque inter se confusæ aut permixtæ. Non enim Pater carnem assumpsit, vt nec Spiritus Sanctus, sed solus Filius. Pater nunquam sine Filio suo, nec sine Spiritu suo Sancto fuit. Quia tres hi in vna eademque essentia, æternitate sunt æquales. Nihil hic prius est aut posterius, quum omnes tres vnum sint, tum veritate & potentia, tum bonitate & misericordia.

IX.

Hæc vero omnia cognoſcimus, tam ex ſacræ Scripturæ teſtimonijs, quam ipſarum Perſonarum effectis; ijſque potiſsimum, quæ in nobismetipſis percipimus. Et ſacræ quidem Scripturæ teſtimonia, quæ nos docent Sanctam hanc Trinitatem credere, in compluribus veteris Teſtamenti Locis exſtant; quæ non tam numeranda, quam ſeligenda diſcernendaque ſunt. Libro Geneſeos dicit Deus, Faciamus hominem, ad imaginem noſtram, & ſecundum ſimilitudinem noſtram &c. Deus itaque creavit hominem ad imaginem ſuam: marem & fœminam creavit eos. Item, Ecce Adam factus eſt, tanquam vnus è nobis. Ex eo quod ait, faciamus hominem ad imaginem noſtram, plures eſſe in Deitate Perſonas apparet: Cum vero inquit, Deus creauit, vnitatem indicat. Verum id quidem eſt, ibidem non exprimi quot ſint perſonæ, ſed quod nobis in Teſtamento Veteri paulo eſt obſcurius, id perſpicuum eſt admodum in Novo. Nam quum Dominus noſter in Iordane baptizaretur, Patris vox audita fuit, dicentis, Hic eſt Filius meus dilectus: Filius, in aquis viſus eſt: Spiritus Sanctus, ſub ſpecie columbæ apparuit. Quin etiam in omnium fidelium Baptiſmo hæc formula à Chriſto præſcripta fuit, Baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. In Euangelio S. Lucæ, Angelus Gabriel Mariam matrem Domini noſtri ita alloquitur, Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, & virtus altiſsimi obumbrabit te: propterea id etiam quod naſcetur ex te Sanctum, Filius Dei vocabitur. Item, Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti, & charitas Dei, & communicatio Spiritus ſancti, ſit vobiſcum. Et, Tres ſunt qui teſtificantur in cœlo; Pater, Sermo, & Spiritus Sanctus; atque hi tres, vnum ſunt. Quibus omnibus Locis, plene docemur, tres eſſe in unica Dei eſſentia, Perſonas. Quamvis autem hæc doctrina, omnem humani ingenij captum longe excedat; nihilominus illam ex Dei verbo nunc quidem credimus; expectamus vero perfectam eius notitiam fruitionemque in cœlis. Notanda ſunt porro etiam, ſingularia trium harum Perſonarum erga nos officia & effecta. Pater vocatur noſter Creator, virtute ſua; Filius noſter eſt Servator & Redemptor, ſanguine ſuo; Spiritus autem Sanctus noſter ſanctificator, ſua in cordibus noſtris inhabitatione. Atque hæc Sanctæ Trinitatis doctrina, iam inde ab Apoſtolorum ætate, in hunc vſque diem, in vera Eccleſia ſemper aſſerta & conſervata fuit, adverſus Iudæos, Mahumetanos, atque quoſdam pſeudochriſtianos hæreticoſque, vtpote Marcionem, Manetem, Praxeam, Sabellium, Samoſatenum, Arrium, & ſimiles alios, qui iure meritoque ab Orthodoxis Patribus, condemnati fuerunt. Idcirco in hoc negocio, lubenter recipimus, tria illa Symbola; Apoſtolorum ſcilicet, Nicænum & Athanaſij: ſimiliterque ea, quæ à Veteribus patribus juxta illorum Symbolorum ſententiam ſtatuta ſunt.

Credi-

Digitized by Google

X.

Credimus, Iesum Christum, secundum naturam suam divinam, unigenitum Dei filium esse; ab æterno genitum, non factum aut creatum (ita enim foret creatura) sed eiusdem cum Patre essentiæ, coæternum, expressam imaginem hypostaseos Patris, & splendorem gloriæ ipsius, in omnibus illi æqualem. Qui quidem Dei filius est, non tantum ab eo tempore quo nostram naturam assumpsit, sed ab omni æternitate, vt hæc testimonia inter sese collata, nos docent. Moyses ait, Deum mundum creasse: Sanctus vero Iohannes, Omnia per Sermonem facta fuisse, quem & Deum vocat: Et Apostolus, Deum secula fecisse per Filium suum. Item, Deum creasse omnia per Iesum Christum. Necesse itaque eum, qui Deus, Sermo, Filius & Iesus Christus nominatur, iam tum exstitisse, quum ab ipso omnia crearentur. Ideoque Propheta Micheas inquit, Exitus eius ab initio, à diebus æternitatis. Et Apostolus, Est absque initio dierum, & absque fine vitę. Est igitur verus & æternus ille Deus, atque omnipotens, quem invocamus, adoramus & colimus.

XI.

Credimus prætereà & confitemur, Spiritum Sanctum, à Patre & Filio ab æterno procedere: non itaque factum, nec creatum, neque etiam genitum; sed solummodo, ab vtroque procedentem: qui ordine tertia in Trinitate persona est, eiusdem essentiæ, majestatis & gloriæ cum Patre Filioque: adeoque verus & æternus Deus, vt nos sacra Scriptura docet.

XII.

Credimus Patrem per verbum, hoc est, Filium suum, cælum & terram cæterasque creaturas omnes, quando ipsi visum fuit, ex nihilo creasse; illisque singulis suam essentiam, formam, & figuram, variaque officia tribuisse, vt creatori suo inservirent: eumque etiam nunc eas omnes, pro æterna sua Providentia, & immensa sua virtute, sustentare & regere: idque, ut illæ quidem homini, homo vero Deo suo inserviat. Creavit prætereà Angelos, eosque bonos; vt nuncij eius essent, electis eius ministrarent: quorum alij, ab excellentia, in qua eos Deus creaverat, in perditionem æternam prolapsi sunt; alij, divina gratia, in primo illo statu suo perstiterunt, atque permanserunt. Diaboli autem & cacodæmones ita corrupti sunt, vt Dei omnisque boni sint hostes, qui omnibus viribus, Ecclesiæ ac singulis eius membris, veluti prędones, insidiantur, vt imposturis suis omnia destruant perdantque: Ideoque propria sua malitia, æternę condemnationi adiudicati, horrenda tormenta indies expectant. Ac proinde

 detesta-

deteſtamur Sadducæorum errorem, qui Spiritus & Angelos vllos eſſe negant: itemque & Manichæorum, qui aſſerunt, Diabolos ex ſeipſis originem ſuam ducere, & ex propria ſua natura abſque ſui corruptione malos eſſe.

XIII.

Credimus benignum illum Deum, poſtquam res omnes creaſſet, minime eas caſui aut fortunæ permiſiſſe, ſed ſecundum ſanctam ſuam voluntatem eum in modum regere & gubernare, vt nihil in hoc mundo abſque ipſius ordinatione eveniat: quamvis tamen Deus peccatorum quæ fiunt neque autor neque reus ſit. Tanta enim tamque incomprehenſibilis ipſius potentia & bonitas, vt opus ſuum optime juſtiſſimeque ordinet & exſequatur, etiam quum & Diabolus & impij iniuſte agunt. Quæ vero ita agit, ut humanum excedant ſenſum, in ea nolumus curioſe vltra quam fert captus noſter inquirere. Quinimo omni animi ſubmiſſione & reverentia, occulta nobis Dei iudicia, adoramus: ſufficitque nobis, Chriſti eſſe diſcipulos, vt ea duntaxat diſcamus quæ ipſe verbo ſuo nos docet, ut ne uſquam hoſce limites tranſiliamus. Hæc doctrina, ineffabilem nobis adfert conſolationem, dum ea erudimur, nihil nobis fortuito, nec ſine optimi Patris noſtri & cœleſtis voluntate, evenire poſſe. Qui pro nobis cura vere paterna excubat, omneſque ſibi creaturas ita ſubditas habet; ut ne capillus quidem capitis noſtri, qui omnes numerati ſunt, imo nec paſſerculus vllus humi cadere, ſine Patris noſtri voluntate, poſſit. In quo quidem toti conquieſcimus: perſuaſi, eum Diabolos omneſque inimicos noſtros veluti habenis continere, ut ſine eius permiſſione & voluntate, nobis nocere nequeant. Eoque rejicimus deteſtandum Epicureorum errorem, qui dicunt, nihil Deum curare, omniaque fortunæ permittere.

XIV.

Credimus, Deum ex terræ pulvere, hominem creaſſe, & ad ſuam imaginem & ſimilitudinem feciſſe atque efformaſſe; bonum nempe, juſtum, & ſanctum. Qui ſuo ſeſe arbitrio ad divinam voluntatem per omnia componere poſſet. Verum, cum in honore eſſet, idipſum non intellexit, nec excellentiam ſuam cognovit, ſed ſeipſum, verbis Diaboli aurem præbens, peccato, ac proinde morti & maledictioni, volens ſubjecit. Nam mandatum vitæ quod acceperat, tranſgreſſus eſt: ſeſeque à Deo, qui vera ipſius erat vita, peccato ſuo, penitus divulſit, totamque naturam ſuam corrupit. Quo ſe morti corporeæ & ſpirituali obnoxium reddidit. Atque ita improbus perverſuſque effectus, & in vijs ſtudijſque ſuis corruptus, præclara illa omnia dona, quæ à Deo acceperat, amiſit. Adeo vt ipſi tantum exigua quędam illorum veſtigia remanſerint: quæ tamen ad reddendum eum

Digitized by Google

eum inexcusabilem sufficiant; quoniam, quicquid in nobis est lucis, in tenebras versum est, ut Scriptura nos docet; dicens, Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Vbi S. Iohannes, homines tenebras appellat. Idcirco rejicimus, quæcunque cum his pugnantia de libero hominis arbitrio docentur; utpote qui tantum servus est peccati, neque quidquam ex se habere potest, nisi datum sit illi cœlitus. Quis enim jactare audeat, se boni quidquam, tanquam ex seipso, præstare posse, quum Iesus Christus dicat, Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus, qui me misit, traxerit eum. Quis voluntatem suam ostentet, qui intelligat, Affectionem carnis, inimicitiam esse adversus Deum? Quis de intelligentia vel hiscere audeat, qui sciat; Hominem animalem non esse capacem eorum, quæ sunt Spiritus Dei? In summa, Quis vel ullam cogitationem in medium proferat, cum intelligat; Nos non esse idoneos ex nobis ipsis ad cogitandum quidquam, veluti ex nobis ipsis, sed quod idonei simus, ex Deo esse? Firmum erga & ratum merito manere oportet, dictum illud Apostoli, Deum esse qui efficit in nobis & ipsum velle, & perficere, pro suo beneplacito. Nulla enim intelligentia, nec voluntas conformis est divinæ, nisi quam Christus in illis fuerit operatus. Quod nos docet cum ait, Sine me nihil potestis facere.

XV.

Credimus, Adami inobedientia peccatum Originis in totum genus humanum diffusum fuisse: quod est totius naturæ corruptio, & vitium hæreditarium: quo & ipsi infantes in matris suæ utero polluti sunt, quodque veluti radix, omne peccatorum genus in homine producit; ideoque ita fœdum & execrabile est coram Deo, ut ad generis humani condemnationem sufficiat. Neque vero hoc ipsum, per Baptismum etiam penitus aboletur, aut radicitus evellitur: quandoquidem assidue veluti aqua ebulliens, ex ea tanquam ex infausta scaturigine, peccatum emanet: quamvis Dei Filijs in condemnationem id non imputetur, verum gratia & misericordia eius condonetur. Non tamen ut secure peccato in dormiant, sed ut corruptionis huius sensus crebriores gemitus in fidelibus exciter, qui desiderant, ab hoc corpore mortis liberari. Quapropter rejicimus Pelagianorum errorem, qui asserunt, hoc peccatum, tantum ex imitatione esse.

XVI.

Credimus, posteaquam tota Adami progenies sic in perditionem & exitium, primi hominis culpa, præcipitata fuit, Deum se talem demonstrasse, qualis est; nimirum, misericordem & justum. Misericordem quidem, eos ab hac perditione liberando & servando, quos æterno & immutabili suo consilio, pro gratuita sua bonitate in Iesu Christo Domino nostro elegit & selegit, absque ullo operum eorum respectu: Justum vero, reliquos in lapsu & perditione, in quam sese præcipitaverant, relinquendo.

XVII.

Credimus benignifsimum illum Deum noſtrum, cum cerneret hominem ſeſe ita in mortem tam corporalem, quam Spiritualem præcipitem dediſſe, prorſuſque miſerum effectum; ipſummet pro admirabili ſua ſapientia & bonitate, eum, cum ab ipſo totus tremebundus fugeret, quæſiviſſe ac conſolatum eſſe; promiſſione illi facta de donando Filio ſuo, ex muliere naſcituro, qui ſerpentis caput contereret, atque illum beatum redderet.

XVIII.

Confitemur itaque, Deum promiſſionem veteribus patribus, per os ſanctorum Prophetarum factam, impleviſſe, quum conſtituto tempore, Filium illum ſuum proprium, unigenitum, & æternum, in mundum miſit: qui forma ſervi accepta, ſimilis hominibus factus eſt, & veram naturam humanam cum omnibus ipſius infirmitatibus, excepto peccato, vere aſſumpſit, conceptus in utero beatæ virginis Mariæ, idque virtute Spiritus ſancti, abſque viri opera. Quin & non ſolum naturam humanam quoad corpus aſſumpſit, ſed & veram hominis animam, ut verus eſſet homo. Nam cum anima non minus quam corpus perdita eſſet, neceſſe fuit illum utrumque aſſumere, ut utrumque ſimul ſervaret. Quare profitemur contra Anabaptiſtarum hæreſin, negantium Chriſtum carnem humanam ex matre ſua aſſumpſiſſe, Chriſtum carnis & ſanguinis puerorum participem factum, fructum eſſe lumborum Davidis ſecundum carnem, factum eſſe ex ſemine Davidis ſecundum carnem, fructum uteri virginis Mariæ, factum ex muliere, germen Davidis, ſurculum ex radice Ieſſe, ortum è Iuda atque è Iudæis ſecundum carnem progenitum, ex ſemine Abrahami, ſiquidem ſemen Abrahæ aſſumpſit, fratribus ſuis per omnia factus ſimilis, excepto peccato. Adeo, ut hoc modo, revera ſit noſter Emmanuel, id eſt, Deus nobiſcum.

XIX.

Credimus, hac Conceptione, Perſonam Filij, unitam atque conjunctam fuiſſe inſeparabiliter cum humana natura. Ita, ut non ſint duo Filij Dei, nec duæ Perſonæ, ſed duæ naturæ in unam Perſonam unitæ, quarum utraque proprietates ſuas diſtinctas retineat. Adeo, ut ſicut natura divina ſemper increata permanſit abſque initio dierum & vitæ fine, cœlum & terram implens: ſic humana natura, propietates ſuas non amiſerit, ſed creatura remanſerit, initium dierum & naturam finitam habens, omniaque, quæ vero corpori conveniunt, retinens. Et quamvis eidem naturæ, immortalitatem reſurrectione ſua dederit, nihilominus veritatem eius non

non commutavit: siquidem salus & resurrectio nostra, etiam à veritate ejus corporis dependet. Cæterum naturæ istæ duæ, in persona una ita sunt unitę, ut ne morte quidem ipsius separatę fuerint. Quod igitur Patri suo moriens commendavit, is verus erat Spiritus humanus, è corpore ejus egrediens: at interim, divina natura semper humanæ unita permansit; etiam cum in sepulchro jaceret: neque Deitas tum desinebat esse in ipso (sicuti & in ipso erat cum infans esset) etsi ad exiguum tempus sese ita non exereret. Quapropter confitemur ipsum verum Deum & verum hominem esse: verum quidem Deum, ut mortem sua potentia vinceret: verum autem hominem, ut secundum carnem suam infirmam, pro nobis mori posset.

XX.

Credimus, Deum, qui perfectissime misericors & justus est, filium suum misisse, ut naturam eam, in qua inobedientia perpetrata erat, assumeret, qui in ea ipsa satisfaceret, pœnas peccatis debitas acerbissima passione sua & morte expiaret. Deus igitur justitiam suam erga Filium suum, quem peccatis nostris onerarat, declaravit, & bonitatem atque misericordiam suam in nos reos & condemnatione dignos effudit, dum filium suum ex summa dilectione pro nobis in mortem dedit, & è mortuis excitavit ad nostri justificationem, ut immortalitatem & vitam æternam per eum consequeremur.

XXI.

Credimus, Iesum Christum summum sacerdotem esse in æternum jurejurando constitutum, secundum ordinem Melchisedech. Qui se nostro nomine coram Patre stitit, ad iram ipsius plena satisfactione sua placandũ, offerens se ipsum in ligno crucis, pretiosumque sanguinẽ suum ad purgationem peccatorum nostrorum effundens, prout Prophetæ prædixerant. Scriptum enim est, Castigationem pacis nostræ Dei Filio impositam, & vibicibus ejus nos sanatos esse: ipsum tanquam ovem ad mortem ductum, inter sceleratos reputatum, & à Pontio Pilato, tanquã maleficum, cõdemnatum: etsi illum prius innocentẽ pronunciasset. Quæ ergo non rapuerat persolvit, & justus pro injustis, tum in corpore tum in anima sua passus est, ita ut horribiles illas pœnas, peccatis nostris debitas sentiens, grumos quasi sanguinis in terram defluentes, sudaverit, tandemque exclamaverit, Deus mi, Deus mi, quare me dereliquisti? Atque hæc omnia pro remissione peccatorum nostrorum pertulit. Quamobrem merito cum Apostolo Paulo dicimus, Nos nihil aliud scire, quam Christum eumque crucifixum. Quin omnia pro stercoribus ducimus, propter excellentiam cognitionis Iesu Christi Domini nostri: In cujus vulneribus omnem consolationem reperimus. Neque necesse habemus, ut rationes ullas alias quæramus, aut excogitemus, quibus Deo reconciliemur; pręter hanc solam & unicam oblationem, semel peractam, qua fideles in perpetuum consummati sunt. Atque hæc ipsa causa est, quod ab Angelo Dei, Iesus, id est,

Servator, vocatus sit, quod populum suum à peccatis ejus servaturus esset.

XXII.

Credimus, ut hujus magni mysterij veram cognitionem adipiscamur, Spiritum Sanctum, veram in cordibus nostris fidem accendere: quæ Iesum Christum cum omnibus suis meritis amplectitur, eumque suum ac sibi proprium efficit, nihilque amplius extra eum quærit. Necessarium est enim, aut omnia quæ ad salutem nostram requiruntur in Iesu Christo non esse, aut si in eo sunt omnia, tum eum qui fide Iesum Christum possidet, totam salutem habere. Asserere itaque, Iesum Christum minime sufficere, sed alijs quoque præter illum opus esse; horrenda omnino in Deum blasphemia est. Nam inde sequeretur, Iesum Christum ex parte tantum servatorem esse. Merito igitur cum Paulo dicimus, Nos sola fide justificari, seu, fide absque operibus. Interim proprie loquendo, nequaquam intelligimus, ipsam fidem esse, quæ nos justificat, ut quæ sit duntaxat instrumentum, quo Christum justitiam nostram, apprehendimus: sed Jesus Christus nobis imputãs omnia sua merita, & tam multa sancta opera quæ præstitit pro nobis ac nostro loco, est nostra justitia. Fides autem est instrumentum, quo nos cum illo in communione omnium bonorum ejus retinemur. quæ cum nostra facta sint, plus quam satis nobis sunt, ad nos à peccatis nostris absolvendos.

XXIII.

Credimus nostram beatitudinem sitam esse, in peccatorum nostrorum, propter Iesum Christum, remissione, atque in ea justitiam nostram coram Deo contineri, ut David & Paulus docent, pronunciantes, Beatum hominem, cui Deus justitiam absque operibus imputat. Sed & idem Apostolus ait, Nos gratis aut gratia justificari, per redemptionem quæ est in Christo Jesu. Ac propterea, hoc fundamentum firmum perpetuo retinemus, omnemque gloriam Deo tribuimus, nosque coram eo humiliamus, ac qui quales que simus, recognoscimus, nec de nobismet ipsis meritisque nostris quidquam præsumimus, sed sola Jesu Christi crucifixi obedientia innitimur, in eaque acquiescimus. Quæ quidem nostra est, cum in eum credimus. Hæc sufficit ad omnes iniquitates nostras obtegendas, & ut fiduciam nobis faciat accedendi ad Deum, à conscientijs metum, horrorem, formidinem removens, ne imitemur primi illius nostri Parentis exemplum, qui tremebundus ficulneis sese folijs obtegere conatus est. Et revera, si nobis ipsis aut ulli creaturæ vel tantillum innitentes, coram Deo nos sistere oporteret (eheu!) statim absorberemur. Idcirco cum Davide singulis nobis potius est precandum, Domine ne intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo ullus vivens.

Credimus

XXIV.

Credimus veram hanc fidem per auditum verbi Dei, & Spiritus S. operationem, homini insitam, eum regenerare, novumque hominem efficere, adeoque ad novam vitam vivendam excitare, & à peccatorum servitute liberum reddere. Tantum ergo abest, ut fides hæc justificans, homines in recta sanctaque vita tepidiores efficiat, ut prorsus è contrario, sine illa ipsa, nemo unquam quidquam ex amore Dei, sed amore tantum sui, vel condemnationis metu effecturus sit. Fieri itaque non potest, ut sancta hæc fides in homine otiosa sit: siquidem non loquimur de fide vana, sed de ea quæ in scriptura dicitur, Fides per charitatem efficax. Quæ inducit hominem, ut illis operibus, quæ Deus verbo suo præcepit, sese excerceat. Atque hæc opera quæ à bona fidei radice proficiscuntur, coram Deo bona, eique accepta sunt. Quoniam omnia, per illius gratiam sanctificantur. Veruntamen ad nos justificandos, in censum rationemque non veniunt. Fide utique in Christum justificamur, & quidem priusquam bona opera præstiterimus. Alias bona opera esse non possent, non magis quam arboris fructus bonus esse potest, priusquam arbor bona fuerit. Facimus igitur bona quidem opera, sed neutiquam ut ijs promereamur, (quid enim mereamur?) imo potius, ob bona opera quæ facimus, obstricti Deo sumus, non autem Deus nobis. Si quidem ipse est, qui efficit in nobis ut & velimus, & ut perficiamus proprio ejus bene placito. Habita ratione ejus quod scriptum est, Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite, servi inutiles sumus; nam quod debuimus facere, hoc fecimus. Interim tamen non negamus, Deum bona opera remunerari, verum gratiæ esse dicimus, quod coronet sua dona. Cæterum, quamvis bona opera faciamus, non tamen salutis nostræ fundamentum in ijs collocamus. Nullum enim opus facere possumus, quod non sit carnis vitio pollutum, ac proinde pœnis dignum. Et quamvis vel unum ejusmodi opus proferre possemus, unius tamen peccati recordatio ad illud rejiciendum coram Deo sufficeret. Proinde semper in dubio, & sine ulla certitudine hinc illic fluctuaremus, miseræque nostræ conscientiæ perpetuo torquerentur, nisi in unico merito mortis & passionis Servatoris nostri conquiescerent.

XXV.

Credimus ceremonias & figuras Legis, Christi adventu cessasse, omnesque umbras finem accepisse: ideoque earum usum, inter Christianos aboleri debere. Ita tamen, ut nobis illarum veritas & substantia in Iesu Christo maneat, in quo suum complementum habent. Atque interea, etiam è Lege & Prophetis deductis testimonijs adhuc utimur, ut nos in Evangelij doctrina confirmemus, vitamque nostram, cum omni honestate, ad Dei gloriam, juxta ipsius voluntatem, componamus.

Credi-

XXVI.

Credimus nos nullum accessum habere ad Deum, nisi per unicum Mediatorem & Advocatum Iesum Christum, justum illum, qui ideo factus est homo, unita humana natura cum divina, idque, ut nobis hominibus aditus ad divinam majestatem pateficeret, qui nobis alioquin erat præclusus. Verum tamen hic Mediator, quem Pater inter se & nos constituit, sua majestate haudquaquam nos terrere debet, ut ad alium, pro arbitratu nostro quærendum, ideo impellat. Nemo enim neque in cœlo, neque in terra inter creaturas est, qui nos impensius amet, quam Iesus Christus; qui, quamvis esset in forma Dei, seipsum exinanivit, forma hominis ac servi pro nobis accepta, & per omnia similis factus est fratribus suis. Quod si igitur nobis alius intercessor, qui bene erga nos affectus sit, quærendus foret, quem, quæso, inveniremus, qui nos magis diligat, quam eum ipsum, qui pro nobis, etiam cum adhuc inimici ejus essemus, vitam suam exposuit? Si porro quærendus aliquis est, qui autoritate & potentia valeat, quis est ille qui tanta polleat, atque is, qui ad Dei Patris dexteram sedet, quique omnem potestatem habet in cœlo & in terra? Et quis facilius exaudietur, quam proprius & unice dilectus filius Dei? Sola igitur diffidentia, morem hunc invexit, ut sanctos ignominia honoris loco afficiant: dum id agunt, quod illi nunquam fecerunt; nec sibi deferri postularunt; sed constanter & pro officio suo rejecerunt, sicut ex scriptis eorum patet. Neque hic nostra indignitas prætexenda est. Non enim hic quæritur de precibus nostra dignitate Deo, sed sola Domini nostri Iesu Christi excellentia & dignitate offerendis; Cujus justitia nostra est per fidem. Unde merito Apostolus, ut nobis ineptum timorem, aut potius diffidentiam excutiat, Christum ait, per omnia fratribus suis similem factum fuisse, ut misericors esset & fidelis pontifex, ad expianda peccata populi. Nam ex eo quod perpessus fuit, quum tentatus est, potest & ijs qui tentantur succurrere: & insuper, ut animos majores nobis addat, ad Deum accedendi, dicit: Habentes igitur Pontificem magnum Iesum Filium Dei qui penetravit cœlos, teneamus hanc professionem. Non enim habemus Pontificem magnum, qui non possit affici sensu infirmitatum nostrarum, sed tentatum similiter in omnibus excepto peccato. Accedamus igitur cum fiducia ad thronum gratiæ, ut consequamur misericordiam & gratiam inveniamus, ad opportunum auxilium. Idem Apostolus ait, Nos habere libertatem ingrediendi sacrarium per sanguinem Iesu. Accedamus igitur (inquit) cum certa persuasione fidei, &c. Item, Christus perpetuum habet sacerdotium: Unde & servare potest eos, qui per ipsum accedunt ad Deum, semper vivens, ut interpellet pro eis. Quid amplius requiri potest? Cum Christus ipse pronuntiet, Ego sum via, veritas & vita: Nemo venit ad Patrem, nisi per me. Cur, quæso, alium nobis advocatum quæramus? Quandoquidem Deo placuit, filium suum advocatum nobis dare, ne hoc dereli-

derelicto assumamus alium: aut quæramus potius, quem nusquam alibi inveniamus. Sciebat enim probe Deus, cum hunc nobis daret, peccatores nos esse. Proinde secundum mandatum Christi, Patrem cœlestem per Christum unicum Mediatorem nostrum invocamus, quemadmodum in Oratione Dominica edocti sumus: certo persuasi, nos ea omnia impetraturos, quæ à Patre in nomine ipsius petierimus.

XXVII.

Credimus & confitemur, unicam Ecclesiam Catholicam seu Universalem, quę est congregatio sancta, seu cœtus omnium vere fidelium Christianorum, qui totam suam Salutem in uno Iesu Christo expectant, sanguine ipsius abluti, & per Spiritum ejus sanctificati atque obsignati. Hæc porro Ecclesia, & ab initio mundi fuit, & usque ad ejus finem perdurabit: ut ex eo apparet, quod Christus rex æternus est, qui sine subditis esse nequit. Atque hanc Sanctam Ecclesiam Deus contra totius mundi furorem defendit, quamvis ad aliquod tempus exigua sit, & quasi extincta in hominũ conspectu, appareat: Quemadmodum durante periculosissimo illo Achabi tempore, Deus septem millia virorum sibi reservarat, qui coram Baal genu non flexerant. Præterea sancta hæc Ecclesia certo in loco non est sita, vel limitata, aut ad certas singularesque personas alligata, sed per totum mundum sparsa atque diffusa. Quamvis corde ac voluntate, in uno eodemque Spiritu, virtute fidei, conjuncta unitaque sit.

XXVIII.

Credimus, quod cum Sanctus hic cœtus & congregatio, servandorum sit cœtus, atque extra eam nulla sit salus, neminem cujuscunque ordinis aut dignitatis fuerit, sese ab ea subducere debere, ut seipso contentus separatim degat: sed omnes pariter teneri huic se adjungere, eique uniri, Ecclesiæ unitatem conservare, seseque illius doctrinæ & disciplinæ subjicere, collum Iesu Christi jugo submittere, & tanquam communia ejusdem corporis membra, fratrum ędificationi inservire, prout Deus unicuique sua dona fuerit largitus. Ut porro melius hoc observetur, omnium fidelium officium est, sese secundum Dei verbum, ab ijs omnibus qui extra Ecclesiam sunt, disjungere, ut huic se congregationi adjungant, ubicunque illam *Deus* constituerit: quamvis Magistratus Principumque Edictis adversantibus, quinimo, licet mors aut qualiscunque corporis pœna subeunda esset. Quicunque igitur à vera illa Ecclesia recedunt, aut se illi non aggregant, *Dei* mandato repugnant.

XXIX.

Credimus, inprimis diligenter ac circumspecte ex verbo Dei discernendum esse, quænam vera sit Ecclesia, siquidem omnes sectæ, quotquot hodie in mundo sunt, Ecclesiæ nomen prætexunt. Nequaquam vero

hic

hic de hypocritarum cœtu loquimur, qui quanquam bonis in Ecclesia per mixti sint, de Ecclesia tamen non sunt, etiamsi corpore in ea sint: Sed Ecclesiæ veræ corpus & communionem ejus ab omnibus alijs sectis, quę se dictitant Ecclesiam, distinguimus. Notæ quibus vera Ecclesia cognoscitur, hæ sunt: Si Ecclesia pura Evangelij prædicatione, si sincera Sacramentorum, ex Christi præscripto, administratione, utatur: si disciplina Ecclesiastica, ut vitia corrigantur, obtineat. In summa, si ad normam Verbi divini omnia exigantur; ac quæcunque huic repugnant, reijciantur. Iesus Christus denique, unicum caput agnoscatur. Atque hinc vera Ecclesia certo dignosci potest, à qua fas non est quenquam se disiungere. Quantum autem eos attinet, qui Ecclesiæ membra sunt, ij ex Christianorum notis cognosci possunt, ex fide scilicet, & quando Iesu Christo, ut unico Servatore, recepto, peccatum fugiunt, justitiam consectantur, verum Deum ac proximos suos diligunt, neque ad dexteram aut sinistram deflectunt; carnemque suam, cum ejus operibus crucifigunt. Minime id quidem quasi magna in illis non supersit infirmitas, sed quod adversus illam, per omne vitę tempus, Spiritu depugnent, ac perpetuo ad sanguinem, mortem, passionem, & obedientiam D. Iesu refugiant; per quem remissionem peccatorum suorum fide in ipsum habent. Quod ad falsam vero attinet Ecclesiam, ea sibi, suisque institutis plus autoritatis, quam verbo Dei attribuit; Christi jugo se subjicere recusat; neque Sacramenta, prout Christus in verbo suo præscripsit, administrat; sed illis pro arbitrio addit, detrahitque; hominibus plus quam Iesu Christo nititur; & eos qui sancte secundum Dei verbum vivunt, quique vitia illius, veluti avaritiam & Idololatriam reprehendunt, persequitur. Ex his igitur facile est utramque Ecclesiam cognoscere, & unam ab altera discernere.

XXX.

Credimus, veram hanc Ecclesiam, Spirituali illa politia, quam nos Deus verbo suo docuit gubernari debere: ut, videlicet, Ministri seu Pastores sint, qui verbum Dei annuncient, & Sacramenta administrent: Seniores quoque sint & Diaconi, qui cum Pastoribus, Senatum quasi Ecclesiæ constituant: ut hac ratione vera religio conservari, veraque doctrina passim propagari possit, quin & homines vitiosi, spiritualiter corripiantur, atque refrænentur: pauperibus item & afflictis, auxilio & consolatione, pro cujusque necessitate, succurratur. Hac quidem ratione, rite omnia & ordine gerentur in Ecclesia, cum viri fideles eligentur, juxta regulam ab Apostolo Paulo in sua ad Timotheum Epistola, præscriptam.

Credi-

Digitized by Google

XXXI.

Credimus Ministros divini verbi, Seniores & Diaconos, ad functiones suas legitima Ecclesiæ electione, cum nominis divini invocatione, eoque ordine qui verbo Dei docetur, eligi debere. Quilibet itaque cavere debet, ne illicitis medijs sese ingerat, sed expectet tempus, quo à Deo vocetur; ut habeat vocationis suæ testimonium, quo certus & persuasus sit eam à Domino esse. Quantum vero attinet diuini verbi Ministros, ubicumque locorum sint, eandem illi potestatem & autoritatem habent, ut qui omnes sint Christi, unici illius Episcopi universalis, vnicique capitis Ecclesiæ, Ministri. Insuper ne sancta hæc Dei ordinatio violetur, aut in contemptum abeat, dicimus teneri omnes, ut verbi divini Ministros & Seniores Ecclesiæ, propter opus cui incumbunt, omni honore prosequantur, cumque illis, sine obmurmuratione, rixis & contentionibus, quantum quidem ejus potest fieri, pacem colant.

XXXII.

Credimus interea, quamvis utile & bonum sit, Gubernatores Ecclesiæ, ordinem aliquem certum inter se, ad conservationem corporis Ecclesiæ instituere & stabilire: debere tamen eos studiose cavere, ne ab ijs deflectant, quæ Christus unicus Magister noster instituit. Quapropter, rejicimus omnia inventa humana, omnesque leges quæ pro cultu Dei, à quocunque introduci possunt, ut ijsdem conscientiæ ullo omnino modo devinciantur atque constringantur. Illud itaque solum suscipimus, quod ad conservandam & alendam concordiam atque vnitatem, omnesque in Dei obedientia retinendos, idoneum est. Ad id vero inprimis requiritur. Excommnnicatio, juxta verbum Dei, cum reliquis eius appendicibus usurpata.

XXXIII.

Credimus, benignum illum Deum nostrum, habita hebetudinis & infirmitatis nostræ ratione, Sacramenta nobis instituisse, ut promissa sua in nobis obsignaret, utque divinæ erga nos benevolentiæ ac gratiæ, essent pignora. Quin etiam ad fidem nostram fovendam & sustentandam. Quæ quidem verbo Euangelij addidit, ut efficacius sensibus nostris externis exhiberet, tam ea quæ nobis externe verbo suo declarat, quá quæ in cordibus nostris interne operatur, ut eo magis ratam in nobis faciat salutem, quam nobis communicat. Sunt enim Symbola & sigilla visibilia, rei internæ & invisibilis, per quæ, ceu media, Deus virtute Spiritus Sancti, in nobis operatur. Signa itaque minime vana sunt & vacua, aut nos decipiendos ac frustandos instituta. Iesum Christum enim pro sua veritate habent, sine quo, nullius prorsus essent momenti. Præterea sufficit nobis, is Sacramentorum numerus, quem Christus, Magister noster, instituit: quę duo duntaxat sunt, nimirum Sacramentum Baptismi, & S. Cænæ Iesu Christi.

XXXIV.

Credimus & confitemur Iesum Christum, qui finis legis est, suo sanguine effuso, omni alij sanguinis effusioni, finem imposuisse, quam ad peccatorum propitiationem aut satisfactionem quisquam adhibere possit, aut velit: & abolita circumcisione, quæ per sanguinem fiebat; Baptismi Sacramentum illius loco instituisse; quo in Dei Ecclesiam recipimur, & à cunctis alijs gentibus, ac peregrinis omnibus religionibus, segregamur. Vt illi toti consecremur, cuius characterem & insignia gestamus. Estque nobis testimonio, illum perpetuo Deum nostrum & patrem propitium fore. Mandavit itaque, ut omnes qui sui sunt, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. pura puta aqua baptizentur: ut eo significet, quod sicuti aqua in nos effusa, & super corpus baptizati conspicua, ipsumque aspergens, sordes corporis abluit: sic & sanguis Christi per Spiritum Sanctum idem præstat interne in anima, adspergens eam & à peccatis suis mundans, nosque ex filijs iræ in filios Dei regenerans. Non quod aqua materialis id efficiat, sed adspersio preciosi sanguinis filij Dei: qui nobis est, ceu mare illud rubrum, per quod transeundum est, ut è tyrannide Pharaonis, id est, Diaboli, egredi, & in Spiritualem terram Canaan, ingredi possimus. Ac proinde, Ministri quidem, quantum ad se attinet, præbent nobis Sacramentum & rem visibilem, Dominus vero noster, donat id, quod Sacramento significatur: dona nempe & invisibilem gratiam, abluens, purgans, mundansque nostras animas, à cunctis sordibus & iniquitatibus; renovans item corda nostra, eaque omni consolatione replens; veram fiduciam paternæ suæ benegnitatis nobis largiens, novoque homine nos induens: vetere autem, cum omnibus factis eius, exuens. Hanc ob caussam credimus, omnem hominem, qui id satagit, ut vitam æternam consequatur, semel unico baptismo illo qui in posterum non iteretur, baptizari debere: cum ne nasci quidem bis possimus. Neque tamen hic Baptismus tunc duntaxat prodest, cum aqua super nos effunditur & à nobis suscipitur, cum illius vsus sese ad totum vitæ nostræ curriculum extendat. Anabaptistarum itaque errorem detestamur, qui unico & semel suscepto baptismo contenti non sunt: ac præterea, baptismum infantium fidelibus parentibus natorum, damnant: quos baptizandos & fœderis signo obsignandos esse credimus, sicuti olim infantes circumcidebantur in Israele, propter easdem promissiones infantibus nostris factas. Quin etiam revera Christus non minus sanguinem suum profudit, ut fidelium infantes, quam ut adultos, ablueret; ideoque signum seu Sacramentum eius, quod Christus pro eis pręstitit suscipere debent: quemadmodum in Lege jubebat Dominus, ut Sacramentum mortis & passionis Christi, pueris recens natis communicaretur: offerendo pro ipsis agnum, qui Jesu Christi Sacramentum erat. Pręterea quod circumcisio præstabat populo Iudaico, id pueris nostris pręstat baptismus. Atque hęc caussa est, cur Paulus, baptismum vocet circumcisionem Christi.

Credi-

Digitized by Google

XXXV.

Credimus & confitemur Iesum Christum Servatorem nostrum, sanctæ Cœnæ Sacramentum ordinasse & instituisse, ut ea nutriat & sustentet eos, quos jam regeneravit, & in familiam suam, nempe Ecclesiam, insevit. Qui porro regeniti sunt, duplicem in se vitam habent, unam quidem corporalem & temporariam, quam secum à prima sua nativitate attulerunt, quæque omnibus communis est. Alteram vero spiritualem & cœlestem, quæ altera nativitate sua illis donatur, & per verbum Euangelij in communione corporis Christi efficitur. Atque hæc vita non nisi Electis Dei communis est. Similiter nobis Deus panem terrenum & materialem, ad vitæ corporalis & terrenæ conservationem idoneum attribuit, qui omnibus, sicuti & vita ipsa, communis est. At vero, ad conservationem vitæ Spiritualis & cœlestis, quam fideles iam habent, Deus illis panem vivificum misit, qui è cœlo descendit, nempe Iesum Christum, qui manducatus, id est, si applicetur & recipiatur, spiritu per fidem, vitam fidelium spiritualem nutrit & sustentat. Vt autem panem hunc Spiritualem & cœlestem, Christus nobis repræsentaret, panem terrestrem ac visibilem, in Sacramentum corporis sui, vinumque in sanguinis sui Sacramentum instituit, ut ijs ipsis testificetur, nos, quam vere hoc Sacramentum manibus nostris accipimus & tenemus, illudque ore comedimus & bibimus, unde postmodum vita nostra sustentatur; tam vere, etiam nos fide (quæ animæ nostræ & manus & os est) in animis nostris recipere verum corpus, & verum sanguinem Christi, unici servatoris nostri, ad vitam nostram spiritualem. Certissimum porro est Christum non frustra Sacramenta sua nobis commendasse. Quapropter, omne id in nobis efficit, quodcumque sacris suis signis nobis repræsentat; quamvis modus ipse, mentis nostræ captum superet, nobisque sit incomprehensibilis; sicut & operatio Spiritus Dei occulta & incomprehensibilis est. Interea vero nequaquam erraverimus, dicentes, id quod comeditur, esse proprium & naturale corpus Christi, idque quod bibitur proprium ejus sanguinem. At manducandi modus talis est, ut non fiat ore corporis, sed Spiritu per fidem. Atque ita Christus ad dexteram Patris sui in cœlis perpetuo sedet, neque eo minus se nobis per fidem communicat. Convivium hoc, mensa est Spiritualis, in qua Christus seipsum nobis cum omnibus bonis suis communicat, efficitque ut in illa tam ipsomet, quam passionis mortisque ipsius merito fruamur: miseram nostram animam, omnique solatio destitutam, carnis suæ esu nutriens, corroborans & consolans, sanguinisque sui potu reficiens ac recreans. Præterea, etiamsi Sacramenta conjuncta sint rei significatæ, utrumque tamen simul ab omnibus non accipitur. Impius enim recipit

quidem Sacramentum in suam condemnationem: sed veritatem Sacramenti non recipit: veluti Judas & Simon magus, acceperunt quidem uterque Sacramentum, sed non etiam Christum, qui illo significabatur, qui solummodo fidelibus communicatur. Postremo sanctum hoc Sacramentum in cœtu populi Dei cum submisione animi ac reuerentia sumimus: memoriam mortis Christi servatoris nostri cum gratiarum actione sancte celebrantes: ibidemq; fidei & religionis Christianæ confessionem edimus. Nemo itaque ad hanc mensam se sistere debet, qui prius sese recte non probaverit, ne de hoc pane edens, & de hoc poculo bibens, judicium sibi edat & bibat. Jn summa, usu hujus Sacramenti ad flagrantem Dei & proximi nostri amorem commonemur. Quare omnes mixturas & damnanda commenta, quæ homines Sacramentis addiderunt, & admiscuerunt, ut eorum prophantiones reijcimus: atque affirmamus, contentos nos esse debere eo ordine, quem Christus & eius Apostoli nos docuerunt: eodemque modo de ijs loquendum esse, quo & ipsi loquuti sunt.

XXXVI.

Credimus, benignum illum Deum nostrum, ob generis humani depravationem, Reges, Principes, & Magistratus constituisse; ac velle ut mundus legibus & certa politia gubernetur, ad confusionem hominum coërcendam; utque omnia inter homines recto ordine gerantur. Eum in finem Magistratui gladium commisit; puniendis quidem sceleratis, bonis vero defendendis. Horum autem officium est, ut non modo curam gerant & pro conservanda politia excubent, verum etiam ut sacrum tueantur Ministerium, omnemq; idololatriam, & adulterinum Dei cultum submoveant & evertant: regnum Antichristi diruant, Christi vero regnum promoveant, operamque dent, ut verbum Evangelij ubique prædicetur, quo Deus ab unoquoque, prout verbo suo exigit, honoretur & colatur. Præterea quilibet, cujuscunque ordinis, conditionis ac status sit, Magistratibus subjici, tributa ei pendere, honorem & reverentiam deferre, ijsque obedire in omnibus quæ verbo Dei non adversantur, debet; pro ijsdem in precibus suis orare, ut eos Deus in omnibus ipsorum actionibus regere ac dirigere velit, utque uitam quietam & tranquillam, in omni pietate & honestate, ducamus. Quamobrem Anabaptistas aliosque homines seditiosos detestamur, atque in universum omnes eos, qui supremas Dominationes & Magistratus rejiciunt: justitiam evertunt: bonorum communionem inducunt: atque honestatem, quam Deus inter homines stabilivit, confundunt.

XXXVII.

Postremo ex Dei verbo credimus: Vbi tempus a Domino præstitutum, omnibus autem creaturis ignotum, advenerit, numerusque Electorum fuerit completus, Dominum nostrum Iesum Christum è cœlo, corporaliter

Digitized by Google

raliter & visibiliter, sicuti adscendit, magna cum gloria & majestate, venturum, ut se vivorum atque mortuorum declaret judicem: vetere mundo igne & flamma succenso, ut expurget eum. Tunc vero omnes homines, tam viri, quam mulieres & infantes, quotquot jam inde ab initio mundi usque ad finem fuerunt, coram summo hoc judice comparebunt; voce Archangeli, & clangore tubæ divinæ eo citati. Omnes enim antea mortui, è terra resurgent; Spiritu cum corpore proprio, in quo vixerat, conjuncto atque unito. Quod vero eos attinet qui tunc superstites erunt, non ut reliqui morientur, verum ictu oculi à corruptione in incorruptionem mutabuntur. Tunc aperientur libri (id est conscientiæ cujusque) & mortui judicabuntur, secundum ea quæ in hoc mundo egerint, sive bona sive mala. Quinimo, omnes de omnibus verbis otiosis, quæ loquuti fuerint, rationem reddent, (quæ quidem mundus nunc pro ludo reputat & ioco:) omniaque tunc hominum abdita, omnisque hypocrisis, palam coram omnibus retegetur. Ac proinde merito judicij istius memoria, iniquis & sceleratis horribilis & formidabilis est: bonis vero & electis, summe exoptanda & immensæ consolationis plena: quoniam totalis ipsorum redemptio tunc plane perficietur, laborumque istic & dolorum suorum, quos pertulerunt, fructus percipient. Innocentia ipsorum aperte ab omnibus agnoscetur, & horrendam quam Deus de improbis sumet, qui tyrannice exercuerunt eos, afflixerunt, & excruciarunt in hoc mundo, vindictam conspicient. Qui quidem proprio conscientiæ suæ testimonio convicti, immortales quidem reddentur, ita tamen, ut in igne æterno, qui Diabolo & Angelis eius paratus est, crucientur. Contra vero fideles & electi, corona gloriæ & honore coronabuntur, filiusque Dei eorum nomina coram Deo patre & electis Angelis profitebitur. Abstergentur omnes lachrymæ ab oculis eorum, ipsorumq; causa quæ in præsentia à judicibus & Magistratibus quamplurimis, veluti hæretica & impia condemnatur, causa filij Dei esse tunc agnoscetur. Ac pro gratuita remuneratione Dominus illos in tantæ gloriæ possessionem mittet, quantam nemo hominum animo concipere possit. Magnum ergo illum Diem maximo desiderio expectamus, ut promissis Dei in Christo Domino nostro, plene perfruamur. Amen.

Apocalyps. 22. 20. *Etiam veni, Domine Jesu.*

Sessione Centesima Quadragesima-septima. SESS. CXLVII.

Calendis Maij, Die Mercurij ante meridiem.

Illustres Delegati declararunt, hanc quoque esse Illust. DD. Ordinum Generalium voluntatē, ut Catechesis Palatina jam olim ab Ecclesijs Belgicis recepta, atq; in ijsdē

hactenus tradita, eundem in modum recognosceretur atque examinaretur: utque singuli declararent, num quid in hac Catechesi tradi existimarent, quod verbo Dei non consentire videretur. Hunc in finem omnes quæstiones & responsiones ejusdem relectæ fuerunt, rogatique sunt singuli, ut sententiam suam de doctrina in eadem contenta, sincere declararent.

SESS. CXLVIII.

Sesione Centesima Quadragesima-octava,

Eodem Die post meridiem.

DEclaratum fuit consentientibus omnium tam Exterorum, quam Belgicorum Theologorum suffragijs, doctrinam in Catechesi Palatina comprehensam, Verbo Dei in omnibus esse consentientem, neque ea quidquam contineri, quod ut minus eidem consentaneum mutari aut corrigi debere videretur, ipsamque hanc Catechesin, esse admodum accuratum Orthodoxæ doctrinæ Christianæ compendium; singulari prudentia non tantum ad teneræ adolescentiæ captum, verum etiam eorum qui adultiores jam essent, commodam institutionem accommodatum. Ac proinde eam in Ecclesijs Belgicis magna cum ædificatione doceri posse, atque omnino retineri debere.

SESS. CXLIX.

Sesione Centesima Quadragesima-nona,

II. *Maij, Die Iovis ante meridiem.*

MOnuerunt præterea Illustres Delegati, petere Illustriss. ac Præpotentes DD. Ordines Generales, ut veneranda Synodus ex Doctoris Conradi Vorstij scriptis inquireret ac judicaret, an Theologia ejus seu doctrina in Ecclesijs Reformatis salva veritate atque ædificatione doceri, aut tolerari posset. Iudicasse præterea eosdem Illustrissimos Ordines, ne tempus contestationibus ac disceptationibus inutiliter protraheretur, nihil esse opus ipsum citari, aut coram Synodo comparere: cum præsertim sententiam suam, tot Apologeticis scriptis plenissime jamdudum declarasset.

Prælecta est deinde eiusdem Vorstij scripta ad Synodum Epistola, qua eandem monebat atque obtestabatur, ut in dijudicatione causæ suæ, æquitatem, charitatem, ac lenitatem adhiberet: simulq; declarabat, si Apologetica à se scripta non satisfacerent, nescire se qua ratione orthodoxiam suam melius comprobare posset. Paratum se ad amicam συζήτησιν, cum exteris Theologis instituendam, & ad refutationem Socini conscribendam, si hoc sibi à Synodo imponeretur.

Prælecta quoque sunt quædam eiusdem Vorstij dogmata, ex ipsius scriptis excerpta.

SESS. CL.

Sesione Centesima Quinquagesima,

III. *Maij, Die Veneris ante meridiem.*

SIngula Collegia judicia sua de doctrina Conradi Vorstij scripto exhibuerunt, quæ & prælecta sunt. Statutumque fuit, cum omnes inter se consentirent, unum aliquod iudicium, quod Illustrissimis DD. Ordinibus Generalibus exhiberetur, formandum esse.

Seſsione Centeſima Quinquageſima-prima, SESS. CLI.

IV. *Maij, Die Saturni ante meridiem.*

IVdicium Synodicum de doctrina Conradi Vorſtij, ex traditis & prælectis Collegiorum judicijs formatum, prælectum, & à Theologis Exteris examinatum fuit.

Seſsione Centeſima Quinquageſima-ſecunda, SESS. CLII.

Eodem Die poſt meridiem.

IDem judicium à Provincialibus quoque examinatum fuit, mutatiſque ijs quæ obſervata fuerant, ac mutanda videbantur, communi tandem omnium & ſingulorum conſenſu atque approbatione, hunc in modum formatum eſt:

Quandoquidem Illuſtriſſimis ac Præpotentibus D D. Ordinibus Generalibus placuit, per Generoſos atque Ampliſſimos Delegatos ſuos, huic Synodo injungere, ut ſententiam ſuam de Theologia, ſeu doctrina Conradi Vorſtij, SS. Theologiæ Doctoris, in ſcriptis ipſius propoſita, ſummatim exponat & ſimul declaret, an ea in Reformatis Eccleſijs & Scholis cum fructu & ædificatione ſalutariter doceri, aut in ijſdem pie tolerari poſſit: Veneranda hæc Synodus, omnibus in timore Dei recte expenſis atque examinatis, conſentientibus ſuffragijs declaravit, & per hanc præſentem declarat, Dictum Conradum Vorſtium in ſcriptis ſuis poſterioribus, præſertim vero in tractatu de Deo & attributis ejus, (præterquam quod rejectos in hac Synodo Remonſtrantium de quinque Articulis errores, propugnet ac tueatur,) non tantum de uno atque altero Religionis Reformatæ Articulo, ſed de pleriſque ejus capitibus primarijs; qualia ſunt de Trinitate perſonarum in eſſentia divina, de eſſentiæ divinæ ſimplicitate, infinitate, immenſitate, omni præſentia eſſentiali, omniſcientia, omnipotentia, ſapientia, & immutabilitate, de creatione, de providentia Dei, de unione hypoſtatica duarum naturarum in Chriſto, de plena & perfecta ſatisfactione Chriſti pro peccatis noſtris, de juſtificatione hominis coram Deo per fidem, alijſque quamplurimis; tum à Sereniſſimo ac Potentiſſimo Rege Magnæ Britanniæ, tum à Theologis nonnullis publice commonſtratis, in ſcriptis ſuis partim multa in dubium vocare, quorum certam & determinatam veritatem, omnes Eccleſiæ Reformatæ ex Verbo Dei iam dudum obtinuerunt & profeſſæ ſunt: partim etiam plurima diſerte aſſerere, quæ veritati divinæ in S. Scripturis revelatæ, & Confeſſionibus omnium Eccleſiarum Reformatarum plane ſunt contraria, gloriæ Dei inimica, pietati & ſaluti hominum noxia, & infauſti illius Socini blaſphemijs aut plane conſona, aut admodum affinia. Quin etiam argumenta præcipua, tam à veneranda antiquitate, quam à recentioribus Doctoribus reformatis pro Orthodoxa doctrina atque inprimis pro æterna Domini noſtri Ieſu Chriſti Deitate, ex verbo Dei recte producta atque uſurpata, paſsim periculoſiſsime enervare, nullis alijs quibus veritatis doctrina fortius aſſeratur, repoſitis. Sophiſmata quibus veritas implicatur,

studiose proponere, & operose urgere, eorumque solutionem, ne quidem aggredi, sed ea integra relinquere, ut lectorum suorum animis inhæreant: adeo ut manifeste appareat ipsum callide viam sternere voluisse ad impias Socini aliorumque hæreses clanculum instillandas, & sub inquirendi specie sedulo agere negotium seducendi. Frustra etiam hactenus conatum eum fuisse hæc omnia varijs distinctionibus ineptis, excusationibus frivolis, tergiversationibus miseris & dissimulationibus fraudulentis, tegere atque incrustare. Ac proinde non tantum dissolutam hanc illius de præcipuis Christianæ religionis capitibus sceptice disputandi licentiam, & lubricam, ambiguam, ac tortuosam docendi rationem, Ecclesiæ Dei esse perniciosam, rebus tam sanctis atque arduis minime convenientem, adeoque orthodoxo Doctore indignissimam; sed inprimis etiam doctrinam ejus de quamplurimis maximi momenti dogmatibus, ut Verbo divino & Confessionibus Ecclesiarum Reformatarum contrariam, impiam, blasphemam, & in divinam majestatem ac veritatem multis modis contumeliosam, in Ecclesijs & scholis Reformatis nequaquam tolerandam; sed ex ijsdem cum detestatione penitus esse eliminandam atque extirpandam. Ipsum vero Conradum Vorstium, qui de erroribus suis nihil hactenus remisit, omnesque admonitiones & judicia Reformatorum Principum, Doctorum, Academiarum & Ecclesiarum, præfracte contempsit, nec scandalum quod scriptis suis concitavit, debite reparare curavit, Professoris aut Doctoris orthodoxi in Ecclesijs Reformatis, & munere, & nomine, prorsus indignum esse declarat. Denique serio atque obnixe rogat hæc Synodus Illustrissimos ac Præpotentes Dominos Ordines Generales, ut scandalum hoc autoritate sua ex Ecclesijs Reformatis mature tollere dignentur, ac simul etiam procurare, ne Ecclesiæ Belgicæ diutius hac labe atque ejusmodi hæresibus & blasphemis dogmatibus inficiantur. Utque eum in finem scripta hujus Vorstij & similium, quanta fieri poterit cautione, supprimantur. Deum vero ipsum precatur, ut Ecclesias Reformatas Belgicas adversus huiusmodi prophanas hæreses, ex ijsque ortas contentiones ac confusiones, in pace atque orthodoxæ doctrinæ professione, magis magisque conservet, ac stabiliat, & per Spiritum suum Sanctum hunc Conradum Vorstium, atque omnes qui cum ipso errant, clementer illuminet, ac in viam veritatis pacisque revocet, ut Ecclesia potius de ipsorum conversione, quam confusione, letari possit.

Plenius quoque hac Sessione examinata, & amice transacta fuit causa Frisica.

SESS. CLIII.

Sessione Centesima Quinquagesima-tertia,

VI. *Maij, Die Lunæ ante meridiem.*

EX consilio & voluntate Illustrium Dominorum Delegatorum statutum fuit, ut Iudicium de quinque Remonstrantium Articulis Synodicum, eiusdemque Synodi de Remonstrantibus, in primis ad hanc Synodum Citatis, sententia, in magno Urbis Dordrechtanæ templo publice pronunciarentur, ac promulgarentur. Quem in finem Conventus Synodicus ordine ad templum processit. cumque ibidem in subsellijs consedissent, Præses solennibus, quæ hic sequuntur, Precibus, toti Conventui præivit.

Omnipotens Deus, & misericors Pater noster in Filio tuo dilecto Domino nostro Iesu Christo: Quam magnum est nomen tuum, Domine, in universa terra, quam formidabile in populis, quam amabile in cœtu timentium te! Magnus es tu, & laudatus valde: mirabilia

bilia facis solus. Auribus nostris audivimus & patres nostri narraverunt nobis opus quod operatus es temporibus eorum. Invenisti eos in squalore & ululatu desertos, solitarios, & acerbissimo servitutis Anti-Christicæ ac tyrannidis jugo pressos. Tu misertus eorum, exertâ salutis manu jugum illud confregisti, contrivisti: Patres vero nostros plantasti: tanquam ursus & leo occurristi exactoribus eorum, eosque malo affecisti; populum vero tuum collocasti in tuto & propagasti. Non gladius, non brachium Patribus nostris salutem dedit: sed dextra tua, brachium tuum, & lux faciei tuæ, quia benevolus eras eis. Notam eis fecisti viam salutis, arcanum fœderis tui revelasti. Splendentes fecisti ipsorum tenebras, & sublatis abominandis idolis, vexillum gratiæ & solium gloriæ in medio eorum erexisti; unigenitum & dilectum tuum filium in Evangelio pacis lætâ fide complectendum eis exhibuisti, & Spiritu tuo intelligentes eos reddidisti, ut exultarint in luce tua, qui in umbra mortis sederant. Sicut aquila pullis suis incubat, expandit super eos alas suas, eisque portat eos, ita tu eos portasti, fovisti, duxisti, & tanquam oculi pupillam custodivisti. Gaudium erant totius terræ, quia pinguedine bonitatis tuæ satiabas eos. Osores eorum increpabas, contentionem eorum contendebas: instrumentis contra eos formatis maledicebas, linguam adversus eos in jus insurgentem condemnabas. Nomen Messiæ tui erat inter eos & sanguine ejus aspserant conscientias suas: ideo gratas habuisti preces eorum & angelus excisor non tetigit eos.

Propter hæc omnia benedicit tibi anima nostra, Domine, & intestina nostra nomini tuo sancto: ossa nostra dicunt: Domine quis par tibi? Tu diligis portas Sionis & benevolentia velut scuto, circumdas populum tuum.

Diebus istis uno corde servaverunt fœdus tuum, & coluerunt te redempti tui, quamdiu prolongarunt dies qui adspexerant opera manuum tuarum, mirabilia dexteræ tuæ.

Verum (ah Domine) surrexit post eos ætas altera postquam saginati sumus & in pace collocati, elatus est animus noster, obliti sumus tui, & recalcitravimus. Nos Domine, nos in terra optima in valle pinguedinis cœlestium & terrenorum bonorum affluentia abs te ditati. Nos, quos præ omni natione religiosissimos esse decuit, morum præceptorum custodes, facti sumus gens peccatrix, populus iniquitate gravis, peccavimus contra te, retrorsum recessimus, pedes nostros non cohibuimus, à viis tuis sanctis deflexi-mus, charitatem primam dimisimus, priora opera non fecimus. Quibus omnibus justissimam & gravissimam tuam indignationem & iram in nos provocavimus. Patiens es, Domine, tardus ad iram, & longanimis: attamen meritissime tandem in nos exarsisti; & terribilis nobis apparuisti, ut anima tua velut miserendo & parcendo fatigata nos jam spernere & fastidire videretur. Lux nostra conversa est in tenebras, in pace nostrâ ecce amaritudo amarissima & terror: curationem à te expectabamus, sed ut peregrinus in terra visus es: propter excandescentiam tuam terra fuit obscurata; populus fuit tanquam ignis, pabulum, frater fratri non pepercit, à planta pedis usque ad verticem summum nihil fuit in corpore nostro integri: omnia vulneribus, plagis, & livore plena. Amici tam longinqui quam vicini mala nostra cum mœrore & stupore adspectabant: Lætabatur autem de nobis inimica nostrâ, cecidisse nos, & nunquam resurrecturos rata. Et vero dissidiorum ac turbarum mole in exitium ferebamur præcipites.

Tremendus es Domine & juste judicas orbem, etiam filiorum tuorum transgressiones virgis visitas & plagis iniquitates eorum.

Interea mœsti & atrati coram oculis nostris incedebant in suspiriis & gemitibus coram te jacebant, quotquot revererentur nomen tuum: non tantum Belgicarum Ecclesiarum ante florentissimarum miserandam faciem dolenter intuentes: sed vel imprimis corda lacerantes, eo quod viderent adorandam tuam majestatem, & sanctissimum tuum nomen proterve vellicari, & impie blasphemari, doctrinam tuam quovis auro purgatissimo puriorem ac pretiosiorem vilipendi, depravari, contaminari, servos tuos de domo tua optime meritos, ipsamque adeo dilectam tuam Sponsam contumeliis & probris detestandum in modum exagitari: hæreses damnatas ab inferis revocari, & nova arte fucatas reponi, populum à cælesti, tam care nobis comparata, veritate misere seduci, & in omnis religionis contemptum abripi, denique in crimine poni, si quis remedia ab ipso

Dei

Dei spiritu probata malis nostris applicanda legitime commonstraret aut applicaret.

Tulimus hanc indignationem, Domine, quia peccavimus in te, speculantes tamen & expectantes, ecquando tandem è cœlis esses adspecturus, & perfecto opere, consummataque indignatione ac judicio tuo in Sione causam tui populi, tuæ veritatis adeoque & nominis tui acturus, veritati pristinum splendorem, servis tuis lætitiam, Ecclesiæ tuæ exoptatissimam pacem & nomini tuo daturus gloriam. Memores fuimus horum tuorum eloquiorum:

Bonus est Iehova expectantibus ipsum, animæ requirenti ipsum. Bene agitur cum eo qui silet Iehovæ & expectat salutem ejus: nam non rejicit in sæculum Dominus: sed cum afficit mœstitia, rursum miseretur pro amplitudine benignitatum suarum: neque enim populum suum deserit, nec possessionem suam derelinquit.

Atque hæc est admiranda illa tua bonitas & fides, quam experti sumus & prædicamus in hoc tempore, in angustiis agnovimus peccata nostra, quæsivimus & invocavimus te, tandem respondens collocasti nos in luto. Adspexisti adflictionem nostram & agnovisti angores animæ nostræ. Vivificasti animam nostram & consolatus es populum tuum, dedisti nobis desideria cordis nostri, & pronunciatum labiorum nostrorum non avertisti à nobis.

Cum autem tibi pro immensa tua bonitate & sapientia ad docendum & regendum populum tuum placeat uti opera, ministerio, communione & cœtibus sanctorum tuorum servorum, quos gregi tuo dedisti pastores & inspectores, assidue & ardentissime supplicavimus tibi, ut in gravissimis istis Belgicarum Ecclesiarum calamitatibus hoc nos aliquando beares solatio, ut Pastorum & Doctorum populi tui conjunctis precibus, communicatis donis & studiis, salutare aliquod remedium ægrotæ ac pæne desperatæ Ecclesiæ Belgicæ ex sancto tuo Verbo adhiberetur, rejecta & pulsa errorum caligine, lumen veritatis in candelabro omnibus exponeretur, errantibus ad reditum, distractis ad unionem, pax præferretur, inquieti & perturbati ad tranquillitatem revocentur, & pax gratissima reflorescerert in amœnissimo hoc nostro Belgio. Ecce quod petivimus dedisti nobis, & quidem longe illustrius atque unquam sperare fuimus ausi. Testatur id præsens augusta corona tot eximiorum Christi servorum, quos ut spiritualem exercitum in subsidium afflictissimæ nostræ Ecclesiæ ex variis non solum vicinis, sed etiam longe dissitis regnis & regionibus, divina tua manu in unum coëgisti, ut singulari malo singulare responderet solatium. Flagitavimus insuper, ut quandoquidem sine tua benedictione omnis eorum labor foret irritus in omnia & singula sancti hujus cœtus membra spiritualium donorum copiam effundere velles, eorumque corda & actiones sic gubernare, ut sancto tui nominis timore, compositis & sedatis animis omnia ad verbi tui normam fideliter examinarent, tandemque sincera & serena conscientia in unicam salutarem veritatem consentirent, & concordibus suffragiis ea statuerent, quæ ad nominis tui gloriam, regni Christi propagationem, Ecclesiæ Belgicæ concordiam & conscientiarum tranquillitatem quam maxime expedirent. Neque hoc desideratissimum bonum nobis denegavisti, Domine, ut tanta omnium, & singulorum in salutari doctrina consensione ab uno veritatis Spiritu inspirata, sanctus hic labor noster piis omnibus eo esset gratior, infirmisque imperitis & errantibus tanto redderetur fructuosior. Hujus consensus testes sumus omnes, qui hoc in loco coram te sedemus, & manibus nostris divinæ huic veritati ex Scriptura sana declaratæ subscripsimus. Sic conspicuum est opus tuum in servis tuis, sic formidabilis es in consilio sanctorum, sic exhilarasti nos secundum dies quibus afflixisti nos, secundum annos quibus experti sumus malum.

Hæc omnia nobis confecit tua misericordia, qua prosequeris populum tuum. Hoc novo & illustri benignitatis tuæ miraculo, omnium (quæ tot edidisti in Belgio) veterum memoriam nobis refricas. Cum itaque gustemus, Domine, & videamus, quam bonus sis erga nos, & quantopere diligas Ecclesiam Belgicam, læti sumus & exultamus in te, fidem tuam in congregatione sancta celebramus, beatamque illam prædicamus gentem, cujus tu Deus es, beatum illum populum quem elegis in hæreditatem tibi.

Nunc ergo Domine obsecramus in nomine dilecti tui filii Hoscianna, serva nunc, prospera

spera nunc Domine, opus manuum tuarum in nobis perfice, da robur populo tuo & benedic ei cum pace, ut rejuvenescentes novis viribus ascendant, velut aquilæ, currant, neque defatigentur, ambulent neque delassentur.

Benedic porro laboribus servorum tuorum, & luceat lux faciei tuæ super populum tuum. Emitte Spiritum tuum ex alto, illumina hominum mentes, præpara & aperi corda, ut splendorem simplicissimæ tuæ veritatis videant, eam cum voluptate & corde bono recipiant, in ea perpetuo acquiescant, fructusque ea dignos constanter & abunde proferant.

Aberrantes, ô Pastor optime, ad gregem tuum clementer reduc, flecte & emolli corda dura, ut agnoscant extensam manum tuam & robore tuo prehenso, pacem tecum ineant, neque collo duro veritati diutius obluctentur, dissipatos in unum recollige, vulneratos sana, lapsos erige & confirma, mortuos vivifica. Tolle è medio nostri schismata, compesce Satanam, compone animos omnium ad tranquillitatem, ut populus tuus uno humero tibi serviat, uno corde & ore te colat & celebret, cantentque Angeli in cælis, & homines in terris, Pacem in eo qui spes pax & salus nostra est Iesu Christo Filio tuo unigenito, qui tecum & cum Spiritu Sancto Vivit & regnat in secula, Amen.

His habitis, Scribæ, ex ambone in frequentissima Comitum, Baronum, virorum Nobilium, Amplissimi Magistratus Dordraceni, Pastorum, populique undequaque confluentis, panegyri, Canones, Iudiciumque venerandæ Synodi, cum subsignatione singulorum tum Ecclesiasticorum tum Politicorum, prælegerunt publice ac promulgarunt. Quos deinde subsecutus Præses, publice itidem significavit, doctrinam in Confessione & Catechesi harum Ecclesiarum comprehensam in Synodo relectam atque examinatam, & consentientibus omnium, tam Exterorum, quam Provincialium Theologorum judicijs, ut orthodoxam & verbo Dei consentientem fuisse approbatam. Tandemque hac gratiarum actione, celeberrimum, augustissimumque Conventum dimisit. Ea autem hæc fuit:

Celebrate Dominum quia bonus est, quia in sæculum benignitas ejus: Dicat nunc Ecclesia Belgica, esse in sæculum benignitatem ejus: Dicant nunc servi Jehovæ, qui perstant in atrijs domus ejus, esse in sæculum benignitatem ejus: Benedicat anima nostra Domino nec obliviscatur ullius beneficiorum ejus: Qui propitius est omni iniquitati nostræ, qui medetur omnibus morbis nostris, qui coronat nos benignitate & miserationibus. Qui satiat nos bonis, qui nos renovat ut fiamus tanquam aquila, tanquam pueritia nostra. Magnifica effecit Jehova erga nos, exercet benignitatem erga unctos suos; notas facit nobis vias suas, & arcanum suum revelat timentibus nomen ejus. Facit ut mansueti incedant in jure, & ducit eos in orbitis justitiæ. Eripit nos à contentionibus: vivat Dominus, & benedicta sit rupes nostra: exaltetur Deus salutis nostræ: in caulis herbidis facit ut recubemus: secundum aquas lenes deducit nos: graviter impulsi fuimus ut caderemus, sed Dominus fuit auxilio nobis: severe nos castigavit Deus, sed morti non tradidit nos: solvit silicium nostrum, & accinxit nos lætitia. Vox cantus & salutis sit in tentorijs justorum, dicens: Non moriemur, sed vivemus, ut enarremus opera Domini. Multi dolores sunt improbo, sed qui fiduciam habet in Jehova, benignitas exundabit eum. Lætamini ergo justi in Jehova, & cantate nomen ejus, qui præditi estis recto corde: nam amœnum hoc est & rectos decet. Videte quam gratiosus & misericors est Dominus, quam longanimis & multus benignitate: non secundum peccata nostra facit nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis, sed quam alti sunt cæli supra terram, prævalet benignitas ejus erga nos: quam longe abest Oriens ab Occidente, tam longe amovet à nobis transgressiones nostras, ut miseretur Pater filiorum, ita in præsentiarum miseretur nostri Dominus.

minus. Hic dies est à Jehova, & est mirabilis in oculis nostris: hunc diem nobis effecit Jehova, quare lætemur & exultemus in ea.

Omnipotens, æterne, misericors Deus & pater noster in Unigenito & dilecto tuo Filio Domino & Servatore nostro Jesu Christo, quam admiranda & imperscrutabilis est hæc tua charitas & misericordia erga nos, nostra culpa miserrimos & perditissimos peccatores, quod nos ante jacta mundi fundamenta in dilecto tuo Filio ad æternam illam gloriam & animarum nostrarum salutem, non ex prævisa ulla bonæ qualitatis vel actionis nostræ dignitate, sed ex mero gratuitæ dilectionis beneplacito elegeris: quod Christum nobis in caput & pastorem, nosque ipsi in membra, & oves ipsi inserendos & ab eo pascendos destinaveris & dederis: quod eidem dilecto & proprio tuo Filio non peperceris, sed in acerbissimam & maledictam illam crucis mortem pro nobis cum inimici tui essemus tradideris, ut pretioso hujus immaculati tui agni sanguine ab omnibus nostris peccatis mundaremur, & tibi reconciliaremur: quod per Evangelium, Spiritusque tui admirabilem & arcanam virtutem, nos in peccatis mortuos vivificaveris, regeneraveris, & ad beatam filij tui communionem efficaciter perduxeris, ad vitæ novitatem excitaveris, novisque & sanctis viribus superne donaveris ad tibi serviendum in sanctitate & justitia omnibus diebus vitæ nostræ; quod in ejusdem filij tui Servatoris nostri communione, nos secundum æternum propositum & fœderis gratuiti promissa, adversus tot mundi illecebras, carnis tentationes, Sathanæ insultus, ipsasque inferorum portas tam fideliter & potenter custodias; tam solida gaudia & certa solatia timidis nostris conscientijs præstes eaque per Spiritum illum adoptionis, hæreditatis nostræ arrhabonem cordibus nostris imprimas & obsignes; quod denique post patienter confectam ærumnosæ hujus vitæ peregrinationem in æterna nos tabernacula certo sis recepturus, ut semper simus cum capite & Domino nostro gloriamque illius conspiciamus. Qui, aut quales fuimus, aut etiamnum sumus nos, ut ipsum dilectionis tuæ fontem in nos velut effundas. Da, ô Domine, & Deus noster, ut hæc beneficia nobis præter & contra omne nostrum meritum destinata, collata, & conferenda, omnem nostrum adeoque ipsorum Angelorum, qui in hæc gestiunt introspicere, captum longissime superantia, humili & grato corde agnoscamus, eorumque assidua & sancta meditatione accendamur ad sinceram & filialem tui dilectionem, fervidam gratitudinem, patientiam & constantiam in omni cruce & lucta, fidamque & lætam hujus gratiæ adversus Satanæ & impostorum corruptelas & contradictiones professionem & assertionem. Quod antehac fecisti, fac porro ut sancta & pura de his tuis beneficijs doctrina, quam ex purissimis Israelis fontibus depromptam populo tuo exhibemus, in omnibus tuis Ecclesijs sonet ad nominis tui gloriam, veræ pietatis propagationem & solidam omnium electorum tuorum in vita & morte consolationem. Da servis tuis omnibus spiritum veritatis, sapientiæ, prudentiæ, mansuetudinis & constantiæ, ut doctrinam hanc intrepide asserant, sancte ac religiose pertractent, suoque exemplo ostendant, quam suaves & indole sua dignos fructus proferat in ijs, in quorum cordibus hæc ineffabilis Dei charitas per spiritum Sanctum effusa est. Quorum corda hujus gratiæ sensu nondum imbuta sunt, effice quæsumus Domine, secundum infinitam tuam misericordiam, ut cœlestis hujus Mannæ dulcedinem gustent & reipsa percipiant. Canes & porcos arce ab his margaritis, ne impuris illas pedibus proculcent. Qui insanas & infinitas carnis ratiocina-

tiones

tiones sectantur, falsoque nominatæ scientiæ fuco & præstigijs falluntur & fallunt, miserere illorum Pater Clementissime, & eodem quo nos Spiritus tractu & ductu ad sacrosanctæ tuæ veritatis obsequium eos inflecte, ut incomparabilis hujus thesauri pretium aliquando condigne nobiscum æstiment, & omni vana ac stolida de viribus, meritis, & virtutibus suis præsumptione ac gloriatione in æternum abnegata, se vere coram te humilient, tibique soli omnem omnis boni gloriam sine ullis verborum aut phrasium involucris aperte & sincere cum toto Electorum, tum Angelorum tum hominum choro, in solidum tribuant. Omnes autem tuas Ecclesias per universum orbem dispersas in fidei unitate per unum illum qui totum Christi corpus regit & vegetat Spiritum custodi: omnes Satanæ adversus eas molitiones dissipa & perde. Da illis & nobis ut crescamus in fide vera, spe viva, & charitate non ficta, donec promissa illa perfectionis beatitate omnes in cœlis perfruamur. Porro cum hæc voluntas tua sit, ut omnes fideles, tam publice quam privatim tibi supplicent pro omnibus in eminentia constitutis, præsertim ijs, quos Ecclesiæ tuæ dedisti nutritios, agnoscimus id nobis in hoc augusto & venerando cœtu congregatis omnino incumbere, ut ardentissimis votis & flagrantissimis precibus tibi commendemus illos, quorum cura, benevolentia, ac mandato hanc Synodum celebramus. Quanta igitur possumus animi intentione ac devotione, commendamus tibi Illustres ac Præpotentes Belgicæ hujus confœderatæ Ordines Generales, Dominos nostros benignissimos. Velis, ô Pater, beneficium illud inprimis, quod calamitoso & miserando hoc sæculo in populum tuum conferunt, amplissimarum benedictionum cumulo gratiose remunerari. Præside assiduo in ipsorum conventu, Spiritu sapientiæ, prudentiæ, ac fortitudinis. Inspira ipsis salutaria consilia, successumque ijs & eventum facilem & felicem præsta: in zelo gloriæ, domus & veritatis tuæ ipsos confirma. Da ipsis regimen pacatum ac stabile, subditosque fidos & obedientes. Robora dextras ipsorum adversus omnes, qui domi forisve, clam vel palam dissipationem, interitum, & occasum hujus Reipub. machinantur. Effice ut sancta eaque perpetua inter se concordia maneant colligati, qua adversus malitiosas inprimis Antichristi blanditias, ipsosque inferorum dolos, fallacias ac præstigias, rupis instar inconcussæ subsistant. Concilia ipsis benevolentiam vicinorum & longinquorum. Da ut perpetui sint populi tui nutritij, regnique filij tui & veritatis ex verbo tuo in hoc conventu promulgatæ propagatores indefessi, & Satanæ regni destructores imperterriti, tandemque cum omnibus sanctis æternum beentur.

Illustrissimum vero & fortissimum illum Heroa, Principem Auriacum Mauritium, quem veræ Religionis ac Libertatis vindicem illorum Dominationibus adjunxisti, hactenusque animi & corporis robore valentem nobis servasti, inque organũ tuæ erga nos beneficentiæ peculiariter selegisti & conservastis: hunc, Pater benignissime, umbraculo alarum tuarum assiduo refocilla ac protege: da ut eo quam diutissime salvo hæc Respub. fruatur. Neu permitte ut scelerata sanguinariorum manus Unctum tuum attingat, capitisve illius capillum lædat. Emitte è throno tuo exercitûs cœlestes, qui castris suis ipsum circumcludant. Instrue illum prudentiæ & fortitudinis donis, ut ad custodiam & prosperitatem nostram alacriter porro advigilet. Largire, ut dulcissimos immensi istius, & fidelissimi pro pace nostra exantlati laboris fructus cum gaudio adspiciat, ijsque, annis exsatietur quamplurimis. Imbue & exorna illum omnibus virtutibus Christiano principe dignis, quibus magis ac magis in populo tuo emineat;

Ee eique

eique præluceat, tandemque cum sanctis Israelis heroibus recipiatur in æterna tabernacula.

Oramus quoque te pro Generosis Nobilissimis & Consultissimis Ordinum Generalium ad hanc Synodum Delegatis, qui pia prudentique opera, moderatione, ac directione, sanctæ huic congregationi prompte & indefesse commodarunt, eoque nomine de populo tuo universo adeo præclare sunt meriti. Custodi, rege, & conforta eos, Domine, per spiritum tuum, ut opus hoc sanctum cum voluptate perficiant, fructusque inde uberrimos cum ædificatione conscientiarum & animarum æterna salute reportent. Nec permitte, benigne Pater, ut quidquam à servis tuis proficiscatur, quod molestiam illis exhibere, illosve contristare possit. Quin potius (uti hactenus gratiose fecisti) effice porro ut fideli omnium ac singulorum ministerio sanctisque exemplis corda ipsorum in salutari tua veritate & nominis tui timore ædificentur, Dominisque suis hæc, quæ in præsentiarum peragimus, fausta, aliaque omnia exoptata cum gaudio renuntient. Oramus præterea pro Magnifico Amplissimoque Civitatis hujus Dordracenæ Magistratu, Prætore, Consule, reliquisque Spectatissimi Senatus membris. Aperi Domine thesaurum bonitatis tuæ, benedictionesque tam corporales quam spirituales in ipsos, totam hanc civitatem, omnes ejus incolas, inprimis Ecclesiam hujus loci, effunde, ut nostrarum precum, & sanctæ nostræ in Domino conversationis suavissimos fructus percipiendo, in beneficio & recordatione huius Synodi exultent, æternumque sibi de ea gratulentur. Fac Domine ut sancta hæc veritas quam servorum tuorum ministerio in hac urbe ex tuis eloquijs depromi, illustrari, stabiliri, & conspirantibus per eundem veritatis Spiritum animis, modo promulgari, Ecclesiæque tuæ universæ exhiberi tam benigne voluisti, in eadem constanter protegatur, religiose prædicetur, sancte credatur, fructuumque in sincera pietate abundantia alijs commendetur, sitque hæc urbs instar luminaris in edito positi, quod vicinam suam clarissima luce collustret. Denique quandoquidem in hoc celeberrimo conventu, tot exterorum principum Magistratuum & Ecclesiarum deputatos coram cernimus, viva totidem paternæ tuæ erga nos misericordiæ & Christianæ ipsorum erga nos benevolentiæ documenta, absit à nobis hæc ingratitudo, ut illorum non recordemur coram te. Quocirca toto pectore tibi supplicamus, pro Serenissimo ac Potentissimo Rege Jacobo, Rege Magnæ Britanniæ, cuius pientissimo zelo, ardentissima commiseratione, operaque vere regia, toties nos in malis nostris recreasti: pro Illustrissimis Germaniæ principibus, veris Ecclesiæ tuæ nutritijs, Electore Palatino & Landgravio Hassiæ, proque Illustribus, Magnificis & Spectatissimis Tiguri, Bernæ, Basileæ, Scaphusiæ, Genevæ, denique Bremæ & Embdæ Magistratibus, Ecclesiis & Rebuspub. Recordare omnium, ô Domine, secundum eam benevolentiam qua prosequeris populum tuum. Da ut fruantur salute & gaudio electorum tuorum. Pro sancta sympathia jucundissimoque hoc beneficio, quo mœstas harum regionum Ecclesias adeo blande, prompte, & benevole sunt consolati, duplum in sinum ipsorum refunde. Concede illis pacem & prosperitatem perpetuam. Tenebras illorum illumina, in angustijs ac difficultatibus omnibus præsentissimum illis esto subsidium. Benedic omnium & singulorum regimini, ut tibi sit gloriosum, subditis gratum & utile, totiq; Christiano orbi, ornamento atque emolumento.

Postremo

Postremo & hoc ne denega nobis, Domine, expectationi, votis, desideriisque ipsorum, totiusque adeo populi tui factum, ut sit satis, gratiose procura. Ne laboris & studij pro pace Ecclesiæ tuæ suscepti & præstiti ipsos unquam pœniteat.

Exaudi nos in hisce omnibus, ô Pater miserationum in facie unigeniti ac dilecti filij tui Domini ac Servatoris nostri, cui tecum ac cum Spiritu Sancto uni vero, immortali, æternoque Deo sit laus, honor, gloria in sæcula sæculorum. Amen, Amen.

Sessione Centesima Quinquagesima-quarta. SESS. CLIV.

IX. *Maij, Die Iovis ante meridiem.*

HAc Sessione, postquam omnes tum Politici, tum vero Exteri ac Provinciales convenissent Theologi, suoque quisque loco ac Ordine, singuli jam considissent, Consultissimus Clarissimusque Vir Martinus Gregorij, nomine Amplissimorum ac Nobilissimorum Delegatorum, gratias solenniter, Exteris præsertim Theologis, his verbis egit:

Rev. Ven. Clar. & Doctiss.

Vero, etiam pio, quisquis tandem dixit sensu: Ἰδὼν τὸ πρᾶγμα τὴν χάριν δίδου Θεῷ. *Nomine igitur populi Belgici, versus cælum attolimus oculos & manus nostras, ac tibi, Deus Pater, qui nos creasti, tibi, Iesu Christe, Fili Dei, qui nos pretiosissimo tuo sanguine redemisti, tibi Spiritus Sancte, qui nos virtute tua vivificasti & sanctificasti, ut uni, soli, & immortali Deo, gratias ex intimo corde nostro agimus quam maximas, quod dissidentibus provincialium animis, in hisce diuturnis super veritate doctrinæ in verbo tuo nobis revelatæ, perturbationibus, Ecclesiam tuam ad seriam & legitimam eloquiorum tuorum considerationem in hac Synodo excitare voluisti eique tam clementer benedixisti ac præfuisti, ut tandem per unanimem & consentientem sententiam veritas tua (ô Deus) vindicata sit ab errore & vertigine quæ populum tuum, populique tui Pastores hactenus occupaverat, Ecclesiamque tuam tam graviter afflixerat & fere prostraverat: quòd eam Ecclesiam tuam reduxisti in veritatis tuæ semitam, quæ in hoc sita est, quod beneplacitum voluntariæ Voluntatis tuæ in vocatione nostri, in & per filium tuum, in & per mortem Christi Salvatoris nostri, per fidem sola efficaci tua gratia citra arbitrium nostrum nobis ostendisti, inque hanc vivam, lætam & certam spem nos erexisti, quod in hac vita etiam præsentiscere nos faciat, quod posthac in domo tua, ô Iehova, habitabimus in perpetuitates æternas. Non nobis Domine, sed nomini tuo damus hanc gloriam, cui etiam vindicias hasce meritissimo & gratissimo animo adscribimus. O Pastor Israelis ausculta, vitem tuam quam plantasti in hisce provinciis, clementer porro conserva, circumvalla eam muro forti, & maceria nova circumduc eam, ut ne aper Sylvestris denuo ingrediatur & devastet eam. Nos refugimus à facie tua & verbo tuo, ideoque in opprobrium vicinorum & in subsannationem inimicorum nostrorum facti. Tu vero, ô Deus, revertere ad nos. Et vero reversus es. Respexisti enim de monte tuo sancto Sion: & lucere fecisti faciem tuam super nos: & servati sumus ut vivamus. Vivamus autem digne, vocatione nostra qua nos vocasti. Itaque eructabit tibi cor nostrum canticum novum, & psallemus tibi gratias in choro piorum, in medio Ecclesiæ tuæ. Deus noster, spes, fortitudo, & dextera nostra, benefac porro pro voluntate tua Sioni, instaura muros Ierusalem, ferruminatione verbi tui sancti & Spiritus tui consolida hoc corpus Ecclesiæ & populi Belgici. Vt omnes te uno ore & corde adorent; teque celebrent omnes generationes per omnia sæcula sæculorum. Amen.*

Porro, Reverendi, Venerabiles, Clarissimi & Doctissimi Viri Theologi Exteri, ab Illustrissimis Ordinibus Generalibus, Fœderatarum Belgij Provinciarum Dominis nostris benignissimis jussi sumus Reverentiis vestris, omnibus & singulis, magnas

agere gratias: quod per semestre hoc spatium & quod excurrit amplius, tanto labore vigilantia & assiduitate, accuratis vestris, doctis, ac pijs consilijs indicijsque Synodum hanc Nationalem adjutum iveritis, idque in gravissimis causis & controversijs quæ Ecclesiam hanc Belgicam tam varie & misere hactenus exercuerunt: quod satisfeceritis votis & pijs ipsarum Dominationum desiderijs, quæ in hoc solum incubuerunt, ut & purus Dei cultus, & orthodoxæ religionis professio in hisce Provincijs à maioribus accepta, publice obtineretur, conservaretur, & ad posteritatem transmitteretur. Hanc R R. V V. publice exhibitam animi ingenijque promptitudinem, hoc officium & beneficium, Illustrissimi nostri Domini Ordines Generales erga Serenissimam Regiam Maiestatem Magnæ Britanniæ, Serenissimas & Illustrissimas Celsitudines Electoris Palatini, Imperij Vicarij, & Landtgravij Hassiæ, erga Magnificentissimos Helveticorum Magistratus & Cantones, Generosos Comites VVetteravicos, Spectabiles & Amplissimos Magistratus Genevensem, Bremensem & Embdanum, omni submissorum servitiorum, officiorum & studiorum genere si non exæquare, attamen quavis oblata occasione gratissime demereri conabuntur. Petuntque ijdem Illustrissimi DD. Ordines R R. V V. per Delegatos suos præsentes, ut Serenissimæ suæ Maiestati, Celsitudinibus, Generositatibus, & Magnificentijs suis, præsentem huius Ecclesiæ simul ex Reipubl. statum de meliori nota commendare velitis, ijsque renuntiare, nihil Illustrissimos Ordines Generales prius habere, quam ut reipsa significare & declarare possint, delegationes hasce vestrum omnium & singulorum, ipsis Ordinibus honorificas, & Ecclesiæ Belgicæ perquam salutares fuisse & gratas.

Vt vero hanc prolixam Dominationum ipsarum benignitatem, ac voluntatem præsentes ipsi experiri possitis, rogatas Reverentias Vestras volumus, ipsis ut omnibus uno statoque die Hagæ-Comitis adesse, & in Consessu Dominationum ipsarum ab ipsismet dimissorias accipere placeat. Quod quia sine diverticulo posse fieri existimamus, neque deviam futuram esse hanc viam, facile nos à Reverentijs Vestris imperaturos, confidimus.

Quam gratiarum Actionem, Synodi ipsius nomine, hunc in modum, excepit Præses:

Illustres, Generosi, Nobiles, Amplissimi, Consultissimi, Illustrissimorum Ordinum Genn. Delegati, Reverendissime Domine Episcope, cæterique omnes venerandi, celeberrimi, doctissimi, Patres & Fratres in Domino dilecti.

Cant. 6.

Hexam: cap. 8.

4. P*Vlchre Ambrosius, Sapientem in Canticis imitatus, Ecclesiam cum Luna comparat*: Ecclesia, *inquiens*, sicut Luna defectus habet & ortus frequentes: sed defectibus suis crevit, & his meruit ampliari, dum persecutionibus minuitur & Confessorum martyrijs coronatur. Hæc est vera Luna, quæ de fratris sui luce perpetua lumen sibi immortalitatis & gratiæ mutuatur. Fulget enim Ecclesia non suo sed Christi lumine, & splendorem sibi arcessit à Sole justitiæ.

Egregie equidem hac imagine, varia Ecclesiæ in hoc mundo militantis conditio nobis depingitur. Quemadmodum enim Luna sua habet incrementa & decrementa, & nunc pleno orbe nobis affulget, nunc aspectui nostro omne lumen subtrahit, prout, scilicet à Sole illuminatur, cuius tamen radijs nunquam est destituta: Sic Ecclesia nunc rara in terris apparet, nunc frequentior: Nunc cruce pressa, procellis agitata & latens in occulto; nunc halcyonijs suis recreata, in pace florens & odorem

odorem bonæ fragrantiæ circumquaque diffundens, libere procedens & conspicua in agminibus suis, omniaque longe & late splendore suo collustrans. Et hæc quidem omnia Ecclesiæ accidunt ex sapientissima justissima simul ac benignissima Filij Dei gubernatione, qua res Ecclesiæ suæ omnino omnes dirigit ad suam gloriam, Ecclesiæ multiplex bonum, & hostium, Satanæ inprimis, confusionem. Verum quæcunq; tandem Ecclesiæ sit conditio, manet illa semper sponso suo tenerrime dilecta: utut nigra *foris appareat*, decora *tamen intus est, Dominique sui peculium, & totius mundi veluti* Cant.1.
Cor, *ad quod Universi Imperator perpetuo atque unice respicit.* Benignitate enim Psal.45.
sempiterna miseretur eius Iehova, & desponsavit sibi eam in seculum: *Tan-* Esa.54.
tumque abest, ut in cruce curam dilectæ suæ deponat Dominus; ut è contrario tum Hose.2.
vel maxime sponsi sui fidem & amorem conjugalem illa experiatur. Primo enim dilecta est quæ castigatur, & quæ flagellatur pro filia agnoscitur. Deinde quam varie, provide, benigne, ac potenter, custodit, solatur, sustentat, ducit, corrigit & erigit eam Dominus in cruce? ut mirabile sit in oculis nostris, eam nec ignis flamma consumi, nec aquarum fluentis suffocari, *quoque magis calamitatum* Esa.43.
fumo ac fuligine maculatur, eo indies candidiorem coram Deo apparere. Quibus omnibus ut dilectionis suæ constantiam Ecclesiæ testatam facit Dominus, ita ab ipsa etiam Ecclesia, in summis licet angustijs constituta, inde vult colligi, quod diligatur à dilecto suo. Quem in finem non solum verbum gratiæ illi administrat, sed Spiritum υἱοθεσίας, tanquam arrham sponsalitiam ei indit, ut suavissimo amoris & favoris sui sensu imbuta, in omnibus adversis se roboret & fulciat. Novit enim Dominus permagni interesse Ecclesiæ, ut sciat & sentiat se ab ipso diligi. Hoc vero illud est quod adversarium nostrum habet ægerrime, qui nisi fidem illam, qua Sponso nostro (id est, ipsi vitæ) agglutinamur, pectoribus excutiat, incassum se laborasse apprime intelligit. Quare tanquam in rabiem versus omnia sursum deorsum volvit, procellis incumbit, opprobria malignantium undique accumulat, carnemque via multiplici tentat, ut Ecclesiam crucis tædio fractam de fiducia depellat, evincatque illud: orbis Domino dilectam non esse, cui totus orbis infensus videatur. *Atque hæc tentatio sane non è minimis est, Ecclesiamque, quippe carnis infirmitate laborantem & transgressionum conscientia gravatã, acerrime pungit & sauciat. adeo ut fluctuans & fatigata ad impatientiæ murmura nonnunquam declinet, nihilque pene absit, quin effundantur eius gressus, & in desperationis barathrum abripiatur à maligno. Tunc è profundis quiritatur:* Mutata est Ex- Psal.73.74.
celsi dextera: Oblitus est mei Dominus: Dereliquit me. Quousque Do- 77.80.89.
mine? quare rejicis in æternum? Vtique inaniter purifico animum, & fru- Ierem.14.
stra lavo in munditie manus meas. Revertere tandem & aspice! An fastidit anima tua Sionem? *Cujusmodi querimoniæ passim in Scripturis sanctis extant. Ad hæc omnia non dormit Israelis ille custos, qui sapienti quidem & justo consilio dilectam suam probat, exercet, humiliat, & flagello gratiæ ad fervida veræ pœnitentiæ exercitia revocat, sed crucis interim momenta ponderat, horamque suam habet in numerato, exspectans, donec, consummato in monte Sionis judicio suo, tempus sit ejus miserendi, causamque eius agendi adversus Inimicam. Interim Ecclesia in cinere jacet & cilicio, indignationem Jehovæ ferens, quia se in ipsum peccasse agnoscit, Spirituque contrito gratiam & remissionem identidem implorat, & secundum fœderis promissa impetrat, quo unico in media cruce vivificata in Deo reconciliato exultat, sannisque & opprobrijs oppressorum, qui hæreditati Domini*

mini insultant, nomenque ejus quotidie irritant, plurimum satura insurgere porro audet adversus eos, & precari cum Sione: Surge Deus, age causam tuam: recordare opprobrij stulti & inimici populi: libera me propter observatores meos: effice signum erga me quod bono sit, ut videntes osores mei pudefiant, cum tu adjuveris me, & consolatus fueris me: Etiam hac re cognoscam, quod delectaris me; quod inimicus meus non jubilet de me. *Quamvis enim propitium sibi Dominum & credat & experiatur Ecclesia in cruce, ut tamen idem publice ad Dei gloriam & lascivientis inimicæ confusionem innotescat, optare utplurimum solet, & contentione magna flagitare. Et audit ista adeoque exaudit Orbis judex, qui dum filios castigando se Patrem probat in domo sua, minacibus interim oculis intuetur catervam Edomæam, quæ blasphemiæ, irrisionis ac violentiæ nec modum facit nec finem. Ad hanc judicandam cum se accingit Dominus, solet ex ordine à se instituto sibi viam prius sternere per suorum illas preces, quas præparando huic judicio dilectis suis inspirat. Atque hinc existunt tot improvisæ, admirandæ & improbis inexspectatæ prorsus atque incredibiles rerum metamorphoses, quas via impervestigabili, nunc mediate, nunc immediate, plerumque autem miraculose, inchoat, & perficit Dominus exercituum. Absque miraculo enim qui, obsecro, pusillus ille grex adversus inferorum portas subsistat, imo triumphet? Tunc demum Lunam illam nostram (Ecclesiam, inquam) gratioso Solis sui lumine perfusam, post varias defectuum, quos passa, vicissitudines, coruscantem videas in orbe suo. Tunc rejuvenescit illa Christi sponsa, & justus procedit, ut juvenis Leo, coram quo cecidit improbus. Tunc dilatantur Piorum corda, & metunt cum cantu, qui seminarant cum lachrymis, persolventes vota liberatori, canticumque canentes novum & adorantes:*

Psal.74.41.86.

Quis Deus fortis magnus est, ut tu Deus? Tu Deus fortis mirifice, quia facis res magnas. Deus, quis est par tibi? Qui mortuos vitæ restituis, & ex abyssis terræ nos facis ascendere. Apud te exitus sunt contra mortem. Benedictus sit Iehova Deus, qui facit mirabilia solus. Conscribatur hoc in generationem posteram, ut populus recreatus laudet ipsum.

Psal.77.71.68.72.102.

Exemplorum plena est Ecclesiæ tam Veteris quam Novi Testamenti historia. Et hujus generis est beneficium hoc, Illustres, Amplissimique Domini, Patres & Fratres reverendi, *quod post magnum illud reformationis opus superiori seculo Patrum nostrorum memoria patratum, Ecclesia Belgica à Domino accipit, agnoscit & prædicat in hoc tempore; & nos documentum ejus illustre, partemque adeo maximam & longe suavissimam percepimus in hac Synodo. Opus vere admirandum, ad quod contremiscunt inferi, & amici simul atque inimici obstupescunt, neutri hunc calamitatum nostrarum exitum præsagientes. Enimvero si malorum illorum, quæ tot nunc annos nos exercuerunt, initia, incrementa, abditos recessus & rationes omnes, remedia item tot totiesque incassum tentata, Synodum tot annos flagitatam, negatam, impeditam, tandem supra spem humanam, eo, qui viam in invijs invenit & complanat, procurante, concessam; si denique hujus Synodi (qualem quis unquam sperare ausus in Belgio?) initia, progressum, molestias, curas, labores, exitumque inprimis longe exoptatissimum, quem nos coram conspicamur, piorum vero in Belgio cœtus cum incredibili voluptate indies resciscunt, mentibus nostris, uti par est, recolamus, cordibus nostris ingeritur illud.* Digitus Dei hic est. *Revera iam*

Exod.8,

Luna

Luna nostra Belgica ex densissimis miseriarum umbris emergens, quasi novo Solis sui recepto lumine, splendescit, & porro frementibus nequicquam inferis, splendebit, clarius omnino, quam unquam, antea. Adeo verum est Domini illud promissum: Etiamsi jacueritis inter duas strues lapideas, sive, habitaveritis inter ollas (*id est in maximis angustijs, sordibus & squalore*) eritis posthac sicut pennę columbę, argento obductę, cujus alę sunt ex fulvo auro purissimo *& alibi:* O afflicta, tempestatibus acta, consolatione destituta: sternam lapides tuos cum ornamento, & fundabo te Saphiris. *Felicem igitur istam Ecclesiæ Belgicæ crucem iure prædico, quæ tantæ occasionem præbuit gratiæ. Inscrutabiles sunt viæ Altissimi, cui solenne est è tenebris lucem educere.* Psal. 68. Esa. 54.

Horum veritas cum in Suspiciendo hoc consessu, eiusque laudabilibus actis & gestis, quæ ad umbilicum modo perducta, vehementer utique gaudemus omnes, se quasi manibus nostris palpandam oculisque conspiciendam offerat, absit, ut nunc obliviscamur officij nostri, de quo partim divina præcepta, partim Ecclesiæ simili beneficio affectæ exempla, paulo ante in medium allata, nos cumulatissime erudiunt. Illud ego in duobus potissimum (quantum quidem ad præsens nostrum institutum attinet) consistere arbitror. Primo ad tanti hujus beneficij, omnisque adeo boni authorem Deum, assiduo nobis respiciendum est, eique, quantas infirmitas nostra concipere potest, gratiæ humili & adorabundo corde oppido lubenter sunt persolvendæ: in quo quidem officio præstando nunquam sibi piæ mentes satisfaciunt. Cum vero id ipsum toto hujus Synodi decursu, & nuper admodum in solenni illa judicij Synodalis promulgatione publice sit factum, præsensque conventus paulo post gratiarum actione ad Deum sit dimittendus, non immorabor in eo diutius, præsertim cum omne id, quod dicendum restat, argumento huic affine sit, & ex eo, tanquam rivus è suo fonte, profluat. Alterum igitur officij nostri genus est, ut causas administras, seu media & instrumenta illa, quorum ministerium in procurando nobis hoc gaudio intervenire voluit Dominus, circumspiciamus, ijsque etiam debita gratitudinis, laudis, & observantiæ officia solvamus. Nam & hoc Sanctos decere, acceptumque esse coram Deo nostro inde manifesto colligitur, quod ipse Spiritus Sanctus hanc viam nobis præiverit in exemplis Sanctorum, quæ passim in Verbo Dei occurrunt; ubi diligenter & operose celebratos legimus eos, quos multum in Domino *& in bonum Ecclesiæ* laborasse *constabat; quorum memoria etiamnum viget in domo Dei, & cum Evangelio prædicabitur in orbe usque ad seculi consummationem, secundum nobile illud Domini effatum:* Honorantes me honorabo. *Instrumenta vero pro ratione necessitatis nostræ Dominus adhibuit varia, eaque partim domestica, partim externa. Quantum Illustrissimis & Præpotentibus* Ordinibus Generalibus, *Dominis nostris benignissimis, quantum Illustrissimo & laudatissimo illi* Heroi, Mauritio *Principi Auriaco, nec non Illustri & Generoso Domino, Gulielmo Ludovico, Comiti Nassovio, particularium etiam Provinciarum plerisque Ordinibus, quantum denique* Vestris, *qui* Ordinum Generalium *ad Synodum hanc estis Delegati,* Dominationibus *debeat hæc Nationalis Synodus, debeant Ecclesiæ omnes Belgicæ, inprimis illæ, quæ morbo* Rom. 16. 1. Sam. 2.

 diuturno

diuturno jam intabescentes curationem omnem humanitus desperabant. De hoc dicendi alias locus erit. Et hic laude sua nequaquam excludi debent Theologi domestici, tum absentes, tum in hac Synodo præsentes, quos reliquiarum instar, difficillimis hisce temporibus sibi reservavit Dominus. Sed his in præsentia missis transeundum nobis est ad subsidia externa, cui argumento conventus hic potissimum destinatus est. Nec vero existimandum est ea, quæ hactenus de Ecclesia Dei in genere, & de nostra Belgica in specie, eiusque calamitatibus & liberatione dicta sunt, ab hoc instituto tam aliena esse, quam prima fronte fortaße videri queat. Quæcumque enim de præteriti temporis angustiis & præsentis temporis gratia dicta modo sunt, & dici multo plura poßent, ea omnia ad laudem eorum, quorum opera tantum hanc gratiam nobis administrat Dominus, augendam & amplificandam, gratitudinisque modum nobis delineandum pertinere, res, opinor, ipsa satis evidenter docet. Quare ad vos hic me converto, Reverendisime D. Præsul, vosque omnes & singuli, doctissimi, clarissimi, pijssimi Domini, Theologi Exteri, Fratres in Domino venerandi, *quorum lectissimam coronam quoties intueor, toties ter beatam & Deo dilectam agnosco Ecclesiam Belgicam; in cuius scil. gratiam tot pios Principes, tot Illustres Respub. & Ecclesias commovit, ut sancto commiserationis zelo accensi præstans hoc & neutiquam contemnendum Ecclesiæ Reformatæ membrum, tam periculose laborans, pristinæ integritati vestro auxilio restitutum, totius corporis ædificationi & commodis servarent. Effuse quidem hic exultat animus, & cogitata sermone gestit exprimere, sed quantopere adnitar, infra rem animus, & infra animum, remque multo magis ipsam, dicendi vires subsidere ultro profiteor; neque illud tam rei amplitudinem, quam meam, qui me in hac palæstra inexercitatum ingenue agnosco, infirmitatem probe candideque consideranti, mirum videri potest. Dicentem tamen pro mea tenuitate, quantum Dominus hoc tempore concedet, charitate vestra benigne sustinebitis.*

Primariam igitur, adeoque & primam in his Serenissimi Magnæ Britanniæ Regis, *Iacobi (in cuius, scilicet, tempora nostras hasce calamitates incidere voluit Dominus) operam demisse agnoscimus; operam, inquam, vere Regiam, tanto Rege, fidei defensore, dignissimam, ad cuius plurima & præclara in nos & universam huius seculi Ecclesiam merita, in laudis cumulum & hoc accedere debuit, ut exemplo suo Regio, in causa tam gravi & sancta, totam Reformati corporis compaginem attingente, cæteris præluceret, suisque iteratis indefeße monitis, hortationibus, obtestationibus, ipso denique facto ad extremum usque præiret; utique Sereniß. eius Majestatis deputatos gravissimos Theologos, iamiam dimittendos in hac servorum Dei corona etiamnum nobiscum considentes coram cernimus.*

Sereniß. eius Majestatis vestigia proxime sequuntur duo ista Germaniæ Lumina, & Imperij Principes Illustrissimi, Palatinus Elector, & Lantgrauius Hassiæ: *Illustres deinde, Generosi & Magnifici, Spectatissimique Domini, comites & Magistratus, Helvetici (*Tigurini, *scilicet,* Bernenses, Basileenses, Scafhusiani) Nassovici item & Wetterauici, Geneuenses denique, Bremenses, & Embdani. *Horum omnium Sereniß. Regis, Principum, Dominorum, Rerumpub. & Ecclesiarum delegantium pijssimis mandatis VV.* RR. *omnes & singulas ex transmarinis,*

longin-

longinquis & vicinis, regno, & regionibus, posthabita Ecclesiarum, Scholarum & familiarum vestrarum cura, difficiliore anni tempore, superatis itinerum molestijs alacriter, pro illarum pietate & sancto zelo, in hanc urbem Dordrechtum, *tanquam communi restinguendo incendio, advolantes, & nobiscum una coeuntes magna cum voluptate conspeximus: hospites sane Ecclesiæ Belgicæ gratissimos, exspectatissimos! Quamvis autem de pia & propensa VV. RR. erga nos voluntate ex illarum adventu illo satis constiterit, ejusque beneficij nomine nos illis, & illarum Dominis Delegantibus, merito devinctos intelligamus; perexiguum tamen hoc est, si comparetur cum reliquis istis beneficijs, quæ à VV. RR. sex deinde menses continuos accepimus multo maxima. Quanta promtitudine, assiduitate, fide, conscientia, in controversijs illis, inter sacras maxime arduis, probe cognoscendis, ponderandis, examinandis, dijudicandis, versati sitis: Quanta insuper patientia immensos illos labores sustinueritis, tot morarum tædia devoraveritis, tot ex improviso injectas difficultates superaveritis, tot Sessionum hyberno tempore continuationes molestissimas, rei bene cœptæ feliciter perficiendæ desiderio & fiducia pertuleritis, vidimus omnes oculati testes, & non injuria sumus admirati; vel ex hoc judicio Dei bonitatem erga nos testatissimam non solum sentientes, verum etiam optatum hunc laborum sanctorum exitum non abs re præsentientes. Præcipuum denique & longe maximum hoc VV. RR. in nos & Ecclesias nostras meritum jure prædicamus, quod præclarissimas illas animi dotes, quibus eas Filius Dei exornavit, adeo benigne, liberaliter & indefesse, in conventibus tam publicis quam privatis, Ecclesiæ nostræ impenderint: Scientiam, inquam, rerum sacrarum eximiam, variam illam, suspiciendam ac sublimem eruditionem, matura, solida & exquisita de controversijs Theologicis judicia, illam cruci Christi ancillantem eloquentiam, salutaris veritatis & pietatis zelum, pacis denique, tranquillitatis & sanctæ concordiæ studium. Quorum omnium laude licet RR. VV. pridem cumulatissime & in Ecclesia meritissime fuerint celebratæ, tam illustria tamen in hac Synodo in nostrum & Ecclesiarum nostrarum solatium & communem ædificationem dedere specimina, ut, si me his omnibus minutatim, & quidem ex vero, commemorandis, nedum prædicandis, imparem agnoscam, nihil me VV. RR. gratiæ dare, sed quod res est sincere proloqui conscientia mihi mea attestetur. Dignissima quidem esse isthæc omnia, quæ prolixa, venusta, & meditatissima oratione dilaudentur equidem non diffiteor, sed cum talis à me, & quidem in tanta occupationum multitudine exspectari minime debeat, & vero res ipsa, me tacente, per se loquatur; quod reliquum est, quam potero paucissimis expediam. Principio quidem VV. RR. omnes & singulas studiose oro, ne ullum laboris aut molestiarum tædium, fastidium, pœnitentiave ulla, illarum animos unquam subeat. Quin potius cogitate,* Reverendissimi Fratres, *vos rem (non dico jam Delegantibus, sed quod rei caput est) Deo vestro, cui Spiritu servitis in Euangelio Filij ejus, fecisse gratissimam. Si enim uni è parvis istis potum frigide solum, nomine discipuli, præbentem, mercedem suam non perditurum esse Servator juramento confirmat:* Mat. 10. *si quod uni è minimis Christi fratribus fit, ipsi fit Christo, qui se id ipsum in die judicij agniturum prædixit; quanta quæso, merces reposita est bene merenti de pluribus, de Ecclesia aliqua, eaque afflicta, & quidem graviter?* Mat. 25. *Vos autem* Domini & Fratres Honoratissimi, Charissimi, *adeo præclare meritis de universa Ecclesia Belgica, tot particulares Ecclesias, tantum fidelium numerum*

numerum in se continente, & ea quidem annos plurimos afflictissima, vestræque opis sitientissima. Quanti illius instauratio ad totius Ecclesiæ Reformatæ incolumitatem & tranquillitatem sit momenti VV. RR. pro sua prudentia intelligunt optime. Quam dilecta Christo sit hæc sponsa, initio diximus. Dubitare igitur non potestis, quin, qui Sponsæ benefecistis, ipsi Sponso gratum præstiteritis officium. Denique & membra eiusdem nobiscum corporis vos esse profitemini. Qui ergo concorpores nobis estis, communi corpori, quod fecistis, factum reputate, cuius etiam fructum in eodem corpore ipsi percipietis. In recenti etiam est memoria, quoties RR. VV. ea gratiosæ Dei præsentiæ in medijs laboribus judicia nobiscum observarint, è quibus & id quod agebatur Deo gratum esse intellexerunt, & in gravissimis deliberationibus iucunda senserunt levamina: quorum recordatio quin etiamnum voluptatem non mediocrem VV. RR. adferat nullus dubito. Hoc ergo illis esto solatium, Filium Dei, quod tantæ fidelium & fratrum suorum multitudini præstitum est, largissimæ benedictionis mercede gratiose remuneraturum. Ad nos quod attinet, cum tantis vestris meritis paria rependere nequeamus, quod possumus saltem meritissimis referimus. Vestris, scilicet, Reverentijs omnibus & singulis. Tibi Reverendissime D. Præsul, Vobis, Cæteri doctissimi, gravissimi, præstantissimi Magnæ Britanniæ, Electoralis Palatinatus, Hassiaci, Tigurini, Bernenses, Basileenses, Schafhusiani, Nassovici, & Wetteravici, Genevenses, Bremenses, Embdani Theologi, Doctores, Pastores, Patres, Fratres plurimum venerandi, *qui Apostoli estis Ecclesiarum & gloria Christi, omnibus, inquam & singulis, pro omni studio, labore, officio, beneficio, auxilio, charitate, benevolentia, humanitate nomine omnium & singulorum Reverendorum, Clarissimorum, Doctissimorum Fratrum & Collegarum Provincialium maximas gratias ago, Ecclesiarumque adeo omnium Belgicarum nomine; humili & sincero affectu prolixioris & comti sermonis loco (quod remunerationis genus pios maxime oblectat) cor pie gratum testor, offero & voveo; quæcunque etiam à nobis & universa nostra Ecclesia officiorum genera, & charitatis observantiæque ministeria, unquam omni occasione proficisci poterunt, Spondeo; inprimis vota precesque pro vobis & vestris assiduas & ardentes, memoriam denique vestri in Ecclesijs nostris sanctam, perpetuam & immortalem. Et de hac sincera gratitudinis nostræ coram Deo, sanctis eius Angelis, venerandoque hoc Consessu, publica testificatione uti ad vestros delegantes (quibus omnibus & singulis quantum nos debere sentiamus, vel ex hoc ipso colligere promtum est) omnes & singuli studiose referre non gravemini, obnixe peto, ut beneficium se in gratos collocasse intelligant.*

Præterea, quicquid à Reverendis DD. Assessoribus & Scribis, à reliquis item omnibus Rev. Clariss. & Doctissimis Fratribus Provincialibus pro mensura donorum, quæ in ipsorum RR. large effudit Dominus, in Synodicis laboribus præstitum, in commune consultum & collatum est, id ut VV. RR. boni consulturas, gratumque & acceptum habituras in Domino plane confido; ita ut id ipsum pro sua pietate facere non dedignentur officiose rogo. De me ipso, huic tam arduæ tamque laboriosæ functioni imparem me, & in servis Domini, quos selecta hac, quam cernitis, copia Ecclesiæ Belgicæ ad hanc Synodum deputarunt, minimum ab initio coram Domino agnovi & publice professus sum. Quandoquidem vero ei, qui suo nostra regit arbitrio, mea infirmitate uti visum est, in Sancta ejus voluntate acquievi,

fretus

Digitized by Google

fretus divino eius præsidio & VV. RR. pietate, charitate, humanitate, æquitate. Vt autem limatissimis tot gravissimorum Theologorum iudicijs usquequaque satisfacerem, id RR. VV. pro ipsarum prudentia à mea tenuitate neutiquam exspectasse sat scio, meque tale quid consecutum esse absit ut in animum inducam. Præstiti quod pro gratiæ mihi à Domino concessæ modulo in tanta curarum, molestiarum, laborum, occupationum undique se accumulantium mole in hac corporis imbecillitate præstare potui. Vt conatus, studia, laborem, & in his fidem atque conscientiam, Deo, VV. RR. & toti Synodo probare, nihilque hac in parte ab æquitate vestra in me desiderari paterer, hic mihi scopus fuit. Quod autem RR. VV. labores & conatus meos pro singulari illarum benignitate tam amanter, fraterne & patienter sublevarint, eo nomine illis omnibus peculiares ex animo gratias ago, infirmitatesque & defectus meos, ut (quod ipsas facere persuasum habeo) pro sua pietate benigne interpretentur vehementer etiam atque etiam rogo.

Quod superest, cum laboribus communibus ad optatum finem iam, Deo è cælis benedicente, perductis, RR. VV. ad suos singulæ reditum parent, & vero, licet sancta huiusmodi Synodica conversatione, quam beatæ & cælestis istius quasi præludium quoddam esse sentio, nihil in hac ærumnosa vita suavius optabiliusque nobis accidere queat, rebus tamen utrinque sic ferentibus, eas in pace & charitate dimitti, longe sit æquissimum; Primo omnes nos & Ecclesias nostras Belgicas Sanctis RR. VV. precibus studiosissime commendo. Deinde eundem Deum Opt. Max, qui VV. RR. Angelorum suorum ministerio salvas & incolumes ad nos adduxit, maxima animi contentione veneror, ut eodem comitatu omnes & singulas incolumes & illæsas domum reducat, annos ijs ad sui nominis gloriam & Ecclesiæ ædificationem quam diutissime proroget, hilari eas & serena conscientia reliquo peregrinationis tempore & in ipsa morte consoletur, omniaque ijs salutaria, grata & optata, quam largissime largiatur.

Benedicat *insuper Dominus è Sione, Sereniss. Regi Magnæ Britanniæ, Electori Palatino & Lantgravio Hassiæ, Dominis & Magistratibus Tigurinis, Bernensibus, Basileensibus, Schafhusianis, Comitibus & Dominis Nassovicis, VVetteravicis, Dominis & Magistratibus Genevensibus, Bremensibus, Embdanis.* Benedicat *horum populis, & inprimis Ecclesijs ac scholis, quæ sub ipsorum alis florent & conquiescunt in pace:* Benedicat, *inquam, illis omnibus Dominus, salute, pace & gaudio populi sui.*

Idem ille clementissimus noster Deus, omnes nos, corporibus licet paulo post disiungendos, animis, studijs & ministerijs in sancta illa omnium & singulorum pulcherrima consensione & è verbo Dei in hac Synodo declarata & promulgata veritate, charitate etiam, votis & precibus, ad extremum usque Spiritum semper servet conjunctissimos, donec in cælestem & beatissimam illam Synodum omnes transferamur, ibique cum omnibus Electis æterna quiete & gloria perfruamur, & nunquam disiungendi semper simus una, & cum Domino. Amen atque etiam Amen.

Tum vero à singulis, postquam affectum suum erga Ecclesias nostras prolixe essent testati, officiaque sua iisdem porro, propensissimis detulissent animis, actis gratijs junctisque fraternæ communionis dexteris, cum mutuis amplexibus, non sine lachrymis, discessum est.

ORATIO IOHANNIS ACRONII,

quam nomine Ecclesiæ Reformatæ Campensis habuit in Synodo: de qua mentio fit Sessione trigesima Sexta.

Nobiliss. Ampliss. Consultiss. Dominorum Ord. Illustr. Deputati. Reverendiss. Præsul, ac Rev. Patres, Doctores Clariss. & Fratres Observandi.

QVod in augustissimo Consessu vestro, locum dicendi, petentibus nobis, concedere voluistis, id nos quidem ingentis beneficij loco prorsus accipimus, ac Vestris Dom. & Rever. maximas idcirco gratias agimus. Caussam vero non privatam in hoc theatro afferimus, sed Ecclesiæ Reformatæ Campensis, in Transisulania, publicam; quam, ne forsan abuti vestra patientia videamur, in medium quam brevissime proferemus. Enixe rogantes, illam intento benignoque studio cognoscere velitis.

Est civitas Campensis, è tribus Transisulanicis præcipuis, haud infima, quæ primum Religione syncera, (quam vulgo Reformatam vocamus) post abdicatas Papatus idolomanias, ab annis plus minus 40, laudabiliter effloruit, indeque Civium concordia, & pace tranquillitateque Ecclesiæ, celebris omnino, toto isthoc, quo sita est, Belgij tractu fuit; advenis etiam pijs in eam hospitio grato susceptis.

Hanc pauculis ab annis, turbata Religionis concordia, distractisque in partes civium animis, & affinium quoque cognatorumque amicitijs hic illic dissociatis; haud solum acerbis odijs misere fluctuare; sed & plurimos in ea pios insigniter offendi, statum Ecclesiæ duriter concuti vastarique, & Reformatæ religioni constanter adhærescentes, indignis modis affligi, premique, non sine gravi dolore conspeximus.

Eius vero mali causam certissime dedisse Pastores in civitate Campensi modernos, Thomam Goswinum, Everhardum Vosculium, Assuerum Marthisium, & Iohannem Schotlerum, Ecclesia Reformata Campensis asserit, ac verissime conqueritur: idque ipsum huic Synodo Nationali laudatissimæ, quæ nunc Dordraci celebratur, per nos Deputatos suos, huc idcirco missos, aperte demonstrari, testatumque reddi cupit. Ac licet huius rei documenta plurima, Pastorum assidua praxis exhibeat, hæc tamen paucula Synodo nunc expendenda, cum submissione debita, suppeditamus.

1. Primum, quia præceptum in Dei verbo sat Ecclesia novit, ut ab illis, qui spargunt aliena dogmata, se diligenter abjungat; eorumque consortio, quilibet etiam homo pius, abstineat, qui scandalorum ac dissidiorum, præter doctrinam, quam didicimus, autores sunt; ideo sane maximo jure plurimum hanc offendit Ecclesiam, quod prædicti pastores, ab aliquot jam annis, in hac civitate, dogmata nova, priusque eidem inaudita, & à recepto doctrinæ genere prorsus aliena, sparserint, & invexerint. Quod quidem initio

initio Thomas, & Voſkulius aggreſſi ſunt adverſus Collegam ſuum Danielem Sauterium, acerbis contentionibus, hæc inſulſa dogmata propugnantes: Quod Chriſtus pro omnibus & ſingulis hominibus abſque diſcrimine, ne uno quidem excepto, revera mortuus ſit. Quod peccatum Adamo ſemel condonatum, indeque nullum jam in infantibus Originale peccatum ſit. Quod vires ſufficientes omnibus hominibus Deus contulerit, amplexandi ſalutem, etiamque Indis, Diabolum adorantibus; quorum item cordibus inſcripta Naturæ Lex, ipſis ad ſalutem dux eſſe poſſit, modo ſequi ductum iſtum, & collata gratia recte uti velint. Quodque oves Chriſti vere hœdi fieri, ac à ſalute deſciſcere poſſint. Quod nequaquam Deus condiderit decretum reprobandi quempiam, ſed omnes ad ſalutem vocet, omnibus illam velit, ac promittat. Quæ quidem aſſidue Voſkulius crepare ſolitus eſt: ac Thomas itidem, coram honorando quodam viro teſtibuſque alijs audientibus, adſerere non dubitavit: Deum habere ſuos, tam inter eos, qui verbo ejus carent, quam qui illud audiunt. Et latronem in cruce pendentem abſque verbo ſalvatum eſſe. Omnes item audientes verbum Dei ea gratia donatos, ut recipere prædicatum verbum, & credere poſſint. Deum enim eſſe paratiſſimum omnibus donare fidem, qui modo volunt, illamque cupiunt. Eundem nil hominibus præcipere, quod non etiam ab omnibus vere fieri velit; præcipere autem omnibus ut credant, ac ſimul eis vires ad credendum dare: Hominesque tamen Spiritui S. regignere ipſos volenti, reſiſtere poſſe. Hæc aliaque ſimilia dogmata contentioſe, quoties occaſio ferebat, hominibus ab hiſce paſtoribus ingeſta, pijs ſcandalum ingens, atque in Eccleſia hac ſchiſma triſte concitarunt, ut ejus permagna pars illos pro veris paſtoribus agnoſcere nequeat, ac miniſterij eorundem uti communione, jam dudum detrectet.

2. Auxit etiam hoc offendiculum quod prædicti Paſtores, hanc innovationem doctrinæ in urbe Campenſi, ſunt moliti, non (ſicut fas fuerat) ordine debito, ſive per approbationem legitimam Claſſium & Synodorum, ſive etiam per Provincialem reſolutionem, ſed autoritate tantum propria, proque lubitu ſuo privato, magna quoque conſiſtorij ſui parte penitus refragante. Quapropter Eccleſia merito novas iſtas opiniones, auſu tantum duorum Paſtorum, haud adeo bonis literis excultorum, ſane per quam temerario, ſine legitimo Eccleſiæ judicio, vel cauſæ cognitione ſufficienti, in theatrum productas, haudquaquam admittendas, ſuſcipiendas, tolerandas cenſuit. Quin eo magis eidem hæ novationes ſuſpectæ, quod ſubinde Paſtores hi non obſcure declararint, quanti Claſſium, & Synodorum, ipſiuſque etiam Nationalis Synodi jus atque autoritatem faciant.

3. Acceſſit inſuper effrenis, & violenta publicæ pacis in Eccleſia Campenſi, proculcatio, per hoſce paſtores inſolentiſſime facta, cum tribunitijs ſuis concionibus exagitare veram Religionem, horrendiſque illam gravare calumnijs, & hoc modo Civium animos inter ſe mutuis imbuere diſcordijs, odijs, exacerbationibus, ac eo rem deducere tandem non ceſſarunt, ut in vijs publicis honeſtiſſimæ matronæ lapidibus, cœno, putridiſque ovis, & pomis contumelioſe petitæ, Cives honeſti, non ſane ſicut par erat,

tractari fuerint, ac denique maleferiatis, animi tum ad lædendos concives, tum & ad improperia summis Capitibus inferenda, sint exasperati. Qualis certe tranquillæ Communitatis perturbatio minime Pastores pios decet, qui potius concordiæ sarciendæ maximo studio ducuntur. At hi Pastores Campenses, istis suis pravis machinationibus alienatos abs sese bonos haud unquam reconciliare sibi, quovis debito medio sunt conati; sic utique palam declarantes, se amissa nequaquam requirere, sed potius dissipandi, quæ recte congregata fuerant, sibi curam inesse, seque adeo tristem hanc dissipationem, in Campensi Civitate causasse.

4. Neque hoc sat eis esse potuit, sed insuper Orthodoxam Religionem nostram, quam cum Anglicis, Gallicis, Palatinis, Helvetijs, & Hassiacis Ecclesijs uniformiter profitemur, atrocibus convitijs, ut abominationum plenam, cujus pudere nos oporteat, proterve coram imperita plebe proscindere, cunctosque ab ea, sub æterni exitij interminatione deterrere non verentur. Quod non ore tantum proclamant, sed Articulorum quoque complurium formulis, in vulgus sparsis, ipso quasi facto, de Religione nostra reformata, cunctorum oculis ingereri satagunt. Ipsis denique piorum Ecclesiæ Doctorum, per Angliam, Galliam, Germaniam, tam vivorum, quam mortuorum nominibus, ignominiose præfixis quibuslibet abs se plurimum confictis blasphemijs, quam sint avidi calumniarum, & quanto famæ Clarissimorum hominum maledicendæ studio teneantur, sat produnt.

5. Quin ut ipsam doctrinam universam Ecclesiarum nostrarum, imperitorum odijs exponerent, hi Pastores Campenses, imprimisque Voskulius, Aphorismos 12 mutilos & mendaces, per domos privatim deferre, manibusque omnium ingerere toties solitus, ijs turbare simplices conscientias & Orthodoxam Religionem improbis onerare calumnijs, ingenti piorum cum scandalo, quam frequentissime studuit. Obtulitque idem se, in Synodo Zuollensi, ad Articulorum istorum patrocinium, sed quod nullum adhuc ab ipso præstitum esse cognovimus. Saltem igitur ex adjuncta manu, quis Author eorum sit, inquiratur.

6. Vidit etiam Ecclesia Campensis, haud exiguo cum dolore, quantas contentiones, de varijs doctrinæ Capitibus, Thomas & Voskulius cum Collega suo Orthodoxo, Daniele Sauterio dudum exercuerint: ita quidem, ut cedere tandem hic illorum pertinaciæ, bonisque invitis, ad Harlemenses hinc abire compulsus sit. Antequam vero discederet, die quodam Dominico, Daniel hic, in Templo, post Concionem, ex composito, ut videbatur, à nebulonibus aliquot impetitus, supradictorum duorum Collegarum affectus erga se persensit. Nam adductis eorum aliquot, imperio Magistratus, in carcerem, Voskulius, postridie, ductis secum in Curiam, è fece plebis, centum plus minus comitibus, Magistratum Campensem ad relaxandos captivos adegit. Quod quantopere tunc displicuerit Amplissimo Senatui, testari possunt ij, qui sanguinarij ausus istius conscij sunt. Nec obscurum item est, quali patrocinio Collegam istum suum Thomas quoque tunc sit tutatus.

7. Simili ratione duo prædicti Pastores, in Clariss. virum D. Guilhelmum

Digitized by Google

mum Stephani S. Theol. Doctorem, ad pacificandam Ecclesiam Campensem à Magistratu pariter & Ecclesia vocatum, insurrexerunt. Nam ad pacem à Magistratu commoniti, tamen in Concionibus inculcare nova dogmata non desinebant: nunc Christum pro omnibus hominibus esse mortuum clamantes, & Christi mortem eousque impijs conducere, quod ea peccatum Originale fuisset ab ijs ablatum: nunc universalem gratiam urgentes; unde subinferebant, omnes infidelium, Turcarum, Iudæorum infantes salvari; vel si hoc non fieret, Deum crudelius cum ijs, quam cum ipsis Diabolis agere, &c. nunc etiam Essentiam Dei tantum in cœlis, ac nequaquam omnipræsentem in terris esse contendebant. Quibus ex officio renitens D. Stephanus, tandem ingenti piorum cum gemitu repulsus, etiam à causa sua dicenda, loco suo motus est.

8. Norunt præterea Pastores ipsi, quoties honestis civibus injuriam intulerint, ad placitum ipsis non adulantibus. Lubbertum Hardenbergium è suo Consistorio propulerunt, quod in Classe vel Synodo se probaturum reciperet, Voskulium novis & alienis dogmatibus Ecclesiam offendere. Quid alijs honestis Civibus acciderit, hic brevitatis causa non attingemus. Saltem ipsi coram Deo suas explorent conscientias, quot quantisque molestijs, optimos cives & incolas Campenses, immerito sæpius affecerint.

9. Nec Ecclesiasticam quoque Iurisdictionem ad se sigillatim rapere, contra Leges, non sunt veriti; cum ex Classibus, ad judicium Consistorij sui pertraxerunt, Danielem Pipardum, Gallicum; Georgium Goyckerum, Wilsensem, & Iohannem Petri, Yselmudensem, Pastores: cumque in Classem Steinwicensem, invita, refraganteque eadem, suos intrudere conarentur. De quo videantur Gravam. Steinvvicensia.

10. Utque omnino nulla quies Ecclesijs esset, ac eorum honori macula gravior aspergeretur, etiam his Pastoribus in Lucem edere libuit famosum quendam libellum, sub titulo, *Uprecht ende claer bericht der Predicanten tot Campen*, in quo, præter decantatos 5 Articulos, adhuc alia dogmata, in theatrum proferunt, ac, sub inscriptione fallaci Veritatis antiquæ, rudioribus divendunt. Atque quod majus est, Optimos ac pientissimos quosque Ecclesiæ hujus ævi Doctores, Orbi palam, ut Falsa docentes, ignominiose proponunt. Cujus libelli vanitates, errores, calumnias, ineptias, quandocunque postulabitur, omnibus juvante Deo, monstrare parati sumus. Atque quidnam de hoc libello, nupera Synodus Provincionalis Transysulanica statuerit, ab hac illustri Synodo, cognosci percupimus, ex Actis ejus, Articul. 10. 11. 12. 14. & 24. 25. 26. Ubi tandem bis sub reatu relinquuntur. Cumque læsa plurimum & offensa sit Ecclesia nostra turpissimo isto libello, rogamus, ut Synodus, quatuor istos Pastores qui nomina eidem sua subsignarunt, hic publice, ad dicendam de eo causam, idoneo tempore sistat, ac nos etiam super eo tunc audire dignetur.

11. Cumque item in Geldria nuper famosa quædam Tabella sparsa fuerit, in qua Religio nostra Reformata cum Mahometica confertur; in cujus propagatorem Illustris Curia Geldrica serio quoque animadverti t, illamque (ut intelleximus) igne concremavit; eadem tamen Tabella Cam-

pis postmodum de novo, typis, in forma præsenti procusa, quotidieque vendenda & spectanda proponitur. Hoc Pastores apud suum typographum non modo non impediverunt, sed & probabitur, ipsorum nonnullos, eodem tempore, quo excudebatur egregium hoc scriptum, subinde ad Typographum cursitasse. Rogamus autem, ut ad veritatem patefaciendam, ecquisnam scilicet ei Tabulæ hujus excudendæ fuerit autor, à Typographo quæratur: utque super eam judicium Synodi Transisulanicæ, Artic. 23. executioni mandetur.

12. Ad extremum, Pastores Campenses tres illegitime locum in Ecclesiastico Ministerio tenere dicimus. Nam qua ratione Everhardus Voskulius adhuc in munere suo versetur, disquiri propius ab hac Synodo cuperemus. Iohannem quoque Schotlerum ultima Synodus Provinciæ Transisulanicæ, Artic. 20. in functionem Campensem illegitime irrepsisse pronunciat. Assuero autem Matthisio, per Gravamina Classium accusato, quod illegitime Campense Ministerium invaserit, eadem Transisulanica nupera Synodus injunxit, ut testimonium doctrinæ & vitæ, simul & discessus ab Ecclesia Daventriensi sui, referat à Daventriensibus: quod forte nunquam vel postulabit, vel obtinebit.

E quibus omnibus Illustris hæc Synodus aperte cognoscit quam juste Campensis Ecclesia reformata, Pastores istos supra dictos. 4. nempe Thomam Gosvvinium, Everhardum Voskulium, Assuerum Matthisium, & Iohannem Schotlerum repudiet, eorumque Ministerio uti detrectet. Quare quo tandem istius afflictæ Ecclesiæ saluti consulatur, rogat eadem ipsa, ut ab officio suo, in urbe Campensi semoveantur hi Pastores, utque tum Amplissimo Senatui, tum Civium toti communitati notum reddatur, quam id justis æquisque de causis fiat. Cumque non desinant Pastores, qui Campis adhuc sunt, interdiu noctuque instigare, cohortari, omnibusque modis, apud quosvis id agere, ut à nobis illos avertant; ut subinde quoque palam exaudiantur diræ nonnullorum voces, velle se nos, & è Templo rursus, & è Civitate quoque ipsa violenter eijcere, rogamus, ut huic malo, totique adeo negotio nostro modum, amplissima Synodus, hoc etiam tempore benigne ponere velit. Dordraci, Peroratum in Synodo Nationali xix. Decembr. An. 1618.

Johannes Acronius, nomine ac iussu Deputatorum Ecclesiæ reformatæ Campensis,

Subscripsit, m. pp.

ORA-

Digitized by Google

ORATIO
M. SIM. EPISCOPII,

Habita Sessione XXIII. VII. Decembris CIↃ. IↃ. C XVIII.

Illustres ac Præpotentes Domini, Reverendissimi, Clarissimi, Doctissimi, prudentissimique Viri Fratres:

NOn possumus, quin in ipso, quod ajunt, limine atque aditu, ante omnia Apostolorum exemplo, & prout Christianos decet, vobis omnibus ac singulis precemur à Deo Patre & Domino nostro Jesu Christo, gratiam & pacem, Sanctique inprimis Spiritus communionem: Ut ille ejusmodi vobis consilia suggerat atque inspiret, quæ Ecclesiæ Iesu Christi mæstæ atque afflictæ, Reip. ac Patriæ nostræ, nimium, proh dolor! turbatæ, utilia & salutaria esse queant. AMEN.

Hoc voto, hac prece ex animo usi ne prorsus ἄνευ προοιμίου simus, pauculis si ita placet, vos adfabimur, obnixe rogantes, ut exigui, & pauxilli temporis usuram concedere nobis non gravemini.

Inter omnes curas, quæ multæ ac variæ mortales ab omni retro ævo, hodieque exercent, nulla prior potiorve esse debet homini Christiano, quam ea, quæ de Religione recta & salutari promovenda suscipitur. Cæterarum enim omnium curarum ea est ratio, ut aut infra dignitatem hominis, inprimis Christiani, longe positæ sint, aut eidem cum illis etiam animantibus communes, quibus anima, quod dicitur, pro sale data est. Sola Religionis pietatisque cura hominem terris brutisque eximit, adeoque ei propria est, ut non tam ratione à feris brutisque, quippe cujus lineamenta ac vestigia quædam ijs ipsis impressa sunt, quam Religione secerni videatur, &, quod caput rei est, hujus unius opera atque auxilio aditum sibi faciat ad beatam immortalitatem & æternitatem.

Quare recte atque ordine facere judicandi sunt, non ij tantum, quos alia nulla, quam sui ipsius cura fere exercere solet, sed Principes inprimis Rectoresque populorum & Ecclesiarum Ephori & Antistites, quibus id negotij ab Altissimo datum est, ut non suis tantum, sed aliorum etiam multorum commodis & utilitatibus inserviant atque invigilent, qui in hanc præ cæteris omnibus curam toti ac proni incumbunt, ut se ipsos, populosque sibi subjectos ac concreditos, Deo & Filio ipsius Iesu Christo, sistere possint quam religiosissimos. Alijs enim rebus omnibus exigua & perfunctoria cura sufficit: Hujus unius rei cura totum integrumque hominem sibi iure quodam suo ac merito vindicat.

Hæc causa fuit, Reverendi, Clarissimi, Doctissimiq; Domini, cur nos etiam, quibus non nostri tantũ sed Ecclesiarum etiam nostrarum cura à Domino nostro Iesu Christo demandata atq; imposita est, officij nostri semper esse crediderimus, ut hanc quam nacti eramus Spartã ornaremus, diligenterq; adeo & accurate provideremus, ne sancta atq; immaculata Servatoris nostri Religio per nostram culpam detrimenti aliquid caperet, id est,

Inserẽda est hæc oratio Sess. XXIII. in qua cum multa dicantur, ad quæ tũ in Præfatione operi huic præmissa, tum passim alijs in scriptis, quæ Actis hisce inserta sunt, inprimis vero in Iudicijs Exterorum Theologorũ de Remonstrantiũ Protestatione, & scripto Synodi Delphensis Sess. 26. plene respondetur; ad ea æquus lector remittitur. Neque enim dubiũ est, quin ex diligẽti collatione, multa, temere, plura confidenter, plurima autem falso ab ijs dici, facile sit deprehensũrus.

id est, ne ejusmodi quædam auditorum nostrorum animis insererentur atque instillarentur dogmata, quæ indole atque ingenio suo, sanctissimæ religionis amori paulatim eximendo aut labefactando, apta nata videbantur.

Religionem cum dicimus, rectum de Deo Christoque Mediatore sensum, & quæ sensui inædificatur, legitimum ac genuinum utriusque cultum atque obsequium intelligimus. Vt enim alter sine altero esse nequit, ita utriusque simul cura ministris Jesu Christi imposita est, etsi non pari necessitate. Etenim cultus vix ignorantiam aut vitium ullum admittit, quia necessum est, ut occasione alterutrius obsequij ipsius sinceritas violetur, id est, in mandatum ipsum impingatur, cui vitæ æternæ promissio adjuncta est. Sensus errorem & ignorantiam aliquam ferre potest: quæ cultui atque obsequio prorsus nihil officiunt. Enimvero sensus quidam ejus sunt naturæ atque indolis, ut ad cultum ipsum nec necessarij sint, nec per se utiles. Et in hisce quidem ignorantiam simplicem, aut errorem purum putum si quis calumniari voluerit & odiose traducere, næ ille convitium mortalitati faciat necesse est. Hallucinamur enim & hæsitamus omnes ex facili in rebus illis divinis atque cœlestibus, alij gravia, alij leviora. neque quisquam unquam tam subducta ratione fuit ad omne verum, ut non aliquando eum quippiam aut effugerit aut fefellerit. Ex altera vero parte alij quidam sensus sunt, quibus veluti fulcris quibusdam ac fundamentis cultus universus innititur atque sustentatur, aut saltem qui ad cultum ipsum persuadendum, confirmandum, & stabiliendum, per se non parum ponderis ac momenti habent, quos convelli atque labefactari æquo animo non potest, nec debet ferre is, cui sacrosancta Servatoris nostri Religio curæ ac cordi est: tenerrime enim afficitur Christianus animus oculi instar, cui minimus etiam pulvisculus officere solet, quique eundem protenus cum dolore impactum sibi sentit & excutere satagit.

Vt intelligatis quorsum hæc dicantur, Viri Clarissimi, Nos ij sumus qui videre nobis videbamur ejusmodi quædam placita à nonnullis, magni alioquin nominis & famæ viris, quos eruditio atque autoritas sua in excelso jure meritoque collocaverat, magno molimine adseri, atque asseverari, quæ cum gloria sapientiæ, bonitatis, ac justitiæ divinæ, salvatoris nostri φιλανθρωπίᾳ, satisfactione ac meritis, verbi ministerijque sacrosancti natura, Sacramentorum usu, denique cum officio Christiani hominis, consistere non posse videntur. Deinde quæ cum ingenti bonorum offendiculo, indelebili Reformationis nostræ macula, incredibili pietatis jactura, conjuncta esse videbantur: denique quæ adversarijs nostris ad unum quaqua versum omnibus, luculentam materiam præbere videbamus suggillandi & obtrectandi laudabilem illam, & felicibus adeo auspicijs institutam Reformationem. Neque hoc tantum, sed quod omnium maximum est, ea omnia doctorum placita tanquam confessa atque indubitata Ecclesiarum nostrarum axiomata ab adversarijs illis nostris traduci atque impeti; in illis veluti in proprijs & genuinis Ecclesiarum nostrarum ulceribus, ungues, dentes, linguas, calamos omnium passim hostium imprimi atque infigi.

Quæ res cum male nos haberet, enixissime pro se quisque conati sumus, injuriam istam corpori toti temere impactam ab Ecclesijs amoliri neque permittere ut labes & macula ista, pulcherrimæ ac nitidissimæ Ecclesiarum faciei inureretur, quæque peculiaria tantum quorundam in Ecclesia doctorum placita erant, ea toti atq; universæ Ecclesiæ impingerentur. Sed proh dolor! male admodum atq; infeliciter cessit nobis hoc

hoc pium propositum atque institutum nostrum: dum enim bene mereri de Ecclesia voluimus, sensimus ea parte nos applicuisse medicinam ac remedium, qua veluti in affecto corpore fieri solet, humores omnes, funditus, & nimium quam vehementer exacerbati & perturbati sunt, adeo ut inde corpori toti tantum non lethalis paroxysmus obortus sit, & incubuerit.

Invitis profecto ac nolentibus, imo non opinantibus nobis hæc res accidit, nullo proinde merito ac culpa nostra. Quid enim criminis ac non potius laudis in eo esse poterat, quod Ecclesijs nostris suam existimationem salvam, & à criminibus temere & sine caussa impactis, sartam tectam cuperemus? Vitione quisquam vertet, aut crimini dabit fideli Iesu Christi servo, quod pro virili sua adnitatur, ne Ecclesia tota ob paucorum quorundam peculiaria placita male audiat? Equidem, si quis hanc rem ex æquo & bono putabit, iniquitatem & injuriam temporum, non nos in culpam vocaturus est.

Nos vero tantum abest, ut cœpti institutique nostri propterea pœniteat, ut pulchrum gloriosumque duxerimus tam præclara de causa invidiam sæculi nostri sustinere, officijque nostri esse putaverimus, nisi transfugæ ac desertores bonæ causæ haberi vellemus à Domino nostro Iesu Christo, in laudabili proposito persistere ac perseverare: Etenim est aliquid, etiam magnis & per se pulchris ausibus excidere, & ut non succedat quod consulis, velle tamen consulere quod in rem Ecclesiæ est, remediaque necessaria ac utilia, etiam sine successu, tentare saltem atque experiri.

Neque vero causa, aut ratio nulla erat, cur aliter agendum putaremus. Majora enim & graviora erant, quæ amoliri cupiebamus, quam ut ad ea tacite conniveremus. Neque enim existimare debetis, verum esse id quod hactenus in vulgus magno cum causæ nostræ præjudicio sparsum est, de nihilo fere, & unguium retrimentis, aut segmentis, à nobis litem esse motam, magnis & celebratis illis nominibus. Ne sirit unquam Deus ille, cui nos in Spiritu servimus, ut in negotijs Religionis de rebus frivolis, minutis, ac pæne nihili, controversiam alicui temere moveamus, aut volupe ducamus, de lana, quod ajunt, caprina rixari, & serram contentionis reciprocare. Enimvero seria, augusta, solida, & quæ pondus ac momentum habent, curat vere Christianus animus: minuta infra se putat, & procul ac post habet, leviculis etiam non adficitur. Prudentis viri est, de umbra, quod ajunt, asini, non nisi cum molestia posse digladiari; boni viri, etiam digladiari nolle. De alijs quam necessarijs aut apprime ad salutem utilibus, contendere operæ pretium non est.

Quare cum hæc sententia imis animis nostris sederet, incidimus in duram admodum & quam minime meriti eramus sortem, id est, in publicum fere omnium odium atque invidiam. Adeo difficile est opinionibus inveteratis & inolitis, inprimis quas excellentis atque egregij alicujus Viri auctoritas stabilit, manum adhibere, & malum bene aut potius diu firmiterque positum, loco movere.

Quid enim? Exinde non aliter in nos tanquam in professos Religionis ac Reformationis hostes, veritatis inimicos, tranquillitatis publicæ perturbatores, patriæ perduelles, novatores, hæresium omnium fautores ac patronos (utar duro vocabulo) sævitum est: urnæ omnes convitiorum, & atrocissimarum criminationum motæ sunt ac concussæ: in famam & existimationem nostram quæsitis & ad odium compositis vocibus ac scriptis incursum est; tantis animis, tanto molimine, tantis conatibus, ut verbis Apo-

bis Apostoli dicam, περίψημα καὶ κάθαρμα τοῦ κόσμου facti sumus. Non opus est, ut commonstremus, verum esse id quod per decennium integrum teste cœlo & universo orbe Belgico gestum est, neminemque latere potest. Ipsi templorum parietes, ambones, pulpita, porticus, fora, compita, convivia, non loquuntur, sed clamant: lippis, quod ajunt, & tonsoribus notissimum est. Etenim principio clancularijs suspicionibus, veluti cuniculis, & suffossionibus, animi plerorumque alioquin minime malorum, præoccupati & circumventi sunt, ut ab ijs, quos antea præ corde suo dilexerant, alieniores fierent. Venenum enim amicitiæ primum suspitio est. Inde manifestarijs & apertis criminationibus, licet vanis & falsis, veluti pestifero quodam halitu afflatæ mentes, in odia irasque exarserunt: accedentibus vero tandem tribunitijs concionibus, veluti flabellis ac follibus quibusdam, adeo inflammatæ sunt & accensæ, ut in convitia, scommata, opprobria, maledicta, aliaque odij excrementa efferbuerint: donec tandem ruptis omnibus honestatis, æquitatis, & modestiæ repagulis, quisque id omne, quod animo suo collibitum esset, in nos veluti publici odij victimas, impune effutiret & evomeret. Bone Jesu! Quid non intentari nobis immerentibus & innoxijs, de throno tuo vidisti & audivisti! Quoties ascenderunt gemitus & suspiria nostra ad te in cœlum usque! Quam crebro, quam ardenter effudimus animas nostras coram te, cui uni innocentiam nostram perspectam esse sciebamus! Testamur Te, Domine Iesu, qui judicaturus es vivos & mortuos, si unquam cuiquam justam causam tantarum irarum, querelarum, offensionum, injuriarum, & criminationum dedimus. Neque tamen, Viri Clarissimi, hæc ita à nobis dici existimetis, tanquam si à nobis nihil prorsus in calore hoc contentionis designatum, dictum, scriptum, gestumve esset perperam, quodque aliquam reprehensionem mereretur. Absit. Etsi enim de causæ ipsius bonitate, æquitate, ac veritate prorsus apud animum nostrum persuasissimi sumus, novimus tamen, quam sit difficile in tantis animorum motibus ac tempestatibus, clavum recte semper tenere, & mentem prorsus æquam, atque ab omni vitio integram sustinere. Homines sumus: humani nihil alienum à nobis esse putamus. Sed id tantum volumus, nihil nobis propositum fuisse, nihil nos cupivisse, nihil optasse, nihil tentasse, quod odium huiusmodi publicum mereretur.

Notet Lector, eos, qui primi Ecclesias quas pacatas invenerunt, mille nouitatibus turbarunt, maledictis & calumnijs onerarunt, nouitatum ac schismatum, maledictorum & malefactorum accusare eos, qui constanter Reformatæ Religioni adhæserunt. & in hac re tremendum illud Iesu Christi nomen vsurpare: ad quem (quod sine horrore cogitari non potest) prouocare audent.

Quare etiam cum hunc consiliorum studiorumque omnium nostrorum scopum ob oculos haberemus, in alteram priori succedaneam curam omnibus etiam viribus incubuimus, obnitentibus licet & obluctantibus non paucis, ne florentissima Ecclesiæ nostræ compages, sanctumque illud Domini nostri Jesu Christi corpus, quod post tot sudores, post tot labores, inter tot difficilia bella, in medijs Reipublicæ motibus, inter innocentissimorum hominum cædes ac lanienas, ex sanguine & cruore martyrum quasi coaluerat novo schismate dehonestaretur ac dissolveretur, funestoque & lachrymabili divortio, inter ipsa fere incunabula in partes distraheretur.

Fatemur lubentes, in hoc steterunt & quasi trabali clavo fixæ fuerunt diu admodum curæ, cogitationes, consilia, preces, & supplicia nostra apud Deum Opt. Max. quicquid potuimus una cum heroibus patriæ nostræ, eo industriam fere omnem & operam nostram contulimus, ne vulnus novum Ecclesiis infligeretur, cui deinde medendo nullus sufficeret Hippocrates. Docuerant quippe nos multa præteritorum temporum, omnisque adeo prisci & nostri ævi exempla, levi brachio, nulloque negotio vulnera infligi posse, inflicta vero difficilime curari, quoque diutius biant labia, eo ægrius, nec nisi cum fœda cicatrice conglutinari & coalescere, imo non raro super omnia remedia ire ac consistere.

Huic

Digitized by Google

Huic itaque malo, ut quantum in nobis erat, occurreremus, aliquoties repræsentavimus Patriæ nostræ proceribus, ut unum horum trium concedere nobis dignarentur, vel ut Synodus ea, qua ab ipsis statutum erat lege, indiceretur & convocaretur, vel si id ex re Reipub. esse videretur, propter nimios recentesque animorum motus, qui judicij sinceritatem turbare & vitiare solent, mutua ad tempus sanciretur tolerantia, id est, sua cuique sententia in hisce capitibus controversis, certis tamen reverentiæ, modestiæ, & pietatis limitibus circumscripta, salva relinqueretur, usque dum aliter constitutum foret: vel, si nec id consultum videretur, neque Reip. sua tranquillitas & incolumitas, nisi nobis ejectis, constare posset, cedere juberemur functionibus, publicisque locis, resque nostras nobis habere. Malle nos damno nostro redimere patriæ nostræ pacem, quam committere, ut propter nos, publicorumque templorum usum, vel minimum aliquod incommodum ad Remp. & patriam nostram rediret.

Obtestamur vos, Amplisß. Reverendisß. Clarisß. Doctissimi Viri Fratres, potuitne quippiam aut rectius, aut utilius, aut optatius salubriusve isto rerum statu à nobis fieri? Ut cederemus sententijs nostris, liberaque illarum professione, non sinebat nobis conscientia nostra: ut ministerijs nostris abiremus injussi, desertionis mercenariæ crimen habuisset: Ut Synodus indiceretur non permittebant ij, qui clausulam revisionis sive resumptionis Confessionis & Catechesos Rescripto Ordinum insertam approbare gravabantur. Quid restabat aliud, quam tolerantiæ mutuæ consilium? Enimvero qui per nos stetisse affirmant, quo minus multos ante annos Synodus convocaretur, næ illi magnam nostro nomini injuriam faciunt. Nos enim ij fuimus, qui Rescriptum D D. Ordinum tum Hollandiæ & VVestfrisiæ, tum Generalium deinde omnium laudavimus, probavimus, & commendavimus, nihilque prius aut antiquius duximus, quam ut ista lege Synodus convocari posset, & eo quidem tempore, quo animi à contentionibus & rixis nondum incaluerant, quo judicia nondum erant perturbata, quo sola tantum sententiarum bella ac divortia erant, ad tristes vero has & deplorandas animorum dividias, quæque ex illis nasci solent factiones, schismata, & secessiones nondum ventum erat. Sed cum isto tempore Synodum remorarentur ij, quos id minime, nostro quidem judicio, decebat, quiq; causam nullam gravem ac justam habere nobis videbantur; in tolerantiæ mutuæ proposito stetimus, nihil dubitantes, quin ubi animi à contentionum calore ac vehementia nonnihil deferbuissent, commotæque ac turbatæ judiciorum faces tractu temporis resedissent, concordiæ & conjunctioni iterum litari facile posset. Et suadebant nobis hoc ipsum exempla non maximorum tantum virorum, qui de Reformatione nostra optime meriti erant: sed integrarum etiam aliquot Ecclesiarum, quæ jura fraternitatis & communionis mutuæ, in maxima harum aliarumque multo plurium sententiarum diversitate, salva atque illæsa non sine magno Ecclesiarum emolumento & incremento conservarent: quin imo non à Theodoro Beza tantum, Jacobo Andreæ, sed & à nobis ipsis concordiæ fraternitatisque dextera & tessera Lutheranis oblata. Denique Serenissimi Regis Magnæ Britanniæ consilium, aliaque Clarissimorum hujus nostri ævi Doctorum & Pastorum judicia. Sed nec hac via successit res; quin imo quanto benignius placidiusque à nobis pro tolerantia mutua actum laboratumque est, tanto acrius animosiusque contra itum est. Sparsum quippe protinus in vulgus est, & Panegyricis concionibus, libellis famosis adsidue populo inculca-

inculcatum, tolerantiam, πρόφασιν tantum & larvam esse, quæ incautiorum oculis veluti γλαύκωμα aliquod obduceretur; ne viderent, quid post spatium agerent, & in sinu foverent Remonstrantes: eos, quorundam Politicorum instar, sententias suas veluti navigia quædam ex tempestate Reipublicæ moderari, & prout ventus ex alto flat, ita vela vertere. Conscientiæ illos suæ imperare quidquid velint. Quo crimine atrocius nihil, graviusque dici aut scribi potuit. Nec tamen ullam justam tantæ criminationi causam unquam dederamus. Sed hac ratione fax contentionum multo magis ventilata est, & oleum, quod dicitur, camino additum: usque adeo enim animi plerorumque, qui hactenus extra partium studia sese continuerant, abalienati sunt, ut tandem post omnia frustra tentata à nobis remedia, res in nervum eruperit, id est, publicum atque apertum schisma, quasi dato signo & manu facta in Ecclesiam introductum sit, secessionesque in pagis, oppidis, & civitatibus passim, invitis & nequidquam reclamantibus, & resistentibus Patriæ pacisque amantibus Proceribus factæ sint, & ne privata quorundam autoritate atque arbitrio ea geri viderentur, advocati ex omnibus fere Provincijs præcipui, qui schismata illa autoritate & opera sua tanquam publico quodam suffragio stabilirent & confirmarent. Verum enimvero, ne quis vestrum existimet hæc populo tantum autore facta esse, fœdera, consociationes initæ & congressus clandestini habiti sunt, in quibus fide & tessera data, sese non pauci pastores obstrinxerunt, eo quod omnes & singulos Remonstrantium articulos, divinæ gloriæ & veræ conscientiarum tranquillitati noxios esse judicarent, ad secessionem hanc faciendum, & quidem ea mente atque animo, ut secessio ista in hac ipsa Synodo nationali, communi totius Synodi consensu autoraretur. Et certe si rem recta ratione æstimare velimus, non capit tam ingentes motus promiscua plebs & vulgus hominum, nisi sint, qui autoritate & exemplo suo calcar subdant, incitent atque impellant, maris instar, quod nisi venti commoveant atque conturbent, tranquillum, ac placidum stare solet. Nec leve judicium huiusce rei illud fuit, quod nunquam fere quisquam eorum, quibus hæc agendi ratio displicere videbatur, Schisma autoresque Schismatis, aut publice reprenderit, aut censura ulla notare sustinuerit. Sed qui prudentiores paululum videri volebant, alium hunc tam fœdo operi colorem quærendum esse putaverunt. Et sane quærentibus non defuit: scilicet persuadendum erat populo, alia adhuc latere, quam quæ in controversiam publice vocata essent, horrenda, videlicet, & damnata olim dogmata, veteres omnes hæreses novo paxillo suspendi, & quidquid uspiam errorum fere pestiferorum fuit, id omne veluti postliminio in lucem revocari. Hinc protinus in formulas loquendi ac phrases cujusque inquisitum est; de periodis & periodorum sæpe lacinijs tantum non comitia habita & in consilium itum est; ad minutas quasque controversias & dissensiones veluti ad ingentes scopulos hæsitatum est, post singulas, præruptos errores & hæreses infandas abscondi, sub phrasibus singulis veluti sub saxis serpentes latere, aliaque id genus plura, imo dicta, indicta, colloquia privata conquisita, corrasa & convectata sunt, ut quæ mole ac pondere suo levia erant, ea numero gravia viderentur. Sic ubi forte vel silerent Remonstrantes, vel moderatius sentirent ac loquerentur, in suspicionem id protenus & calumniam vocatum est odiosam; hyperbola exageratum: nolite nobis credere viri Ampliss. Reverendiss. Clariss. utroque tantum oculo legite specimen illud controversiarum nuperum, qua parte Remonstrantes tangit, aut nos vehementer fallimur, aut palpare poteritis

Vtrum hæc absq; causa fuerint dicta, præter cętera documenta quę alibi extant lector colligere poterit ex confessione geistranorum inserta Sessioni 138. atque ex declaratione Ecclesiæ Campensis hanc orationem proxime antecedente.

verum

verum esse quod dicimus, & dies ipsa aliquando clarius docebit. Interim id persuadeatis vobis, certum esse, fucum & fascinum tantum esse, quicquid illud est quod obtenditur & praefertur. Enimvero fidenter dicimus, lustrate, lustrate scripta omnium nostra, privata, publica, nusquam nec volam, nec vestigium reperietis, cui tam dira & acerba criminatio superstrui possit. Ecquis nostrum est, qui Theologiæ ipsius [illegible] vel digito attigit, nedum labefactare & convellere sustinuit? Immota, incussa steterunt nobis hactenus ea omnia, quæ Catholico consensu approbata sunt. Credite nobis, commenta tantum hæc quorundam inquietorum ingeniorum sunt, eo fine adinventa, ne Schismati color deesset.

Neque tamen diffitemur, ut forte quæ huius criminationis species fuerit intelligatis, ita nos fere semper judicasse, de magnis arduisque Theologiæ capitibus longe supra rationem positis, sive de veris Religionis nostræ mysterijs, tutissime loqui eum, qui non nisi sobrie ac parce, quantumque fieri potest cum Scriptura loquitur; rati id quod res est, proclivem in tam arduis rationem ac naturam transeuntibus, abstrusis abditisque rebus errorem esse, & leviculam sæpe hallucinationem, maximo errori ansam præbuisse. Disputationes de ijsdem ex professo vitavimus, quippe experiundo didiceramus, nonnulla tutius certiusque credi non ventilata, quam excussa. Mysteria summa, non nisi reverenter tractanda esse; evanescere & deteri eorum augustam Majestatem, si levibus rationum subtilitatibus tanquam purpurißa & ceromate aliqua incrustentur, ut augustiorum mysteriorum quasi speciem habere videantur; simplicitate sua se magis illa commendare, quam coloribus ascititijs. Et plerunque fieri, ut ratio ubi semel in consilium adhibita est, luxuriare gaudeat ac nusquam fere subsistere, adeo ut nihil fere credendum deinde putetur, cuius ratio aliqua dari non possit. Et hinc insanæ illæ quæstionum variarum circa hæc mysteria moles ac farragines natæ sunt, quibus adeo indultum est, ut si quis in eas incidat, in totidem labyrinthos, flexus, gyros, ac mæandros sese tanquam per naufragium aliquod delatum credere debeat.

Præter hæc, si quæ alia aliquando mota sunt, ea talia fuerunt, de quibus varie semper sine periculo aut damno salutis jam pridem arbitrati sunt eruditiores, aut suo saltem jure, in Academijs scholisque imprimis publicis, ubi quæstiones in acie novaculæ, quod dicitur, collocandæ semper sunt, arbitrari potuerunt. Enimvero iniquum esse putavimus, in omnibus minutijs & apicibus, ipsisque adeo phrasibus omnimodum consensum postulare. Arctis eiusmodi vinculis ac compedibus iudiciorum libertatem ac varietatem adstringi non poße, quin jejunum plerunque ac frigidum esse, quicquid ad arbitrium & placitum alterius creditur ac defenditur: sufficere debere, si capita ipsa religionis integra atque illæsa maneant.

Neque vero etiam ullum unquam tam felix, tam beatum fuit sæculum, in quo judiciorum sententiarumque discrepantia locum non habuerit. Si à primis orbis Christiani incunabulis à beatissimis illis Patrum sæculis, ijsque ad hæc nostra decurrere liberet; varia profecto, salvis societatis Christianæ legibus varie credita, defensa & adserta fuisse, ostendi posset. Vix unus est, qui ab altero non dißenserit in multis varijsque. Sed ne longe abeamus. Testamur te, Anglia, Gallia, Germania, imo te ipsum Belgium nostrum & quicquid uspiam fere locorum est, ubi, ubi, inquam, angulus ullus est, in quo omnes per omnia consentiant? Certe in tanta rerum varietate, judiciorum diversitate, quæstionum perplexitate omnia ingenia ac judicia in unam eandemq; sententiam compingere

pingere velle, tantundem profecto est, atque cum Nerone Isthmum perfodere velle. Quin imo dicendum quod res est, cum Clarissimo Paræo; Majorem tam veterum hæresium, quam præsentium dissidiorum partem in Ecclesia hinc præcipue natam fuisse & esse, quod Concilia, Episcopi, Doctores Ecclesiæ, nullo discrimine, quævis scholarum dogmata & Cathedrarum placita pro articulis fidei Catholicæ venditarint, parique ad salutem necessitate credenda conscientijs imposuerint: ex quavis vero interpretationis scripturarum discrepantia, nimis facile hæreses vel schismata fecerint. Vnde fieri necesse est id quod Hilarius ad Constantem Imperatorem ait, Dum in verbis pugna est, dum de nominibus quæstio, dum de ambiguis occasio est, dum de autoribus querela est, dum de studijs certamen est, dum in consensu difficultas est, dum alter alteri Anathema esse incipit, nemo Christi fit.

Omnia hæc eo spectant, Reverendi & Clarissimi viri, ut intelligatis immerito gravatos nos fuisse hactenus atrocibus illis suspitionibus, quasi sursum vorsum omnia movere, miscellam Religionem adornare, Pyrrhoniam & scepticam Theologiam revocare, & temerarium quidlibet pro arbitrio & ex privato sensu innovandi & effutiendi licentiam sub specie libertatis prophetandi introducere in animo habuissemus. Absit: Nihil spectavimus, nihil optavimus, nihil quæsivimus, quam auream illam, & quæ inter servitutem & licentiam media interest, libertatem. Sicut enim ij non sumus, quibus hæsitatio, tergiversatioque ex omni occasione placet, ita non minus aversamur eos, qui serviliter alijs sese mancipant, eorumque judicijs veluti hirudines per omnia pertinaciter adhærent, tanquam si piaculum secessione piandum foret, vel latum unguem ab illorum placitis recedere, qui profecto non tam ex suo, quam aliorum ingenio ac judicio sapiunt, imo bubalorum, atque vrsorum instar, naso circumducuntur ad aliorum arbitrium.

Hac animi fiducia rectique conscientia freti, sustinuimus hactenus quicquid nobis ingestum est calumniarum & injuriarum, rati cum Augustino, Non opus esse ut satisfiat calumniæ, ubi satisfactum est conscientiæ. *Hac eadem suffulti atque innixi huc accessimus ante aliquot dies, non citati, non vocati; sed sponte nostra, atque ultro: ego vero etiam jussu eorum, quorum imperium detrectare religio mihi erat. Inpræsentiarum etiam rursus comparemus, citati ne, an secus, jam non moramur, dum modo bona fide agatur, & non tam victoria quam veritas ipsa quæratur.*

Et sane fiduciam nobis non exiguam addidit hoc unum, quod sciremus adesse jam & ex omni fere Christiani orbis parte confluxisse, quos æquiores & benigniores causæ totius cognitores futuros sperare licebit, quam eos qui hactenus nullo præcedente judicio Ecclesiæ, suopte Marte ac consilio nomina nostra ex albo Ecclesiæ suæ expunxerunt, & secessionem à nobis manifestariam fecerunt. Ita enim fere fit: æquiora & benigniora fere solent esse examina eorum, qui extra partes partiumque studia positi, integros se judicio conservarunt, quam qui liti, & partibus sese fervide immiscuerunt, imo qui de lite tota in alteram partem pridem aliquid statuerunt ac pronunciarunt. Quisquis enim alterutri partium impensius favet, certæque ac destinatæ alicui sententiæ, ita addictus & consecratus est, ut cum contraria nihil se commune habere velle profiteatur; hic iudex non est duarum; sed vel autor suæ vel sectator alterius præeuntis.

Quod cum ita sit, non possumus etiam, quin vos, Reverendi viri Fratres, quotquot ex remotis dissitisque locis ad hunc consessum celebrandum & consilijs, studijs, ac suf-

fragijs vestris pijs & prudentibus juvandum, accedere non estis gravati, obtestemur & obsecremus per viscera Servatoris nostri Iesu Christi; per sanctum illud & venerandum nomen, quod super nobis omnibus invocatum est, per si quid unquam animæ vestræ carum fuit, per communia fraternitatis & societatis Christianæ jura ac fœdera, ut de nobis aliud nihil, quam id quod inpræsentiarum professi sumus, sentiatis aut statuatis. Si quid ab hoc aut illo, hac illave occasione, dictum, scriptum, factumve perperam est, ejus culpam præstare nostrum non est. Quisquis de re ipsa recte judicare vult, non in circumstantiarum superficie hærere solet; sed in rem ipsam totam, reique totius scopum ac finem descendat ac penetret necesse est. Si quid à principali linea aberraverit, id extra causam & rem esse credendum est. Eorum autem quæ professi sumus summa, in compendio ad hæc tria capita redit: Primum est, quod aperte atque ex professo nos opponere conati sumus illis, qui horrida, uti ipsi loquuntur, & nuper Geldri, abominanda Doctorum quorundam placita circa Prædestinationem, & annexa, aut ipsi tantum se tenere profitebantur, aut quod magis est ea pro genuina Ecclesiarum nostrarum sententia habenda & retinenda esse adserebant. Alterum est: quod toto animo abhorruerimus, & palam ijs nos opposuerimus semper, qui propter quinque nostros quos vocant articulos, ante ullam Synodi legitimæ latam sententiam, aut decretum propria autoritate schisma & secessionem vel absolute, vel per provisionē fieri posse, aut faciendam esse judicarent, aut silentio, factove ipso id se approbare demonstrarunt. Tertium est, quod eorum semper rigorem improbaverimus, qui salvis manentibus veritatis inprimis necessariæ fundamentis, dissensiones sæpe leviculas & non necessarias in suspitionem statim atrocissimæ hæreseos vocant, perinde ac si societate, si non Christiana, saltem Reformata, protenus indignus fieret is, qui vel hilum ab his illisve Doctorum placitis discreparet. Accessit ad hæc, occasione fere harum conversiarum innata, Quæstio, de jure & autoritate Magistratus circa sacra, nobis, supremam ac summam magistratui in publico, sub Deo & Verbo divino, de Religionis Controversijs, judicio aßignantibus: alijs vero non paucis id juris magistratui derogantibus, & cæcam nescio quam approbationem decretorum Ecclesiasticorum, ei tribuentibus. Hæc ea fuerunt, quæ proposita nobis habuimus, quæ nos tanti momenti esse putavimus, & etiamnum putamus, ut muneri nostro nos neutiquam satisfacturos crederemus, nisi ijs, quantum in nobis erat, obviam iremus. Fidelium enim servorum Iesu Christi esse credidimus, procurare inter cætera hæc inprimis duo: Ne sanctißima Religio Christi, ea parte lædatur & vulneretur, qua sanctimoniæ & pietati detrimentum aliquod inferri potest. Deinde ne quamlibet ob causam, sive ob leviculam, aut leviculas dissensines, secessio statim & schisma fiat in Ecclesia. Pro hisce duobus capitibus velis remisque contendimus: pro hisce stetimus, tanquam pro salutaribus & cœlo delapsis ancilibus: certi & persuasi, salvis auspicijs, Deoque favente omnia ea geri, quæ pro sanctimoniæ veræ, & necessariæ pacis incolumitate geruntur: Si alijs suspicionibus aut criminationibus gravati sumus apud R.R. & D D. VV. etiam atq; etiam oramus, ut fidē ijs deferre tantisper supersedeatis, donec alteram partē audiveritis, & totā causam perdidiceritis. Date nobis aliud nihil, quam quod vobis ipsis plena manu dare cuperetis, si loco nostro essetis, id est, animum à præjudicijs vacuum: Si accusatio sufficiat, quis erit innocens? Non prensavimus vos, non ambivimus gratiam favoremq; vestrum, nec ambimus etiamnum. Nec enim causa nostra favorē cujusquam desiderat, nec favor hominū conscientijs nostris ullatenus sufficere potest. Dei nostri unius, cui tanquam sūmo judici stamus ac cadimus, favorē quærimus, & hoc agimus, ut innocentiam nostram si nō

adversarijs, æquis saltem hominibus approbemus, & bonorum conscientijs manifesti simus. Scimus cui iudici sistendi aliquando sumus, qui occulta cordium novit, & ea aliquando in lucem producturus est.

Nolite, quæsumus vos, respicere ad hunc quem videtis exiguum numerum: bonæ causæ vel unus patronus sufficit: malæ, ne quidem infiniti. Sed nec deesset nobis justus ad Synodum numerus, si numero contendere Christianum vel gloriosum foret: Aut si æquo & pari Marte, congredi licuisset. Sed quibus artibus, quibus machinis, quibus studijs id procuratum sit, ut ne id fieret, Deus novit. Nobis id certum est, ut numero multo inferiores redderemur, Schismata & secessiones passim factas esse ad arbitrium sæpe paucorum, muneribus atque Ecclesijs suis fidissimos & Ecclesijs suis acceptissimos pastores ejectos paulo ante Synodum, ut veluti Rei sine suffragij jure accederent. Reliquos deputationibus fere exclusos; ut vel nulli adesse possent, vel qui accederent, numerum ferme non facerent. Sicubi numerum maximum facerent Remonstrantes, ut in Vltrajectina Diœcesi nuper accidit, & pax atque concordia cum ijs à Contra-Remonstrantibus semper culta atque observata fuisset, in ipso Synodi limine secessio & apertum schisma factum est, ut ne pauciores numero Contra Remonstrantes ad Synodum hanc ex provincia illa accederent, quam Remonstrantes.

Sed & hæc insuper habuimus. Vnicum tantum & quidem præcipuum est, de quo non possumus non conqueri apud vos, & coram toto mundo conqueri non desinemus. Antesignanos, primi-pilos, & ordinis nostri ductores, apud quos aquilæ nostræ hactenus steterunt, (non qui munere isto inter nos functi sunt; sed quorum ætas, prudentia, & eruditio illud nomen merentur) exautoratos esse, & nobis quasi ademptos. Si quæritis, quando? paulo ante Synodum, pridie eius dici, quo decretum hoc factum est, ut ad Synodum vocaremur, cum jam in procinctu staremus, cum de summa rei agendum esset, & manus quasi conferendæ. Quam ob caussam? Nescimus, imo si qua est, alia nulla est, quam ea quæ jam in disceptationem hac ipsa in Synodo ventura est. Addimus amplius, dum ipsa causa disceptabitur, passim adhuc à Deputatis Synodi particularis exautorantur, censuris Ecclesiasticis gravantur ij, qui à partibus nostris stant, & sub alijs quidem prætextibus, & uti nos credimus, prætextibus tantum. Cæteri omnes, tanquam, scilicet, nullius prorsus culpæ rei, immunes sunt ab omni censura. Sed ne hæc tamen tam importuna, ne quid gravius dicam, agendi ratio, permovere nos potuit, ut hastam abjiceremus: Ita enim decrevimus, prout Christianos decet, non numero, sed rebus contendere. Sola Scriptura & quæ ei juncta est, veluti pedissequa, recta ratio, pro nobis agmen ductura est, quibus quamdiu aliud quid quam scriptura aut ratio solidior opponetur, pedem non movebimus, nec centumviralia judicia, nec cistas nongentorum, quod ajunt, reformidaturi. Sapiens enim non movetur numero judicantium, sed judiciorum pondere. Et, quod præcipuum est, conscientia suffragijs non acquiescit; sed quibus suffragia inniti debent, rerum ponderibus ac momentis. Fieri enim potest, ut recte ait Seneca, ut argumentum pessimi turba sit: certare debet ratio cum ratione, causa cum causa, res cum re, ubi veritatis cognitio quæritur.

Hoc si fiat, quod fieri æquissimum esse V.V. R.R. norunt, erit profecto quod nobis atque Ecclesijs nostris gratulemur, occasionem nobis datam esse luculentam, qua cum eruditissimis, doctissimisque viris examinare, atque inquirere dabitur,

pro

pro qua parte veritas ac ratio potissimum militet. Alterum enim duorum consecuturos nos speramus, ut aut probemus causæ nostræ, quam hactenus defendimus, innocentiam, aut illa cadente, reportemus veritatis victoriam. Tam enim accessimus parati vinci, quam vincere: utrum enim ceciderit, sine fructu non erit: nec enim vinci pudet eum, qui pro damno erroneæ sententiæ veritatis lucrum quærit, nihilque aliud sibi propositum habet, quam ex veritatis consecutione, conscientiæ suæ solidam pacem ac tranquillitatem. Quisquis enim non eo animo accedit, ut quibus minime favet, possit absolvere, & quos unice amat condemnare, næ ille indignus est, qui in hoc consessu suffragium ferat.

Amicus debet esse Plato, amicus Socrates, amica Synodus, sed magis amica veritas.

Subscripserant, Simon Episcopius S. S. Theologiæ Professor, Eduardus Poppius, Ioannes Arnoldus, Bernardus Dwinglo, Carolus Niellius, Henricus Leo, Phillippus Pynaker, Assuerus Matthisius, Thomas Goswinius, Dominicus Sapma, Theophilus Rijckewaert. Bernerus Vezekius, Henricus Hollingerus.

PARÆNESIS

Reverendissimi & Clarissimi Viri

D. ABRAHAMI SCHVLTETI

Ad Synodum Dordracenam ex Psalmo CXXII. Dicta 15 Decembris, Sessione 33.

ILlustrissimorum ac Præpotentum fœderati Belgij Ordinum, Illustres, Nobilissimi, Consultissimi, Delegati, Venerande Synodi Præses, Reverendissime Præsul, celeberrimi Ecclesiarum Antistites, Academiarum Professores, vosque reliqui Auditores omnium Ordinum Spectatissimi, Ornatissimi:

Quod unicum erat votum Serenissimi & Potentissimi Magnæ Britanniæ Regis Iacobi, Serenissimi & Celsissimi Imperij Electoris Frederici V. Comitis Palatini, Ducis Bavariæ, Domini mei Clementissimi, multorum item aliorum piorum Principum, Comitum, Baronum, Equitum, Civium, in Germania, extra Germaniam: Vt quæ Ecclesias Belgicas aliquot annos fatigarunt Controversiæ, de ijs in legitima plurimarum Ecclesiarum Reformatarum Synodo pie cognosceretur, eius & illos & nos sub anni huius decursum damnari, non possum, quin publica voce profitear, me in Domino Deo meo animitus lætari.

Itaque, ad te conversus, Æterne, vere, vive Deus, qui te patefecisti immensa bonitate, misso Filio & effuso Spiritu Sancto in Apostolos, gratias tibi ardenti pectore ago, quod Illustrissimorum & Præpotentum Fœderati Belgij Ordinum, Illustrissimi item fortissimique Herois Mauritij Principis Auraici consilijs ex alto benedicens, ad bene de afflictæ Reipublicæ, ad bene de afflictæ Ecclesiæ Belgicæ tranquillitate sperandum, tam illustre signum sustulisti: idemque te supplicibus votis veneror, quam beneficiorum tuorum telam clementer exorsus es, eam gratiose pertexas: Vt exultent cœli & lætetur terra: & dicat omnis populus, Belgarum Deus æternum laudetur, celebretur.

Quoniam autem cum pastore illo Maroniano, frustra hic sessuri essemus, meliora Deum omnia poscentes, nisi ad sauciæ Ecclesiæ vulnera medicas manus ipsi adhiberemus; & vero post Clarissimum Theologum, Doctorem Iosephum Hallum, Decanum Wigorniensem meritissimum, dicendi in hoc loco partes publica venerandi Præsidis autoritate ad me sunt devolutæ; decretum mihi est, exsuscitare animos nostros ad sanctum hoc opus, quod agimus, strenue peragendum, idque enarratione eius Psalmi, qui in ordine Centesimus Vigesimus Secundus numeratur. Hoc ut fructuose fiat, Cœlestis Patris gratiam ijs implorabimus verbis, quæ dilectus ipsius Filius, servator noster unicus nobis præivit.

Pater noster &c.

TEXTVS. PS. CXXII.

1. *Lætatus sum cum his, qui dicunt mihi, In domum Iehovæ ibimus.*
2. *Stantes erunt pedes nostri in atrijs tuis Ierusalem.*

3. Ierusalem

3. *Jerusalem ædificata est ut civitas: quæ consociata est simul.*

4. *Vt illuc ascendant tribus, tribus Dei, in testimonium Jsraelis ad celebrandum nomen Iehovæ.*

5. *Quia illic sedent solia ad Judicium, solia domus David.*

6. *Precamini pacem Jerusalem: prosperentur diligentes te.*

7. *Sit pax in munitione tua: prosperitas in turribus tuis.*

8. *Propter fratres meos & propinquos meos: loquar nunc pacem in te.*

9. *Propter domum Jehovæ Dei nostri, quæram bonum tibi.*

EXPLICATIO.

M. Tullius, *Auditores*, sapientissimus librorum censor, cum Euripidis, poëtæ Græci, versus legisset, mirifice illos commendaturus, singuli, scribit ad Tyronem, versus, sunt singula oracula. Hoc ego Elogium si ab Euripide ad Davidem, à versibus illius ad Canticum hoc Psalmicum transtulero, nullius me credo reprehensionem incursurum, qui pauculis verbis prælectis, quanta rerum subsit magnitudo, perspexerit.

Nam ut summam eorum animis subjiciam vestris, docet hic Psaltes,

> *Quod hominis Christiani summum in hac vita debeat esse gaudium? Nempe si videat florere Ecclesiam & verum Dei cultum in illa.*

Docet:

> *Quod summum hominis Christiani votum esse debeat in hac vita? Nempe ut maneat Ecclesia in illo flore, & in eodem verus Dei cultus.*

Docet:

> *Quod summum hominis Christiani studium esse debeat in hac vita? Nempe ut & ipse suo loco, sive maximis, sive minimis, sive medioxumis accenseatur, procuret ea, quæ ad Ecclesiam ornandam, ad verum Dei cultum conservandum, pertinere videntur.*

De his magnis rebus agit Rex noster. De his magnis rebus acturus sum ego. Te Sancte Deus rogo, quæ ego insono auribus, ea imprime cordibus, ut Davidis gaudium fiat nostrum gaudium, ut Davidis votum fiat nostrum votum, ut Davidis studium fiat nostrum studium. Quod ubi obtinuerimus, næ ego nos in ipsis huius vitæ miserijs, tamen terque quaterque beatos pronunciare non dubitabo.

I.

Summum hominis gaudium.

Ergo tripudium cordis sui aperturus Psaltes, *Lætatus sum*, inquit, *in his, quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.*

Stantes erunt pedes nostri in atrijs tuis, Ierusalem.

Sanctissimum hunc & viro Dei dignissimum affectum historia reddit lucidiorem. Arca fœderis divinum illud gratiosæ Dei in populo præsentiæ monumentum nullo certo loco constiterat hactenus, quin & ab hostibus sub Heli fuerat capta.

Territi isto casu & arcæ peregrinationibus Iudæi, nihil æque in votis habebant, quam ut fixa in terra sua sedes illi destinaretur. Ecce autem

dum ista secreto cogitant, publice optant, Hierosolymam illa deporta
in monte Sione collocatur, editurque à Deo memorabile illud oracul
Elegi Sionem, in Sione æternum habitabo. Perfusi ob id Spirituali gau
Iudæi, in mutuos amplexus irruunt, junctisque dextris soror sororem,
ter fratrem alloquens, agite, inquiunt, in domum Domini eamus.
nite ascendamus in montem Jehovæ, in domum Dei Iacobi, ut do
nos de vijs suis, & ambulemus in itineribus eius. Tandem passer inv
domum, & hirundo nidum, in quo reponat pullos: O dilecta taber
cula Jehovæ! In his stabimus nos, in his consistent liberi nostri, &
natorum & qui nascentur ab illis.

Verum omnia omnium gaudia superabat lætitia Davidis, qui d
videt, sincerum Dei cultum esse restitutum, dum subditorum ad sacr
cohortantium audit voces, non potest sibi temperare, quin jubilum an
sui & ipse prodat, dicens: Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in
mum Domini ibimus. Beatam diem, exoptatam horam, qua concent
hunc animorum Musicum audio, de adeunda domo Domini, de c
brando nomine mei Dei. Erant Regi uxores venustissimæ, erant lib
pulcherrimi, affluebat opibus, affluebat honoribus. At nec in opib
nec in honoribus, nec in liberis, nec in uxoribus, sed in eo, unice
tabatur, quod Deus in populo suo recte agnosceretur & pie colere

Et nimirum hoc illud est, quod à Psalte nostro primo loco diximus
doceri, summum hominis gaudium fluere ex intuitu floridæ Ecclesia
incontaminati Dei cultus in illa.

Hoc gaudio delibutus Rex noster, diem unam in atrijs Domini me
rem esse prædicat, quam vel mille alias extra illa atria.

Hoc gaudio exhilaratus subditorum amicas ad summi Numinis ve
rationem invitationes pluris facit, quam omnes totius regni delitias.

Gaudeant igitur huius mundi cives: Alij super frumenti, alij super
alij super olei copia. Nos cœli cives tum lætemur, quando Hierosoly
nostræ muros salvos esse cernimus. Neque id vero sine causa. Uix e
verbis expresserim, quantis coronetur bonis is populus, cuius aures in
rupta vox Euangelij quotidie personat. Uiget apud illum, Concordi
domo, Pietas in templo, Justitia in foro. Testem omni fide digniorem,
Regium nostrum vatem, qui Hierosolymam, veram tum Ecclesiæ sed
his decoratam virtutibus celebrat:

> *Ierusalem ædificata est ut civitas quæ consociata est simul*, vel ut alij,
> *plane coagmentata est inter se pariter.*

O amabile bonum! Civitatem, Provinciam, Regionem consociatam
simul, coagmentatam esse pariter. Hoc bonum fluit ex rivulis bened
illius congregationis, quæ intemeratam Orthodoxæ fidei regulam tue

Apostolorum mihi cœtum vide: Manent in unitate fidei, manent
unitate animorum. Multitudinis enim eorum qui crediderunt, erat c
anima una, referente D. Luca. Rumpe unitatem fidei, rumpes & unita
animorum. Hinc primo simultates, mox obtrectationes, postremo od

tanto quidem illa acerbiora, quanto animi primo fuerunt conjunctiores. Ut enim ex corrupto generosissimo vino acerbissimum nascitur acetum, ita ubi fratrũ dirimuntur amores acerba odia subsequuntur. Vultis exempla vetera? Israelitæ & Moabitæ ab eodem sanguine descenderant. At ubi hi ad idolorum cultum desciverant, nullos Israelitæ infestiores hostes habuerunt, quam hos ipsos. Donatistæ in Ecclesiæ orthodoxæ gremio delituerant. Hoc ubi deseruere, tanta animorum facta est dissociatio, ut in nonnullis omnes non dico pietatis, sed congenitæ etiam nobis humanitatis venæ viderentur exaruisse. Nolim mihi fidem habeatis, Auditores: Optato Milevitano Clarissimo veteris Ecclesiæ scriptori habete. Sic enim ille ad Donatistas: *Nullus vestrum est, qui non convitia nostra suis tractatibus misceat. Lectiones dominicas incipitis, & tractatus vestros ad nostras iniurias explicatis. Profertis Evangelium, & facitis absenti fratri convitium. Auditorum animis infigitis odia, inimicitias suadendo, docendo suadetis:* Et paulo post. *Aliqui vestrum in perfunctoria salutatione oscula denegatis solita: & docentur multi, ne AVE dicant cuiquam nostrum.* Vultis exempla nupera? In superiorem Germaniam mecum ite, schisma ubiquitarium quot in Ecclesiam importarit detrimenta, considerate. Tristis est querela Isaiæ vatis: *Singuli carnem brachij sui comedunt, Manasse Ephraim, Ephraim Manassen.* Quibus verbis Judaicum populum comparat ijs, quos horrendorum scelerum reos peractos Magistratus fame necandos Carceri includit. Hi post aliquot dierum jejunia tandem quasi in rabiem acti, in sua ipsorum viscera dentium morsu grassantur. Hanc querelem ingeminant, qui orta ex schismate ubiquitario in Ecclesijs Germanicis dissidia non sine gemitu intuentur. Officinæ librariæ scriptis Eristicis, scripta Eristica venenatis fratrum morsibus, sarcasmis, convitijs sunt referta. Stant in pulpitis hinc inde, qui licet cum Reformatis habeant unum & eundem generationis Spiritualis patrẽ Sp.S. unam & eandem matrem Ecclesiam Evangelicam, unum & eundem servatorem Iesum, unum & idem animæ pabulum, carnem Christi in mortem traditam: unã & eandem spem beatæ immortalitatis: tamẽ ita reproborũ causam agunt in negotio Eucharistico, ut propter infideles fideles rejiciant, & Pontificiorum potius idololatrica quam Reformatorum purissima sacra adeunda clamitent. Sunt alij, quos nulla unquam amoris divini scintilla calefecit, qui audacter tamen & petulanter eos æternæ morti adiudicant, qui pro veritate Evangelica vitam profundere & hostium filij Dei crudelitatem vel sanguine suo abluere non sunt veriti. Rident salse adversarij communes, dolent acriter, quotquot contritionem Josephi lugent. Et hi scilicet sunt fructus disruptæ fidei unitatis.

Felices igitur vos Belgas, iterum dico, Felices vos Belgas, quibus consimile quid hactenus expertis, desideratum mali remedium Deus commonstravit, venerandam hanc Synodum, à qua tota Ecclesia ea expectat, quæ à tam augusta Clarissimorum Theologorum corona expectari & possunt & debent, nimirum ut nullis præpedita carnis affectibus, nulliusque hominis, solius autem Dei astricta imperio de controversijs motis secundum scripturas sanctas liberrime pronunciet, & instar fi-

dissimæ matris membra Ecclesiæ disiecta colligat, depressa erigat, languida refocillet, putrida resecet, saucia sanet, sana à futuris morbis præservet: Ut totum hoc Belgium sit consociatum simul, & florentissimæ hæ provinciæ sint coagmentatæ pariter, in Fide, veritate & unitate: quod præsentibus videre, absentibus audire, summum utique erit gaudium, præsertim cum amabili nexu côncordiæ in domo pietas quoque in templo erit necessario copulata. Dico necessario. Vera enim & sincera religio ubi ubi instauratur, ibi fieri non potest, quin verus Dei cultus quasi de novo efflorescat. Docet hoc porro Psaltes, aiens:

Illuc ascendunt tribus, tribus Domini, ad testimonium Israelitarum, ut celebrent nomen Domini.

Mens Prophetæ: Posteaquam Domino Deo placuit Hierosolymis Ecclesiæ suæ sedem erigere: confluit omnis caro ad arcam testimonij (quæ hic testimonium Israelitarum dicitur) invocatura, laudatura & celebratura Deum vivum. Non sic, non sic temporibus Saulis, quando ad Reip. clavum sedebant homines ἄθεοι, quibus omnis religio ludus erat & jocus, qui sincerum Dei cultorem Davidem sannis excipiebant, & ex ipsa religionum confusione turpem quærebant questum. Quam deplorandam Israeliticæ Ecclesiæ sortem miseratus Regius Propheta Deum fidenter adit Psalmo 7. v.7.8. & *Exurge*, ait, *Iehova in ira tua, & exaltare contra furores inimicorum meorum: & restitue mihi judicium, quod mandasti. Ut Synagoga populorum circundet te: & propter hanc in altum regredere.* Verum non concordia solum in domo, non pietas tantû in templo, sed justitia quoq; in foro dominatur, ubi vera dominatur religio. *Illic enim sedent solia ad judicandum, solia domus David*, hoc est, eriguntur ibi solia, in quibus sedent Iustitiæ Præsides, qui jus ex equo, pauperi, diviti, honorato, inhonorato dicunt, & virtuti præmia, sceleribus pœnas decernunt. Ubi enim Deus recte agnoscitur, ibi & propter Deum judicia utplurimum recte administrantur: instaurat veram religionem Samuel: instaurat idem & justitię civilis cultum. Purgat Ecclesiam Iosaphatus: idem mox constitutis per singulas civitates judicibus edicit, in oculis Iehovę ut judicent.

Et non lætabimur, Auditores, super flore Ecclesiæ, quandoquidem illius flos florem concordiæ in domos privatas, florem pietatis in templa & cœtus publicos, florem justitiæ in Regum aulas, judicum consiliariorumque subsellia infert. Anni sunt centum vigintitres quando in Comitijs VVormatiensibus, quæ Maximilianus Caroli v. avus prima celebravit, Saxoniæ duces ad cœnam vocarunt Palatinum, Bavarum, VVirtebergicum duces, & cum singuli suarum regionum ornamenta, adeoque summa animorum suorum gaudia prædicarent. Erant qui venis metallicis, erant qui splendidis urbibus, erant qui proventu generosissimi vini & frumenti se jactarent, At VVirtenbergicus ornamentum suum maximum hoc esse profitebatur, quod securus in medio æstu, in campo, & solus in gremio cujuslibet suorum civium dormire posset. Magna quidem hæc erat gloriatio VVirtenbergici, sed nihil ad gloriationem Regis Davidis, qui urbes, qui arces, qui Palatia, qui subditos suos hoc nomine

nomine commendat, Psalmo quadragesimo octavo, quod Deus in ijs notus esset: nihil ad gloriationem Imperatoris Theodosij, qui moriturus beato Ambrosio fassus est, magis se gaudere quod Ecclesiæ veræ civis, quam quod Imperator esset. Hæc igitur, Fratres, & nostra sit gloriatio summa, hoc & nostrum gaudium sit summum in hac vita.

II.

Summum hominis votum.

Jam votum summum hominis Christiani quod erit? Si carnem & sanguinem consuluerimus, objicient nobis ab una parte honorum dignitates, ab altera carnis voluptates, ab alia splendidas hujus mundi divitias: et hæc optanda, ad hæc omnibus aspirandum votis suadebunt. Sed apage carnem & sanguinem. loquentem in Davide Spiritum Dei audiamus. Quid ille?

Precamini pacem Jerusalem.

Sit pax in munitione tua: Prosperitas in turribus tuis.

Hoc, hoc sit omnium Christi amantium unum & summum votum, ut Ecclesia denuo instraurata in flore & honore maneat. Ut conjunctis manibus & cordibus Deus vivus invocetur, prædicetur: Ut munitiones nostras pax, palatia nostra tranquillitas circundet, ut denique à cœtibus nostris exulent, quotquot oderunt pacem Ierusalem.

Hoc fuit votum piorum Israelitarum. Hoc fuit votum Sanctorum Apostolorum, qui toties pacem Ecclesijs suis precati sunt. Et quid dico de Israelitis, de Apostolis? Ipse Israelitarum & Apostolorum Dominus hoc voto vitam suam in his terris clausit, quando paulo ante agonem patri supplex factus oravit, ut omnes sibi à patre dati unum essent.

Vel hinc ergo intelligitis, quæ animorum nostrorum desideria, quæ vota esse debeant hodie: Non alia, quam ut Deus sanctos cœtus, quos sibi per vocem verbi & Spiritum Sanctum in diversis mundi locis colligit, pacis suæ bonis & donis beet: Vt mittat ad eos fidos operarios: ut abigat ab alveolis eorum omnes fucos, denique diversarum gentium animos glutine fidei salvificæ & sinceræ charitatis compactos ita aduniat, ut quam credimus vere sit sanctorum per orbem terrarum communio. Inprimis autem Belgicæ Ecclesiæ pacem & tranquillitatem precibus nostris Deo commendemus, ut quæ per Dei gratiam nunc quasi reflorescit, per ejusdem bonitatem nova deinceps luce splendescat. Salva enim Ecclesia, salva erit Respublica: salva Republica, salus totius populi erit salva.

Neque vero frustra precabimur pacem nostræ Hierosolymæ: Sed quam nos ei votis nostris impetrabimus benedictionem, in ejus societatē & ipsi veniemus. Hoc enim & nō aliud sibi volūt cordialia illa verba: *Prosperentur diligentes.* Qui rem tuam strenue agunt, ô Ecclesia, qui pro te vigilant, pro te orant, omnibus postremo studijs & officijs conservationem veræ doctrinæ juvant: illorum causam vicissim aget Deus, pro ijs vicissim vigilabit Deus, audiet eos orantes, allevabit afflictos, solabitur anxios, facietque, ut ijs feliciter & prospere omnia succedant, in hac vita ornatis cœlesti gratia, in futura decorandis cœlesti gloria.

Summum

III.

Summum hominis studium.

Audivimus de summo hominis Christiani gaudio, de summo item ejusdem voto. Restat expediendum illud, ecquodnam summum Christiani studium esse debeat in hac vita? Non præterit Psaltes, sed, *procurabo*, inquit, *bonum tibi.* Perinde mihi vir Sanctus videtur agere, ac strenuus aliquis militiæ dux, qui arcem occupaturus, ubi ad virtutem suos est cohortatus, scalas primus conscendit, exemploque alios ad insequendum animat. Jta noster Et ego, ait, procurabo bonum tibi, O Ecclesia. Quo ipso innuit, non solum gaudendum super Ecclesiæ flore, non solum Deo commendandam votis nostris constantem Ecclesiæ prosperitatem, sed cuique etiam suo loco in eo esse laborandum, ut & ipse aliqua & dicat & faciat, quæ Deo grata, Ecclesiæ sint salutaria. Scire vultis, Auditores, quæ tacita cordis mei sint desideria? Libere dicam: Huc feruntur vota mea: ut quotquot Christum sincere amant & pie invocant, Davidica hæc verba, *Et ego procurabo bonum Hierosolymæ*, intimis cordium suorum fibris infixa ubique secum locorum circumferant. Erit igitur Illustrissimorum fœderati Belgij Ordinum quotidianum hoc propositum: Nos procurabimus bonum Hierosolymæ Belgicæ. Erit hoc Illustrissimi & Fortissimi Herois, Mauritij Principis Auraici meditatio quotidiana, Ego procurabo bonum tibi Hierosolyma. Erunt hę Nobilissimorum, Amplissimorum, Consultissimorum Delegatorum voces quotidianæ: Et nos juvabimus, ornabimus, promovebimus studia orthodoxiam docentium, discentium, in Ecclesijs, in Scholis. Quanquam non est, cur vel in Jllustrissimis Ordinibus, vel in Fortissimo Heroe Mauritio, vel in Nobilissimis Delegatis hic aliquid desideremus. Jllustrissimi Ordines & Fortissimus Princeps Mauritius, quanto Zelo rem Christi cupiant promotam, tam luculentis alijs argumẽtis, tum Venerandæ hujus Synodi convocatione Orbi Christiano demonstrarunt. Nec aliud loquitur honorifica Nobilissimorum Dominorum Delegatorum eaque quotidiana in hac Synodo præsentia, quã studium insigne veritatis cœlestis, & ex hac profluentis amabilis concordiæ in Ecclesijs Belgicis firmandæ: Me, Me, & vos, Patres & Fratres, quotquot vel ab exteris Regnis, Principatibus, Rebuspublicis, vel à florentissimis harum regionum provincijs missi hic convenistis, me inquam, & vos exsuscito, exhortor, exstimulo: operam demus, hac optata occasione ut recte utamur, Dei gratiam precibus advocãdo, fratres dubitantes confirmando, errantes in viam reducendo, quæstiones inutiles præscindendo, denique meditando, dicendo, sanciendo, quæ ad veram Dei agnitionẽ mentibus, ad verum Dei cultum cordibus ingenerandum, omnium sanctorum consensu judicantur esse utilia. Postulant hoc à nobis fratres in terris, postulat Deus in cœlis. *Propter fratres & propinquos meos loquar nunc pacem in te*, ait Rex noster. Sensus est. Dicam & faciam quæ Hierosolymæ bene cedant, nullus dubitans, pacem hujus urbis redundaturam in fratres & amicos, hoc est, in reliquas urbes, in quibus habitant fratres & cognati nostri, ejusdem sanguinis, fidei & religionis socij.

Non sum vates, Auditores. Jta tamen voveo: Pacem Ecclesiæ Belgicæ plurimarum Ecclesiarum aliarum pacem futuram: Firmata orthodoxia in Belgio

Belgio eandem in pluribus alijs locis caput exerturam. Itaque propter fratres, propter amicos, in orbe terrarum dispersos, enitamur,ut veritas & concordia in omnibus Belgij locis se mutuo amplexentur,quandoquidem in unius Ecclesiæ salute tot Ecclesiarum salus inclusa est. Atq; esto, fratres in terris hanc operam & curam à nobis non postulare,postulat tamē eam à nobis habitans in cœlis Deus. Psalten audite: *Propter domum Iehovæ Dei nostri, procurabo bonum tibi.* Tu sancte Deus, inquit vates, dignatus nos es hac gratia,ut præteritis tot gentibus nos tibi in peculium selegeris,& inter nos domiciliū quodammodo præsentis tuæ gratiæ fixeris. Video igitur, quid à me gratitudo exigat,hoc videlicet, ut quicquid ad domus hujus ornatum, quicquid ad Domini Domus hujus laudem pertinet, id omni studio procurem. Et vero procurabo. Avertite, Auditores, mentem ab Hierosolyma, convertite eandem in Belgium. In clarissima Evangelij luce se Deus Belgio patefecit, ministerio Sanctorum Martyrum & Clarissimorū Theologorum, quorum animæ sunt in fasciculo viventium. Habitavit hic gratiose per spiritum, verbum & sacramenta, possumusque paucis immutatis de Belgio quoque dicere, quod olim Judææ accinebatur: Non fecit taliter pluribus alijs nationibus,& judicia sua tam clare non manifestavit eis. Agnoscimus impensam gratiam? Agnoscamus & debitam gratiæ gratitudinem. Igitur propter gloriam domus Dei, imo vero propter gloriam ipsius Dei curam in eo omnem locemus,ut in vera pietate instituantur juniores, in eadem confirmentur seniores: Sic erit & manebit,ut olim super Hierosolymam Davidicam,ita super Ecclesiam Belgicam miseratio Patris, benedictio Filij, & gratia Spiritus Sancti. Habetis,Auditores,brevem & succinctam Psalmi centesimi vigesimi secundi enarrationem. Documenta pauca sunt sed illustria, de summo hominis gaudio, voto,studio. Gaudium in orthodoxæ Ecclesiæ flore, votum in continuato floris honore, studium in conservando perpetuo eius virore occupatur. Agite ergo, Patres & Fratres, hunc Dei virum ad imitandum nobis proponamus: gaudia mundi, vota mundi,studia mundi,mundo immundo relinquamus. Gaudium Davidis, votum Davidis,studium Davidis,sit nostrum gaudium, votū, studium, in hoc præsertim tempore,quo ad deliberationes quam Deo gratas,tam Diabolo & ministris eius invisas quotidie cōvenimus. Confirmo vobis, si non defuerimus Ecclesiæ nostra cura,Deum non defuturum nobis sua gratia:si dictis factis & consilijs veritatis ac pacis glorificaverimus Deū in hac Synodo,ipsum vicissim nos glorificaturū in magna & illustri illa Synodo, quando amabilis ille Sanctorum Patriarcharum, Regum, Prophetarum, Apostolorum, omniumque credentium chorus in amœnissimis Dordrechti cœlestis spacijs conveniet,& post primam contemplationem æternæ gloriæ, post primum gustum æterni gaudij exultabundus canet: Lætatus sum, lætatus sum super his, quæ à Domino Iesu nobis dicta sunt: Ite in domum Patris mei à seculis vobis paratam: Quæ concupivimus in terra, ea sentimus in cœlo,plenam Dei agnitionem in mente, perfectum Dei & proximi amorem in corde: De quibus mortales audivimus, ea immortales facti videmus, Patrem in Filio, Filium in Patre, Sp.S. in utroque, lucem in luce, vitam in vita, gaudium in gaudio, gloriam in gloria: luce irradiati & ipsi

æterna,

æterna, vita donati, & ipsi ęterna, gaudio perfusi & ipsi æterno, gloria decorati & ipsi æterna. O atria domus Dei adamata! Quam dulce hic vivere, quam jucundum morari! In his atrijs stabimus, in his atrijs sedebimus, in his atrijs deambulabimus, glorificaturi Patrem, qui pro nobis dedit Filium suum, glorificaturi Filium, qui pro nobis dedit vitam suam, glorificaturi Spiritum S. qui spei nostræ & salutis indubitatum fuit pignus. Omnes cœli pleni sint gloria Creatoris Patris, gloria Redemptoris Filij, gloria Sanctificatoris Sp.S. in æternitatum æternitates. Amen, Amen.

PRECATIO.

AEterne, vere, vive Deus, qui te patefecisti immensa bonitate, misso Filio & effuso Sp.S. in Apostolos; Gratias tibi agimus, quod nos non tantum ad brevem usuram lucis huius vitæ ex parentibus nostris nasci, sed etiam ad spem beatæ immortalitatis Sp. S. renasci volueris. Imprimis glorificamus nomen tuum, quod hanc nobis gratiam largiris, ut sub umbra alarum tuarum in celebri hac urbe quotidie convenire, & de tranquillandis Ecclesiis afflictis consultare possimus. Rogamus te, Sancte Deus, rege, guberna, dirige Sp.S tuo quotquot hic adsumus, ut puris & defecatis animis hæc subsellia occupemus, & quasi in oculis tuis Sedentes, ea cogitemus, dicamus, faciamus, statuamus, quæ ad firmandam in verbo tuo revelatam veritatem, ad eliminandam exosam tibi falsitatem, adeoque ad amplificandam nominis tui venerandi laudem unice spectant.

Dirige oculo gratiæ, defende manu potentiæ tuæ, Illustres fœderati Belgij Ordines: ut quod agunt, diu agant, & qui nunc sunt etiam post mortem audiant, sinceræ Religionis in Ecclesia & Iustitiæ in Rep. constantes patroni. Tuere ut pupillam oculi tui, charum cœlo & terræ caput Ill. & Fortiss. Mauritium Principem Auraicum, cohibe manus sanguinariorum, ne animam turturis tui unquam attingant: Benedic Illustrib. Provinciarum singularum Ordinib. ad hanc Synodum delegatis: Pretori, item Consuli, Senatui, Civibus Reip. denique inclytæ huic urbi Dordrechto, quæ Synodi hujus membris tam grata præbet hospitia, largire hanc gratiam, ut quemadmodum olim Sancti Hierosolymam vel prætereuntes vel ingredientes canebant; Sit pax in muris tuis, & tranquillitas in palatijs tuis; ita quotquot boni deinceps Dordrechtum vel prætervehentur, vel ingredientur, ijs eam vocibus salutent, quæ portæ novæ insculptæ leguntur:

O flos nobilis urbium,
Semper te bona pax amet,
Et te semper amantibus
Cedant omnia recte.

Renova ut aquilæ, annos Serenissimi & Potentissimi Regis magnæ Britanniæ: Conserva in flore & honore Ocellum Germaniæ, Fridericum V. Electorem, Comitem Palatinum, Ducem Bavariæ: Literatissimũ item Principem Mauritium, Hassiæ Landgravium, & florentissimas Resp. Helvetiam, Genevensem, Bremensem, Embdanam.

Illumina etiam, cœlestis Pater, mentes Fratrum nostrorum, qui fidei suæ confessionem huic Synodo examinandam offerunt, ut pari nobiscum studio quærant bonum Ecclesiæ Belgicæ, ut tot hominum conscientiæ quæ inter istos disputationum Theologicarum motus fluctuarunt, vel tandem tranquillentur. Deniq; da, ut quotquot in hac Synodo concordibus animis sumus congregati, in beata & optata illa Synodo læti rursum conjungamur, te benignum Patrem cum Filio & Sp.S. æternum laudaturi, celebraturi.

FINIS.

IUDICIA
THEOLOGORUM
EXTERORUM,

DE

Quinque Controversis Remonstrantium Articulis,

SYNODO DORDRECHTANÆ
exhibita.

Anno MDCXIX.

THEOLOGORUM MAGNÆ BRITANNIÆ SENTENTIA,

De primo Articulo:

nempe de { *Electione,* / *Reprobatione,*

I. De Electione Theses { *Orthodoxæ, quas ponimus, & confirmamus.* / *Heterodoxæ, quas rejicimus, & refutamus.*

Orthodoxa Thesis I.

Decretum Electionis, seu Prædestinationis ad salutem, est efficax voluntas Dei, qua pro suo beneplacito, ad demonstrationem suæ misericordiæ, salutem hominis lapsi intendit, eique media talia præparavit, quibus electos ad istum finem, efficaciter & infallibiliter perducere voluit.

Explicatio & Confirmatio,

Efficax decretum] Efficacem voluntatem appellamus hoc decretum electionis: quia respicit non nudum ordinem ad vitam, relinquens hominem sic ordinatum in manu arbitrij sui, sicuti Adam fuit ad beatitudinem ordinatus, sed respicit atque decernit ipsum eventum ordinis. Est enim voluntas hæc cum potentia Dei conjuncta; Ephes. I. II. Isai. XLVII. 14. *Dominus exercituum decrevit, & quis potest infirmare?* Psalm. CXIII. *Omnia, quæcunque voluit, fecit.* In quem locum vide Aug. Enchirid. Cap. 75. Rom. VIII. 30. *Quos prædestinavit, glorificavit.* Ioh. VI. 39. *Hæc est voluntas ejus, qui misit me, ut nihil perdam ex eo, quod dedit mihi.* Et vers. 37. *Quicquid dat mihi Pater, veniet ad me.*

Hujus voluntatis causam motivam non agnoscimus aliam, præter merum Dei beneplacitum. Rom. 9. 18. *Cuius vult miseretur. Ephes.* I. II. *Prædestinati secundum propositum eius, qui omnia efficit secundum consilium voluntatis suæ,* Rom. 9. II. *Nondum natis pueris, cum nihil fecissent boni aut mali, ut propositum Dei secundum electionem maneret.* Agit autem hoc speciali modo Deus cum certis hominibus, ad relucentiam suæ misericordiæ, Rom. 9. 23. *Vt notas faceret divitias gloriæ suæ erga vasa misericordiæ;* iisdemque in lapsus statu consideratis, utpote è massa perditionis liberandis. *Eph.* 14.

 In ipso

In ipso (Christo) *elegit nos*. 1. Tim. 1. 15. *Venit autem Christus peccatores salvos facere.*

Denique ne ab æterna intentione discrepet operatio temporalis, qui efficaciter electos ad salutem destinavit, media illis administrat prædictæ intentioni consentanea; hoc est, ea quæ Deus novit fore illis de facto salutifera. 2. Tim. 1. 9. *Servavit nos vocatione sancta.* 2. Thessal. 2. 13. *Elegit vos Deus ad salutem in sanctificatione Spiritus, & in fide veritatis; ad quod & vocavit vos per Evangelium nostrum.* Eph. 1. 4. *Elegit nos ut Sancti simus & immaculati.* Matth. 13. 11. *Vobis datum est nosse mysteria regni cælorum.* Ex quibus Scripturæ oraculis constat Deum ex prævio electionis decreto illa omnia, nempe Evangelij cognitionem, vocationem, fidem, justificationem, sanctificationem, perseverantiam saluti destinatæ adipiscendæ subordinasse.

Ex multis Patrum dictis pauca delibemus. *Cum nos prædestinavit, opus suum præscivit, qui nos sanctos & immaculatos facit.*

Aug. de præd. Sanct. cap. 19.

Deo volenti salvum facere nullum hominum resistit arbitrium. Sic enim velle aut nolle in volentis aut nolentis est potestate, ut divinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem.

Aug. de Correp. & gratia. cap. 14.

Sic docet eos, qui secundum propositum vocati sunt, simul donans, & quod agant scire, & quod sciunt agere.

Aug. de Grat. Christ. cap. 13.

Quamvis magna pars hominum salvantis gratiam aut repellat aut negligat, in electis tamen, & præscitis, atque ab omnium generalitate discretis, specialis quædam censetur universitas, ut de toto Mundo totus Mundus liberatus videatur.

Prosp. de Vocat. lib. 1. cap. 9.

Est pars quædam generis humani quæ merito fidei divinitus inspiratæ ad summam atque æternam salutem specialibus beneficijs provehitur.

De Vocat. lib. 2. c. 31.

Thesis II.

Christus est caput & fundamentum Electorum: adeoque omnia beneficia salutifera in Decreto Electionis præparata, non nisi propter Christum, per Christum & in Christo, conferuntur electis.

In personarum singularium electione æterna, Deus uno eodemque actu, & Christum ijsdem caput assignat, simulque eos pro beneplacito suo membra Christi constituat: quo ex proposito Deus eos, etiam ante temporaneam vocationem, ut Christo datos, ac in eodem electos, sibique acceptos, intuetur. Ephes. 1. 3. *Benedixit nos in omni benedictione spirituali in Christo.* vers. 4. *Elegit nos in ipso.* vers. 7. *In eo habemus redemptionem per sanguinem eius, & remissionem peccatorum.* vers. 13. *In eo obsignati sumus.* Quicquid electis intenditur ab æterno, quasi conclusum tenetur in voluntate divina, nec nobis immediate communicatur, nisi propter Christum, per Christum & in Christo. Coloss. 11. 3. *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi.* vers. 7. *Radicamur & superædificamur in ipso.* vers. 10. *In ipso completi sumus.* Denique fons est, à quo omnes gratiæ salutaris rivuli ad nos emanant, Ioan. 1. 16. *De eius plenitudine omnes accepimus gratiam pro gratia.* 2. Tim. 1. 9. *Vocamur vocatione sancta, secundum propositum* (Dei) *& gratiam quæ data est nobis in Christo Iesu ante tempora sæcularia.*

Aug. de Prædest. Sanct. c. 15.

Sicut prædestinatus est ille unus, ut caput nostrum esset, ita multi prædestinati sumus, ut membra eius essemus.

Ibid. c. 16.

Vocat Deus prædestinatos multos filios suos, ut eos faciat membra prædestinati unici Filij sui.

Aug. de Bono Persev. cap. 7.

Post casum hominis non nisi ad gratiam suam Deus voluit pertinere, ut homo accedat ad illum. Hanc gratiam posuit in illo, in quo sortem consequuti sumus prædestinati secundum propositum.

THESIS III.

Fides, perseverantia, omniaque gratiæ dona ad salutem perducentia, sunt fructus & effecta electionis.

Agnoscimus in nonnullis quædam dona gratiæ, quæ ad communem Dei providentiam supernaturalem sunt reducenda: sed ea dona, quæ habent infallibilem connexionem cum gloria, & operantur efficaciter ad ejus consecutionem (sicut facit fides justificans & perseverans) sunt æternæ electionis ipsissima effecta. Actor. 13. 48. *Crediderunt quotquot ordinati sunt ad vitam æternam.* Tit. 1. 1. *Fides Electorum Dei.* 1. Pet. 1. 5. *In Dei potentia custodimur per fidem in salutem.*

Per hanc Prædestinationem propositi Dei fideles sunt, qui praordinati sunt ad vitam æternam. Prosp. epist. ad Aug.

Prædestinatio Dei, qua in bono est, gratiæ est præparatio. gratia vero est ipsius prædestinationis effectus. Quando ergo promisit Deus Abrahæ in semine eius fidem gentium, non de nostra voluntatis potestate, sed de sua prædestinatione promisit. Promisit enim quod ipse facturus erat, non quod homines. Aug. de Prædest. Sanctor. c. 10.

Nunquid dixit, Non ex operibus, sed ex credente? Prorsus etiam hoc abstulit homini, ut totum daret Deo. Ibid. cap. 16.

Intelligamus vocationem, qua fiunt electi, non qui eliguntur quia crediderunt, sed qui eliguntur, ut credant. Nam si propterea electi erant quoniam crediderunt, ipsi eum prius utique elegerant, credendo in eum, ut eligi mererentur. cap. 17.

Hæc dona Dei dantur electis secundum Dei propositum vocatis, in quibus est & incipere credere, & in fide ad hujus vitæ terminum perseverare. Ibid.

THESIS IV.

Electionis decretum est definitum, inconditionatum, completum, irrevocabile, immutabile: ita ut electorum numerus nec augeri possit, nec minui.

In Prædestinatione media salutis non minus absolute decreta sunt, quam salus ipsa. Nam licet salus in exequutione pendeat ex conditionato usu mediorum, tamen Dei ad salutem eligentis voluntas non est conditionata, incompleta, aut mutabilis: quia absolute statuit dare electis vim & voluntatem implendi ipsas conditiones, scilicet resipiscentiæ, fidei, obedientiæ, & perseverantiæ. Dei enim prædestinantis decretum non in hanc formam concipitur, Ego Petrum, si contigerit eum credere, & perseverare, eligam ad vitam æternam: sed potius hoc modo, Ego eligo Petrum ad vitam æternam, quam ut infallibiliter consequatur, ego ei dabo fidem perseverantem. 2. Tim. 2. 19. *Firmum stat fundamentum Dei, Deus novit qui sunt sui.* Rom. 9. 11. *Ut secundum electionem propositum Dei maneret.* Rom. 11. 28. 29. *Secundum electionem dilecti. Sine pœnitentia enim dona & vocatio Dei.*

Hæc filiorum Dei adoptio, hæc gentium plenitudo præscita, & prædestinata in Christo, quæ ab initio usque in finem lapidibus vivis & electis ædificatur. De his lapidibus nihil ejicitur, nihil minuitur, nihil rapitur. Prosp. ad Capit. Gallor. resp. 8.

THESES HETERODOXÆ DE ELECTIONE, quas rejicimus.

THESIS I.

DEcretum, quo Deus statuit resipiscentes, & credentes perseveranter, in Christo, per Christum, & propter Christum salvare, totum esse & integrum decretum prædestinationis ad salutem.

Est quidem Decretum hoc annunciativum salutis omnibus ex æquo & indiscriminatim promulgandum, modumque præscribens, quo electi sunt ad salutem perducendi. At in hoc non explicatur tota fabrica prædestinationis divinæ in Sacris Scripturis descriptæ. Decretum quippe prædestinationis infert singulares quasdam personas prædestinatas, Deo notas ac ab alijs ipso electionis decreto segregatas, Matth. 20. 16. *Multi vocati, pauci electi.* Rom, 11. 5. *Reservatio secundum electionum.* 2 Tim.2.9. *Deus novit qui sunt sui.* Supra dictum vero decretum neminem de facto prædestinat, neminem segregat, neminem libro Vitæ inscribit; illo stante, poterunt nihilominus omnes mortales prorsus reprobari, poterit nulla in terris manere, nulla omnino fuisse, aut fore Dei Ecclesia: quo absurdo non modo vacillat decretum illud promissorium Matth.vlt.20. *vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi:* sed universa tollitur Scriptura, quæ necessario supponit Ecclesiam, cui & propter quam consignata est.

Denique, si non esset aliud, quam hoc Prædestinationis Decretum, Christus ipse non statueretur ex ullo decreto divino prævio caput Ecclesiæ certo futurum; utpote cui nulla infallibiliter assignentur membra: nec posset Christus dici infallibiliter πρωτεύειν ut Rex, nisi ei dentur ex decreto divino positivo subditi certo extituri; cum tamen Scriptura non minus certum ac incondicionatum innuat Dei decretum de Christo capite ac Rege constituendo, quam de eodem incarnando, ac passuro. Ephes. 1. Enarrato redemptionis mysterio, præmissæ Christi passioni, resurrectioni, ascensioni, subjungit statim Apostolus vers. 22. (ut ex eodem decreto emanans) Et ipsum dedit caput super omnia Ecclesiæ, quæ est corpus ejus. Luc. 1.33. *Regni eius non erit finis.* Actor.2.36. *Dominum eum fecit Deus.*

Aug. de Bono Persev.cap.14. *Hæc Prædestinatio Sanctorum nihil aliud est, quam præscientia & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicunque liberantur.*

THESIS II.

ELectionem singularium personarum peremptoriam, esse ex prævisione & consideratione fidei in Christum, & in eadem fide perseverantiæ, tanquam conditionis in eligendo prærequisitæ.

Prævisa fides, & perseverantia in fide, sequuntur decretum vocationis secundum propositum. At talis vocatio pendet ab antecedaneo prædestinationis decreto, Rom.8.30. *Quos prædestinavit, hos & vocavit.* Actor.13.48. *Crediderunt quotquot ordinati ad vitam æternam.*

Deus neminem prævidet ut in fide & sanctitate ad extremum usque halitum perseverantem, nisi quem voluntate antecedanea decrevit ita custodire, nisi quem operatione & protectione singulari à prædicta voluntate manante reapse per totum vitæ curricu-

curriculum gubernat, & in via salutis conservat. Ioh. 10. 28. 29. *Oves meæ non peribunt in æternum, Nec rapiet eas quisquam è manu mea. Nec quisquam potest rapere eas è manu Patris mei.* Matth. 24.24. *Vt in errorem inducantur, si fieri posset, etiam electi.* Cum igitur perseverantia in fide fundetur in Electione Dei, electio non potest esse ex prærequisita conditione perseverantis fidei.

Porro Decretum conferendi gloriam & salutem perseveranter credentibus in exitu huius vitæ, ut præmium fidei, obedientiæque præstitæ, est actus justitiæ, vel saltem fidelitatis aut veritatis. At juxta Scripturas electio est actus gratuitus, indebitus, gratiosus, actus amoris & misericordiæ specialis, fundatus in mero beneplacito divino. Luc. 12.32. *Complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* Ephes. 1. 11. *Prædestinati secundum propositum eius, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.*

Pari ratione ab electione excludenda est prævisa fides, qua prævisa opera. Æque scilicet dici poterit Deus elegisse sanctos propter conditionem sanctificationis annexam, ac credentes propter conditionem fidei. Neq; enim obscurum est fidem hanc prævisam penitus transire in naturam operis: quod apertius constat ex adjecta conditione perseverantiæ, quæ certe nil aliud quam obedientiæ, sanctimoniæ, ac bonorum operum segetem complectitur.

Denique data hac electione prævisionali, sequitur Christum prius à nobis electum, quam nos à Christo, contra illud Ioan. 15. 16. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Quod oraculum sæpe ab Augustino est inculcatum. August. de præd. Sanct. cap. 19.

Electionem, quam significat Dominus, dicens, Non vos me elegistis, sed ego vos elegi, nec ipsa fides præcedit. Non enim quia credidimus, sed ut credamus, elegit nos, ne priores eum elegisse dicamur.

Electionem gratiæ nulla humana merita præcedunt: & fides, unde incipiunt omnia merita, donum Dei est, ne gratia non sit gratia, si aliquid eam, propter quod tribuitur, antevenit. Prosp. ad Excerp. Genevens. Resp. 1.

THESIS. III.

Fidem & perseverantiam in fide non esse fructus, sive effecta, electionis ad salutem.

Si Deus, qui solus dator est fidei perseverantis, priusquam fidem talem det, aut decernat dare, intelligat eam fore ipso facto recipienti salutiferam, tum proculdubio dat quoque illam ex animo & absoluta intentione, ut sit salutifera. At sic dare est dare ex prævia intentione servandi infallibiliter: quod idem est atque dare ex decreto electionis. Fides igitur perseverans est fructus huius Decreti, vel gratia specialis in hoc Decreto præparata. Vnde appellatur fides electorum Dei. Tit. 1. 1. Ephes. 1. 5. *Prædestinati sumus in adoptionem filiorum.* Atqui in actualem statum hujus filiationis admittimur per fidem. Ioan. 1. 22. *Dedit ijs potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius.* Ergo Fides ipsa emergit ex Prædestinatione.

THESIS IV.

Electionem ad salutem non esse unicam, sed aliam indefinitam, aliam definitam; atque hanc vel incompletam, revocabilem, mutabilem; vel completam, irrevocabilem, immutabilem.

Tametsi divinæ electionis varij sunt actus assignabiles ratione variorum objectorum, finis scil. & mediorum, Scriptura tamen nusquam meminit vel diversorum graduum, vel specierum, electionis. Nam electio est quædam infallibilis ordinatio singularium personarum ad salutem, in mente ac voluntate divina. Indefinita

igitur quæ fingitur electio, non est vera electio: quia nullam singularem personam ordinat ad salutem: sed tantum modum perveniendi ad salutem promiscue omnibus ostendit, & præscribit.

Præterea, cum electio unico actu perficiatur, ac ex natura rei sit in eorum numero, quæ non per incrementa gradatim succrescunt, ut, sanctificatio, mortificatio, &c. sed quæ (ut loquuntur) in indivisibili consistunt, ut justificatio, sive à peccatis absolutio; certe fingi non potest intentionis aut remissionis capax, adeoq; complementum successivum nullo modo admittit, ut hodie incompleta, cras completa censeatur. Multo minus poterit manca hæc semi-electio pro Electione haberi; quæ nempe non ordinat ad salutem infallibiliter, sed solummodo disponit per qualitatem aut actum contingentem, quæ cum vita æterna connexionem necessariam (ex eorum sententia) non habet.

Denique quæ revocabilis & mutabilis statuitur, non est veri nominis electio. Siquidem electio denotat propositum firmum, & consilium immutabile Dei; electos ad beatitudinem ordinantis. Hebr. VI. 17. τὸ ἀμετάθετον τῆς βουλῆς. *Deus ostendit pollicitationis hæredibus immutabilitatem consilij sui.*

Aquin. Quæst. disp. de Prædest. Art. 1. *Prædestinationem duo sequuntur, suppeditatio auxilij ad consequendum finem, & finis consecutio.*

Prosp. ad cap. Gall. Resp. 8. *Qui dispensationes Dei ex liberi arbitrij vult mutabilitate variari, profitetur sibi scrutabilia judicia Dei.*

Thesis V.

Objectum electionis peremptoriæ & completæ esse hominem non nisi in exitu hujus vitæ consideratum.

In ipso exitu hujus vitæ fidelis consideratur, non ut eligendus, sed ut introducendus in regnum paratum ei ante jacta mundi fundamenta, 2. Tim. IV. 7. *Cursum consummavi. Quod superest, reposita est mihi corona, quam reddet mihi in illa die Dominus justus judex.* Non dixit Apostolus, quod superest, jam eliget me Deus ad coronam vitæ æternæ, sed jam illam reddet.

Porro, si Electio inciperet ab exitu tantum hujus vitæ, ratio Prædestinationis sive electionis, nihil omnino posset conferre fidelibus ad cursum suum in fide ac pietate consummandum. At Prædestinatio tam ad media in via, quam ad finem in vitæ termino se extendit, ac per infallibilia media ad præstitutum scopum electos quasi transmittit. Rom. VIII. 30. *Quos prædestinavit, hos vocavit; quos vocavit, hos justificavit; quos justificavit, hos glorificavit.* Quod si objectum electionis completæ esset homo in extremo vitæ momento positus, ea omnia invertenda essent hoc modo, Quos vocavit, hos justificabit; quos justificavit, hos (in futuro) prædestinabit.

Porro 2. Tim. I. 9. *Vocati sumus vocatione sancta ex Dei proposito & gratia, quæ data est nobis in Iesu Christo ante tempora secularia.* Propositum hoc Dei cum sanctam vocationem præcedat, eique fundamentum præsternat, hominem certe considerat, ut firmæ secundum hoc propositum electionis subjectum, non in vitæ huius exitu positum, sed ante ipsius vitæ initia, imo ante tempora sæcularia ad completissimam electionem consilio divino destinatum. Nec poterit quidem ulla figi electio definita ad gratiam efficacem, ad fidem, ad adoptionem (Ephes. 1.5. &c.) si hæc considerentur ut pendula: nec perstitura erit à Deo futura electi perseverantia, sed prævisa tantum in homine eligendo. Adeoque hic actus Dei erit tantummodo subsequens approbatio, qualis etiam ab homine futurorum nescio præstari poterit, non prævia & operosa electio, qualem omnem electionem esse ratio ipsa & vis nominis cogit.

Denique Ioan. X. 16. Gentes nondum vocatas, multo magis nondum in finali perseverantia constitutas Christus oves suas appellat, nempe prævio integræ & completæ electionis signaculo segregatas.

Aug. contra Epistolas Pelag. l. 4. c. 6 *Qui facit oves homines, ipse ad obedientiam pietatis humanas liberat voluntates: sed quare istos*

istos homines oves facit, apud quem non est acceptio personarum? O homo! quis tu es &c. Vos dicitis, ex futuris operibus, quæ Deus illum facturum esse præsciebat, Iacob fuisse dilectum; atque ita contradicitis Apostolo dicenti, Non ex operibus: quasi non posset dicere, non ex præsentibus, sed ex futuris operibus. Ibid. lib. 2. C. 7.

Electi sunt ante Mundi constitutionem ea prædestinatione, in qua Deus sua futura facta præscivit: electi sunt de Mundo ea vocatione, qua Deus id, quod prædestinavit, implevit. Idem de Præd. Sanct. Cap. 17.

THESIS VI.

NVllum esse fructum, aut sensum suæ electionis à quoquam in hac vita perceptibilem, nisi conditionatum.

Adoptio filialis est fructus electionis proprius, genuinus, ac inseparabilis, estque ab electis in hac vita perceptibilis, hoc ipsorum cordibus revelante spiritu adoptionis. Gal. 4. 6. *Quoniam estis filij, misit Deus Spiritum filij in corda vestra clamantem Abba Pater. Quod si filius, hæres Dei.* Rom. 8. 15. &c. *Accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater: Ipse enim Spiritus testimonium reddit Spiritui nostro, quod sumus filij Dei* &c. Ephes. 1. 14. *Signati estis spiritu promissionis Sancto, qui est arrhabo hæreditatis nostræ.* Arrhabonem dicit hæreditatis nostræ, certum indicium, nos nunquam exhæredandos, sed tandem istam hæreditatem consequuturos. Rom. 5. 2. *Gloriamur sub spe gloriæ Dei,* & vers. 5. *spes hæc non confundit* (vel, pudefacit). Huic solidæ paci conscientiæ, gloriationi piorum, & spei infusæ, non subest falsum: quia & à Deo immittuntur electis, & eo fine eorum animis infiguntur, ut sint certa immutabilis electionis τεκμήρια.

Fatemur electionem nostram à priori nobis non esse perceptibilem, sed proprij ejusdem effectus percipi possunt, & ab effectu proprio ad causam valet argumentatio. Fatemur insuper in ipsis Dei filijs certitudinem electionis suæ non adeo semper firmam & continuam manere, quin subinde per tentationes concutiatur, ac ad tempus supprimatur, adeo ut non solum certitudinis gradus minuatur, sed & ipsa electio, quoad electorum sensum & apprehensionem, videatur incerta & evanida.

Fatemur denique electos iustificatos, cum in gravia peccata incidunt, ijsdemque adhærent, non modo hoc electionis suæ præsenti gustu privari, sed etiam magnam concipere formidinem contrarii, nempe iræ divinæ, vindicisque iustitiæ. Et merito: cum Sp. Sanctus non dignetur hanc cælestem & suavem solatii Mannam communicare conscientiæ contaminatæ ac in sordibus suis adhuc volutanti, sed solummodo animæ purgatiori ac fidei, pœnitentiæ, sanctitatisque studia exercenti: Animos autem fidelium experrectos, ac è sordibus resurgentes putamus denuo refici à Deo, ac subinde suavi vitæ æternæ, ante iacta mundi fundamenta illis præparatæ ac debito tempore infallibiliter conferendæ, sensu recreari. Sed de his aptius in 5. Articulo.

Vir fidelis per fidem accepit, id quod est incertum alijs, & κρατεῖ τῆς ἐπαγγελίας, ipso promisso potitur. Clemens Alexandr. Stromat.

Vt certum esset nos esse filios Dei, misit spiritum suum in corda nostra clamantem, Abba Pater. Tertull. ad Marc. Lib. 5.

Iustus quis est, nisi, qui amanti se Deo vicem rependit amoris? quod non fit, nisi revelante spiritu per fidem homini æternum Dei propositum super sua salute futura: quæ sane revelatio non est aliud, quam infusio gratiæ Spiritualis, per quam dum facta carnis mortificantur, homo ad regnum præparatur, quod caro & sanguis non possidet, simul accipiens in uno spiritu & unde se præsumat amatum, & unde redamet, ne gratis amatus sit. (i. e. frustra.) Bernard. Epist. 107.

THESIS

THESIS VII.

PArvulorum ante usum rationis morientium, nullam esse electionem.

Dato uno heterodoxo, cumulantur alia. Hoc scilicet ex eo emergit, quod in omni electione fidem, cui superfundetur, prævisam requirant: quæ certe in infantibus prævideri nequit. Nos autem contra demonstramus hæc esse ἀξιόλογα.

Quorum datur in tempore introductio in vitam æternam, eorum proculdubio ante tempora sæcularia fuit electio ad vitam æternam. Alioqui numerus glorificatorum excederet numerum prædestinatorum. Atqui illud reciproce & adæquate ponendum, *Quos prædestinavit, hos glorificavit*: Hos nempe, & non alios, ut habet August. de Præd. Sanctor. Cap. 27.

Scriptura supponit, aliquorum parvulorum nomina scripta esse in libro vitæ, eosque sistendos coram tribunali Dei. Apoc. XX. 12. ac admittendos in novam Hierusalem, Apoc. XXI. 27. Item, Luc. XVIII. 16. *Talium est regnum cælorum.* Porro qui ex mera gratia admittuntur in regnum cælorum, illi gratuito beneplacito fuerunt ante electi ad regnum cælorum. At quotquot ex infantibus cælum ingrediuntur, illis vita æterna charisma est per Iesum Christum, Rom. VI. 23. Ergo ad illud electi fuerunt in Christo.

Sin hic sit huius Theseos sensus, Non esse electionem infantium, hoc est, inter infantes unius præ alio, quasi omnes promiscue salventur, certe nec ullis fundamentis nititur ipsa hypothesis; nec ea concessa, inde Thesis prædicta consequetur. Nam ad rationem electionis divinæ sive ponendam seu tollendam, circumstantia ætatis est quiddam impertinens, & nihil prorsus operatur. Fac igitur omnes infantes servari, nemine quidem præterito, tamen, quia electio & præteritio respicit massam, non ætatem, licet non è numero infantium, tamen è communi massa hominum peccatorum segregati sunt: quod ad electionis rationem constituendam sufficit.

[illegible] divitiæ bonitatis Dei in ipsa quorundam primordia parvulorum, in quibus [illegible] nec futura eligitur devotio.

[illegible] habentes voluntates, nullas proprias actiones, non sine Dei iudicio [illegible] hæredes & alii transeunt debitores.

[illegible] non volentibus neque currentibus subvenit, quos ante constitutionem mundi elegit in Christo.

[illegible] Aug. [illegible] Cap. [illegible]

THESIS VIII.

BEneplacitum Dei, quo ex multis conditionibus possibilibus, statuit solam fidem eligere, & acceptare in condicionem communicandæ salutis, esse illud solum, vel præcipuum beneplacitum de quo Scriptura loquitur: &, ex quo personæ singulares eliguntur.

Non negamus esse eiusmodi beneplacitum Dei in Euangelio patefactum, quo statuit fidem eligere in conditionem conferendæ salutis: id est, quo actualem salutis adeptionem, saltem respectu adultorum, ex fidei præcedentis conditione suspensam esse voluit. Atque hic lætus est ille salutarisque nuncius, universis gentibus nomine Christi promulgandus. Sed hoc non est Decretum ipsum Electionis, appropriate sumptum, ac tantopere celebratum ab Apostolo. Nam illud decretum est prædicatum, particulares personas ordinans ad salutem, non res, vel rerum connexionem in ordine ad salutem disponens. & ad ipsas creaturas terminatur, non ad qualitates. Ephes. I. 4. *Elegit nos.* scil. homines. Rom. VIII. *Quos prædestinavit nempe* homines. Matth. XX. *Pauci electi, nempe*, homines. At qualitas ipsa fidei hoc sensu non electa dicitur, sed electis præscripta & donata, ac ab æterno præparata. Nam est una ex primariis spiritualibus benedictionibus, quas universas in Christo electi accipiunt. Ephes. I.

Postremo

Postremo, non recte affirmatur ex hoc beneplacito quo fides sola statuitur in condicionem communicandæ salutis, eligi homines singulares. Nam, eligi, est, prætentis alijs, ad vitam æternam destinari. At in prædicto decreto nulla singularis persona eligitur, nulla præteritur; sed omnes pari eademque condicione ad salutem ex æquo vocantur & designantur.

In sua, quæ falli mutarique non potest, præscientia, futura opera disponere, id omnino, nec aliud quicquam, est prædestinare. Aug. de bono Persev. Cap. 16.

II. DE REPROBATIONE.

Thesis Orthodoxa I.

Reprobatio proprie dicta, seu non-electio, est æternum Dei decretum, quo statuit, pro liberrima sua voluntate, quarundam personarum in Adamo lapsarum, non usque eo misereri, ut eas per Christum efficaciter eripiat è statu miseriæ, & infallibiliter ad beatitudinem perducat.

Reprobationis actus proprios, qua Electioni opponitur, non alios esse putamus, quam negationem ejusdem gloriæ, ejusdemque gratiæ, quæ in electione filijs Dei præparantur. Præparantur autem illis in decreto electionis gloria, & gratia efficax, & ea intentione, ut sit efficax: id est, ut ad dictam gloriam per talem gratiam infallibiliter perveniant. Hujusmodi gratiam & gloriam, reprobatis præparari negamus.

Hanc non-electionem in liberrima Dei voluntate fundari dicimus, Rom. IX. 11. *Vt propositum Dei secundum electionem maneret, non ex operibus, sed ex vocante, dictum est, Iacobum dilexi, Esau autem odio habui*: i. e. non ita dilexi, ut per gratiam ad gloriam certo perducerem. Item vers. 15. &c. *Miserebor, cuius miserebor.* &c. *Cujus vult miseretur, & quem vult, indurat.* Et vers. 21. *An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?* Ioh. x. 26. *Vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis.*

Porro gloria cælestis nemini debetur, sed est χάρισμα τοῦ θεοῦ. Rom. 6. 21. *donum gratuitum Dei.* Ergo Deus pro liberrima sua voluntate potest quem vult eligere ad gloriam, & quem vult non eligere, seu preterire, idque sine omni injustitiæ, aut inclementiæ aspersione, cum in gratuitis conferendis nullus supersit locus injustitiæ; nec ulla inclementia sit, nedum crudelitas, negare alicui, quod illi nullo modo debeatur; præsertim ubi maximum in persona oblata reperitur demeritum quod non modo beneficia gratuita non exspectat, sed supplicia flagitat justissima: qualis est totus humani generis status, Deo electuro vel relicturo repræsentatus. Quod autem hic de gloriæ donatione dictum; idem plane de gratiæ efficacis indulgentia dicendum.

Ecce misericordia, & judicium: misericordia in electione, judicium in eos, qui excæcati sunt. Aug. de præd. Sanctor. c. 6.

Qui non pertinent ad certissimum & felicissimum numerum Prædestinatorum, dimittuntur libero arbitrio. de Corrept. & gratia c. 13.

Qui Dei altiore judicio à perditionis massa non sunt gratia Prædestinationis discreti, ipsis non adhibentur dicta divina vel facta, per quæ possent credere, si audirent talia, vel viderent. de Bono persev. c. 14.

Thesis II.

Hæc non-electio, sive præteritio, non præsupponit in homine præterito aliquam qualitatem, vel conditionem aliam, quam quæ in electo reperta est, & quæ toti massæ corruptæ sit communis.

Deus ex misericordia eligens, invenit electum in massa corrupta, eadem miseria obrutum, qua cæteri, & ex sua præsenti conditione morti obnoxium. Rom. 9. 15. *Miserebor cuius miserebor.* Et vers. 23. *Vt ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ*

quæ præparavit in gloriam. Versu autem 22. de reprobatis. *Volens Deus ostendere iram, & notam facere potentiam suam.* Ita objectis æqualibus propositis, Deus, cur quosdam liberarit, non omnes, cur hos potius, quam illos, rationem non petit ex ulla ipsorum inter se disparitate, sed tantum ex liberrimo suo beneplacito de manifestanda hinc ditissima gloria, illinc justissima ira sua, cum facit hos, quales non erant, vasa misericordiæ, illos, quales in proximo erant, vasa iræ. Ejus rei typus extat Ezechiel 16. ubi impuritas omnium naturalis describitur. vers. 4. Et Dei seligentis benignitas vers. 6. *Cum esses in sanguine tuo dixi tibi, vive, dixi, inquam, tibi:* reliquis nempe relictis in impuritate sua.

Aug. de Bon. Persev. Cap. 8. *Qui liberatur, gratiam diligat; qui non liberatur, debitum agnoscat.*

Aug. contr. Iulianum Lib. 5. Cap. 3. *Quamvis omnes ex eadem massa perditionis & damnationis secundum duritiem cordis sui, quantum ad ipsos pertinet, thesaurizent sibi iram; Deus tamen inde alios per misericordem bonitatem adducit ad pœnitentiam, alios secundum iustum iudicium non adducit.*

Prosp. de Vocat. gent. Lib. 1. c. 17. *Ex nequissimis in ipso vitæ exitu gratia invenit quos adoptet, cum multi qui minus nocentes videantur, doni huius alieni sunt.*

THESIS III.

QVando Deus salutiferum Evangelium quibusdam concedit nationibus, non hoc facit ex consideratione specialis alicuius dignitatis in iisdem. Quando negat hoc beneficium alijs, est semper in illis concomitans indignitas, quibus negatur. Mera tamen voluntas Dei causa est, cur nolit hisce eam misericordiam exhibere, quam alijs non minus indignis pro suo beneplacito exhibuit.

Deut. 9. 4. Ne dicas in corde tuo, *Propter iustitiam meam introduxit me Dominus, ut terram hanc possiderem, cum propter impietates suas istæ deletæ sint nationes, &c.* vers. 5. *Et ut compleret verbum suum Dominus, quod sub iuramento pollicitus est Patribus tuis.*

Pari ratione semper invenit Deus ubique cur Euangelium non det prædicandum, vel datum auferat. Quibus autem indulget, non propter ipsorum justitiam, vel minorem, quam alibi reperitur, improbitatem, id largitur quasi ex congruo, sed propter beneplacitum suum, & libertatem spiritus, qui spirat ubi vult, & quamdiu vult.

Prosp. de vocat. gent. L. 1. c. 15. *Si hoc voluntatum meritis voluerimus adscribere, ut malos neglexisse gratia, bonos autem elegisse videatur, resistet nobis innumerabilium causa populorum, quibus per tot sæcula cælestis doctrinæ annunciatio non coruscavit. Nec meliores fuisse eorum posteros possumus dicere, quibus scriptum est, Gentium populus, qui sedebat in tenebris, lucem vidit magnam.*

THESIS IV.

EOrum quibus illuxit Evangelium nonnulli, etsi multis gratiæ donis imbuantur, libere tamen simulque infallibiliter in ea peccata, permittente Deo, incidunt, in quibus derelicti, atque in eisdem ad mortem perseverantes, justæ damnationi se reddunt obnoxios.

Hos, etsi non Electos, percipere tamen multa gratiæ divinę effecta, non negamus. Qualia sunt, quę commemorantur Hebr. 6. 4. *Illuminatio, gustus doni cælestis, Verbi, & virtutum futuri sæculi.* Quę omnia vertunt sibi in gravius exitium; suo scil. arbitrio relicti, & secundum Decretum electionis in Christo minime fundati. Rom 11. 7. *Electio consequuta est, reliqui occalluerunt.*

Prosp. ad cap. Gall. Resp. *Qui recedit a Christo, & alienus à gratia finit hanc vitam, propter postrema crimina morte afficietur. Quod quia Dei præscientiam nec latuit nec fefellit, sine dubio talem nunquam elegit, nunquam prædestinavit, & periturum, nunquam ab æterna morte discrevit.*

Aug. de cor. & grat. c. 13. *Aliqui gratiam Dei suscipiunt, sed temporales sunt, nec perseverant; deserunt, & deseruntur: dimissi enim sunt libero arbitrio.*

THESIS

THESIS. V.

Deus neminem damnat, aut damnationi destinat, nisi ex consideratione peccati.

Deus bona gratiæ dispensat pro liberrima sua voluntate. Matth. 20. 15. *An non licet mihi facere quod lubet de meo?* mala tamen pœnæ non decernit, nisi pro hominum prævio demerito, Rom. 3. 9. *Iudæi & Græci omnes sub peccato sunt. vers. 19. Vt omne os obstruatur, & obnoxius fiat totus mundus Deo.* Rom. 2. 9. *Tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum.*

Porro damnatio est actus justitiæ punitivæ. Culpam igitur præcedentem supponit.

Non-prædestinatus perit infidelitate voluntaria, non coacta. Non casus ruentium, nec malignitatem iniquorum, neque cupiditates peccantium prædestinatio Dei aut excitavit, aut suasit, aut impulit, sed prædestinavit judicium suum, quo unicuique retributurus est prout gessit. Prosp. ad cap. Gall. sent. 14. idem ad cap. Gall. resp. 10.

THESES HETERODOXÆ.

THESIS I.

Decretum quo Deus ab æterno, & irrevocabiliter statuit, ex lapso genere humano non nisi impænitentes & incredulos, in peccato & sub ira Dei relinquere, tanquam à Christo alienos, esse totum & integrum decretum Reprobationis.

Negatur; ob rationes allatas contra Thesin 3. heterodoxam de Electione. Hoc etiam decreto non continetur specialis Dei voluntas non miserendi cujus vult, in qua decretum Reprobationis, quatenus opponitur electioni, formaliter continetur. Adde, quod stante hoc decreto, fieri possit, ut nemo prætereatur, sed omnino omnes ad vitam æternam eligantur, & perducantur.

THESIS II.

Reprobationem à salute, non esse unicam, sed aliam indefinitam, vel generalem: aliam, definitam, seu singularem. Esseque hanc, vel incompletam, revocabilem, mutabilem, vel completam, irrevocabilem, immutabilem.

Reprobatio, quæ est Electionis negatio, ponit immutabilem Dei voluntatem de non miseratione talis personæ præteritæ, quoad ipsam donationem vitæ æternæ. Hæc autem Dei voluntas non admittit mutabilitatem ullam, Isai. 46. 10. *Consilium meum stabit.* Malach. 3. 6. *Ego Deus, non mutor.* Vide etiam quæ supra diximus ad Thesin 4. orthodoxam & 4. heterodoxam de Electione.

Omnes adoptionis filij, priusquam mundus conderetur, electi fuerunt: in qua electione quicquid hominum in Christo præcognitum non est, nulla eidem ratione sociabitur. Prosp. de vocat. gent. lib. 2. cap. 35.

THESIS III.

Neminem post lapsum mera Dei voluntate præteritum esse; sed reprobationem omnem singularium personarum factam esse secundum considerationem antecedaneæ infidelitatis, & in eadem perseuerantiæ finalis.

Deum ab omni æternitate præſcire præteritos, ut morituros in ſua infidel
certum eſt. Sed hanc prævıſam infidelitatem, eſſe cauſam non-electionis, f.
eſt: quia omnes ad vnum homines prævidentur, ut perſeveraturi in infidelitat
ad perſeverantem fidem non eliguntur. Et, nemo prævidetur in infidelitate
moriturus, niſi quem Deus in deſtinatione efficacis gratiæ, decreto anteced
præterivit. Ioan. 10. 16. *Vos non creditis, quia non eſtis ex ovibus meis*. 1. Ioan. 2. 19. *S*
ſent ex nobis, permanſiſſent utique nobiſcum. Apoſtolus præteritionem, ſeu nor
ctionem, arceſſit à mera Dei voluntate. Vt conſtat ex locis citatis ad 1. Theſi
thodoxam de Reprob. & ad Theſin 2. heterodoxam de Electione.

Denique ſi ponamus, neminem reprobari, niſi ob prævıſam impænitentiam
credulitatem finalem, nihil eſſet myſterij in decreto Reprobationis, nihil ἀνεξ
τον & imperveſtigabile. Contra illud Apoſtoli Rom. 11. 33. *O altitudo*! &c.
lud Rom. 9. 20. *Quis es tu, o homo, qui ex adverſo reſpondes Deo?*

Aug. Epiſt. 107. *Scimus gratiam non omnibus hominibus dari, & quibus datur, non ſolum ſecundum*
ta operum non dari, ſed nec ſecundum merita voluntatis eorum, quibus datur.

ibidem. *Multi non ſalvantur: Non quod ipſi nolint, ſed quia Deus non vult.*

THESIS IV.

Neminem niſi in ipſo mortis articulo conſiderari à Deo, ut repr
tum, præteritum, ſeu non-electum.

Manifeſtè falſa. Quia hujus præteritionis conſequentia, oſtenduntur erga p
ritos etiam in hac vita. Qualia ſunt, quæ in ſacris litteris occurrunt. No
cari ſecundum propoſitum: permitti homines in ſuis vijs ambulare; corda dur
emolliri. Quibuſcum Deus hoc modo agit, illos conſiderat, ut prius præte
ſeu non-electos. Rom. 9. *Deus Eſau odio habuit, antequam quicquam boni vel m*
ciſſet. Matth. 13. *Aliquibus non eſt datum noſſe myſteria regni cælorum. Quem vul*
durat. &c.

Subſcripſerant.

Georgius Landaven.
Ioannes Davenantius.
Samuel VVardus.
Thomas Goadus.
Gualterus Balcanquallus.

DE ARTICVLO PRIMO

Distinctis propositionibus explicato, Iudicium Theologorum Palatinorum.

PROPOSITIO PRIMA.

DE

ELECTIONE.

VOluntas Dei de servandis fidelibus, in Fide ejusque obedientia ad finem perseverantibus, est totum decretum Prædestinationis ad vitam.

Collat. Hag. pag. 66. & seq. Epist. ad VValachr. pag. 32,33.

IVDICIVM.

Dubium non est; nec esse potest homini Christiano, quod Deus credentes, & in fide ad finem usque perseverantes servare velit, atque etiam immutabili consilio servare decreverit. Est hoc ipsius Christi effatum, qui voluntatem Patris sui & plenissime intellexit, & planissime nobis revelauit. Sic enim ille apud Ioann. Cap. 6.40. *Hæc est voluntas ejus, qui misit me, ut quisquis conspicit Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam.* Et alibi, *Qui perseveraverit ad finem usque, is servabitur,* Matth. 24.13. Quod vero voluntas illa sit tota Dei voluntas de hominum salute in Euangelio patefacta, ut aliam nec quærere, nec asserere fas sit, id vero merito negatur ab ijs, qui sensus in Scriptura exercitatiores habent. Certe actus complures alij voluntatis divinæ de nostra salute inibi nobis proponuntur, unico isto, ut ordine, sic operatione, priores. Est enim & hæc Dei voluntas, quod ex genere humano lapso misereri quorundam ad salutem decrevit: quæ phrasi Scripturis usitatissima, Electio ad salutem vocatur. Marc, 13. 20. Ioh. 13.17.18. Ephes.1.4. Est præterea alia, qua constituit electos redimendos dare Christo Mediatori, ejusque sanguine peccata ipsorum expiare. De qua ipse Christus Ioh. 17.6. *Patefeci nomen tuum hominibus quos dedisti mihi selectos è mundo; tui erant, & mihi eos dedisti.* Et Apostol. Ephes. 1.4.7. *Elegit nos in Christo, in quo habemus redemptionem per sanguinem ipsius* Hæc etiam Dei voluntas revelatur nobis in Euangelio, quod electis suis Fidem in Christum gratificari decrevit, quam aliis negat; *Vobis*, inquit, Servator noster Matth. 13.11. *datum est nosse mysteria regni cælorum: illis non est datum.* Et 11. 25.26. gratias agit Patri, quod pro *εὐδοκίᾳ* sua, mysteria illa occultavit sapientibus, revelauit infantibus. Ex quibus planum est, voluntatem Dei de servandis fidelibus perseverantibus totum decretum Prædestinationis ad vitam nec esse, nec dici posse. Cæterum nec partem esse huius decreti liquido apparebit, si sententiam Remonstrantium, quam sanorum verborum formulis insidiose occulunt; cum explicatione Scripturæ contulerimus. Scriptura cum credentes perseverantes servatum iri pronunciat, ex æterno ac immutabili Dei consilio, credentes perseverantes intelligit consequenter, qui post sui Electionem, & ex gratia Electionis fide ac perseverantia donati credunt, perseuerant: ut est Actor. 13.48. Rom. 8.29.30. Remonstrantes contra, credentes perseuerantes fingunt antecedenter, qui crediderint & perseveraverint antequam æternæ saluti destinarentur à Deo. Quod nihil aliud est, quam pervertere seriem causarum salutis, & ex Prædestinatione facere Postdestinationem. Rursum, Scriptum decretum Dei de servandis credentibus perseverantibus interpretatur definite & individualirer de certis personis, Petro, Iohanne, Paulo: sicut dicitur, *Crediderunt, quotquot erant*

erant ordinati ad vitam æternam. Actor. 13.48. *Quos præcognovit, hos prædestin* Rom.8.29. *Non de omnibus vobis loquor, scio quos elegerim,* Ioh. 13.17.18. Remonst res contra, conceptu nimis Platonico, idem decretum indefinitum esse volunt, lo personarum singularium intuitu, aut [illegible] circumscriptum, usque ade salva hac Dei electione condemnari universum genus humanum potuerit. Q missa mutila hac, ambigua & falsa Prædestinationis definitione, nos plenam, pl ac certam aliam damus ex dictis Apostolicis, Rom. 8.29.30. Ephes.1.4.5.6. inqu cum ejus substituimus:

Voluntas Dei, qua pro beneplacito suo statuit, quorundam ex ge humano lapso misereri, eosdemque Christo filio suo servandos fide in ipsum donare, atque ita justificare, sanctificare & glorificar laudem gloriosæ gratiæ suæ, est totum decretum Prædestination gratiam & gloriam.

PROPOSITIO SECVNDA.

Electio ad salutem non unica, sed [a] multiplex est; [b] indefinita & de ta, [c] generalis & particularis sive singularis: & hæc iterum [d] incomp [e] non peremptoria, revocabilis; & completa, peremptoria, irrevoca alia [f] item V. alia N. Testamenti.

a. Declarat. exhibita.
b. Remonstr. Geldri in Synod. Provinciali.
c. Epist. ad Walachr, pag. 38.39.
d. Grevinch. pag. 133. & seque.
e. Grevinch. pag. 137. & patet ex re ipsa.
f. Theses Episcop. pag. 35.38. & seqq.

IVDICIVM.

Nobis vero non varia aut multiplex, sed unica tantum est ad salutem Electio unica est Dei πρόθεσις, unica πρόγνωσις, unica εὐδοκία Rom. 8.28.29. & 9.11. 2 Ti Ephes.1.5. qua & eandem salutem omnibus electis intendit, & eadem salutis præordinavit ac præparavit Rom 8.29.30. Ephes.1.4.5. Hinc, quod Electionem a eiusdem ordinis ac census apud Deum sunt omnes electi, Ioh. 10. 16. & 11. 52. sunt primogeniti in cælis conscripti, eandem panegyrim & Ecclesiam constitu Heb. 12.22. Facessant ergo portenta illa novorum terminorum, quibus nova doctrina in Ecclesiam invehitur.

Electio indefinita, & generalis nulla est, nisi conceptu humano; electio D tum circa personas singulares occupatur. *Nam quos præcognovit, hos prædest* Rom.8.29. *Novit Dominus suos* sigillatim 2. Tim.11.19. & *vocat eos nominatim* Ioh.

Nec est electio incompleta, sed completa ratione finis & mediorum. *Nam xit nobis Deus omni benedictione spirituali in Christo,* Ephes.1.3. *Et quos præcogno prædestinavit, vocavit, justificavit, glorificavit,* Rom.8.29.30.

Non etiam revocabilis aut non-peremptoria, si terminum forensem ad h hæc Dei mysteria transferre libeat. Quia *solidum stat Dei fundamentum*, de no lute, 2. Tim.11.19. & *dona Dei, ejusque vocatio*, quæ est κατὰ πρόθεσιν, ἀμε *sunt*, Rom.11.29.

Denique non alia V. alia N. Testamenti statuenda aut dicenda est electio doquidem eadem utrobique salutis ratio obtinet, tum quoad fontem salutis, tuita Dei electione continetur, tum quoad omnia eius media præcise ne Quare dictis & exemplis V.T. cumprimis firmatur, & illustratur hoc caput næ Rom. 9.

Explosa igitur Electionis ad salutem multiplicitate ac varietate, unicam, certam, sibique conformem in V. ac N. T. Electionem κατ' ἀντίθεσιν constituimus.

PROPOSITIO TERTIA.

Causa Electionis est beneplacitum Dei, quo ex multis conditionibus possibilibus placuit ipsi Fidem eligere in conditionem communicandæ salutis.

Grevinch. pag. 105. 106. Epist. ad VValach. pag. 38. 39.

IVDICIVM.

Beneplacitum Dei, prout in Decreto Electionis strictius sumitur, non est electio Fidei in conditionem communicandæ salutis. Fides enim non eligitur, sed eligendo præparatur, ac tandem datur: sicut Christus eam dari docet ex Patris εὐδοκίᾳ Matth. 11. 25. 26. Neque etiam fertur in objectum indefinitum, vagum. Nam Scriptura circa personas singulares ex Dei misericordia servandas, eam docet occupari, Ephes. 1. 5. 9. Est vero beneplacitum secundum Scripturam, liberrimus ac benevolentissimus actus divinæ voluntatis, quo horum præ illis misereri voluit ad salutem, his præ illis Christum Mediatorem, ac fidem in ipsum gratificari. Cujus interpretationis Christus Matth. 11. 25. 26. & 13. 11. & 20. 15. & Paulus Rom. 9. 15. 16. 18. Ephes. 1. 5. 9. præcipui nobis magistri sunt. Proinde optimo jure thesi heterodoxæ orthodoxam hanc opponimus.

Causa electionis est beneplacitum Dei, quo nemini quicquam debens; liberrima voluntate ac gratia hujus præ illo misereri, in Christo servandi; hunc præ illo in fide & sanctitate ad salutem donare decrevit.

PROPOSITIO QVARTA.

Causa sine qua non electionis, sive prærequisita ejus conditio, est Fides, nec non Fidei obedientia, & in utraque perseverantia.

Coll. Hag. pag, 66. & seq. Thesib. & Declarat. exhibitis.

IVDICIVM.

Non contendemus nunc de eo, an Remonstrantes Fidem faciant causam proprie dictam Electionis, sive meritoriam, sive instrumentalem, uti quidem facere multis videntur. Satis nobis est, quod causam, sine qua non, sive conditionem in objecto eligibili prærequisitam esse aperte & constanter profitentur. Quæ sententia verbis licet emollita, non magis quam altera illa cum veritate Scripturæ potest conciliari. Ea siquidem fidem, obedientiam, perseverantiam, ut effecta, Electioni subordinat, non substernit ut antecedaneas conditiones.

Fidem; Actor. 13. 48. *Crediderunt quotquot ordinati erant ad vitam æternam*; hoc est, præordinati, prædestinati, ut recte exponit Chrysostomus. Eodem sensu veterem Ecclesiam vocem *Ordinati*, accepisse testis est versio vulgata, quæ habet *præordinati*. Sic Ephes. 1. 5. prædestinati dicimur εἰς υἱοθεσίαν. υἱοθεσία autem per fidem obtinetur Ioh. 1. 12. Denique vocatio efficax, quæ Fidei donatio est, non modo sequitur Electionem, sed etiam ut fructus ex ea dependet. Rom. 8. 29. 30. & 11. 25.

Obedientiam; quia electi sumus in Christo, ut essemus sancti & inculpati in tate Ephes 1. 4. Et quos pro suis novit Deus, ii προγνώσεως hujus efficacia disc ab omni injustitia, studioque, bonorum operum Electionem pariter ac vocati suam firmam reddunt, ut est 2.Tim. 11. 19. 2.Pet.1.20.

Perseverantiam; nam quos præcognovit, prædestinavit, hos vocavit, justificavi rificavit, ut nihil eos separare possit à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu, R 29. 30. 39. & qui in electis cœpit bonum opus, idem perficit in diem usque I.C Phil.1. 6.

Quæ cum ita sint, rejecta thesi falsa, veram hanc antithesin ex Scripturis stat & stabilimus:

Fides in Christum, obedientia fidei, & in utraque persever fructus & effectus sunt Electionis, Eelectorum proprij.

Propositio Qvinta.

Electio immutabilis non est, ut quæ ipsorum electorum apostasia rumpi & abrumpi potest.

Grevinch. pag.127. Episcop. in Thesib. pag.65. & alij passim.

IVDICIVM.

Electio Dei prorsus immutabilis est, tum ad gloriam, tanquam finem dabitur regnum ijs, quibus paratum est Matth. 20. 23. tum ad gratiam dium, quia quos præcognovit, prædestinavit, eosdem, non alios, vocavit ficavit. Unde & dona Dei ἀμεταμέλητα. Rom. 11. 29. & fons eorum æterna solidum Dei fundamentum vocatur. 2.Tim. 11. 19. Lapsus & defectus rum haudquaquam interrumpunt, aut abrumpunt ipsorum Electionem. nim ipsi Deum, sed Deus ipsos elegit, Ioh. 15. 16. perpetua dilectione grati plectendos, Ierem. 31. Ideoque vel stantes confirmat, ne labantur; vel la sustentat, ne collidantur, vel lapsos erigit, ne perpetuo succumbant: omnes virtutis suæ præsidio ad salutem custodit. E quibus hanc antithesin efformam thesi oppositam:

Electio ad salutem immutabilis est: nec defectibus aut lapsib ctorum, etiam gravioribus interrumpitur, aut abrumpitur.

Propositio Sexta.

Sensus ac certitudo Electionis nulla est in hac vita.

Grevinch. pag.138. Et patet ex re ipsa.

IVDICIVM.

Sensum & certitudinem Electionis in hac vita negare, est ipsam Electio ctis in hac vita reddere inutilem, quin imo eam abolere, tum quoad tum etiam quoad gloriam; cujus hic initia præsentiscunt electi. Scri liud judicium est, quæ utrumque fructum, sensum videlicet ac certi etiam in hac vita, vendicat electis vocatis; gradu licet dispari. *Sensi* ex fonte Electionis in ipsos derivat solatium contra peccatum Rom. 8. 33. *tentabit crimina adversus electos Dei?* contra infirmitatem fidei. 2.Tim. 11 *lidum stat Dei fundamentum.* item, gaudium supra mundum & mundana omn 10.20. *Gaudete, quod nomina vestra scripta sunt in cælis.* Tripudium quoqu omnes hostes, Rom.8. 35. *Quis nos separabit à caritate Christi? &c. Certitudin*

Digitized by Google

per Fidem noverunt Electionem sui à Deo, ut est 1. Thess. 1. 4. & studio bonorum operum eandem firmam efficiunt in cordibus suis. 2. Pet. 1. 10. Nec enim Spiritum mundi accipiunt, sed Spiritum ex Deo, ut sciant, quæ Deus æterna electione ipsis sit gratificatus. 1. Cor. 11. 12. Quare Thesin illam ut impiam, nec minus in Deum eligentem, quam in ipsos electos injuriam damnamus & explodimus: contra stabilimus doctrinam veram & salutarem hac Antithesi:

Sensus ac certitudo electionis, non minus quam vocationis, aut justificationis, electis etiam in hac vita constat.

DE REPROBATIONE.

PROPOSITIO PRIMA.

VOluntas Dei de infidelibus perseverantibus sub ira relinquendis, & æternum condemnandis, est totum decretum Reprobationis ad mortem.

Coll. Hag. pag. 66. & seq. Epist. ad VValach pag. 32. 33.

IVDICIVM.

Contrariorum eadem ratio, eadem scientia est. Ex ijs igitur, quæ de Electione supra dicta sunt, de opposita Reprobatione, eiusque descriptione, quid statuendum videatur, haud difficile est pronunciare. Summa huc redit: Nec actus omnes Dei reprobantis hic notari, ut totum Reprobationis decretum dici queat: Nec qui notantur, ita explicari, ut decreti hujus veritas possit agnosci. Extra controversiam est, quod Deus velit infideles, & in infidelitate contumaces sub ira relinquere, ac æternum damnare: Est hæc vox ipsius Christi apud Ioh. 3. 18. 36. *Qui non credit, jam condemnatus est, & ira Dei manet super eum:* item apud Marc. 16. 16. *Qui non crediderit, condemnabitur.* Sed præter actum illum Dei, incredulos ad mortem destinantis, alij plures in Scriptura exprimuntur, hic autem omittuntur. Verbi gr. Quod quorundam nolit misereri ad salutem, Rom. 9. 16, 18. Quod non omnes dederit redimendos Filio suo, quemadmodum ipse testatur, Ioh. 17. 9. *Non pro mundo rogo, sed pro ijs rogo, quos dedisti mihi, quia tui sunt.* item, Quod non omnibus fidem in Christum gratificari statuerit, quæ tamen ex ipsius solum donatione obtinetur, ut est Matth. 13. 11. *Illis non est datum:* imo, quod multis ne externæ quidem vocationis gratiam indulgere decreverit, quos sinit incedere in vijs suis. Actor. 14. 16. Præterea utut verbis Scripturę hic utantur, à sensu tamen ejus ac veritate longe deviant. Scriptura infideles, hoc est, contumaces gratiæ Euangelicę contemtores eos vocat, qui post sui reprobationem gratiam Euangelij rejiciunt, contemnunt: sicut dicitur, *Electi assecuti sunt, reliqui,* reprobi, *occalluerunt: dedit enim eis Deus Spiritum soporis.* Rom. 11. 7. 8. Remonstrantes autem eos intelligunt, qui jam ante sui reprobationem, respuere gratiam Euangelicam, eoque reprobationem illam apud Deum promeruere. Scriptura Reprobationem factam docet circa personas singulares, Esavum, Pharaonem. Rom. 9. 11. 17. Iudam. Ioh. 17. 12. Quod & Christus indicat his verbis Ioh. 13. 17, 18. *Non de omnibus vobis loquor, Scio, quos elegerim:* & Cap. 10. 26. *Vos non estis ex ovibus meis.* Contra, Remonstrantes indefinitum, vagum, ac generale decretum somniant, à conditione ac determinatione personarum singularium seclusum. Quamobrem missa mutila illa, falsa ac ambigua Reprobationis descriptione, veram & perfectam hanc damus ex Scriptura.

Voluntas Dei, qua pro beneplacito suo statuit quorundam ex g humano lapso non misereri in Christo, sed eos in peccatis relinq & tandem propter illa damnare, ad declarationem justitiæ suæ, est t Decretum Reprobationis ad mortem.

PROPOSITIO SECUNDA.

Reprobatio non unica, sed multiplex est, indefinita & definita, ge lis & particularis sive singularis: & hæc iterum incompleta, non peren ria, revocabilis, & completa, peremptoria, irrevocabilis; alia item V N. Testamenti.

Plana hæc sunt ex allegatis ad Propositum II. de Electione.

IUDICIUM.

Vt unicam Electionem ad vitam supra docuimus ex Scriptura, ita unicam ac tem Reprobationem eadem magistra agnoscimus, profitemur. Vno eodemqu aversatur Deus omnes reprobos, Rom. 9. 12. 13. uno eodemque decreto omnes scripsit ad damnationem Iud. 4. eundem etiam ignem æternum omnibus præp Matth. 25. 42. Ideoque omnibus reprobis commune est, quod hypocritis Chri men aliquando professis dicitur Matth. 7. 23. *Nunquam novi vos:* & quod Chri Iudæis Ioh. 10. 26. *Vos non estis ex ovibus meis.* Corruunt ergo uno velut concil omnes novarum distinctionum captiones, quibus irretire simpliciores, & elude nifestissima Scripturæ testimonia consueverunt.

Nulla est Reprobatio indefinita, generalis; quia decretum Dei est de personis laribus, jam olim ad damnationem præscriptis, Esavo, Pharaone, Iuda, Iud. 4. R 11. 17. Ioh. 17. 12.

Nulla item Reprobatio incompleta: siquidem Deus immutabili decreto Re non minus in præparatione salutaris gratiæ, quam in destinatione cœlestis glori terijt, Rom. 9. 18. & 11. 7. 8. Iud. vers. 4.

Nec est Reprobatio revocabilis, aut non peremptoria; quia firmum manet D positum, non minus κατ' ἀποδοκιμασίαν, quam κατ' ἐκλογὴν, tam circa Esavum, qua Iacobum Rom. 9. 11.

Denique non alia ejus ratio in N. T. quam olim fuit in V. quod vel sola Pauli tatione, quæ est Rom. 9. evincitur: ubi dictis & exemplis V. T. Reprobationem mat, & transitu ab hypothesi ad thesin illustrat.

Rejicimus igitur propositionem secundam Remonstrantium de Reprobatio jusque unitatem ac conformitatem in utroque Testamento cum Scriptura a mus, & ex ea profitemur.

PROPOSITIO TERTIA.

Causa Reprobationis meritoria est infidelitas adversus Euangeliu perseverantia in ea.

Thesi exhibita VIII. & addita eius Declarat.

IUDICIUM.

Causam damnationis meritoriam proprie dictam esse infidelitatem & contu adversus Euangelium, clarum est ex verbis Christi Ioh. 3. 18. Marc. 16. 16. supra tis, & apud nos in confesso: Reprobationis autem causa meritoria salva verita pturæ dici nequit. Nam cur alijs detur fides, aliis non detur, Christus ad Patris Matth. 13. v. 11. Paulus ad liberrimam eius voluntatem refert, qua aliorum retur, dando ipsis fidem, alios indurat eam negando. Rom. 9. 18. Ioh. 12. 1

Si teste eodem Apostolo firmum jam erat Dei propositum quoad Reprobationem, cum necdum mali quicquam fecissent reprobi, quo reprobationem sui præ aliis mererentur, quomodo propter incredulitatem dici possunt reprobati fuisse? Omnes natura sumus cæci mente & duri corde ad credendum, nec quisquam credit, aut credere potest, nisi Deo mentem eius illuminante, cor emolliente & flectente in obsequium Euangelij. Si igitur infidelitas causa esset Reprobationis, omnes pariter fuissent reprobati. Sed Deus corruptione pares discrevit suo beneplacito, & illis fide donatis, hos liberrima ac justissima voluntate reliquit in peccato & morte, ut veritas dicto fieret, *Miseretur cuius vult, & indurat quem vult*, Rom. 9.18. Hic vero duo se produnt novæ Theologiæ mysteria. Vnum; neminem reprobari, nisi post contemptam gratiam Euangelicam. Quid ergo de iis factum, qui nunquam audiverunt Euangelium, sed quos Deus sivit suis ipsorum vijs ingredi? Psalm. 147. vers. 19. Actor. 14.16. Hi certe stante illa hypothesi, in electorum catalogum referendi sunt, vel saltem in medio quodam hominum genere ponendi, quod neque ad electos, neque ad reprobos pertineat. Alterum neminem damnari, nisi ob peccata adversus Euangelium commissa. Negatur ergo reatus ad condemnationem sufficiens, atque etiam efficax, ex peccato originali, contra Apostol. 1. Cor. 15.22. *In Adamo omnes moriuntur*. Ephes. 11.3. *Eramus natura filij iræ*. Negari item videtur reatus ad damnationem ex actuali legis, saltem naturalis, transgressione contractus ante promulgatum Euangelium; contra eundem Apostolum Rom. 2.12. *Quicunque sine lege* (scripta scil.) *peccaverunt, sine lege quoque peribunt*. Proinde de causa Reprobationis hanc antithesin ponimus.

Causa Reprobationis, cur quibusdam gratiose electis cæteros præterierit, est beneplacitum Dei, sive liberrima ac justissima eius voluntas. Causa autem damnationis est peccatum tum originale, tum actualia adversus Legem & Euangelium admissa.

PROPOSITIO QVARTA.

QVod Deus nonnullos præterit gratia prædicationis Euangelij, ejus causa est indignitas in ipsis hominibus latens.

Epist. ad Walachr. pag. 44.45.

I V D I C I V M.

Hanc esse præteritionis illius caussam Scriptura magistra non didicimus. Nam Christus Matth. 11. vocatos verbo Euangelij & miraculis indigniores, neglectos digniores diserte testatur: ut & apud Ezech. 2. ipse Deus. Apostolus etiam pronunciare non dubitat, Gentes, quæ non sectabantur justitiam, apprehendisse justitiam: Israelem vero sectando justitiam, ad eam non pervenisse Rom. 9. 30. & 10. 20. ait, Deum inventum ab ijs, qui ipsum non quærebant. Alia igitur præteritionis hujus causa nobis quærenda est; quam Christus Matth. 11.26. in Dei beneplacito proponit his verbis, *Etiam, Pater, quia ita placuit tibi*: & Moses Deut. 7. & alibi. Israelitis operose & pathetice inculcat. Sit igitur hæc antithesis.

Quod Deus nonnullos præterit gratia prædicationis Euangelii, eius causa est idem beneplacitum, sive eadem liberrima ac justissima eius voluntas.

MODVS

Modus docendi populariter doctrinam de Prædestinatione.

I.

DE ELECTIONE.

Examinata & rejecta doctrina heterodoxa de Prædestinatione porro videndum est, ut verbi Dei Ministri de populari & fre eam docendi ratione erudiantur: quam, salvo aliorum judicio, nc esse arbitramur.

Docendus est populus.

1, Deum post horrendum lapsum primorum parentum, homines æque, ac carunt Angelos, igni æterno adjudicare potuisse. Verum id non fecisse: sed ſi minibus gratiam pollicitum fuisse. Quam ut salva justitia sua præstare illis post genitum Filium suum promisisse Mediatorem, qui pro peccatis nostris victim & morte sua nos ab æterna morte liberaret.

2. Hunc Filium, in Verbo prædicato Deum hominbus offerre, serioque m ut quotquot Evangelium audiunt, ad Christum se convertant.

3. Sed hominem per lapsum propter peccata, ita corruptum esse, ut con Evangelij nec intelligere, nec si intelligat, admittere possit, nisi Deus illum pe tum trahat, & cor ejus, ut Lydiæ, aperiat, Christique ei amorem inspiret.

4. Itaque non solum Evangelium esse singulare Dei donum, non omnibus commune, sicut scriptum est Psal. 147. vers. ult. Actor. 16. 7. Sed etiam intellig & obedientiam Evangelij, vel, ut verbo dicam, Fidem esse singulare Dei donu scriptum est Ephes. 2. 8. 2. Thess. 3. 2.

5. Nec posse quenquam hominum mereri, ut sibi hoc donum à Deo detur: sic omnes sunt peccatores, Rom. 3. 23. Quin tantum abesse, ut homo mereri fidem ut nec disponere se ad credendum, nec boni spiritualis vel minimi cupiditatem queat, quippe in peccato mortuus. Ephes. 2. 1. adeoque omni veri boni sensu dest

6. Deum igitur ex mera gratia, donum fidei dare cui vult: sicut scripu Rom. 9. 18.

7. Eundem Deum, ab æterno sibi ex genere humano lapso, certos homines in peculium suum, elegisse, quos vellet per fidem Christo servandos dare: sicut sc est Joh. 17. 6. *Tui erant quos dedisti mihi è mundo.*

Vnde clarum fit, Fidem electionis fructum esse, Sicut scriptum est, *Electio asse reliqui occalluerunt*, Rom. 11. 7. Et, *Crediderunt quotquot ordinati erant ad vitam* Actor. 13. 48.

Clarum item, caussam electionis esse beneplacitum Dei, qui nemini quicq bens, liberrima voluntate ac gratia hujus præ illo misereri, eumque Christo pe servandum dare decrevit: sicut scriptum est Matth. 9. *Etiam Pater, quia ita placuit.*

8. Hanc Electionem ita firmam esse, ut quamlibet graviter sæpe labantur tamen nec defectibus nec lapsibus illorum interrumpi, multo minus abrump Sicut scriptum est; *Solidum stat fundamentum Dei, habens sigillum hoc, Dominus n sin: sui*, 2. Tim. 2.19.

9. Cæterum de Electionis suæ certitudine quemque Christianum certum e re. Vt autem certus esse possit, non esse, cur in abditos divinæ sapientiæ recess tur perrumpere, ut intelligat, quid de se sit constitutum in cælis (hoc enim & & impossibile est, siquidem liber vitæ est obsignatus. 2. Tim. 2.) sed firmiter adh dum verbo Dei patefacto. Quod docet, Deum nos elegisse in Christo. Ephes. est, non aliter decrevisse salvare, nisi per Christum: & severe mandat, ut resip & credamus in propositum nobis Servatorem. Quod qui facit, is certissimun nis suæ habet testimonium.

10. Idcirco autem hoc, & non alio modo, Deum Electionis nostræ certi nobis patefacere velle, ne in securitatem carnalem prolabamur, sed cum time more salutem nostram operemur, sicut præcipit Apost. Philip. 2. 12.

XI. Cum hoc timore ac tremore certo conjunctam esse consolationem illam, fidelem esse Deum, qui non patiatur nos tentari supra vires, 1. Cor. 10. 13. nec frangat arundinem quassatam, aut linum fumigans extinguat, Esaiæ 42. 3. Cum hoc timore & tremore coniunctam fore illam omnis consolationis plenissimam Theologiæ practicæ logicam, etiam in maximis animi angoribus exercendam; Electi non seducentur: Ego electus sum: Igitur nunquam seducar Item: Oves Christi nemo rapiet de ipsius manu. Ego Christi Ovis sum: novi enim pastorem meum, hunc amo, huic credo, huic vivam, huic moriar. Igitur securus, & lætus sum in Deo meo, & ingemino illud Paulij *Quis me separabit à caritate Christi?*

II.

DE REPROBATIONE.

I. Cum manifestum sit, esse electionem certorum hominum ad vitam, de Reprobatione certorum hominum ad mortem, nemo sanus dubitare potest.

II. Est autem Ministrorum Ecclesiæ prudenter dispicere, quando & quomodo de Reprobatione ad populum dicendum sit.

III. Docendum de Reprobatione est, cum textum aliquem ex professo de ea agentem explanamus: alias raro & parce: id quod Prophetas, & Apostolos, & Christum ipsum observasse videmus.

IV. Modum docendi populum de Reprobatione, gubernabunt sequentes regulæ.

Prima: Doceatur, non decere nos inquirere in arcana illa, cur Deus hunc elegerit, illum reprobarit? nec decere nos inquirere in voluntatem Dei occultam, sed insistere voluntati in verbo patefactæ.

Secunda: Doceatur, ad ipsam mentionem reproborum, nostrum esse gratias agere Deo, qui cum in eadem peccati massa cum reprobis hæreremus, misericordi Dei voluntate ex ea per Christum sumus extracti: sic David Psalm. C. celebrat gratiam Dei, quod nos fecerit oves pascuæ suæ: sic Paul. Ephes. 1. Dei gratiam prædicat, per quam nos in Christo elegit. Vterque parum de reprobis, multum de gratitudine, ab electis Deo debita, est sollicitus.

Tertia: Doceatur, nos etiam in hac vita aliquo modo intelligere, propter multorum hominum Reprobationem, Deum minime iniustitiæ accusari posse.

Nam primo, Deus neminem damnat, nisi propter peccata.

Neminem igitur etiam damnare decrevit, nisi propter peccata.

Secundo, quod non omnes peccatores reprobat, & damnationi addicit, sed aliquos eligit, aliquos reprobat, id ideo facit, teste Apostolo Rom. 9. 22. 23. ut in electis misericordiam, in reprobis justitiam suam ostendat. Non est autem ulla hic Dei iniquitas, aut personarum acceptio: siquidem damnatis quidem debita redditur pœna, liberatis indebita confertur gratia.

Tertio, quod vero in his potius, puta Esavo, Iuda, quam in illis, puta Iacobo, Petro, iram & justitiam suam manifestare velit, facit pro potestate ea, quam habet figulus in lutum. Itaque, si quis obmurmuraret, illico audiet illud, *Annon licet mihi, quod volo facere in meis*? Matth. 20. & illud Matth. 11. *Etiam Pater, quia ita placuit tibi.* Itaque nec hic aliquid est iniustitię.

Exposuimus nostrum de Primo Articulo Remonstrantium iudicium: modum de Prædestinatione populariter concionandi descripsimus. In utroque eam de Electione & Reprobatione doctrinam professi sumus, breviterque confirmauimus, quæ cum in alijs Ecclesijs Reformatis, tum imprimis in Ecclesia Palatina, per Dei gratiam hactenus sonuit. Quæ cum totum salutis negocium non in lubrica hominis, sed in constanti Dei voluntate reponat, & nullam homini, omnem Deo gloriam vindicet: carnalem securitatem excutiat, consolationem solidam in vita & morte electis Dei filijs suggerat: Rogamus benignissimum Deum nostrum, ita regat & illustriss. Ordd. & venerandæ Synodi consilia, ut explosis novitatibus à tota Scriptura alienissimis, Apostolicam hanc doctrinam sibi unice commendatam habeant, eamque autoritate sua ad posteros quoque propagent.

IVDICIVM.

Theologorum Hassiacorum

De

Primo Articulo Remonstrantium, & eorundem circa illum sententia.

VT legitime ac distincte doctrina Remonstrantium de Prædestinatione exan
ri, & secundum Verbum Dei dijudicari queat; accurate distinguendum es
dicamus, inter primum ipsorum Articulum, quem in Remonstrantia sua, an
Illust. Hollandiæ & VVestfrisiæ Ordinibus oblata, posuerunt; & declarationem
jus Articuli, ipsorumque circa eum sententiam; quam in scriptis suis tum pul
tum privatis tradiderunt.

Articulus ita habet: Deum æterno & immutabili decreto in Christo Iesu Fili
ante jacta mundi fundamenta statuisse, ex genere humano in peccatum prolapsc
in Christo, propter Christum, & per Christum salvare, qui per gratiam Sp. San
eundem Filium suum Iesum credituri, inque ea ipsa fide, & obedientia fidei
eandem gratiam usque ad finem essent perseveraturi: Contra vero contumaces
credulos sub peccato & ira relinquere & condemnare, tanquam à Christo ali
juxta verbum Euangelij Ioh. 3. 36. *Qui credit in filium, habet vitam æternam; q*
ro Filio non obtemperat, non videbit vitam, sed ira Dei manet super ipso. Cui alia q
dicta Scripturæ respondent. Hæc primi Articuli Verba nihil continent à Sac
teris alienum, nisi forsitan Remonstrantes aliquid occultent in vocabulo Obedie
Fidei, & ludant ambiguitate vocis Gratiæ. Quo de, suo loco, in examine Artic
& 4. dicetur. Ratio, qua hujus Articuli in se spectati veritas probatur, hæ
Quæcunque Deus in tempore facit, ea ab æterno ante jacta mundi fundamenta
vit facere. *Nota enim sunt Deo omnia sua opera à sæculo.* Actor. 15. 16. At Deus in
pore ex genere humano lapso, eos in Christo per & propter Christum salva
per gratiam Spiritus Sancti in eundem credunt, & in ea ipsa fide ad finem usque
verant. Ergo, tales etiam salvare decrevit ab æterno, ante jacta mundi fundam

Cæterum, si hujus Articuli declaratio, & Remonstrantium circa eum sen
quam tum in Collat. Hag. tum vero etiam in alijs scriptis, tam publicis quam p
proposuerunt, attentius consideretur; apparabit, à sacratissimo divinarum lit
codice eam *δὶς διὰ πασῶν* differre, quin & secum ipsam consistere nulla ratio
se. In Coll. Hag. de hoc Articulo duo asseruerunt. 1. Decretum illud, de salva
Christum perseveranter credentibus, esse totum & integrum divinæ Prædestin
ad salutem, seu electionis, decretum, nullamque aliam, præter hanc, prædestina
ad salutem nobis in Euangelio esse revelatam. 2. Fidem & perseverantiam in
conditionem prærequisitam in eligendo, adeoque in consideratione divina pr
ipsam electionem ad vitam æternam, nec ejus esse fructum, vel effectum.

Primam assertionem nec cum S. Scriptura, nec cum altera assertione, alijsq
monstrantium effatis convenire, ex sequentibus judicamus luculentissime
re posse.

1. Decretum Electionis ad vitam æternam (quale in Scripturis S. describ
hactenus in Ecclesijs traditum fuit) tria complectitur: primo, Propositum D
rum quarundam singularium personarum ex lapso genere humano, quarum n
soli Deo notus est, pro benevolo affectu voluntatis suæ, in laudem gloriosæ sua
miserendi easque è communi miseria, in quam sese præcipites egerant, eripie
enim Scriptura meminit certi numeri electorum Matth. 20. 16. & 22. 14. *M.*
vocati, Pauci vero *Electi.* Quo etiam pertinent illa Scripturæ dicta, quæ men
faciunt libri vitæ, cui à Deo inscripta sunt omnium & singulorum electorum
Luc 10. 20. Philip 4. 3. Apocal. 21. 27. Atque hic Electorum numerus dubi
repræsentatur per illa 144000 signatorum, Apocal. 7. 4. Esse autem hunc El
numerum Deo notum, apparet ex Iohan 10. 3. ubi Christus dicitur, *oves sua*
Nominatim. Et 13. 18. ubi Christus ait, *Ego scio, quos elegerim.* Atque huc pe
lud Apostoli 2. Tim. 11. 19. *Novit Deus, qui sint sui.*

II. Electio complectitur destinationem illarum certarum & singularium personarum ad summam beatitudinem & felicitatem, videlicet *ad vitam æternam*. Actor. 13. 48. *ad gloriam*, Rom. 8. 29. 30. *ad salutem*, 2. Thes. 2. 13.

III. Complectitur ordinationem & dispositionem certorum mediorum, per quæ ad finem intentum perveniendum est, & decretum, media illa efficaciter electis conferendi, eosque per illa infallibiliter ad æternam beatitudinem perducendi. Atque hæc media sunt, 1. *Christus Mediator* 1. Pet. 1. 20. qui summum locum tenet, cui reliqua omnia media, ipsaque adeo salus veluti innituntur & inædificantur (quo sensu etiam non immerito dicitur, Fundamentum electionis, quatenus scilicet Electio accipitur pro ordinatione mediorum ad vitam æternam tendentium, in quo electi sumus, Ephes. 1. 4.) 2. *Vocatio* scilicet efficax & salutaris Rom. 8. 30. 3. *Fides Evangelij*, Actor. 13. 48. Tit. 1. 1. 4. *Adoptio* facta in Christo Ephes. 1. 5. 5. *Iustificatio & sanctificatio*, Rom. 8. 30. 1. Pet. 1. 3. Et denique 6. *Perseverantia*, 1. Pet. 1. 5.

Iam vero Decretum, quo Deus statuit, credentes in Christum, & in illa fide perseverantes servare, non complectitur ista tria.

Primo namque non exprimit, Propositum Dei, certarum & singularium quarundam personarum è lapso genere humano miserendi. Nec enim declarat Quos è genere humano lapso, sed Quales servare velit, scilicet credentes, adeoque Decretum illud exprimit potius Fidei ordinationem in conditionem Salvandorum, quam electionem & segregationem Personarum certarum & singularium, quibus inevitabiliter salutem æternam, & media ad eam perducentia, efficaciter conferre decreverit. Atque hoc ipsum agnoscunt Remonstrantes non solum in privatis suis scriptis; ut videre est apud Ioannem Arnoldi contra Tilenum pag. 59. ubi Decretum, quo Deus statuit fideles servare in Christo, dicit esse Decretum, quo fidei ad salutem necessitas ordinatur; & apud Grevinchovium contra Amesium pag. 105, 106. ubi dicit, Decretum, quo Deus statuit servare fideles, esse decretum Dei, quo visum fuit puræ putæ gratiosæ eius voluntati, actum hunc ignobilem (puta Fidem) præscribere in conditionem communicandæ salutis; verum etiam in publicis, quæ communi ipsorum nomine edita sunt, ipsaque nuper Synodo exhibita declaratione sententiæ suæ circa 1. Articulum. Verba declarationis ita habent. Cum de Prædestinatione agunt Remonstrantes, dupliciter fere eam accipere solent:

1. Vt significet, Decretum illud divinum generale, quo constituit liberrimo suo arbitratu, credentes servare, incredulos reprobare, id est, ex multis conditionibus possibilibus unam certam quandam rationem in mente sua designare & statuere, secundum quam salvare velit & damnare. &c.

2. Decretum de salvandis in Christum credentibus, non complectitur destinationem certarum & singularium quarundam Personarum ad vitam æternam. Meminit quidem salutis. At destinationis certarum & singularium personarum ad salutem seu ad vitam æternam, mentionem facit nullam. Id quod ipsi etiam Remonstrantes fatentur, dum præter decretum illud generale de salvandis in Christum credentibus, cuius in Thesi 5. exhibita meminerunt, aliud insuper decretum ponunt, de certis & singularibus personis, verbi gratia, Petro, Paulo, Iohanne salvandis; quod Dei decretum ipsi fingunt inniti præscientiæ Dei de ipsorum in Christum fide, & in illa fide perseverantia. Quod decretum Electionis appellant valde ἀκριβῶς peremtorium, & à priori illo decreto generali distinguunt, ut videre est Thesi 7. exhibita.

3. Decretum de salvandis in Christum credentibus, non complectitur ordinationem omnium mediorum, per quæ Deo placuit electos suos ad finem intentum, hoc est, æternam salutem perducere. Meminit enim solum Fidei in Christum, quæ unum tantum est electionis exequendæ medium inter quamplurima. At vero decreti de Christo Mediatore mittendo & in mortem tradendo, de electis interne simul & externe vocandis, deq; fide illa, per quam salus obtinetur, efficaciter ijs conferenda, ne quidem unico verbulo mentionem facit. Ex quibus omnibus evidentissime concluditur; Decretum illud, quo Deus statuit è genere humano lapso credentes in Christum salvare, non esse totum & integrum Electionis decretum.

II. Scriptura Sacra tale Electionis Decretum nobis describit, quo posito, necessario & infallibiliter quidam homines salvantur, nimirum, quotquot ad vitam æternam electi sunt. Ita enim Christus Ioh. 6. 39. dicit, hanc esse Patris sui voluntatem, (quam utiq; ipse implet) ut quicquid ipsi dederit, non perdat ex eo; Et Ioh. 10. negat posse fieri, ut oves eripiantur è manu sua & Patris sui. Et Matth. 24. 24. Impossibile esse dicit, electos seduci, scilicet finaliter in errorem, fundamentum salutis convellentem. Vnde & D. Apost. 2. Tim. 2. 19. *Firmum*, inquit, *stat fundamentum Dei, habens sigillum hoc: Deus novit, qui sint sui.*

At posito decreto, quo Deus statuit salvare credentes & in fide perseverantes, seu, quo Deus fidem ordinavit in conditionem communicandæ salutis, non necessario & infallibiliter quidam salvantur, sed fieri nihilominus potest, ut nemo hominum salvetur. Fac enim (quod ex natura hominis nimis eheu possibile, quinimo necessarium est) neminem in Christum credere, vel (quod Remonstrantes, falso licet, possibile esse statuunt) omnes vere in Christum credentes, iterum à fide deficere; & nullus omnino salvabitur. Firmum tamen nihilominus & solidum stabit hoc Dei Decretum, quod velit salvare omnes in Christum credentes. Atq; hoc ipsum Remonstrantes, non solum de dicto decreto, verum etiam de altero decreto administrandi media ad salutem obtinendam necessaria & sufficientia, fatentur in exhibita sententiæ suæ declaratione, dicentes: Quia media, per quæ ad gloriam perveniri potest, respui & rejici possunt, hinc est, quod posita huiusmodi electione ad gloriam, non ponatur necessario gloriæ & salutis æternæ collatio. Et clarius in eadem declaratione: Posita decreti de administrandis medijs ad fidem necessarijs (quod præsupponit decretum de salvandis credentibus) necessitate, fieri nihilominus potest (etsi Deus per sapientiam suam noverit aliter futurum) ut nemo credat, & omnes omnino infideles maneant. Ergo.

III. Pugnat hæc Remonstrantium assertio (Decretum de salvandis in Christum credentibus, & in illa fide perseverantibus, esse totum & integrum electionis Decretum) cum altera ipsorum assertione in Coll. Hag. posita, videlicet fidem in consideratione divina Electionem ad salutem præcedere, & non ut fructum, eam sequi.

Si namque Decretum, quo Deus statuit salvare in Christum credentes, est ordinatio Fidei, in conditionem communicandæ salutis, & idem illud Decretum est totum atque integrum electionis Decretum (quod utrumq; Remonstrantes dicunt) quomodo fides in consideratione Dei eligentis potest habere rationem conditionis, electionem antecedentis, & non potius rationem habet consequentis effecti & fructus? An enim fides in consideratione divina prior fuit decreto, de fide ordinanda in conditionem communicandæ salutis? Alterutrum igitur, necesse est, fateantur Remonstrantes, aut decretum illud de salvandis in Christum credentibus, non esse totum & integrum electionis decretum, aut fidē in consideratione & mente Dei eligentis non antecedere ipsum electionis decretum, sed potius cōsequens, effectum & fructum eius esse. Id quod Remonstrantes agnoscunt in responsione adversus Walachros, pag. 44. expresse dicentes; Agnoscimus, fidem, consequens, effectum & fructum dici posse decreti illius generalioris de fidelibus salvandis, infidelibus damnandis.

IV. Repugnat hæc Remonstrantium assertio alijs ipsorum effatis, cumprimis illis, quibus præter decretum illud, quo Deus statuit credentes in Christum salvare, adhuc tria alia ponunt decreta, quorum primum de mittendo Christo mediatore, dictum decretum antecedit; reliqua duo de administrandis medijs ad fidem & resipiscentiam necessarijs, itemque de salvandis personis singularibus, hoc, illo, isto, decretum illud consequuntur. Vnde colligimus aut tria ista decreta non esse de salute hominis (quod absurdum foret dictu) aut decretum de salvandis credentibus, quod à tribus istis decretis aliud est & distinctum, non esse totam voluntatem Dei de salute hominis in Evangelio patefactam, seu (quod Remonstrantibus idem est) non esse totum & integrum Prædestinationis ad salutem seu Electionis Decretum.

Alteram Remonstrantium assertionem, quam in Coll. Hag. posuerunt (videlicet Fidem non esse consequens, effectum & fructum electionis, sed conditionem prærequisitam in eligendo, adeoque in consideratione divina præcedere ipsam electio-

electionem ad vitam æternam) cum Scriptura Sacra pugnare, & se ipsam evertere, ex sequentibus liquere poterit.

I. Nihil quod à Deo homini in tempore gratiose confertur, causa vel conditio sine qua non, esse potest actionis Dei æternæ: At Fides à Deo homini gratiose confertur in tempore: electio vero facta est à Deo ab æterno: Ergo, Fides non est causa vel conditio sine qua non, electionis. Maior probatur; quia impossibile est, Causam esse posteriorem suo effectu. Id vero quod in tempore homini confertur, posterius est eo, quod à Deo factum fuit ab æterno. Minoris primum membrum probatur: Quia homo tum primum credit, cum Deus per Sp. Sancti gratiam, non solum externe per prædicationem Verbi, verum etiam interne & efficaciter ipsum vocat, cor eius aperit, fidemque in eo accendit. Actor. 16.14. Eph. II. 8. Phil. I. 19. Nequaquam vero dici potest homo credidisse ab æterno, quippe qui ab æterno non fuit: Electio vero Dei, est actio Dei facta ab æterno.

Posterius membrum probatur Eph. I. 4. ubi dicitur Deus elegisse nos ante iacta mundi fundamenta, id est, ab æterno, vide Tit. I. 9. 2. Thess. II. 13. 2. Tim. I. 9.

Nec est, cur Remonstrantes excipiant, ut maxime fides hominis ipso actu & quoad realem suam existentiã non fuerit ab æterno, nihilominus tamen eam fuisse ab æterno, in Dei eligentis mente & præscientiâ, adeoq; Deum prius prævidisse hominis fidem, quam ipsum elegerit ad vitam æternam. Nam homo ex se & viribus suis naturalibus in Christum credere, aut ad ipsum accedere nulla ratione potest: Sed Deus est, qui fidem per Sp. Sancti gratiam in homine operatur. Vnde fides dicitur esse Dei opus Ioh. 6. 29. Dei donum Ephes. II. 8. Non itaque quia Deus prævidit in aliquibus fidem, ideo eos ad vitam æternam elegit, sed contra, quia eos elegit, adeoq; fidem ipsis dare decrevit, ideo eam in ipsis prævidit.

II. Idem ex discrimine, quod est inter Iustificationem & Electionem, satis luculenter apparet: Iustificatio fit in tempore per fidem, ita ut nemo iustificari dicatur, nisi qui actu in Christum credit, eiusque satisfactionem vera fide apprehendit. Sic Abraham nec fuit nec dici potuit iustificatus, antequam actu ipso in Christum crederet. At decretum Electionis non fit in tempore per fidem, sed ab æterno ante iacta mundi fundamenta factum fuit. Ephes. I. 4. adeo ut Abraham, & quotquot unquam vitam æternam consecuti fuerunt, vel deinceps etiam consequentur, non tum demum inceperint, aut incepturi sint fieri Electi, cum ipso actu crediderunt aut credent: sed quotquot unquam salvati fuerunt, aut deinceps salvabuntur æternum, inde ab æterno electi fuerunt, etiam antequam actu crediderunt, aut credent.

III. Atque hoc ipsum luculentius apparet ex illis Scripturæ dictis, quibus etiam ij, qui nondum actu credunt, electi & populus Dei dicuntur. Christus Ioh. 10. 16. quosdam ex gentilibus, qui nondum ad fidem conversi erant, nihilominus oves suas appellat: *Alias etiam oves habeo, quæ non sunt ex hac caula, illas quoque me oportet adducere*. Et Actor. 18. 10. Deus, antequam Evangelium Corinthijs esset annunciatum, multum sibi in ista urbe Corintho populum, id est, multos electos esse dixit. Vnde liquido constat, Dei filios, non tum demum, cum credere incipiunt, fieri electos, seu ad vitam æternam eligi, sed antequam credunt, inde ab æterno vere electos fuisse.

IV. Atque hinc est, quod Scriptura dicit, nos electos esse, non quia eramus sancti, aut quia Deus prævidebat nos fore sanctos, sed *ut essemus sancti & inculpati, in conspectu eius, cum caritate*, Ephes. I. 4. (scilicet per fidem, qua corda sanctificantur & purificantur. Actor. 15. 9.) Et Actor. 13. 48. non dicuntur ordinati fuisse ad vitam æternam, quotquot credebant, vel credituri erant; sed contra, *credidisse* dicuntur, *quotquot erant ordinati ad vitam æternam*. Et Rom. 8. 29. Non dicitur Deus, quos vocavit, scilicet efficaciter, & fide donavit, ac per fidem iustificauit, eosdem etiam præcognovisse & prædestinasse; sed contra, *quos præcognovit & prædestinavit, eosdem etiam vocasse*, hoc est, vera & salvifica fide donasse, & per illam ipsam fidem iustificasse. Similiter Christus Ioan. 15. 16. dicit, se elegisse suos, non quia fructum faciebant, sed ut fructum facerent. Fides itaque non antecedens & conditio prærequisita in eligendo, adeoque electione prior, sed contra, consequens, fructus, & effectus est Electionis.

V. Si Fides per Spiritus S. gratiam (ut Remonstrantes insidiose loquuntur) in corde hominis accendenda, est conditio in eligendo prærequisita, adeoq; in consideratione divina Electionem præcedit; sequitur, Electionem non esse primum fontem & scaturiginem omnium spiritualium bonorum & donorum, quæ Deus in nos confert. Ratio est: quoniam Electio, cum sit fide (quæ bonum & donum est spirituale) posterior, non potest fidei esse fons & scaturigo: sed necesse est fidem ex alio fonte promanare.

At Consequens est absurdum. Scriptura enim electionem nostri ad vitam æternam testatur esse scaturiginem, unde omnes benedictiones spirituales, quas Deus in nos confert, derivantur. Sic enim Div. Apostolus Rom. 8. 29. ex præcognitione & prædestinatione deducit vocationem scilicet efficacem, seu fidei donationem, justificationem, ipsamq; etiam glorificationem. Et Ephes. 1. ubi ex professo locus de Electione tractatur, D. Apostolus benedictiones spirituales, quibus Deus nobis benedixit, ordine enumeraturus, primo loco ceu fundamentum ponit electionem nostri ad vitam æternam vers. 4,5. indeque reliqua omnia Dei beneficia spiritualia, quæ in nos confert, ipsamq; etiam Euangelij patefactionem & fidem derivat, versib. seq. 6,7,8,9,10,11,12,13. Ergo Fides non est conditio in eligendo prærequisita, adeoque electionem in consideratione divina non antecedit; sed contra electionis est consequens, effectus & fructus.

VI. Si Electio facta est non tantum ad salutem, tanquam finem, verum etiam ad fidem tanquam medium, per quod salus obtinetur, fides non potest esse conditio in eligendo prærequisita, sed potius est fructus & effectus electionis. At Electio facta est non tantum ad salutem, ut finem, verum etiam ad fidem, ut medium, per quod salus obtinetur. Ita enim Apostolus Ephes. 1. 5. ait: *Deus prædestinavit nos εἰς υἱοθεσίαν*, in adoptionem filiorum, seu quos adoptavit in filios. Hæc vero adoptio non fit nisi per fidem Ioh. 1. 12. Et Apost. 1. Petr. 1. 2. dicit: Electis *εἰς ὑπακοὴν καὶ ῥαντισμὸν αἵματος Ἰησοῦ Χριστοῦ*, in vel ad obedientiam & aspersionē sanguinis Iesu Christi, hoc est, ad fidem & justificationem, quæ sanguinis Christi aspersione hic designatur. Ergo, Fides non est conditio in eligendo prærequisita; sed potius fructus & effectus Electionis.

VII. Idem comprobatur ex Remonstrantium hypothesi, licet falsa: Dicunt enim illi in Collat. Hag. Decretum generale, quo Deus statuit in Christum perseveranter credentes salvare, esse unicum, totum, & integrū decretum electionis ad salutem. At Fides est consequens, effectum, & fructus decreti illius generalioris de salvandis fidelibus, inquiunt ijdem Remonstrantes in scripto advers. Walach. pag. 44. Ergo Fides est consequens, effectum, & fructus decreti electionis ad salutem.

Atque hæc de duabus Remonstrantium circa primum Articulum assertionibus falsis, quas in Collat. Hag. propugnare conati fuerant.

Reliqua ipsorum scripta tam publica quam privata si evolvantur, multo plura occurrent in iis de Prædestinatione utraque tam ad salutem quam ad exitium dogmata, & à S. Literis, ac Reformatarum Ecclesiarum ex iis hausta doctrina orthodoxa discrepantia, & secum etiam pugnantia. Quod ut manifestum fiat, ordine considerabimus,

1. Quid de Prædestinatione ad salutem seu Electione in dictis suis scriptis tradant.

2. Quid de Prædestinatione ad exitium seu Reprobatione doceant.

Heterodoxæ Remonstrantium assertiones de Electione, præter duas superius dictas, & in Coll. Hag. pro virili propugnatas, quatuor potissimum in ipsorum scriptis occurrunt. Prima est: Electionem ad salutem non esse unicam sed multiplicem, Generalem (quam & indefinitam quidam ipsorum appellant) qua Deus statuit in genere omnes in Christum perseveranter credentes salvare: & Particularem seu Singularem (quam & Definitam vocant) qua statuit hunc, illum, istum, videlicet Petrum, Paulum, Iohannem, quos prævidit credituros, servare: Et hanc iterum esse duplicem, incompletam & non-peremptoriam, quæ interrumpi & revocari, seu irrita fieri possit, ut cum quis vera & salvifica fide præditus, adeoq; vere justificatus, & per Spiritum S. renovatus, fidem & Spiritum S. penitus amittit, & in illa ἀποστασίᾳ finaliter persistit, inq; ea moritur: & completam seu peremptoriam, quæ in fide

in fide vera & salvifica perseverantium, inque ea morientium, adeoque immutabilis & irrevocabilis est.

Huic assertioni contraria est Reformatarum Ecclesiarum è Sacris literis hausta doctrina; Electionem videlicet ad vitam æternam esse unicam tantum: nimirum (ut supra diximus) propositum Dei pro beneplacito voluntatis suæ ex mera gratia, certarum & singularium quarundam personarum è genere humano lapso miserendi, easque è communi miseria peccati & damnationis liberandi, æternumque beandi, idq; per certa & ordinata ad eam rem media, videlicet Christi mediatoris satisfactionem, veram in ipsum Fidem & Sp. Sancti renovationem, inq; vera fide & sanctimonia ad finem usq; vitæ perseverantiam, quæ media efficaciter electis suis ipse conferre, eosque per illa ad salutem æternam, ut finem intentum, certo & inevitabiliter perducere velit, adeo, ut omnes qui ad vitam æternam electi sunt, complete ad eam electi sint ab æterno, & per media illa ad eam etiam in tempore necessario & infallibiliter perducantur.

Rationes quibus falsa Remonstrantium assertio impugnatur, &, quæ ei contraria est, vera Reformatarum Ecclesiarum sententia confirmatur, sunt sequentes.

I. Scriptura Sacra unius tantum Electionis ad vitam æternam meminit, videlicet eius, quæ à nobis supra descripta, & quoad omnia sua membra, testimonijs divinarum literarum probata fuit, quæque & destinationem ad finem, hoc est, vitam æternam (quæ dici solet Electio ad gloriam) & ordinationem ad media, hoc est, fidem in Christum, iustificationem, sanctificationem, & perseverantiam finalem (quæ vocari solet Electio ad gratiam) complectitur. Atque hæc Electio non est indefinita quorundam (quicunque tandem illi sint,) sed definita certorum & singularium hominum, huius, illius, istius, quorum omnium numerus Deo notus est, ut supra probavimus. Neque est incompleta sed completa & perfecta, inde ab æterno ante iacta mundi fundamenta facta, licet executioni mandetur per distinctos gradus & media, per quæ Deus electos suos ad salutem æternã perducit. Videatur caput 9. Rom. & Ephes. 1. quibus duobus locis doctrina de Prædestinatione ex professo tractatur.

II. Nulla Dei actio immanens potest dici incompleta: Ratio, quia actiones Dei immanentes sunt individuæ, imo sunt ipse Deus, qui est perfectissimus. Electio ad salutem est actio Dei immanens, videlicet propositum vel decretum eius, de certorum & singularium quorundam hominum salute æterna. Vnde etiam facta dicitur electio ab æterno ante iacta mundi fundamenta Ephes. 1. 4. Ergo.

Nec est, ut Remonstrantes dicant, se per Electionem intelligere actualem segregationem à reliqua hominum turba, & vocationem ad participationem bonorum Evangelij; ipsamque adeo Iustificationem & Sanctificationem, quæ omnia fiant in tempore. Nam 1. vocabulum Electionis, cum de electione ad æternam salutem sermo est, in Sacris literis accipitur pro decreto æterno, singulares & certos quosdam homines salvandi per certa media: Quod Decretum Dei imperfectum & incompletum nulla ratione dici potest. 2. Segregatio videlicet illa à reliqua hominum turba, & vocatio ad participationem Evangelij, fidei donatio, iustificatio, sanctificatio, quæ fiunt in tempore, non sunt æternum decretum electionis, sed media, per quæ Deus electionem exequitur, & electos suos in tempore ad intentum & propositum finem; videlicet ad vitam æternam perducit: quemadmodum ex aurea salutis catena, Rom. 8. 29. 30. alijsque supra à nobis allegatis Scripturæ dictis apparet.

Confusio itaque hæc Electionis, quæ facta est ab æterno, & executionis eiusdem, quæ fit in tempore, est prorsus ἀθεόλογος.

III. Hanc ipsam Remonstrantium assertionem de Electione incompleta, solidè convellunt ea Scripturæ dicta, quæ docet, Media Electionis propria (per quæ Deus Electos suos ad salutem æternam, ut finem intentum, deducit) & cum electione & salute, ut fine intento, & inter se necessario cohærere, ita ut ijs, qui ad salutem æternam electi sunt, necessario etiam media illa omnia conferantur, ipsaq; etiam salus æterna obtingat; & vicissim, quibus media illa conferuntur, ij ad salutem

æternam certo sint Electi, & ad eam infallibiter perducendi. Sic enim D. Paulus Rom. 8. 29. 30. *Quos præcognovit*, scilicet Deus, *eos etiam prædestinavit conformandos imagini Filij sui, ut is sit primogenitus inter multos fratres. Quos vero prædestinavit, eos etiam vocavit: quos autem vocavit, eos etiam iustificavit: quos autem iustificavit, eos etiam glorificavit.* Quibus verbis D. Apostolus media salutis, vocationem efficacem seu fidei donationem, iustificationem & sanctificationem (quæ vel sub iustificatione, vel sub glorificatione comprehenditur) & inter se, & cum Prædestinatione ad salutem, & denique etiam cum ipsa salute, quæ glorificationis vocabulo signatur, connectit. Vnde liquido constat, eos, qui prædestinati sunt ad salutem, necessario quoque vocari, scilicet efficaciter, seu fide donari, iustificari, glorificari; & qui efficaciter vocantur seu fide donantur, necessario quoque iustificari, & qui iustificantur, necessario quoque glorificari, id est, sanctificari & æternum salvari. Falsum igitur est, in Christum credentes & iustificatos, esse quidem electos, sed incomplete & revocabiliter: tum demum vero, cum in fide moriuntur, complete & irrevocabiliter eligi ad vitam æternam.

IV. Atque hoc ipsum etiam ex illis Scripturæ testimonijs satis evidenter apparet, quæ electos totaliter & finaliter in errores fundamentum evertentes seduci, & è manu Dei eripi posse negant, Matth. 24. 24. *Excitabuntur Pseudochristi & Pseudoprophetæ, & edent signa magna & miracula; ita ut seducant (si fieri possit) etiam electos.* Ioh. 10. 28. 29. *Oves meas nemo rapiet è manu mea. Pater ille meus, qui mihi dedit eas, maior omnibus est: Neque quisquam poterit eas eripere è manu Patris mei.* Quæ Scripturæ testimonia non de ijs, qui in fide perseverarunt, & in ea mortui sunt (quos Remonstrantes complete, adeoque immutabiliter & irrevocabiliter electos esse dicunt) sed de ijs, qui adhuc in his terris vivunt, credentibus (quos incomplete electos vocant) intelligenda esse, luce meridiana clarius apparet. Loquitur enim Christus de ijs electis, qui in his terris signa & miracula Pseudochristorum & Pseudo-prophetarum vident, & de illis ovibus, quæ vocem ipsius in Ecclesia militante audiunt, ipsumque sequuntur, quibus se vitam æternam daturum promittit. Ex quibus omnibus concluditur, nullam dari Electionem incompletam, sed esse eam unicam, completam & μονοειδῆ, ita ut electi à Deo ab æterno infallibiter ad salutem per certa & ordinata media perducantur.

Secunda Remonstrantium heterodoxa de Electione assertio, quæ à proxima superiori pendet, & ex ea fluit, hæc est: Dari aliquam electionem mutabilem & revocabilem, scilicet eorum, qui vere quidem in Christum credunt, adeoq; etiam iustificati sunt, attamen à fide iterum deficiunt, & in apostasia moriuntur. Contra, Ecclesiæ Reformatæ docent, Electionem ad vitam æternam esse immutabilem & irrevocabilem, adeo, ut omnes, quotquot ad vitam æternam electi sunt, & soli (non plures nec pauciores) salventur æternum.

Assertionis huius Remonstrantium falsitas, & contrariæ Reformatarum Ecclesiarum Sententiæ veritas, tum ex superius allatis argumentis, quibus electio incompleta refutata fuit, tum vero etiam ex sequentibus elucescit.

I. Scriptura Sacra testatur, Electionis fundamentum esse firmum, solidum, & immotum, ita, ut à salute æterna deficere non possint illi, quos Deus ad salutem æternam ante iacta mundi fundamenta ordinavit, 2. Tim. 2. 19. *Firmum stat Dei fundamentum, habens sigillum hoc: Dominus novit, qui sunt sui.* Rom. 8. 33, 34, 35, 36, 37, 38, 39. *Quis intentabit crimina adversus electos Dei? Deus est, qui iustificat.* &c. *Quis nos separabit à charitate Christi? Num afflictio? num angustia? Imo in his omnibus amplius quam victores sumus, per ipsum, qui dilexit nos. Nam mihi persuasum est, neque mortem, neque vitam, neque Angelos, neque principatus, neque potestates, neque præsentia, neque futura, neque sublimitatem, neque profunditatem, neque ullam rem aliam conditam, posse nos separare à charitate Dei, quæ est in Iesu Christo Domino nostro.* Rom. 9. 11. *Vt propositum Dei, quod est secundum Electionem, firmum maneret.* Rom. 11. 29. *Dona & vocatio Dei eiusmodi sunt, ut ipsorum ipsum pœnitere non possit.* Electio itaque non est mutabilis & revocabilis, sed immutabilis & irrevocabilis.

II. Ipsa

II. Ipsa Dei immutabilitas hoc evincit necessario. Vt enim Deus immutabilis est natura & essentia sua, ita etiam immutabilis est voluntate, adeoque fieri non potest, ut consilium ipsius mutetur. Esai. 46. 10. *Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet.* Psalm. 33. 11. *Consilium Iehovæ in seculum consistit.* Malach. 3. 6. *Ego Iehova, & non mutor: Ideo vos filij Iacobi non consumpti estis.*

Quoscunq; igitur Deus ab æterno decrevit è communi peccati & damnationis miseria eripere, fide in Christum donare, & per fidem justificare, æternumque salvare, eos etiam inevitabiliter & necessario è miseria illa liberat, fide donat, justificat, & salvat.

III. Ipsæ Remonstrantium hypotheses hanc ipsorum assertionem convellunt. In Thesibus namque exhibitis (quibus dubio procul suam de Prædestinatione sententiam perfecte proposuerunt) mentionem faciunt tantum duorum Decretorum; quæ quidem ipsi nomine Prædestinationis ad salutem seu Electionis hactenus indigitarunt. 1. Decreti Generalis, quo Deus statuit salvare omnes in Christum perseveranter credituros, Thesi 5. 2. Electionis peremptoriæ, (ut nove loquuntur,) qua Deus statuit singulares personas, quas prævidit in Christum perseveranter credituras æternum salvare, Thesi 7. Præter hæc duo decreta, nullam aliam in Thesibus suis posuerunt Electionem ad vitam æternam. At neutrum horum decretorum est Electio revocabilis & mutabilis. Non primum: Deus enim hoc suum decretum de salvandis in Christum perseveranter credituris, neutiquam revocat, sed firmum & immotum illud manet, si vel maxime nemo in Christum credat & salvetur.

Non secundum: hoc enim decretum de salvandis personis singularibus, cum secundum Remonstrantium sententiam pro objecto habeat hominem in fide perseverantem, inque ea morientem vel mortuum, revocari & mutari nulla ratione poterit: nisi eos, qui jam tum æternam beatitudinem ipso actu consecuti sunt, iterum ea privari, & è statu beatorum in æternam damnationem præcipitari posse asseratur. Nulla itaq; datur ad vitam æternã electio mutabilis & revocabilis.

Tertia Remonstrantium assertio heterodoxa, quæ extra Coll. Hag. in aliis ipsorum scriptis occurrit, hæc est: Christus est causa meritoria Electionis, ita quidem, ut quemadmodum nemo justificatur, nisi per & propter satisfactionem & meritum Christi vera fide apprehensum, ita etiam nemo dicatur electus, nisi per idem Christi meritum vera fide apprehensum.

Contra Ecclesiæ Reformatæ docent, Christum esse electionis (non decernendæ, sed exequendæ) medium, & quidem στερωμαλικὸν, id est, primum ac præcipuum, cui reliqua omnia media, puta fides, justificatio, sanctificatio, ipsaq; etiam salus innitantur, ita quidem, ut decretum de Christo mittendo, & in ignominiosam crucis mortem tradendo, ordine sit posterius decreto Electionis seu Electione.

Rationes, quibus hæc falsa Remonstrantium assertio impugnatur, & orthodoxa Reformatarum Ecclesiarum sententia stabilitur, sunt sequentes:

I. Scriptura sacra missionem Filij Dei & ejus in mortem traditionem, ipsiusque etiam Christi spontaneam passionem & mortem deducit ex amore Dei Patris, ipsiusq; Filij singulari erga electos seu Ecclesiam, tanquam effectum ex sua causa. Ita enim Christus Ioh. 3. 16. ait: *Sic*, id est, tam ardenter, *Deus dilexit Mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* 1. Iohan. 4. 9. *Per hoc manifesta facta est charitas Dei in nos, quod Filium illum suum unigenitum misit Deus in mundum, ut nos vivamus per eum.* Rom. 5. 8. *Commendat suam erga nos charitatem Deus, quod cum adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus sit.* Iohan. 15. 13. *Majorem charitatem nullus habet, quam istam, ut quispiam animam suam deponat pro amicis suis.* Ephes. 5. 25. *Christus dilexit Ecclesiam suam, & semetipsum exponit pro ea.* 1. Iohan. 3. 16. *Per hoc novimus charitatem eius, quod ille animam suam pro nobis deposuit.* Quibus verbis Scriptura ineffabilem Dei Patris amorem erga electos suos prædicat, eumque ex missione Filij, ejusque in mortem traditione tanquam ex effectu clare illuxisse testatur, secus quam Remonstrantes volunt, qui in declaratione sententiæ suæ exhibitæ negant, Dei misericordiam in actum exire, priusquam justitiæ ipsius satisfiat. Quasi scilicet hoc non sit, Dei erga nos misericordiam in actum prodire, quod Filio suo unico non peper-

cerit, sed eum pro nobis omnibus tradit, Rom.8.32. Hic vero Dei amor singularis nihil est aliud, quam benevolus voluntatis ipsius affectus, secundum quem noluit totum genus humanum in peccato æternaque maledictione & damnatione relinquere (quod facere jure poterat) sed certorum & singularium quorundam è lapso genere humano, pro liberrimo suo beneplacito, misereri, eosque Christo redimendos tradere, decrevit. Ergo missio Christi, eiusque in mortem traditio, non est prior, sed posterior decreto Electionis.

II. Idem liquido apparet Ephes.1.4. ubi D. Apostolus Electionem, ut fundamentum omnium benedictionum spiritualium, primo loco ponit, vers.4.& redemptionem per Christum factam, demum electioni subjungit, ut medium executioni ejusdem inserviens, vers.7. Est igitur Electio prior, redemptio per Christum facta posterior.

III. Ex Hypothesi Remonstrantium, licet falsa, beneficia, quæ Christus fuit promeritus, pariter ad omnes & singulos homines, nullo excepto, pertinent. Electio ad salutem, non ad omnes & singulos homines pertinet. Sunt enim multi vocati, pauci vero electi, Matth.20.16. & 22.14. Ergo Christus Electionem nostri ad salutem non fuit promeritus.

Quarta Remonstrantium assertio heterodoxa hæc est: Neminem, quamdiu in hoc mundo vivit, sine speciali Dei revelatione (puta extra verbum Euangelij patefactum) certum esse posse de Electione sui ad vitam æternam. Contra Ecclesiæ Reformatæ ex Verbo Dei docent; ut maxime à priori, videlicet scrutatione arcani consilij Dei, sine revelatione verbi & Spiritus, à nemine cognosci possit, an sit ex electorum numero, posse tamen nihilominus omnes & singulos credentes certos esse de sui ad vitam æternam electione, à posteriori, id est, ex revelatione Verbi & testimonio interno Spiritus sancti in ipsis habitantis, & ex effectis seu fructibus electionis, quos credentes in se deprehendunt.

I. Nam. Quicunque certus esse potest de sui vocatione efficace, fide in Christum, justificatione & sanctificatione, is certus etiam esse potest de sui ad vitam æternam electione. Ratio est: Quia vocatio efficax, fides in Christum, justificatio & sanctificatio, & inter se, & cum electione necessario cohærent. Rom.8.29,30. Actor.13.48. Ephes.1.4.

At quilibet vere fidelis certus esse potest de sui vocatione efficace, fide in Christum, justificatione, sanctificatione, 2.Cor.13.5. Ergo,&c.

II. Idipsum Scriptura testatur, cum dicit, *credentes habere vitam æternam*. Ioh. 3.36. *A morte ad vitam transiisse*. Ioh.5.24. *E morte ad vitam translatos esse*. 1.Ioh. 3.14. Insuperque addit, *ipsos scire, quod vitam æternam habeant*. 1.Ioh.5.13. Quicunque vero vitam æternam habet, à morte ad vitam transiit, ex morte in vitam translatus est, & hoc ipsum scit, is de sua ad vitam æternam electione certus esse potest. Nec enim quisquã vitam æternam habet, nisi qui ab æterno ad eã prædestinatus est.

III. Atque hanc certitudinem D. Apostolus Rom. 8. à vers. 31. ad finem capitis, non solum de se, verum etiam de omnibus electis prædicat. Locus insignis est, qui vel solus refutandæ huic Remonstrantium assertioni suffecerit.

IV. Pertinent huc etiam ea Scripturæ dicta, quibus credentes dicuntur habere arrhabonem hæreditatis cælestis, Spiritum S. qui ipsos confirmat in Christum. Ephes.1.11.13. 2.Cor.1.22. Et qui testimonium reddit Spiritui nostro, quod simus filij & hæredes Dei, ac cohæredes Domini nostri Iesu Christi, Rom 8.16.

Atque hæc de Remonstrantium falsis assertionibus circa materiam de Electione. Proximum nunc est, ut quid de dogmatis ipsorum circa materiam Reprobationis statuendum, & ex Verbo Dei judicandum sit, aperiamus. Id quod facturi sumus quam brevissime, cum ex iis, quæ de Electione prolixius diximus, facile, quid de Reprobatione sentiendum sit, intelligi queat.

Quod itaque Remonstrantium sententiam de Reprobatione concernit, tres sunt potissimum ipsorum de hac materia assertiones heterodoxæ.

Prima est: Deum non decrevisse ab æterno, pro libera sua voluntate, ad demonstrationem suæ justitiæ, quosdam è genere humano lapso, in peccatis & miseria relinquere, mediaque ad fidem & conversionem necessaria, iis non conferre. Contra Ecclesiç Reformatæ ex divinis Literis docẽt, Deum decrevisse ab æterno ex genere humano

humano lapso (quod totum, nemine excepto, iure merito in miseria sua, in quam se sponte sua præcipitaverat, relinquere, & ob peccatum damnare poterat) quosdam pro suo beneplacito in lapsu & miseria relinquere, & media ad fidem & conversionem, ipsamque etiam salutem obtinendam necessaria eis non conferre, sed eos propter sua peccata, in quæ lapsi erant, æternum damnare: idque hoc fine, ut, quemadmodum in electis gloriam misericordiæ suæ ostendit, ita in his gloriam iustitiæ suæ peccata vindicantis declaret.

Reformatarum Ecclesiarum sententiam veram; & contrariam Remonstrantium assertionem falsam esse, ex seqq. fit manifestum.

I. Quicquid Deus in tempore facit, id ab æterno facere decrevit. At Deus in tempore quosdam è genere humano lapso derelinquit in sua miseria, nec media ad fidem & conversionem, ipsamque etiam salutem obtinendam, necessaria eis confert; sed potius ob sua peccata eos æternum damnat: idque pro liberrima sua voluntate, ad declarandam suam iustitiam. Ergo.

Minor probatur per sua distincta membra.

1. Deus in tempore quosdam è genere humano lapso derelinquit in miseria. Testatur namq; præter Sacram Scripturam ipsa Experientia, homines quam plurimos in peccatis suis relinqui, inque ijs perire, & propter ea æternum damnari. Vide Matth. 25. 32. 41. 46.

2. Deus media ad fidem & conversionem, ipsamque etiam salutem obtinendam necessaria, quibusdam è genere humano lapso non confert. Semper enim fuerunt quam plurimæ gentes, quibus Verbum Dei, sine quo fides & salus obtineri non potest, prædicatum non fuit. Psalm. 147. 20. Actor. 14. 16. Et 16. 6. 7. 9. Et inter eos, quibus Evangelium annunciatur, quique illud externe auribus suis corporeis audiunt, semper reperiuntur plurimi, quibus Deus non aperit cor & intelligentiam, & in quibus fidem non operatur. Vide Matth. 13. 11. Luc. 8. 10. Ioh. 12. 39. Esai 6. 9. Actor. 28. 26. 27. 2. Thess. 2. 2.

3. Deus hoc facit pro liberrima sua voluntate, seu pro suo beneplacito. Sic enim ipse Christus causam, cur Evangelium quibusdam non reveletur, transfert ad Dei Patris *εὐδοκίαν*, Matt. 11. 25. 26. Vide etiam Rom. 9. 11. 12. 13. 17. & 18. Eph. 1 11.

4. Deus hoc facit ad declarandam suam iustitiam. Hanc enim causam finalem affert D. Apostolus Rom. 9. 22.

II. Eandem Reprobationis doctrinam Scriptura S. tradit, cum dicit, *iam olim*, id est, ab æterno, *quosdam ad damnationem esse descriptos*, Iudæ vers. 3. *ad iram positos*, 1. Thes. 5. 9. *adaptatos ad interitum*, Rom. 9. 22. *factos à Deo ad diem malum*, Proverb. 16. 4.

III. Idem apparet ex doctrina Electionis, quæ Reprobationi est contraria. Si enim Deus ab æterno quosdam tantum ex genere humano lapso, ad vitam æternam elegit, eosdemque decrevit è miseria sua per Christum Mediatorem liberare, fide in ipsum donare, & per illam ipsam fidem iustificare, Sp. suo Sancto renovare, tandemque etiam glorificare; consequitur necessario; Deum reliquos omnes è genere humano lapso, quos in electione præterijt, statuisse in lapsu & miseria sua relinquere, nec media eis ad fidem & conversionem, ipsamque æternam salutem necessaria, conferre. At prius est verum, ut supra à nobis probatum fuit: Ergo & posterius.

Secunda Remonstrantium assertio falsa de Reprobatione, hæc est: Causa meritoria Reprobationis, seu cur Deus quibusdam è genere humano lapso ab æterno electis, reliquos reprobaverit, esse horum impœnitentiam & incredulitatem finalem; seu, quod Deus prævidit, eos non acturos pœnitentiam, nec credituros in Christum, & in ista sua impœnitentia & incredulitate ad finem usque vitæ suæ, perseveraturos.

Contra, Ecclesiæ Reformatæ docent: Causam, cur Deus, quibusdam gratiose electis, reliquos præterierit, non esse eorum impœnitentiam & incredulitatem, sed solam Dei *εὐδοκίαν*; licet interim peccata, tum originale, tum actualia, ipsaque etiam incredulitas vera causa sint, ob quam Deus decreverit Reprobos æternis corporis & animæ supplicijs afficere, & vere etiam in tempore afficiat. Accurate enim Theologi Reformatarũ Ecclesiarum distinguendum cẽsent inter duos Reprobationis actus, quorum prior est negativus, vid. propositum Dei non miserendi, seu præter-

prætereundi: posterior vero est affirmativus, vid. propositum damnandi, & ordinatio ad exitium, ut justam pœnam.

Prioris actus, solam causam dicunt esse Patris εὐδοκίαν; posterioris, causam dicunt esse, partim in Dei voluntate, partim vero etiam in peccatis Reproborum, tam originali, quam actualibus. Sententiæ Ecclesiarum Reformatarum veritas, & contrariæ Remonstrantium assertionis falsitas, ex seqq. apparebit.

Impœnitentiam & incredulitatem finalem, non esse causam præteritionis quorundam in electione, seu, cur Deus, quibusdam electis, reliquos præterierit, sequentia docere poterunt argumenta.

I. Si impœnitentia & incredulitas est causa, cur Deus è lapso genere humano quosdam præterierit, seu quorundam non-misereri decreverit: omnes omnino homines, nullo excepto, fuissent prætereundi: Ratio est; quia omnes omnino homines in peccatum prolapsi; in Dei præscientia, ex se, & in se, fuerunt pari prorsus conditione, ita, ut ex viribus naturalibus è lapsu resurgere, pœnitentiam agere, & in Christum credere, haud potuerint: Sola vero Dei gratia inter eos fecit discrimē, dum ipse constituit, quosdam ex iis convertere, fide in Christum donare, inque ea conservare. At consequens est absurdum. Ergo & antecedens.

Divus Apostolus Rom. 9. 11. 12. 13. inquit; *Nondum natis pueris, cum nihil fecissent boni vel mali, ut propositum Dei, quod est secundum ipsius electionem*, id est, *non ex operibus, sed ex vocante, firmum maneret, dictum est ei, Major serviet minori, sicut scriptum est, Iacob dilexi, Esavum autem odio habui.* Quibus verbis D. Apostolus, non tantum à dilectione seu electione Iacobi bona opera, verum etiam ab odio, seu Reprobatione Esaui, mala ipsius opera excludit. Peccata vero, tam originale, quam actualia, adeoque ipsam etiam impœnitentiam & incredulitatem esse causam, cur Deus reprobos destinaverit ad exitium æternum, ex sequentibus liquet.

I. Propter quod Deus in tempore aliquos damnat, propter id etiam eosdem ad damnationem ab æterno destinavit. Nec enim justus judex aliam decernendæ, aliam exequendæ in reum justæ pœnæ, sed eandem utriusq; causam habet. At Deus propter peccata, tum originale, tum actualia, in tempore aliquos damnat, teste universa Scriptura sacra. Ergo, &c.

II. Ad justam pœnam nemo ordinatur, nisi propter peccata. At exitium æternum, seu mors & damnatio æterna est justa pœna. Ergo, reprobi ad eam non ordinantur, nisi propter peccata.

III. Idem arguit vocabulum IRÆ, quo D. Apostol. Rom. 9. 22. in materia Reprobationis utitur, inquiens: *Quod si vero volens ostendere* IRAM *& notam facere potentiam suam, pertulit multa lenitate vasa* IRÆ, *compacta ad interitum.* Ira enim Dei semper respicit peccatum. Rom. 1. 18. *Manifestatur ira Dei è cœlo adversus omnem impietatem & injustitiam hominum.*

Tertia Remonstrantium assertio falsa, circa doctrinam Reprobationis, hæc est: Causa, cur Deus quibusdam per Euangelij prædicationem vocatis, aliis illud non curat annunciandū, non est absoluta & liberrima Dei voluntas seu beneplacitum, sed ipsorum hominum, quos Euangelij prædicatione præterit, indignitas. Contra Ecclesiæ Reformatæ docent: Causam, cur Deus Euangelium, cujus prædicatione quosdam gratiose dignatur, aliis non item annunciandum curet, esse Dei εὐδοκίαν & beneplacitum: quanquam interim non negant, Deum quandoque in subtractione verbi sui, etiam respicere ad hominum ingratitudinem & peccata.

Sententiæ nostræ veritas, & contrariæ Remonstrantium assertionis falsitas ex sequentibus patet:

I. Ipse Christus Matth. 11. 25. 26. inquit: *Gratias tibi ago, Pater, Domine cœli & terræ, quod hæc mysteria* (Euangelij) *absconderis à sapientibus & intelligentibus, & ea manifestaris infantibus: Etiam, Pater, quia ita placuit tibi.*

II. Idem probatur exinde, quod Deus sæpenumero ingratissimo populo, verbum suum curavit prædicandum, prȩteritis aliis, qui, si verbum Dei habuissent, eo (quantum ad causas secundas) flecti potuissent ad pœnitentiā, vide Ezech. 3. 5. Matth. 11. 21.

III. Si Deus ad nostram respicere velit dignitatem vel indignitatem, quoad hanc prædicationis Verbi sui gratiam; nemini mortalium ea contingeret. Omnes enim ex nobis ipsis tanta gratia sumus indigni. Atq; hinc est, quod Scriptura sacra

causam

causam hujus discriminis, quod Deus quibusdam Verbum suum manifestavit, reliquis præteritis, referat ad solum Dei amorem, gratiam & misericordiam, qua unum populum præ alio secundum beneplacitum suum fuit complexus. Vide insignem locum Deutr. 7. 6. 7. 8. Psalm. 147. 19, 20.

Atque hæc breviter etiam de iis, quæ Remonstrantes circa Reprobationis doctrinam asserunt, dicta sunto.

De Prædestinatione

Sententia

HELVETIORUM.

I.

DEus æterno & immutabili decreto, secundum liberrimum, merum & gratuitum voluntatis suæ beneplacitum, certos quosdam homines è communi miseria per Christum liberandos, ad vitam æternam elegit, reliquos in exitio sponte attracto relinquere, & justo judicio propter peccata damnare statuit, ut notas faceret supereminentes illas opes gratiæ suæ erga vasa misericordiæ suæ, quæ præparavit ad gloriam; potentiæ item atque justissimæ iræ suæ erga vasa iræ, quæ coagmentata sunt ad interitum.

II.

Tametsi verissimum sit, Deum fideles perseverantes salvare, infideles contra & converti nescios in peccatis relinquere velle, tamen his verbis exprimi Prædestinationis decretum totum & plene, negamus. Omittitur enim causa prædestinationis suprema & unica, εὐδοκία videlicet, sive Dei liberrima illa voluntas; Personas item electas certas & per fidem certo salvandas non attingit. Denique, quia verba hæc; fideles & infideles, credentes & non credentes, sunt ambigua; Etenim modo de fide prævisa, ut conditione electionis antecedanea; modo, de fide, ut fructu electionem consequente, explicantur.

III.

Præter εὐδοκίαν, sive liberrimam, & in intima Dei erga nos dilectione fundatam voluntatem illam, causam electionis aliam agnoscimus nullam, sed hanc humillime veneramur, ceu unicam, supremam, causas alias omnes antegredientem, ut nemo dicere possit, cur sic agat Deus, & non aliter: cur placuerit huic gratis donare fidem, alium in cæcitate natura & sponte attracta relinquere. De electis enim, quod Deus eos prædestinaverit, quos adoptaret in filios per Iesum Christum in sese pro benevolo affectu voluntatis suæ, testatur Paulus. De reprobis, & occultandis ab ipsorum notitia regni mysteriis, quod Patri ita placuerit, pronunciat Dominus. De utrisque tandem dicitur: *Cujus vult miseretur; & quem vult, indurat.*

IV.

Christum Mediatorem, quem ex suprema sua & ineffabili dilectione Deus mundo dare decrevit, electionis exequendæ fundamentum sic esse credimus, ut benedictiones spirituales, cujusmodi est adoptio, efficax vocatio, justificatio, sanctificatio, glorificatio, ad electos redundent nullæ, nisi per Christum & propter Christum, extra quem nulla est salus, in quo nulla damnatio. Atque hoc sensu in Christo dicimur electi, quod Christo nos dederit Pater, per Christum redimen-

redimendos, per fidem Iesu justificandos, tandem per Christum & cum Christo glorificandos. Etsi autem electio respectum habeat ad Christum Mediatorem, in quo omnes ad salutem & gratiam eligimur, tamen nos elegit Deus, non velut existentes in illo priusquam eligeremur, sed elegit ut essemus in illo, perque eum servaremur.

V.

Fidem, fidei obedientiam, & in utraque perseverantiam, tanquam causam aut conditionem postulatam à Deo ab homine præstitam, in mente Dei eligentis præcessisse, Deumque ad electionis decretum movisse; aut propter hanc fidem prævisam, hunc illo electione digniorem vel indigniorem fuisse, negamus. Contra vero fidem, resipiscentiam, justificationem, sanctificationem, quæ homini ante finem vitæ obveniunt, electionis gratuitæ & liberæ fructus esse docemus, ita quidem, ut non aliter Deus quenquam elegerit, quam ut eundem per fidem Iesu Christi, veluti per medium subordinatum, ad gloriam immutabiliter atque infallibiliter perduceret. Neque enim Deus elegit, quod sciret credituros, sed elegit, ut crederent. Nec quicquam boni Deus in homine prævidit, nisi quod bonus ipse misero dare decrevit. Consequitur perseverans & viva fides electionem, infidelitas reprobationem: illa misericorditer & efficienter, hæc juste & permittenter, utraque ineffabiliter & sapienter.

VI.

Tametsi in homine aliquo aut integra aliqua gente, mala latere multa nimis, Deoque judiciorum suorum omnium cum universalium tum singularium causas & justas & certas in homine etiam ipso, aut gente ipsa, patere plurimas non inficiamur; cur tamen Deus hunc præ illo, aut hanc gentem præ illa per Euangelium vocet, vel non vocet; cur indicaverit verbum suum Iacobo, statuta & jura sua Israeli, nec ita fecerit ulli genti, quin-etiam ætatibus præteritis suis ipsarum viis incedere siverit omnes gentes, latenti alicui malitiæ, ceu causæ, propter quam alius præ alio Euangelij prædicatione sit dignus vel indignus, tribuere non possumus. Neque meliorem communioris gratiæ usum, nisi eum, qui fluit ex ipsa gratia, agnoscimus. Sumus enim natura filij iræ omnes, sicut reliqui: & sola nos distinguit indebita gratia. Et vero, quænam erit aut esse potest in homine vel gente durities tanta, tantaque malignitas, quæ ab incomprehensibili & exundantissima gratia illa regi aut frangi non possit, si velit misereri Deus? Deus utique, qui misericordia dives est, vocavit eos, quorum guttur, lingua, labium, os, pedes, via, omnia denique erant longe miserrima, quemadmodum Paulus criminatur Iudæos & Græcos. Vocavit Deus, abluit, justificavit, sanctificavit flagitiosissimos, quales Corinthiorum nonnullos fuisse, Apostolus idem testatur. Verissimum enim est illud Pauli: *ubi & amplificatum peccatum, ibi superabundavit gratia.*

VII.

Quemadmodum fuit præcognitus ante jacta mundi fundamenta Mediator, non indefinitus aliquis, qui forte fortuna occurreret, sed singularis & certus, Dominus noster Iesus Christus; ita Deum certos & singulares homines, hunc videlicet & illum, elegisse credimus. Dilexit utique nominatim Iacobum, segregavit ab utero Paulum. Et ut quisque fidelium vere dicere potest: *Vivo ego per fidem Filij Dei, qui dilexit me, & semetipsum tradidit pro me; sic quoque vere dicere potest, Deus elegit me.*

VIII. Infan-

VIII.

Infantium, non minus quam adultorum electionem & reprobationem esse, adversus Deum, qui nondum natos amat misericorditer, & odit inculpabiliter, negare non possumus. Ad infantes autem fidelium quod attinet, cum Deus vi fœderis gratuiti ipsorum sit Deus; illosque ex parente fideli, altero saltem, sanctos appellet Paulus; & eosdem renunciet regni cælestis hæredes, cælorum Dominus; si moriantur in infantia ante annos discretionis, optime de illis speramus: Nec dubitamus infantium talium Angelos, ministratorios illos & tenellæ ætatis illius amantissimos spiritus, quibus faciem suam Deus nunquam non exhibet, propter hos ipsos emitti vel maxime, suoque officio promptissime fungi.

IX.

Electionem aliam generalem, universalem, indefinitam: similiter completam & incompletam, peremptoriam, & non peremptoriam, revocabilem & irrevocabilem, velut temerariæ curiositatis audax inventum, dicimus Deo ignominiosum, & inimicum consolationi fidelium esse. Illud quidem, quia Dei præstitutum, quod secundum electionem est, manet firmum, neque Deum vocationis donorumque pœnitet: hoc vero, quia prædestinatos nos esse lætamur secundum propositum ejus, qui agit omnia ex consilio voluntatis suæ potentis.

X.

Electorum definitus est certúsque numerus, qui nec augeri nec minui, neque ex electo reprobus aut ex reprobo electus fieri potest. *Stat enim*, teste Paulo, *solidum Dei fundamentum, habens sigillum hoc, Novit Deus, qui sunt sui.* Cumque absurdum sit existimare divina consilia moveri casu, aut pilorum passerumve curam Deo majorem esse quam hominum, temerarium quoque est electorum numerum certum negare.

XI.

Deus qui electis suis benedicit benedictione spirituali omni, quos dilexit ante jacta mundi fundamenta inimicos, diligitque reconciliatos per Christum magis, profecto filiis suis jam vocatis, conversis, justificatis & sanctificatis, electionis ipsorum atque futuræ gloriæ sensum gustumque in mortali hac vita non invidet; sed charitatem suam in corda ipsorum large effundit; spiritu adoptionis ipsos de peccatorum remissione, & parta per Christum salute ita certos reddit, ut in hujus vitæ miseriis firmam & inconcussam consolationem habere, imo in afflictionibus etiam sub spe gloriæ Dei gloriari possint. Quia tamen electorum officium est non efferri, aut carnali securitate diffluere; contra potius studere, ut vocationem & electionem suam firmam reddant, suamque operentur cum timore & tremore salutem, sensus illius ac certitudinis mensuram Deus largitur quantam, & quomodo, cum gloriæ suæ, tum ipsis quoque electis expedire optime unus omnium novit.

XII.

Quis decretorum divinorum sit ordo & numerus, quandoquidem viæ Dei non sunt sicut viæ nostræ, & cogitationes Dei non sunt, sicut cogitationes nostræ, nec quisquam ipsi à consilio fuit, nos ista ei uni & soli permittimus, cujus *intelligentiæ*, teste Psalmista, *non est numerus*. Quia tamen prædestinare includit & finem & media ad finem, nos hominem uno eodemque actu primum ad gloriam, deinde ad gratiam; ad salutem nempe & ad vocationem, fidem, justi-

ficationem & sanctificationem esse destinatum credimus. Crediderunt enim quotquot ordinati erant ad vitam æternam.

XIII.

Reprobationem & damnationem ipsi quoque distinguimus. Cur hunc præ illo Deus reprobaverit, extra Dei εὐδοκίαν illam, causam nullam admittimus. *Quem enim vult, indurat.* Cur vero hunc vel illum damnet, propter peccatum fieri, & per offensas reatum in hominem ad damnationem venisse, magistro Apostolo, didicimus. Et revera, ut Deus non damnat nisi propter peccatum, sic damnare non decrevit, nisi propter peccatum.

XIV.

Damnationis causam propriam igitur, & proximam, intra impios ipsos quærere, ecclesias nostræ fidei commissas docemus, peccatum videlicet, sive hæreditarium illud, sive adversus Legem, aut Euangelium prævaricatio sit. Quoties item de causis damnationis facienda est mentio, non tam ad causam supremam & arcanam, justamque Dei voluntatem, quam ad hominis impij peccatum & culpam attendendum esse monemus, ut palam constet, nihil damnatis præter meritum evenire. Deum autem ad peccandum quempiam cogere, vel peccati esse autorem, plane horremus. Nam Deus noster non delectatur ulla injustitia, & odit omnes, qui operam dant iniquitati.

Subscripserant,

Ioh. Iacobus Breitingerus, Tigurinus.
Marcus Rutimejerus, Bernensis.
Sebastianus Beckius, Basiliensis.
VVolfgangus Mayerus, Basiliensis Eccles. administer.
Iohannes Conradus Kochius, Scaphusianus.

Judicium

DE

PRIMO ARTICVLO,

Nomine Orthodoxarum Ecclesiarum Nassovio-VVetteravicarum.

DE ELECTIONE.

Sententia falsa, quæ passim in Belgio est disseminata.

I.

Voluntas Dei, qua vult fideles perseverantes salvare, est totum electionis decretum.

Sententia vera, quæ hactenus in Ecclesiis Belgicis sonuit.

I.

Consilium Dei, quo ab æterno decrevit, quorundam de universitate generis humani miseri pro suo beneplacito misereri, eosque ex statu miseriæ in statum gratiæ translatos fide in Christum donare, indeque in statum gloriæ traducere, ad laudẽ gloriæ gratiæ suæ, est totum electionis decretum. Rom. 8. 29. 30. Eph. 1. 4. 5.

II. Electio-

Digitized by Google

II.

Electionis ad salutem duo sunt actus, non temporis, sed naturæ ordine distincti: unus de fine, alter de mediis. Ioh. 6. 40. Ephes. 1. per totum. Et in his mediis primum obtinet locum Christus mediator, cui Deus electos dedit, ut fide in ipsum gratis servarentur, quotquot servantur. Ephes. 1. 3. 4. Iohan. 3. 16. & seqq.

II.

Quatuor distincta decreta consideranda sunt in electione ad salutem. Primum est, quo Deus decrevit Filium suum piacularem victimam hominibus dare: secundum, quo decrevit credentes salvare: tertium, quo media ad fidem necessaria conferre proposuit: quartum, quo decrevit sigillatim eos salvare, quos in fide ad finem perseveraturos prævidit.

III.

Electio ad salutem est tantum unica, Rom. 9. per totum. Eademque est ratio electionis in V. & N. Testamento, Rom. 9. 11. 16.

III.

Electio ad salutem est indefinita vel definita, generalis vel singularis, & hæc rursus incompleta vel completa: revocabilis vel irrevocabilis, non peremtoria vel peremtoria. Et alia est ratio electionis in Veteri & Novo Testamento.

IV.

Causa impulsiva electionis est purum putum Dei beneplacitum, quo complacuit ipsi dare regnum electis suis, Luc. 12. 32. iisdemque revelare mysteria salutis, Matth. 11. 26. Confer Rom. 9. 10. Ephes. 1. vers. 5.

IV.

Decretum electionis universale, de salvandis fidelibus, est absolutæ voluntatis Dei, illiusque causa impulsiva est solum Dei beneplacitum; sed Decretum electionis singulare, de singularium salute, revera est conditionatum, quippe innixum fidei, tanquam conditioni prævisæ, sine qua non placuit Deo hunc vel illum eligere.

V.

Electio ad salutem est immutabilis. Rom. 9. 11. 2. Tim. 2. 19. ac proinde numerus electorum apud Deum ita est certus, ut nec augeri nec minui possit. Luc. 10. 20. Apoc. 21. 27.

V.

Electio incompleta & non-peremptoria potest interrumpi, atque interdum interrumpitur, ita ut in-complete electi possint fieri reprobi, numerusque illorum augeri & minui.

VI.

Fides per charitatem efficax, est fructus electionis: Deus enim nos elegit, ut essemus sancti & impolluti, Ephes. 1. 4. Confer 1. Iohan. 4. 10. 19. & Ioh. 15. 26.

VI.

Fides, fideique obedientia, est conditio antecedens electionem; quæ, ut gratiosa & Euangelica dignitas, movit Deum ad electionis præmium his præ aliis destinandum.

VII.

Homo electus in hac vita certus esse potest de sui electione: quippe quam ex

VII.

Electionis ad gloriam sensus certus non est in hac vita.

ex testimonio Spiritus sancti, & infallibilibus mediis salutis, puta fide, fidei sensu, fidei lucta cum dubitationibus, spe denique viva & charitate non fucata, per gratiam Spiritus sancti infallibiliter cognoscere potest ac debet.

DE REPROBATIONE.

Sententia falsa, quæ passim in Belgio est disseminata.

I.

Voluntas Dei, qua vult infideles perseverantes sub ira relinquere, est totum Reprobationis decretum.

II.

Reprobationis decretum est universale vel singulare. Illud de infidelibus perseverantibus reprobandis: hoc de singularium hominum damnatione.

III.

Decretum damnationis universale, est absolutum; singulare, condicionatum, quippe innixum infidelitati & perseverantiæ in illa, tanquam conditioni à Deo præscitæ.

IV.

Reprobatio est universalis vel singularis: & hæc incompleta, revocabilis, & non-peremptoria, vel completa, irrevocabilis & peremptoria.

Sententia vera, quæ hactenus in Ecclesiis Belgicis obtinuit.

I.

Consilium Dei, quo ab æterno sapienter, libere & immutabiliter decrevit, quosdam de universitate generis humani miseri non-eligere, & illos juste propter peccatum damnare; est totum Reprobationis decretum. Matth.7.23. Rom.9. 21,22. 1.Thess.5.9. Iud.4. Apocal.17. 8.

II.

Reprobationis actus duo sunt, præteritio sive non-electio singularium hominum, & damnatio, seu præparatio pœnæ. illa in Scripturis dicitur non-inscriptio in librum vitæ, Apocalyps. 17. 8. ista coagmentatio ad interitum, Rom. 9.22.

III.

Causa impulsiva præteritionis est placitum seu voluntas Dei liberrima, Matth. 11. 25, 26. Roman. 9. 11. 18. 21. Damnationis autem causa est respectus certus ad peccatum. Nam quia Deus in tempore non damnat reprobos nisi propter peccatum, ab æterno non nisi propter peccatum illos damnare destinavit. Matth. 25. 41. Roman. 9. 22.

IV.

Reprobatio est unica: eademque ipsius ratio est in Veteri & Novo Testamento, Rom. 9.

V. Quod

V.

Quod Deus homines quosdam præterit gratia prædicationis Euangelij, ejus rei causa est sola Dei voluntas. Deuter. 7.6,7. Matth. 11. 25,26.

V.

Quod Deus homines quosdam Euangelij præconio ad salutis participationem non invitat, solius est beneplaciti, non absoluti, sed talis, quo homines istos ob insigne aliquod peccatum Euangelij sui annunciatione destitui cupit.

COROLLARIVM.

Tametsi Deus ob peccatum originis infantes damnare potest: Christiani tamen parentes de salute suorum infantulorum minime dubitare debent: quia ipsis & liberis ipsorum facta est promissio Genes. 7. 7. Marc. 10. 16. Actor. 2. 39.

Infantium nec electio est, nec reprobatio.

Judicium

DE PRIMO ARTICVLO,

qui est,

DE PRÆDESTINATIONIS DECRETO:

Exhibitum nomine Orthodoxarum Ecclesiarum Nassovio-VVetteravicarum.

DE ELECTIONE.

Sententia vera quæ in Ecclesiis Belgicis hactenus sonuit.

THES. I.

Consilium Dei, quo ab æterno decrevit quorundam de universitate generis humani miseri pro suo beneplacito misereri, eosque ex statu miseriæ in statum gratiæ translatos fide in Christum donare, indeque in statum gloriæ perducere, ad laudem gloriosæ gratiæ suæ, est totum electionis decretum.

Sententia falsa, quæ passim in Belgio est disseminata.

THES. I.

Voluntas Dei, qua vult fideles perseverantes salvare, est totum electionis decretum.

Confirmatio veræ sententiæ.

Augustinus cum alibi, tum in libro de Corrept. & Grat. recte docet, doctrinam de Prædestinatione publice esse proponendam, quod Christus & Apostoli eam prædicarint; quod ea faciat, ut in Deo gloriemur, non autem in nobis; quodque in veritate & pietate contra falsitatem & impietatem fideles muniat. Quæ omnia tum demum consequimur, quando hanc doctrinam proponimus, & sobrie,

& reverenter, & prudenter, & denique plane. Quod postremum non observarunt Remonstrantes, quando voluntatem Dei, qua vult fideles perseverantes servare, dixerunt esse totum electionis decretum. Nam Scriptura aliquid amplius nobis proponit de decreto Electionis: esse nimirum beneplacitum Dei, quo ille decrevit certos quosdam homines ex communi interitu per gratiam exemtos, fideque in Christum donatos, æternum glorificare. Rom. 8. 29,30. Ephes. 1. 4,5,9. Rom. 9. 11. ex quibus locis colligitur, Deum ab æterno decrevisse, certis quibusdam hominibus fidem donare. Quando igitur dicimus, Deum elegisse credentes, exprimimus terminum ad quem; adeoque fidem intelligimus consequenter. E contrario exprimimus terminum à quo, quando dicimus, Deum elegisse nos inimicos suos, adeoque miseros. Quem utrumque terminum Scriptura passim conjungit, quando negotium salutis nostræ nobis ob oculos ponit. vide Roman. 7. 17. 18. Cæterum tale objicitur Deo eligenti humanum genus, quale vocat & justificat, nempe miserabile. Executio siquidem (ut habet Maxima Theologica) est speculum decreti. Et vero misericordia ibi locum habet, ubi miseria. Hinc ipse Deus in hoc argumento dicit; Miserebor, cujus misertus fuero: & commiserabor, quem commiseratus fuero. Rom. 9. 15.

Thesis vera II.

Electionis ad salutem duo sunt actus, non temporis, sed naturæ ordine distincti: unus de fine, alter de mediis: Et in mediis primum locum obtinet Christus Mediator.

Thesis falsa II.

Quatuor distincta decreta in electione ad salutem sunt consideranda. Primum est, quo Deus decrevit Filium suum piacularem victimam hominibus dare: Secundum; quo decrevit credentes salvare: Tertium, quo media ad fidem necessaria conferre proposuit: Quartum, quo decrevit sigillatim eos salvare, quos in fide ad finem perseveraturos prævidit.

Confirmatio veræ Sententiæ.

Actus divini beneplaciti in Deo est simplex: sed quoad nostrum intelligendi modum, duas habet veluti distinctas præordinationes & quasi partes; unam de fine, alteram de mediis. Quam docendi rationem in hoc argumento & natura & Scriptura nobis suppeditat. Natura enim docet, sapientem in omni actione sua & finem sibi præstituere, & media ad finem constituere. Cum igitur Deus sit ipsa sapientia, hosce duos actus in omnibus ejus actionibus ut conjungere, sic quoque distinguere, magnum est operæpretium. Deinde sacra Scriptura hos ipsos actus conjungit in compendio Euangelij, Iohan. 3. 16. & in aurea salutis catena, Roman. 8. quando vitam æternam & fidem, glorificationem & justificationem, seu gloriam & gratiam simul nominat. Porro in mediis istis primum locum obtinet, adeoque reliquorum mediorum fundamentum est Christus mediator, cui Deus electos dedit, ut fide in ipsum servarentur gratis, quotquot servantur, Ephes. 1. 3. 4. Iohan. 3. 16. & seqq. Nimirum in Christo eligimur, ut adoptionem in illo consequamur. Et Deus ideo donat nobis Christum, & nos Christo, quia elegit nos dilectos pro sua gratia. unde liquet seriem decretorum, quam Remonstrantes constituunt, pugnare cum Scriptura, imo etiam cum ipsa natura, quæ docet, remedium esse posterius morbo, naturæ ordine.

Thesis vera III.

Electio ad salutem est tantum unica: eademque est ratio electionis in Veteri & Novo Testamento.

Thesis falsa III.

Electio ad salutem est indefinita & definita, generalis & singularis, & hæc rursus incompleta vel completa, revocabilis

Digitized by Google

cabilis vel irrevocabilis, non peremptoria vel peremtoria. Et alia est ratio Electionis in V. & N. T.

Confirmatio veræ Sententiæ.

Apostolus Rom. 9. & Ephes. 1. unicam duntaxat tradit Electionem, eam nempe, qua Deus ab æterno proposuit in sese, de universitate generis humani miseri, certos aliquos gratiæ & gloriæ suæ participes efficere in Christo, ad laudem suam & salutem ipsorum. Proinde distinctiones electionis à Remonstrantibus confictæ, non conveniunt sapientiæ & immutabilitati Dei. Nam neque sapientis est, temere aliquid sibi proponere: neque constantis, in singula pene momenta mutare suum propositum. Ad Electionem in V. T. quod attinet, illius eadem est ratio, quæ electionis in N. T. cùm eadem sit ratio fœderis gratuiti sub V. & sub N. T. Quotquot enim à principio mundi fuerunt salvi facti, ij omnes per meritum Agni mactati ab origine mundi, perque fidem & Spiritum ipsis efficaciter applicantem λύτρα Christi ἐνέργειαν, servati sunt. Heb. 11. & 13. 8.

Thesis Orthodoxa IV.

Causa impulsiva electionis est putum putum Dei beneplacitum, quo complacuit ipsi dare regnum electis suis, ijsdemque revelare mysteria salutis.

Thesis Heterodoxa IV.

Decretum electionis universale de salvandis fidelibus, est absolutæ voluntatis Dei, illiusq; causa impulsiva est solum Dei beneplacitum. Sed decretum electionis singulare, de singularium salute, revera est conditionatum, utpote nixum conditione fidei prævisæ.

Confirmatio veræ Doctrinæ.

Prævisa fides non potest esse causa electionis: quia electi sumus, ut credamus: non vero credimus, ut eligamur. Ephes. 1. 4. 5. Quæ sententia adeo clara est, ut etiam in Cimmerijs Papatus tenebris, Scholastici tenebriones non potuerint ipsius lucem effugere. Diserte enim docuerunt, amorem communicationis seu benevolentiæ, quo Deus diligit etiam hostes suos, non nisi à Dei voluntate pendere: amorem vero complacentiæ seu concupiscentiæ, præsupponere amabilitatem objecti. Quo pertinet illud, quod de duplici dilectione tradi solet. Nimirum diligimus aliquem vel ut sit bonus, vel quod sit bonus. Deus ab æterno nos dilexit, ut essemus sancti, non quod essemus sancti: & nos eligendo, dignos fecit, non autem dignos invenit. Sola igitur Dei εὐδοκία est electionis causa impellens, juxta illud Christi, Luc. 12. 32. *Ne time parve grex: Nam placuit Patri vestro dare vobis regnum illud.* Vbi verbo εὐδοκεῖν significatur, ex gratuito misericordiæ fonte fluere vitam æternam. Quod ipsum docet Apostolus Rom. 9. 15. 16. Nam Mosi dicit: *Miserebor, cuius misertus fuero; & commiserabor, quem commiseratus fuero.* Nempe igitur *electio non est eius, qui velit; neque eius, qui currat, sed eius qui miseretur, nempe DEI.*

Thesis Orthodoxa V.

Electio ad salutem est immutabilis: ac proinde numerus electorum apud Deum ita certus est, ut nec augeri, nec minui possit.

Thesis Heterodoxa V.

Electio incompleta & non-peremptoria potest interrumpi atque interrumpitur, ita ut incomplete electi possint fieri reprobi, numerusque illorum augeri & minui.

Confirmatio veræ sententiæ.

Adeo firmum est Electionis decretum, ut quam non potest mutari Deus, tam non possit infringi illius decretum de servandis electis. *Dona siquidem Dei sunt ἀμεταμέλητα.* Rom. 11. 29. *& firmum manet propositum Dei, quod est secundum electionem.* Rom. 9. 11. *Solidumque stat fundamentum Dei, habens hoc sigillum, Novit Dominus eos, qui sunt sui.* 2. Tim. 2. 19. Quare cum nomina electorum sint scripta in cœlis Luc. 10. 20. & in libro vitæ Apoc. 21. 27. fieri non potest, ut numerus illorum augeatur vel minuatur.

Thesis Orthodoxa VI.

Fides per charitatem efficax, est fructus electionis.

Thesis Heterodoxa VI.

Fides, fideique obedientia est conditio antecedens electionem, quæ ut gratiosa & evangelica dignitas movit Deũ ad electionis præmium, his præ alijs destinandum.

Confirmatio veræ Sententiæ.

Deus nos elegit, ut essemus sancti & impolluti, Ephes. 1. 4. *Et in hoc est charitas, non quod nos dilexerimus Deum, sed quod ipse dilexerit nos,* 1. Ioh. 4. 10. nosque *diligimus Deum, quoniam ipse prior dilexit nos.* Ibid. vers. 19. Confer hanc Thesin cum superiori quarta.

Thesis Orthodoxa VII.

Homo electus in hac vita certus esse potest de sui electione.

Thesis Heterodoxa VII.

Electionis ad gloriam sensus certus non est in hac vita.

Confirmatio veræ Sententiæ.

Certitudo electionis non tantum nobis spectanda est in Deo, sed etiam in ipsis electis; quos oportet de sui electione certos esse, tum ut sint grati erga Deum, tum ut in rebus adversis confugiant ad inexpugnabilem Prædestinationis arcem. Potest autem homo fidelis electionem sui colligere ex testimonio Spiritus Sancti, & infallibilibus medijs salutis, puta fide, sensu & lucta fidei, spe denique viva, & charitate non fucata. Nam *Spiritus Sanctus testatur una cum Spiritu nostro, quod sumus filij Dei,* Rom. 8. 16. & vera fides est πληροφορία καὶ πεποίθησις, Roman. 4. 21. Ephes. 3. 12. ideoque repugnat ipsi diffidentia. Fides præterea luctatur cum dubitationibus, Rom. 4. 18. extinguit ignita tela Satanæ, Ephes. 6. 16. & profert opera charitatis erga Deum & proximum Iacob. 2. 17. Rom. 6. 12. 13. Quæ omnia sunt τεκμήρια electionis ad salutem, omni exceptione maiora. Atque hæc Methodus vere Analytica observanda est in praxi huius doctrinæ, ut ab effectis assurgamus ad causas.

DE REPROBATIONE.

Thesis Orthodoxa I.

Consilium Dei, quo ab æterno sapienter, libere & immutabiliter decrevit quosdam de universitate generis humani miseri non eligere, & illos iuste

Thesis Heterodoxa I.

Voluntas Dei, qua vult infideles perseverantes sub ira relinquere, est totum Reprobationis decretum.

propter

Digitized by Google

propter peccatum damnare, est totum reprobationis decretum.

Confirmatio veræ Sententiæ.

Proposita reprobationis definitio confirmatur ex Matth. 7. 27. Rom. 9. 21. 22. 1. Thess. 5. vers. 9. Iud. vers. 4. & Apoc. 17. 8. Lucemque accipit ex Thesi prima de Electione.

Thesis Orthodoxa II.

Reprobationis actus duo sunt, præteritio seu non-electio singularium hominum, & damnatio seu præparatio pœnæ.

Thesis Heterodoxa II.

Reprobationis decretum est universale, vel singulare. Illud de infidelibus perseverantibus: hoc de singularium hominum damnatione.

Confirmatio veræ Sententiæ.

Præteritio seu non-electio, in Scripturis dicitur non-inscriptio in librum vitæ, Apoc. 17. 8. estque actus negativus, quo Deus statuit quorundam hominum non misereri. Damnatio in Scripturis dicitur, coagmentatio ad interitum, Rom. 9. 22. & descriptio ad damnationem. Iud. vers. 4. estque actus positivus, quo Deus statuit quosdam homines propter peccatum damnare.

Thesis Orthodoxa III.

Causa impulsiva præteritionis est voluntas Dei liberrima: damnationis autem causa est respectus certus ad peccatum.

Thesis Heterodoxa III.

Decretum damnationis universale est absolutum; singulare, conditionatum, quippe innixum infidelitati, & perseverantiæ in illa, tanquam conditioni à Deo præscitæ.

Confirmatio veræ Sententiæ.

Deus habet jus absolutum in suas creaturas & homines, multo magis quam figulus habet absolutum ius in lutum & vasa sua, formandi & ordinandi ea ad decus vel ad dedecus, absq; iniustitia prout voluerit, Rom. 9.20. 21. 22. Ex hoc igitur iure absoluto, Deus omnes homines ordinare poterat ad interitum, si voluisset. Sed quia se non tantum absolutum Dominum, sed & iustum iudicem declarare voluit, absoluto suo iure in ordinandis aliquibus ad interitū non est usus, sed usus est iure ordinato & revelato in lege, quæ dicit; *Anima quæ peccaverit, morietur.* Ezech. 18. 20. hoc est, ordinavit ad damnationis pœnam, non utique innocentes, sed peccatores in Adamo. In Adami enim corrupta perditionis massa (ut vocat Augustinus Epist. 106.) omnes intuitus, quos non elegit in Christo, nec ordinavit ad gratiam & gloriam indebitam ex misericordia, eos reprobavit ad iram, hoc est, ad pœnam peccato debitam, ex iustitia. Prioris actus, quo decrevit Deus quosdam non-eligere, causa est voluntas Dei liberrima, Matth. 11. 25. 26. Rom. 9. 11. 18. 21. posterioris, quo decrevit eosdem damnare, causa est respectus peccati. Nam quia Deus in tempore non damnat reprobos nisi propter peccatum, ab æterno non nisi propter peccatum illos damnare decrevit. Manet enim immota regula: quicquid Deus in tempore facit, ab æterno facere decrevit. Et hoc vult Apostolus, quando Rom. 9. 21. 22. electos vocat vasa misericordiæ parata ad gloriam: reprobos vasa iræ: adaptata ad interitum: ira enim supponit peccatum, quia Deus non irascitur creaturæ, nisi ob peccatum. ira quippe est pœna, quam ex ordine iustitiæ nulli irrogat Deus nisi ob peccatum. Ad iram igitur, hoc est, ad pœnam, neminem ordinavit, nec ordinat nisi ob peccatum. Neque tamen in peccato oportet hic subsistere, sed assurgere ad εὐδοκίαν, quæ est causa præteritionis, seu non-electionis.

Thesis

Thesis Orthodoxa IV.

Quod Deus homines quosdam prætereit gratia prædicationis Evangelij, eius rei causa est iusta & libera eius voluntas.

Thesis Heterodoxa IV.

Quod Deus homines quosdam Evangelij præconio ad salutis participationē non invitat, solius est beneplaciti, non absoluti, sed talis, quo homines istos, ob insigne aliquod peccatum, Evangelij sui annunciatione destitui cupit.

Confirmatio veræ sententiæ.

Hic nobis sufficere potest illud Christi, Matth. 11. 25. 26. *Gloriam tibi tribuo, Pater, Domine cæli & terræ, quod hæc occultaveris à sapientibus & intelligentibus, & ea retexeris infantibus. Etiam Pater, quia ita placuit tibi.* Quo etiam pertinet locus Deut. 7. 6. 7.

DE PRIMO ARTICVLO,

qui est

de

Electione ad vitam æternam

Sentential & Suffragium Genevensium.

THESIS I.

DEus ab æterno, ex mero beneplacito voluntatis suæ, certas personas, ex semine & posteris Adæ, in, & cum eodem lapsas, reas & corruptas, decrevit in Christo per & propter Christum, ex eadem [illegible] in hunc finem ipsis singulariter à Patre destinatum, gratiose & efficaciter vocare, fide donare, iustificare, per Spiritum regenerationis sanctificare, & per hæc, & post hæc omnia, tandem in æternum glorificare.

Hæc Thesis probatur ex manifestis istis locis.

Ephes. 1. 4. *Elegit nos in ipso, ante iacta mundi fundamenta, ut essemus sancti & inculpati coram ipso in charitate: Postquam nos prædestinavit in adoptionem per Iesum Christum in sese, secundum beneplacitum voluntatis suæ. In laudem gloriæ gratiæ ipsius, qua nobis gratiosus fuit in dilecto.* Et vers. 11. *In ipso sumus sortem adepti, prædestinati secundum propositum illius, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ, ut simus nos in laudem gloriæ ipsius.*

Ephes. 3. 10. *Ad manifestandam per Ecclesiam multifariam sapientiam Dei, secundum propositum æternum, quod fecit in Christo Iesu Domino nostro.*

2. Tim. 1. 9. *Servavit nos, & sancta vocatione vocavit, non secundum opera nostra, sed secundum proprium propositum & gratiam, quæ data nobis fuit in Christo Iesu ante tempora secularia.*

Tit. 1. 2. *In spem vitæ æternæ, quam Deus, qui mentiri non potest promisit, ante tempora sæcularia.*

Rom. 9. 11. *Nondum natis pueris, cum nondum boni vel mali quicquam fecissent, ut propositum Dei, quod est secundum electionem, firmum maneret, non ex operibus, sed ex vocante; Dictum est ei, Maior serviet minori.*

Malach. 1. 2. *An non erat Esau frater Iacobi? inquit Dominus. Iacobum autem dilexi, Esavum vero odio habui.*

Rom. 9. 18. *Miseretur cuius vult, & quem vult, indurat.*

Ioh.

Ioh. 13. 18. *Non dico de vobis omnibus, scio quos elegerim.*

2. Thes. 2. 13. *Nos autem debemus perpetuo agere gratias de vobis, fratres dilecti in Domino, quod Deus vos elegit à principio ad salutem, in sanctificatione Spiritus, & fide veritatis.*

Rom. 3. 4. *Quid igitur praecellimus? nequaquam: ante enim evicimus & Iudæos & Gentiles omnes esse sub peccato.*

Et vers. 14. *Omne os obturetur, & obnoxius fiat totus mundus iudicio Dei.* Et 12. *Non est distinctio, quandoquidem omnes peccauerunt, & destituuntur gloria Dei.*

Rom. 5. 12. *Per unum hominem peccatum in Mundum introijt, & per peccatum Mors; & ita in omnes homines mors transijt, in illo, in quo omnes peccaverunt.*

Galat. 3. 22. *Scriptura conclusit omnia sub peccato, ut promissio per fidem Iesu Christi daretur credentibus.* Ideo *vasa misericordiæ* appellantur.

1. Pet. 1. 20. *Christus præordinatus ante iacta mundi fundamenta, & manifestatus ultimis temporibus propter vos, qui per eum creditis in Deum.*

Ioh. 17. 10. *Omnia mea tua sunt, & tua sunt mea, & in ipsis glorificor; oro pro illis, quos dedisti mihi, quia tui sunt.*

Isa. 9. 5. *Filius nobis natus, nobis datus.*

Rom. 8. 28. 32. *Scimus omnia cooperari in bonum ijs qui diligunt Deum, nempe iis qui sunt vocati secundum ipsius propositum: Nam quos præscivit,* id est, præordinavit, *eos etiam prædestinavit fieri conformes imagini Filij sui, ut sit primogenitus inter multos fratres; quos autem prædestinavit, etiam vocavit: Quos vocavit, etiam iustificavit; & quos iustificavit; eos etiam glorificavit. Qui nobis omnibus dedit Filium, quomodo non & omnia cum ipso nobis daret? Quis accusabit electos Dei? Deus est, qui iustificat.*

1. Pet. 1. 2. *Electi secundum πρόγνωσιν præordinationem Dei Patris, in sanctificatione Spiritus, ad obedientiam, & aspersionem sanguinis Christi.*

1. Petr. 2. 9. *Vos estis genus electum, regium sacerdotium, gens sancta, & populus peculiaris.*

Apocal. 7. 14. *Qui sunt cum Agno, sunt vocati, electi & fideles.*

Apocal. 21. 27. *Non intrabit in ipsam quicquam immundum, nec qui facit abominationem, & dat operam mendacio: sed ij qui scripti sunt in Libro vitæ Agni.*

1. Pet. 1. 22. *Animas vestras purificastis, auscultando veritati per Spiritum.*

THESIS II.

Ex eadem mera εὐδοκίᾳ, & voluntatis in sese proposito discrevit istas personas ab alijs, in eadem massa, & sub eodem reatu existentes, nec ullâ dignitate, qualitate, dispositione alijs præcellentes.

Rom. 3. 9. *Quid igitur præcellimus. &c.* Et 22. *Non est distinctio.*

1. Cor. 4. 7. *Quis te discernit? Ecquid habes quod non acceperis? Quod si accepisti, cur gloriaris, &c.?*

Ephes. 2. 3. *Eramus filij iræ ut & alij.* Et vers. 8. *Servati estis ex gratia per fidem; hoc non est ex vobis: est donum Dei, non ex operibus, ne quis glorietur.* Lege quæ ibid. fusius habentur.

Rom. 5. 10. *Eramus inimici;* ut & ad Titum 3. 3. *Eramus & nos quondam insensati, rebelles, errantes, servientes varijs cupiditatibus, & voluptatibus, vitam agentes in malitia & invidia, odiosi & odio invicem habentes.*

Ephes. 2. 12. *Mementote vos quondam Gentes, in carne, fuisse absque Christo, extraneos à pactis promissionis, spem non habentes, & sine Deo in mundo.*

1. Ioh. 4. 10. *In hoc est charitas, non quod nos Deum dilexerimus, sed quod ille dilexit nos.*

Et vers. 14. *Nos Deum amamus, quia ille prior amavit nos.*

Ioh. 15. 16. *Vos non me elegistis, sed ego elegi vos.*

Rom. 4. 7. *Deus vocat quæ non sunt, tanquam si essent.*

III. Omnis

THESIS III.

Omnis qualitas vel conditio laudabilis in homine, qua ad vitam æternam aptus est, est posterior illo actu εὐδοκίας, imo illius verum & germanum effectum: potissimum fides, nobilissimum & eminentissimum opus spiritus Regenerantis.

Eph. 1. 23. *Quæ est corpus ipsius, & πλήρωμα illius, qui implet omnia in omnibus.*

1. Cor. 12. 6. *Deus qui operatur omnia in omnibus est unus.*

Iacob. 1. 18. *Ipse voluntate sua genuit nos.*

1. Pet. 1. 22. *Per spiritum veritati obedimus.*

2. Cor. 3. 5. *Non quod simus apti ex nobismetipsis, vel ad cogitandum quicquam, sed omnis nostra ἱκανότης est à Deo.*

Philip. 2. 13. *Deus operatur in vobis & velle & perficere, ὑπὲρ τῆς εὐδοκίας.*

Philip. 1. 29. *Vobis ἐχαρίσθη, gratiose concessum est pro Christo, non tantum in ipsum credere, sed & pro ipso pati.*

Ephes. 6. 23. *Pax fratribus, & charitas cum Fide à Deo Patre, & à Domino nostro Iesu Christo.*

Heb. 13. 20. *Deus pacis aptet vos in omni bono opere, ad faciendam voluntatem ipsius, faciens ipse in vobis quod acceptum est coram eo, per Christum Iesum.*

Ephes. 1. 11. *Deus operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.*

Galat. 4. 9. *Quum Deum cognoveritis: imo magis cogniti fueritis ab ipso.*

THESIS IV.

Vocatio efficax per Evangelium, & fides cordibus infusa & impressa, sunt media ad istius decreti finem obtinendum à Deo ordinata: atque ab ipsomet in tempore, cum eadem, qua ab æterno decrevit, personarum distinctione, dispensata.

Ioh. 17. 6. *Manifestavi nomen tuum hominibus quos dedisti mihi de mundo: tui erant, & tu mihi illos dedisti, & ipsi observarunt verbum tuum: Dedisti ipsis verba tua, quæ dedisti mihi, & ipsi receperunt ea.*

Actor. 13. 48. *Crediderunt quotquot erant ordinati ad vitam æternam.*

1. Pet. 1. 4. *Hæreditas immarcessibilis & incontaminata, pro nobis in cælis conservata, qui in virtute Dei per fidem custodimur in salutem, quæ parata est revelari in ultimo tempore,* verbi gratia, *Obtinentes finem fidei vestræ, salutem animarum.*

Psal. 147. 19. *Declarat verba sua Iacobo, statuta sua & iudicia sua Israeli: Non sic fecit omni genti; iudicia non norunt.*

Tit. 1. 1. *Fides electorum Dei.*

Rom. 8. 30. *Quos prædestinavit, eos etiam vocavit, quos vocavit, eos etiam iustificavit.*

Matth. 13. 11. *Vobis datum est cognoscere mysteria regni cælorum, ipsis autem non est datum: Beati vestri oculi, quia vident, & aures vestræ, quia audiunt.*

Habenti dabitur, scilicet, *gratia pro gratia,* Ioh. 1. 15. Gratia pabuli, pro gratia vitæ.

2. Thes. 3. 2. *Fides non est omnium.*

Luc. 10. 21. *Iesus exultavit Spiritu, & dixit, Benedico tibi Pater, Domine cæli & terræ, quod ista absconderis sapientibus & intelligentibus, & revelaveris ea parvulis. Ita Pater, quia sic complacitum est tibi. Nemo novit Filium, nisi Pater, neque Patrem, nisi Filius, & is cui Filius revelare voluerit.*

Ioh. 6. 65. *Nemo potest venire ad me, nisi ei datum fuerit à Patre meo,* & vers. 45. *Quicunque audivit à Patre & didicit, venit ad me.*

Ioh. 9. 39. *Veni in hunc mundum ad exercendum iudicium, ut qui non vident, videant; & qui vident, cæci fiant.*

Ioh. 10. 37. *Quamvis tot signa fecisset coram ipsis, non tamen credebant in ipsum, ut impleretur verbum Prophetæ Isaiæ, quod dixit, Domine, quis credidit prædicationi nostræ? cui revelatum fuit brachium Domini? Propterea non poterant credere, quia etiam dixit Isaias, Excæcavit ipsorum oculos, & induravit cor ipsorum. &c.*

1. Petr.

1. Petr. 1. 20. *Christus manifestatus ultimis temporibus propter vos, qui per eum creditis in Deum.*

Rom. 11. 9. *Electio obtinuit, reliqui indurati fuerunt.*

Ioh. 10. 16. *Habeo etiam alias oves, quæ non sunt ex hoc ovili, illas etiam oportet me adducere, & audient vocem meam.*

Actor. 18. 10. *Est mihi populus multus in hac civitate.*

Thesis V.

Decretum hoc apud Deum stat firmum & immotum, adeo ut quicunque electus est, semper ad finem gloriæ, sed non nisi per media à Deo instituta, & inviolabilia perveniat; nec unquam electus fieri potest reprobus.

Rom. 9. 11. *Vt propositum Dei, quod est secundum electionem, firmum maneret, non ex operibus, sed ex vocante.*

2. Tim. 2. 19. *Fundamentum Dei stat firmum, habens hoc sigillum, Deus novit suos. Et, Recedat ab iniquitate, quicunque nominat nomen Christi.*

Rom. 8. 30. *Quos prædestinavit, eos & vocavit, quos vocavit, &c. Quis criminabitur electos Dei? Deus est, qui iustificat.* Et vers. 37. *In omnibus sumus victores per eum qui dilexit nos.*

Isaiæ 65. 22. *Electi mei facient veterascere opus manuum suarum.*

Rom. 11. 29. *Dona & vocatio Dei sunt ἀμεταμέλητα.*

Rom. 8. 39. *Neque vita, neque mors, neque præsentia, neque futura, poterunt nos separare ab amore Dei, qui est in Christo Iesu Domino nostro.*

2. Thess. 2. 13. *Vos elegit à principio in sanctificatione Spiritus, & fide in veritatem.*

Rom. 8. 9. *Qui non habet spiritum Christi, non est ipsius.*

1. Pet. 1. 2. *Electi secundum prædestinationem Dei Patris in sanctificatione Spiritus ad obedientiam, & aspersionem sanguinis Christi.*

Hebr. 6. 13. *Deus volens magis ostendere immutabilitatem consilij sui, hæredibus promissionis fideiussit iureiurando.*

Psalm. 138. 8. *Dominus implebit pro me, Domine, benignitas tua in perpetuum, non deseres opus manuum tuarum.*

Isaiæ 41. 9. *Tu es servus meus, elegi te, neque reieci.*

Rom. 11. 1. *An reiecit Deus populum suum? Absit: nam & ego sum Israelita.* Et vers. 28. *Sunt hostes, quoad Evangelium propter vos, sed sunt dilecti, quoad electionem propter patres.*

Rom. 11. 5. *Reliquiæ secundum electionem gratiæ remanserunt in hoc tempore.*

Matth. 24. 24. *Exurgent Pseudochristi & Pseudoprophetæ, & facient signa & miracula magna, adeo ut seducturi essent, si fieri posset, ipsos electos.* Et vers. 31. *Angeli colligent electos ex quatuor ventis.*

2. Thess. 2. 11. *Mittet Deus ipsis efficaciam erroris, ut credant mendacio: & iudicentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed delectati sunt iniquitate: sed debemus perpetuo gratias agere de vobis Deo, fratres dilecti, quod elegit vos Deus ab initio ad salutem,* &c.

Apoc. 13. 8. *Adorabunt bestiam omnes illi incolæ terræ, quorum nomina non sunt scripta in libro vitæ agni.*

Ioh. 10. 27. *Oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & ipsæ me sequuntur. Et ego do eis vitam æternam, neque unquam in æternum peribunt, & nullus rapiet eas de manu mea: Pater meus, qui mihi illas dedit maior est omnibus, & nemo potest rapere illas de manu Patris mei.*

1. Ioh. 2. 19. *Egressi sunt ex nobis, sed non erant de nobis; nam si fuissent de nobis, utique mansissent inter nos; scilicet hoc accidit, ut manifestum fieret, non omnes esse de nobis.*

Thesis VI.

Notitiam, sensum, certitudinem istius decreti Deus electis in hac vita largitur, modo, mensura, tempore, quo ipsi placet. Nec ullus est electus,

qui ætate rationis capace, non ante mortem, certissimam istius decreti persuasionem per Spiritum Sanctum accipiat.

1. Cor. 2. 9. *Quæ auris non audivit, oculus non vidit, neque unquam ascendit in cor hominis, illa sunt, quæ Deus præparavit illis, qui ipsum diligunt:* Deus revelavit illa nobis per Spiritum suum, qui Spiritus investigat omnia, etiam profunda Dei: *Non accepimus Spiritum mundi, sed Spiritum, qui est à Deo, ut cognoscamus ea, quæ nobis data sunt à Deo.*

Atqui 2. Tim. 1. 9. *Propositum & gratia Dei nobis data est in Christo ante tempora sæcularia.*

1. Ioh. 2. 20. *Habetis unctionem à Sancto, & nostis omnia.*

Luc. 10. 20. *Gaudete, quod nomina vestra scripta sunt in cœlis.*

Psalm. 25. 14. *Arcanum Domini est pro timentibus ipsum, & fœdus ipsius, ut notum faciat ipsis.*

Apoc. 2. 17. *Vincenti dabo calculum album, & super illum calculum, novum nomen scriptum, quod nemo novit, nisi ille qui accepit.*

1. Thes. 1. 4. *Scientes, Fratres dilecti, à Domino, vestram electionem.*

Rom. 8. 33. *Quis accusabit electos Dei? Deus est, qui iustificat.* Atqui conscientia accusat: Habeant ergo necesse est sensum, & certitudinem certitudini conscientiæ oppositam: nempe, fidem electionis.

Ephes. 1. 13. *Obsignati estis Spiritu Sancto promissionis, qui est arrhabo hæreditatis vestræ ad redemptionem acquisitionis &c.*

2. Cor. 1. 21. *Is qui confirmat nos vobiscum in Christo, & qui etiam unxit nos, est Deus, qui etiam obsignavit nos, & dedit arrhabonem Spiritus in cordibus nostris.*

2. Cor. 4. 13 *Habentes eundem Spiritum fidei, ut dictum est, Credidi, & propterea locutus sum; nos etiam credimus, & propterea etiam loquimur:* Loquitur autem ex hoc Spiritu Apostolus, Rom. 8. 38. in sua & totius Ecclesiæ persona, Nihil *nos separabit ab amore Dei, qui est in Christo Iesu.*

2. Pet. 1. 10. *Studete vocationem vestram, & electionem firmam facere.* Ergo observato hoc præcepto, potest haberi certitudo, quia inquit, 1. Ioh. 3. 19. *Per charitatem,* nempe per signum infallibile, *agnoscimus nos esse ex veritate, & corda nostra certio abimus coram ipso.*

1. Ioh. 3. 29. & 4. 13. *Ex hoc cognoscimus nos manere in ipso, & ipsum in nobis, quia dedit nobis de Spiritu suo.*

Rom. 8. 16. *Spiritus adoptionis per quem clamamus, Abba, Pater, ipse testatur cum Spiritu nostro nos esse filios Dei. Quod si filij, ergo hæredes, cohæredes Christi, si modo cum ipso patimur, ut cum ipso glorificemur.*

Psalm. 27. 13. *Væ mihi, nisi credidissem videre bona Dei in terra viventium.*

Psalm. 16. 7. *Benedicam Domino, qui mihi etiam de nocte dat consilium, renes mei instituunt me, Lætatum est cor meum, & gloria mea lætata est, etiam caro mea habitabit in securitate, notas mihi facies semitas vitæ.*

2. Tim. 1. 12. *Scio cui crediderim, & sum certus illum esse potentem ad servandum depositum meum in diem illum.*

Thesis VII.

Electio Patrum sub V. Testamento fuit ab eodem fonte, ad eundem finem, per eadem media principalia, atque in Novo; Id est, ex mero beneplacito, Dei, in Christo, per fidem ad salutem æternam fuerunt ordinati.

Galat. 3. 8. Evangelizatum fuit Abrahamo, justificari gentes per fidem: *Ii qui sunt ex fide, sunt benedicti cum fideli Abrahamo.* Benedictio Abrahami obtigit gentibus in Christo Iesu, ut per fidem accipiant promissiones spiritus.

Rom. 11. 16. *Si primitiæ sanctæ, tota etiam massa sancta: si radix sancta, etiam rami sancti:* Iudæi appellantur rami naturales, qui in propriam oleam olim inserentur denuo. & sic per totum caput.

Heb. 11. 9. Abraham, & reliqui cohæredes promissionum, *expectabant civitatem quæ habet fundamentum, cuius architectus & faber est Deus.* Et vers. 16. Optant patriam

meliorem

meliorem, nempe cœlestem; *propterea Deus non erubescit vocari ipsorum Deus, quandoquidem præparavit ipsis civitatem.*

Hebr. 6. 13. Deus fecit promissiones Abrahæ, quas confirmauit jurejurando per semetipsum. Et 17. *Volens Deus amplius ostendere hæredibus promissionis immutabilitatem consilij sui, intervenit jurejurando*

Matth. 22. 32. *Deus est Deus Abrahæ, Isaaci & Iacobi; Deus non est Deus mortuorum sed viventium.*

Psal. 47. 5. *Elegit nobis hæreditatem nostram, magnificentiam Iacobi, quem diligit.*

1. Cor. 10. 2. 3. *Patres omnes baptizati fuerunt, comederunt eandem escam, & biberunt eundem potum spiritualem.*

Hebr. 12. 23. Vocati sumus *ad Ecclesiam primogenitorum descriptorum in cœlis, & ad spiritus iustorum consummatorum.*

Psalm. 65. 5. *Beatus ille, quem tu elegisti, quem ad te accedere facies, ut habitet in atrijs tuis, satiabimur bonis domus tuæ & templi tui.*

Matth. 8. 11. *Multi venient ex oriente & occidente, & accumbent cum Abrahamo, Isaaco & Iacobo in regno cælorum.*

Rom. 4. 16. Hæreditas est *per fidem, ut sit ex gratia, ut firma sit promissio toti semini, non solum illi, quod est secundum carnem; verum & ei quod est ex fide Abrahami Patris omnium nostrum.*

Thesis VIII.

Vocati in Ecclesiam, & in Christo vivificati, ut nihil ad sui electionem æternam contulerunt, vel conferre potuerunt; ita omni studio, cura, ope, possunt ac debent illius certitudinem apud se explorare ab effectis & τεκμηρίοις infallibilibus, & illam sollicite tueri, fovere & augere.

2. Pet. 1. 10. *Potius studete vocationem & electionem vestram firmam facere, hoc enim si feceritis, nunquam impingetis.*

2. Cor. 13. 5. *Vos ipsos probate, an sitis in fide, vos ipsos explorate, annon agnoscitis vosmetipsos? Iesum Christum in vobis esse, nisi reiectanei estis.*

Hebr. 6. 11. *Cupimus autem ut unusquisque vestrum idem studium ad finem usque ostendat, ad plenam fidei certiorationem, ut ne sitis segnes, sed imitatores eorum, qui per fidem & patientiam hæreditarunt promissionem.*

Hebr. 3. 14. *Facti sumus participes Christi, modo firmiter retineamus usque ad finem, principium ὑποστάσεως.*

Et vers. 6. *Christus est fidelis, ut filius super domum suam, cuius domus sumus nos, modo firmam retineamus ad finem usque libertatem, & gloriationem spei.*

DE REPROBATIONE.

Thesis I.

Deus ab æterno, liberrima sua voluntate, aliquas certas personas, in & cum Adamo lapsas, reas & corruptas, statuit apud sese, in statu peccati, & corruptionis suæ propriæ relinquere, nec erga illas remedium gratiæ efficacis, & salutaris in Christo adhibere.

Matth. 7. 23. *Tum protestabor ipsis, Nunquam novi vos.*

Apoc. 13. 8. *Adorabunt bestiam omnes illi incolæ terræ, quorum nomina non sunt scripta in libro vitæ Agni occisi, inde à iactis mundi fundamentis.*

Matth. 22. 14. *Multi vocati, pauci electi.*

Rom. 11. 7. *Electio obtinuit, reliqui indurati sunt.*

Rom. 10. 19. *Provocabo vos ad æmulationem per gentem quæ non est gens.*

Rom. 9. 6. *Non omnes qui ſunt ex Iſraele, ſunt Iſrael: filij promiſſionis*, id eſt, ex gratia & potente Dei operatione nati per fidem.

Rom. 4. 21. *Reputantur in progeniem.*

Rom. 9. 13. *Iacobum amavi, Eſavum autem odio habui.*

Et verſ. 18. *Miſeretur, cuius miſeretur: & quem vult, indurat.* Et verſ. decimo nono, *Dices ergo mihi, quid amplius queritur? quis reſiſtere poteſt ipſius voluntati? Imo, o homo, quis tu es qui reſponſas Deo? An dicet figmentum fictori, quare me ſic feciſti? An non habet poteſtatem figulus in lutum, ad faciendum ex eadem maſſa vas ad honorem, & alterum ad dedecus?* Et verſ. 25. *Vocabo populum illum, qui non eſt meus, populum meum, & dilectam illam quæ non eſt dilecta.*

Deut. 10. 14. *Ecce cæli, & cæli cælorum ſunt Domini Dei tui: etiam terra, & quicquid in ea continetur. Sed Dominus complacuit ſibi in Patribus tuis tantum, ad amandum eos, & elegit progeniem ipſorum poſt eos, nempe vos ex omnibus populis.*

Deut. 7. 6. *Dominus Deus te elegit, ut ſis ipſi in populum peculij, inter omnes populos, qui ſunt ſuper faciem terræ.*

Matth. 13. 13. *Omnis planta, quam non plantavit Pater meus, eradicabitur.*

Actor. 14. 16. *Deus ætatibus præcedentibus ſivit ire omnes gentes vias ſuas.*

Pſalm. 147. 20. *Non ſic fecit omni genti, & non cognoſcunt iudicia.*

Ioh. 10. 26. *Vos nos creditis, quia non eſtis ex ovibus meis.*

1. Ioh. 4. 6. *Nos ſumus à Deo. qui novit Deum, audit nos, qui non eſt à Deo, non audit nos.*

Thesis II.

Eaſdem perſonas in tempore, ex eodem placito voluntatis, vel non vocat, vel vocatas in Eccleſiam, ſpiritu Regenerationis non renovat penitiſſime, non inſerit Chriſto myſtice, non juſtificat, neque unquam glorificabit.

Præter locos antea citatos, iſti ad hanc Theſin faciunt.

Ioh. 3. 8. *Ventus flat quo vult, neque ſcis unde veniat, vel quo vadat; ſic eſt, quiſquis natus eſt ex Spiritu.*

Matth. 11. 25. *Gloriam tibi tribuo, Pater, Domine cæli & terræ, quod hæc abſcondiſti à ſapientibus & intelligentibus, & revelaſti ea parvulis. Ita, Pater, quia ſic complacitum eſt tibi.*

Matth. 13. 10. Diſcipuli dixerunt, *quare loqueris ad ipſos in parabolis? Et Ieſus reſpondit, quia vobis datum eſt cognoſcere myſteria regni cælorum, ipſis autem non eſt datum.*

Ioh. 12. 39. 40. *Cui revelatum fuit brachium Domini? Propterea non poterant credere, quia dixit Iſaias, Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum, ut non videant, neque intelligant corde, neque convertantur, neque ſanentur.*

Ioh. 17. 9. *Oro pro ipſis, non oro pro mundo; ſed pro ijs, quos dediſti mihi, quia tui ſunt.*

Et verſ. 25. *Mundus te non novit. At iſti cognoverunt quod tu miſiſti me: Et ego notum ipſis feci nomen tuum, & notum faciam magis, ut amor quo me amaſti ſit in ipſis, & ego in ipſis.*

Matth. 13. 38. *Is qui ſerit bonum ſemen, eſt filius hominis: ager eſt mundus: bonum ſemen ſunt filij Regni: zizania, ſunt filij maligni: & hoſtis qui ſevit illa, eſt Diabolus.*

1. Ioh. 3. 12. *Non ut Cain, qui erat ex maligno, & occidit fratrem ſuum.*

Ioh. 14. 17. *Pater dabit vobis alium conſolatorem, Spiritum veritatis, quem mundus non poteſt recipere, quia non videt nec novit ipſum, ſed vos cognoſcitis, quia manet apud vos, & erit in vobis. &c.*

2. Cor. 4. 3. *Si Evangelium noſtrum abſconditum eſt, eſt abſconditum inter eos, qui pereunt: inter quos Deus huius ſeculi excæcavit mentes incredulorum, ut non reſplendeat ipſis lux Evangelij gloriæ Chriſti, qui eſt imago inviſibilis Dei.*

Matth. 11. 21. 23. *Si in Tyro & Sidone factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ fuerunt in te, iam olim reſipuiſſent in ſacco & cinere. Si in Sodomis factæ fuiſſent, manſiſſent uſque ad diem hanc.*

Luc. 2. 34. *Ille poſitus eſt in reſurrectionem & ruinam multorum in Iſrael, in ſignum cui contradicetur, ut multorum cogitationes pateſiant.*

Thesis III.

THESIS III.

Præteritio iſta, non eſt cauſa peccati, nec damnationis, multo minus creationis.

Hoſ. 13. 9. *Perditio tua ex te Iſrael, ſed ex me auxilium tuum.*

Rom. 9. 22. *Vocantur vaſa iræ,* id eſt, obnoxij per peccatum, & rei mortis.

Rom. 11. 22. *Vide benignitatem & ſeveritatem Dei, ſeveritatem in illos qui ceciderunt; benignitatem in te, ſi perſeveras in benignitate.*

Ioh. 8. 21. *Moriemini in peccatis veſtris: vos eſtis ex hoc mundo: Ego non ſum de mundo; propterea dixi vobis, vos morituros in peccatis veſtris.*

THESIS IV.

Hoc decretum præteritionis habet etiam ſuam immutabilitatem & infallibilitatem: adeo ut nullus reprobus fieri poſſit electus.

Iac. 1. 17. *Apud Deum non eſt mutatio, vel converſionis obumbratio.*

Iob. 12. 14. *Si claudit ſuper quopiam, non aperietur.*

Iob. 23. 13. *Eſtne in aliqua ſententia? quis avertet ipſum? facit, quod anima ſua cupivit; Perficiet id, quod de me ſtatuit:* Et plura huiuſmodi ſunt apud illum.

Matth. 15. 13. *Omnis planta, quam non plantavit Pater meus, eradicabitur.*

THESIS V.

Electio ad gratiam Evangelij externam, per vocationem & cooptationem in corpus Eccleſiæ, & reprobatio ab eadem, poſſunt eſſe ad tempus, & mutabiles.

De iſtis videtur nobis loqui Chriſtus Ioh. 15. 1. *Pater aufert omnem palmitem, qui in me non fert fructus; ſi quis non manet in me, foras eijcitur ut ſarmentum, & exareſcit. &c.*

Rom. 11. 21. *Si Deus non pepercit ramis naturalibus, cave ne & tibi non parcat: perſevera in benignitate, alioquin & tu recideris.*

Rami naturales inſerentur denuo in propriam oleam. 1. Cor. 9. 27. *Macero corpus meum; ne, cum alijs prædicavero, ipſe fiam reprobus.*

Iſai. 14. 1. Zach. 11. 12. *Eliget adhuc Iacobum; eliget adhuc Ieruſalem.*

Sententiam diverſam & adverſariam hanc reijcimus.

THESIS I.

Electio ſingularium perſonarum facta eſt ex attenta à Deo, & conſiderata illarum fide, fidei obedientia, reſipiſcentia & ſanctitate: vel, Electio eſt perſonarum iſtis qualitatibus in Dei præſcientia veſtitarum.

II.

Beneplacitum toties in Scriptura celebratum eſt, quod fidem potius elegerit, quam ullum aliud medium poſſibile.

III.

Electus, ſtricte acceptus, poteſt fieri reprobus, & contra.

IV.

Non eſt fructus vel ſenſus electionis cum certitudine ante obitum, ſine ſpeciali revelatione perſeverantiæ.

V.

Generali voluntate Deus omnium ſalutem deſiderat: omnibus Mediatorem dedit: omnes ad ſalutem ex fide obtinendam ordinat, omnibus eam offert: mediaque neceſſaria & ſufficientia adminiſtrat.

VI.

Communioris gratiæ melior uſus vel abuſus, vel ulla alia cauſa latens, efficit, ut Deus his Euangelium annunciari curet, illis non.

VII.

Multiplicationes decretorum & diſtinctionum, cum ad ſuffulcienda iſthæc ἑτερόδοξα tantum inventæ ſint, & Scripturæ ſacræ vel plane non innitantur, vel adverſentur, à nobis rejiciuntur.

Hæc eſt ſimplex & fidelis ſententia noſtra, fides Eccleſiæ noſtræ, atque adeo, ut certo aſſeverare non dubitamus, omnium Eccleſiarum Gallicanarum, quæ Confeſſioni Gallicæ adhærent: quam, ut ſyncerisſimam veritatem & parati ſumus, Deo juvante, in Eccleſia noſtra, tueri; & in Eccleſiis Belgicis inviolatam conſervari, ac citra additamenta importuna, & anxia humanarum quæſtionum & ſubtilitatum, prædicari optamus.

Ad primum Articulum

DE PRÆDESTINATIONE.

DOCTRINA.

VERA.

I.

Decretum Electionis divinæ proprie dictæ, eſt illa Dei voluntas, qua ipſe ante
Epheſ. 1.4. jactum mundi fundamentum, ſive
1. Tim. 1.9. ab æterno, non ex reſpectu ullius dignitatis, quæ eſſet in homine, ſed ex mero ſuo beneplacito, ſtatuit, ad ſin-
Epheſ. 1. 5.6. gularem miſericordiæ & gloriæ ſuæ de-
Rom. 9.23. monſtrationem, ex corrupta per lapſum
Epheſ. 1. 7. primorum parentum noſtrorum (Adami & Evæ) generis humani maſſa, cer-
Exod. 33.19. *Rom. 9. 15,16.* torum hominum miſereri, eoſque ad participationem gratiæ ſuæ efficaciter
Rom. 8. 29,30. vocare, juſtificare, & glorificare: pro-
2. Tim. 1.9. pter Chriſtum, per Chriſtum, & in eo.
Epheſ. 1. 4, 5. Atque hoc eſt decretum electionis definitum, completum, integrum atque unicum: ad Vetus & Novum Teſtamentum ſimul ſpectans.

FALSA.

I. *Itaque rejicimus.*

Quod electio proprie dicta, ſit decretum, reſpectu alicujus boni in nobis prævisi, factum, aut à conditione vel qualitate aliqua humana ſuſpenſum,

Quodque beneplacitum illud Dei in eo non conſiſtat, quod pro libertima ſua voluntate & gratia, ex lapſo genere humano hunc elegerit, illum non elegerit: ſive, hunc præ illo fide & ſanctitate ad ſalutem donare decreverit: ſed tantum in hoc, quod Deo viſum fuerit, ignobilem fidei actum præſcribere, in conditionem communicādæ ſalutis, ſeu fideles facere ſalvos, non operarios vel alios, ubi potuerat ſalutem dare ſub quacunq; vellet conditione.

Item, quod aliqua electio ſit indefinita, incompleta.

Præterea,

Præterea, quod alia ſit etiam generalior electio, extra Chriſtum, illorum incredulorum, quibus Evangelium non eſt communicatum, quiq; gratia communiore corriguntur; vel fidem aliquam in Deum ſine Chriſti & meriti eius notitia concipiunt.

Ad hæc, quod totum electionis decretum explicetur per voluntatem Dei de ſervandis fidelibus, in fide eiuſq; obedientia ad finem vitæ perſeverantibus.

Poſtremo, quod alia ſit electio in V. Teſtamento, & alia ſub Novo.

Veræ doctrinæ confirmatio ex Scriptura.

Epheſ. 1. 4. *Elegit* (Deus) *nos in ipſo* (Chriſto) *ante iactum mundi fundamentum.* verſ. 5. *Qui prædeſtinavit nos, quos adoptaret in filios, per Ieſum Chriſtum in ſeſe, pro benevolo affectu voluntatis ſuæ.*

Epheſ. 1. 6. *Ad laudem glorioſæ ſuæ gratiæ, qua nos gratis ſibi acceptos fecit in illo dilecto.* verſ. 7. *In quo habemus redemptionem per ſanguinem ipſius, remiſſionem, inquam, lapſuum ex divite ipſius gratia.*

Exodi 33. 19. *Gratioſus ero, cui fuero gratioſus; & miſerebor, cuius miſertus fuero.*

Rom. 9. 15. 16. *Moſi dicit Deus, Miſerebor, cuius miſertus fuero; & commiſerabor, quem commiſeratus fuero. Nempe igitur electio non eſt eius, qui velit, neque eius, qui currat, ſed eius, qui miſeretur, nempe Dei.*

Rom. 9. 23. *Et ut notas faceret divitias gloriæ ſuæ erga vaſa miſericordiæ, quæ præparavit ad gloriam. &c.*

Rom. 8. 29. 30. *Quos præſciuit, etiam prædeſtinavit conformandos imagini Filij ſui: ut is ſit primogenitus inter multos fratres. Quos vero prædeſtinavit, eos etiam vocavit, & quos vocavit, eos etiam iuſtificauit: quos autem iuſtificavit, eos etiam glorificavit.*

2. Tim. 1. 9. *Qui* (Deus) *ſervavit nos, & vocavit vocatione ſancta: non ex operibus noſtris, ſed ex ſuo propoſito, & gratia, quæ data quidem eſt nobis in Ieſu Chriſto, ante tempora ſæcularia.*

II.

Præterea, hoc decretum eſt liberrimum, quatenus Deus miſeretur cuius vult; eſt iuſtiſſimum, utpote factum in Chriſto Mediatore, iræ Dei placatore & hominum reconciliatore; benigniſſimum, ut ſimul dandæ ſalutiferæ gratiæ & gloriæ propoſitum.

Rom. 9. 11. & ſeqq.
Rom. 3. 25.
Rom. 3. 23.
1. Pet. 1. 2.

Confirmatio.

Rom. 9. 11. *Nondum natis pueris, quum nihil feciſſent boni vel mali, ut præſtitutum Dei, quod eſt ſecundum ipſius electionem,* hoc eſt, *non ex operibus, ſed ex vocante, firmum maneret, dictum eſt ei, Maior ſerviet minori.*

verſ. 14. *Quid igitur dicemus? Num iniuſtitia eſt apud Deum? abſit. Nam Moſi dicit, Miſerebor, cuius miſertus fuero, & commiſerabor, quem commiſeratus fuero, &c.*

Rom. 3. 23. 24. 25. *Omnes deſtituuntur gloria Dei, ut qui iuſtificentur gratis,* id eſt, *eius gratia, per redemptionem factam in Ieſu Chriſto. Quem præſtituit Deus, ut eſſet placamentum per fidem in ſanguine ipſius, ad demonſtrationem iuſtitiæ ſuæ. &c.* Epheſ. 1. verſ. 4. Rom. 5. verſ. 1.

1. Pet. 1. 2. *Electis ex præcognitione Dei Patris, ad ſanctificationem Spiritus, per obedientiam & aſperſionem ſanguinis Ieſu Chriſti, gratia vobis & pax multiplicetur,* Rom. 9. 23. 2. Theſſ. 2. 13. 14.

III.

Rom. 8. 30. Fides salvifica, & perseverantia in ea, est electionis hujus gratiosæ fructus: quam Deus dat omnibus & solis illis, Actor. 13. 48. quos tanquam membra Christi capitis factos, ad gloriam actu deducere statuit.

III. *Rejicimus.*

Quod fides profluat ex singulari aliqua hominis dispositione, in eligendo prærequisita: qua Deus moveatur ad eligendum, quaque homini talis dignitas accedat, ut fiat dignior electione, quam alius: non autem quod fides sit electionis illius gratiosæ fructus.

Doctrinæ veræ Confirmatio.

Rom. 8. 30. *Quos prædestinavit (Deus) eos etiam vocavit, eos etiam justificavit.*
Actor. 13. 48. *Gentes autem hæc audientes, gavisæ sunt &c. & crediderunt, quotquot erant ordinati ad vitam æternam.*

IV.

Esa. 46. 9. 10. Malach. 3. 6. 2. Tim. 2. 19. Ioh. 6. 39. Rom. 9. 11. Hæc electio est semper certa & immutabilis; quia Deus veraciter & efficaciter implebit, quod apud se constitutum habuit facere.

IV. *Rejicimus.*

Quod nemo sit in hac vita aut dici possit certo electus: quodque electio mutari aut revocari, ex electo reprobus fieri; ac proinde electorum numerus augeri & minui queat.

Doctrinæ veræ Confirmatio.

Esai. 46. 9, 10. *Recordamini priorum inde à sæculo, me esse Deum, &c. judicantem à principio finem, & ab antiquitate quæ nondum facta sunt, dicentem, Consilium meum stabit, & omnem delectationem meam facturus sum.*
Malach. 3. 6. *Quia ego Dominus non mutor, ideo vos, filij Iacobi, non consumti estis.*
Ioh. 6. 39. *Hæc est autem voluntas ejus, qui misit me, id est, Patris, ut, quicquid mihi dederit, non perdam ex eo, sed suscitem illud in ultimo illo die.*
Rom. 9. 11. *Nondum natis pueris, quum nihil fecissent boni vel mali, ut præstitutum Dei, quod est secundum ipsius electionem, id est, non ex operibus, sed ex vocante, firmum maneret, dictum est ei, &c.*
2. Tim. 11. 19. *Solidum fundamentum Dei stat, habens sigillum hoc; Novit Dominus eos, qui sunt sui.*

V.

Rom. 8. 29. 30. 1. Cor. 1. 26. 1. Ioh. 4. 12. Hæc Electio nobis patefit in tempore, quum per Verbum & Spiritum Dei regeneramur, seu efficaciter vocamur, ut in Christum credamus, sancte vivamus, & spem æternæ gloriæ certam concipiamus. Rom. 8. 15. & seqq.

V. *Rejicimus.*

Quod in hac vita nemo, nisi per extraordinariam & specialem revelationem, de sui electione certus esse possit.

Doctrinæ veræ Confirmatio.

Rom. 8. 29. 30. vide supr. thesi 1.
1. Cor. 1. 26. &c. *Cernitis vocationem vestram fratres: vos videlicet non esse multos sapientes secundum carnem, &c. verum quæ stulta sunt mundo, elegit Deus, ut pudefaciat sapientes.*
vers. 30. *Ex ipso vos estis in Christo Iesu, qui factus est nobis sapientia à Deo, justitiaq; & sanctificatio & redemtio, ut fiat, sicut scriptum est: qui gloriatur, in Domino glorietur.*
1. Ioh. 4. 12, 13. *Deum nemo conspexit unquam: si diligamus alij alios, Deus in nobis habitat, & charitas ejus adimpleta est in nobis. Per hoc cognoscimus, nos in eo habitare, & ipsum in nobis, quod de Spiritu suo dedit nobis.*

Rom. 8.

Rom.8.15. *Non accepistis Spiritum servitutis rursum ad metum, sed accepistis Spiritum adoptionis, per quem clamamus Abba, id est, Pater. Et ipse Spiritus testatur una cum spiritu nostro, nos esse Filios Dei. Quod si Filij, etiam hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.*

VI. *Rejicimus.*

Quod nec sensus hujus electionis certus, nec fructus ullus sit in hac vita, sed Deus relinquat nos suspensos, ita, ut nemo certus esse possit de favore Dei in præsens & de futura gloria.

THES. VI. VERA.

Hujus electionis fructus in hac vita est certus & magnus, quem post vocationem & justificationem in nobis sentimus (nempe, pax & gaudium in Spiritu S. sincera dilectio Dei & proximi, & certa ac patiens expectatio æternæ beatitudinis) atque ita solidum in vita hac ærumnosa solatium; major post mortem; maximus & consummatus post gloriosam resurrectionem. 2. Cor.1.29. & seqq. Esai.43.17. & seqq. Rom.5.1. Rom.8.38. 2.Thess.2.16,17. 1.Ioh.3.2.

Doctrinæ veræ confirmatio.

2. Corinth. 1. 20. seqq. *Quotquot sunt promissiones Dei, in ipso sunt etiam, & in ipso sunt, Amen, ad Dei gloriam per nos. Porro, qui nos confirmat vobiscum in Christum: & qui unxit nos, Deus est. Qui etiam obsignavit nos, indiditque arrhabonem Spiritus cordibus nostris.*

Esai.43.17.& seqq. *Effundam Spiritum meum super semen tuum,*&c. *Hic dicet, Domini sum, & is se vocabit nomine Iacobi: ille vero scribet manu sua, sum Domini, & de nomine Israelis se cognominabit.*

Rom.5.1. *Iustificati ex fide, pacem habemus erga Deum per Dominum Iesum Christum. (2) per quem etiam fide adducti fuimus in hanc gratiam, per quam stamus, & gloriamur, sub spe gloriæ Dei.*

Rom.8.38. *Mihi persuasum est, neque mortem, neque vitam,* &c. *neque ullam aliam rem conditam, posse nos separare à caritate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.*

2. Thess.2.16,17. *Ipse Dominus noster Iesus Christus, & Deus ac Pater noster, qui dilexit nos, & dedit consolationem æternam & spem bonam per gratiam; consoletur corda vestra, & stabiliat vos in omni sermone & opere bono.*

1. Ioh. 3. 2. *Dilecti, nunc Filij Dei sumus, sed nondum patefactum est, quod erimus. Scimus autem fore, ut, quum ipse factus fuerit manifestus, similes ei simus; quoniam videbimus eum sicuti est.*

VII. *Rejicimus.*

Quod liceat electis & de salute sua certis, pro arbitrio vivere, & quod etiam hoc eis impune sit futurum.

VII.

Hæc gratia, nullo modo à nobis promerita, nos merito inflammabit, ad Deũ ardenter redamandum, ut sancti & inculpati coram eo esse in caritate, & contra carnem, mundum ac satanam constanter militare studeamus.

Doctrina veræ confirmatio.

Deuter.10.12. *Nunc itaque Israel, quid Dominus Deus tuus petit abs te, nisi, ut timeas Dominum Deum tuum, ambules in omnibus viis ejus, & diligas eum, & colas Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex toto animo tuo?*

Mich. 6. 8. *Indicat tibi, ô homo! quid sit bonum. Ecquid Dominus requisivit abs te, nisi, ut exerceas jus, & ames benignitatem, & modeste ambules cum Deo tuo?*

Ephes.1. 4. *Elegit nos* &c. *ut simus sancti & inculpati in conspectu eius, cum caritate.*

Ephes.2.10.

Ephes. 2. 10. *Ipsius sumus opus, conditi in Christo Iesu ad opera bona, quæ praeparavit Deus, ut in eis ambulemus.*

Rom. 8. 12. *Fratres, debitores sumus, non carnis, ut secundum carnem vivamus.*

Rom. 6. 22. *Nunc liberati à peccato, servi autem facti Deo, habebitis fructum vestrum in sanctimoniam: finem autem vitam æternam.*

VIII.

Matth. 19. 14. *Marc. 10. 14.* *Genes. 17. 7.* *Actor. 2. 39.* *1. Cor. 7. 14.*

De solis fidelium infantibus, qui ante ætatem doctrinæ capacem, demoriuntur, statuimus eos à Deo diligi & servari ex eodem Dei beneplacito, propter Christum, per Christum, & in Christo, quo adulti: unde ex relatione fœderis sancti sunt. Cujus rei confirmandæ gratia, baptismo sacro initiantur & Christum induunt.

Matth. 19. 13, 14. *Obtulerunt ei* (Iesu) *parvulos, ut tangeret eos; discipuli vero objurgabant. Iesus vero ait eis, Sinite parvulos, & nolite eos prohibere ad me venire: talium est enim regnum cœlorum.*

Genes. 17. 7. *Stabilio fœdus meum inter me & te, ac semen tuum post te per ætates suas, ut fœdus sit perpetuum, me esse tibi Deum, & semini tuo post te.*

Actor. 2. 39. *Vobis facta est promissio & liberis vestris, & omnibus longe post futuris, quoscunque videlicet advocaverit Dominus Deus noster.*

1. Cor. 7. 14. *Maritus infidelis sanctificatus est in uxore &c. alioqui certe liberi vestri impuri essent: nunc autem, sancti sunt.*

DE REPROBATIONE

Doctrina.

VERA.

I.

Rom. 9. 19. seqq. *Rom. 9. 12.* *Rom. 9. 11.*

Deus ad illustrandam gloriam justitiæ ac potentiæ suæ, statuit pro liberrima potestate sua ab æterno, quod certorum quorundam ex genere humano lapsorum non vellet misereri in Christo ad salutem, sed eos sub ipsorum peccato & ira sua relinquere ac damnare.

Et hoc est decretum æternum, immutabile, completum, unicum & integrum, reprobationis proprie dictæ; tempus utriusque Testamenti respiciens.

FALSA.

I. *Itaque rejicimus,*

Quod Deus citra considerationem peccatorum homines reprobaverit seu damnare decreverit.

Item, quod in hominibus ipsis sit causa aut qualitas, aut conditio aliqua alia, quam quæ toti massæ corruptæ est communis; quare alium præ alio Deus, gratia sua salutari præterire voluerit, aut debuerit.

Item, quod non sit certus numerus reprobatorum apud Deum. Adhæc, Quod Reprobatio aliqua sit incompleta, mutabilis ac revocabilis, ita ut incomplete (vere tamen) reprobati fieri queant electi ac servari, numerusque illorum possit augeri minuive.

Item, quod alia sit respectu hominum sub Veteri, alia sub Novo Testamento.

Doctrina

Doctrinæ veræ Confirmatio.

Rom. 9. 11. seqq. *Nondum natis; quum nihil fecissent boni vel mali, ut præstitutum Dei, quod est secundum electionem, non ex operibus, sed ex vocante maneret, dictum est ei, Major serviet minori: sicut scriptum est; Iacobum dilexi; Esavum autem odio habui.*

Vers. 18. *Itaque cujus vult, miseretur, quem autem vult, indurat.*

Vers. 19. *Dices ergo mihi, quid adhuc succenset? Nam ejus voluntati quis obsistit?*

Vers. 20. *Imo vero, ô homo, tu quis es, qui ex adverso responsas Deo? Num dicit figmentum fictori, cur me tale fecisti?*

Vers. 21. *An non habet potestatem figulus in lutum, ut ex eadem massa, aliud quidem vas faciat ad decus, aliud vero ad dedecus.*

Vers. 22. *Quid si vero volens ostendere iram & notam facere potentiam suam, pertulit multa cum lenitate vasa iræ, compacta ad interitum?*

II.

Ideoque quicunque damnantur, illi omnes justissime propter peccata damnantur.

II. *rejicimus.*

Quod culpa, cur plurimi homines pereant, sit in Deo.

Doctrinæ veræ Confirmatio.

Matth. 7. 23. *Tunc profitebor eis: Certe nunquam novi vos, discedite à me, qui operam datis transgressioni legis.*

III.

Quare autem Deus ex pariter indignis, certos aliquos, per prædicationem Euangelij sui vocet; causa est, liberrima ejus miserentis voluntas. Qui vero non vocantur, illos ex justo judicio & pro liberrima sua voluntate prætetire decrevit.

III. *Rejicimus.*

Quod, quare Deus, aliis præteritis, alios vocet, sit certa quædam hominum dignitas, sive singulare aliquid in illis latens, præter id, quod toti massæ humanæ corruptæ est commune.

Doctrinæ veræ confirmatio.

Roman. 9. 16. *Non est ejus qui velit, neque ejus qui currat, sed ejus, qui miseretur, Dei.*

Vers. 25. *Vt etiam apud Oseam dicit, vocabo populum, qui meus non erat, populum meum, & eam, quæ dilecta non erat, dilectam.*

Vers. 26. *Et erit in loco, ubi dictum fuerat eis, Non populus meus vos, illic vocabuntur filij viventis Dei.*

Vers. 29. *Et, sicut prius dixit Isaias, Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, facti fuissemus ut Sodoma, & Gomorrhæ similes facti fuissemus.*

Deuter. 4. 34. &c.

Ioh. 24. 2. &c.

Subscriptum erat,

Theologi Bremenses.

DE

De æterna Dei Prædestinatione

EMBDANORVM SENTENTIA;

Primo Articulo Remonstrantium opposita; una cum examine quæstionum controversarum.

I. PRædestinatio est æternum, liberrimum, immutabile, justissimumque Dei decretum, quo apud semetipsum constituit, ex genere humano integre quidem condito, propria tamen culpa, Deo id permittente, in peccatum & mortem lapso; quosdam pro beneplacito suo ad vitam æternam eligere, cæteros vero in exitio relinquere: & utrosq; per certa justaque media ab æterno ad id præparata, ad suos fines perducere: ad declarandam summam misericordiam, & severissimum judicium suum; ut inde in perpetuum gloria sua esset manifesta.

a Exod.33.19. Malach.1.3. Rom.9.11.18. b Eph.1.4.5. II. Causa prædestinationis efficiens est *a* Deus ipse, in quo, & à quo prædestinationis actus est; ut à mente suprema & liberrima, à qua omnia ordinata sunt ad suos fines, & à quo media ad destinatos fines ducentia sunt præparata, *b* idque ante jacta mundi fundamenta.

III. Objectum seu materia circa quam Prædestinationis decretum versatur, est totum genus humanum integre conditum, & propria culpa in peccatum & mortem prolapsum. Dicit enim Apostolus: *An non habet potestatem figulus in lutum, ut ex eadem massa faciat aliud quidem vas ad decus, aliud vero ad dedecus?* Rom.9.21.

c Ephes.1.6. Proverb.16.4. IV. Finis decreti supremus est *c* Dei gloria, non quidem in ipsomet Deo, cui nihil addi nec detrahi potest, considerata, sed quatenus in rebus ab ipso conditis & in earum administratione patefit.

V. Vt autem Dominus consilium istud suum sic exequeretur, ne ipse esset peccati in hominibus, eorundemque damnationis autor, sed omnis gratiæ qua electi servantur, dator & effector, pro infinita sua sapientia, quandam inter ipsum decretum, & decreti finem viam intermediam ab æterno sic sibi substravit; ut inde salutis electorum causa in solo Deo, reproborum vero damnationis causa tantum in ipsis deprehendatur.

VI. Sunt itaque Prædestinationis species duæ: Electio & Reprobatio. Tametsi enim vox Prædestinationis, frequentius sonare prædestinationem sanctorum, in multis Scripturæ dictis videatur, nonnunquam tamen generalius capitur. Actor. 4.18. Rom.9.13.18.21.

VII. Electio ad salutem, de qua hic agimus, est æternum Dei decretum, ex mere gratuito ipsius amore & beneplacito profectum, de certis hominibus quos ipsi libuit, ex genere humano, peccato & maledictioni obnoxio, eligendis, in quorum æterna salute, summam suam bonitatem & misericordiam declararet.

d Rom.8.28. Rom.9.18.21. Ephes.1.5. e Rom.9.11. Rom.11.5.6. 2.Tim.1.9. Tit.3.5. VIII. Causa Electionis efficiens impulsiva una & absoluta, est solum divinæ voluntatis *d* propositum gratuitum, *e* exclusa omni dignitate, præparatione, aptitudine & qualitate nostra, vel prævisa, vel præsente, vel futura, sive interna sive externa, quod contra Pelagianos, Semipelagianos & Remonstrantes, probe est observandum.

f Malach.1.2,3. Rom.9.18.21.22.23. Matth.20.16. Ioan.13.18. IX. Materia seu objectum electionis, non est universum genus humanum, *f* sed sunt certi homines, quos Deus ex toto hominũ genere, ab æterno ad vitam electos, in Christo salvare constituit. Qui enim omnia accipit, nihil eligit: & qui eligit quippiã ex duobus vel pluribus, necessario dicitur, quæ non eligit, rejicere seu reprobare.

X. Explodendi sunt igitur, qui Pelagianos furores hodie renovant, de promiscua omnium hominum electione ad salutem, & quod populus Dei sit universus mundus: quod nihil est aliud, quam filios Dei & Diaboli, imo Deum & Diabolum in unum conflare.

XI. Via, inter Electionis decretum, & decreti finem intermedia, qua Deus ex mera gratia peculiariter electos ad salutem provehit, est 1. Christus: 2. Vocatio ad Christum efficax: 3. Fides. 4. Iustificatio per fidem: 5. Glorificatio. Rom.8.29.30.

XII. Christus

12. Christus merito primo loco collocatur. Sicut enim Deus in *a* Adamo genus humanum, sua sponte lapsurum, condere decrevit: Sic ab æterno alterum veluti Adamum constituere decrevit, in quo electos omnes per ineffabilem misericordiam servaret *b*. Hinc illa æterni Filij ab æterno Patre ante omne tempus prędestinata incarnatio *c*, & ad munus Mediatoris ordinatio *d*, ut eos quos Filio dedit ab exitio ereptos, *e* ad finem præstitutum, nempe, vitam æternam adduceret.

13. Secundum medium est, gratuita electorum à morte in vitam traducendorum per Euangelium ad Christum *f* vocatio: quæ fit, quando vox Dei per suos ministros externe sic auribus corporis insonat, *g* ut simul interne Dei Spiritus audientis animum ad intelligendi facultatem aptet, & voluntatem ad assentiendum efficaciter disponat.

14. Tertium est, *h* Fides vera, quando videlicet ex vocatione efficaci, salutis intellectæ notitia nascitur, & hanc rursus notitiam assensio sequitur, eaque talis, quæ Euangelij promissionem ad propriam credentis conscientiam applicat: *i* quæ fides est gratuitum Dei donum, *k* electis peculiare, etsi alijs citius, alijs tardius concedatur.

15. Quartum & quintum sunt verę Fidei in electis effecta, *l*. Iustificatio, id est, remissio peccatorum, & imputatio justitiæ Christi *m*. Sanctificatio, id est, corruptæ nostræ naturæ per Dei Spiritum inchoata restauratio, ex qua *n* bona opera tanquam fructus sequuntur: *o* Perseverantia in utraque ad finem vitæ.

16. Atque hæc est via, quam Dominus electis suis ad salutem perducendis ab æterno præordinavit, quam ut eorum quisque suo tempore à Deo efficaciter vocatus ingreditur, in eadem constanter progreditur, donec salutem ipsam & gloriam consequatur.

a. *Rom.* 5. 19. 1. *Cor.* 15. 22. *Ephes.* 1. 4.
b. 1. *Cor.* 2. 7.
c. *Actor.* 17. 31. 1. *Petr.* 1. 20: *Ioh.* 17. 2.
d. *Ioh.* 6. 37. 39. *Ioh.* 17. 24.
e. *Rom.* 8. 29. 22. *Ioh.* 10. 28. *Ioh.* 17. 24.
f. *Rom.* 8. 30. 2. *Tim.* 1. 9.
g. *Actor.* 16. 14
h. *Actor.* 13. 48
i. *Ephes.* 2. 8.
l. *Rom.* 8. 30. *Tit.* 3. 5.
m. 1. *Cor.* 1. 30. *Ephes.* 1. 4.
n. *Ephes.* 2. 10.
o. *Ierem.* 30, 40.

17. Hinc sequitur, electos omnes vere ac reipsa tandem in hac vita, suo tamen tempore, de sua ad vitam & gloriam æternam electione, certos fieri & esse: quam certitudinem non ab illa profundissima decreti divini abysso petunt, sed ex effectis electionis, quæ Deus in solis electis operatur, indubitato colligunt.

18. Nam sicut Deus ex alto per causas medias ad nos descendit: ita nos ex effectis ad ipsum ascendimus. Ab effectis Regenerationis, ad justificationem: à justificatione ad fidem: à Fide vera ad vocationem efficacem: à vocatione denique efficaci, ad æternum ipsum de nobis servandis Dei decretum, in quo defixa anchora, spe subvecti, tandem superatis omnibus tentationum tempestatibus, per Spiritum Dei in portum glorificationis evadimus.

19. Hæc primum contra Scholasticos, hanc certitudinem ordinarie cuique electo obtingere negantes: deinde adversus Remonstrantes, qui affirmant, quod nullus sensus aut fructus suæ electionis à quoquam in hac vita sit perceptibilis, nisi tantum conditionatus; diligenter sunt observanda.

20. Hactenus de Electione diximus: nunc de Reprobatione agemus. Reprobationem, dicimus esse æternum Dei decretum, quo apud se pro liberrima voluntate sua constituit, eos quos non elegit, in peccato & ira, in quę per lapsum sunt præcipitati, relinquere, atque in eorum justissima simul & severissima, quam proprijs etiam peccatis meruerunt, condemnatione, summum illud suum adversus omne peccatum odium, summa cum sua gloria, declarare.

21. Non ignoramus equidem, doctrinam de Reprobatione multis admodum esse odiosam, adeo quidem, ut nonnulli totam propterea de Prædestinat. doctrinam prorsus refugiant. Sed cum eam nobis Scriptura cognoscendam proponat: & Electionis decretum sine Reprobatione stabiliri non possit, omitti sane ista non debet, nisi quis Sp. Sanctum temeritatis coarguere, & simul fidei nostræ basin, electionem videlicet, evertere velit.

22. Scriptura enim dicit: *a* Quod Deus Iacobum dilexerit, Esavum oderit: *b* quod Deus repulerit populum suum, quem non præcognovit: *c* quod pertulerit vasa iræ coagmentata ad interitum: *d* quod ipsos (scil: reprobos) induraverit: *e* quod impium creaverit ad diem malum: *f* quod excæcet: *g* Reprobi dicuntur filij perditionis: *h* constituti ad inobedientiam: *i* facti ad eum finem, ut capti intereant *k*, positi ad iram: *l* proscripti ad judicium.

a. *Malach.* 1. 2.
b. *Rom.* 11. 1.
c. *Rom.* 9. 22.
d. *Rom.* 9. 8.
e. *Proverb.* 16. 6.
f. *Isai.* 6. 10. *Rom.* 9. 18.
g. *Ioh.* 17. 12.
h. 1. *Petr.* 2. 8.
i. 2. *Petr.* 2. 12,
k. 1. *Thess.* 5. 9.
l. *Iud. vers.* 4.

23. Porro, ficut prius expoſuimus, quibus cauſis ſeu medijs Deus ęternū electionis propoſitum in electis exequitur: ita quibus medijs ij, qui in ſuo exitio ſunt relicti, ſine ulla Dei culpa, æterno Dei judicio aditum ex ſeſe patefaciant; explicabimus.

24. Prima & ſumma eorum exitij cauſa eſt, primorum parentum corruptio, ſpontanea Adami voluntate in ipſum primum introducta, ac deinceps juſto Dei judicio in ſingulos ipſius poſteros propagata: in qua ſi Deus omnes relinqueret, nemini injuriam faceret, ut qui nemini ſit debitor.

25. Secunda eſt, quod Deus reprobos, aut nulla prorſus externa per Euangelium vocatione dignetur: aut quoſdam eorum per vocem Euangelij quidem externa, ſine tamen adjuncta interna ſpirituali efficacia vocet: aut in nonnullis etiam quendam aſſenſum, & fidei quandam ſpeciem gignat: ita tamen, ut omnes tandem cæcitate & corruptione voluntaria gaudentes derelinquat, & ſalvifica ſua gratia non dignetur.

26. Tertia cauſa eſt, induratio reproborum, quæ infligitur quidem à Deo, ſed ita ut illam non efficiat. Indurat enim Deus, partim Satanę partim ipſorum concupiſcentijs juſte illos ut judex tradens. Indurat autem Satan tentans, & malas cogitationes in ipſis ciens. Indurant denique ſeipſos ſua corrupta mera ſpontanea voluntate, quæ propria eſt voluntariarum omnium actionum hominis principium.

27. Quarta, ſunt indurationis reproborum effecta, quæ ſunt quorumlibet ſine diſcrimine & pudore vitiorum & flagitiorum, ex mera impietate, perpetratio: eorundemque, tum à ſeſe tum ab alijs commiſſorum, patrocinatio: denique in ijſdem ad finem vitæ perſeverantia.

28. His omnibus ad hunc modum ordine explicatis, conſiderandum venit juſtum Dei, tum de electis, tum de reprobis, judicium.

29. Deus cum ſit ipſamet juſtitia, par eſt, ut juſtos ſervet: injuſtos condemnet. Atque ij ſolum ex hominibus juſti ſunt, qui fide Chriſto uniti, & per eum juſtificati & ſanctificati ſunt. Quare vita, cui deſtinati ſunt, jure quodam ad eos ſolos pertinet. Contra vero, qui in Adamo ſpontanea pollutione & morte manent, merito ſunt Deo exoſi, ut ab ipſo damnentur.

30. Quare tandem Deus, quos ab æterno in Chriſto elegit, atque in peccatum & mortem ſponte præcipitatos per eum redemit, per Euangelium vocavit, fide donavit, juſtificavit, ſanctificavit; in vita ęterna quoque glorificat & coronat, ut ipſius majeſtatem coram intueantur, & inenarrabili gaudio perfruantur, quod eſt ipſis ab æterno deſtinatum. Atque hæc eſt gloria & ſalus electorum.

31. Contra vero reprobos quos ab ęterno non elegit, in peccato & morte per voluntariam defectionem deprehenſos, natos, educatos, mortuos, ut juſtus judex damnans, in æternum illum ignem, Diabolo & ipſius Angelis præparatum abjicit. Et hęc juſta damnatio reproborum.

32. Hac igitur duplici ratione, eaque plane diverſa, ultimus ille judiciorum Dei exitus *a* gloriam ipſius omnibus patefaciet: ut nimirum immenſa ejus, in electis ſuis per Ieſum Chriſtum gratis à peccato & morte liberatis & glorificatis, miſericordia: & ſevera ejus in reprobis, propter peccatum ſponte attractum & conſummatum, abjectis & damnatis, *b* juſtitia appareat.

a *Rom. 9.23. Eph. 1. 6. ibid. 11. 12.*
b *Rom. 9.22. Proverb. 16.4.*

Examen

Examen breve quæstionum potissimarum inter Contra-Remonstrantes & Remonstrantes controversarum, circa primum Articulum,

DE

PRÆDESTINATIONE

Et primo quidem de Electione.

AN loca illa Scripturæ Ioh. 3. 16. Ioh. 6. 40. Hebr. 11. 6. 1. Cor. 1. 21. contineant totum & integrum Prædestinationis sive electionis decretum. Vel, an decretum prædestinationis totum, hoc sit, quod Deus decrevit credentes salvos facere. Affirmant Remonstrantes; Negamus nos, & ponimus hanc Thesin: Quæst. I.

Totum electionis decretum hoc est, quo Deus constituit ab æterno, primo ex genere humano lapso quosdam eligere, quorundam misereri, eosque gratis à reliquis separare, & fidem eis gratuito donare, ac tum demum vera ac viva fide donatos salvos facere; probamus.

Rom. 9. 15. *Miserebor, cuiuscunque misertus fuero, commiserabor, quemcunque commiseratus fuero.* Item v. 17. *Non est volentis neque currentis, sed Dei miserentis.* Et antea v. 6. *Non omnes qui sunt ex Israel, sunt Israelitæ: Neque omnes, qui sunt semen Abrahæ, sunt eius filij.* Et vers. 13. *Iacobum dilexi, Esavum odio habui.* Deutr. 32. 8. *Cum divideret Altissimus gentes & separaret filios Adam: pars Iehovæ factus est populus eius, & Iacob funiculus hæreditatis eius.* Psalm. 147. 19. *Indicat verbum suum Iacobo, & iura sua Israel, Non fecit ita ulli genti.* Matth. 11. 25. *Abscondisti ea à sapientibus, revelasti parvulis, quia ita placuit tibi.* Matth. 13. *Vobis datum est, nosse mysteria regni cælorum.* Ex quibus colligitur, Deum æterno suo decreto certos homines ab alijs segregasse, quibus fidem daret, antequam eosdem per fidem salvaret. Loca Scripturæ à Remonstrantibus allata, non probant contrarium. Agunt enim omnes de exequutione decreti electionis, non de decreto ipso. Quæ duo nisi distincte in hoc negotio considerentur, multas confusiones pariunt. 1. Locus Ioh. 3. agit non de decreto in se, sed de medio, quo tendit prima causa ad finem destinatum, quod medium est fides. 2. Deinde, cum hic expresse dicatur dilectionem esse causam dationis Christi & fidei: sequitur inde, neque Christum, Christique meritum, neque fidem esse vel causam vel conditionem prærequisitam dilectionis, beneplaciti, & electionis divinæ, sed contra esse ejus effecta. Quamvis locus hic rite explicatus, totum salutis nostræ negotium continere recte dici possit. Dilexit enim Deus nos dilectione perpetua. Ex gratuito itaque amore ab æterno quosdam ab alijs separavit; ex eodem amore iisdem dedit Filium unigenitum; ex eodem fides in Iesum Christum emanat; ex eodem denique dat vitam æternam. Hac explicatione veritati nihil decedit, neque hac concessione Remonstrantium sententiæ quicquam accedit. Ioh. 6. 40. agitur de voluntate servandi fideles, quæ pertinet ad decreti electionis exequutionem. De alia Dei voluntate (sic loquimur nostri respectu, cum revera una tantum sit Dei voluntas eaque simplicissima.) loquitur versu antecedente 39. ex qua voluntate voluit ab æterno fide in tempore donandos, ab alijs primo separare, & ad vitam æternam eligere, eosque Christo salvandos dare. Hebr. 11. 6. loquitur de ea fide, quæ est ἐλπιζομένων ὑπόστασις, & per quam testimonium consecuti sunt veteres, quamque illi varijs modis per bona opera declararunt, ideoque per illam Deo placuerunt. Hæc autem fides actu fuit ipso. Si autem ex hac fide elegit eos, quorum ibi fit mentio, sequitur electionem

 fieri

fieri in tempore, quod pugnat cum doctrina Pauli ad Eph. 1. 4. ante mundi constitutionem. Deinde aliud est per fidem placere Deo, aliud per fidem eligi. Illud enim Scriptura dicit, hoc autem nullibi: Nam possumus sine fide eligi, sed reconciliari Deo, justificari, à reatu absolvi sine fide non possumus.

Deinde placemus Deo dupliciter, 1. cum adhuc sumus inimici, quorum tamen ex mera gratia Deus vult misereri. 2. quando fide in Christum re ipsa justificamur.

Locus 1. Cor. 1. 21. non facit ad rem. Docet enim illic Paulus, non quos Deus velit eligere, sed quos velit salvos facere, nimirum, qui credunt Euangelio, quod profani homines pro stultitia habent. Etiamsi autem Deo placuerit per stultam prædicationem credentes servare: placuit tamen eidem etiam antea aliquos ab æterno discernere, quibus in tempore fidem daret, sicuti supra ostensum.

Quæst. II. An electio sit una tantum, an vero multiplex. Respondemus hac Thesi: Scriptura ubique unius tantum electionis mentionem facit, qua Deus nos elegit in Christo ante jacta mundi fundamenta. Ephes. 1. Rom. 9. 11. *propositum secundum electionem.* Rom. 11. 7. *Electio assecuta est*; & passim alibi 2. si electio quædam est incompleta, indefinita, revocabilis, sequitur electionem non esse ἀμεταμέλητον Iam autem Scriptura testatur, omnia Dei dona esse ἀμεταμέλητα Ergo & electio. 3. Item, sequitur, nos bis esse electos, semel ita ut non possimus fieri reprobi, cum nimirum in fide morimur. Altera vice, revocabili, & non peremptoria electione &c. quod absurdissimum est. Itaque figmentum illud de completa & incompleta, indefinita & definita Geldrorum Remonstrantium: Item, de absoluta & condicionata, universali & singulari responsorum adversus VValachros; peremptoria, thesi exhibita 7. Revocabili, Grevinchovij; plane repudiamus, ut quod Deum gloria sua, homines vera consolatione in vita & in morte spoliat, omnem certitudinem in Doctrina religionis tollit, viam denique amplam ad Pelagianismum aperit, imo nihil aliud est, quam ipse Pelagianismus.

Quæst. III. An Fides, fideique perseverantia, obedientia &c. sint conditiones in eligendo prærequisitę, ac antecedaneæ, & qualitates in electione à Deo consideratę, ut loquuntur Remonstrantes Vltrajectini ad 1. & 11. Articulum.

Thesis contraria.

Sola Dei εὐδοκία & propositum in gratuita ejus dilectione & misericordia fundatum est causa electionis, tum ad salutem, tum ad media eo ducentia,

Matth. 11. 26 ὅτι οὕτως ἐγένετο εὐδοκία ἔμπροσθέν σου Luc. 12. 32. *Ne time pusille grex, quia placuit Patri tibi regnum dare.* Rom. 9. 11. *ut propositum secundum electionem firmum maneret.* Rom. 11. 5, Ephes. 1. 5. *prædestinavit nos, secundum propositum voluntatis suæ.* & vers. 11. *prædestinavit secundum propositum eius, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.* Deutr. 7. 7. 8. *Non quod plures essetis reliquis populis, selegit vos Deus, sed eo, quod diligit vos Iehovah. Deus Iacobum secundum beneplacitum suum elegit.* Rom. 9. *cum nihil boni aut mali fecissent*; Ergo etiam alios.

Cum eligimur, sumus filij iræ, in peccatis mortui, hostes Dei, vide Rom. 3. Ergo non ex pręvisa fide, aut alia aliqua qualitate eligimur ad vitam, neque agnitio peccatorum, pœnitentia, humilitas &c: sunt conditiones prærequisitæ decreti electionis ad fidem.

Conditiones itaque illas Remonstrantium prærequisitas, ut humani cerebri somnia omnino rejicimus. Ratio.

I. Quia Deus in homine nihil boni prævidit, quod non antea decreverit ipse in eo efficere. Ergo elegit primum, deinde in electo suo statuit aliquid boni operari.

II. Quia hac ratione Dei propositum, consilium, beneplacitum prorsus tollerentur: si enim electio est ex fide pręvisa, non manet firmum Dei propositum ex vocante, sed manet firmum ex vocante hoc est, ex sola vocantis εὐδοκία. Ergo non ex fide pręvisa.

3. Quia sic Deus non posset eorum misereri, quorum vult, sed eorum, qui credunt & perseverant.

4. Quia

IV. Quia sic Deus non esset liberrimum agens, neque posset de suo statuere quod vult, ut supremus omnium Dominus, neque haberet potestatem in nos, quam habet figulus in lutum, quod aperte Paulus ad Rom. 9. asserit.

V. Quia sic electio ab homine in fide perseverante, non à Deo solo penderet, atque ita quod solius Dei est, homini tribueretur.

VI. Quia Deus neminem eligit dignum, sed eligendo dignum facit, ut loquitur Augustinus contra Iulianum. Et non eliguntur qui credunt, sed ut credant.

VII. Sic initium salutis fit ab eo qui servatur, non ab eo qui servat.

VIII. Sic omnis electionis certitudo tollitur, cum homo certus esse non possit an in fide ad finem constans sit futurus nec ne, ut loquuntur illi.

IX. In tota Scriptura de ejusmodi conditionibus prærequisitis nihil reperitur. Nusquam enim dicit, electionem esse ex credente, sed ex vocante & ex gratia. Rom. 9.11.

Sed objiciunt

I. Ex Epist. ad Ephes. 1.4. *Sicut nos elegit in ipso.* Hinc sic argumentantur.

Electio, qua Deus nos elegit in Christo, est tantum fidelium.

Electio facta ante jactum mundi fundamentum, facta est in Christo.

Ergo illa tantum est fidelium.

Major est manifesta ex eo, quod nemo potest esse electus, quam qui est in Christo, quales sunt soli fideles.

Resp. Concedimus totum recte intellectum. Nullos enim Deus, nisi ab æterno electos, fide in tempore donat. Sed secundum eorun mentem ambiguitas est in majore. Potest enim verborum duplex esse sensus. aut enim qui eliguntur jam fideles sunt prævisione divina, quod volunt Remonstrantes: aut qui eliguntur in Christo, futuri sunt suo tempore fideles, ut per fidem, tanquam per divinitus ordinatum medium ad finem, quæ est salus æterna, perducantur, quæ est Orthodoxorum sententia. Omnino enim aliud est in Christo eligi, aliud in Christo esse; quæ duo Remonstrantes confundunt, cum in probatione majoris dicunt, neminem in Christo, eligi, qui non sit in Christo. Nam hæc duo distincte considerari debere, inde liquet, quot ante jacta mundi fundamenta sumus electi in Christo, ut loquitur Apostolus sed non ante iacta mundi fundamenta sumus in Christo: sed tum demum quo tempore per fidem Christo inserimur.

Sed objiciunt, Dei mentem etiam futurorum contingentium præsciam prævidisse, quinam credituri essent, &c. Fatemur. Sed cum nihil Deus boni in quoquam prævidere potuerit, nisi quod ipse in homine operaturus esset, necessario sequitur, Deum primo novisse eos ut electos suos, quibus fidem daturus esset. Vnde colligitur, electionem esse fide priorem. Sanè, si quod ore profitentur, corde sentiant, Deum esse fidei datorem, eumque non dare omnibus fidem, sed aliquibus tantum, necessario inde colligitur, Deum primo juxta beneplacitum suum secreuisse homines, quibus fidem dare vellet, quibus non. Atque propterea primo gratuito favore nouisse suos & ex alijs elegisse, vel ab alijs separasse, quos in tempore fide donare vellet.

Summa hæc est, Si Fides est donum Dei (quod ô utinam verè sentirent) nouit utique is, cui ab omni ævo opera sua nota sunt, quibus hoc donum communicare vellet. Atque ita, nolint velint, fateri cogentur, electionem in Christo esse fide in Christum priorem.

Pro solutione argumenti hujus in Coll. Hag. prolata, etiamsi analoga fidei esse possit, nimirum in Christo electum esse, idem significare, quod per Christum esse electum, quemadmodum per eum sumus conditi, malumus (ne coacta videatur loci interpretatio) simpliciter dicere, nos in Christo θεανθρώπῳ tanquam in capite electos esse, Nisi enim & Deus & homo fuisset, non potuissemus in eo eligi. Hoc tamen non de decreto in sese, sed de exsequutione intelligi volumus.

Secundus locus est ex eodem Capite vers. 5.6. Vnde sic argumentantur.

Quos Deus prædestinavit in adoptionem filiorum, & in Christo, uti dilecto suo acceptos sibi fecit, considerantur ut fideles.

At quos ad salutem elegit, eos prædestinauit in adoptionem filiorum per Iesum Christum, & sibi acceptos fecit in Christo.

Quos ergo elegit ad salutem, considerauit ut fideles.

Major est manifesta, nulla enim est adoptio in filios, nisi per fidem Ioh. 1. 12. Galat. 3. 26.

Resp. Posset concedi & hoc argumentum juxta analogiam fidei explicatum. Quoscunque enim Deus elegit ad salutem, eos consideravit ut fideles: tales scilicet, non qui fidem haberent, qua moveri posset ad eligendum eos, sed quibus ille ut nudis, egenis, omni bono destitutis fidem suo tempore daturus esset. si ita sentirent, salva res esset. Sed cum Deum considerasse ita fideles sentiant, ut fidem eorum, tanquam conditionem prærequisitam prævideri, atque inde ad eligendum motus sit, possunt sane ex hoc ipso loco, quem ad erroneam suam opinionem stabiliendam adferunt, perspicue refutari. Nam.

1. Deus dicitur nos prędestinasse, in, vel, ad adoptionem, vel quos adoptaret in filios. Vnde colligitur, prædestinationem esse adoptione, ac proinde etiam fide priorem. Nam tum demum υἱοθεσίας nostræ certitudinem consequimur, quando in tempore fide actu donamur. Adoptio itaque nostra & fides prędestinationis consequentia sunt & effecta, minime vero conditiones prærequisitæ & prævisæ.

Ioh. 1. 12.

2. Dicit Apostolus, Deum nos prædestinasse in sese. Quo innuit, eum in eligendo nihil extra se, ac proinde neque fidem, neque perseverantiam in ea, neque obedientiam considerasse.

3. Secundum beneplacitum voluntatis suæ; ubi hęc εὐδοκία θελήματ@ αὐτοῦ locum habet, ibi prævisa hominis fides locum habere nequit. Est enim beneplacitum Dei, ex quo fidem dat fide prius, ac proinde fides causa ejus movens nullo modo esse potest.

4. Ad laudem gloriosæ suæ gratiæ. Hęc gratia omni modo gratuita esse non posset, si aliquid in homine foret, quo ad gratiam hanc homini conferendam moveretur Deus. Neque solius Dei hac ratione gloria esse posset.

5. Vt essemus sancti & inculpati. Fides itaque cum sanctitate alijsque fructibus suis posterior est electione, ejusque effectus, ac proinde conditio prævisa & prærequisita nullo modo esse potest. Elegit enim nos ut crederemus, non quod credimus. Nam fides naturæ ordine sequitur gratiam, ut effectus causam. August. de Præd. Sanct. c. 16.

Tertium illorum argumentum sumitur ex voce, *electus*, quę sępenumero in sacris literis occurrit. Argumentum tale est:

Dictio Electi in S. Scriptura, quando agitur de salute, accipitur passim pro fidelibus.

Nulla est igitur electio ad salutem, nisi fidelium.

Resp. 1. Electos omnes fideles fieri tempore divinitus ipsis præstituto, neque ante illud tempus fideles esse. Prius itaque electi sunt, quam fiunt fideles. Exemplo Pauli hoc manifestum fit, Actor. 9. qui vas electum dicitur, antequam fidelis esset. Ideoque ad Gal. 1. 15. dicit se segregatum esse ab utero matris, ut Christum gentibus Euangelizaret. Fuit itaque primo divinitus segregatus antequam fidem consequeretur. Res hęc luce meridiana clarior est.

Resp. 2. Consequens esse ambiguum. Sano sensu acceptum, amplectimur illud, nimirum nullos à Deo electos esse, qui non suo tempore fide donentur, quo salutem consequantur. De fide electionem antecedente, & ut prærequisita in eligendo conditione, falsum est consequens, ut aliquoties nunc ostensum.

Quartum argumentum sumitur ex locis Rom. 9. 22. Ephes. 1. 5. sic:

Prędestinatio, qua Deus in his ostendit suam misericordiam, in illis severitatem, est vera & unica prędestinatio.

Atqui decretum de servandis fidelibus hinc, & damnandis infidelibus illinc, est prędestinatio, qua Deus hinc ostendit misericordiam, illinc severitatem suam.

Illud ergo decretum est unica & vera Prędestinatio.

Resp. peccari hic ignoratione Elenchi. Conclusio enim non contradicit Thesi quę oppugnatur, quæ hæc est, Fidem non esse conditionem in eligendo, infidelitatem in reprobando prærequisitam. Hoc probent, & missas faciant ambiguitates illas in suis argumentis, quibus jam nimis diu afflictas Ecclesias fatigarunt. Argumentum hoc revera contra nos non est, sed pro nobis facit. Si enim Deus decreverit ostendere in his misericordiam, in illis justitiam suam, sequitur sane illum antea omnes ut miseros & peccatores considerasse, illosque ab hisce separasse, ut in illis fide donatis misericordiam, in hisce juste derelictis suam justitiam declararet.

Resp.

Resp. 2. Majorem, Remonstrantium sensu acceptam, falsam esse. Non enim est hæc unica Prædestinatio, sed unicus tantum prædestinationis actus, quo Deus in aliquibus vult declarare misericordiam, in aliis justitiam suam. Alius actus est, quo per certa media eosdem ad salutem perducere decrevit Deus.

Quintum argumentum ab exequutione decreti, quæ fit in tempore, desumitur; hoc modo.

Quos & quales Deus in tempore servat & perdit, eos & tales ab æterno decrevit servare & perdere.

Atqui Deus solos fideles perseverantes, qua tales, servat in tempore, sed infideles qua tales perdit.

Deus ergo decrevit ab æterno solos eos & tales servare & perdere.

Resp. 1. Remonstrantes suomet ipsorum se hic jugulare gladio. Apertum enim hic ipsi discrimen faciunt, inter decretum quod fuit ab æterno, & exequutionem decreti, quæ fit in tempore; quæ duo alias semper fere confundunt.

2. Non probant quod probare instituerant, nimirum, fidem prævisam esse conditionem in eligendo prærequisitam. statum itaq; controversiæ studiose declinant, & hoc concludunt, quod non est contra nos. Nisi forte in verbis qua tales, fraus lateat, & hoc illis idem sit, ac si dixissent, propterea quod tales, hoc est, fideles sunt vel infideles. Quod de infidelibus concedimus, cum infidelitas propria ipsorū & ex corrupta eorum natura, fides autem gratiæ divinæ beneficium sit. Vnde fit, ut illi propter incredulitatem damnentur, hi autem nequaquam propter fidem, sed per eam, hoc est, per Christum fide apprehensum serventur. Minor itaque, fideles quod attinet, falsa est, & probatione indiget. Hoc enim illud ipsum est, de quo controvertitur, ideoque pro confesso assumi nequit. Fatemur itaque Deum in tempore fideles servare, & hoc ipsum ab æterno decrevisse, sed non qua illi fideles sunt, quasi ille in eligendo fidem præviderit: sed qua ille tales per gratuitam suam gratiam facturus esset, & reipsa facit, ita ut fides medium sit, per quod electos ad salutem perducit.

3. Argumentum hoc ipsos adversarios confodit. Si enim Deus salvos facit in tempore, quos ab æterno servare decrevit, sequitur, illum non indefinite, neque universaliter, neque incomplete, neque revocabiliter, neque non-peremptorie, sed definite &c. hos & illos singulares homines, quos in tempore vocat fideque actu ipso donat, ab æterno elegisse. Duo itaque, ut Prædestinationis decretum sit totum & integrum, requiruntur: primo electio & separatio singularium personarum ad salutem & gloriam: deinde earundem in tempore vocatio ad gratiam: fideique donatio, quæ sunt media, quibus ad gloriam perducuntur.

Vltimum eorum argumentum hoc est;

Decretum Dei de hominis salute, cujus fundamentum est Christus, est electio ad salutem.

Atqui decretum de servandis fidelibus est illud decretum Dei de salute, cujus Christus est fundamentum.

Ergo, decretum de servandis fidelibus est electio ad salutem.

Minorem quæ probatione non indigebat, patere dicunt, cum unicum illud decretum sit fundamentum Christianismi, salutis & certitudinis de salute.

Resp. 1. Concedimus totum argumentum. Non enim facit contra doctrinam Orthodoxam hactenus ex verbo Dei defensam. Credimus enim Deum nullos, nisi in Christum credentes, salvare, & tales decrevisse salvos facere.

2. Non concludit illud, quod erat in quæstione, nimirum fidem prævisam esse conditionem in eligendo prærequisitam.

3. Medium terminum, Christum salutis fundamentum esse, explicamus. Christus est salutis fundamentum 1. quatenus ab æterno præscitus & præordinatus est ut esset Mundi Salvator. 1. Pet. 1. 2. quatenus in illo tanquam in capite Deus nos elegit, Eph. 1. ita ut ipse sit omnium electorum caput, & fons bonorum omnium, quæ ipsis in electione destinantur. 3. quatenus in plenitudine temporis manifestatus, pretiosum suum sanguinem pro nostris peccatis effudit, atq; ita viam ad gloriam nobis patefecit. 4. quatenus eum, ejusque satisfactionem fide, quæ purum putum Dei donum est,

apprehendimus, perque eam ipsi tanquam palmites viti inserimur, tandemque in plenam bonorum ipsius sanguine partorum possessionem immittimur. Ex quibus colligitur, fidem electione tum nostra, tum Christi ipsius posteriorem, ipsique electioni substratum medium esse, per quod electi ad finem destinatum perducuntur.

4. Quod fidem hanc Remonstrantes, qua Deum fideles & perseverantes elegisse dicunt, fundamentum certitudinis salutis esse asserunt, in eo vehementer falluntur. Cum enim secundum ipsorum mentem, nemo de sua perseverantia certus esse possit, potius hinc desperationis de salute sua, quam certitudinis salutis ansam arripient afflictæ conscientiæ. Etiamsi enim nunc credant, non possunt tamen certi esse, se ad finem perseveraturos in fide, cum multi vere fideles naufragium fidei fecerint, ut illi loquuntur. Atque ita perpetuo inter spem & metum ancipites hærere & fluctuare semper coguntur. de quibus articulo 5. pluribus agetur.

Et hæc de quæstione tertia dicta sufficiant.

Quæstio IV. Hic simul & alia huic affinis quæstio expeditur, An scil. Christus ita sit electionis fundamentum, quod sit, ut salutis, ita etiam electionis causa meritoria & προκαταρκτική. item, an ita simus in Christo electi, quatenus per fidem fuimus in Dei præscientia tanquam ὄντες ἐν αὐτῷ, atque ita fides prævisa sit conditio electionis prærequisita.

Hoc posterius supra refutatum fuit.

Illud his rationibus nixi negamus:

1. Causam efficientem electionis oportet ab æterno fuisse.

At Christi meritum non est ab æterno. Ergo.

2. Qui ad munus Mediatoris ab æterno electus est, ut nimirum electos cum Deo reconciliaret, is est electionis non causa, sed effectum.

At Christus ad munus Mediatoris ab æterno electus est, ut nimirum electos cum Deo reconciliaret.

Ergo Christus electionis non causa, sed effectum est.

Non enim ideo elegit nos Deus, quia Christus pro nobis moriturus erat: sed contra, ideo Christus pro nobis mortuus est, quia Deus nos elegerat in ipso.

3. Electi cum eligente uniri non poterant, nisi per ejusmodi medium, quale est Christus θεάνθρωπος, ei conjungerentur.

Non enim eramus in nobis ipsis tantæ excellentiæ capaces. Oportuit itaque in eo tanquam in capite electionem nostram firmari.

4. Si propter meritum Christi, idque fide apprehensum, ut loquuntur, electi sumus, sequitur nos prius in Christum credidisse, quam fuimus electi, quod est absurdum.

Quæstio V. Ex quibus omnibus facilis est responsio ad quintam quæstionem. An fides, vocatio efficax, justificatio, perseverantia &c. effecta sint & fructus electionis, mediaque per quæ electi ad salutem perducuntur. Cum enim in antecedentibus probatum sit electionem gratuitam, quæ omnibus rebus & causis prior est, horum omnium causam esse, infallibiliter sequitur, hæc omnia electionis effecta esse. Sed tamen plusculum de hisce dicendum erit.

1. Vocationem efficacem & fidem electionis fructum esse, probatur ex cap. Rom. 8. 30. *Quos prædestinavit, eos etiam vocavit.* Loqui hic dicimus Paulum de vocatione efficaci & fide, sed Remonstrantes Coll. Hag Brandij pag. 3. dicunt, hanc interpretationem esse nudam tantum glossam, textui non congruam. Agi enim hic non de hic absoluta electione ad salutem, neque de ulla vocatione ad fidem, quæ ex tali electione prodit, sed de ordinatione & vocatione eorum, qui Deum diligunt, hoc est, fidelium, qui ad crucem & afflictiones vocantur, ut Christus, qui adversus mundi, eos ut execrabiles condemnantis, judicium, ab ejusmodi judicio justificati sunt, ut & Christus: qui etiam hac via glorificantur, ut & Christus, &c. Quid, obsecro, est Scripturam pervertere, torquere, & subvertere, si hoc non est?

Sed respondemus, Fateri nos, Paulum hic agere de cruce & afflictionibus piorum, quos adversus eas varijs argumentis, imprimis etiam hoc ipso consolatur, quod crux & calamitates ijs ex æterna Dei prædestinatione immittantur, ut istac ratione conformes fiant Christo capiti suo, primum in crucis toleratione, deinde in gloriæ fruitione. Ergo sic agit de Ecclesiæ calamitatibus, ut etiam ad consolationem summam piorum, insignem salutis catenam auream contexat. Summa est, fideles patienter oportere crucem suam ferre, quia non solum afflictiones, sed etiam salus eorundem in æterno Dei

tio Dei proposito fundata sit, quod Dei propositum nullus hominum aliarumque creaturarum infirmare potest. Etiamsi itaque impij fideles affligant, patria, opibus, vitaque ipsa sæpenumero spolient, summaque ignominia afficiant, patienter tamen hæc ferenda esse, cum æternam salutem in Dei decreto fundatam ab ipsis auferre nequeant. Secum itaque nos Paulus, ne sub ærumnis vacillemus, in ipsa decreti & propositi divini penetralia abducit, ut ibi causas salutis nostræ æternas & immobiles considerantes, contra omnes calamitates fortiter persistamus.

Dicit ergo primo, κατὰ πρόθεσιν vocatos esse. πρόθεσις est æternum Dei beneplacitum, sic dictum, quod πρὸ χρόνων αἰωνίων 2. Tim. 1. 9. positum est. Ex hoc proposito dicit nos esse vocatos, nimirum efficaciter & ad fidem. Dicens enim, vocatos esse κατὰ πρόθεσιν, vocationem efficacem à non efficaci distinguit, de qua Christus Matth. 22. *Multi vocati, pauci electi*. Conjungit itaque crucem & salutem, dicitque ex eodem fonte utrumque manare, & adversa quæque cooperari filijs Dei in bonum, & adjuvare eorum salutem. Ergo patienter ferenda.

Non agit itaque tantum de vocatione ad crucem, sed simul etiam de vocatione crucigerorum ad salutem in æterno Dei proposito fundatam. Et sic vox illa vocati plerumque accipitur, raro aut nunquam pro vocatis ad crucem. Sic Paulus Rom. 1. 7. appellat Romanos vocatos Sanctos. Et Corinthios 1. Cor. 1. 2. Ideo pro Ephesijs cap. 1. orat, ut intelligant, quæ sit spes vocationis illorum, non spes crucis, sed æternę salutis. Exemplum Pauli secutus Petrus, eodem argumento afflictos consolatur, cum 1. Pet. v. 10. dicit paululum afflictos ad æternam gloriam vocatos esse.

2. Deinde Apostolus semel adyta προθέσεως divinæ ingressus, pergit, dicitque, *præcognitos* etiam esse fideles crucem ferentes, quæ pręcognitio Dei, non est tantum cognitio, qua omnia quæ cum ipse, tum creaturæ omnes facturę erant, sed etiam & quidem imprimis agnitio, qua suos ab æterno agnovit, & gratis approbavit, ac amavit. Ideoque eisdem suo tempore fidem dare constituit, ut ex fide tantum benefactorem summo vicissim amore prosequerentur. πρόγνωσις itaque hæc non nuda scientia est tantum, sed scientia cum benevola & paterna Dei voluntate conjuncta, sicuti Iacobum dicitur amasse, Malach. 1. Rom. 9. 13. Hinc Deus dicitur nosse suos, Psalm. 1. 2. Tim. II. 19. alios autem ignorare, Matth. 7. Et, 1. Pet. 1. 2. docet, ex hac Dei præcognitione nos electos esse &c. Absurdum itaque, velle hanc Dei πρόγνωσιν tantum ad piorum crucem, non etiam ad eorum salutem referre. Nuda enim illa præscientia, exiguam afflictis consolationem afferret.

3. Quos autem præcognovit, eos etiam prædestinavit, ut forent conformes imagini Filij sui.

Prædestinare est rem ad finem præordinare, antequam eam ad finem mittas. Iam autem crux non est finis ad quem suos prædestinavit proprie Deus; sed prædestinavit eos ad vitam, ad salutem & gloriam, adque media eo ducentia, Ephes. 1. 11. *prædestinati secundum propositum ejus.* Et vers. 5. *prædestinati in adoptionem filiorum.*

Sensus itaque Apostoli hic est: prædestinatos nos esse, ut Christo fiamus conformes 1. in fide veraque fiducia in Deum nostrum 2. in Sanctitate & justitia. 3. in gloria, ita tamen, ut ipse sit primogenitus inter multos fratres, & immensa gloria præ omnibus suis consortibus exornetur. Erimus ei similes, sicuti ipse est 1. Ioh. 3 in eandem gloriam transformabimur. 2. Cor. 3. Cohæredes Christi erimus Rom. 8. 4. In medijs ad finem, hoc est, in cruce & calamitatibes patienter ad exemplum Christi ferendis, ut per eas, cum Christo regnum cælorum ingrediamur, ab exordio mundi nobis præparatum. Si enim cum eo toleramus, conregnabimus 2. Tim. II 12. Ex quibus liquido apparet, conformitatem hanc ad imaginem Filij Dei non tam in afflictionibus, quam in gloria secutura consistere.

Hactenus nos secum in cælos subvexit Apostolus; jam ad terram nos revocat.

4. *Quos prædestinavit, eos vocavit.* Hoc primum est Medium, per quod Deus suos pręcognitos & prędestinatos ad gloriam traducit, vocatio nimirum externa, quę fit voce Euangelij, & interna, quæ fit per Sp. Sanctum &c.

Sed ajunt, vocavit prædestinatos ad crucem.

Resp. 1. Concedo, sed non ad solam crucem, neque potissimum ad crucem, sed ad gloriam sequuturam, ut ex superioribus liquet.

2. Dixit

2. Dixit Paulus supra vers. 28. Omnia ijs, qui Deum diligunt, esse adjumento ad bonum, ijs scil. qui ex præstituto ipsius vocati sunt. Hoc autem de cruce & calamitatibus dici nequit, cum multis non sint adjumento ad bonum, qui ad eas vocati sunt, sed initium pœnarum æternarum. De alia itaque hic agit vocatione, quam de ea quæ est ad crucem.

Observ. vocationem hic sequi prædestinationem. Falsum itaque, quod in resp. ad VValachr. dicitur, decretum vocationis prius esse decreto electionis.

5. *Quos vocavit, eos justificavit*, non à perversis hominum judicijs, ut perperam aureum hunc locum Remonstrantes in Collat. Hagiensi interpretantur, sed à reatu & peccatis nostris. Probatur vocem justificationis ita hic accipi debere;

1. Ex verbis seqq. *si Deus pro nobis, quis contra nos? qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus dedit eum, quomodo non omnia cum eo nobis gratificabitur?* non autem gratificatus est crucem, sed ex vocatione efficaci fidem, justitiam, & gloriam.

2. *Quis intentabit crimina adversus electos Dei? Deus est qui justificat; Quis est, qui condemnet? Christus est, qui mortuus est &c.* Agitur hic ubique de justificatione non ab hominum pravis judicijs, sed à peccatis nostris. Hęc itaque, ut manifestum est in textu, sequitur electionem, ejusque fructus est, & effectus.

6. *Quos justificavit, eos glorificavit*, inchoate in hac vita, dum electos suos sanctificat, complete autem in vita futura. Vnde concluditur: Ergo quos Deus prædestinavit, eos ad gloriam potissimum, non ad crucem ferendam prædestinavit. Sic vindicatus fuit locus vere aureus à perversa & corruptissima interpretatione quorundam.

Fidem, vocationem &c. esse fructus electionis, probamus 2. ex loco Actor. 13. 48. *Crediderunt, quotquot ordinati erant ad vitam æternam.*

Sed objiciunt, hoc non esse intelligendum de aliqua præordinatione aut prædestinatione Dei ad salutem, sed de præsenti conditione, dispositione, habilitate & aptitudine gentilium, qua Dei gratia præditi erant, ut ad vitam æternam pervenirent.

Resp. Esse loci hujus ψευδοερμηνείαν. Non enim hic agit de hominum dispositione, habilitate &c: sed de æterna Dei ordinatione. Non enim τεταγμένοι activum est, sed passivum. Deinde, qui ordinatur ad rem aliquam, eum necesse est ab aliquo ordinari: à seipso nemo potest dici ordinatus esse. Ergo à Deo, qui omnia ordinat & efficit ex consilio voluntatis suæ. Dicitur enim expresse, *ordinatos fuisse ad vitam æternam.* Constat autem, nullum hominem semetipsum ad vitam æternam disponere posse, quod est solius Dei opus. Si scriptum esset, Crediderunt, quotquot erant ordinati ad fidem, forte colorem aliquem haberet hoc eorum glossema: sed cum scriptum sit, ordinatos fuisse ad vitam, manifestum fit ex hoc loco, fidem à Dei electione pendere. Et hæc fuit etiam Patrum sententia, & omnium probatissimorum doctorum nostri seculi, de quibus nunc non est dicendi locus. Adde, quod Remonstrantes hic sibimetipsis contradicant, cum statuunt prius homines dispositos vel ordinatos fuisse ad vitam, quam ad fidem tanquam medium, per quod ad vitam pervenitur; id quod alias ubique negant. Exponant itaque quænam sit illa dispositio, habilitas, & aptitudo hominum ad fidem.

Probo 3. ex loco Tit. 1. ubi *fides electorum Dei* dicitur. Prius itaque electi sunt, quam fideles.

Sed objiciunt, per *fidem* hic intelligi agnitionem & doctrinam veritatis. Sed non constant sibimetipsis in hoc suo interpretamento, cum postea dicant, per fidem electorum posse etiam intelligi fidem, quam omnes electi habent & sine cujus respectu nemo electus est.

Resp. 1. Abludere eos à scopo. Paulus enim docet simpliciter, se esse Apostolum Iesu Christi, ut ad fidem, agnitionem veritatis, veram pietatem, fideiq; obedientiam, spem vitę æternæ, ac ad ipsam vitam æternam promissam ante tempora sæculorum, per præconium, quod concreditum erat ei, perduceret electos Dei. Loquitur itaque de vere electis, & de vera eorundem fide. 2. Si secundum eorum interpretationem, fides electorum est ipsa doctrina veritatis, non potest esse agnitio veritatis. Quoniam doctrina veritatis est causa agnitionis veritatis. Causa autem & ejusdem effectus, non possunt esse unum & idem.

3 Cum dicunt, Paulum doctrinam fidei electis annuntiasse, hoc est credentibus & Sanctis, falluntur rursus, cum Paulus non electis solum, sed & non electis, non sanctis solum, sed etiam prophanis gentibus, qui quondam sine Deo erant, in mundo

Euan-

Euangelium prædicarit. Adde, quod sanctum, fidelem esse & electum confundunt; cum electi simus ut essemus sancti, Ephes. 1. ideoque sanctitatem præcedit electio.

4. Absurda est hæc interpretatio, cum secundum eam primo sanctos & fideles oportuit fuisse, antequam doctrinam veritatis audivissent.

Hæc forte prævidentes, confugiunt ad aliam interpretationem, dicentes, per fidem electorum intelligi fidem, quam omnes habent electi; & sine cujus respectu nemo electus est. Sed hac ratione nemo electus esset ante finem vitæ, neque peremptorie & complete electus, cum non constat, an in fide perseverare debeat. Paulus autem non loquitur de futuris & electis incerto electis, sed de præsentib., & certo ac cōplete electis.

Adde, ad Eph. 1. 5. *Prædestinavit nos ad adoptionem*. Adoptamur autem per fidem 1. Ioh. 1. 12.

Atque ita probatum fuit, fidem, vocationem efficacem, justificationem, prædestinationis effecta & fructus esse.

Alia quæstio sequitur; An decretum divinum prærequirat conditionem, longo licet post tempore præstandam, modo eam ipsam ut præstitam intueatur futurorum etiam contingentium præscia Dei mens. Sic loquuntur in Resp. ad VValachr. pag. 42. Quæst. VI.

Resp. Nos omnino hoc ut falsum negare. Si enim decretum divinum prærequirit conditionem, sequitur, Deum quædam tum demum velle, cum conditio completur, & non amplius velle, cum conditio desinit.

Quo posito, infertur, Dei voluntatem esse mutabilem.

Deinde, si Dei decretum requirit conditionem adhuc implendam, & ab illa pendet; sequitur esse aliquam Dei voluntatem non æternam, sed quæ ex perit in tempore. Contra dicit Scriptura, Deum omnia agere ex proposito suo, hoc est, æterno decreto, & ex consilio voluntatis suæ, Ephes. 6. 11.

Denique, ea ratione penderet decretum Dei à præscientia ipsius, cum contrarium sit verum. Ideo enim præscit Deus, hoc & illud futurum, quia decrevit, ut ita fieret.

Sequitur etiam hinc, Deum non esse omniscium, eumque ignorare, *an homo conditionem propositam implere debeat & possit, an non*, ideoque decretum suum, ut incertum suspendere, donec homo prærequisitam conditionem impleat.

Item, voluntatem Dei dependere ab hominis voluntate & conditione certa implenda, cum tamē illa omnino independēs & omnib. causis superior esse statuenda sit.

Hisce rationibus concidit etiam alia quæstio mota à Remonstrantibus in thesi exhibita 2. An decretum electionis sit decretum finis absolute intenti.

Septimo quæritur: An electio sit mutabilis.

Hæc quæstio ex priori oritur. Si enim decretum Dei pendet à conditione hominibus implenda; homo autem inconstans est; plane sequitur, & decretum Dei mutabile esse, id quod totum doctrinæ ipsorum Systema manifestum facit satis superque, inprimis Episcop. Thesi 22. de justificatione. Remonstr. Geldri, de completa, incompleta, definita, indefinita electione agentes. Et hic sentiunt cum Pontificijs, qui Concil. Trid. Sess. 6. cap. 32. dicunt, gratiam justificationis amitti posse. Vnde sequitur necessario, posse etiam à prædestinatione excidere.

Contra statuimus hanc thesin: Electionis decretum est firmum, certum, stabile, ratū, immutabile & inviolabile, quod nunquam irritari & labascere potest. quę certitudo & immutabilitas non consistit in nostra fide fideique perseverantia, neq; ullo modo ab hominibus pendet, sed à mera Dei εὐδοκίᾳ & immobili decreto. 2. Tim. 11. *firmum stat Dei fundamentum*. Ies. 46. 10. *Consilium meum stabit, & omnem voluntatem meam faciam.*

Rom. 9. 29. *Dona & vocatio Dei sunt ἀμεταμέλητα*

Malach. 3. 6. *Ego Iehova; non mutor.*

Hos. 13. 14. *Pænitentia abscondita est ab oculis meis.*

Hebr. 1. 12. *Et mutabuntur, tu autem idem es.*

Hebr. 6. 17. *Deus volens ex abundanti hæredibus promissionis ostendere immutabilitatem consilij sui, fideiussit iureiurando.* vers. 18. *ut per duas res immutabiles &c. consolationem habeamus.* Iacob. 1. 17, *Apud quem non est transmutatio & conversionis obumbratio.*

Ies. 41. 9. *Elegi te, & non abjeci te.*

His addantur rationes: 1. quod est æternum, est immutabile. Electio est æterna. Eph. 1. πρὸ καταβολῆς κόσμου Ergo &c.

2. Si electi non possunt seduci, nec deseri, nec à dilectione Dei separari; tum electi non possunt fieri reprobi. At verum prius, Ergo &c.

3. Con-

Digitized by Google

3. Contra quos nulla potest intentari accusatio apud Dei tribunal, illorum electio est immutabilis. At contra electos non potest accusatio intentari: Ergo.

Quæst. VIII. An quis de sua electione certus esse possit in hac vita.

Negant Remonstrantes; Nemo .n. certus esse potest de sua justificatione, nisi conditionis prærequisitæ adsit præsentia, quæ ideo sæpius interrumpitur. Ergo nec de electione. Epis. p.65. Thes.22 Rem. Thesi exhibita 7. Huc pertinent frivolæ illæ distinctiones electionis completæ & incompletæ &c: videantur Rem. Geldri & Grevius pag. 137. 138. Et hic consensus est cum Pontificijs. Nam Concil. Trid. Sess. 6. cap. 9. vocat certitudinem remissionis peccatorum, vanam & ab omni pietate remotam fiduciam. Hisce opponimus hanc Thesin consolatoriam: Vnusquisque electus de sua electione certus esse potest ac debet. Abraham de electione sua certus fuit. 1. ex promiss. divin. Genes. 15. *Ne time.us, ego sum clypeus tibi, merces tua ampla valde.* 2. ex fœdere gratuito, Genes. 17. *Ego sum Deus fortis Schaddai. Stabilio fœdus meum inter me & te, ut sit fœdus perpetuum, me esse tibi Deum, & semini tuo post te.* Hinc Apost. ad Rom. 4. dicit, Abrahamum non factum fuisse infirmum fide, neq. hæsitasse diffidentia in promissione Dei, sed fide confirmatum, gloriam dedisse Deo, ut qui sciret, Deum, quod promisit posse etiam præstare.

Ne autem quis solum Abrahamum hanc certitudinem consequutum fuisse arbitraretur, subjicit Apostolus: *Non est scriptum tantum propter ipsum, sed & propter nos quibus imputabitur &c.*

Sic etiam Isaac, Iacob alijque Patres eandem certitudinem obtinuerunt.

Moses certus fuit, se in libro vitæ esse inscriptum Exod. 32. ideoque electum. Hinc exultatio illa & certitudinis salutis suæ testificatio. Exod. 15. *Iehova robur meum, carmen meum, salus mea, Deus fortis meus, Deus Patris mei &c:*

David certus fuit, quod testatur multis Psalmis: Inprimis 23. *Iehova pastor meus, non egebo &c. Habitabo in Domo Domini jugiter.* Sic Psalm. 27. initio, *Iehova lux mea &c.* Et Psalm. 46. *Deus receptus nobis, robur & auxilium, propterea non timebimus, etiamsi terra commutaret locum, & dimoverentur montes in ima maria.*

Et Psalm. 17. in fine, *videbo vultum tuum, satiabor, cum evigilavero, similitudine tua.*

Iob fuit certus, 19. *Scio, quod Redemptor meus vivit, & in novissimo die stabo super pulverē.*

Idem de omnibus Prophetis dici & probari posset.

Ne autem hæc singularium personarum fuisse privilegia quis existimet, Micha Propheta totam Ecclesiam sic loquentem introducit, cap. 7. *Iehovam versus speculabor, præstolabor Deum salutis meæ, exaudiet me Deus meus. Cum cecidero, surgam, cum cecidero in tenebris, Iehova lux mea est.* Paulus Apostolus certissimus fuit, idemque de omnibus fidelibus testatur Rom. 8. *Spir. contestatur spiritui nostro &c.* Item, *Spe servati sumus:* Item, *Quis accusabit electos Dei? Quis nos separabit à dilectione Dei?* Item, *persuasum est mihi neq. mortem &c:* Hinc 2. ad Tim. 1. dicit, *Scio, cui crediderim, & illum posse depositum meum servare.* Hinc salutem electorum solido fundamento confert, quod commoveri nequit 2. Tim. 2. Hinc 2. Tim. 4. dicit. *Quod reliquum est, reposita est mihi corona justitiæ;* idemque de omnibus fidelibus testatur, inquiens, *neque mihi solum, sed etiam omnibus, qui diligunt adventum Filij ejus.*

Possent hisce plura testimonia & rationes addi, sed hæc sufficient.

Quæst. IX. An Christus solis electis Mediator datus sit.

Negant hoc Remonstr. Thesi 5. exhibita, & passim alibi. His opponimus hanc Thesin: Christus tantum electorum Mediator est, non etiam reproborum. Sed cum hæc materia sequenti Articulo de efficacia Mortis Christi rursus tractanda sit, brevitatis gratia hic à probatione hujus Theseos abstinemus.

Quæstio. X. An alia sit electio Patrum in Veteri, alia fidelium in N. Testam. Affirmant Remonstrantes. Videantur Episc. Theses de Fœdere cum Abrahamo inito, de V. et N. Fœdere, item, de præceptis novi fœderis.

Antithesis.

Vna eademque est electio Patrum in Veteri, & fidelium in Novo Fœdere.

Ratio 1. quia idem fuit elector, is nimirum, qui cum Abrahamo fœdus gratuitum inierat, & cum omnibus, vestigiis ejus insistentibus. Genes. 17. Rom. 4. 12. Illi autem sunt omnes fideles, qui post Abrahami tempora sub V. & N. Testamento vixerunt.

2. Ea-

2. Eadem fuit causa movens & impellens, nimirum solum Dei beneplacitum. Ex eo Abrahamum elegerat ab æterno: ex eodem illum idola colentem vocavit: fœdus gratiæ morte Christi sanciendum & confirmandum, cum eo & posteris eius iniji: per fidem eundem justificavit, ac demum glorificavit.

3. Per eadem itaque media, quibus in Novo Testamento utitur, ad salutem & gloriam, Patres traduxit.

4. Easdem conditiones à confœderatis Veteris & N. Testamenti stipulatus est, fidem nimirum, & fidei obedientiam. Genes. 12. *Credidit Abraham Deo.* Eadem fide nos salvari tradit Apostol. ad Rom. 4. Genes. 17. *Ambulare coram Deo, & integer esse* jubetur Abraham. Idem à fidelibus N. T. postulatur ubique.

5. Eædem fuerunt promissiones, eademque bona in V. & N. Testamento. Hinc Matth. 8. *Multi* dicuntur *ab Oriente & Occidente venturi, & sessuri cum Abrahamo, Isaaco & Iacobo in regno cœlorum.*

6. Eædem locutiones de electione usurpantur in Vet. & N. Fœdere, qualis hæc est, inscribi in libro vitæ, Exod. 32. 32. Psal. 69. 21. Daniel 12. 1. Luc. 10. 28. Apoc. 13. 8, Et 17. 8.

7. Actor. 15. 11. Evidenter illud asseritur his verbis, *Credimus nos per gratiam Iesu Christi servatum iri, quemadmodum & illos.*

An Deus media sufficientia omnibus offerat, ita ut revera omnibus prosint, nisi ipsi ijs malitiose abuterentur. Item huic affinis. Quæstio XI.

An Deus omnes externe vocatos, suo Spiritu intus sufficienter trahat. Affirmant Remonstrantes Thesi. 6. exhibita. In Coll. Hag. passim. Remonstr. Geldr. pag. 58. Advers. Walachr. pag. 35. lin. 33. 34. 35. Consentit Bellarm. lib. 1. de grat. cap. 2. Quæstio XII.

Antithesis.

Etiamsi salutis externa media, quod ad ipsa media attinet, possint esse omnibus sufficientia, tamen in ijs tantum efficacia sunt, quibus Deus gratiam suam specialem largitur, Ideoque internam gratiam quod attinet, qua Deus excitat, adjuvat, movet, dirigit corda hominum, ea in nullis sufficiens est, quin simul sit etiam efficax.

Probatio.

Deut. 29. 3. 4. *Viderunt oculi vestri probationes illas maximas, signa & prodigia maxima: sed nondum dederat vobis Iehovah mentem ad cognoscendum, oculos ad videndum, aures ad audiendum usque in diem hunc.*

Ies. 6. *Audite indesinenter & ne intelligatis, videte indesinenter & ne cognoscatis.*

Matth. 13. 10. 11. *Quare per parabolas loqueris eis? respondit, quia vobis datum est nosse mysteria regni cœlorum, illis non item.*

Et vers. 13. *Videntes non vident, audientes non audiunt neque intelligunt.* Ex quibus locis liquido apparet, multos externe vocari & audire verbum, qui tamen vi spiritus non trahuntur interne, neque sufficienter, neque efficaciter.

Sic Actor. 11. quando alij convertuntur ad conciones Apostolorum, alij autem illudunt Apostolis; anne dicendum est, illusores istos sufficienter interna Sp. Sancti vocatione tractos esse? Quemadmodum & illi, de quibus Ezech. 33. in fine cap. conqueritur Dominus.

Hinc David Psal. 119. 32. *Viam præceptorum tuorum percurram, cum tu dilataveris animum meum.*

Hinc sponsa orat Cant. 1. *trahe me, & curremus post te.*

Hinc Paul. ad Rom. 8. *Quos prædestinavit, eos vocavit*, nimirum, ut ante dixerat, κατὰ πρόθεσιν, hoc est, efficaciter.

Idem dicit 1. Cor. 15. 10. gratiam Dei in se non fuisse inanem. Si vero gratia Dei interne hominem movens & vocans, effectum suum non assequeretur, tum esset inanis. Non itaq; gratia Dei tantũ sufficiens, sed etiam efficax omnibus Dei filijs datur. Deus efficit in nobis velle & perficere. Hoc autem non est aliquo modo tantum movere

 & persua-

& persuadere, ut deinde ab homine pendeat, an velit assentiri, an non: Sed est, ipsum volendi actum producere, ipsumque assensum & voluntatis inclinationem actualiter operari. Hinc dicitur, Deus cor adaperuisse Lydiæ, quod amplius est, quam movere tantum & persuadere Actor. 16.

Hinc Christus dicit Iohan. 6. 45. *Quisquis audivit à Patre, & didicit, is venit ad me.*

Quæstio XIII. Ex hisce alia exoritur quæstio, An Deus secundum beneplacitum suum serio velit omnes salvos fieri. Affirmant Remonstr. passim.

Nos negamus,

1. Quia non sunt omnes electi, Matth. 22. 14. *pauci electi.* Luc. 10. 20. *Soli autem electi salutem assequuntur, reliqui occalescunt.* Rom. 11. 2. Si Deus serio vult omnes salvos fieri, tum non est reprobatio. Sed reprobatio est. Ergo, &c. 3. Si Deus vult omnes salvos fieri, tum omnes efficaciter vocarentur, justificarentur, glorificarentur. At illud non fit. Ergo, &c.

4. Si pauci salvantur, & angustam portam inveniunt, Deus non vult omnes serio salvos fieri. At illud verum. Matth. 7. Ergo, &c.

5. Si Deus serio vult ut omnes salvi fiant, vult etiam omnes salvos facere serio. Sed hoc non vult; ergo nec illud.

6. Si Deus serio vult omnes salvos fieri, & tamen omnes non salvantur, tunc Deus non est omnipotens; quoniam non fit, quod Deus vult. Deinde, suo fine frustraretur: Et potentior esset creatura, quam ipse creator. quæ omnia sunt absurda.

7. Si Deus vult omnes salvos fieri, quis resistet voluntati ejus?

8. Si Deus vellet omnes salvos fieri serio, offerret omnibus gratiam suam, &, vel saltem externe eos vocaret. Sed non vocat omnes externe, neque verbum suum & Sacramenta dat omnibus; multo minus interna spiritus sui operatione omnes dignatur. Deus enim primo cum Abrahamo eiusque posteris fœdus inijt, non autem cum alijs gentibus. Hinc David, *Notus*, inquit, *est in Iudæa Deus, & nomen eius magnum in Israele*, Psalm. 76. Et 147. *Indicat verba sua Iacobo, & statuta sua ac jura Israeli, Non fecit ita ulli genti, ideo jura eius non noverunt, Halelu-jah.*

Deinde è contra ad tempus repudiatis Iudæis, vocavit gentes ad consortium regni sui, Rom. 11.

DE REPROBATIONE.

Quæstio I. AN ex Dei beneplacito sit quorundam reprobatio?

Remonstrantes respondent,

Deus neminem mortalium mero voluntatis suæ arbitrio absque respectu peccati tanquam meritoriæ causæ reprobavit. Episc. Thes. 1. de Reprob. Et Remonstr. Thes. exhibitis 1. & 8. & passim.

Orthodoxa Thesis I.

Deus secundum beneplacitum suum, quosdam justo, sed nobis incomprehensibili judicio reprobavit, hoc est, constituit præterire aliquos & relinquere in communi exitio, in quod omnes per peccatum sese præcipitaturi erant.

Ierem. 6. 30. *Iehovah reprobavit eos, quoniam argentum reprobum sunt.*

Rom. 9. 21. *An non potestatem habet figulus in lutum, ut ex eadem massa faciat aliud quidem vas ad decus, aliud ad dedecus.* Ibid. vers. 15. *Miserebor, cuius miserebor.* Ergo non miseretur omnium. Ibid. vers. 22. *Vasa iræ coagmentata ad interitum.*

2. Tim. II. 20. *Cæterum, in magna domo non sunt tantum vasa aurea & argentea, sed etiam lignea & testacea, & alia quidem ad decus, alia ad dedecus.*

1. Pet. II. 7. 8. *Immorigeros, ad hoc etiam positos, ut offendant ad sermonem.*

Iudæ

Iudæ vers. 4: *Prius jam olim descripti ad hanc damnationem.*
Matth. 20. *Multi vocati, pauci electi.*
Matth. 15. *Plantæ, quas non plantavit Pater, eradicabuntur.*
Apoc. 13. 8. *Adoraverunt bestiam, quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ Agni.*
Apoc. 17. 8. *Mirabuntur incolæ terræ, quorum nomina non sunt scripta in libro vitæ à jacto mundi fundamento.*
Matth. 11. 25. *Gloriam tibi tribuo Pater, Domine cæli & terræ, quod hæc occultaveris à sapientibus & intelligentibus.*
Matth. 7. *Non novi vos, discedite à me.*
Iohan. 17. *Non rogo pro Mundo, sed pro ijs, quos dedisti mihi.*

THESIS II.

Reprobationis causa qua Deus decrevit quosdam in exitio, in quod sese præcipitaturi erant, relinquere, est merum ipsius beneplacitum. Matth. 11. *Ita Pater, quia sic beneplacitum fuit coram te.* Non itaque proprie propter peccatum reprobavit Deus, quoniam omnes erant futuri peccatores, ac sic omnes reprobasset. Deinde Apostolus Rom. 9. dicit de Iacobo & Esavo, *antequam quicquam boni aut mali fecissent.* Denique æternæ voluntatis Dei causa non potest esse peccatum. At reprobatio est æterna Dei voluntas. Ergo, ejus causa non est peccatum. Quæstio II. De causa Reprobationis.

Falsum itaque quod Remonstrantes Thes. VIII. exhibita & alibi passim dicunt, Deum propter intuitum infidelitatis & perseverantiæ in ea, sive propter peccata actualia, quæ homo omittere potuisset, hominem reprobasse. Hac enim ratione, ut dictum, omnes reprobasset.

Sed dicent, magnum esse inter electos & reprobos discrimen; quia electi erant credituri, & resipiscentiam declaraturi. Reprobi non item. Ergo non potuit Deus illos, sed hos tantum reprobare.

Resp. Manere nihilominus hanc quæstionem indecisam, quare quos eligere voluit, fidei, resipiscentiæ, perseverantiæ donum dare decreverit Deus, alijs autem non voluerit dare. Non potest aliter responderi, nisi quod ita placuerit Deo. In hoc Dei beneplacito, merito debebamus omnes acquiescere.

Hisce ita dictis, subjicimus hasce hypotheses, duabus Thesibus superioribus,

I. Deus etiamsi neminem reprobaverit propter peccatum, neminem tamen damnare, & æternis supplicijs punire decrevit, nisi propter peccata. Matth. 8: *Filij regni ejicientur in exteriores tenebras, ubi erit ejulatus & stridor dentium.*
1. Cor. 6. *Qui talia faciunt, regnum Dei non possidebunt.* Et passim alibi.

II. Hypothesis secunda. Nemo est ad peccandum à Deo prædestinatus.

Ratio 1. Quia Deus odit, aversatur, detestatur, punit peccata. Quod autem Iudas, Herodes, Pontius Pilatus dicuntur fecisse, quæ manus & consilium Dei præfinierant facienda, de ipsa actione intelligendum est, qua satisfactum est justitiæ Dei, non de actionis pravitate, quæ fuit horribile peccatum, propter quod etiam horrendas pœnas luere coacti fuerunt.

Ratio 2. Quia Deus sapiens & bonus est, ideoque ad id quod malum est, quatenus malum, neminem præordinavit.

Ratio 3. Quia Deus sanctus est, justus est, misericors est, qui voluit peccatum prohibere, misericordia sua delere, justitia punire: ideoque non potuit esse auctor peccati, cuius est misericors ordinator & justus ultor. Fulgent. Libr. 1. ad Monim. Quod autem reprobi non possunt non peccare, ejus culpa non est reprobatio, quæ sancta & bona Dei actio est, sed corrupta eorum natura. Sunt enim arbores malæ, quæ non possunt bonum fructum ferre. Imo etiam ipsi electi antequam regenerentur, non possunt non peccare.

III. Hypothesis 3. Finis Reprobationis non est interitus Reproborum.

Ratio 1. quia sic videretur Deus hominum exitio delectari.

Ratio 2. quia Deus hominem reprobans, hoc est præteriens & non eligens, in exitio sua sponte præcipitatum invenit, non demum in illud conjicit. Quod autem hunc prætereat, illum assumat, hujus misereatur, illius non misereatur, in eo nemini facit injuriam; non magis quam Princeps aliquis, qui non omnes assumit in aulam suam, & ad honores summos evehit alijs præteritis, qui nullo modo propterea Principem culpare possunt, ac si injuria ipsis facta esset.

IV. Hypothesis 4. Sed finis Reprobationis est gloria Dei, & electorum salus. Nam sic Deus

1. Demonstrat liberam suam potentiam & jus summum faciendi de suis creaturis quod vult. Rom. 9.17. *In hoc ipsum excitavi te, ut ostenderem in te potentiam meam, & nomen meum annuntiaretur in tota terra.* Et ibid. vers. 22. *Ideo volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, pertulit multa lenitate vasa iræ coagmentata ad interitum.*

2. Ostendit summum suum amorem & infinitam misericordiam erga electos, quos jure cum alijs præterire potuisset, nisi eorum ex mera gratia fuisset misertus: quemadmodum summum suum amorem & infinitam misericordiam illustriorem fecit solum Israelem eligendo, alijs omnibus gentibus repudiatis.

3. Electos excitat ad metum potentiæ suæ, quæ in reprobis demonstratur, & ad veram gratitudinem summa cum admiratione tantæ misericordiæ Deo præstandam, ad verum Dei amorem, ad veram humilitatem &c. ut qui natura alijs quos præterit, nihilo erant meliores.

V. Hypothesis 5. Deus, sicuti ex beneplacito suo quosdam in miseria, in quam sua culpa præcipitati erant, relinquere; ita media ad salutem necessaria ijs non conferre decrevit. Videatur supra Quæstio II. 12.

Falsa itaque Episcopij Thesis tertia est de Reprobatione, qua Deum nemini mortalium sufficientem gratiam, cujus beneficio salutem consequi possit, negare absoluta voluntate constituisse dicit. Sane, si ad docendum in Indiam Occidentalem ablegatus fuisset, quod accidit viro pio & docto Iohanni Lærio, longe aliter judicasset.

Quæstio III. An Decretum Reprobationis sit immutabile. Negant Remonstrantes, quod insulsa eorum de completa & incompleta Electione, & per consequens, Reprobatione, figmenta satis declarant.

THESIS.

Sicuti Electionis, ita etiam Reprobationis decretum est immutabile. nullique reprobi possunt fieri electi, neque numerus illorum vel augeri potest vel minui.

Ratio 1. Quia Deus est immutabilis, Iacob. 1.17.

2. Quia reprobatio est interna & æterna Dei actio.

3. Quia omnia Dei decreta, cum sint ex beneplacito ejus facta, sunt immutabilia.

4. Quia ex Dei voluntate, cui nemo resistere potest, reprobati sunt.

5. Quia Deus, qui reprobat, omnipotens est, ejusque omnipotentia infirmari nulla ratione potest.

6. Quia propositum Dei est immutabile.

7. Quia Deus nunquam suo fine frustratur.

8. Quia Deus in suis consilijs & deliberationibus non errat.

Quæstio IV. An causa, quare Deus hos Evangelio dignetur, illos minime, sit aliquid in homine latens, ut rectus usus communioris gratiæ & lucis naturæ, aut simile quippiam, quo illi hisce digniores censentur. Affirmant Remonstrantes Coll. Hag. pag. 97. & 111. Ad Walachr. pag. 46.

Negamus nos, & ponimus hanc Thesin:

Causa, quare Deus hos Evangelio dignetur, illos minime, non est quippiam in homine latens, sed merum Dei beneplacitum. Probatur Deut. 4. 7. 8. 32. 33. 34. 37. cap. 7.

cap. 7. 6. 7. 8. 9. 10. *Non quod plures essetis reliquis populis, sed quia diligit vos Iehovah.* Et vers. 14. *Benedictus eris præ omnibus populis.*

Deut. 9. 5. 6. 7. *Populus duræ cervicis es. Non propter iustitiam tuam dedit tibi Iehovah,* &c.

Actor. 16. 6. prohibentur Apostoli à Spiritu S. loqui sermonem in Asia.

Vers. 7. *Non sivit eos Spiritus Iesu ire in Bithyniam.*

Vers. 9. 10. Colligit Paulus ex visione quadam, se debere in Macedonia prædicare Evangelium.

Adde, quod omnes homines natura sint corrupti, filij iræ, & destituuntur gloria Dei, quod non sit justus, ne unus quidem, quodque non sit timor Dei coram oculis eorum, ut omne os obturetur, & totus mundus obnoxius fiat condemnationi Dei, Rom. 3. Vnde colligitur, non esse in hoc, dispositionem aliquam, qua hanc gratiam mereatur, magis quam in illo, cum omnes natura æque sint corrupti.

An Deus neminem propter originale peccatum damnare decreverit? Affirmant passim Remonstrantes, Episcop. Thesi. 2. de Reprob. Arminius in Artic. perpend. pag. 17. 18. Quæstio V.

Resp. Nos illud negare; Omnis enim *peccati stipendium mors est.* Rom. 6. At originale peccatum vere est peccatum, & talis hæreditaria nostræ naturæ corruptio, quæ nos reos facit iræ Dei. Ephes. 2. *Eramus natura filij iræ, ut & reliqui.* Hinc David Psalm 51. peccatum originale vere peccatum appellat, seque propterea iræ Dei obnoxium & pœnis fatetur.

An voluntas Dei recte distinguatur in antecedentem & consequentem; quod facit Damascen. lib. II. cap. 29. de Fide Orthod. Et Armin. in Artic. perpend. pag. 3. Quæstio VI.

Antecedens voluntas ipsis est, qua Deus vult Evangelium prædicari omni creaturæ, omnes & singulos ad agnitionem veritatis venire & credere in Christum, ut salventur, cum is pro omnibus mortuus sit.

Consequens, quæ hominum fidem aut infidelitatem & inobedientiam consequitur, qua vult fideles servare, & infideles perdere.

Nos hanc distinctionem rejicimus. Nam

1. Voluntas talis antecedens transformat Deum in impotentem hominem, qui cuperet, quantum in se est servari omnes, si saltem ipsi velint.

2. Quod de consequente hac voluntate dicitur, absurdum est; quasi Deus tum demum salvum aliquem facere velit, cum videt illum idoneum aut dignum esse.

3. Sic Dei Decretum, Dei voluntas & potentia ac libertas penderet ab homine, non homo à Deo.

4. Sic sequeretur Deum mutabilem esse, qui quod antea voluit, postea nolit: esse impotentem, ut qui illud quod vult, effectum dare non possit: frustrari etiam suo fine.

Hæc nostra, de ijs, quæ circa primum de Prædestinatione Articulum inter Remonstrant. & Orthodoxos controversa sunt, sententia est, quam Verbo Dei consentaneam esse judicamus, parati discere, si rectius de aliqua re edoceri possimus.

SENTENTIA
Theologorum Magnæ Britanniæ,
De Articulo ſecundo.

Propositio I.

EX ſpeciali amore & intentione tum Dei Patris, tum Chriſti, mortuus eſt Chriſtus pro electis, ut illis remiſsionem peccatorum & ſalutem æternam reipſa obtineret, & infallibiliter conferret.

Prima Propoſitio aſſerit, electos infallibiliter habituros remiſſionem peccatorum & vitam æternam ex morte Chriſti, idque ex ſpeciali amore & intentione Patris & Chriſti. Probatur hoc ex ijs Scripturis, quæ virtutem Mortis Chriſti, quoad electos demonſtrant. Iohan. 11. 51. *quod Ieſus moriturus erat pro gente, & non tantum pro gente, ſed ut Filios Dei qui diſperſi erant, congregaret in unum*, Epheſ. 5. 25. *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſemetipſum tradidit pro ea, ut illam ſanctificaret, &c.* quibus verbis intentio Chriſti ſeſe offerentis exponitur, quoad infallibilem ſalutis collationem.

Thesis II.

Ex hoc eodem amore, per & propter meritum & interceſsionem Chriſti, dantur ijſdem Electis fides & perſeverantia, cæteraque omnia, per quæ conditio fœderis impletur, & beneficium promiſſum, id eſt, vita æterna, infallibiliter obtinetur.

Hæc propoſitio aſſerit, ex morte & interceſſione Chriſti, manare ad electos ea gratiæ dona, per quæ efficaciter perducantur ad vitam æternam, Rom. 8. 32. 33. 34. *Qui etiam proprio Filio non pepercit; quomodo non etiam cum illo omnia nobis donabit? &c.* Hebræor. 8. 10. *Dabo leges meas in mentem eorum, & in corde eorum ſuperſcribam eas.* Nam gratia illa quæ datur electis propter mortem Chriſti, eſt gratia redemptionis efficacis: gratiam autem redemptionis intelligimus, non qua poſſunt homines redimi ſi velint, ſed qua miſericordia revera redimuntur, quia Deus vult.

Thesis III.

Deus lapſi generis humani miſeratus, miſit Filium ſuum, qui ſeipſum dedit pretium Redemptionis, pro peccatis totius mundi.

In hac Chriſti oblatione duo conſideramus, Modum vocandi homines ad actualem participationem hujus hoſtiæ, & fructum ex eadem hoſtia ad homines diverſimode redundantem.

Ad modum quod attinet, nemo mortalium eſt, qui non poſſit vere & ſerio per Miniſtros Evangelij vocari, ad participationem remiſſionis peccatorum, & vitæ æternæ per hanc mortem Chriſti, Actor. 13. 38. 39. *Notum ſit vobis renuntiari remiſſionem peccatorum per Chriſtum, &c.* Ioh. 3. 17. *Qui non credit: condemnatus eſt, quia non credidit in Filium Dei.* Evangelio autem nihil falſum aut ſimulatum ſubeſt, ſed quicquid in

eo per

eo per Ministros offertur aut promittitur hominibus, id eodem modo ab autore Evangelij offertur & promittitur iisdem.

Ad fructum quod attinet, ex Morte Christi, in qua continetur infinitus thesaurus meritorum & benedictionum spiritualium, fructus actualis ad homines redundat eo modo, & ea mensura, iisque medijs, quibus visum est ipsi Deo. Visum autem est Deo, etiam post acceptatam hostiam, non aliter remissionem peccatorum & vitam æternam cuivis actu conferri, quam per fidem in eundem Redemptorem. Atque hic se aperit æternum illud & arcanum decretum Electionis, quando illud pretium quod solutū est pro omnibus, & quod omnibus credentibus certo proficiet ad vitam æternam, non proficit tamen omnibus, quia non omnibus datur, ut hanc gratuiti fœderis conditionem impleant. Sic ergo Christus pro omnibus mortuus est, ut omnes & singuli, mediante fide, possint virtute ἀντιλύτρου huius remissionem peccatorum & vitam æternam consequi. Sic pro electis mortuus est, ut ex merito mortis ejus secundum æternum Dei beneplacitum specialiter illis destinato, & fidem infallibiliter obtineant, & vitam æternam.

THESIS IV.

In hoc merito Mortis Christi fundatur uniuersale promissum Euangelicum, juxta quod, omnes in Christum credentes, remissionem peccatorum & vitam æternam, reipsa consequantur.

Promissum hoc esse universale & in Christi Morte fundatum, constat ex Actor. 10.43. *Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius, omnes qui credunt in eum.* Et Rom. III. 24. 25. *Quem proposuit Deus propitiatorium per fidem in sanguine ipsius.* Quamvis igitur hoc promissum non promulgetur omnibus quolibet loco & tempore, tamen ejusmodi est, ut possit omnibus & singulis vere annuntiari. Natura siquidem promissionis se extendit perpetuo ad humanum genus, quamvis promissionis notitia juxta Dei specialem providentiam, modo his, modo illis gentibus contingat. Marc. XVI. 15. *Abite in mundum universum, & prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit, &c.*

THESIS. V.

In Ecclesia, ubi juxta promissum hoc Euangelij salus omnibus offertur, ea est administratio gratiæ, quæ sufficit ad convincendos omnes impœnitentes & incredulos, quod sua culpa voluntaria, & vel neglectu, vel contemptu Euangelij, perierint, & oblatum beneficium amiserint.

Christus sua Morte non tantum Euangelicum fœdus fundavit, sed insuper impetravit à Patre, ut ubicunque annuntiatum fuerit illud fœdus, una etiam ordinarie ea mensura gratiæ supernaturalis administretur, quæ sufficiat ad convincendos omnes impœnitentes & incredulos contemptus, vel saltem neglectus, ob non impletam conditionem. Hic duo breviter expedienda,

Quorum:
1. Supponitur, aliquam mensuram gratiæ ordinarie in Ministerio Euangelij administrari.
2. Ponitur, illam gratiam sufficere ad convincendos omnes impœnitentes & incredulos vel contemptus, vel saltem neglectus.

Primum patet ex Scripturis, Isai. LIX. ult. *Hoc est fœdus meum cum ijs, dixit Dominus, Spiritus meus qui est in te, & verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent de corde tuo amodo & usque in sempiternum.* Hinc patet, verbum & Spiritum individuo nexu

ex promissione Dei, in ministerio Verbi coniungi. Hinc Ministri Novi Testamenti, dicuntur Ministri, non literæ, sed Spiritus, non literæ occidentis, sed Spiritus vivificantis 2. Corint. 3. 6. Et ministerium Euangelij dicitur διακονία τοῦ πνεύματος, ibid. vers. 8. Hinc Euangelium dicitur, χάρις σωτήριος, gratia salutifera, Tit. 2. 11. Et λόγος καταλλαγῆς, sermo reconciliationis. 2. Cor. 5. 19. Luc. 10. 9. 11. Christus cum mitteret 70. Discipulos ut Euangelium prædicarent, jussit illis ut populis quibus illud annuntiarent, dicerent, *Appropinquavit vobis regnum cælorum*; utique quod gratia aliqua supernaturalis illis administrata esset, quibus Euangelium annuntiatum est.

Prof. ad cap. Gall. resp. ad Obiect. 4. *Non omnes vocari ad gratiam, quibus omnibus Euangelium prædicatur, non recte dicitur, etiamsi sint, qui Euangelio non obaudiant.* Alterum probatur ex Iohan. 15. 22. *Si non venissem, & locutus essem ijs, peccatum non haberent, nunc autem non habent, quod prætexant peccato suo.* Ex hoc loco constat, Christum proponendo Euangelium, etiam illam gratiam internam administrasse, quæ hactenus sufficiebat, ut ex eo quod non acceptarent vel reiicerent Euangelium; juste coargui possint infidelitatis positivæ.

Hebr. 2. 3. *Quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem?* Ob neglectam salutem in Euangelio oblatam, iustæ pœnæ obnoxii reddimur; Ergo salus in Euangelio offertur.

Heb. 4. 12. *Vivus est sermo Dei & efficax, & penetrantior quovis gladio ancipiti, & pertingit usque ad divisionem animæ simul ac Spiritus, compagumque & medullarum, & dijudicat cogitationes & conceptus cordis.* Hinc manifestum evadit, talem esse vim & efficaciam verbi, ut in ima usque animi penetralia sese insinuet, ut quemadmodum vere credentes plane vivificet; ita contumacibus lethale vulnus certo infligat.

Denique Scriptura acerbissimas pœnas interminatur, non recipientibus, negligentibus, spernentibus præconium Euangelii, Matth. 10, 15. *Quicunque non audierit sermones vestros, tolerabilius erit terræ Sodomorum,* Hebr. 6. 4. *Impossibile est eos qui semel fuerant illuminati, gustaveruntque bonum Dei Verbum, &c. Terra enim bibens imbrem, proferens autem spinas, maledictioni proxima est.*

THESIS VI.

Non obstante hoc pacto universali de salvandis credentibus, Deus nullo pacto aut promisso tenetur, Euangelium aut gratiam salutiferam omnibus & singulis communicare. Cur autem hisce conferat præteritis aliis, pendet ex misericordia & libertate divina.

Christus non alia ratione firmavit hoc pactum, quam ut huius pacti communicatio in libera & plenaria Patris potestate maneret. Deus autem dando unum beneficium, non astringitur ad novi beneficii donationem. Matth. 20. 15. *An non licet mihi quod volo de meo facere?*

Tale pactum aut promissum non occurrit in Scripturis. Promisit Deus in V. T. ut præconium Euangelij gentibus communicaretur. In N. Test. sublata est maceries, & Apostolis mandatum est Marc. 16. 15. *Euntes in mundum universum, prædicate Euangelium omni creaturæ.* Sed nusquam promisit, ut universaliter in mundo, uno eodemque tempore aliquando prædicetur. Quod recte Prosper; *eo ipso tempore, quo ad omnes gentes prædicatio Euangelij mittebatur, quædam loca Apostolus adire prohibebatur ab eo, qui vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Multis utique in illa retardatis atque aversis, Euangelij mora, sine agnitione veritatis & sine regenerationis consecratione morituris. Dicat Scriptura quod gestum est; Transeuntes autem* (inquit) *Phrygiam & Galatiæ regionem, vetiti sunt à Spir. Sancto loqui verbum in Asia. Cum venissent autem in Mysiam, tentabant ire in Bithyniam, & non permisit illis Spiritus.* Hæc Prosper.

Epist. ad Ruf. Et de vocat: Gent. l. 2. c. 3.

Act. 16. 6. 7.

Porro aperte constat, non obstante hoc pacto universali, quod in V. etiam Test. obtinuit, Deum huius notitiam Gentibus non revelasse. Psalm 147. 8. *Verbum suum denunciat*

Digitized by Google

denunciat Iacobo: Non fecit taliter omni nationi, ideoque iura ista non noverunt. Actor. 14.16. *Deus præteritis ætatibus sivit omnes gentes ambulare in vijs suis.* Quid quod nostris temporibus, vix sexta pars orbis habitabilis Christo nomen dederit? Quod si de facto Deus Euangelij præconiũ omnibus & singulis annunciare nunquam dignatus sit, utique nec ad hoc tenetur. Facit enim quicquid tenetur facere. Idem sane pronunciandũ est de gratia salutifera. Nullibi in S. Literis mentio occurrit promissionis, qua Deus sese obstrinxit, ad gratiam illam omnibus & singulis communicandam. Imo Scriptura meminit Dei in miserendo libertatis. Rom. 9. 9. *Cuius vult, miseretur; non obstante hoc pacto in sanguine Christi fundato.* Ac quanquam Deus multis externis beneficiis afficiat omnes homines, etiam ingratissimos, qui extra pomœria Ecclesiæ degunt; & beneficiis salutaribus egeant omnes, ut pote peccatores; nemini tamen ad illa vel ista danda obligatur.

Denique, ex Sacris Literis evincitur, nonnullos judicari & damnari ob peccata contra solam legem Naturæ commissa, Rom. 2. 14. 15. ut qui excusantur ob non impletam legem fidei ignorantia plane invincibili, quæ excusatio locum habere nequit, ubi Deus promulgat legem, & homines obedire tenentur.

THESES HETERODOXÆ, *quas reijcimus.*

Prima: Posita Christi Morte, non esse aliam Dei intentionem de ullis particularibus personis salvandis, nisi conditionatam, & ex contingenti fidei humanæ actu suspensam.

1. Theses illæ, rationesque de primo Articulo præmissæ, in quibus certarum personarum electio stabilitur, ac incompleta electio refellitur, item, ubi salutis media certa ex electionis decreto manantia statuuntur, denique in hoc secundo Articulo Thesis 1. & 2. in quibus probatur, Christum ea intentione mortuum, ut electis beneficia specialia conferret, huic Antithesi refutandæ firmamenta subministrant.

2. Rationes omnes Theologicæ, ex Scripturis, Fideique analogia petitæ, quibus Christi incarnatio, humiliatio, vel exaltatio probatur vel confirmatur, eo spectant, ut demonstretur divina expressa intentio de fructuoso huius tanti mysterij effectu, non condicionaliter producendo (nempe si homines cum æque nolle possint, velint, ut hic fructus inde enascatur) sed infrustrabiliter efficiendo, potentia divina id operante.

Præterea, domus Dei ex hominibus construenda non sat habet firmitatis, si ab hominibus construatur. Ipsa Dei manu erigenda est hæc fabrica, Matth. 16.18. *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* 1. Cor. 3. 9. *Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis.* Ephes. 2. 20. *Superstructi super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, Christo existente summo angulari lapide: in quo omnis ædificatio constructa crescit; in quo & vos coædificamini, &c.* Ephes. 4. 16. *ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem juncturam subministrationis secundum operationem, &c.* Ergo sibi ædificans Ecclesiam Deus, sua manu lapides parat, lapides dedolat, coagmentat, non autem expectat, ut ipsi se contingenter aptent ac fundamento applicent.

3. Eadem specialis decreti certitudine præstituitur à Deo salus Ecclesiæ per Christum efficaciter consummanda, qua Christus ipse mittitur. Eadem Dei vox, quæ Christum exhibendum primo promiserat, simul eiusdem effectum incondicionatum promisso absoluto obsignat, Genes. 3. 15. *Semen mulieris conteret caput serpentis.* At Serpens non conteritur, nisi per aliquorum certissimam liberationem ex captivitate Satanæ, & translationem in Regnum Filij Dei, Isai. 53. 10. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum.* Heb. 2. 13. *Ecce ego, & Filij, quos mihi dedit Deus.* Ergo Decretum Dei, de longævo semine in Christi familiam adoptando, inseparabiliter annectitur Decreto de anima Christi pro peccatis ponenda. Et, Christo sese in victimam offerenti, dantur Filij, non à se: sed à Deo, qui nempe ipsis dedit Christum.

4. Si fructus Christi Passionis sit tantum conditionatus, tum non certius est beneficium

neficium ex secundo Adamo, quam fuisset ex primo. Huic enim proposita salus sub conditione *(hoc fac & vives)* quam conditionem ut posset præstare si vellet, auxilium est ei à Deo præstitum, non autem ut actu ipso infallibiliter præstaret. In Novo autem Fœdere, gratia Christi morte impetrata, non modo nobis salus oblata sub conditione *(crede & salvus eris)* sed ut actu ipso credamus, Deus efficit per Spiritum suum. Hebr. 8. 6. *Melioris Testamenti mediator est, quod in melioribus repromissionibus sancitum est.* Quænam autem sit illa promissio, constat vers. 10. *Dando leges meas in mentem eorum: & in corde eorum superscribam eas.*

Thesis II. Heterodoxa.

Proprium & integrum finem Mortis Christi fuisse, ut Deo Patri acquireret jus & potestatem servandi homines, quibus vellet conditionibus.

1. Si nil aliud nobis acquisitum ex morte Christi, quam ut aditus pateat ad novum quodlibet fœdus cum genere humano percutiendum, tum non sumus liberati à jugo legis; quia adhuc liberum erit Deo Patri, etiam post persolutam acceptatamque hanc victimam, legis præstandæ conditionem denuo nobis imponere. At Christus ad tollendam legis maledictionem pro nobis, hoc est, nostra vice, semel factus est *κατάρα*. Gal. 3. 13. Nos itaque non possumus ratione legis non præstitæ fieri denuo legis rei, & *δὲ ὑποκατάρατοι*.

2. Christus morte sua nobis promeritus est ipsam personarum nostrarum reconciliationem cum Deo, gratiamque nobis reipsa communicandam. Iohan. 1. 16. *De plenitudine eius omnes accepimus.* Alioquin secundus Adam, Dominus de cœlo, minus profuisset suis, quam suis obfuit primus Adam, de terra terrestris. Et quoad imputationem, Si Christus pro nobis pœnas non subierit. Et quoad transfusionem, Si à Christo capite nulla tradux gratia in membra derivetur.

Thesis III. Heterodoxa.

Christi mortem impetrasse omnibus hominibus restitutionem in statum gratiæ & salutis.

Ratio 1. est. Salus est res promissa in Novo Fœdere, nec promittitur nisi sub conditione fidei (quicunque credit saluabitur) cum itaque non omnes homines fidem habent in Christo, sub cujus sola conditione salus promittitur, certum est, Mortem Christi non omnibus, sed solis fidelibus impetrasse restitutionem in statum gratiæ & salutis: quod abunde probat illud Apostoli, Rom. 5. 1. *Iustificati igitur pacem habemus cum Deo.* Per (pacem) illic intelligimus, nostri, qui prius Deo inimici eramus, cum Deo reconciliationem & restitutionem in sinum gratiæ: Idemque, aperte evincunt omnia illa loca, quæ probant, Nos sola fide in Christum justificari, seu haberi pro justis à Deo. Rom. 3. 4. Galat. 2. 16.

Ratio 2. est. Extra fidem in Christum, manet homo in condemnatione. Iohan. 3. 18. *Non videbit vitam, sed ira Dei manet super illum,* Ioh. 3. 36. Qui autem restituti sunt in sinum gratiæ, ij singuli remissionem peccatorum habent, quæ homines beatos facit. Psalm 32. Nec manent in condemnatione, neque super ipsis manet ira Dei. Qui igitur fide carent, ij per mortem Christi, in statum gratiæ & salutis non restituuntur; cum per nomen Christi, nemo remissionem peccatorum consequatur, nisi qui in ipsum credat. Actor. 10. 43.

Ratio 3. est. Si omnibus Christi mors impetravit restitutionem, tum restituti sunt, vel cum ab æterno destinatus esset in mortem, quod est falsum; sic enim nemo nasceretur filius iræ, nec peccatum Originis quicquam hominibus obesset, quod ex hac sententia fuit illis ab æterno remissum: nec opus esset infantibus, aut aliis, lavacro regenerationis, quod est contra assertionem Christi, Iohan. 3. 5. *Nisi quis renatus fuerit*

fuerit ex aqua & Spiritu, non potest introire in regnum Dei: vel, restituti sunt in primorum parentum persona, cum promulgaretur promissio de semine mulieris, quod est falsum: ipsi enim protoplastæ non sunt restituti in statum gratiæ, nisi per Fidem in Christum, ac proinde nec eorum posteri; Non omnes ergo, sive fideles sive infideles: vel cum Christus ipse in cruce mortem oppeteret: quod est falsum. Sic enim nemo ante illud momentum esset restitutus, quod nemo concedit; neque omnes ab illo tempore sunt restituti: quia procul dubio adversus quosdam Christi accusatores, condemnatores, crucifixores, derisores, ira Dei istoc eodem momento, & postea flagraverit.

Subscripserant,

Georgius Landavens.
Joannes Davenantius.
Samuel VVardus.
Thomas Goadh.
Gualterus Balcanquallus.

De Articulo secundo
Distinctis propositionibus explicato,
IVDICIVM
Theologorum Palatinorum.

Propositio I.

DEus Pater Filium suum Iesum Christum ordinavit in redemptorem ac propitiatorem pro peccatis nostris, ex dilectione illa, qua homines lapsos & damnationis reos, ut creaturas tamen suas, dilexit: eorumque misereri voluit, si qua justitiæ suæ convenienti ratione fieri posset.

Epist. ad VValach. pag. 47. & Declarat. exhibita.

IVDICIVM.

Affectum quendam generalem dilectionis Dei, quo ipse omnes creaturas suas, inprimis vero universum genus humanum complectatur, agnoscimus utrinque, & uno ore profitemur. Eum homini etiam post lapsum benigne continuat cælestis Pater, dans nobis vitam, halitum & omnia. Actor. 17. 25. Solem suum oriri faciens super improbos ac bonos, & pluens super justos & injustos. Matth. 5. 45. Quin imo in continuato quasi peccandi exercitio multa lenitate tolerat peccatores, ut vel bonitate sua frangat eorum pravitatem. Rom. 2. 4. Dumque punit ac perdit contumaces, resipiscere nescios, non destructione creaturæ, sed justi judicii sui exsecutione delectatur. Esai. 1. 24. Est sane hæc insignis Dei in peccatores dilectio. Excellentior vero ac eminentior merito censetur, qua motus Deus Filium suum nobis dedit Servatorem à peccatis nostris. Eam non generalem, sed specialem, non omnibus

& singulis

& singulis hominibus communem, sed electorum propriam statuimus. Nec enim aliud est illa dilectio, quam εὐδοκία servandi in Christo. Ephes. 1. 4. 5. An εὐδοκία Patris est de salute universorum? Id quidem Christus diserte negat Matth. 11. 25. 26. Constat praeterea πρόθεσιν Dei non esse universalem. Rom. 8. 28. 29. nec universalem eius misericordiam, qua miseretur cuius vult, Rom. 9. 18. neque etiam communem omnibus gratiam illam, ex qua aliis datur Fides in Christum, aliis non datur. Matth. 13. 11. Non magis igitur universalis est Patris in Christo dilectio: quando haec ut aequipollentia usurpat Scriptura, & inter se commutat: 2. Tim. 1. 9. Rom. 3. 24. Et 5. 8. & alibi. Ipse Christus Iohan. 4. 10. Se vocat donum Dei, quod ex φιλανθρωπία Patris & in nos benignitate profectum est. Num generale, & omnibus ex aequo commune? Hoc vero haud facile affirmabit, qui ex Paulo didicit, Deum ita nobis donasse Filium suum, ut una cum ipso omnia nobis gratificetur ad salutem necessaria: sapientiam, justitiam, sanctificationem & redemptionem. 1. Cor. 1. 30. Manet ergo donum speciale, electis redimendis ac servandis credentibus, peculiari ac speciali Dei dilectione destinatum. Hinc Paulus Deum dicit Servatorem omnium hominum, maxime fidelium. 1. Tim. 4. 10. Quia omnes quidem servat generali quadam bonitate: de qua est. Psalm. 36. 7. At fideles servat bonitate ac gratia speciali in Christo, jam ante tempora saeculorum ipsis praeparata. 2. Tim. 1. 9. Quod dum asserimus, non annihilamus Christi meritum, nec inutilem reddimus electis redemptionem sui per Christum, & cum Deo reconciliationem. Sic enim dilexit Deus electos suos per totum mundum dispersos, ut ad demonstrationem justitiae suae voluerit intervenire, imo praeire in executione, Electionis perfectam satisfactionem pro peccatis ipsorum. Sic eos elegit ad vitam aeternam, ut Christus pretio sanguinis sui vitam illam ipsis peccatoribus acquireret: quo sensu in Christo electi dicuntur Ephes. 1. 4. Licet igitur à priore absoluta sit specialis haec Electorum dilectio, non dependens ab ulla causa extra Deum: à posteriore tamen absoluta non est, nec libera à mediis, quae Deus exequendae & exercendae dilectioni suae sapientissimo ac justissimo consilio subordinavit. De his inspiciantur loca. Iohann. 3. 16. Rom. 3. 24. 25. Ephes. 1. 4. 5. 6. 7. 2. Tim. 1. 9. 10. Quorum evidentissimam veritatem secuti, thesin Remonstrantium improbamus & rejicimus: antithesin vero hanc substituimus.

Deus Pater Filium suum I. Christum ordinavit in redemptorem ac propitiatorem pro peccatis nostris, ex dilectione illa, qua electos suos speciatim complexus est ad vitam aeternam.

PROPOSITIO SECUNDA.

Christus [a] ex Patris & sua intentione omnibus & singulis hominibus [b] indiscriminatim, tam pereuntibus, quam servandis impetravit [c] reconciliationem cum Deo, remissionem peccatorum, & [d] vitam aeternam.

a *Coll. Hag. pag.* 139. *& seqq.*
b *Epist. ad VValach. pag.* 49.
c *Coll. Hag. pag.* 139.
d *Epist. ad VValach. pag.* 49.

IUDICIUM.

Intentio Dei ac Christi Servatoris in redemptionis negocio, non ex ratione aut phantasia humana, verum ex Scripturis divinis eruenda & explicanda est. Docent illae Deum non omnes & singulos indiscriminatim, tam pereuntes, quam servandos, sed certos quosdam homines selectos è mundo redimendos dedisse Filio suo, & hos, non

non alios, Filium redimendos ac servandos suscepisse. De Patre est, Ioh. 6. 39. *Hæc est voluntas eius, qui misit me, Patris, ut quicquid mihi dederit, non perdam ex eo, sed suscitem illud in ultimo illo die.* De Filio est, Matth. 20. 28. *Filius hominis venit, ut det animam suam redemptionis precium pro multis:* Item Ioh. 17. 9. 19. *Non pro mundo rogo, sed pro iis rogo, quos dedisti mihi, quia tui sunt. Et eorum causa ego sanctifico me ipsum.* Reprobi & perditionis filii, aperte excluduntur ab hoc numero. vers. 9. 12. *Venit enim Filius hominis, ut servaret* (non qui perirent, sed) *qui perierant.* Exstant quidem multa Scripturæ loca, quibus Christus pro omnibus dicitur mortuus: utique ex Patris & sua intentione: sunt item alia, quibus mundus per ipsum reconciliatus, & ipse totius mundi reconciliatio esse docetur: sed præterquam quod ad amplitudinem & sufficientiam λύτρυ Christi illa referri solent: ipsa Scriptura declarat, omnes illos esse omnes credentes, ex Iudæis & Gentibus, citra ullum personarum aut populorum discrimen coadunatos, Rom. 3. 22. *In omnes & super omnes qui credunt: non enim est distinctio.* Actor. 10. vers. 43. *Remissionem peccatorum accipiet per nomen eius omnis, qui crediderit in eum.* Sic mundum illum esse docet mundum credentium & servandorum. Ioh. 17. 21. *Vt credat mundus me à te missum esse.* Et cap. 3. 17. *Non misit Deus Filium suum in mundum, ut damnet mundum, sed ut servetur mundus per eum.* Magnæ igitur audaciæ est, in opere Redemptionis aliam Deo intentionem affingere, quam revera habet: & quod ipse definito consilio electis suis destinavit ad salutem, reprobis & perditionis filiis commune statuere. Gravius vero illud est, quod totum Redemptionis beneficium enervant Remonstrantes, & quæ inde ad Redemptorem resultat gloria, eam, si non penitus abolent, vehementer tamen extenuant atque obscurant. Impetratio reconciliationis cum Deo, remissionis peccatorum & vitæ æternæ (quam plenis buccis ubique deprædicant) ipsis non est acquisitio gratiæ Dei, qua ex irato redditur placatus, ex severo judice fit benignus & indulgens Pater: sed est acquisitio possibilitatis cuiusdam, ut nimirum Deus salva atque illæsa justitia sua, hominem peccatorem possit recipere in gratiam, & hic vicissim certa quadam conditione (quæ fidei est operantis & perseverantis) in gratiam cum Deo redire, & ad vitam pervenire. Sic enim nobilem illum impetrationis cothurnum. Coll. Hagiensi, pag. 171. 172. 175. 177. 197. Epist. ad Walach. pag. 47. aliisque scriptis tum editis tum exhibitis, ipsimet declarant. Egregia vero impetratio, quæ ita facta statuitur, ut nihilominus manere in peccato & perditione totum genus humanum possit. Et quo Scripturæ loco proditum reperitur, Filium Patri quicquam impetrasse, aut acquisivisse ei jus ac potestatem reconciliationis? *Deus erat in Christo reconcilians sibi mundum, non imputans ei offensas.* 2. Cor. 5. 18. *Legi*, quidem, *impossibile fuit justificare, dare vitam, ex quo per carnem infirmata est*, Rom. 8. 2. *Deo* autem *justificare impium, non fuit impossibile.* Rom. 4. 4. Et licet non justificet, nisi qui est ex fide Iesu; Iesus tamen possibilitatem illam reconciliationis non acquisivit Patri, sed ipse Pater, cujus infinitę sapientię deesse non poterant modi alij, hanc viam invenit, nobisque verbo suo revelavit. Sicut scriptum est: *placuit Patri, ut pace per sanguinem crucis Christi facta, per eum sibi reconciliaret omnia.* Col. 1. 19. 20. Et stante hac glossa, Deus non erit reconciliatus & placatus homini peccatori, sed tantũ reconciliabilis, placabilis: Homo item non reconciliatus Deo, sed reconciliabilis sub certa quadã conditione: contra expressa verba Apostoli: *cum inimici essemus, reconciliati fuimus Deo per mortem Filij eius: Deus erat in Christo reconcilians sibi mundum, non imputans ei offensas. Per eum reconciliavit sibi omnia, tum quæ in terra, tum quæ in cælis.* Eadem ratio erit cęterorũ Christi beneficiorũ. Non acquisita per ipsum remissio peccatorum, sed remissibilitas: non parta salus æterna sed saluabilitas, & is qui seruat populum suum ab omnibus peccatis ipsius, in quo uno est salus; titularis solum Servator est, vel Servator sine salute. Denique instituta comparatione causarum reconciliationis cum Deo, remissionis peccatorum & vitæ æternæ; Christus quidem causa remota, homo propinqua; Christus causa potentia, homo causa actu & in actu posita, dicendus est. Quæ sane Socinianismi & Pelagianismi notabilia sunt Emblemata, toto pectore execranda iis, quibus gloria Dei & Christi, nec non salus animarum, curæ & cordi est. Damnata igitur Thesi Heterodoxa, Antithesin Orthodoxam hanc formamus.

Christus ex Patris & sua intentione, omnibus & solis electis reapse impetravit, reconciliationem cum Deo, remissionem peccatorum, & vitam æternam.

PROPOSITIO TERTIA.

λύτρον Christi, non modo sufficiens, sed etiam *a* efficax est in omnibus & singulis *b* ad expiandum peccatum originale *c*, ad assumendum in gratiam ejusque fœdus totum genus humanum *d*, denique etiam ad gratiam sufficientem eidem communicandam.

a *Collat. Hag. pag.* 173.
b *Remonst. Thesib. exhib. & Coll. Geldr. & Vltraiect. Armin. in Artic. p.* 117.
c *Armin. in Artic. pag.* 117. 118. *Iohan. Arnold. contra Tilen. pag.* 232.
d *Remonstrantes Thesib. exhibitis.*

IVDICIVM.

De sufficientia λύτρου Christi pro omnibus & singulis, nulla hic quæstio, nulla contentio est. Agnoscit eam quisquis dignitatem personæ Mediatoris θεανθρώπου, ac pœnæ pro nobis toleratæ gravitatem serio attenteque cogitat. Controversia vero omnis est de λύτρου huius efficientia ac efficacia; an nimirum efficaciam aliquam obtineat in omnibus & singulis hominibus, ut saltem quidam ejus fructus ad omnes & singulos perveniant. Hoc vero est, quod Remonstrantes rotunde profiteri renuunt. Revera tamen ita sentire, demonstratu difficile non est. Quippe statuunt peccatum originale nullis omnino hominibus, sive infantibus sive adultis imputari, & cedere in reatum condemnationis. Expiatum igitur esse oportet in omnibus & singulis universali quadam λύτρου Christi efficacia. Docent totum genus humanum, in & cum Adamo, ex lapsu communi receptum esse in gratiam, adeoq; adscitum in fœdus illud, quod Deus cum Adamo initum, cum Noacho redintegratum, novissimis tẽporibus per Iesum Christum confirmavit & consummavit. Quod ipsum universalis cuiusdam efficaciæ ab hoc λύτρῳ manantis evidentissimum est documentum. Insuper contendunt, omnibus & singulis hominibus media ad fidem necessaria & sufficientia administrari, ea ratione, qua novit Deus suam sapientiam & justitiam decere. Huius administrationis fundamentum cum in Christo positum esse agnoscant Thesib. exhibit. efficaciam quoque ipsius universalem fateantur oportet. Denique primipili Remonstrantium, Arminius & Vorstius, hominibus damnatis in sempiternis illis gehennæ flammis levamen aliquod pollicentur ex λύτρῳ Christi, quo effectum sit, ut Deus ne damnationem quidem irroget stricto, sed ἐπιεικείᾳ quadam temperato jure. Igitur & ipsis universalis illius efficaciæ portiuncula quædam obtingit. Stat ergo efficacia λύτρου Christi in omnibus & singulis ex sententia Remonstrantium. Et hactenus, secundum ipsos, actu reconciliatum est totum genus humanum, quatenus absolutum à reatu originali, à fœdere naturæ transijt in fœdus gratiæ. In reliquis reconciliabilitas, remissibilitas, salvabilitas obtinent, de quibus ante. Audiamus vero de universali hac Christi in omnibus & singulis efficacia, sententiam Scripturæ. Ad Eph. 2. 3. dicimur filii iræ natura, concepti & nati in peccato, & propter illud rei iræ Dei ac mortis æternæ: in quo reatu manent, quotquot non regenerantur Sp. Dei, Ioh. 3. 3. Non igitur in omnibus expiatum est peccatum originale. Recepit quidem Deus Adamum lapsum in gratiã (ut pie creditur) & vi promissionis fœdus gratię iniit cum ipso. At gratia salutis beneficium est personale, quod generatione nõ transit à parẽtibus in liberos. Ioh. 1. 12. nec promissio salutis fœdere comprehensa in aliis, quam in filiis promissionis rata est. Rom. 9. 6. 7. Media vero ad

Armin. disp. publ. 13. thes. 5. Vorst. disp. de fœder. thes. 26.

ad fidem, non magis universalia sunt, quàm ipsa externa vocatio & Euangelij prædicatio, quæ nec in V. T. obtigit omnibus; nec obtingit in Novo, siquidem utrobique verum illud Christi axioma, *Multi vocati, pauci electi.* Matth. 20. 16. Postremo, si Christus, damnatis hominibus levamenti aliquid acquisivit, quid ni ipsis quoque diabolis: quando utrisque idem ignis infernalis paratus est. Matth. 25. 22. Cur ergo tam durus est epuloni Pater Abraham, ut etiam guttulam solatii petenti deneget? Luc. 16. 24. 25. Facessant ergo hæc Huberianissimi interpolati deliria, & Thesi falsa explosa, antithesis vera Orthodoxa obtineat:

Λύτρον Christi in se quidem sufficiens est pro omnibus & singulis: at efficax est ad expiationem peccatorum, tum originalis, tum actualium, ad restitutionem in gratiam ex fœderis gratuiti tenore, denique etiam ad gratiæ sufficientis & efficientis communicationem in omnibus & solis electis.

PROPOSITIO QVARTA.

Mortuus est Christus adæquate pro omnibus peccatoribus, resurrexit autem, & in cælis apud Patrem intercedit cum salvandi intentione adæquate pro solis fidelibus.

Epist. ad VValachr. pag. 50. 51.

IVDICIVM.

Errorem evidentem unum habet hæc Remonstrantium assertio, quod impetrationem & applicationem beneficiorum Christi obiectis dispescit & distrahit: nec omnibus, quibus impetrata sunt, statuit applicari. Quod divortium vel ideo faciendum erat, ut sartus tectus maneret Pelagianismus de contingenti & eventuali fruitione beneficiorum Christi, eamque consequente salute æterna. Scriptura vero duos illos actus mediatorios coniungit nexu inseparabili, ut quibus impetrata sunt, eisdem etiam applicari pronunciet, & vice versa. Dicta nota sunt: Esa. 53. 11. *Servus meus iustus cognitione sui iustificabit multos, quorum iniquitates ipse baiulavit.* Ioh. 10. 15. 18. *Animam meam depono pro ovibus, & vitam æternam do eis, nec peribunt in æternum.* Rom. 4. 25. *Traditus in mortem propter lapsus nostros, & resuscitatus ad nostri iustificationem.* Et cap. 8. 34. *Christus est, qui mortuus est, qui suscitatus est, qui sedet ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* 1. Ioh. 2. 1, 2. *Advocatum habemus apud Patrem, & ipse est propitiatio, &c.* Quin Apostolus ex impetratione immediate deducit applicationem, argumentatione à majore ad minus, Rom. 8. 32. *Proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum. Quomodo non etiam cum eo nobis omnia gratificabitur?* iterum c. 5. 10. *Si cum inimici essemus, reconciliati fuimus Deo per mortem Filij eius, multo magis reconciliati servabimur per vitam ipsius.* His aliisque apertissimis Scripturæ testimoniis error ille sufficienter refellitur. Sine causa vero queruntur & criminantur Remonstrantes, mandatum fidei enervari, eiusque obedientiam aboleri, dum impetratio beneficiorum Christi & applicatio eorundem dicuntur æque late patere. Applicatio siquidem ex parte Dei fit per Sp. Sanctum, qui efficax est in electis ad Fidem & Conversionem: ex parte nostra per Fidem, qua recipimus Christum cum gratiæ salvificæ thesauris, eique unimur ut membra capiti. Utraque verbi ministerio peragitur in electis, quod est potentia Dei ad salutem omni credenti, Rom. 1. 16. Utramque operatur Spiritus per Euangelium, cum urget mandatis, allicit promissis, terret minis. Qua fronte igitur, sive impetrationi, sive applicationi opponunt mandatum Fidei in Christum, & mandati huius obedientiam? Si illa ἀσύςατα sunt, nulla amplius valet subordinatio causarum, nec intentioni & actioni principalis deseruit causa aliqua instrumentalis. Eiusdem roboris est ac valoris, quod de

applicatione objicitur, si jam ante impetrata sit gratia, nihil eam fore, quam notificationem & certiorationem de eo, quod iam nostrum erat. Quasi applicatio medicamenti parati ægro certo pretio, nihil sit, quam notificatio, quod ei emptum paratumque fuerit: aut applicatio hæreditatis tantum sit certioratio quædam liberorum, eam à parentibus demortuis ipsis relictam esse. Equidem fideles adulti & illud noverunt per fidem, & de eo plane persuasi sunt. Applicatio vero amplius quid habet; & quo ad Deum, est donatio sive actualis collatio beneficiorum Christi, quoad credentes vero, eorundem acceptio, possessio, fruitio, sensus. Deus applicat homini beneficia Christi vocando, justificando, sanctificando, glorificando: homo sibi eadem applicat credendo, & in fide permanendo: quam fidem pax conscientiæ, lætitia in Deo, nova obedientia, & hujus ac futuræ vitæ beatitudo sequuntur, Rom. 8. 29. 30. 1. Cor. 1. 30. Atque hæc de evidente illo propositionis quartę errore prolixius. Sunt vero præter eum alij latentes duo, verbo retegendi, redarguendi. Unus est, quod mori pro peccatoribus non sit loco aut vice ipsorum mori, sed bono tantum; Coll. Hag. pag. 185. 186. & alibi. At Christus sponsor noster, secundum Scripturam, loco peccatorum mortuus est, ut ipsi non moriantur, sed vivant. Rom. 5. 6. *Christus cum nullis viribus essemus, pro impijs mortuus est.* 2. Cor. 5. 15. *Si unus pro omnibus mortuus est, illi omnes censentur mortui.* Gal. 3. 13. Christus nos redemit à maledictione Legis, dum factus est pro nobis maledictio. Alter est, quod Christus pro peccatoribus, non vero pro fidelibus mortuus sit. At Scriptura utraque phrasi utitur. Illa ad Rom. 5. 6. *Christus pro impiis mortuus est.* Et vers. 8. *Cum adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus est.* Ista Iohan. 10. 15. *Animam deponit pro amicis.* 1. Iohan. 2. 1. 2. *Si quis peccaverit, advocatum habemus, & ipse est propitiatio pro nostris peccatis.* Interim Fides electorum mortem Christi non antecedit, sed sequitur, quia mors illa & est causa fidei, qua propter Christum donantur electi, & objectum ejus, quod ipsa intuetur & amplectitur: sicut Paulus nihil statuit scire, nisi Iesum Christum, eumque crucifixum. 1. Cor. 2. 2. Antithesis igitur Orthodoxa hæc esto.

Christus & mortuus est & resurrexit, & in cœlis apud Patrem intercedit pro solis electis & fidelibus, hoc est, partim loco, partim bono ipsorum.

IVDICIVM
Theologorum Hassiacorum
De
Secundo Remonstrantium Articulo, & eorundem circa illum sententia.

QUem ordinem in Examine Primi Articuli observavimus, eundem in huius quoque Secundi Articuli dijudicatione tenebimus, dicturi primo loco de ipso Articulo, prout verba eius iacent, deinde vero etiam de Remonstrantium circa illum sententia, prout ea, cum in Coll. Hagiensi, tum in aliis ipsorum scriptis; occurrit, addito nostro de utroque iudicio.

Articulus secundus ita habet: Iesum Christum Mundi Servatorem pro omnibus & singulis hominibus mortuum esse: omnibusque per mortem crucis promeritum reconciliationem & remissionem peccatorum: ita tamen, ut nemo remissionis illius re ipsa particeps fiat, præter credentes, &c.

Hic Articulus in tres Propositiones resolvitur. Prima est: Iesus Christus Mundi servator pro omnibus & singulis hominibus mortuus est. Secunda: Iesus Christus omnibus

omnibus per mortem crucis promeritus est reconciliationem & remißionem peccatorum. Tertia: Nemo reipsa remißionis peccatorum particeps fit præter credentes. De singulis, quid ex Verbo Dei sentiamus, breviter aperiemus,

De prima Propositione cum quoquam contendere nolimus, cum S. Literæ, Christum pro omnibus (nusquam vero pro singulis) mortuum, proque totius Mundi peccatis propitiationem esse, diserte dicant. Cujus phraseos verum sensum hunc esse putamus: Paßionis & mortis Christi tantam esse dignitatem, vim, valorem & precium, ut omnium & singulorum hominum, quotquot unquam vixerunt, vivunt, & in posterum victuri sunt, peccatis expiandis abunde sufficiat. Cum enim Christus, qui paßus fuit & mortuus, non solum homo sit sanctus, justus & ab omni peccati labe immunis, verum etiam Deus laudatus in secula, cum Patre & S. Sancto unius & eiusdem æternæ & indivisæ essentiæ divinæ, paßio & mors eius infiniti fuerit valoris, necesse est: adeo, ut omnes ac singuli homines, si modo vera fide Christo adhærerent, per & propter paßionem & mortem ipsius, in gratiam & favorem Dei reciperentur, remißionem peccatorum, justitiam, & vitam æternam consequerentur. Vnde indiscriminatim electis & reprobis verbum Euangelij de Christo Iesu crucifixo annuntiatur, omnesque in ipsum credere jubentur, addita hac promißione, fore, ut omnes in ipsum credentes, cum Deo reconciliationem, peccatorum suorum remißionem, & justitiam consequantur, æternumque salventur. Atque hoc sensu primum Articuli secundi membrum probamus.

Secunda propositio, quæ asserit, Christum per mortem crucis omnibus promeritum esse reconciliationem & remißionem peccatorum, si dicto modo intelligatur, de mortis Christi in se spectatæ dignitate, valore ac sufficientia, ut sensus sit: mortis Christi valorem, dignitatem & sufficientiam esse tantam, ut per eam omnes homines, modo vere in Christum credant, Deo reconciliari, & peccatorum suorum remißionem consequi poßint: tolerari utcunque potest, (hoc enim sensu nonnunquam ista phrasi utuntur Theologi Orthodoxi) si vero phraseos illius hic sit sensus, Christum per mortem crucis actualem reconciliationem, hoc est, favoris & gratiæ divinæ restitutionem, remißionem peccatorum ac vitam æternam iis, qui æternum pereunt, impetrasse, acquisivisse & obtinuisse, propositio ista, ut Heterodoxa, rejicienda est. Ex sacris namque Literis Ecclesiæ Orthodoxæ hactenus crediderunt & docuerunt; Licet mortis Christi in se spectatæ & consideratæ virtus & dignitas tanta sit, ut omnibus & singulis hominibus, si vel plures, quam milleni essent mundi, Deo reconciliandis, & peccatis eorum expiandis, sufficiat; (quæ etiam causa sit, cur Euangelium omnibus indifferenter, electis & reprobis, annuncietur, ipsique omnes in Christum credere jubeantur, & increduli propter suam incredulitatem juste condemnentur) nequaquam tamen per eam omnibus hominibus ipso actu redemptionem, reconciliationem, remißionem peccatorum & vitam æternam impetratam seu acquisitam & obtentam esse, ita, ut omnes omnino homines dici poßint, cum Deo per mortem Filij sui reconciliati, redempti; & jus remißionis peccatorum, æternæque vitæ habere: sed omnia illa beneficia Christum paßione & morte sua acquisivisse, & obtinuisse solis suis ovibus, seu electis, quos Pater ipsi redimendos, æternumque salvandos tradidit, atque ad eos, & non alios, beneficia illa proprie spectare.

Rationes, quibus huius sententiæ Ecclesiarum Orthodoxarum veritas in Collat. Hag. stabilita, & contrariæ Remonstrantium assertionis falsitas impugnata fuit, probamus, & iis sequentes addimus.

I. Quibus Christus paßione & morte sua reconciliationem cum Deo, remißionem peccatorum, justitiam, & vitam æternam ipso actu impetravit, acquisivit & obtinuit, ij beneficiorum illorum vere fiunt participes. Ratio est: Nec enim quicquam dici potest alicui, merito Christi impetratum, acquisitum & obtentum, cujus ille aliquando particeps non reddatur. At increduli, qui æternum pereunt, reconciliationis cum Deo, remißionis peccatorum, justitiæ & vitæ æternæ non fiunt participes, quin potius manet super illis ira Dei. Ioan. 3. 36. æternumque ij condemnantur. Marc. 16. 16. Ergo &c.

II. Qui per mortem Christi Deo sunt reconciliati, per vitam eiusdem servantur;

scilicet æternum, Rom. 5. 10. *Si, cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filij ipsius, multo magis reconciliati servabimur per vitam ipsius.* At non omnes homines, sed soli electi & credentes per vitam Christi servantur. Ergo, &c.

III. Quibus Christus destinatus & datus non est in mediatorem, eos suo Patri per passionem & mortem suam non reconciliavit, nec peccatorum remissionem & vitam æternam iis acquisivit & obtinuit. At Reprobis qui in infidelitate permanent, & in ea moriuntur æternum, Christus destinatus & datus non est in Mediatorem. Ergo, &c. Assumptio probatur. 1. Quibus Christus destinatus & datus est in Mediatorem, iis Deus una cum Christo gratificatur omnia scil. beneficia spiritualia, ipsamque etiam vitam æternam. Rom. 8. 32. *Is* (Deus Pater) *qui proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, quomodo non etiam cum ipso nobis omnia gratificabitur?* Est enim Filius Dei, Iesus Christus, donum longe majus & excellentius quavis alia benedictione spirituali. Cui vero Deus majus largitur & excellentius donum, ei minus non denegabit. Iam vero iis, qui in incredulitate manent, & in ea moriuntur, Deus non gratificatur omnia spiritualia beneficia, vitamque æternam; Manet enim ira Dei super ipsis: Et, condemnabuntur in æternum. Ergo iis, qui in incredulitate manent, Christus non est destinatus & datus in Mediatorem.

IV. Si per passionem & mortem Christi omnibus omnino hominibus reconciliatio cum Deo, peccatorum remissio ac vita æterna impetrata, acquisita ac obtenta fuit; sequitur, omnes, qui merita illa Christi actuali incredulitate haud à se rejiciunt, vere cum Deo reconciliatos manere, & remissionem peccatorum, æternamque vitam adipisci. At consequens est absurdum. Ergo & antecedens.

Minor probatur, Exemplo gentium quamplurimarum, quibus Euangelii doctrina nunquam fuit prædicata, nec adhuc dum prædicatur. Hæ enim licet incredulitate actuali Christum, eiusque meritum non rejiciant, cum iis verbum Euangelij non annuncietur, nihilominus tamen, cum à Christo alieni sint, æterna salute privantur, & æternæ damnationi adjudicantur.

Tertia Propositio, in quam Articulus secundus resolvitur, videlicet, remissionis peccatorum neminem reipsa participem fieri, præter credentes, sacris literis consentanea est. Ita enim docet Christus, Marc. 16. 16. Ioan. 3. 16. 18. Et 5. 24. Et 6. 40. 47. Et D. Paulus Rom. 3. 22. 24. 25. Et 10. 9. 10. 11. Atque hæc de Articulo secundo, prout verba ejus habent.

Quod porro sententiam Remonstrantium circa hunc Articulum concernit, est ea ex Coll. Hag. aliisque ipsorum scriptis eruenda. In Collat. Hag. Verbis Articuli, hanc addiderunt declarationem: Christum non pro solis electis, aut pro iis solis, qui salvandi sunt, mortem oppetiisse, atque ita reconciliationem peperisse, sed etiam pro aliis omnibus hominibus, idque juxta consilium & decretum Patris. Quæ verba duplicem possunt habere sensum. Prior est: Consilium & Decretum Dei Patris fuisse, ut Christus passione & morte sua eiusmodi λύτρον persolveret, quod in se consideratum, tantæ esset dignitatis, tanti vigoris, tanti precij, ut omnibus & singulis hominibus Deo reconciliandis, ipsorumque peccatis expiandis abunde sufficeret. Atque hic sensus verus est, nec à Reformatæ Ecclesiæ Doctoribus unquam negatus fuit. Quale namque in se est Christi λύτρον, quod Passione & morte sua præstitit, tale illud Deus Pater ab æterno voluit esse.

At Christi λύτρον in se est sufficientissimum ad omnium & singulorum hominum (si vel mille essent mundi) peccata expianda. Ergo, tale illud Deus Pater ab æterno voluit esse.

Posterior sensus est; Consilium & Decretum Dei Patris fuisse, ut Christus passione & morte sua pro omnibus & singulis hominibus reconciliationem ipso actu obtineret, seu, (quod idem est) omnes & singulos homines efficaciter Deo reconciliaret. Atque hic sensus falsus est, & à Scriptura alienus. Quod enim Christus non impetravit & obtinuit suo λύτρῳ, illud Deus nec ab æterno voluit, Christum suo λύτρῳ impetrare & obtinere. At Christus non impetravit & obtinuit suo λύτρῳ ipso actu, omnibus & singulis hominibus reconciliationem cum Deo, remissionem peccatorum & vitam æternam; seu Christus λύτρῳ suo non effecit, ut omnes & singuli homines ipso actu Deo reconciliarentur, remissionem peccatorum & vitam æternam consequerentur. Super quamplurimis manet ira Dei, videlicet super omnibus,

Digitized by Google

omnibus, qui à Christo sunt alieni. Ergo nec Deus ab æterno voluit, Christum suo λύτρῳ omnibus & singulis hominibus reconciliationem cum Deo, remissionem peccatorum & vitam æternam impetrare & acquirere.

Minor probatur omnibus supra adductis rationibus ad propositionem secundam hujus Articuli.

In alijs suis scriptis & exhibitis Thesibus circa secundum hunc Articulum, Remonstrantes, præter superiora, alia adhuc heterodoxa asserunt; de quibus itidem nostram sententiam breviter dicemus. Prima assertio heterodoxa, quæ extra Collat. Hag. in alijs Remonstrantium scriptis de hac materia reperitur, hæc est: Christum merito mortis & satisfactionis suæ hoc effecisse seu impetrasse, ut Pater, propter illius meritum, salva justitia & veritate sua, novum gratiæ fœdus cum peccatoribus & damnationi obnoxijs hominibus inire & sancire potuerit, & voluerit. Vide Thes. 2. Exhibita de Articulo secundo. unde colligitur Christum, & meritum mortis & satisfactionis eius, secundum ipsorum sententiam, non esse novi fœderis promissum, sed sanctionem novi fœderis antecessisse, eamque meruisse.

Contra Ecclesiæ Reformatæ docent, Christum cum sua passione & morte non antecessisse novi fœderis promissionem & sanctionem, nec eam meruisse, sed eius potius primarium & præcipuum esse promissum, qui sua morte justitiæ divinæ satisfecerit, electos Deo reconciliaverit, ijsque remissionem peccatorum, justitiam & vitam æternam promeritus fuerit.

Christum cum precioso suo λύτρῳ non antecessisse novum fœdus, eiusque sanctionem meruisse, sed potius Novi Fœderis primarium & præcipuum esse promissum, ex seqq. patet.

1. Genes. 3. 15. Deus fœdus gratiæ cum primis nostris parentibus initurus, dicit: *Semen mulieris conteret caput serpentis, & ipse mordebit calcaneum ejus.* Quibus verbis, (quæ utique fœderis gratiæ sunt) Deus principaliter promittit Messiam, & consequenter omnia bona spiritualia, quæ ipse passione & morte sua (quam morsus calcanei significat) acquisiturus esset. Ergo Christus est præcipuum novi fœderis promissum, ex quo ceu fonte, reliqua omnia bona Novi Fœderis, videlicet reconciliatio cum Deo, remissio peccatorum, & vita æterna promanant.

2. Eodem modo postea Deus Fœdus hoc gratiæ repetiturus & renovaturus cum Abrahamo, Isaaco, Iacobo, Davide, alijsque Patriarchis & Prophetis V. T. cumprimis meminit seminis illius, in quo ipsorum posteritas, omnesque adeo gentes benedicendæ essent, adeoque in memoriam ipsis revocat hanc, demittendo in hunc mundum & tradendo in mortem Messia, factam promissionem. Vide Genes. 17. 7. Et 22. 17. 18. Et 25. 15. Et 28. 10. 13. 14. Gal. 3. 16. 2. Sam. 7. 12. 13. 14. Heb. 1. 5.

3. Atque hanc etiam ob causam Christus dicitur Mediator Novi Fœderis. Hebr. 8. 6. Et 9. 15. Et 12. 24. At Novi Fœderis Mediator, ejusdemque promissio non potest non pertinere ad N. Fœdus. Quo enim referretur alias? Certe ad legem referri nequit, utpot[illegible] [illegible]æ Christum prorsus ignorat, nec eum prædicat. Ad Evangelium igitur pertinet[illegible] [illegible]s promissa sunt etiam Novi Fœderis promissa.

4. Si Chri[illegible] [illegible]morte & satisfactione sua, de absoluta voluntate & intentione Patris, hoc prom[illegible]erit, ut ipse, salva sua justitia, posset & vellet novum Gratiæ fœdus inire cum hominibus peccatoribus & damnationi obnoxijs: sequitur, Deum, accepta hac Christi satisfactione, teneri cum omnibus omnino hominibus, nemine excepto, fœdus illud gratiæ inire, nec quenquam posse jure præterire hac fœderis gratia. Ratio est: quia & satisfactio illa in se fuit plenissima, ad obtinendum illud, quod intendit, & effectus ille, videlicet, impetratio possibilitatis & velleitatis Dei, fœdus gratiæ cum hominibus ineundi, à nulla conditione, quam homines præstare teneantur, suspenditur.

At consequens est absurdum. Non enim in V. tantum Testamento Deus, electo sibi in peculium suo populo Israëlitico, sivit gentes quamplurimas ambulare in vijs suis; verum tempore N. Testamenti, sub quo tamen regnum Dei latissime propagatum fuit, semper extiterunt, & etiamnum exstant populi quamplurimi, quibus de Fœdere Dei gratuito nihil innotuit. Ergo, &c.

Porro, Christum morte sua longe aliud, quam possibilitatem & velleitatem Dei Patris, novum cum hominibus peccatoribus fœdus ineundi, ipsam nimirum cum

Digitized by Google

Deo reconciliationem, peccatorum remissionem, justitiam, sanctitatem & vitam æternam ipso actu vere & efficaciter meruisse, impetrasse & obtinuisse omnibus electis suis: ex sequentibus luce meridiana clarius elucescit.

I. Reconciliationem cum Deo morti Christi tribuit Scriptura; Rom. 5. 10. *Cum inimici essemus, reconciliati fuimus Deo, per mortem filij ejus.*

II. Remissionem peccatorum sanguini & morti Christi adscribit, Rom. 3. 24. 25. 1. Ioh. 1. 7. Hebr. 9. 14. 15.

III. Iustitiam & sanctitatem eadem Scriptura sanguini, & corporis Christi oblationi, scilicet in ara crucis, attribuit, Heb. 9. 10. Et 13. 12. Ephes. 5. 25. 26. 27.

IV. Vitam æternam passione & morte Christi acquisitam esse S. Literæ attestantur. Hebr. 9. 15.

Secunda Remonstrantium circa hanc materiam heterodoxa assertio, quæ extra Coll. Hag. in alijs ipsorum scriptis occurrit, hæc est: Posita & præstita Christi morte & satisfactione, Deo Patri liberum fuisse, sub quacunque vellet conditione eam communicare, adeoque è multis possibilibus eligere & præscribere, quas vellet N. Fœderis & salutis conditiones, quas qui præstarent, ij demum Fœderis promissa consequerentur.

Contra, Ecclesiæ Reformatæ ex Verbo Dei docent, præstita Christi morte & satisfactione, Deum per iustitiam suam nec potuisse, nec voluisse ulla alia via, quam per Christi communionem, quæ vera fide obtinetur, tam in V. quam in N. Testamento salvare credentes; Quod itidem ex S. Scriptura luculentissime constat.

Non potuisse Deum per iustitiam suam alia ratione hominem salvare, ex eo satis apparet, quia utrumque justitia divina requirebat, tum, ut pro peccatis satisfieret, (quam ob causam ipse Filio suo unigenito noluit parcere, sed in ignominiosam mortem crucis eum tradidit, ut is corporis sui oblatione in ara crucis pro nobis justitiæ diuinæ satisfaceret) tum ut illa, à Christo præstita satisfactio fieret nostra, seu nobis applicaretur. Ut enim justus Deus nostra peccata in Christo punire haud potuisset, nisi ea in ipsum conjecisset, adeoque ipsi ea vere imputasset; ita nec juste nos ob præstitam Christi satisfactionem in gratiam recipere, æternumque salvare posset, nisi satisfactio illa fieret nostra, nobisque vere imputaretur. Videatur aureum dictum D. Apostoli 2. Cor. 5. 21. Non voluisse Deum alia nos ratione salvare, quam per Christi communionem, quæ vera obtinetur fide, inde satis luculenter apparet, quod hanc ipsam, & non aliam salutis consequendæ viam nobis peccatoribus in Verbo suo revelavit. Videantur Ioh. 14. 16. Actor. 15. 11. Rom. 3. 29. Et 10. 3. 4. 5. &c. usque ad vers. 14.

Tertia Remonstrantium assertio heterodoxa, quæ extra Coll. Hag. in scriptis ipsorum occurrit, hæc est: Posita & præstita Christi morte & satisfactione, fieri potuisset, ut nemine Novi Fœderis conditionem præstante, nemo servaretur, & omnibus eam præstantibus, omnes salvarentur. Absoluta siquidem voluntas & intentio Patris Filium in mortem tradentis, & filij eam subeuntis, tantum fuit, ut reconciliatio & remissio peccatorum omnibus & singulis hominibus, tam pereuntibus quam salvandis impetrarentur: Quare etiam ea omnibus & singulis impetrata sunt. Voluntas autem & intentio omnibus ea & singulis applicandi, fuit tantum conditionata, seu desiderium, ex quo scilicet omnibus ea applicare vellet, si Novi Fœderis conditiones præscriptas præstarent. Contra Ecclesiæ Reformatæ ex Verbo Dei docent: posita & præstita Christi morte & satisfactione, non posse fieri, quin salventur omnes illi, quos Deus Pater Filio suo Christo Mediatori redimendos & salvandos tradidit, & quorum ipse peccata vere expiavit, quosque Deo reconciliavit; Deumque Patrem omnibus, quos Filio suo redimendos tradidit, decrevisse etiam ab æterno fidem dare, ipsamque etiam efficaci operatione Spiritus Sancti, in tempore efficaciter ijs conferre; adeo, ut omnes illi necessario & infallibiliter salventur. Atque hæc Reformatarum Ecclesiarum doctrina ex Verbo Dei satis est manifesta.

Posita & præstita Christi morte & satisfactione, non posse fieri, quin salventur omnes, quos Pater Christo redimendos & salvandos tradidit, ex sequentibus Scripturæ dictis & rationibus liquido apparet.

I. Pro quibus Christus ut Mediator orat, & in cælis coram Patre suo intercedit,

dit, ij certo & infallibiliter salvantur. Ratio est: Quoniam Pater Christum Mediatorem in cælis pro suis intercedentem semper exaudit, nec preces ipsius unquam sunt irritæ. At Christus ut Mediator orat & intercedit pro omnibus ijs, quos Pater ipsi dedit de Mundo, hoc est, electis. Ioan. 17. 9. & 20. Ergo, &c.

II. Ipse Christus pronunciat, voluntatem Patris sui cœlestis esse, ut nullum perdat eorum, quos Pater ipsi dederit Ioan. *6*. 39. Unde sic concludimus: Omnes, quos Pater voluit à Christo non perdi, sed salvari, vere etiam & infallibiliter ab ipso salvantur. Christus enim omnem Patris sui voluntatem implevit. *Ecce adsum, ut faciam, Deus, voluntatem tuam* Heb. 10. 9. Psal. 40. 9. At Pater voluit à Christo salvari omnes, quos ipsi dedit scilicet redimendos & salvandos. Ergo, &c.

III. Quorum Christus Mediator est merito & efficacia, ijs merita Christi certo & infallibiliter applicantur, ita ut per ea æternum salventur. At Electorum Dei filiorum, seu Ecclesiæ, quam Deus ab æterno ex genere humano lapso elegit, Christus est mediator merito & efficacia. Ideo enim Iesus vocatur, quia populum suum salvat à peccatis suis, scilicet vere & efficaciter. Matth. 1. 21. Ergo, electis Dei filijs seu Ecclesiæ certo & infallibiliter applicantur Christi merita, ita, ut per ea æternum salventur.

IV. Si posita & præstita Christi morte & satisfactione, fieri posset, ut nemo hominum salvetur; Christus frustra fuisset mortuus, & fine mortis & passionis suæ excideret. Hic enim finis fuit mortis Christi, salus sui populi æterna. At consequens est absurdum; Ergo & antecedens.

Denique Deum Patrem omnibus, quos Christo redimendos & salvandos tradidit; & quorum peccata Christus expiavit, decrevisse etiam ab æterno fidem dare, & eam ipsis quoque in tempore efficaciter conferre, ex seqq. liquet.

1. Quicunque ad Christum veniunt, à Deo Patre efficaciter trahuntur, hoc est, fide donantur. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum. Quisquis audivit à Patre meo, & didicit, venit ad me. Nemo potest venire ad me, nisi datum ei fuerit à Patre*, Ioan. *6*. 44. 45. 65.

At omnes, quos Pater Christo dedit redimendos, & quorum ipse peccata expiavit, ad Christum veniunt. *Quicquid dat mihi Pater, veniet ad me, & eum qui ad me venit, nequaquam ejiciam foras*. Ioan. *6*. 37. Ergo omnes, quos Pater Christo redimendos tradidit, à Patre efficaciter trahuntur, id est, fide donantur.

2. Atque hoc ipsum Christus expresse docet, Ioan. 17. *6*. 7. 8. *Manifestum feci nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi è mundo. Tui erant, & mihi eos dedisti, & sermonem tuum servarunt. Nunc noverunt omnia, quæ dedisti mihi, à te esse, quia verba quæ dedisti mihi, tradidi ijs, & ipsi receperunt: Et vere norunt, me à te prodiisse, & crediderunt me à te missum esse.* Quibus verbis Christus docet, omnes eos, quos Pater ipsi dedit, vere in ipsum credere, eorumque fidem varijs æquipollentibus verbis describit, inquiens: Eis manifestum factum esse nomen Patris: Eius sermonem eos servasse; eos recepisse verba, quæ Pater ipsi (Christo) tradiderit: Ipsos nosse Christum à Patre prodiisse; & denique expresse subiungit, eos credidisse, Christum à Patre missum esse.

Concludimus itaque, omnes eos, quos Pater Christo redimendos tradidit, & quorum peccata Christus expiavit, vere etiam in tempore à Deo Patre salvifica fide donari: ac proinde Remonstrantium assertionem esse falsam & erroneam, cum dicunt; Posita & præstita Christi morte & satisfactione, fieri potuisse, ut nemine Fœderis Novi conditionem præstante, nemo servaretur; & omnibus præstantibus eam, omnes salvarentur.

Atque hæc etiam de secundo Remonstrantium Articulo, & Eorundem circa illum sententia, dicta sunto.

DE

DE MORTE CHRISTI

Sententia Helvetiorum.

I.

DOminus noster Iesus Christus, quemadmodum ex æterna Dei Patris voluntate atque consilio, obedientia & morte sua remissionem peccatorum, reconciliationem cum Deo, restitutionem in gratiam, adoptionem, justitiam coram Deo, salutem seu gloriam æternam, sive quocunque nomine alio, beatitas illa cælestis, eiusque partes venire soleant, omnibus & solis electis, atque totius mundi, cum Veteris tum Novi Testamenti fidelibus impetravit, ita eandem, prorsus ijsdem, omnibus & solis, ceu propriam applicat.

II.

Neque hic excluduntur qui pereunt, defectu aut imbecillitate τ̃ λύτρυ à Christo soluti, cuius dignitatem & sufficientiam omni omnium delictorum enormitate infinite abundantiorem esse, profitemur & credimus: verum enimvero, quia Dei Patris voluntas, atque salvandorum electio; Filij obedientia atque oblatio; necnon Spiritus Sancti salutaris operatio, sive vocatio efficax & sanctificatio æque late patent, easdemque personas respiciunt: quia item Pater electos suos, quos solos dilexit, solos redimendos Filio dedit; Filius sibi à Patre datos, quos solos dilexit, solos redemit; Spiritus Sanctus, Patris & Filij amor, electos & redemptos solos sanctificat: nostrum utique non est, liberalitate præpostera adversus Apostolum, imo adversus Christum ipsum, partam à Christo salutem assignare ullis, constitutis extra cœtum eorum, quos Pater dilexit, elegit & trahit; extra Ecclesiam illam, quam dilexit Filius, seque pro ea exposuit; extra corpus illud, cuius Christus est Salvator & caput; extra hæredes illos, in quorum cordibus Spiritus S. est arrhabo, eosque credentes obsignat.

III.

Negamus Dominum nostrum Iesum Christum ex absoluta voluntate & intentione vel Patris vel sua, omnibus & singulis hominibus in communi lapsus & peccati sorte indiscriminatim consideratis, sive, tam pereuntibus quam salvandis, peccatorum remissionem & reconciliationem cum Deo ita impetrasse, ut etiam pereuntium, nominatim Caini & Iudæ proditoris peccata, morte sua luerit & expiarit. Finis enim ignominiosissimæ illius, pretiosissimæ tamen atque vivificæ mortis, in quam Pater Filium definito consilio tradidit, & quam Filius obediens Patri sustinuit, non est reconciliationis & gloriæ acquisitio tantum vel impetratio, verum etiam rei impetratæ applicatio. Imo, quid, & quibus impetraverit Christus, applicatio ipsa demum patefacit atque obsignat. Neque impetrationem applicatio sequi non potest, cum hæc illius sit finis, cumque utraque ijsdem hominibus ante jacta mundi fundamenta, sit destinata, ac indissolubili nexu ambæ cohæreant. Aut quis, quæso, sciens prudensque λύτρον pro captivo exsolvat: cuius beneficium à misero perceptum non iri certo norit? Nempe dedit semetipsum Filius pro Ecclesia, ut eam non alios, sanctificaret, eamque sibi, non alios, gloriosam sisteret. Dedit semetipsum pro peccatis nostris, ut eximeret nos ex præsenti sæculo malo, idque secundum voluntatem Dei & Patris nostri. Dedit, inquam, semetipsum pro nobis, ut redimeret nos ab omni iniquitate, & purificaret sibi ipsi populum peculiarem, studio bonorum operum accensum.

Sunt

Digitized by Google

Sunt hæc revera occulta fidei bona, quæ electis, quæ redemtis, quæ Sanctis solis, non alijs ullis, conveniunt, adeo ut à credentibus ista aut omnia simul, aut à non credentibus prorsus nulla percipiantur.

IV.

Negamus Christum bono, seu loco & vice hominum nunquam convertendorum, ita mortem sustinuisse, ut eorum victima fuerit, sive sacerdos & propitiator talis, qui loco illorum, pœnam debitam peccatis ipsorum justo judici Deo exsolverit. Christus enim Dominus noster sursum tulit in corpore suo super lignum illud, peccata nostra. Peccata, inquam, nostra, qui credimus; non eorum, qui non assentientes ad sermonem impingunt, ad quod etiam positi sunt. Consummavitque oblatione unica in perpetuum non omnes, sed eos, qui sanctificantur.

V.

Christum secundum Patris decretum atque consilium mortuum esse pro ijs, quos nunquam servat, tam est alienum à vero, quam servari eos, pro quibus Christus ex Patris consilio mortuus non est. Et vero si non omnes vocati electi sunt, quid dicemus de ijs, qui ne unquam quidem vocati sunt? Utique ad gentes plurimas Christi eiusque Mortis pervenit ne mentio quidem, nedum iusta notitia eius, assensus, aut cordis fiducia. Scriptura quippe testatur passim fuisse gentes ætatibus suis desolatas; vinctas; immersas tenebris, Deo incognitas, Dei ignaras, Deum non quærentes; de Deo non interrogantes; Deum Israëlis non invocantes; relictas sibi absque Christo, à conversione Israëlis abalienatas; à promissionibus pactorum extraneas, spem non habentes, absque Deo; non populus Dei; non dilectas; non consequutas misericordiam; oraculis, prophetis, apparitionibus, fœdere, fœderis signis, typis, cultu denique vero universo carentes. His Christum quidquam impetrasse, opinio eiusmodi est, quæ absurditate sua ipsius facile necessarioque corruit.

VI.

Negamus Dominicæ mortis, resurrectionis & intercessionis fructum ita posse disjungi, ut mors pluribus, resurrectio & intercessio paucioribus prosint. Quin potius Deum ijs omnibus, pro quibus Filium tradidit, cum Filio omnia gratificari; & propter quorum Christus traditus fuit offensas, ad eorundem justificationem suscitatum quoque fuisse, & in sanctuarium cæleste ingressum, interpellare pro ijs, non item pro alijs, ex Sacra Scriptura didicimus.

VII.

Deum prædestinasse Christum in Mediatorem ante omnem voluntatem atque intentionem quenquam nominatim servandi; mediationi illi à Christo peractæ & præstitæ dignitatem, necessitatem & utilitatem suam constare abunde, tametsi ea nemini unquam applicaretur; aut fieri potuisse, ut propter incredulitatem omnium omnes perirent; denique Iesum Christum Salvatorem nostrum cum beneficijs suis nobis partis, novi Fœderis primarium non esse promissum; & quæ ad detrimentum Ecclesiæ excogitata id genus sunt alia, serio vereque detestando horremus.

IVDI-

IVDICIVM

Nomine Orthodoxarum Ecclesiarum Nassovio-VVetteravicarum,

DE SECVNDO ARTICVLO,

qui est,

De Vniversalitate meriti mortis Christi.

Thesis I. Orthodoxa.

CHRISTVS merito mortis suæ Deum Patrem nobis ita reconciliavit, ut propter eum, in eo, & cum eo, Deus omnia reliqua salutaria bona & dona electis promiserit. Et per mortem ac satisfactionem suam, triplici nostræ miseriæ triplex opposuit remedium: nostris videlicet transgressionibus, perfectam legis impletionem; nostro reatui, absolutionem ab eo; pœnæ nobis luendæ, solutionem. Cum igitur hic sacerdos noster seipsum pro nobis tradiderit oblationem ac victimam Deo, in odorem bonæ fragrantiæ, Deus Pater non potuit nec voluit alia via, quam per unionem & communionem cum Christo, quæ per Spiritum Fidei obtinetur, ullos homines tam in V. quam in N. T. salvare.

Thesis I. Heterodoxa.

CHRISTVS merito mortis suæ Deum Patrem universo generi humano hactenus reconciliavit, ut Pater propter illius meritum, salva justitia & veritate sua, novum Gratiæ fœdus cum peccatoribus & damnationi obnoxijs hominibus inire & sancire potuerit & voluerit: salva tamen manente Patris libertate, è multis possibilibus conditionibus (inter quas & opera legis sunt) eligendi & præscribendi: quas vellet novi fœderis & salutis conditiones. Quas qui præstarent, ij demum fœderis promissa consequerentur.

Confirmatio veræ sententiæ.

1. Cor. 1. 30. *Sed ex ipso vos estis in Christo Iesu, qui factus est nobis sapientia à Deo, justitiaque, & sanctificatio, & redemptio.*

Eph. 1. 6. 7. 8. *Ad laudem gloriosæ suæ gratiæ, qua nos gratis sibi acceptos fecit in illo dilecto: in quo habemus redemptionem per sanguinem ipsius: remissionem, inquam, lapsuum, ex divite ipsius gratia; quæ redundavit in nos omni sapientia & intelligentia.*

Actor. 13. 39. *Et ab omnibus, à quibus per legem Mosis absolvi non potuistis, per hunc, quemvis, qui credat, absolvi.*

Matth. 3. 17: *Hic est Filius ille meus, dilectus ille, in quo acquiesco.*

Matth. 20. 28. *Sicut Filius hominis non venit ut sibi ministretur, sed ut ministret; detque animam suam in redemptionis precium pro multis.*

Ioh. 14. 6. *Ego sum via illa, & illa veritas, & vita illa. Nemo venit ad Patrem, nisi per me.*

Ioh. 15. 4. 5. *Manete in me, & ego in vobis manebo. Ego sum vitis, vos palmites. Is qui manet in me, & in quo ego maneo, hic fert fructum multum. Nam seorsim à me nil potestis facere.*

Actor. 4. 12. *Nec est in alio quoquam salus. Nec enim aliud nomen est sub cælo, quod datum sit inter homines, per quod oporteat nos servari.*

Digitized by Google

Thesis II. Orthodoxa.

Voluntas & intentio Patris, Filium in mortem tradentis, & Filij eam subeuntis, fuit, ut Filius per λύτρον pretiosi sanguinis ijs, quos Pater ipsi dedit, & impetraret & applicaret remissionem peccatorum & vitam æternam.

Thesis II. Heterodoxa.

Voluntas & intentio Patris Filium in mortem tradentis, & Filij eam subeuntis, fuit, ut reconciliatio & remissio peccatorum, omnibus & singulis, tam pereuntibus, quam servandis impetraretur, solis autem credentibus applicaretur. Etsi igitur illa omnibus & singulis impetrata sunt: solis tamen credentibus applicantur.

Confirmatio veræ sententiæ.

Principio hæc sententia confirmatur ijs Scripturæ locis, quæ agunt de fine proximo passionum & mortis Christi. Passus enim est Christus (idque ex decreto Patris, Esai. 53. 10. 11.) ut animam suam daret pretium redemptionis pro multis, & reconciliationem pro multis, ut tolleret peccata multorum; ut peccata nostra in corpore carnis suæ ferret, & sanguine suo expiaret; purgationem peccatorum nostrorum per seipsum faceret; Deo nos reconciliaret, æternam redemptionem nancisceretur; iustitiam seculorum adduceret; vitam æternam impetraret. Matth. 20. 28. Heb. 9. 28. 1. Pet. 2. 24. Rom. 3. 25. 1. Pet. 2. 24. Heb. 1. 3. 2. Cor. 5. 19. Coloss. 1. 21. 22. Heb. 9. 12. Dan. 9. 24.

Deinde huc pertinent ea Scripturæ loca, ubi Christus dicitur pro nobis mortuus, ut Pontifex, qui se obtulit pro peccatis nostris; ut sponsor, qui loco seu vice nostra solvit ἀντίλυτρον; ut vindex & Servator noster, qui morte sua aboleret eum, qui habet mortis imperium. Hebr. 10. 12. 14. Et 7. 27. Et 9. 2. 11. 12. Et 7. 22. Et 9. 15. Et 2. 14. 15.

Tertio hoc idem probatur ijs Scripturæ locis, quibus dicitur Christus, vitam suam posuisse pro ovibus suis, se tradidisse pro sua Ecclesia, servare populum suum à peccatis ipsorum, Ecclesiam sanguine suo redemisse, & esse servator corporis sui. Iohan. 10. 15. Ephes. 5. 25. Matth. 1. 21. Actor. 20. 28. Ephes. 5. 23.

Denique huc pertinent illa Scripturæ loca, ubi dicitur, quod Christi obedientiâ constituamur iusti; quod Iehova sit iustitia nostra; quod Christus nobis sit factus à Deo Patre iustitia; quod denique factus sit peccatum, ut nos efficeremur iustitia Dei in ipso. Rom. 5. 19. Ierem. 23. 6. 1. Cor. 1. 30. 2. Cor. 5. 21.

Ex quibus omnibus colligere est, Christum omnibus & solis electis impetrasse & applicare reconciliationem; & esse Servatorem, qui remissionem peccatorum & Spiritum regenerationis simul donet.

Thesis III. Orthodoxa.

Christus est expiatio pro peccatis totius Mundi, quantum ad dignitatem & sufficientiam λύτρου attinet. Sed ratione efficaciæ & donatæ ab ipso fidei, iuxta gratuitam Dei electionem, nonnisi electorum est servator.

Thesis III. Heterodoxa.

Christus pro omnibus individuis, tam pereuntium, quam salvandorum mortem obijt, quo ad salutis impetrationem, tam pro Caino & Iuda, quam pro Abele & Petro: non tamen pro illis, qua talibus, aut qua perituris, nec pro istis, qua fidelibus, sed indiscriminatim pro his & illis in communi lapsus & peccati sorte consideratis.

Confirmatio veræ sententiæ.

Cum Scriptura dicat alibi; Christum esse mortuum pro omnibus, ut 2. Corinth. 5. 15. 19. Dedisse semetipsum ἀντίλυτρον pro omnibus. 1. Timoth. 2. 6. Gustasse mortem pro omnibus. Hebræor. 2. vers. 9. Esse ἱλασμὸν pro peccatis totius mundi. 1. Iohan. 2. vers. 2. alibi autem pro multis, & quidem electis Filijs Dei & credentibus, ut Matth. 20. 28. Iohan. 17. 19. Rom. 3. 22. Hoc ἐναντιοφανὲς ut tollatur, tenendum est, Christum Servatorem nostrum Opt. Max. pro omnibus dici mortuum tripliciter. Principio efficaciter mortuus est pro omnibus suis ovibus. Iohan. 10. 15. Atque in his omnibus & solis, inquit Ambros. lib. 1. de Vocat. Gentium cap. 3. specialis quædam universitas censetur. Et hæc est universitas credentium, quemadmodum datur universitas pereuntium, & universitas viventium, id est, omnium omnino hominum. Universitatem illam credentium exprimit Apostol. Rom. 3. 22. *Iustitia Dei per fidem Iesu Christi in omnes & super omnes qui credunt.* Quæ propositio est καθόλου ὡς μὴ καθόλου, id est, universalis, sed ad speciem certam astricta. Pro omnibus ergo, & solis credentibus Christus est mortuus, quantum ad efficaciam seu efficientiam & fructum mortis eius attinet: quem fructum minime omnes homines, sed soli credentes percipiunt, cæteri infidelitate sua respuunt. Immota enim & catholica est hæc Euangelij vox: *qui credit in Filium, habet vitam æternam; qui non credit Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eo.* Iohan. 3. 18. Licet itaque divinissima hæc panacea omnibus omnino in Euangelio sit proposita, Marc. 16. 15. nulla tamen vis eius in homines transfunditur, nisi fiat applicatio per fidem in Filium Dei. Ioh. 3. 36. Et 8. 24. Esai. 7. 9. Perinde ut nulla vis pharmaci in ægrum redundat, nisi audiatur Medicus, & fiat applicatio Medicinæ: qua similitudine Spiritum Sanctum in hoc ipso negotio usum videmus. Esai. 53. 5. 1. Pet. 11. 24. Proinde dubium esse non potest, quin ij omnes & soli efficacitatem mortis Christi, hoc est, redemptionem, reconciliationem cum Deo, remissionem peccatorum, iustitiam & salutem æternam percipiant, quotquot hæc beneficia in Euangelio oblata, vera fide amplectuntur. Hoc igitur sensu Christus mortuus est pro solis electis, id est, ad illos re ipsa beneficium mortis Christi redundat, ut ex illo salutem consequantur. Nam beneficia Christi salutaria ad credentes, & quidem solos, pertinent. Ad credentes quidem, propter indivulsam illam salutis catenam, Rom. 8. Quia qui ante tempora secularia in Christo fuerunt electi, illi in tempore in Christo iustificantur. Itaque quam Dei decretum irritum, & meritum Christi in subordinatum inane esse non potest, tam impossibile est, credentes mortis Christi fructum non assequi, vel non credentes assequi. Additur autem conditio Fidei, non quod propter eam, sed quod per eam a Deo gratis donatam servemur. Ad solos autem credentes pertinet hic fructus, quia his solis dantur ea, per quæ sola omnis, & sine quibus nulla fit applicatio beneficiorum Christi, Spiritus nempe sanctificationis, & fides iustificans. Hæc enim tria coniunguntur in Scriptura: sanguis Christi fusus, aspersio illius per Spiritum S. & fides purificans cor. Rom. 3. 25. 1. Pet. 1. 2. Actor. 15. 9. Iohan. 3. 16. Nam qui non habet fidem, non habet Spiritum Sanctum, qui hunc non habet, non est Christi: qui non est Christi, sanguine illius ablutus non est: ac proinde ad illum non pertinet meriti Christi efficacia. Hinc omnibus promissionibus Euangelij est annexa conditio Fidei, vel expressa, vel subintellecta. Iohan. 3. 16. 36. Rom. 3. 24. Actor 10. 43. Soli ergo electi sunt speciale ac determinatum obiectum mortis Christi: quia his non solum hoc ius & potestatem redemptionis ac reconciliationis impetravit, sed etiam illos reali & actuali remissione peccatorum & reconciliatione donat, singulari gratia Spiritus S. intus efficaciter operantis, illuminat. Hos igitur non solum generali amore, in communi, per Verbi oblationem & externam vocationem afficit: verum etiam speciali affectu, semen verbi incorruptibile, illorum cordibus a Sp. Sancto impressum, in fructum maturum producit, ut vivam huius meriti efficaciam experiantur. Col. 1. 20. Ephes. 1. 10. Iohan. 1. 12. Et 5. 24. Et 6. 47. Et 12. 46. Heb. 5. 9. Cæteri ab hac efficacitate & beneficijs in æternum exclusi manent, quotquot sine fide hoc seculum pertranseunt. Ioh. 3. 18. 36. 1. Cor. 6. 9. Apo. 22. 15. Gal. 4. 30. Huc pertinet, quod Augustin. passim, & nominatim de Nat. & Grat. limitat subiectum univer-

universale ex prædicato : Omnes in Christo justificantur , quotquot justificantur : ita ut gratia justificationis pertineat ad omnes , non absolute , sed limitate,ad omnes credentes. Quam limitationem Apostolus nos docet, Rom. 5. 15. 18. 19. ubi duo principalia regna, Adami primi & secundi, seu mortis & vitæ,Ioh. 1. 2. Coloss. 1. 13. opponit; & docet, quod Christus in omnes suos transfundat vitam, quemadmodum Adamus in omnes suos, mortem. Deinde, Quando Christus dicitur pro omnibus mortuus, intelligi potest, & in multis Scripturæ locis intelligi debet, objectum indeterminatum & universale mortis Christi : quod sunt omnes homines, sine exceptione populorum, conditionis,& sexus. Quod Scholastici bene expresserunt, quando dixerunt, genera singulorum, non singulos generum, esse adæquatum objectum efficaciæ mortis Christi. Qua de re August. lib. de Corrept. & Grat. cap. 14. sic ait : Omnes homines intelligit distributive; omne videlicet hominum genus, per quascunque differentias distributum,Reges, privatos, nobiles, ignobiles, sublimes, humiles, &c. seu omnes prædestinatos; quia omne genus hominum in eis est. Sic ergo Christus mortuus est pro omnibus hominibus, id est, pro hominibus omnium ordinum, ætatum, locorum : ita ut hac phrasi amplitudo gratiæ in N. T. indicetur, ut non ad Iudæos tantum, sed etiam ad alias nationes pertinere hoc beneficium intelligatur.

Tertio, quando Christus dicitur pro omnibus mortuus; hoc intelligi potest de meriti sufficientia, seu pretij magnitudine. Mors quippe Filij Dei, agnique immaculati est unicum, perfectum, & sufficiens λύτρον expiandis & delendis omnibus totius mundi peccatis : meritum immensum iustitiæ, medicina catholica mortis, fons perennis & inexhaustus vitæ æternæ. Actor. 4. 12. Iohan. 1. 29. 1. Iohan. 11. 2. 1. Pet. 1. 29.

Atque hæc sententia, ut suum fundamentum habet in Scriptura, sic quoque Orthodoxæ antiquitatis consensu est comprobata. Nam Orig. in Math. homil. 12. ait : Christus animam suam dedit redemptionem pro multis , qui crediderunt in eum. Et Prosper ad Capit. Gallor. cap. 9. dicit , Christum tantum pro his crucifixum , quibus Mors ipsius profuit. Et Haymonis est dictum Cent. 11. Col. 116. Christus mortuus est pro omnibus prædestinatis ad vitam. Scholastici quoque hoc dogma probarunt : ut Anselmus & Thomas : quorum ille Cent. 11. col. 92. ait : Christus redemit omnes, qui salvandi erant : iste de Verit. Martyrij 26. 97. inquit: Meritum Christi, quantum ad sufficientiam, æqualiter se habet ad omnes : non autem, quantum ad efficaciam . Quod ipsum totidem verbis occurrit apud Lyram in 1. Iohan. 11. Cæterum sufficientia & magnitudo λύτρου Christi quantum ad reprobos, geminum habet finem , unum per se , alterum per accidens. Finis per se est, ut Deus testatum faciat , se non delectari perditione hominum; utpote , qui Filium suum unigenitum dederit, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Finis per accidens est, ut reprobi magnitudine & sufficientia λύτρου reddantur inexcusabiles.

Hi enim non Christi, sed sua culpa pereunt ; quando per infidelitatem suam beneficia Christi in Euangelio oblata repudiant. Si quæras, cur non omnes credant, & credendo accipiant beneficia morte Christi parta ; & dicas , causam esse hanc, quia non omnes volunt credere : ego quæram , cum Fides sit donum Dei , & Deus possit omnibus dare Fidem, cur non omnibus det fidem : vel, cur non in omnibus efficiat, ut velint credere : quod tamen efficere in omnibus poterat ? Hic cogitur obmutescere humana ratio, nec habet quod respondeat: sed cogitur, nolit velit, audire Filium Dei dicentem : *Etiam, Pater, quia sic placuit tibi.* Math. 11. 26. Vel si non audiat, frustra jactabit calces contra stimulum. Recte igitur August. Enchirid. cap. 103. Divina, inquit, scientia intra suum secretum discretionem illam continet. Cæterum quando dicimus Christum esse mortuum pro credentibus & pro amicis suis, hoc intelligendum est consequenter , ita ut denotetur terminus ad quem : sicut è contrario antecedenter dicitur mortuus pro hostibus suis & pro infidelibus, negative accepto infidelitatis vocabulo. Porro electi soli tenentur credere simpliciter, Christum pro se esse mortuum : quia ad illos solos reipsa beneficium Christi redundat, ut ex eo salutem consequantur. Iohan. 3. 15. 16. 18. Rom. 10. 11. Reprobi autem tenentur hoc credere , meritum Christi tantæ dignitatis

esse, ut ipsis quoque prodesse possit; &, si crederent Euangelio, & agerent pœnitentiam, revera prodesset.

Thesis IV. Orthodoxa.

Sicut Christus pro omnibus & solis electis adæquate est mortuus: ita pro his solis intercessit in statu humili, pro his solis resurrexit; pro quibus illis solis jam intercedit in cælis.

Thesis IV. Heterodoxa.

Christus mortuus est adæquate pro peccatoribus omnibus: resurrexit & intercedit cum salvandi intentione adæquate pro fidelibus.

Confirmatio veræ sententiæ.

Executio officij Christi sacerdotalis, tribus veluti partibus absolvitur: legis impletione, pœnarum persolutione, & intercessione. Quæ tria pro objecto adæquato habent omnes & solos electos. Nam pro his Christus legem implevit, tum perfecta intellectus & voluntatis cum lege illa conformitate, tum operibus cum lege congruentibus & perfectis, internis & externis, Rom. 8. 4. Ioh. 17. 19. Math. 3. 15. Deinde pro his Christus seipsum Deo Patri in Spiritu æterno stitit sponsorem, ipse sacerdos & sacrificium. Esaiæ 53. 17. Ioan. 10. 15. Denique pro his solis intercessit in statu exinanitionis, Ioh. 17. 9. *Ego pro eis rogo: non pro mundo rogo, sed pro ijs, quos dedisti mihi; quia tui sunt.* Quibus verbis almus Servator tria dicit; pro quibus oret, videlicet pro donatis sibi, quasi pro communi possessione, cuius tutela ad Patrem spectet: pro quibus non oret, videlicet pro mundo, hoc est, cætu impiorum: & cur pro suis oret: quia tui sunt, inquit: hoc est, ad hoc ab æterno prædestinati, ideoque digni Dei Patris patrocinio, non quidem naturæ suæ dignitate, sed dignatione gratiæ. Pro his etiam solis Christus resurrexit. *Nam traditus est in mortem propter lapsus nostros, & suscitatus ad nostri justificationem.* Rom. 4. 25. Pro his quoque solis intercedit in cælis. *Non enim in manu factum sacrarium ingressus est Christus, quod sit exemplar vero sacrario respondens; sed in ipsum cælum, ut compareat nunc faciei Dei pro nobis.* Hebr. 9. 24. Nimirum Christus sistit se Deo Patri tanquam Mediatorem & satisfactorem unicum, ut præsentatione meriti sui & satisfactionis præstitæ, remissionem peccatorum & justitiæ restitutionem nobis conciliet. Deinde spondet Deo Patri pro nobis obedientiam & gratitudinem, cuius sponsionis signaculum & arrham, Spiritum suum nobis confert, per quem in nobis excitet studium & vitandi peccata, & præstandi justitiam. Ultimo interpellat & orat pro nobis. Quæ tria intercessionis Christi momenta nullo modo ad hædos, sed tantum ad oves Christi pertinent.

De secundo Articulo

qui est,

DE VNIVERSALITATE GRATIÆ,

suffragium & sententia Genevensium.

THESIS I.

CHristus, ex mera εὐδοκίᾳ Patris, destinatus, & datus fuit Mediator & caput certo hominum numero, corpus ipsius mysticum, ex Dei electione, constituentium.

Ephes.

Ephes. 1. 22. *Dedit eum caput super omnia Ecclesiæ.*

Rom. 8. 29. *Quos praordinavit, eosdem & prædestinavit conformes fieri imagini Filij sui, ut sit ipse primogenitus inter multos fratres.*

Ephes. 1. 4. *Electi sumus in ipso, ut capite: Ergo & ille datus caput membris tantum.*

1. Pet. 1. 20. *Agni immaculati pretioso sanguine redempti estis, præcogniti quidem ante jacta mundi fundamenta, manifestati autem ultimis temporibus, propter vos, qui per ipsum creditis in Deum.*

Isaiæ 53. 12. *Partiar ipsi inter magnates.*

Iohan. 17. 6. *Manifestavi nomen tuum hominibus, quos mihi dedisti de mundo: Tui erant, & tu mihi eos dedisti, & ipsi servarunt verbum tuum. Omnia tua mea sunt, & mea tua.*

Thesis II.

Pro illis ipse Christus, vocationis suæ optime conscius, voluit & decrevit mori, & pretio mortis infinito, addere efficacissimam, & singularem voluntatis intentionem.

Ioh. 17. *Oro pro eis, non oro pro mundo, sed pro eis quos dedisti mihi, quia tui sunt*, Et vers. 16. *Non sunt de mundo, sicut neque ego sum de mundo: propter ipsos sanctifico meipsum, ut & ipsi sanctificentur in veritate.*

Et vers. 24. *Pater, ego volo, ut ubi ego sum, sint & illi mecum, quos mihi dedisti, ut videant gloriam meam, quam mihi dedisti, quia tu me amasti ante jacta mundi fundamenta.*

Ioh. 10. 14. *Ego sum Pastor ille bonus, & novi oves meas, & noscor ab eis. Et Pater novit me, & ego novi Patrem, & animam meam pono pro ovibus meis.*

Isai. 53. 10. *Videbit semen, prolongabit dies, & prosperabitur beneplacitum Dei in manibus ipsius.*

Ephes. 5. 23. *Christus est caput Ecclesiæ, & Servator corporis: dilexit Ecclesiam & sese dedit pro illa, ut eam sanctificaret, purificatam lavacro aquæ per verbum, ut sisteret eam sibi gloriosam, Ecclesiam non habentem rugam neque maculam, aut quicquam ejusmodi, sed ut esset sancta & inculpata.*

Tit. 11. 13. *Dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & purificaret sibi populum peculiarem, studiosum bonorum operum.*

Thesis III.

Christus sic datus & destinatus electis, est causa & fundamentum vocationis ipsorum, cooptationis in Ecclesiam, insitionis in corpus ipsius, Sancti Spiritus communicationis, & omnium exinde donorum spiritualium.

Ephes. 1. 4. *Elegit nos in ipso, &c. & nos reddidit gratiosos in dilecto, in quo habemus redemptionem per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum, secundum divitias gratiæ suæ, qua abundavit erga nos in omni sapientia & intelligentia; Noto nobis facto mysterio voluntatis suæ, secundum beneplacitum suum, quod proposuerat in sese, nempe, ut in dispensatione plenitudinis temporum omnia sub uno capite colligeret, tam quæ in cælis sunt, quam quæ in terris.*

Rom. 8. 32. *Ille qui proprio Filio non pepercit, sed dedit ipsum pro omnibus nobis, quomodo non & omnia cum ipso nobis daret?*

Ioh. 11. 51. *Iesus moriturus erat ut congregaret filios Dei dispersos in unum.*

Colos. 1. 17. *Ipse est ante omnia, & omnia in eo consistunt: estque caput corporis Ecclesiæ, principium & primogenitus ex mortuis, ut in omnibus primas teneat: quoniam libuit Patri ut omnis plenitudo in ipso habitaret: & pace per sanguinem eius facta, per eum reconciliavit omnia sibi, tam quæ in cælis sunt, quam quæ in terra.*

Ephes. 1. 22. *Constituit eum caput super omnia Ecclesia, qua est corpus eius, complementum eius, qui implet omnia in omnibus.*

Galat. III. 13. *Christus nos redemit à maledictione legis, factus ipse pro nobis maledictio, ut benedictio Abrahæ obtingat Gentibus in Christo Iesu, ut per fidem promissionem Spiritus accipiamus.*

Galat. 4. 4. *Quum venit complementum temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, subditum legi; ut redimeret illos qui erant sub Lege, ut adoptionem reciperemus. Et quia vos estis filij, misit Deus spiritum Filij sui in corda vestra, clamantem, Abba, Pater: quare tu non es amplius servus, sed filius; quod si es filius, etiam es hæres Dei per Christum.*

Rom. 14. *Nullus ex nobis sibi vivit, aut sibi moritur; quia sive vivimus, Domino vivimus, sive morimur, Domino morimur. Ergo sive vivamus, sive moriamur, Domini sumus, quia propter hoc Christus mortuus est, & resurrexit, & ad vitam redijt, ut dominetur in vivis & in mortuis.*

Ioh. 12. 32. *Quum exaltatus fuero è terra, omnia traham ad me.*

Ephes. 4. 10. *Is qui descendit, idem est qui & ascendit super omnes cælos, ut impleat omnia; & ipse dedit alios Apostolos,* &c. *ad coagmentationem sanctorum, ad opus ministerij, ad ædificationem corporis Christi.*

Thesis IV.

Fides in ipsum est donum & effectum Spiritus Regenerationis, ab ipso Christo, ut capite, accepti.

1. Cor. 17. 9. *Huic datur fides per eundem Spiritum.*

1. Pet. 1. 21. 22. *Per Christum creditis in Deum; purificastis animas vestras obediendo veritati per Spiritum.*

Philip. 1. 29. *Ex gratia vobis hoc datum est pro Christo, non tantum ut in eum credatis, sed etiam, ut pro ipso patiamini.*

2. Cor. 4. 13. *Habentes eundem Spiritum fidei, loquimur, &c.*

Gal. 4. 6. *Spiritus Filij Dei clamat in vobis, Abba, Pater.*

Thesis. V.

Fides est revera conditio Novi Fœderis, respectu ordinis inviolabilis à Deo instituti, sed & ipsa est promissum, donum novi Fœderis, & effectus nostræ in Christo insitionis.

Superiora huc faciunt.

Thesis VI.

Vniversales propositiones, quæ in scripturis reperiuntur, non significant, pro omnibus & singulis hominibus Christum mortuum esse, satisfecisse, &c. ex consilio Patris & sua voluntate: sed, vel restringendæ sunt ad corporis Christi universitatem: vel referri debent ad illam οἰκονομίαν fœderis Novi, qua sublata omni populorum externa distinctione, Filius adscivit sibi gentes omnes in hæreditatem, id est, erga quaslibet gentes & populos communiter, pro arbitrio, gratiam prædicationis aperit & defert, ex illis Ecclesiam colligit, quod est fundamentum prædicationis generalis Evangelij.

Rom. 8. 32. *Dedit Filium pro omnibus nobis.*

Rom. 4. 6. *Abraham Pater omnium nostrum.*

2. Cor.

Digitized by Google

2. Cor. 3. 8. *Nos omnes velut in speculo intuentes gloriam Domini, tanquam facie detecta reformamur in eandem imaginem.*

Ephes. 1. 23. *Christus implet omnia in omnibus.*

Coloss. 3. 11. *Omnia in omnibus est Christus.*

Ioh. 17. 32. *Cum exaltatus fuero, traham omnia ad me.*

Ioh. 6. 45. *Omnes erunt edocti à Deo, & quicunque audivit à Patre & didicit, ad me venit.*

Ioel. 2. 28. *Effundam de Spiritu meo super omnem carnem.*

Rom. 1. 5. *Per quem accepimus Apostolatum in nomine ipsius, ut sit obedientia inter omnes gentes.*

Et Rom. 16. 26. *Mysterium in præsenti declaratum inter omnes gentes ad obedientiam fidei.*

Apocal. 5. 9. *Quia occisus fuisti, & sanguine tuo nos emisti Deo, ex omni tribu, lingua, populo & gente.*

Rom. 9. 13. *Vt notas faciat divitias gloriæ suæ erga vasa misericordiæ, quæ antea præparavit ad gloriam, quos etiam vocavit,* id est nos, *non tantum ex Iudæis, sed etiam ex gentibus.*

Ephes. 2. 14. *Ipse est pax nostra, qui ex duobus Iudæis & Gentibus, fecit unum, & diruit parietem intergerinum, creavit duos in unum hominem novum, reconciliavit utrosque in uno corpore Deo. Habemus utrique introductionem ad Patrem in eodem Spiritu.*

Math. 28. 19. *Ite, docete omnes gentes, baptizantes in nomine Patris, Filij, & Spiritus Sancti.*

THESIS VII.

Impetrationis & applicationis distinctionē hactenus recipimus, si cum certa personarum differentia intelligatur, nempe, ut propter Christum & eius satisfactionem, constet apud Deum certum decretum benevolendi & benefaciendi electis, priusquam actu illi vel existant, vel revera illa beneficia persentiscant; Deinde, ut impetratio causa ponatur efficax, perpetua, infallibilis ipsius applicationis actualis in electis.

THESIS VIII.

Si vero hac distinctione hoc spectatur & infertur, Deum per mortem Christi, erga omnes & singulos esse placatum, velle ipsorum salutem, modo ipsi velint, & voluntatem hominis illam universalitatem determinare, ut Pelagianum, rejicimus.

DE ARTICVLO SECVNDO

De mortis Christi fructu sententiam dicturo, lubet sequi filum Ambrosiani dicti, quod est Lib. 5. in cap. 7. Lucæ.

Si Christus pro omnibus mortuus est: specialiter tamen pro nobis passus est.

Itaque hic primo loco agam, de morte Christi pro omnibus hominibus: deinde, de eadem pro solis electis & credentibus oppetita.

De Morte Christi pro omnibus.

I.

Est communis quædam Dei φιλανθρωπία, qua dilexit totum genus humanum lapsum, & serio omnium salutem voluit.

II.

Huius φιλανθρωπίας exequutio apparet in promiscua externa vocatione, quæ electis & reprobis obtingit, etsi Deus multos, pro libertate suæ dispositionis, semper tamen justissime, prætereat.

III.

Hæc externa vocatio posita est in prædicatione Euangelij, & Sacramentorum administratione.

IV.

In vocatione ista sunt hæc distinguenda; narratio historiæ de Christo, mandatum credendi, interdictum incredulitatis, promissio vitæ æternæ credentibus facta, comminatio damnationis contra incredulos. Et huius vocationis eventus, si quis non credat, est condemnatio, & nominatim ob hanc causam, quod non credat in nomen unigeniti Filii Dei. Iohan. 3. 18.

V.

Hic autem eventus per se non intenditur à Deo: sed per accidens hominis culpa sequitur.

VI.

Quapropter hæc est exsequutio quædam, promiscue ad electos & reprobos pertinens. Communis autem exequutio gratiæ à communi aliqua dilectione divina dependet: Quod etiam agnoscunt præclarissimi & sincerissimi Theologi, & per totas Scripturas est planissimum.

VII.

Cæterum illa externa vocatio, cujus partes recensui, necessario ante se requirit hæc; promissionem & missionem Filij (futuram olim, nunc factam) & redemptionem, hoc est precij solutionem ad expianda peccata, & Deum ita placandum, ut ipse nullam aliam pro peccatis ullius hominis hostiam requirat, unica illa plenissima contentus; & ad homines reconciliandos, ut pro eis nulla alia satisfactione nulloque alio merito sit opus; modo (quod in remediis fieri oportet) illius communis & salutaris medicinæ fiat applicatio.

VIII.

Si hæc redemptio, tanquam commune beneficium, omnibus hominibus impensum, non supponatur: indifferens & promiscua prædicatio Euangelij Apostolis commissa, apud omnes gentes obeunda, nullum verum fundamentum habebit.

IX.

Quum autem hoc dicere aversemur: videndum est, quomodo principiis notissimis & lucidissimis consentanea loquantur, quibus lubet simpliciter negare, Christum pro omnibus esse mortuum.

X.

Neque hic satis erit, sufficientiam talem redemptionis ponere, quæ satis esse posset: sed omnino talis est, quæ sit satis, & quam Deus & Christus satis esse voluerint. Nam alioqui mandatum & promissio Euangelica convellentur.

Quomodo

XI.

Quomodo enim ex beneficio, sufficiente quidem, at mihi non destinato per veram intentionem, deduceretur necessitas credendi quod illud ad me pertineat.

XII.

Quid igitur dicemus illam redemptionem? Hæc redemtio se habet in novo mundo, ut creatio in veteri. Sicut nempe creatio hominis non est imago Dei, sed est illud fundamentum, sine quo imago Dei non poterat in illo locum habere: ita etiam redemtio non est ulla pars imaginis Dei, sed est illud, in quo fundatur omnis administratio muneris Christi prophetici, regij, ipsiusque intercessionis sacerdotalis. Cavendum autem est, ne hæc similitudo latius æquo extendatur.

XIII.

Hæc ipsa redemtio, est solutio precij debiti pro nobis captivis, non ut captivitate exiremus, quocunque modo: sed ut exire possemus & deberemus; revera autem exituri essemus, si in redemptorem crederemus, eius beneficium agnosceremus, omninoque eius, ut capitis, membra fieremus.

XIV.

Atque ideo in quemcunque hominem incidamus, ei hujus salutaris gratiæ (sed solis credentibus salvificæ) sumus internuncij & præcones: ex officio pietatis & charitatis.

XV.

Etsi autem hæc redemtio non sit ulla pars imaginis Dei in nobis: id tamen est, sine quo ulla imaginis Dei instauratio, neque offerri in externa vocatione, neque conferri in vocatione interna, justificatione, sanctificatione & glorificatione queat. Quare est aliquid ipsa imagine Dei certo respectu preciosius, tanquam eius causa.

XVI.

Facta est hæc redemptio per mortem Christi (sub qua intelligo, totam obedientiam exinanitionis eius, in primis sanguinis fusionem & vitæ positionem) per eam, inquam, mortem, tanquam precium satisfactorium & meritorium. quibus duabus vocibus Ecclesia propriam vim mortis Christi solet enunciare.

XVII.

Sed & ipsæ sunt circumspecte explicandæ. Satisfecit pro omni malo, & meritus est omne bonum: cum exceptione duplici, una ad res, altera ad personas respiciente.

XVIII.

Exceptio ad res est, quod Christus non satisfecit, nec satisfacere voluit pro impœnitentia permanente, multo minus pro contumacia perseverante, qua beneficium illud contemnitur, aut benefactor contumelia afficitur; qualis est blasphemie maliciosa in iis, qui peccant in Spiritum Sanctum. Heb. 10. 26.

XIX.

Hinc fit, ut super incredulis ira Dei maneat, & omnia peccata eis imputentur, originale, actualia, contra legem & Euangelium admissa.

Quibus

ERRORES

Quorumcunque contra ſecundum Articulum.

1. CHRISTVS nullo modo mortuus eſt pro iis, qui pereunt.

2. Cum univerſalitate mortis Chriſti non poteſt conſiſtere Decretum ſingularis certarum perſonarum electionis aut reprobationis.

3. Deus deſtinavit Chriſtum in Mediatorem, ante omnem affectum miſerendi humani generis lapſi.

4. Meritis Chriſti potuit conſtare ſua dignitas, neceſſitas, & utilitas, etiamſi nulli individuo unquam fuiſſet applicata.

5. Potuit redemptio electis impetrata eſſe, attamen nulli applicari.

6. Omnes homines potuerunt manere increduli, etiam reſpectu decreti Dei: cum nullum ſit Decretum ita efficaciter dandi fidem, ut quis tum poſſit, tum velit ſincere conſtanterque credere.

7. Finis mortis Chriſti, nullo modo fuit ejus applicatio.

8. Poſita mundi redemptione per Chriſtum, tamen potuit Deus conditionem operum ad ſalutem conſequendam præſcribere.

9. Intentio Dei, Filium in mortem tradentis fuit, abſolute omnibus conferre ſalutem.

10. Deus omnes & ſingulos homines ex æquo dedit Chriſto redimendos & ſervandos.

11. Precium redemptionis Chriſti eſt efficax ad reconciliandos Deo actu omnes homines.

12. Qui in impœnitentia moriuntur, eis adhuc jus manet in morte Chriſti.

13. Chriſtus omnium eſt Sacerdos, per interceſſionem ad applicationem.

14. Chriſti mors & reſurrectio plane non valent pro iiſdem.

15. Proprius & integer mortis Chriſti finis tantum fuit, ut Deus fœdus gratiæ poſſet & vellet facere cum hominibus.

16. Chriſtus cum morte & ſatisfactione ſua non eſt donum ſeu promiſſio Novi Fœderis.

17. Voluntas & intentio Dei omnibus applicandi merita Chriſti, fuit tantum conditionata & non efficax gratia fidem operandi in certis hominibus.

Adverſus Huberum & Puccium, averſamur has confuſiones.

CHRISTVM pro omnibus & ſingulis, non modo quantum ad ſufficientiam, ſed & quantum ad efficaciam λύτρῳ mortuum eſſe.

Illos etiam qui non ſalvantur à morte liberaſſe, regeneraſſe, juſtificaſſe, ſanctificaſſe, inque ſinum & gratiam Dei reſtituiſſe: & ſalvos feciſſe, adeo ut omnium Iudæorum, Turcarum, Saracenorum, omninoque Ethnicorum liberi, æque ſancti naſcantur atque Chriſtianorum.

Subſcriptum & ſubſignatum erat

Matthias Martinius Reip. Bremenſ. nomine ad Synod. National. deputatus.

IN

IN ARTICVLVM SECVNDVM.

Ad illustrandum Articulum secundum de Christi Morte, ejusque fructibus sive effectibus, varia moventur, tum à viris orthodoxis, tum à Sectarijs & heterodoxias studiosis.

Cumprimis autem agitatur impræsentiarum quæstio, An Deus Pater Filium suum in mortem tradendo, & Filius mortem subeundo, intenderint omnes & singulos Deo reconciliare & servare. Item, An Dn. N. Iesus Christus per mortem suam omnibus indiscriminatim reconciliationem cum Deo, peccatorum remissionem, & vitæ æternæ hæreditatem impetraverit; licet non omnibus ea efficaciter applicetur.

Et video viros præstantissimos, atque in Ecclesia Orthodoxa laudatos, diversimode de proposito argumento loqui.

Quos (si modeste, candide, & absque Ecclesiæ perturbatione sententiam suam proponant, neque incedant tanquam hostes crucis Christi) propterea damnare, aut odiosis nominibus insectari nolim. *a.*

At tamen salva illorum existimatione, atque Ecclesiarum pace, existimo, magis convenire S. Scripturæ, & rationibus inde deductis, si sequentem in modum statuamus.

a. Philipp. 3. 15. 16. 17. 18. 19. *Quotquot itaque adulti sumus, hoc sentiamus, quod si quid aliter sentitis, hoc quoque vobis Deus revelabit. Attamen in eo, ad quod usque pervenimus, eadem incedamus regula, & idem sapiamus. Estote simul mei imitatores, fratres, & eos considerate, qui ita ambulant, sicut habetis nos pro exemplari. Multi enim incedunt, quos sæpe dixi vobis, nunc autem & flens dico, hostes esse crucis Christi. quorum finis est exitium: quorum Deus est venter, & gloria ad ignominiam ipsorum.* Gal 6.12. *Fratres mei, etiamsi præoccupatus fuerit homo in aliqua offensa, vos spirituales reconcinnate hujusmodi hominem cum spiritu lenitatis: considerans unusquisque temetipsum, & ne tu tenteris. Alij aliorum onera portate: & ita complete legem Christi. &c.*

1. Cor. 6. 2. & seqq. *Fundamentum aliud nemo potest statuere, præter id quod positum est, quod est Iesus Christus. Quod si quis superædificet super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, cujusque opus manifestum fiet &c. Si cujus opus manserit quod superædificaverit, mercedem accipiet: si cujus opus exustum fuerit, damnum faciet: ipse vero servabitur: ita tamen ut per ignem &c.*

Theses quas amplector.

I.

Passionis, mortis, atque meriti Christi est ea dignitas & virtus, ut per se & natura sua abunde sufficiat ad expianda & tollenda omnia omnium hominum peccata, & ad impetrandam ac conferendam omnibus omnino & singulis reconciliationem cum Deo, gratiam, justitiam, & vitam æternam. *a.*

Ideoque non tantum certis quibusdam aut solis salvandis. sed indifferenter, electis & reprobis, per Euangelij præconium, medicina peccati & mortis, Dominus noster Iesus Christus proponitur & offertur, & ad ejus participationem sive fruitionem, atque æternam salutem per eam impetrandam, omnes promiscue invitantur: omnes & singuli in Christum credere; eique vivere, & ad agnitionem veritatis venire, sincere atque serio jubentur; *b* & qui non credunt in nomen Filij Dei, juste condemnantur. *c.*

a. Nam est sanguis & meritum filij Dei 1. Ioh. 1. 7. unigeniti à Patre. Ioh. 1. 14. quique est Deus 1. Tim. 3. 16, Deus verus 1. Ioh. 5. 20. & benedictus in secula. Rom. 9. 5. Item, lux illa vera illuminans omnem hominem Ioh. 1. 9. — De sufficientia mortis Christi.

Hujus autem merito quid quæso deesse potest? Quæcunque habet Pater, ejus sunt. Ioh. 16. 13. Efficaciam habet, qua ipse potest sibi subjicere omnia. Philip. 3. 21. sustinet omnia verbo suo potente. Heb. 1. 3. probavit doctrina & factis miraculosis, se potestatem habere remittendi peccata in terra, & quidvis præstandi. Matth. 9. 6.

b. Ma. 28. 19. *Euntes docete omnes gentes* &c. *docentes eos servare omnia, quæ præcepi vobis.* 1. Tim. 2. 4. *Qui* [Deus] *omnes homines vult salvari, & ad agnitionem veritatis venire.*

c. Marc. 16. 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, servabitur; qui vero non crediderit condemnabitur.*

Confirmatio veræ sententiæ.

Cum Scriptura dicat alibi; Christum esse mortuum pro omnibus, ut 2. Corinth. 5. 15. 19. Dedisse semetipsum ἀντίλυτρον pro omnibus. 1. Timoth. 2. 6. Gustasse mortem pro omnibus. Hebræor. 2. vers. 9. Esse ἱλασμὸν pro peccatis totius mundi. 1. Iohan. 2. vers. 2. alibi autem pro multis, & quidem electis Filijs Dei & credentibus, ut Matth. 20. 28. Iohan. 17. 19. Rom. 3. 22. Hoc ἐναντιοφανὲς ut tollatur, tenendum est, Christum Servatorem nostrum Opt. Max. pro omnibus dici mortuum tripliciter. Principio efficaciter mortuus est pro omnibus suis ovibus. Iohan. 10. 15. Atque in his omnibus & solis, inquit Ambros. lib. 1. de Vocat. Gentium cap. 3. specialis quædam universitas censetur. Et hæc est universitas credentium, quemadmodum datur universitas pereuntium, & universitas viventium, id est, omnium omnino hominum. Universitatem illam credentium exprimit Apostol. Rom. 3. 22. *Iustitia Dei per fidem Iesu Christi in omnes & super omnes qui credunt.* Quæ propositio est καθόλου ὡς μὴ καθόλου, id est, universalis, sed ad speciem certam astricta. Pro omnibus ergo, & solis credentibus Christus est mortuus, quantum ad efficaciam seu efficientiam & fructum mortis eius attinet: quem fructum minime omnes homines, sed soli credentes percipiunt, cæteri infidelitate sua respuunt. Immota enim & catholica est hæc Euangelij vox: *qui credit in Filium, habet vitam æternam; qui non credit Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eo.* Iohan. 3. 18. Licet itaque divinissima hæc panacea omnibus omnino in Euangelio sit proposita, Marc. 16. 15. nulla tamen vis eius in homines transfunditur, nisi fiat applicatio per fidem in Filium Dei. Ioh. 3. 36. Et 8. 24. Esai. 7. 9. Perinde ut nulla vis pharmaci in ægrum redundat, nisi audiatur Medicus, & fiat applicatio Medicinæ: qua similitudine Spiritum Sanctum in hoc ipso negotio usum videmus. Esai. 53. 5. 1. Pet. 11. 24. Proinde dubium esse non potest, quin ij omnes & soli efficacitatem mortis Christi, hoc est, redemptionem, reconciliationem cum Deo, remissionem peccatorum, iustitiam & salutem æternam percipiant, quotquot hæc beneficia in Euangelio oblata, vera fide amplectuntur. Hoc igitur sensu Christus mortuus est pro solis electis, id est, ad illos reipsa beneficium mortis Christi redundat, ut ex illo salutem consequantur. Nam beneficia Christi salutaria ad credentes, & quidem solos, pertinent. Ad credentes quidem, propter indivulsam illam salutis catenam, Rom. 8. Quia qui ante tempora secularia in Christo fuerunt electi, illi in tempore in Christo iustificantur. Itaque quàm Dei decretum irritum, & meritum Christi in subordinatum inane esse non potest, tam impossibile est, credentes mortis Christi fructum non assequi, vel non credentes assequi. Additur autem conditio Fidei, non quod propter eam, sed quod per eam à Deo gratis donatam servemur. Ad solos autem credentes pertinet hic fructus, quia his solis dantur ea, per quæ sola omnis, & sine quibus nulla fit applicatio beneficiorum Christi, Spiritus nempe sanctificationis, & fides iustificans. Hæc enim tria coniunguntur in Scriptura: sanguis Christi fusus, aspersio illius per Spiritum S. & fides purificans cor. Rom. 3. 25. 1. Pet. 1. 2. Actor. 15. 9. Iohan. 3. 16. Nam qui non habet fidem, non habet Spiritum Sanctum, qui hunc non habet, non est Christi: qui non est Christi, sanguine illius ablutus non est; ac proinde ad illum non pertinet meriti Christi efficacia. Hinc omnibus promissionibus Euangelij est annexa conditio Fidei, vel expressa, vel subintellecta. Iohan. 3. 16. 36. Rom. 3. 24. Actor. 10. 43. Soli ergo electi sunt speciale ac determinatum obiectum mortis Christi: quia his non solum hoc jus & potestatem redemptionis ac reconciliationis impetravit, sed etiam illos reali & actuali remissione peccatorum & reconciliatione donata, singulari gratia Spiritus S. intus efficaciter operantis, illuminat. Hos igitur non solum generali amore, in communi, per Verbi oblationem & externam vocationem efficit: verum etiam speciali affectu, semen verbi incorruptibile, illorum cordibus à Sp. Sancto impressum, in fructum maturum producit, ut vivam huius meriti efficaciam experiantur, Col. 1. 29. Ephes. 1. 19. Iohan. 1. 12. Et 5. 24. Et 6. 47. Et 12. 46. Heb. 3. 9. Cæteri ab hac efficacitate & beneficijs in æternum exclusi manent, quotquot sine fide hoc seculum pertranseunt. Ioh. 3. 18. 36. 1. Cor. 6. 9. Apo. 22. 15. Gal. 4. 30. Huc pertinet, quod Augustin. passim, & nominatim de Nat. & Grat. limitat subiectum

univer-

universale ex prædicato: Omnes in Christo justificantur, quotquot justificantur: ita ut gratia justificationis pertineat ad omnes, non absolute, sed limitate, ad omnes credentes. Quam limitationem Apostolus nos docet, Rom. 5. 15. 18. 19. ubi duo principalia regna, Adami primi & secundi, seu mortis & vitæ, Ioh. 1. 2. Coloss. 1. 13. opponit; & docet, quod Christus in omnes suos transfundat vitam, quemadmodum Adamus in omnes suos, mortem. Deinde, Quando Christus dicitur pro omnibus mortuus, intelligi potest, & in multis Scripturæ locis intelligi debet, objectum indeterminatum & universale mortis Christi: quod sunt omnes homines, sine exceptione populorum, conditionis, & sexus. Quod Scholastici bene expresserunt, quando dixerunt, genera singulorum, non singulos generum, esse adæquatum objectum efficaciæ mortis Christi. Qua de re August. lib. de Corrept. & Grat. cap. 14. sic ait: Omnes homines intelligit distributive; omne videlicet hominum genus, per quascunque differentias distributum, Reges, privatos, nobiles, ignobiles, sublimes, humiles, &c. seu omnes prædestinatos; quia omne genus hominum in eis est. Sic ergo Christus mortuus est pro omnibus hominibus, id est, pro hominibus omnium ordinum, ætatum, locorum: ita ut hac phrasi amplitudo gratiæ in N. T. indicetur, ut non ad Iudæos tantum, sed etiam ad alias nationes pertinere hoc beneficium intelligatur.

Tertio, quando Christus dicitur pro omnibus mortuus; hoc intelligi potest de meriti sufficientia, seu pretij magnitudine. Mors quippe Filij Dei, agnique immaculati est unicum, perfectum, & sufficiens λύτρον expiandis & delendis omnibus totius mundi peccatis: meritum immensum iustitiæ, medicina catholica mortis, fons perennis & inexhaustus vitæ æternæ. Actor. 4. 12. Iohan. 1. 29. 1. Iohan. 11. 2. 1. Pet. 1. 29.

Atque hæc sententia, ut suum fundamentum habet in Scriptura, sic quoque Orthodoxæ antiquitatis consensu est comprobata. Nam Orig. in Math. homil. 12. ait: Christus animam suam dedit redemptionem pro multis, qui crediderunt in eum. Et Prosper ad Capit. Gallor. cap. 9. dicit, Christum tantum pro his crucifixum, quibus Mors ipsius profuit. Et Haymonis est dictum Cent. 11. Col. 116. Christus mortuus est pro omnibus prædestinatis ad vitam. Scholastici quoque hoc dogma probarunt: ut Anselmus & Thomas: quorum ille Cent. 11. col. 92. ait: Christus redemit omnes, qui salvandi erant: iste de Verit. Martyrij 26. 97. inquit: Meritum Christi, quantum ad sufficientiam, æqualiter se habet ad omnes: non autem, quantum ad efficaciam. Quod ipsum totidem verbis occurrit apud Lyram in 1. Iohan. 11. Cæterum sufficientia & magnitudo λύτρυ Christi quantum ad reprobos, geminum habet finem, unum per se, alterum per accidens. Finis per se est, ut Deus testatum faciat, se non delectari perditione hominum; utpote, qui Filium suum unigenitum dederit, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Finis per accidens est, ut reprobi magnitudine & sufficientia λύτρυ reddantur inexcusabiles.

Hi enim non Christi, sed sua culpa pereunt; quando per infidelitatem suam beneficia Christi in Euangelio oblata repudiant. Si quæras, cur non omnes credant, & credendo accipiant beneficia morte Christi parta; & dicas, causam esse hanc, quia non omnes volunt credere: ego quæram, cum Fides sit donum Dei, & Deus possit omnibus dare Fidem, cur non omnibus det fidem: vel, cur non in omnibus efficiat, ut velint credere: quod tamen efficere in omnibus poterat? Hic cogitur obmutescere humana ratio, nec habet quod respondeat: sed cogitur, nolit velit, audire Filium Dei dicentem: *Etiam, Pater, quia sic placuit tibi.* Math. 11. 26. Vel si non audiat, frustra jactabit calces contra stimulum. Recte igitur August. Enchirid. cap. 103. Divina, inquit, scientia intra suum secretum discretionem illam continet. Cæterum quando dicimus Christum esse mortuum pro credentibus & pro amicis suis, hoc intelligendum est consequenter, ita ut denotetur terminus ad quem: sicut è contrario antecedenter dicitur mortuus pro hostibus suis & pro infidelibus, negative accepto infidelitatis vocabulo. Porro electi soli tenentur credere simpliciter, Christum pro se esse mortuum: quia ad illos solos reipsa beneficium Christi redundat, ut ex eo salutem consequantur. Iohan. 3. 15. 16. 18. Rom. 10. 11. Reprobi autem tenentur hoc credere, meritum Christi tantæ dignitatis

esse, ut ipsis quoque prodesse possit, &, si crederent Euangelio, & agerent pœnitentiam, revera prodesset.

Thesis IV. Orthodoxa.

Sicut Christus pro omnibus & solis electis adæquate est mortuus: ita pro his solis intercessit in statu humili, pro his solis resurrexit; pro que illis solis jam intercedit in cælis.

Thesis IV. Heterodoxa.

Christus mortuus est adæquate pro peccatoribus omnibus: resurrexit & intercedit cum salvandi intentione adæquate pro fidelibus.

Confirmatio veræ sententiæ.

Executio officij Christi sacerdotalis, tribus veluti partibus absolvitur: legis impletione, pœnarum persolutione, & intercessione. Quæ tria pro objecto adæquato habent omnes & solos electos. Nam pro his Christus legem implevit, tum perfecta intellectus & voluntatis cum lege illa conformitate, tum operibus cum lege congruentibus & perfectis, internis & externis, Rom. 8. 4. Ioh. 17. 19. Math. 3. 15. Deinde pro his Christus seipsum Deo Patri in Spiritu æterno stitit sponsorem, ipse sacerdos & sacrificium. Esaiæ 53. 17. Ioan. 10. 15. Denique pro his solis intercessit in statu exinanitionis, Ioh. 17. 9. *Ego pro eis rogo: non pro mundo rogo, sed pro iis, quos dedisti mihi; quia tui sunt.* Quibus verbis almus Servator tria dicit; pro quibus oret, videlicet pro donatis sibi, quasi pro communi possessione, cuius tutela ad Patrem spectet: pro quibus non oret, videlicet pro mundo, hoc est, cætu impiorum: & cur pro suis oret: quia tui sunt, inquit: hoc est, ad hoc ab æterno prædestinati, ideoque digni Dei Patris patrocinio, non quidem naturæ suæ dignitate, sed dignatione gratiæ. Pro his etiam solis Christus resurrexit. *Nam traditus est in mortem propter lapsus nostros, & suscitatus ad nostri justificationem.* Rom. 4. 25. Pro his quoque solis intercedit in cælis. *Non enim in manu factum sacrarium ingressus est Christus, quod sit exemplar vero sacrario respondens; sed in ipsum cælum, ut compareat nunc faciei Dei pro nobis.* Hebr. 9. 24. Nimirum Christus sistit se Deo Patri tanquam Mediatorem & satisfactorem unicum, ut præsentatione meriti sui & satisfactionis præstitæ, remissionem peccatorum & justitiæ restitutionem nobis conciliet. Deinde spondet Deo Patri pro nobis obedientiam & gratitudinem, cuius sponsionis signaculum & arrham, Spiritum suum nobis confert, per quem in nobis excitet studium & vitandi peccata, & præstandi justitiam. Ultimo interpellat & orat pro nobis. Quæ tria intercessionis Christi momenta nullo modo ad hædos, sed tantum ad oves Christi pertinent.

De secundo Articulo

qui est,

DE VNIVERSALITATE GRATIÆ,

suffragium & sententia Genevensium.

Thesis I.

Christus, ex mera εὐδοκίᾳ Patris, destinatus, & datus fuit Mediator & caput certo hominum numero, corpus ipsius mysticum, ex Dei electione, constituentium.

Ephes.

Ephes. 1. 22. *Dedit eum caput super omnia Ecclesiæ.*

Rom. 8. 29. *Quos praordinavit, eosdem & prædestinavit conformes fieri imagini Filij sui, ut sit ipse primogenitus inter multos fratres.*

Ephes. 1. 4. *Electi sumus in ipso, ut capite: Ergo & ille datus caput membris tantum.*

1. Pet. 1. 20. *Agni immaculati pretioso sanguine redempti estis, præcogniti quidem ante jacta mundi fundamenta, manifestati autem ultimis temporibus, propter vos, qui per ipsum creditis in Deum.*

Isaiæ 53. 12. *Partiar ipsi inter magnates.*

Iohan. 17. 6. *Manifestavi nomen tuum hominibus, quos mihi dedisti de mundo: Tui erant, & tu mihi eos dedisti, & ipsi servarunt verbum tuum. Omnia tua mea sunt, & mea tua.*

THESIS II.

Pro illis ipse Christus, vocationis suæ optime conscius, voluit & decrevit mori, & pretio mortis infinito, addere efficacissimam, & singularem voluntatis intentionem.

Ioh. 17. *Oro pro eis, non oro pro mundo, sed pro eis quos dedisti mihi, quia tui sunt,* Et vers. 16. *Non sunt de mundo, sicut neque ego sum de mundo: propter ipsos sanctifico meipsum, ut & ipsi sanctificentur in veritate.*

Et vers. 24. *Pater, ego volo, ut ubi ego sum, sint & illi mecum, quos mihi dedisti, ut videant gloriam meam, quam mihi dedisti, quia tu me amasti ante jacta mundi fundamenta.*

Ioh. 10. 14. *Ego sum Pastor ille bonus, & novi oves meas, & noscor ab eis. Et Pater novit me, & ego novi Patrem, & animam meam pono pro ovibus meis.*

Isai. 53. 10. *Videbit semen, prolongabit dies, & prosperabitur beneplacitum Dei in manibus ipsius.*

Ephes. 5. 23. *Christus est caput Ecclesiæ, & Servator corporis: dilexit Ecclesiam & sese dedit pro illa, ut eam sanctificaret, purificatam lavacro aquæ per verbum, ut sisteret eam sibi gloriosam, Ecclesiam non habentem rugam neque maculam, aut quicquam ejusmodi, sed ut esset sancta & inculpata.*

Tit. 11. 13. *Dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & purificaret sibi populum peculiarem, studiosum bonorum operum.*

THESIS III.

Christus sic datus & destinatus electis, est causa & fundamentum vocationis ipsorum, cooptationis in Ecclesiam, insitionis in corpus ipsius, Sancti Spiritus communicationis, & omnium exinde donorum spiritualium.

Ephes. 1. 4. *Elegit nos in ipso, &c. & nos reddidit gratiosos in dilecto, in quo habemus redemptionem per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum, secundum divitias gratiæ suæ, qua abundavit erga nos in omni sapientia & intelligentia; Noto nobis facto mysterio voluntatis suæ, secundum beneplacitum suum, quod proposuerat in sese, nempe, ut in dispensatione plenitudinis temporum omnia sub uno capite colligeret, tam quæ in cælis sunt, quam quæ in terris.*

Rom. 8. 32. *Ille qui proprio Filio non pepercit, sed dedit ipsum pro omnibus nobis, quomodo non & omnia cum ipso nobis daret?*

Ioh. 11. 51. *Iesus moriturus erat ut congregaret filios Dei dispersos in unum.*

Colos. 1. 17. *Ipse est ante omnia, & omnia in eo consistunt: estque caput corporis Ecclesiæ, principium & primogenitus ex mortuis, ut in omnibus primas teneat: quoniam libuit Patri ut omnis plenitudo in ipso habitaret: & pace per sanguinem eius facta, per eum reconciliavit omnia sibi, tam quæ in cælis sunt, quam quæ in terra.*

Digitized by Google

Ephes. 1. 22. *Constituit eum caput super omnia Ecclesiæ, quæ est corpus eius, complementum eius, qui implet omnia in omnibus.*

Galat. III. 13. *Christus nos redemit à maledictione legis, factus ipse pro nobis maledictio, ut benedictio Abrahæ obtingat Gentibus in Christo Iesu, ut per fidem promissionem Spiritus accipiamus.*

Galat. 4. 4. *Quum venit complementum temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, subditum legi; ut redimeret illos qui erant sub Lege, ut adoptionem reciperemus. Et quia vos estis filij, misit Deus spiritum Filij sui in corda vestra, clamantem, Abba, Pater: quare tu non es amplius servus, sed filius: quod si es filius, etiam es hæres Dei per Christum.*

Rom. 14. *Nullus ex nobis sibi vivit, aut sibi moritur; quia sive vivimus, Domino vivimus, sive morimur, Domino morimur. Ergo sive vivamus, sive moriamur, Domini sumus, quia propter hoc Christus mortuus est, & resurrexit, & ad vitam redijt, ut dominetur in vivis & in mortuis.*

Ioh. 12. 32. *Quum exaltatus fuero è terra, omnia traham ad me.*

Ephes. 4. 10. *Is qui descendit, idem est qui & ascendit super omnes cælos, ut impleat omnia; & ipse dedit alios Apostolos, &c. ad coagmentationem sanctorum, ad opus ministerij, ad ædificationem corporis Christi.*

THESIS IV.

Fides in ipsum est donum & effectum Spiritus Regenerationis, ab ipso Christo, ut capite, accepti.

1. Cor. 17. 9. *Huic datur fides per eundem Spiritum.*

1. Pet. 1. 21. 22. *Per Christum creditis in Deum; purificastis animas vestras obediendo veritati per Spiritum.*

Philip. 1. 29. *Ex gratia vobis hoc datum est pro Christo, non tantum ut in eum credatis, sed etiam, ut pro ipso patiamini.*

2. Cor. 4. 13. *Habentes eundem Spiritum fidei, loquimur, &c.*

Gal. 4. 6. *Spiritus Filij Dei clamat in vobis, Abba, Pater.*

THESIS. V.

Fides est revera conditio Novi Fœderis, respectu ordinis inviolabilis à Deo instituti, sed & ipsa est promissum, donum novi Fœderis, & effectus nostræ in Christo insitionis.

Superiora huc faciunt.

THESIS VI.

Vniversales propositiones, quæ in scripturis reperiuntur, non significant, pro omnibus & singulis hominibus Christum mortuum esse, satisfecisse, &c. ex consilio Patris & sua voluntate: sed, vel restringendæ sunt ad corporis Christi universitatem: vel referri debent ad illam οἰκονομίαν fœderis Novi, qua sublata omni populorum externa distinctione, Filius adscivit sibi gentes omnes in hæreditatem, id est, erga quaslibet gentes & populos communiter, pro arbitrio, gratiam prædicationis aperit & defert, ex illis Ecclesiam colligit, quod est fundamentum prædicationis generalis Evangelij.

Rom. 8. 32. *Dedit Filium pro omnibus nobis.*

Rom. 4. 6. *Abraham Pater omnium nostrum.*

2. Cor.

Digitized by Google

2. Cor. 3. 8. *Nos omnes velut in speculo intuentes gloriam Domini, tanquam facie detecta reformamur in eandem imaginem.*
Ephes. 1. 23. *Christus implet omnia in omnibus.*
Coloss. 3. 11. *Omnia in omnibus est Christus.*
Ioh. 17. 32. *Cum exaltatus fuero, traham omnia ad me.*
Ioh. 6. 45. *Omnes erunt edocti à Deo, & quicunque audivit à Patre & didicit, ad me venit.*
Ioel. 2. 28. *Effundam de Spiritu meo super omnem carnem.*
Rom. 1. 5. *Per quem accepimus Apostolatum in nomine ipsius, ut sit obedientia inter omnes gentes.*
Et Rom. 16. 26. *Mysterium in præsenti declaratum inter omnes gentes ad obedientiam fidei.*
Apocal. 5. 9. *Quia occisus fuisti, & sanguine tuo nos emisti Deo, ex omni tribu, lingua, populo & gente.*
Rom. 9. 13. *Vt notas faciat divitias gloriæ suæ erga vasa misericordiæ, quæ antea præparavit ad gloriam, quos etiam vocavit,* id est nos, *non tantum ex Iudæis, sed etiam ex gentibus.*
Ephes. 2. 14. *Ipse est pax nostra, qui ex duobus Iudæis & Gentibus, fecit unum, & diruit parietem intergerinum, creavit duos in unum hominem novum, reconciliavit utrosque in uno corpore Deo. Habemus utrique introductionem ad Patrem in eodem Spiritu.*
Math. 28. 19. *Ite, docete omnes gentes, baptizantes in nomine Patris, Filij, & Spiritus Sancti.*

THESIS VII.

Impetrationis & applicationis distinctionẽ hactenus recipimus, si cum certa personarum differentia intelligatur, nempe, ut propter Christum & eius satisfactionem, constet apud Deum certum decretum benevolendi & benefaciendi electis, priusquam actu illi vel existant, vel revera illa beneficia persentiscant; Deinde, ut impetratio causa ponatur efficax, perpetua, infallibilis ipsius applicationis actualis in electis.

THESIS VIII.

Si vero hac distinctione hoc spectatur & infertur, Deum per mortem Christi, erga omnes & singulos esse placatum, velle ipsorum salutem, modo ipsi velint, & voluntatem hominis illam universalitatem determinare, ut Pelagianum, rejicimus.

DE ARTICULO SECUNDO

De mortis Christi fructu sententiam dicturo, lubet sequi filum Ambrosiani dicti, quod est Lib. 5. in cap. 7. Lucæ.
Si Christus pro omnibus mortuus est: specialiter tamen pro nobis passus est.
Itaque hic primo loco agam, de morte Christi pro omnibus hominibus: deinde, de eadem pro solis electis & credentibus oppetita.

De Morte Christi pro omnibus.

I.

Est communis quædam Dei φιλανθρωπία, qua dilexit totum genus humanum lapsum, & serio omnium salutem voluit.

II.

Huius φιλανθρωπίας exequutio apparet in promiscua externa vocatione, quæ electis & reprobis obtingit, etsi Deus multos, pro libertate suæ dispositionis, semper tamen justissime, prætereat.

III.

Hæc externa vocatio posita est in prædicatione Euangelij, & Sacramentorum administratione.

IV.

In vocatione ista sunt hæc distinguenda; narratio historiæ de Christo, mandatum credendi, interdictum incredulitatis, promissio vitæ æternæ credentibus facta, comminatio damnationis contra incredulos. Et huius vocationis eventus, si quis non credat, est condemnatio, & nominatim ob hanc causam, quod non credat in nomen unigeniti Filii Dei. Iohan. 3. 18.

V.

Hic autem eventus per se non intenditur à Deo: sed per accidens hominis culpa sequitur.

VI.

Quapropter hæc est exsequutio quædam, promiscue ad electos & reprobos pertinens. Communis autem exequutio gratiæ à communi aliqua dilectione divina dependet: Quod etiam agnoscunt præclarissimi & sincerissimi Theologi, & per totas Scripturas est planissimum.

VII.

Cæterum illa externa vocatio, cujus partes recensui, necessario ante se requirit hæc; promissionem & missionem Filij (futuram olim, nunc factam) & redemptionem, hoc est precij solutionem ad expianda peccata, & Deum ita placandum, ut ipse nullam aliam pro peccatis ullius hominis hostiam requirat, unica illa plenissima contentus; & ad homines reconciliandos, ut pro eis nulla alia satisfactione nulloque alio merito sit opus; modo (quod in remediis fieri oportet) illius communis & salutaris medicinæ fiat applicatio.

VIII.

Si hæc redemptio, tanquam commune beneficium, omnibus hominibus impensum, non supponatur: indifferens & promiscua prædicatio Euangelij Apostolis commissa, apud omnes gentes obeunda, nullum verum fundamentum habebit.

IX.

Quum autem hoc dicere aversemur: videndum est, quomodo principiis notissimis & lucidissimis consentanea loquantur, quibus lubet simpliciter negare, Christum pro omnibus esse mortuum.

X.

Neque hic satis erit, sufficientiam talem redemptionis ponere, quæ satis esse posset: sed omnino talis est, quæ sit satis, & quam Deus & Christus satis esse voluerint. Nam alioqui mandatum & promissio Euangelica convellentur.

Quomodo

Digitized by Google

XI.

Quomodo enim ex beneficio, sufficiente quidem, at mihi non destinato per veram intentionem, deducetur necessitas credendi quod illud ad me pertineat.

XII.

Quid igitur dicemus illam redemptionem? Hæc redemtio se habet in novo mundo, ut creatio in veteri. Sicut nempe creatio hominis non est imago Dei, sed est illud fundamentum, sine quo imago Dei non poterat in illo locum habere: ita etiam redemtio non est ulla pars imaginis Dei, sed est illud, in quo fundatur omnis administratio muneris Christi prophetici, regij, ipsiusque intercessionis sacerdotalis. Cavendum autem est, ne hæc similitudo latius æquo extendatur.

XIII.

Hæc ipsa redemtio, est solutio precij debiti pro nobis captivis, non ut captivitate exiremus, quocunque modo: sed ut exire possemus & deberemus; revera autem exituri essemus, si in redemptorem crederemus, eius beneficium agnosceremus, omninoque eius, ut capitis, membra fieremus.

XIV.

Atque ideo in quemcunque hominem incidamus, ei hujus salutaris gratiæ (sed solis credentibus salvificæ) sumus internuncij & præcones: ex officio pietatis & charitatis.

XV.

Etsi autem hæc redemtio non sit ulla pars imaginis Dei in nobis: id tamen est, sine quo ulla imaginis Dei instauratio, neque offerri in externa vocatione, neque conferri in vocatione interna, justificatione, sanctificatione & glorificatione queat. Quare est aliquid ipsa imagine Dei certo respectu preciosius, tanquam eius causa.

XVI.

Facta est hæc redemptio per mortem Christi (sub qua intelligo, totam obedientiam exinanitionis eius, in primis sanguinis fusionem & vitæ positionem) per eam, inquam, mortem, tanquam precium satisfactorium & meritorium. quibus duabus vocibus Ecclesia propriam vim mortis Christi solet enunciare.

XVII.

Sed & ipsæ sunt circumspecte explicandæ. Satisfecit pro omni malo, & meritus est omne bonum: cum exceptione duplici, una ad res, altera ad personas respiciente.

XVIII.

Exceptio ad res est, quod Christus non satisfecit, nec satisfacere voluit pro impœnitentia permanente, multo minus pro contumacia perseverante, qua beneficium illud contemnitur, aut benefactor contumelia afficitur; qualis est blasphemè malitiosa in iis, qui peccant in Spiritum Sanctum. Heb. 10. 26.

XIX.

Hinc fit, ut super incredulis ira Dei maneat, & omnia peccata eis imputentur, originale, actualia, contra legem & Euangelium admissa.

Quibus

XX.

Quibus autem Euangelium non innotuit, illi tamen juste damnantur, ut legis, siue non scriptæ, siue scriptæ transgressores, Rom. 2. 12. Accedit etiam hæc multorum malitia, quod de vero Deo, Ecclesia, & Euangelio non inquisiverunt, neque inquirunt, quum possint.

XXI.

Meritus est etiam Dominus omnibus hominibus gratiam; sed non eam omnibus, quæ à singulari electione pendet. Quam igitur? Eam, quæ sub conditione fidei promittitur. Omnibus enim certe hominibus promittitur remissio peccatorum & vita æterna, si credant. Hic itaque apparet, remissionem peccatorum & salutem conditionalem pertinere ad omnes, non autem promissionem dandi vires & excitandi actus, quibus conditio illa impleatur. Hæc enim homines ex se ipsis debent præstare, vigore divini mandati. Quod qui non possunt, sua culpa non possunt.

XXII.

Exceptio ad personas est, quod, etsi Christus promiscue pro hominibus ita satisfecit, ut eorum peccata remitti possint: solorum tamen electorum, à Patre sibi datorum, peccata fecerit remittenda, ipsa eventus veritate; quæ & in mente Dei ab æterno sunt eis remissa, in mente ipsorum remittuntur; sive illis id innotescit, dum fide donati in suis conscientiis de Dei voluntate certi redduntur: & in ultimo judicio remissa eis esse ostendentur.

XXIII.

Et hinc quoque meriti distinctio constat. Meritus est Christus omnibus favorem Dei, obtinendum re ipsa, si credant, & sic ex favore Dei, justitiam atque vitam.

XXIV.

Hunc favorem suum indicat Deus Verbo Euangelij communiter. Quod tamen (quia merita Filij sui, ut non à nobis, sed ab ipso data & proposita, in sua potestate retinet) promulgandum curat, quibus vult: in primisque per illud efficax est, in quibus, quando, & quantum vult.

XXV.

Ex dictis, puto, ad omnes, quæ de hoc Articulo proponuntur, quæstiones, non admodum difficulter responderi posse. & nominatim inde liquet, meritum seu impetrationem (hæc enim sæpe pro eodem veteres & recentes usurpant, etsi impetratio aliquid minus sit & generalius merito) meritum, inquam, & applicationem, non æque late, & æque late patere, diverso respectu; & minime contradictionem esse, Christum pro omnibus mortuum esse cum intentione salvandi, & non esse ita mortuum.

XXVI.

Rationes præcipuæ, cur hanc sententiam sequar, sunt tres:

1. Ut Scripturæ possint non contorte conciliari.
2. Ut maneat Deo gloria veritatis, misericordiæ & justitiæ in mandatis, promissionibus, & comminationibus Euangelicis: ne illis Deus secus aliquid velle vel agere judicetur, quam verba sonant.

3. Ut

3. Ut manifestum sit, culpam interitus impiorum esse in illis ipsis, non autem in defectu remedii, per quod servari potuissent.

Itaque sequor & retineo, quæ in Explicationibus Catecheticis Ursini, pag. 256. 257. 258. leguntur; inter quæ & illa:

Christus est mortuus pro omnibus merito & sufficientia λύτρου: pro solis credentibus applicatione & efficacia. in quam eandem sententiam multa & Patrum & Scholasticorum, & recentium Ecclesiæ doctorum testimonia citari possunt, ubi opus erit. Sed in Scripturæ simplice intelligentia hic acquiesco; in qua eam ipsam rem clarissime & creberrime tradi statuo.

De Morte Christi pro solis Electis.

I.

Pro nobis, inquit Ambrosius, specialiter mortuus est Christus.

II.

Ergo est speciale quoddam Decretum, secundum quod illud fecit.

III.

Hoc est Decretum singularis electionis, de quo ad primum Articulum egimus.

IV.

Quia autem ea est destinatio non ad communia, sed ad singularia beneficia, gratiam scilicet regenerationis seu vocationis efficacis, justificationis & glorificationis: consequens est, Christum pro solis electis hoc fine mortuum esse, ut ista bona, & quæcunque sunt ejus generis, ipsis non quovis modo obtineret, impetraret, acquireret, sed revera promereretur & efficaciter communicaret, largiretur, applicaret.

V.

Et, quia his Fides, applicandi organum, donatur, reliqua communia beneficia, quę ex fonte communis dilectionis oriri dixi, incredulos prætereuntur, apud eos non morantia, in solos electos influunt; ut quibus solis fiunt utilia.

VI.

Qui oblationem Christi in cruce factam spernit, is perdit omne jus, quod in illa habere poterat; & propterea aggravat sibi damnationem. Qui etiam oblationem in Euangelio factam contemnit, is eadem simili exitio se privat.

VII.

Ita Christus per se in resurrectionem positus, est nonnullis in casum: & Euangelium, quod per se est odor vitæ ad vitam, incredulis fit odor mortis ad mortem, per accidens, ipsorum vitio.

ERRORES

ERRORES

Quorumcunque contra ſecundum Articulum.

1. CHRISTVS nullo modo mortuus eſt pro iis, qui pereunt.
2. Cum univerſalitate mortis Chriſti non poteſt conſiſtere Decretum ſingularis certarum perſonarum electionis aut reprobationis.
3. Deus deſtinavit Chriſtum in Mediatorem, ante omnem affectum miſerendi humani generis lapſi.
4. Meritis Chriſti potuit conſtare ſua dignitas, neceſſitas, & utilitas, etiamſi nulli individuo unquam fuiſſet applicata.
5. Potuit redemptio electis impetrata eſſe, attamen nulli applicari.
6. Omnes homines potuerunt manere increduli, etiam reſpectu decreti Dei: cum nullum ſit Decretum ita efficaciter dandi fidem, ut quis tum poſſit, tum velit ſincere conſtanterque credere.
7. Finis mortis Chriſti, nullo modo fuit ejus applicatio.
8. Poſita mundi redemptione per Chriſtum, tamen potuit Deus conditionem operum ad ſalutem conſequendam præſcribere.
9. Intentio Dei, Filium in mortem tradentis fuit, abſolute omnibus conferre ſalutem.
10. Deus omnes & ſingulos homines ex æquo dedit Chriſto redimendos & ſervandos.
11. Precium redemptionis Chriſti eſt efficax ad reconciliandos Deo actu omnes homines.
12. Qui in impœnitentia moriuntur, eis adhuc jus manet in morte Chriſti.
13. Chriſtus omnium eſt Sacerdos, per interceſſionem ad applicationem.
14. Chriſti mors & reſurrectio plane non valent pro iiſdem.
15. Proprius & integer mortis Chriſti finis tantum fuit, ut Deus fœdus gratiæ poſſet & vellet facere cum hominibus.
16. Chriſtus cum morte & ſatisfactione ſua non eſt donum ſeu promiſſio Novi Fœderis.
17. Voluntas & intentio Dei omnibus applicandi merita Chriſti, fuit tantum conditionata & non efficax gratia fidem operandi in certis hominibus.

Adverſus Huberum & Puccium, averſamur has confuſiones.

CHRISTVM pro omnibus & ſingulis, non modo quantum ad ſufficientiam, ſed & quantum ad efficaciam λύτρε mortuum eſſe.

Illos etiam qui non ſalvantur à morte liberaſſe, regeneraſſe, juſtificaſſe, ſanctificaſſe, inque ſinum & gratiam Dei reſtituiſſe: & ſalvos feciſſe, adeo ut omnium Iudæorum, Turcarum, Saracenorum, omninoque Ethnicorum liberi, æque ſancti naſcantur atque Chriſtianorum.

Subſcriptum & ſubſignatum erat

Matthias Martinius Reip. Bremenſ. nomine ad Synod. National. deputatus.

IN ARTICVLVM SECVNDVM.

Ad illustrandum Articulum secundum de Christi Morte, ejusque fructibus sive effectibus, varia moventur, tum à viris orthodoxis, tum à Sectarijs & heterodoxias studiosis.

Cumprimis autem agitatur impræsentiarum quæstio, An Deus Pater Filium suum in mortem tradendo, & Filius mortem subeundo, intenderint omnes & singulos Deo reconciliare & servare. Item, An Dn. N. Iesus Christus per mortem suam omnibus indiscriminatim reconciliationem cum Deo, peccatorum remissionem, & vitæ æternæ hæreditatem impetraverit; licet non omnibus ea efficaciter applicetur.

Et video viros præstantissimos, atque in Ecclesia Orthodoxa laudatos, diversimode de proposito argumento loqui.

Quos (si modeste, candide, & absque Ecclesiæ perturbatione sententiam suam proponant, neque incedant tanquam hostes crucis Christi) propterea damnare, aut odiosis nominibus insectari nolim. *a.*

At tamen salva illorum existimatione, atque Ecclesiarum pace, existimo, magis convenire S. Scripturæ, & rationibus inde deductis, si sequentem in modum statuamus.

a. Philipp. 3. 15. 16. 17. 18. 19. *Quotquot itaque adulti sumus, hoc sentiamus, quod si quid aliter sentitis, hoc quoque vobis Deus revelabit. Attamen in eo, ad quod usque pervenimus, eadem incedamus regula, & idem sapiamus. Estote simul mei imitatores, fratres, & eos considerate, qui ita ambulant, sicut habetis nos pro exemplari. Multi enim incedunt, quos sæpe dixi vobis, nunc autem & flens dico, hostes esse crucis Christi. quorum finis est exitium: quorum Deus est venter, & gloria ad ignominiam ipsorum.* Gal 6.12. *Fratres mei, etiamsi præoccupatus fuerit homo in aliqua offensa, vos spirituales reconcinnate hujusmodi hominem cum spiritu lenitatis: considerans unusquisque temetipsum, & ne tu tenteris. Alij aliorum onera portate: & ita complete legem Christi. &c.*

1. Cor. 6. 2. & seqq. *Fundamentum aliud nemo potest statuere, præter id quod positum est, quod est Iesus Christus. Quod si quis superædificet super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, cujusque opus manifestum fiet &c. Si cujus opus manserit quod superædificaverit, mercedem accipiet: si cujus opus exustum fuerit, damnum faciet: ipse vero servabitur: ita tamen ut per ignem &c.*

Theses quas amplector.

I.

Passionis, mortis, atque meriti Christi est ea dignitas & virtus, ut per se & natura sua abunde sufficiat ad expianda & tollenda omnia omnium hominum peccata, & ad impetrandam ac conferendam omnibus omnino & singulis reconciliationem cum Deo, gratiam, justitiam, & vitam æternam. *a.*

Ideoque non tantum certis quibusdam aut solis salvandis, sed indifferenter, electis & reprobis, per Euangelij præconium, medicina peccati & mortis, Dominus noster Iesus Christus proponitur & offertur, & ad ejus participationem sive fruitionem, atque æternam salutem per eam impetrandam, omnes promiscue invitantur: omnes & singuli in Christum credere, eique vivere, & ad agnitionem veritatis venire, sincere atque serio jubentur; *b* & qui non credunt in nomen Filij Dei, juste condemnantur. *c.*

a. Nam est sanguis & meritum filij Dei 1. Ioh. 1. 7. unigeniti à Patre. Ioh. 1. 14. quique est Deus 1. Tim. 3. 16, Deus verus 1. Ioh. 5. 20. & benedictus in secula. Rom. 9. 5. Item, lux illa vera illuminans omnem hominem Ioh. 1. 9. De sufficientia mortis Christi.

Hujus autem merito quid quæso deesse potest? Quæcunque habet Pater, ejus sunt. Ioh. 16. 13. Efficaciam habet, qua ipse potest sibi subjicere omnia. Philip. 3. 21. sustinet omnia verbo suo potente. Heb. 1. 3. probavit doctrina & factis miraculosis, se potestatem habere remittendi peccata in terra, & quidvis præstandi. Matth. 9. 6.

b. Ma. 28. 19. *Euntes docete omnes gentes* &c. *docentes eos servare omnia, quæ præcepi vobis.* 1. Tim. 2. 4. *Qui* [Deus] *omnes homines vult salvari, & ad agnitionem veritatis venire.*

c. Marc. 16. 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, servabitur; qui vero non crediderit condemnabitur.*

Eoque sensu Christus recte dicitur pro omnibus sufficienter mortuus, ut omnes, quotquot in eum credunt, ejusque opem expetunt, reconciliationem, peccatorum remissionem, & vitæ æternæ hæreditatem, consequi possint & debeant, *d.* neque ullius mortalis peccata sint tam grandia, ad quorum expiationem Christi sacrificium non sufficiat; *e.* nullus etiam ex genere humano ab eo ita aut pariter alienus sit, atque Satanas & angeli mali. *f.*

Atque hæc est voluntas & intentio Dei ab æterno, ut mors Christi ita pro omnibus sufficiens sit, *g.* adeo ut nullam aliam Deus, pro hominum peccatis hostiam aut satisfactionem requirat, sed illam solam, ad omne malum (excepta impœnitentia permanente, & peccato in Spiritum S.) expiandum; *h.* & contra, ad omne bonum salutare promerendum, sufficientissimam habeat & probet: nulloque alio merito hominibus opus sit;

Nullus proinde ex reprobis, propter defectum Mortis Christi, aut quod sufficiens in eo contra interitum medicina non fuerit; sed propter propriam suam ipsius culpam quisque damnetur ac pereat. *i.*

Ioh. 3. 36. *Qui credit in Filium, habet vitam æternam; qui vero non assentitur Filio, non videbit vitam sed ira Dei manet super eum.*

Ioh. 3. 18. *Qui non credit, jam condemnatus est: quia non credidit in nomen unigeniti Filij Dei.*

d. Matth. 2. 28. *Venite ad me, omnes, qui fatigati estis, & ego faciam, ut requiescatis.* Ioh. 3. 17. *Non misit Deus Filium suum in mundum, ut damnet mundum, sed ut servetur mundus per eum.*

e. Esai. 1. 18. *Si fuerint peccata vestra tanquam dibapha, tanquam nix exalbescent* &c. vide plura infra ad Thesin 3.

f. Hebr. 2. 16. *Non utique angelos assumpsit, sed semen Abrahami assumpsit.*

g. *In eo Pater acquiescit*, Matth. 3. 17. Et 17. 5.

h. Matth. 12. 31. *Quodvis peccatum & blasphemia remittetur hominibus: blasphemia vero in Spiritum non remittetur hominibus.* vers. 32. *Et quisquis locutus fuerit adversus Filium hominis, remittetur ei: quisquis autem fuerit locutus adversus Spiritum S. non remittetur ei, neque in hoc seculo neque in futuro.* Marc. 3. 29. *Sed quicunque blasphemarit in Spiritum S. non habet remissionem in æternum, sed tenetur æterno judicio.* Heb. 10. 26. 27. *Nam si ultro peccaverimus post acceptam cognitionem veritatis, non adhuc pro peccatis reliqua est hostia: Sed horrenda quadam expectatio judicij, & ignis fervor, qui devoraturus est adversarios.*

i. Ioh. 3. 19. *Hæc est autem condemnatio, quod lux venit in mundum, sed dilexerunt homines potius tenebras quam lucem: quia sunt eorum opera mala.*

Theses quas affirmo.

II.

De impetratione salvificæ gratiæ.

At licet multis reprobis *a.* ex Christi merito, illud Evangelij præconium, sive vocatio externa, & similia quædam dona sint communia: tamen nec voluit, nec debuit Dominus, indiscriminatim omnes & singulos homines (etiam eos videlicet, qui nunquam in eum credunt, aut crediturì sunt, sed secundum justissimum divinæ Reprobationis decretum, sub peccatis & ira Dei relinquuntur, ac propter ipsa peccata sua pereunt *b.*) per

Antitheses quas nego.

II.

Præterea, sicuti reprobis ex Christi merito, illud Evangelij præconium, & similia dona sunt communia, ita & voluit & debuit Christus indiscriminatim omnes & singulos homines (etiam eos videlicet qui nunquam in eum credunt, aut crediturì sunt, sed ex justissimo Dei reprobationis decreto, sub peccato & ira Dei relinquuntur, atque propter peccata sua pereunt) per mortem suam, actu ipso & re ipsa, in novum gratiæ sal-

mortem

Digitized by Google

per mortem suam reipsa in novum gratiæ salvificæ fœdus & statum restituere: eisque reconciliationem cum Deo, omniumque peccatorum remissionem, & vitæ æternæ hæreditatem acquirere seu impetrare. Neque etiam ea prædictum in modum omnibus indiscriminatim impetravit. *c.*

vificæ fœdus & statum restituere; eisque reconciliationem cum Deo, omniumque peccatorum remissionem, & vitæ æternæ hæreditatem acquirere seu impetrare. Ea etiam prædictum in modum omnibus indiscriminatim impetravit.

In Thesin secundam.

a. Matth. 20. 16. *Multi sunt vocati.*

b. Nam Christus nunquam novit impios istos. Matth. 7. 23. Neque pro eis oravit. Ioh. 17. 9. Præterea improbi isti sunt vasa iræ compacta ad interitum. Rom. 9. 22. eorumque non vult Deus misereri. Ibid. vers. 18. Proinde conferuntur canibus. Psal. 22. 13. 17. Esai. 56. 10. In Tremell. c. 57. 3. Item porcis. Matth. 7. 6. & aperte prohibet Dominus eis Sanctum dari, aut coram eis margaritas proijci. Ibid. Quid vero Sanctius, quæ margarita præstantior sanctissimo & pretiosissimo Christi merito?

Porro sunt filij Belial, & tenebræ, cum quibus nulla communio est Christo. 2. Cor. 6. 14. 15. Zizania, & filij illius mali, sive Satanæ, Matth. 13. 38. Ioh. 8. 44. proijciendi in fornacem ignis. Ibid. vers. 42. Et procul est ab eis salus, quia statuta Dei non quærunt. Psal. 119. 55. Abominationi sunt Domino. Prov. 15. 26. & procul abest Dominus ab eis. vers. 29. atque ira Dei manet super eos. Ioh. 3. 36. Quod si manet super eos Dei ira, equidem non sunt in statum gratiæ restituti. Vnde etiam multos Deus neque Euangelij præconio dignatur. Psalm. 147. 19. 20. *Indicat verba sua Iacobo, statuta sua & jura sua Israeli. Non fecit ita ulli genti, ideoque iura ista non noverunt.* Actor. 14. 16. *Qui præteritis ætatibus sivit omnes gentes suis ipsarum vijs incedere.*

c. Matth. 20. 16. *Multi sunt vocati, pauci vero electi.*

Thesis III.

Sed tantum pro ovibus suis electis, sive fidelibus omnibus & singulis, eorumque loco & bono, animam posuit, sive mortuus est Christus; eo sensu, ut eorum sit salvificus Sacerdos, propitiator & victima; eos solos Patri suo actu ipso reconciliarit, eisque remissionem peccatorum, justitiam & vitæ æternę hęreditatem impetrarit: *a.* non secus ac si ipsi per eum Dei justitiæ satisfecissent, eique debita sua solvissent. *b.* Peccatorum autem omnium remissionem Christus fidelibus impetravit, ita ut non tantum satisfecerit pro iliis quę committunt, tanquam in communi peccati & lapsus sorte considerati, aut quæ omnibus sunt communia, sed etiam pro illis quæ sunt singularia, quęque committunt, posteaquam sunt ad participationem divinę gratię vocati, & per fidem Christo insiti, quęcunque demum illa sint. *c.*

Antithesis III.

Non autem tantum pro ovibus suis, sive fidelibus omnibus & singulis, eorumque loco & bono animam posuit sive mortuus est Christus, eo sensu, ut eorum sit sacerdos & propitiator ac victima, eos solos Patri suo actu ipso reconciliarit, eisque remissionem peccatorum, justitiam & vitæ æternę hęreditatem impetrarit: neque ita ac si ipsi per eum justitię Dei satisfecissent, eique debita sua solvissent.

Neque etiam pro fidelibus aut infidelibus passus est aliter, quam quatenus in communi lapsus & peccati sorte considerantur.

In Thesin Tertiam.

a. Nam pro his solis Christus oravit. Ioh. 17. 9. Idcirco etiam diserte refertur meritum Christi ad electos & fideles & Christo auscultantes. Matth. 1. 21. Actor. 20. 28. *Attendite igitur animum ad vos ipsos & totum gregem, in quo vos Spiritus ille sanctus constituit Episcopos, ad pascendam Ecclesiam Dei, quam suo illo proprio sanguine acquisivit.* Rom. 10. 4. *Nam finis legis est Christus, ad justitiam cuivis credenti.* Heb. 5. 9. *Et consummatus factus est autor salutis æternæ omnibus ei auscultantibus.* Ephes. 5. 25. *Christus dilexit Ecclesiam, & semetipsum exposuit pro ea.* Hinc porro dicitur Dominus animam suam dedisse *pro multis.* Esai. 53. 11. *justificabit justus servus meus multos; quorum iniquitates ipse bajulaverit.* Matth. 20. 28. *Sicut Filius hominis non venit ut sibi ministretur, sed ut ministret, detque animam suam in redemptionis precium pro multis.* Et 26. 28. *Hoc est enim sanguis meus Novi Fœderis, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum.* Item nominatim pro ovibus suis. Ioh. 10. 15. *Prout novit me Pater, ita & ego novi Patrem, & animam meam depono pro ovibus.* Hi & non alij accipiunt remissionem peccatorum per Christi nomen. Actor. 10. 43. *Huic etiam omnes Prophetæ testimonium dant remissionem peccatorum accepturum per nomen ejus quemvis, qui crediderit in eum.* Hinc prærogativa & solida solatia fidelium ac piorum propria: hinc sunt beati, quia eis remissæ iniquitates. Psalm. 32. 2. Rom. 4. 6. Hinc certa spes salutis & gloriatio Rom. 5. 10. 11. adversus omnes insultus Satanæ & impiorum. Rom. 8. 34.

b. Nam in eum conjectæ sunt iniquitates nostræ, item pœna Esai. 53. 4. 5. 6. & pro nobis ejus sanguis effusus Luc. 22. 20. & Christus mortuus, Rom. 5. 8

c. Psalm. 103. 3 *Qui condonat omnes iniquitates tuas, qui medetur omnibus morbis tuis.* Tit. 2. 14. *Qui dedit semetipsum pro nobis, ut redimeret nos, ab omni iniquitate.* 1. Ioh. 1. 7. *Sanguis Iesu Christi Filij eius purificat nos ab omni peccato.* Inde etiam nunc est advocatus noster. 1 Ioh. 2. 1.

Thesis IV.

Atque hęc etiam fuit & Patris & Filij voluntas, aut intentio, ut tantum illos, qui essent per veram fidem Christo inserendi, *a.* non autem, ut indiscriminatim omnes homines in statum gratiæ salvificæ restitueret, eisque reconciliationem cum Deo, & peccatorum remissionem impetraret ac salutem conferret.

Antithes. IV.

Atque hęc etiam fuit & Patris & Filij voluntas, aut intentio; ut non tantum illos, qui essent per fidem Christo inserendi, sed etiam indiscriminatim omnes homines in statum gratiæ salvificæ restitueret, eisque reconciliationem cum Deo, & peccatorum remissionem impetraret, ac salutem conferret.

In Thesin Quartam.

a. Ioh. 3. 16. *Ita Deus dilexit mundum, ut Filium illum suum unigenitum dederit, ut quisquis credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Rom. 3. 25. *Quem præstituit Deus, ut esset placamentum per fidem in sanguine ipsius ad demonstrationem justitiæ suæ.*

Thesis

Thesis V.

Quoscunque Christus per mortem suam ita Patri reconciliavit, eisdem omnibus ac solis impetratam illam cum Deo reconciliationem, omniumque peccatorum suorum remissionem, vere, certo, & absoluta voluntate applicat & conservat; *a* non autem tantum conditionata aliqua voluntate, quæ ab hominis arbitrio dependeat, prædicta bona hominibus applicare desiderat.

Antithesis V.

Non autem eisdem omnibus ac solis, quos Christus per mortem suam ita Patri reconciliavit, impetratam illam cum Deo reconciliationem, omniumque peccatorum suorum remissionem vere, certo, & absoluta voluntate applicat & conservat: sed tantum conditionata aliqua voluntate, quæ ab hominis arbitrio dependeat, prædicta bona hominibus applicare desiderat.

De applicatione impetratæ reconciliationis.

In Thesin Quintam.

a. Actor. 5. 31. *Hunc Deus dextra sua sursum sublatum constituit principem ac servatorem, ut det resipiscentiam Israeli & remissionem peccatorum.*

Heb. 10. 14. *Vnica enim oblatione consummavit in perpetuum eos, qui sanctificantur.* Rom. 8. 32. *Is quidem, qui proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, quomodo non etiam cum eo nobis omnia gratificabitur?*

Thesis VI.

In eisdem omnibus & singulis, quos per Mortem suam Patri reconciliavit; operatur virtute & gratia sui Spiritus, ita ut veram illam cum Deo pacem habeant, impetratam reconciliationem animo hilari ac grato agnoscant, vera fide amplectantur, inque ea ad finem usque vitæ proficiant, donec tandem per eandem Christi mortem ac resurrectionem, consequantur salutem & vitam æternam. *a.*

Atque ita æque late patent reconciliationis & remissionis peccatorum per Christum impetratio, eorumque beneficiorum applicatio.

Antithesis VI.

Neque in eisdem omnibus ac singulis, quos per mortem suam Patri reconciliavit, operatur virtute & gratia sui Spiritus, ita, ut veram illam cum Deo pacem habeant, impetratam reconciliationem animo hilari ac grato agnoscant, vera fide amplectantur, inque ea ad finem usque vitæ proficiant, donec tandem per eandem Christi mortem ac resurrectionem consequantur salutem & vitam æternam.

Atque ita non æque late patent reconciliationis & remissionis peccatorum per Christum impetratio, eorumque beneficiorum applicatio.

In Thesin Sextam.

a. Jerem. 31. 33. 34. *Nam hoc illud est Fœdus, quod pangam cum domo Israelis post dies hos, dictum Domini, indam legem meam menti eorum, & cordi eorum inscribam eam, & ero eis Deus, & ipsi erunt mihi populus. Non autem solum docebunt amplius quisque amicum suum & quisque fratrem suum dicendo, cognoscite Dominum. Nam quotquot erunt, cognoscent me à minimo eorum usque ad maximum eorum, dictum Domini, me condonare iniquitatem ipsorum, & peccati ipsorum non recordari amplius.* Rom. 6. 7. 10. 11. *Illud scientes, veterem illum nostrum hominem*

cum

cum eo crucifixum esse, ut aboleatur corpus peccati, ne nos amplius serviamus peccato. Etenim qui mortuus est, liberatus est à peccato. Nam quod mortuus est, peccato mortuus est semel: quod autem vivit, vivit Deo. ita etiam vos colligite, Vos tum mortuos esse peccato, tum vero vivere Deo per Christum Iesum Dominum nostrum. Rom. 5. 10. 11. *Nam si quum inimici essemus, reconciliati fuimus Deo per mortem Filij ejus, multo magis reconciliati servabimur per vitam ipsius; Neque id solum, verum etiam gloriamur de Deo per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem nunc reconciliationem recepimus.* Heb. 2. 15. *Et liberos redderet, quotquot metu mortis per omnem vitam damnates erant servituti.*

Thesis VII.

Pro quibus enim quorumque loco Dominus est mortuus ad expianda ipsorum peccata, ad eos omnes etiam fructus resurrectionis & intercessionis extenditur, sive ad eorundem omnium resurrexit justitiam, pro eisdem intercedit apud Patrem suum, ad salutem eis efficaciter conferendam.

Neque hæc divelli posse, multo minus divelli, arbitror; sed individuo nexu ea ita esse conjuncta, ut quibuscunque impetravit reconciliationem cum Deo, & peccatorum remissionem, eisdem etiam eam applicet, & salutem æternam infallibiliter ac gratiose conferat, & conservet æternum. *a.*

Antithesis VII.

Pro quibus quorumque loco enim Dominus est mortuus ad expianda ipsorum peccata, non ad eos omnes etiam fructus resurrectionis & intercessionis extenditur, neque ad eorundem omnium resurrexit justitiam, neque pro eisdem intercedit apud Patrem suum, ad salutem eis efficaciter conferendam.

Sed hæc divelli posse, atque etiam sæpe divelli arbitramur, non autem individuo nexu ea ita esse conjuncta, ut quibuscunque impetravit reconciliationem cum Deo, & remissionem peccatorum, eisdem etiam eam applicet, & salutem æternam infallibiliter ac gratiose conferat, & conservet æternum.

In Thesin septimam.

a. Rom. 4. 25. *Traditum morti propter offensas nostras, & suscitatum ad nostri justificationem.* Et Cap. 6. 4. 5. *Consepulti sumus igitur ei per baptismum in mortem: ut sicut suscitatus est Christus ex mortuis in gloriam Patris; ita & nos nova vita ambulemus. Nam si cum eo plantati coaluimus assimilatione mortis ejus, nimirum etiam resurrectionis assimilatione cum eo coalescemus.* Et 8. 34. *Quis est, qui condemnet? Christus is est, qui mortuus est, imo vero, qui etiam suscitatus est: qui etiam est ad dexteram Dei: qui etiam interpellat pro nobis.*

Thesis VIII.

Ita demum vere & abunde constat impetrationi per Christum præstitæ sua dignitas, necessitas atque utilitas; ita filijs Dei sive pijs omnibus firma ac solida in vita & morte consolatio: *a.* non autem, si impretata redemptio nemini actu ipso applicaretur, & nemo per eam servaretur.

Antithesis VIII.

Et nihilominus vere & abunde constat impetrationi per Christum præstitæ, sua dignitas, necessitas atque utilitas, etiamsi impetrata redemptio nulli individuo unquam actu ipso applicata fuisset: potuissetque omnibus impetrata esse, & tamen nullis propter intervenientem omnium incredulitatem applicari.

In Thesin Octavam.

a. Rom.8.33.34.38.39. *Quis intentabit crimina adversus electos Dei? Deus is est, qui justificat. Quis est qui condemnet? Christus is est, qui mortuus est, imo vero, qui etiam resuscitatus est: qui etiam est ad dexteram Dei: qui etiam interpellat pro nobis. Nam mihi persuasum est, neque mortem, neque vitam, neque angelos neque principatus, neque potestates, neque præsentia, neque futura, neque sublimitatem neque profunditatem, neque ullam rem aliam conditam, posse nos separare à caritate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.*

Thesis IX.

Ita etiam assequitur Christus finem suum à Deo proprie intentum, quando non tantum effecit, ut possit hominibus applicari meritum suum, quibus videlicet vel qualibus Deus velit; sive ut Deus salua justitia sua peccatorem salvare possit, & peccator, non obstante peccato, salvari; utque novum gratiæ fœdus cum peccatoribus & damnationi obnoxijs hominibus inire & sancire posset, & vellet; eoque facto universum genus humanum in reconciliationis gratiam assumeret; sed tum demum quando præterea virtute sui Spiritus, redemtis actu ipso confert illam salvificam Dei gratiam, justitiam & vitam æternam, cæteraque omnia, quæ eis morte sua peperit atque impetravit. *a.*

Antithes. IX.

Ita etiam assequitur Christus finem suum à Deo proprie intentum, quando hoc tantum effecit, ut possit hominibus applicari meritum suum, quibus videlicet, vel qualibus, Deus velit; sive ut Deus salva justitia sua peccatorem salvare possit, & peccator non obstante peccato salvari, utque novum gratiæ fœdus cum peccatoribus & damnationi obnoxijs hominibus inire & sancire posset, & vellet; eoque facto vniuersum genus humanum in reconciliationis gratiam assumeret; non autem tum demum, quando præterea, virtute sui Spiritus, redemtis actu ipso confert illam salvificam Dei gratiam, justitiam & vitam æternam, cæteraque omnia, quæ eis morte sua peperit atque impetravit.

In Thesin nonam.

a *Ioel 2. 27.28.29. Sed agnoscetis in medio Israelis me esse, meque esse Dominum Deum vestrum, & nullum esse amplius: neque erubescent populus meus in seculum. Eritque postea, ut effundam Spiritum meum super omnem carnem, & prophetabunt Filij vestri & filiæ vestræ: Seniores vestri somnia somniabunt, juvenes vestri visiones videbunt. Quin etiam super servos & super ancillas, diebus illis effundam Spiritum meum.* Ioh.10.28.. *Et ego vitam æternam do eis, nec peribunt in æternum, nec rapiet eas quisquam è manu mea.*

Et 14.3. *Proficiscor paraturus vobis locum: & quum profectus fuero, & paravero vobis locum, rursum veniam, & assumam vos ad me ipsum: ut, ubi ero ego, & vos sitis.* Et 17. 24. *Pater, quos dedisti mihi, velim ut ubi sum ego, & illi sint mecum: ut spectent gloriam illam meam, quam dedisti mihi.*

Thesis X.

Ita destinavit Deus Christum in mediatorem cum peculiari intentione ac voluntate, certos quosdam ex genere humano redimendi, eosque æternum salvandi. a.

Antithes. X.

Ita neque destinavit Deus Christum in Mediatorem, cum peculiari intentione ac voluntate, certos quosdam ex genere humano redimendi, eosque æternum salvandi.

In Thesin decimam.

a. Ioh.10.19. *Pater ille meus, qui mihi dedit eas, major omnibus est: neque quisquam potest eas eripere è manu Patris mei.*

Thesis 11.

Simulque constituit ad fruitionem dictorum bonorum hanc conditionem & viam unicam, ut virtute Sp. Sancti per veram fidem Christo inseramur, ejusque beneficia amplectamur; *a* Neque decet pios de ulla alia præter eam, quæ sola in S. Literis nobis est revelata, laborare; & inquirere, an non alia conditione & modo, quam per Fidei medium potuisset meritum Filij sui nobis applicare, atque æque operum quam fidei conditionem ad salutem præscribere?

Antithesis 11.

Constituit quidem ad fruitionem dictorum bonorum hanc conditionem & viam, ut virtute Sp. Sancti per veram fidem Christo inseramur, ejusque beneficia amplectamur; at tamen non erit indecens pijs, si insuper statuamus, quod potuisset, si voluisset, alio modo, quam per fidem, meritum Filij sui nobis applicare; sive æque operum atque fidei conditionem ad salutem præscribere.

In Thesin undecimam.

a. Ioh.3.36. *Qui credit in filium, habet vitam æternam, qui vero non assentitur Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.*

Et cap.5.24. *Amen amen dico vobis, qui sermonem meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam, & in condemnationem non veniet: sed transivit à morte in vitam.* Actor.10.43. *Huic etiam omnes Prophetæ testimonium dant, remissionem peccatorum accepturum per nomen ejus quemvis, qui crediderit in eum.*

Deutr.29.29. *Quæ occulta sunt, penes Dominum Deum nostrum sunto: at quæ revelata, nobis & filijs nostris usque in seculum revelata sunt, ut faciamus omnia verba huius legis.*

Henricus Iselburg. Th.D. & in Ecclesia ac Schola Brem. Iesu Christi servus.

De Secundi Articuli

REMONSTRANTIUM,

QVI EST

De Vniversalitate meriti mortis Christi Controversa quæstione,

An Iesus Christus mortuus sit pro singulis hominibus, ita ut per mortem crucis reconciliationem & peccatorum remissionem omnibus hominibus impetrarit.

IVDICIVM.

I.

Mortis Christi ea est dignitas, pretium, potentia, valor ac sufficientia, ut ad omnium ac singulorum hominum reconciliationem cum Deo & peccatorum remissionem promerendam, acquirendam ac impetrandam ei prorsus nihil desit.

II.

Non solum Dei Patris Filium in mortem tradentis, verum etiam Filij mortem obeuntis consilium, scopus & intentio est omnibus ac singulis hominibus peccatoribus preciosissima ista morte & passione acquirere, impetrare, ac promereri, ut, si resipiscant, quando doctrinæ capaces sunt, & in Christum credant, cum Deo reconciliari & remissionem peccatorum accipere possint.

III.

Christus ex suo & Patris sui consilio passus & mortuus, morte & passione sua omnibus ac singulis hominibus peccatoribus sufficientissime promeruit, ut, si modo resipiscant, & credant, possint Deo reconciliari, seu in gratiam & sinum ejus restitui.

IV.

Christus de consilio & voluntate sua pariter ac Patris sui, morte & passione sua omnes ac singulos credentes, eosque solos actu Deo reconciliavit, & in sinum ejus restituit: impœnitentibus vero, in incredulitate ad finem pertinaciter commanentibus, aut precium mortis Christi contemtim habentibus, & in Sp. Sanctum peccantibus, neque actualem reconciliationem cum Deo, neque remissionem peccatorum & vitam æternam acquisiuit & impetrauit.

V.

Hanc ego doctrinam, tanquam verissimam, Scripturis, naturæ rei, Ecclesiæ, nominatim quoque Bremensis confessioni; Patrum & Theologorum qua veterum, qua recentium potiori & communiori sententiæ consentaneam, in Ecclesia Dei necessario, pure & sancte retinendam ac defendendam esse censeo, tum ad Dei gloriam, quæ sic illustratur, ut ullius in vocando veracitas, in jubendo æquitas, in comminando justitia, omnibus Scripturam serio meditantibus patescat: tum ad vocatorum in vera fide ac pietate ędificationem, profectum & consolationem; tum denique ad diversatum hæresium, doctrinam hanc, Scopulorum ad instar circumsistentium, salutarem declinationem & refutationem.

Quapropter Scripturis & experientiæ contraria dogmata sunt, & ab Ecclesia Dei averruncanda,

1 Christum

1. Christum pro omnibus & singulis hominibus non modo quantum ad sufficientiam, sed & quantum ad efficaciam λύτρου mortuum esse, illos etiam, qui non salvantur, à morte liberasse, regenerasse, justificasse, sanctificasse, inque sinum & gratiam Dei restituisse & salvos fecisse: adeo ut omnium Turcarum, Saracenorum, Centaurorum & Canibalum liberi æque sancti nascantur, atque Christianorum.

2. Deum destinavisse Christum in Mediatorem ante omnem affectum, voluntatem & intentionem miserendi humani generis lapsi.

3. Merito Christi potuisse constare suam dignitatem, necessitatem & utilitatem, etiamsi nulli individuo unquam fuisset applicatum.

4. Omnes homines potuisse manere incredulos, etiam respectu decreti Dei: quum nullum sit decretum ita efficaciter dandi fidem, ut quis possit & velit sincere ac constanter credere.

5. Finem mortis Christi nullo modo fuisse ejus applicationem.

6. Posita mundi redemptione per Christum, nihilominus tamen potuisse Deum conditionem operum ad salutem consequendam præscribere.

7. Intentionem Dei Filium in mortem tradentis fuisse, absolute omnibus conferre salutem.

8. Precium redemptionis Christi esse efficax ac reconciliandos Deo actu omnes homines.

9. Deum omnes & singulos homines ex æquo dedisse Christo redimendos & servandos.

10. Qui in impœnitentia commoriuntur, ijs adhuc esse ius in morte Christi.

11. Proprium & integrum mortis Christi finem tantum fuisse, ut Deo possibilitatem & velleitatem fœderis gratuiti cum hominibus ineundi afferret.

12. Christum cum morte & satisfactione sua non esse donum seu promissum Novi fœderis,

13. Voluntatem & intentionem Dei omnibus & singulis Christi merita applicandi fuisse, tantum conditionatam, seu desiderium, ex quo scilicet omnibus ea applicare vellet, si Novi Fœderis conditiones præscriptas præstarent; non autem efficacem gratiam operandi fidem in certis hominibus &c.

Ita & non aliter de hac quæstione apud animum meum sentio & judico: sententiam & judicium hoc meum ubi & quandocunque usus fuerit, Deo bene juvante, demonstraturus; id quod hac manu testor;

Ludovicus Crocius. S. Theol. D. Reip. Bremensis ad Synodum Nationalem delegatus.

BREVE EXAMEN

Quæstionum controversarum circa secundum Articulum inter Remonstrantes & Orthodoxos,

DE

Gratiæ & meriti Christi Universalitate.

Embdensium Ministrorum.

Quæritur

I. AN Christus pro solis electis, iisque qui servantur mortuus sit: an vero etiam pro aliis hominibus? Hoc postremum affirmant Remonstr. Coll. Hag. pag. 139. & pag. 184 Brandij.

II. An

An Christus mortuus sit pro omnibus omnino hominibus? Affirmant Remonst. Coll. Hag. p. 141. & 171. in fine Brandij. Ad Walachr. p. 51. l. 2. & 13. ubi dicunt, Christum pro omnibus individuis tam pereuntium, quam servandorum mortem obijsse. Et Remonstr. Geldri pag. 47. Dicimus simpliciter, Christum absque discrimine mortuum esse pro his & illis hominibus, consideratis ut lapsis & peccato obnoxijs, ab initio mundi ad finem usque. Iidem Geldri pag. 59. actuum Synodal. dicunt, Christum pro omnibus & singulis ab initio mundi ad finem, sive pœnitentibus siue impœnitentibus impetrasse remissionem peccatorum & reconciliationem cum Deo. Quæstio. II.

Hisce opponimus hanc Thesin.

Christus pro solis ovibus suis, hoc est, electis, nequaquam autem pro hœdis animam suam posuit Ioh. 10. 15. Quæ Thesis cum in Collatione Hag. a venerandis Fratribus pluribus probata sit, à probatione longiore nunc supersedemus. Sequitur,

An Ordinatio Passionis & mortis Christi ordine antecesserit Electionem ad salutem &c. Affirmant Remonstr. Coll. Hagiensi, pag. 201. Brandij. Ad Walachr. p. 49. lin. 33. 34. Armin. in articul. perpend. pag. 20. Quæstio. III.

Antithesis nostra.

Ordinatio Mediatoris, ejusque passionis & mortis, ordine posterior est Electione ad salutem, & est medium exequendæ Electionis. Sic enim Esai. 53. 10. postquam de passione & morte Christi multis actum esset, dicitur, *voluntas, vel decretum, & beneplacitum Domini per manum ejus prosperabitur.* Sed hoc cum in considerationibus nostris ad 1. Articulum polixe probatum sit, non adjicimus nunc plura.

An Christus mortuus sit pro omnibus ex intentione, consilio & decreto Patris. Affirmant Remonstr. Coll. Hag. pag. 143. & 175. lin. 28. Remonstr. Geldri pag. 15. & 60. Quæstio. IV.

Antithesis nostra.

Christus ex intentione, consilio & decreto Patris pro solis electis mortuus est, Ratio, quoniam,

1. Quod Deus intẽdit, & ex decreto & consilio suo fieri vult bonũ, illud etiã efficit. Sed omnes homines per mortem Christi salvos non efficit. Ergo non intendit hoc, neque fieri vult.

2. Si Deus aliquid intendit & decrevit, quod tamen non fit, non consequitur consiliorum suorum finem; & fiunt multa præter propositum ejus. At Deus, secundum Remonstrantes, intendit, decrevit & vult, ut per mortem Christi omnes salventur, quod tamen non fit. Ergo non consequitur consiliorum suorum finem, & fiunt multa præter propositum ejus: Quod dictu absurdum, imo blasphemum est. Ergo & illud.

3. Si Christus ex consilio, intentione & decreto Patris pro omnibus mortuus est, sequitur non esse quorundam Electionem, neque quorundam Reprobationem. Sed probavimus supra esse electionem & reprobationem. Ergo Christus ex consilio, intentione & decreto Patris non est mortuus pro omnibus.

4. Si Christus ex intentione & consilio Patris, pro omnibus mortuus est, Deus se habet æque & eodem modo erga omnes. Item, Gratia salutifera esset vniversalis. Sed Deus non habet se eodem modo erga omnes, neque gratia ejus est vniversalis, Si enim hoc;

Vbi 1. Electio gratuita?

Vbi 2. Vocatio gratuita quorundam, ut Israelitarum Deut. 4. 7. psalm. 76. & 147. Non fecit ita ulli genti.

Vbi 3. fœdus cum Abrahamo initum, non cum alijs?

Vbi 4. vocationis gentium mysterium, cuius toties apud Prophetas fit mentio?

Vbi 5. singularis ille favor, amor, gratia, qua suos electos prosequitur Dominus?

Plura videantur in Collat. Hag. & alibi.

An Christus non applicet omnibus, quibus impetrauit remissionem peccatorum & reconciliationem cum Deo. vel, an non sit omnium intercessor, quorum est reconciliator, & pro quibus mortuus est. Quæstio. V

Negant expresse Remonstr. Coll. Hag. pag. 172. lin. 6. & seqq. Item pag. 181. Remonst. Geldri pag. 48. & 60. Advers. Walachr. pag. 52. lin. 32. 33.

Antithesis nostra, eaque Orthodoxa.

Christus pro quibus est mortuus, pro illis etiam est resuscitatus, pro illis sedet ac dextram Dei, pro illis etiam interpellat, eisque beneficia parta applicat. Rom. 8. 34. Probamus,

1. Ex

1. Ex Rom. 8. 32, *Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum: quomodo non ille gratificaretur nobis omnia cum eo?* Quomodo itaque ille non intercederet pro illis suaque beneficia illis applicaret, pro quibus mortuus est?

2. Christus est summus noster Sacerdos, qui non solum Sacrificium pro nobis obtulit, sed etiam pro nobis orat Ioh. 17. *Oro pro omnibus, qui credituri sunt per sermonem eorum in me.* Ipse autem semper exauditur. Quæ itaque hæc hominum dementia est, quis furor, velle partes sacerdotij Christi separare?

3. Christus est Servator merito & efficacia, Matth. 3. Baptizat Sp. Sancto & igni. Luc. 14. facit ut corda nostra ardeant.

4. Si merito tantum servat, non efficacia, tum non est perfectus servator. Sed est perfectus Servator, qui potest nos servare παντελῶς Hebr. 7. Blasphema itaque nobis vox est, dicere, Christum esse tantum merito salvatorem, non efficacia, vel Christum impetrasse tantum remissionem peccatorum, non beneficij parti applicationem. Christus enim sanguinis sui pretiosi effusione utramque nobis meruit, & remissionem peccatorum, & Spiritum Regenerationis, qui per fidem beneficia sanguine Christi parta nobis applicat. Venit enim ut destrueret in electis omnia opera Diaboli.

5. Adde, ubi remissio peccatorum est, ibi salutem, & vitam esse, ut loquitur Lutherus. Et Psalm 32. *Beati quorum remissæ iniquitates sunt.* Vbi ergo est impetratio remissionis peccatorum, ibi etiam est beneficij parti applicatio. Alioqui quomodo possunt beati dici? Donum procul ostentatum & non reipsa communicatum, neminem beare potest.

Summatim ut dicamus, pugnat hæc doctrina de Vniversalitate redemptionis & impetratione remissionis peccatorum pro omnibus hominibus.

1. Cum Dei omnipotentia. Impetrari enim voluit beneficium, quod propter hominum malitiam non potest applicare.

2. Cum eius sapientia. Intendit enim aliquid, quod non assequitur. De conditionata Remonstrantium intentione postea.

3. Cum eius justitia. Accepit enim à Filio plenam satisfactionem, & tamen non recipit omnes in gratiam.

4. Cum summo ejus amore. Sic enim dilexit Mundum, ut Filium suum unigenitum daret. Quis autem obsecro Filij esset amor, aut quis eius usus, si non simul fidem daret in Filium suum?

5. Cum summo Filii amore; qui sic, cum inimici adhuc essemus, nos dilexit, ut pro nobis mortuus sit Rom. 5. Et ille beneficium tanto sudore, tam pretioso sanguine partum, reipsa non applicuit illis, quibus id meruit?

Tanta nihilominus horum hominum audacia est, ut in resp. ad Walachr. p. 52 dicere ausint, Christum mortuum esse adæquate pro omnibus hominibus, resurrexisse autem & intercedere cum salvandi intentione adæquate pro fidelibus tantum. Quod postremum si verum est, sequitur, Christum non esse pro omnibus hominibus adæquate cum salvandi intentione mortuum. Quid itaque movit Christum, ut adæquate pro omnibus moreretur; si non cum intentione omnes salvandi mortuus est? Possuntne hæc duo simul subsistere, Mori adæquate pro omnibus & Mori sine intentione salvandi omnes? Ergo Christus frustra pro maxima hominum parte mortuus est: frustra pro maxima hominum parte remissionem peccatorum & reconciliationem cum Deo impetravit, frustra pretiosum suum sanguinem, maximam hominum partem quod attinet, effudit; maxima enim hominum pars non fit summi istius beneficii, remissionis peccatorum particeps. Sed mittamus tenebriones istos, qui vespertilionum instar, noctu potius, quam interdiu ambulant, tenebrisque magis quam luce delectantur, & ut fœtidæ sues in luto cum voluptate quadam se volutant: ita in hæreticis suis somnijs & figmentis mirifice se oblectant. Sincere enim dicimus, illum hominem, qui Christi meritum & efficaciam, vel impetrationem remissionis peccatorum, & applicationem illius beneficij separat, à nobis pro heretico haberi, quem, nisi inquinari ab eo velimus, summo studio divitare oporteat.

Ex quibus omnibus falsũ esse evincitur, quod dicunt, præstitæ Christi meditationi suam utilitatem abunde constare potuisse, etiamsi impetrata redemptio nulli unquam individuo applicata fuisset, cum finis mortis Christi proprius nõ fuerit ejus applicatio.

An

Digitized by Google

An Christus merito Mortis suæ, ita reconciliarit Deum Patrem humano generi universo, ut Pater propter illius meritum salua justitia & veritate sua novum gratiæ fœdus cum peccatoribus inire potuerit & voluerit? Affirmant Remonstr. Thesi 2. exhibit. de 2. Articulo, & passim alibi. Quæst. VI.

Resp. Quum hic multa lateant abscondita, quæ brevi tempore discuti nequeunt, quod etiam nunc non est nostri propositi: huic Remonstrantium Thesi hasce Antitheses opponimus.

1. Deus fœdus gratiæ non solum cum omnibus gentibus ultimis hisce temporibus, sed etiam cum Abrahamo, ejusque posteris in V. T. & longe antea cum primis parentibus pepigit. Ideoq; fœdus cum Abrahamo initum ad ipsam fœderis substantiam quod attinet, non est diversum à fœdere cum omnibus populis sub N. T. inito, sed est unum, idemque.

2. Fœdus hoc duo primaria beneficia ubiq. cum in Vet. tum in Novo Testamento complectitur, nimirum, gratuitam peccatorum remissionem, & inscriptionem legis in cordibus nostris, Ierem. 31. 32.

3. Gratuitum hoc fœdus morte Christi confirmatum est, qua & remissionem peccatorum & inscriptionem legis per Spir. in cordibus nostris nobis commeruit. Hebr. 8. & 9.

4. Ideoque Christus per mortem suam non tum demum acquisivit Patri possibilitatem & velleitatem, qua salva justitia & veritate sua fœdus gratiæ cum peccatoribus inire potuerit & voluerit: sed ipse Christus cum omnibus per mortem ipsius partis beneficijs ipsissimum & primarium N. Fœderis donum est, cum illud fœdus ipse qui verus Iehova est, sua morte stabiliverit.

5. Conditiones Novi Fœderis, quas vocant, eædem sunt ab initio mundi, & ante natum Christum, & post ejus in mundum adventum.

6. Conditiones N. Fœderis non tantum præceptæ sunt, sed etiam promissæ. Ita nimirum, ut Deus Fœderis gratuiti auctor, se fidem & resipiscentiam, quam à confœderatis suis postulat, daturum promiserit, illudque quod promisit reipsa præstet.

7. Qui conditionis N. Fœd. impletioni vitam & salutem adscribunt, Deo & Christo suum honorem suffurantur, & vivam consolationem afflictis conscientijs eripiunt, adeoque ipsam peccatores salvandi rationem in S. Scriptura propositam subvertunt. Et hoc quæritur sub involucris illis verborum Thesi 2. exhibita positorum.

An voluntas Dei, meritum Christi applicandi, sit conditionata, si scil: conditiones N. Fœderis homo adimpleat. Affirmant Remonstr. passim: videatur Thesis 2. exhib. Et ad VVal. p. 51. ubi dicunt, Hanc conditionem quoties negligit homo, non assequitur illud quod intendit Deus. Quæstio VII.

Antithesis.

Etiamsi fidem & resipiscentiam à suis confœderatis requirat Deus, nequaquam tamen propterea voluntas ejus conditionata est, neque ab impletione illarum conditionum voluntas Dei meritum Christi applicandi dependet. Cum impletio harum conditionum purum putum Dei donum sit, qui dat velle & perficere, & nullo modo homini tribui possit ac debeat.

Rationes.

1. Si voluntas Dei dependet ab impletione conditionum ab homine præstandarum: sequitur, Deo non fuisse nota opera ejus ab omni ævo, Actor. 15. 18.

2. Sic Deus esset impotens ac infirmus. vult enim idque serio, ut loquuntur, aliquid fieri & impleri, quod tamen non fit.

3. Sic Deus pendet ab homine, non homo à Deo. vult enim Deus, inquiunt, omnes homines implere conditiones hasce, ut omnes salvi fiant. Cur igitur non fiunt salvi? Quia, dicunt, nolunt implere Novi Fœderis conditiones. Ergo, omnia ab homine nolente, vel volente dependent.

4. Pugnat hoc cum ordine & natura causarum. Vbi enim hic prima causa, quæ ordinat & disponit secundas? Imo hac ratione secundæ causæ ordinant primam, & prima à secundis dependet.

5. Hac ratione homo semetipsum eligit, gratiam oblatam sufficientem acceptando: vel semetipsum reprobat, eandem repudiando.

6. Sic gloria non est ejus qui miseretur quorum vult, sed ejus qui oblatam conditionem amplectitur, aut respuit & aspernatur.

7. Sic decretum Dei pendet à præscientia ejus, non præscientia à decreto.

8. Sic malitia humana vincitur Dei bonitas: & homo, Sathan, mundus, caro, sunt

Digitized by Google

Deo potentiores. Deus enim ajunt, vult, ut omnes homines salvi fiant, homo autem non vult.

9. Sic Deus non dat homini aliam gratiam, quam quæ est in hominis potestate vel accipere vel repudiare.

10. Hac ratione voluntas Dei incerta relinquitur & pendet in dubio, donec conditio ab homine impleatur.

Quæst. VIII. An reprobi teneantur credere Christum pro se mortuum esse. Hanc quæstionem movent Remonstr. Thes. 4. exhibita. Respondemus paucis: Cum electi & reprobi in hac vita permixti sint, Matth. 24. 40. *Duo erunt in agro, alter accipietur, alter relinquetur*; cumque utrisque conjunctim verbum prædicetur, nemo hominum scire potest, quinam sint reprobi, ideoque juxta caritatis judicium bene de omnibus speramus. Monstrent itaque nobis Remonstrantes, si possunt, quinam reprobi sint, & tum dispiciendum esset, quid credere reprobi debeant.

Objiciunt: Sed mandat Deus omnibus quibus verbum prædicatur, ut credant.

Respondemus, esse quoddam mandatum obedientiæ, quoddam probationis. Mandanti itaque Deo parent electi divinitus ad parendum tracti. Reprobi autem vel omnino non obtemperant, vel credunt tantum ad tempus fide προσκαίρῳ, postea deficiunt. Sic probantur, ut manifestum fiat, quid lateat in cordibus ipsorum. Produnt itaque tum infidelitatem suam & corruptam naturam, quæ quidem ipsis connata, nequaquam autem à Deo infusa est.

Et hoc quidem ad quæstiones ex Thesibus ipsorum cum exhibitis tum dictatis exceptas, responsum esto.

Cæterum, cum huic Hydræ, capite uno resecto multa alia renascuntur: aliæ etiam ex superioribus ortæ eisque annexæ Remonstrantium, circa secundum hunc Articulum, erroneæ opiniones paucis indicandæ & considerandæ erunt.

Quæstio IX. Cum itaque de sua impetratione remissionis peccatorum & reconciliatione cum Deo, passim & multis in locis crebram faciant mentionem, eoque imperitos fallant, ac si multum Christo ejusque merito tribuerent, quo totum Mundum Deo reconciliarit, extrahendi erunt è suis latebris, ut fraus eorum magis magisque innotescat. Et videndum, quid ipsis sit impetrare remissionem peccatorum omnibus hominibus.

Quando itaque dicunt, Christum merito mortis suæ impetrasse omnibus remissionem peccatorum, nullo modo sentiunt, quod præ se ferre videntur, Christum merito mortis suæ pro peccatis hominum plene satisfecisse, & λύτρον nostro nomine persolvisse. Nihil minus. Negant enim ubiq; Christum pro peccatis plene & perfecte satisfecisse.

Armin. artic. perpend. pag. 34. perpendendum censet, An homo electus, in Christo pœnam luerit & obedientiam præstiterit reipsa, an vero æstimatione tantum divina.

Idem ibid. pag. 33. perpendendum, An actus obedientiæ à Christo præstitæ, qua justificamur, non fuerint ei impositi secundum peculiare mandatum Patris, & peculiare pactum à Patre cum ipso initum.

Idem ad Hippol. (·.· ·.·) 2. 6. quasi, inquit, Deus Christum ejusque justitiam nobis imputet, id est, pro nobis in justitiam, quod fieri nequit.

Ibidem. Non nego obedientiam Christi nobis imputari, id est, pro nobis & nostro bono præstitam censeri.

Ibidem, prima facie folij, Dico fidem nobis imputari ad justitiam propter Christum & justitiam ejus.

Episcop. Thes. 4. de justific. pag. 63. Iustitia Christi proprie non est quod nobis imputatur, sed id propter quod nobis imputatur in ipsum credentibus justitia.

Remonstr. ad Articulos Delphenses Antithesi 1. dicunt, Deum potuisse ex summa autoritate & libera potestate absque satisfactione, imo vel verbo vel nutu peccata remittere.

Propterea ijdem Thes. 2. de plena satisfactione, pro verbis, *loco nostro*, substituerunt verba *pro nobis*.

Videatur etiam antithesis eorum 3. ad 1. Artic. ubi latet Socinianismus.

Iidem Artic. 2. Antithesi. 1. sic loquuntur: Quod si vero per justitiam, qua justificamur, fides intelligitur, existimamus absque theseos contradictione, id de ea affirmari posse, (nimirum, eam secundum gratiosam Dei æstimationem pro justitia ex gratia haberi) quippe quæ secundum S. Scripturæ stylum propter merita Iesu Christi ex me-

Digitized by Google

ex mera gratia & gratiosa Dei æstimatione in justitiam nobis imputetur. Ideoque, si per justitiam, qua coram Deo subsistimus, intelligatur fides, ea ratione, qua supra in justitiam nobis imputata est, non possumus rejicere, quod illa justitia etiam in nobis sit.

Ex hisce & multis alijs liquido apparet, toties in Coll. Hag. illam impetrationem remissionis peccatorum & reconciliationem cum Deo, ad fallendum incautos iteratam, Remonstrantibus non esse solutionem λύτρου & plenam satisfactionem pro peccatis nostris.

Quid itaque, quæris, est ipsis hæc impetratio remissionis peccatorum?

Responsionem vide in Collat. Hag. pag. 172. latin. Brand. ubi sic ajunt: quando dicimus, Christum omnibus remissionem peccatorum impetrasse, sententia nostra est, Christum Dei justitię satisfacientem hoc effecisse, ut Deus sine justitiæ suæ læsione, peccatori januam iterum aperuerit gratiæ suæ, quamvis nemo ad illius gratiæ communionem est ingressurus nisi per fidem. Hoc igitur discrimen inter impetrationem & ipsam peccatorum remissionem bene expensum &c.

Vide etiam Thesin 2. exhibitam de 2. Articulo, ubi dicunt, Christum merito mortis suæ hoc effecisse, ut Deus fœdus gratiæ cum peccatoribus salva justitia sua inire potuerit & voluerit.

Proprijs itaque ipsorum verbis hasce ponimus Theses,

1. Inter impetrationem remissionionis peccatorum, & ipsam pecatorum remissionem magnum est discrimen.

2. Impetratione remissionis peccatorum Christus hoc tantum effecit, ut Deus potuerit peccatoribus januam gratiæ aperire, ut per observationem conditionum N. Fœderis ingrediatur, quicunque volet.

Hic videmus non latentem tantum, sed manifestum Socianismum una cum Pelagianismo.

Antitheses nostrę.

1. Christus sanguinis sui pretiosi effusione non tantum fictitiam illam & nullo Dei verbo munitam impetrationem remissionis peccatorum, hoc est, januæ gratiæ apertionem, vel potentiam & possibilitatem aperiendi januam gratiæ nobis commeruit; sed reipsa plenissime pro omnium electorum peccatis satisfecit, λύτρον perfectissimum persolvit, *nosque redemit non auro nec argento sed pretioso suo sanguine*, 1. Pet. 18. 19. *Et magno precio emit*. 1. Cor. 6. 20. Catech. Heidelb. quæst. prima. Contrarium Socianismum plane abominamur.

2. Christum, ejusque meritum vera fide apprehendere atque ita per januam gratiæ ingredi nemo potest per imaginariam illam sufficientem, sed tantummodo per efficacem gratiam, qua Deus electis suis non tantum velle credere, neq; tantum posse credere, sed utrumque largitur, ut nimirum actu ipso homo credat, atq; ita non suis viribus ullo modo, sed solius Dei beneficio per januam gratiæ ingrediatur. Contrarium Pelagianismum omnino repudiamus.

Hæc paucis de speciosa illa Remonstrantium impetratione remissionis peccatorum, & ex parte etiam, de fictitia illorum applicatione, de qua paucula tamen adhuc subjiciemus.

Sequitur itaque:

Quomodo nimirum impetratio remissionis peccatorum, & reconciliationis cum Deo nobis applicetur, ut plena sit peccatorum remissio. Hic Hercule aliquo ad expurgandum hoc Augiæ stabulum opus esset. Atque utinam super hisce possemus audire viva voce ipsorum declarationem propriam. Quæst. 2.

Sed, sit aliquid prodire tenus, si non datur ultra.

Ex ipsorum scriptis consideremus itaque.

1. Quis applicet. 2. Quo medio. 3. Quid.

De primo. Quis itaque applicat? Idem, inquiunt, qui impetravit remissionem peccatorum, nimirum Christus. Sed Quomodo? vel dat verbum illudque prædicari curat, vel alia ratione & modo utitur ad revelandam suam voluntatem, vel etiam Angelum mittit. Collat. Hag. pag. 192. Deinde hisce externis medijs addit sufficientem gratiam, si saltem homo velit. adversus VValachr. pag. 52. lin. penult. & pas-

 sim

sim alibi. Hic videmus iterum salutem hominis non pendere à Deo, sed ab ipso homine, qui si vult, potest adjutus sufficiente gratia beneficium hoc sibi applicare, aut, si nolit, repudiare. Ore itaque Christo hanc applicationem, reipsa autem ipsi homini tribuunt.

Antithesis.

Solus Deus remissionem peccatorum & justitiam morte Christi partam efficaciter nobis applicat, ita ut justitiam Christi nobis, ac si nostra propria esset, gratis imputet, quam nos fide, quæ purum putum Dei donum est, tanquam manu apprehendimus, eaque apprehensa in solius Christi merito & Dei cælestis Patris gratuito favore, merito Christi parto, acquiescimus.

Vt de secundo hoc, nimirum, de Medio, quo impetratio remissionis peccatorum homini applicatur, nonnihil adjiciamus, tenendum, etiamsi subinde fateri videantur, illud fieri per fidem, nihil tamen aliud illis propositum esse, quam ut suis amphibolijs incautos decipiant. Adversus VValachr. enim p. 86. expressis verbis hoc negant, cum dicunt, Fides utique justificans non est, qua quis credit sibi remissa esse peccata.

Et Episcop. Thes. v.&6. de justific. expresse negat, fidem esse instrumentum apprehendens justitiam quæ imputatur, Et dicit, esse conditionē, fœdere Euangelico præscriptam& requisitam, sine qua Deus remittere peccatum, & imputare justitiam non vult.

De Tertio. Quid itaq; illud est, inquis, quod nobis applicatur & imputatur? Est scilicet ipse fidei actus, qui gratiose pro justitia habetur per gratiosam Dei dignationem. Quapropter meritum Christi ipsam fidem ad justitiam imputat.

Sic Arminius ad Hippol. Ipsum fidei actum, τὸ credere dico, imputari in justitiam, idque proprio sensu non metonymice. Videantur ibidem similia multa.

Sic ad VValachr. p. 84. Deus, inquiunt, qui in fœdere legali exactam mandatorum suorum obedientiam exigebat, nunc in fœdere Euangelico fidem exigit, & illam gratiosa æstimatione propter meritum & omnibus numeris exquisitissimam Christi obedientiam, habet loco legalis obedientiæ.

ibid. pag. 85. lin. 2. & seqq.

ibid. pag. 86. circa medium.

Ibi communis nostrorum Theologorum sententia est, remissionem peccatorum esse fidei consequens & effe um &c.

Et Remonstr. in Coll. Delphensi Artic. 2. Antith. 2. Sentimus, inquiunt, Deum in nostri justificatione ita ad fidem respicere, ut eam æstimet pro obedientia, secundum postulatum & legem Euangelicam præstita. Et paulo post, Statuimus Deum fidem nostram nobis imputare pro obedientia, eamque, & *nos in illa* acceptos habere.

Sic videmus, quod solius Christi merito & satisfactioni tribuendum erat, illud à Remonstrantibus ipsi fidei actui secundum gratiosam Dei æstimationem tribui. An non hoc est totum salutis nostrę fundamentum subvertere?

Quæst. XI. Si nunc ulterius quispiam in mysteriorum ipsorum adyta penetrare gestiat, & quærere, quidnam ipsis sit fides illa, quæ nobis imputatur ad justitiam, in labyrinthum inextricabilem se conjiciet.

Ideoque & hoc tantum attingimus.

Episcopius Thesi 3. de pręceptis N. Fœderis dicit, Fidem esse assensum fiducialem, Euangelio adhibitum, quo argumentis, sive intrinsecis, sivè ipsi Euangelio insitis persuasus, statuo vera esse omnia ea quæ Euangelio continentur, inque Deo per Christum confido & acquiesco.

Vt autem liqueat, parum Orthodoxi huic definitioni inesse, videatur Thesis quinta, ubi dicit, Fiduciam specialis misericordiæ, qua credo remissa mihi esse peccata gratis, non esse essentiale fidei constituens, sed tantum consequens.

Thesi 6. dicit, Objectum fidei esse totam veritatem Euangelicam. In quibus omnibus multæ latent ambiguitates & expressæ sunt falsitates, quibus eruendis, explicandis & refutandis, non datur hic locus, neque sufficit tempus.

(Cum hac definitione convenit definitio Sociniana in libro de officio hom. Christ. c. 2. sub finem.)

Progredimur ad alias quasdam quęstiunculas.

Quæst. XII. An infideles possint dicere, Christum pro se mortuum esse vere: Item, quis est qui nos condemnet? Affirmant Remonstr. Coll. Hag pag. 187. &repetunt p. 188. ubi addunt, Fideles hoc posse dicere ad consolationem suam: infideles ad historicam narrationem, qua ad fidem ducantur &c.

Anti-

Antithesis.

Nulli, nisi ii in quibus nulla est condemnatio, quique non secundum carnem, sed secundum Spiritum ambulant, & qui acceperunt Spiritum non servitutis, sed adoptionis, possunt dicere, Christus est pro me mortuus, quis itaque est qui me condemnet? Rom. 8.

An electi nusquam nomine ovium in Scriptura designentur? Quæst. xiii
Sic dicunt Remonstr. Coll. Hag. pag. 183.

Item.

An Christus oves habeat, pro quibus mortuus est, quæ tamen pereunt. Affirmant Remonstr. Coll. Hag. pag. 185. 186. Quæst. xiv

Antithesis.

Electi in S. Scriptura multoties nomine ovium disignantur, pro quibus solis Christus vitam posuit, quasque nemo è manibus ejus potest eripere, ideoque in æternum non peribunt. Ioh. 10.

An solum Dei verbum ejusque prædicatio sit ordinarium medium, quo beneficium mortis Christi partum hominibus administretur, ut fide illud apprehendant. Concedunt; sed quod una manu dant, altera rursus eripiunt. Ajunt enim: An hoc fieri debeat hac vel illa ratione, nunc vel alias, putamus hoc esse nimis procul ingredi in judicia Dei, relinquentes ejus dispensationem justitiæ divinę &c. Collat. Hag. pag. 189. Deinde dicunt, Deum velle verbum reconciliationis omnibus proponi, & reipsa omnibus prædicatum esse. ibid. pag. 190, 192. Quæstio. xv.

Et ne quis hoc referat ad externam & notam prædicationem, ajunt, Deum, cum placet, alio modo posse uti ad revelandam suam voluntatem, imo & Angelum mittere. Hinc Ioh. Arnold. cap. 3. pag. 100. & seqq. & pag. 370. fatetur, juxta mentem Arminij, omnibus hominibus media, ad salutem sufficienter necessaria, adhiberi.

Antithesis ex verbis Pauli 1. Cor. 1.

Postquam in sapientia Dei mundus non cognovit Deum per sapientiam suam, placuit Deo per stultam prædicationem servare credentes. Est enim fides ex auditu, auditus autem ex verbo Dei. Rom. 10. Alius modus salvandi homines, & medium aliud, per quod beneficiorum Christi participes fiant gentes, in Scriptura non traditur.

An victima Christi non sanctificet nos, quatenus ille simpliciter oblatus est, sed quatenus applicatur. Sic loquuntur Remonstr. in Collat. Hag. pag. 179. Quæstio xvi

Antithesis.

Victima expiatrix sanctificat vere omnes, pro quibus oblata est. Heb. 9. 13. 14. *Si sanguis taurorum sanctificat &c. quanto magis sanguis Christi emundabit nos &c.* Ioh. 17. *Ego meipsum sanctifico pro illis.* Tit. 2. *qui dedit seipsum, ut sanctificaret sibi populum selectum.* Vnde & liquido colligitur, non fuisse Christi intentionem dare sese in precium pro omnibus & singulis æqualiter. Deinde, pro quibus semetipsum Christus dedit, quod eosdem etiam sanctificet, non merendo tantum, sed etiam efficaciter salutem operando & applicando. Alioqui illorum perfectus servator non esset.

An Christus pro Caino & Iuda, qua talibus: & pro Abelo & Petro, qua fidelibus mortem sustinuerit? Negant utrumque Remonstr. ad VValachr. p. 51. Sed indiscriminatim pro his & illis in communi lapsus & peccati sorte consideratis. Quæst. xvi

Sed cum sibiipsis hic contradicant, ibid. pag. 52. lin. 1. 2. 3. Et Collat. Hag. pag. 207. Et clarissimus vir D. Antonius VValæus illorum errorem, vel potius malitiam hic indicavit & refutavit, merito in eo acquiescimus.

An Christus summe diligat eos, pro quibus mortuus est. Negant Remonstrant. Coll. Hag. pag. 193. & 207. ratione addita, quia partam salutem non applicet omnibus, sed tantum fidelibus, quamvis omnibus parta sit. Quæst. xvii

Antithesis ex verbis Christi, Iohan. 15. 13.

Maiorem charitatem nullus habet, quam istam, ut quispiam animam suam deponat pro amicis

cis suis. Et Rom. 5. 5. 6. 8. *Commendat suam charitatem erga nos Deus, &c.*

Dicere itaque Christum non dilexisse eos summe pro quibus mortuus est, est palam S. Scripturæ contradicere & turpiter mentiri.

Quæst. xix. An intercessio Christi alia sit universalis pro toto mundo, alia particularis pro fidelibus tantum. Affirm. Remonstr. Coll. Hag. 198. 199. dicuntque, pro infidelibus, quoad impetrationem, pro fidelibus, quoad applicationem.

Antithesis ipsis verbis Christi. Ioh. 17. 9.

Non rogo pro mundo, sed pro ijs quos dedisti mihi, quia tui sunt.

Et ad Rom. 8. docemur, Christum tantum intercedere, pro quibus mortuus est.

Quæst. xx. An Passio Christi tendat tantum ad salutem impetrandam, electio autem ad applicandam & communicandam? Sic loquuntur, Coll. Hag. pag. 201.

Antithesis.

Christus passione sua salutem non tantum illorum opinione impetravit, sed etiam reipsa & revera eam peperit, & Spiritum simul regenerationis meruit, qui eandem daret & omnibus quibus salus per passionem parta est, applicaret. Quomodo autem electio salutem applicet & communicet, illud nondum capimus; Quis enim profunditates istorum hominum, nisi sacris illorum initiatus, nosse poterit?

Quæst. xxi Movent Remonstr. adversus VValachr. quæstionem pag. 51. Num quem finem Deus in opere aliquo intendit, possit non assequi. Respondent, quædam intendi, quæ per potentiam irresistibilem exequi & assequi vult Deus: quædam vero intendi sub conditione à creatura rationali libere præstanda. Hanc quoties præstare negligit homo, non assequitur id quod intendit Deus, &c.

Resp. & quæro primum, Quænam sit hæc conditio? respondebunt, fides in Christum. Iterum itaque quæro, quis det ut homo hanc conditionem adimpleat. Aut enim hoc solius Dei est, aut solius hominis, aut utriusque.

Si solus Deus; quemadmodum volunt videri sentire, ut Articulo 3. Coll. Hag. fatentur: Ergo Deus non dans homini, ut possit & velit credere, utque reipsa credat, simulate agit cum homine, quem intendit salvum facere sub conditione, si credat. At homo non potest credere, inquiunt ipsi, nisi Deus eis det fidem: Deus autem non dat eam omnibus, neque vult dare: Si enim vellet, daret. Ergo &c.

Remonstrantes huius criminis insimulant Orthodoxos, quod Deum faciant simulatorem, cum ipsi maxime huic crimini sint obnoxij.

Si homo; quod vox illa, sub conditione libere præstanda totusque adeo contextus innuit: sunt expresse Pelagiani Remonstrantes.

Sin partim Deus, partim homo; sunt Semipelagiani.

Deinde, si Deus non assequitur quod intendit, nisi præstita ab homine conditione; Ergo intentio hæc Dei pendet ab impletione conditionis hominis, & nihil potuit ab æterno certi statuere Deus, antequam homo conditionem impleat; quod absurdum est de Deo dicere.

Remonstrantium contraria argumenta quod attinet, cum partim in Coll. Hag. scripto, partim à Clarissimis Doctoribus D. Balcanquallo, & D. Crucigero viva voce refutati sint, nunc non attingimus; & hic considerationes nostras circa secundum Articulum finimus.

BRITANNORVM THEOLOGORVM
Sententia

De III. & IV. Articulis,

Primo de viribus arbitrij in homine lapso.

THESIS NOSTRA I.

Voluntas hominis lapsi nudata est donis supernaturalibus, & salutaribus; quibus in innocentiæ statu donata fuit: ac proinde ad actus spirituales nihil jam valet absque viribus gratiæ.

Fuisse donis eximijs dotatam, inde constat, quia homo factus est ad imaginem Dei. Imago autem Dei in principe animi facultate proculdubio principem locum obtinuit. Qualia vero hæc dona fuerint, quibus in creatione ornata est voluntas humana, patet ex ijs, quæ in hujus imaginis redintegratione restituuntur. Ephes. IV. 24. *Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis.* Hanc insuper justitiam, sanctimoniam & rectitudinem voluntatis per lapsum esse amissam clarum est ex secunda hac ejusdem per Dei gratiam in Christo recuperatæ acceptione. Induendum, scilicet, nobis de novo, quod in Adamo denudato exuimus.

Hujusmodi autem voluntatem nostram nihil valere ad actus supernaturales tota Scriptura clamat, Ioan. 15. 15. *Sine me nihil potestis facere.* Rom. 5. 6. *Cum adhuc nullis essemus viribus*, 2. Cor. 3. 5. *Non sumus idonei ex nobis ipsis ad cogitandum quicquam &c.*

Hinc illud Augustini Enchirid. cap. 30. *Quid boni operari potest perditus, nisi in quantum à perditione liberatus?* Et illud, *Voluntas in tantum libera, in quantum liberata.*

II.

Lapsæ voluntati inest non tantum peccandi possibilitas, sed etiam præceps ad peccandum inclinatio.

Isthæc possibilitas voluntati etiam integræ insuit, prout nimis constat ex eventu. Post lapsum autem, ac ex ipso lapsu, superaddita peccandi sitis avida, Iob. 15. 16. *Bibit, quasi aquam, iniquitatem*; complacentia & gaudium in peccatis, Proverb. 2. 14. *Lætantur faciendo malum, exultant in pessimis perversitatibus:* studium peccati, Genes. 6. 5. *Cuncta cogitatio cordis intenta ad malum omni tempore:* Mancipatio sub peccato, Rom. 6. 17. *Fuistis servi peccati.* Denique mors in peccato, Ephes. 2. 2. *Vos cum essetis mortui in delictis & peccatis.*

Nec aliter se potest res habere in homine corrupto, nondum per divinam gratiam restaurato: cum ea sit natura voluntatis, ut nuda manere nequeat, sed ab uno, cui adhæserat, objecto excidens, aliud quærat, quod cupide amplectatur. ideo per Spontaneam defectionem habitualiter aversa à Deo creatore, in creaturam effreni impetu fertur, ac cum ea libidinose ac turpiter fornicatur, semper avida fruendi utendis, ac vena moliendi & patrandi. Quid mirum ergo si talis voluntas sit Diaboli mancipium? Luc. 11. 21. *Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet.*

August. Retract. 1. 15. *Voluntas sine charitate est tota vitiosa cupiditas.*

De antecedaneis ad conversionem.

THESIS I.

Sunt quædam opera externa, ab hominibus ordinarie requisita, priusquam ad statum regenerationis, aut conversionis perducantur, quæ ab iisdem quandoque libere fieri, quandoque libere omitti solent; ut adire Ecclesiam, audire verbi præconium, & id genus alia.

Requiri talia manifestum est, Rom. 10. 14. *Quomodo credent ei, quem non audierunt?* Esse autem in nostra potestate & ratio dictat, cum penes unumquemque sit regere suam loco-motivam; & experientia probat, cum videamus in externis homines pro arbitrio, hoc, vel illud agere, vel utrumque omittere; possunt itaque domi sedere, cum Ecclesia adeunda est, possunt aures obturare, voce Euangelici præconis sonante. Marc. 6. 20. Herodes Ioannem audiebat libenter. Actor. 13. 46. Iudęi recusant audire Euangelium, Psalm. 58. 5. Impij obturant aures suas ut surdæ aspides.

II.

Sunt quædam effecta interna ad conversionem sive regenerationem prævia, quæ virtute verbi, Spiritusque in nondum justificatorum cordibus excitantur; qualia sunt notitia voluntatis divinæ, sensus peccati, timor pœnæ, cogitatio de liberatione, spes aliqua veniæ.

Ad statum justificationis, in quo pacem habemus apud Deum per D. N. Iesum Christum, non solet gratia divina homines perducere per subitum enthusiasmum, sed multis prævijs actionibus ministerio Verbi subactos, & preparatos. Hoc videre licet in illis, qui audita Petri concione, peccati onus sentiunt, timent, dolent, liberationem desiderant, spem aliquam veniæ concipiunt: quæ omnia ex illis verbis concipi possunt, Actor. 2. 37. *Quum hæc audivissent, compuncti sunt corde suo, & dixerunt ad Petrum & reliquos Apostolos, viri fratres, quid faciemus?* Hoc ipsa rei natura requirit. Nam sicuti in generatione hominis naturali multæ sunt pręviæ dispositiones, quæ formæ inductionem præcedunt, ita & in spirituali per multas antecedaneas gratiæ actiones ad spiritualem nativitatem pervenitur.

Hoc denique apparet ex instrumentis, quibus utitur Deus ad homines regenerandos. utitur enim ministerio hominum, & instrumento verbi 1. Cor. 4. 15. *Per Euangelium ego vos genui*. Quod si Deus immediate vellet hominem impium regenerare, & justificare, nulla cognitione, nullo dolore, nullo desiderio, nulla veniæ spe preparatum, nec hominum ministerio, nec verbo pędicato hanc ad rem opus esset. Nec Ministris verbum Dei recte secantibus cura incumberet, apte prudenterque auditorum conscientias primo legis terroribus sauciandi, deinde Euangelicis promissis erigendi, ac eosdem hortandi ad pœnitentiam fidemque à Deo per preces & lachrymas petendam.

III.

Quos Deus mediante Verbo per Spiritum suum hunc in modum afficit, eos ad fidem, conversionemque vere, & serio vocat, & invitat.

Ex natura beneficij oblati, & Verbo Dei apertissimo judicandum est de illis gratiæ auxilijs, quę hominibus suppeditantur, non autem ex abusu, aut eventu. Cum igitur Euangelium ex sua natura vocet homines ad pœnitentiam & salutem, cum gratiæ divinæ excitamenta eodem tendant, nihil hic simulate à Deo agi putandum est. Hoc probant seriæ illæ, patheticæque rogationes, 2. Cor. 5. 2. *Obsecramus Christi nomine, reconciliemini Deo.* Hortationes, 2. Cor. 6. 1. *Hortamur ne frustra gratiam Dei recipiatis.*

Expostu-

Digitized by Google

Expostulationes, Galat. 1. 6. *Miror quod sic tam cito transferimini ab eo, qui vocavit vos in gratiam Christi.* Promissiones, Apoc. 3. 3. 20. *Ecce sto ad ostium & pulso: si quis audierit vocem meam & aperuerit ostium, ingrediar ad eum &c.* Quod si non omnes, quos hoc verbi Spiritusque sui dono dignatur Deus, ad conversionem seriam serio invitaret, certe & Deus nonnullos, quos ipse Filij sui nomine vocat, falleret, & promissionum Euangelicarum nuntij à vocatis falso perhibiti testimonij accusari possent, &, quiad conversionem vocati parere negligunt, redderentur excusabiliores. Neque enim ea fingi potest homines reddere inexcusabiles per verbum & Spiritum vocatio, quæ eo tantum fine exhibetur, ut reddat inexcusabiles.

IV.

Quos ita affecit, Deus non deserit, nec desistit in vera ad conversionem via promovere, priusquam ab illis per neglectionem voluntariam, aut hujus gratiæ initialis repulsam, deseratur.

Talentum gratiæ à Deo semel concessum nemini eripitur, nisi qui prius suo vitio illud sepelivit Matth. 25. 28. Hinc est quod nos in scripturis passim monemur, ne Spiritui resistamus, ne Spiritum extinguamus, ne gratiam Dei frustra recipiamus, ne deficiamus à Deo. Hebr. 3. 7. Imo divinæ derelictionis ea apertissime designatur ratio, quod Deus ab hominibus prius deseratur. Proverb. 1. 24. *Quia vocavi & renuistis; ego quoque in interitu vestro ridebo.* 2. Chron. 24. 20. *Dereliquistis Iehovam, ut dereiinqueret vos.* At nusquam in Scripturis vel levissime innuitur, Deum solere, aut velle unquam absque prævia hominis culpa eripere cuiquam gratiæ excitantis auxilium, aut ullum subsidium, quod semel contulit ad conversionem hominis ordinatum.

Sic docuere Patres Orthodoxi, quibus cum Pelagianis negotium fuit.

Augustin. vel Prosper, ad Artic. fals. ad 7. *Dei est voluntas, ut in bona voluntate maneatur; qui & priusquam deseratur, neminem deserit, & multos desertores sæpe convertit.*

V.

Hi præcedanei effectus, virtute Verbi Spiritusque in hominum mentibus producti, rebellis voluntatis vitio, suffocari ac penitus extingui possunt, & in multis solent; adeo ut nonnulli in quorum mentibus virtute Verbi Spiritusque impressa fuit aliqualis notitia veritatis divinæ, aliqualis dolor de peccatis suis, aliquod desiderium & aliqua cura liberationis, mutentur plane in contrarium, veritatem rejiciant & odio habeant, concupiscentijs suis se tradant, in peccatis occalleant, & absque desiderio vel cura liberationis, in ijsdem computrescant.

Matth. 13. 19. *Venit malus, & rapit quod seminatum est in corde eius.* 2. Pet. 2. 21. *Melius erat non cognoscere viam iustitiæ, quam post agnitionem retrorsum converti. Canis reversus ad vomitum.*

Hebr. 6. 4. *Qui semel illuminati, gustaverunt donum cæleste, participes facti Spiritus Sancti, gustaverunt bonum Dei verbum, virtutesque sæculi venturi, & prolapsi sunt, eos rursus revocari impossibile. &c.*

Prosper. de Vocat. Lib. 2. cap. 2. *Multi cito intellectus lumen accipiunt, ipsa autem intelligentia non in omnibus eundem habet vigorem, aut similem facultatem; & plurimi cum & fide & intellectu videantur ornati, laborant tamen indigentia caritatis, & his, quæ fide & intellectu vident, nequeunt inhærere, quoniam perseverari in eo non potest, quod non toto corde diligitur.*

Ne

Digitized by Google

VI.

Ne electi quidem ipsi in hisce præcedaneis ad regenerationem actibus ita se gerunt unquam, quin propter negligentiam & resistentiam suam possint juste à Deo deseri & derelinqui: sed ea est erga eos specialis Dei misericordia, ut, quamvis hanc gratiam excitantem & illuminantem aut repellant aliquamdiu, aut suffocent, eos tamen iterum, iterumque urgeat Deus, nec desistat promovere, donec eosdem gratiæ suæ prorsus subjugaverit, ac in statu filiorum regeneratorum collocaverit.

Ioh. 6. 37. *Quicquid dat mihi Pater, veniet ad me, &, eum, qui ad me venit, non ejiciam foras.* Hierem. 14. 7. *Quandoquidem iniquitates nostræ levantur contra nos, Domine fac propter nomen tuum, quoniam multæ sunt aversiones nostræ.* & 32. 39. *Dabo eis cor unum & viam unam, ut timeant me universis diebus.* Phil. 1. 6. *Qui cæpit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Iesu.* Quod si ita non pergeret Deus etiam reclinantes & refugientes prosequi, nulla vocatio redderetur efficax, nulla emergeret filialis adoptio, ipsaque in Dei beneplacito fundata electio frustraretur.

Augustin. de Persev. *Post casum hominis non nisi ad gratiam suam Deus voluit pertinere, ut homo accedat ad eum, neque nisi ad gratiam suam voluit pertinere, ut homo non recedat ab eo.*

VII.

Non electos in hisce præcedaneis ad regenerationem actibus, divino Spiritui, gratiæque resistentes, ejusdemque initialia effecta in se ipsis liberi sui arbitrij vitio exstinguentes, Deus, quandocunque ipsi visum fuerit, juste derelinquit: quos sua culpa derelictos, eodem demerito manere induratos, & inconversos vere pronunciamus.

Putamus extra omnem dubitationis aleam positum esse, neminem mortalium ita se gerere erga Deum, quin mereatur gratię collatæ subductionem, vel omittendo aliquid, quod facere debuit, vel faciendo, quod non debuit: quo posito, clarum est, Deum sine ulla injustitia, aut crudelitate posse talibus hominibus gratiam oblatam subtrahere, eosque sui cordis duritiæ relinquere Rom. 9. 18. *Cuius vult miseretur, & quem vult indurat.*

Deus etiam hoc nemini debet, ut illum gratię suæ illuminanti, & excitanti resistentē, proprijsque cupiditatibus inservientem emolliat per illam specialem gratiam, cur nullum cor durum resistit. Rom. 11. 35. *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Porro, qui hunc in modum derelinquitur, sua culpa inconversus perit. Ioan. v. 34. 40. *Dico vobis ut servemini, & non vultis venire ad me, ut vitam habeatis.* Actor. 28. 27. *Incrassatum est cor populi huius &c. ne convertantur, & sanem eos.*

De Conversione, qua denotat immediatum opus Dei hominem regenerantis.

I.

Deus animos electorum suorum prædictis gratiæ suæ actibus excitatos, & præparatos intima quadam, & mirabili operatione regenerat, & quasi de novo creat, infundendo Spiritum vivificantem, & omnes animæ facultates novis qualitatibus imbuendo.

Per regenerationem hic intelligimus, non quemvis actum Spiritus Sancti ad regenerationem prævium vel tendentem, sed illum actum, quo posito statim recte affirmetur, Hic homo jam natus est ex Deo.

Hæc

Hæc Spiritualis nativitas præsupponit animum excitatum per Spiritum, organo verbi divini utentem. Vnde & renati dicimur ex incorrupto semine verbi 1. Pet. 1. 23. Quod observandum est, ne quis Enthusiasticam regenerationem desidiosus expectet, absque ulla aut Dei, aut verbi, aut sui actione prævia.

Porro statuimus, Spiritum regenerantem in intima animæ penetralia illabi, & refingere ipsum animum, ejusdem vitiosas inclinationes sanando, acindendo illi vires, & principium formale ad actus spirituales & salutiferos eliciendos. Eph. 2. 10. *Ipsius sumus ποίημα, creati in Christo Iesu ad opera bona.* Ezech. 36. 26. *Auferam cor lapideum, & dabo vobis carneum.* Ab hoc Dei opere promanant vires ad actus spirituales & salutiferos exerendos.

Ad opus credendi, 1. Ioh. 5. 1. *Quisquis credit, ex Deo natus est.* Ad opus diligendi, 1. Ioh. 4. 7. *Quisquis diligit, ex Deo natus est.* Ad omnia denique pietatis opera, Ioh. 15. *Sine me nihil potestis facere.*

Prosper dicit, gratiam ipsam esse bonorum in nobis creatricem. Scholæ Doctores hanc tam claram veritatem non diffitentur. De liber. Arbitr.

Thom. Aquin. hanc gratiam, qua de loquimur, asserit, dare quoddam esse spirituale ipsi animæ, esse quandam supernaturalem participationem divinæ naturæ, habere se ad animum, sicut sanitatem ad corpus. Quæst. disput. de virt. Artic. 20.

II.

Ad hoc ipsum opus regenerationis habet se homo passive, neque est in voluntate potestatis humanæ impedire Deum sic immediate regenerantem.

Ioh. 1. 13. *Non ex sanguine, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo geniti sunt.* Nam si in creatione naturali verum sit, Deus fecit nos, & non ipsi nos, in recreatione etiam spirituali idem valebit multo magis. Ierem. 13. 23. Si mutare non potest Æthiops pellem suam, tum nec homo peccato maculatus corrigere intam naturę suæ vitiositatem. In voluntate scil: lapsa est potentia passiva ad esse hoc supernaturale extrinsecus adveniens recipiendum, non autem activa ad idem vel per se, vel cum alio producendum, Ierem. 17. 14. *Sana me Domine, & sanabor &c.*

In vivificandis hominibus Deus nullum initium humanæ voluntatis exspectat, sed ipsam voluntatem bonam faciendo vivificat. Epist. Synod Episcoporum Afric.

Quid agit liberum arbitrium? Breviter respondeo, Salvatur. Opus hoc sine duobus effici non potest, uno, à quo fit, altero, in quo fit. Deus author est salutis, liberum arbitrium tantum capax. Bernard. de lib. arbitr. & gratia.

Creatio in Christo in libertatem voluntatis facta est, & sine nobis si in libertatem, tum non ex libertate. Si sine nobis, tum penes nos non est hoc Dei opus impedire. Bernard. ibid.

Deo volenti salvum facere, nullum hominis resistit arbitrium. Aug. de corrept. & gratia cap. 14.

De Conversione, qua denotat actionem hominis per fidem & pœnitentiam salutiferam se ad Deum convertentis.

THES. I.

Prædictam conversionem sequitur hæc nostra conversio actualis, Deo proliciente ipsum actum credendi & convertendi ex mutata voluntate, quæ acta à Deo agit & ipsa, convertendo se ad Deum, & credendo, hoc est, actum suum vitialem simul eliciendo.

Ordine temporis vix distingui possunt opus Dei covertentis hominem, & actio hominis se convertentis ad Deum: ordine tamen causalitatis, divinum opus præcedat, nostra operatio sequatur, est necesse. Mala arbor fructus malos sua natura proferens, prius

prius in bonam ipsa mutetur opus habet, quam fructum ullum bonum proferat. Hominis autem nondum regeniti voluntas non modo mala est arbor, sed & mortua. Fructum vero bonum si proferat, non id facit, ut corrigatur, aut sua cooperatione vivificetur, sed quia mutata & vivificata est.

Ad simplic. lib. 1. quæst. 2. Scite August: *Non ideo bene currit rota, ut rotunda sit, sed quia rotunda est. Sic & nos dicimus, non ideo bene currit voluntas ut regenerata sit, sed quia iam regenerata est.*

De sac. Fidei In eandem sententiam Hugo de S^to^. Victore. *Gratia reparatrix bonam voluntatem aspirat, ut sit, deinde bonæ voluntati inspirat, ut moveatur. primum operatur eam, deinde per eam.*

Secundo dicimus, Deum non modo efficere habitualem illam mutationem, qua homo novas spirituales vires acquirit ad credendum & convertendum, sed etiam mira quadam arcanæ operationis efficacia prolicere ex sanata voluntate ipsum actum credendi & convertendi. Sic passim loquitur Scriptura. Ioan. 6. 66. *Pater dat venire ad filium*, id est, credere. Phil. 1. 29. *Vobis donatum est credere ipsum* τὸ πιστεύειν, 2. Tim. 2. 26. *Deus dat pœnitentiam*. Quod si, vires quasdam infundendo daret Deus tantum posse credere, posse convertere, ac ipsum interim actum committeret libero hominum arbitrio, certe quod primus parens fecit, faceremus omnes; libero arbitrio à Deo deficeremus, nec possibilitatem hanc in actum perduceremus. Hæc itaque eximia est illa specialis gratia Electis in Christo concessa, qua non modo possunt credere, si velint, sed & volunt cum possint. Phil. 2. 13. *Dat Deus nobis & velle, & perficere.*

Hanc contra Pelagianos gratiam operativam asseruerunt Catholici.

In Epist. Synod. Afric. Episcop. *Iubet Deus homini, ut velit: sed Dominus in homine operatur & velle: iubet ut faciat, sed operatur & facere.*

Aug. de gratia Epist. c. 14. *Omnis, qui didicit à Patre, non solum potest venire, sed venit: ubi iam & possibilitas profectus, & voluntatis affectus, & actionis effectus est.*

Idem. de Præd. sanct. *Operatur Deus fidem nostram, miro modo agens in cordibus nostris, ut credamus.*

Tandem & illud adjicimus, hanc Dei actionem in prolicienda fide non impedire, imo facere, ut ipsa voluntas simul agat, & actum suum eliciat. Ideoque actus credendi, utcunque à Deo immittatur, tamen, quia ab homine exercetur, ipsi homini tribuitur, Rom. 10. 10. *Corde creditur ad iustitiam.* & 2. Cor. 4. 13. *Credidi, propter quod locutus sum.* Idem de Persev. lib. 2 cap. 3. *Deus est* (inquit August.) *non qui credit omnia in omnibus, sed qui operatur omnia in omnibus. Certum est nos credere, cum credimus, sed Deus facit ut credamus. Nos operamur, sed Deus operatur in nobis operari.*

II.

Divina hæc actio non lædit voluntatis libertatem, sed roborat: neque tamen extirpat radicitus vitiosam resistendi possibilitatem; sed efficaciter & suaviter dat homini firmam obediendi voluntatem.

Duo hic negamus, primum voluntatis hac in parte læsionem. Nempe sic Deus agit in natura, etiam ubi evehit, ac supra sphæram suam attollit eam, ut non evertat singularem rerum naturam, sed relinquit unicuique proprium modum motumque in actione producenda. Cum igitur per Spiritum gratiæ agit in voluntatibus humanis, facit eas suo nativo modo operari, id est, libere, & eo liberius, quo moventur à Spiritu efficacius. Ioan. 8. 36. *Si Filius vos liberaverit, vere liberi eritis.* 2. Cor. 3. 17. *Ubi Spiritus Domini, illic libertas.* Incredibile certe nobis videtur, Deum, qui nostras fecit voluntates, easque libertate donavit, non posse in eas, vel in eis tali modo operari, ut quamlibet bonam actionem per easdem, illæsa earum natura, hoc est libere, eliciat.

Aug. de corrept. & grat. cap. 14. *De ipsis hominum voluntatibus facit, quod vult, & quando vult, habens humanorum cordium, quo voluerit, inclinandorum, omnipotentissimam potestatem.*

Prosper de Voc. gent. lib. 2. cap. 26 *Hanc abundantiorem gratiam ita credimus potentem, ut negemus violentam.*

Alte-

Digitized by Google

Alterum, quod hic diffitemur, est eradicatio perversitatis. Quamvis enim Deus in ipso regenerationis opere adeo potenter in voluntatem agat, ut actualiter resistendi potentia proxima pro illo tempore suspendatur, remotam tamen &, (ut loquuntur) in actu primo positam resistendi potentiam ne tum quidem funditus extirpat, sed in sua amara radice delitescere permittit. Quamdiu scilicet animo humano inest radix illa corruptæ corrumpentisque concupiscentiæ, certum est, una inesse non modo possibilitatem, sed & pronitatem ad resistendum motibus Spiritus sancti. Galat. 5. 17. *Caro concupiscit adversus Spiritum.* Sed hæc resistibilitas, propter efficacissimam & suavissimam motionem gratiæ, nequit in actum, secundum hic & nunc erumpere. Proverb. 21. 1. *Cor Regis* (quanto magis hominum minus liberorum) *in manu Domini, quocunq. voluerit, inclinabit illud.* Huic gratiæ resisti nequit; quia primum operatur velle, id est, non resistere; neque enim resistere ultra potest, cui velle resistere sublatum est, ut præclare Reverendus Sarisburiensis. De veritate gratiæ, pag. 20.

THESIS III.

Deus hominem conversum, & fidelem non ita semper movet ad bonos actus subsequentes, ut tollat ipsam voluntatem resistendi, sed quandoque permittit illum vitio suo deficere à ductu gratiæ, & in particularibus multis actibus concupiscentiæ suæ parere.

Oportet semper discrimen statuere inter illos actus principales, sine quibus salus electorum non constat (quales sunt, convertere se ad Deum, credere, perseverare) & particulares subsequentes actus, qui specialiter considerati, non sunt ad salutem absolute necessarij, ut hoc, aut illud peccatum vitare, tale, aut tale bonum opus non omittere; Ad illos enim eliciendos sic operatur gratia, ut det electis suo tempore & posse, & velle, & perficere: ad posteriores non deest quidem nobis per totum vitæ nostræ cursum motus & ductus Spiritus divini, ita tamen, ut gratiæ deesse possimus, imo ut nimis sæpe desimus, ac subinde concupiscentiis nostris libere turpiterque pareamus. Hinc illa Galat. 5. 16. *Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis.* Ephes. 4. 30. *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo obsignati estis in diem redemtionis.* Spiritum enim contristare dicuntur, qui ejus ductui resistunt, & servili quadam libertate concupiscentiis suis, contra gratiæ motum, & conscientiæ dictamen, indulgent.

THESES HETERODOXÆ,

Quas rejicimus.

THESIS I.

Voluntatem non esse capacem donorum spiritualium, adeoque nunquam fuisse dona spiritualia in hominis integri voluntate: nunquam à voluntate lapsi hominis fuisse separata: nunquam in regeneratione humanis voluntatibus talia dona infundi.

Sacra Scriptura, dum in corde ponit dona Dei spiritualia, eadem agnoscit in voluntate rectitudinem, Psalm. 32. 11. *Gloriamini omnes recti corde.* Munditiem, Matth. 5. 8. *Beati mundi corde.* Bonitatem, Luc. 8. 15. *Hi sunt, qui in corde bono & honesto verbum retinent.* Quod si quis hæc ad affectus retulerit, eosque extra voluntatem collocaverit, ille (quod nefas est) præclarissima gratiæ divinæ dona in irrationali animæ parte collocabit.

Quinetiam ipsa habitualis conversio voluntatis ad Deum Creatorem, & aversio ab inordinata libidine fornicandi cum creatura, procul dubio maximum erat donum. Hujus autem doni capacem fuisse voluntatem inde liquido constat, quod

cum tali rectitudine creata fuit. Nempe Deus ab initio hominem fecit rectum. Hanc esse amissam ex effectis nimium patet; cum jam ipsa hominis carnalis voluntas non possit non frui utendis, & uti fruendis: utpote in quam irruerit, & irruperit turma vitiosarum dispositionum. Porro cum voluntas hominis animalis mala dicatur ab innata quadam, & inhærente malitia, quæ in improbo etiam nihil agente habitualis est, vicissim agnoscenda est in voluntate renatorum donata quædam & infusa bonitas, quæ piis illorum actionibus præsupponitur. Hanc habitualem bonitatem passim celebrat Augustinus. *Præcedit bona voluntas hominis multa dona Dei, sed non omnia, quæ autem non præcedit ipsa, in eis est & ipsa.* Ne quis autem somniet, hanc voluntatis bonitatem non esse donum internum, facultati infusum, sed meram denominationem ab actu voluntatis ipsius petitam, vocat illam Prosper primam supremi agricolæ plantationem. Plantatio autem designat quiddam animæ insitum, non actum ex ea dimanantem.

Enchrid. cap.32.

De vocat. lib.1. cap. 6.

THESIS II.

Gratiam qua convertimur, esse lenem tantum, & moralem suasionem.

Non inficiatur in opere conversionis vel futuræ præparando, vel præteritæ confirmando, Deum adhibere comminationum, promissionum, aliarumque hortationum vim suasoriam, qua animos hominum subigat, alliciat, commoveatq; verum ad ipsam hujusce negotij catastrophen infallibiliter producendam potentius semper ac insuperabilius operatur, *pro magnitudine potentiæ, pro efficacitate roboris potentiæ suæ*, Ephes. 1. 18. Nec sufficit suasio contingenter tantum afficiens, & invitans. Nam

1. Suasio moralis movet tantum objective, & in virtute finis. Recte autem statuunt Philosophi, Qualis unusquisq; est, talem ei finem videri. Dum itaque homo carnalis est & nondum regenitus, bona supernaturalia ei repræsentata, non possunt ita afficere voluntatem, ut illorum desiderio prorsus incendatur ad credendum & convertendum: sed potenti operatione, omnem suasionem excellente, superanda, ac immutanda est voluntas, ut bonum oblatum efficaciter amplectatur.

2. Si morali tantum suasione homines ad Deum converterentur, tum hæc quæstio, Cur oblata æquali gratia, hic credat, ille non credat, per liberi arbitrij velle & nolle solveretur; nec ulla restaret hac in parte impervestigabilis sapientiæ, ac judicij Dei nostra admiratio. Atqui contra Pelagianos orthodoxa hæc sententia semper defensa est, Conversionem & fidem ex occulta Dei gratia esse, quæ datur aliis secundum misericordiam, aliis non datur secundum justitiam.

Aug. de Perseverant. lib. 1. cap.7.

3. Si mera morali suasione homines converterentur, qui hanc suadentem gratiam admiserit, posset vere dicere. Ego me discrevi: accepi enim gratiam lenem & suasoriam, quæ ad fidem & conversionem me quidem sollicitavit, sed æque etiam alios: illi, pro sua libertate, moralem hanc suasionem repulerunt: ideoque manent inconversi: Contra ego, pro mea libertate, eandem suasionem sum amplexus; ac ideo sum conversus. Vbi interim illud Pauli, *Quis te discernit? Quid habes, quod non accepisti?*

Fides & inchoata & perfecta donum Dei est: & hoc donum quibusdam dari, quibusdam non dari omnino non dubitet, qui non vult manifestissimis Sacris Literis repugnare.

August. de Præd. Sanctor. cap.9.

THESIS III.

Positis omnibus gratiæ operationibus, quibus Deus ad efficiendam hanc conversionem utitur, voluntatem hominis relinqui in æquilibrio, velitne credere, vel non credere, convertere se ad Deum, vel non convertere.

Contra.

1. Si

1. Si post omnes divinæ gratiæ operationes hominis voluntas in æquilibrio relinquatur, necessario sequetur, non Deum per gratiam, sed hominem per liberum arbitrium esse principalem causam autoremque ipsius creditionis, ac conversionis. Qui enim, omnibus gratiæ suæ viribus exertis, nil aliud valuit, quam voluntatem ad medium quendam æquilibrij statum attollere, is ad novam ab æquilibrio mutationem, hoc est, ad actum credendi concurrit, non principaliter, aut prædominanter, sed solummodo concomitanter, & contingenter, nempe, sub hac conditione, si voluntas ex æquilibrio se prius sua vi naturali dimoverit. Quod ergo minus est, voluntas accepit à Deo, nimirum, ut poneretur in indifferenti quadam medietate, ut crederet, vel non crederet; quod autem majus est, ipsumq; eventum specificat, sibi ex se præstitit voluntas ipsa, nempe ut actu crederet.

2. Item sequetur, non majorem à Deo gratiam exhibitam electis, quam non-electis; nec illos, quam hos, Deo majori gratitudinis debito obstringi; quandoquidem in utrisque divina manus nil aliud operata sit, quam voluntatis æquilibrium, quod in puncto consistit, nec latitudinis est capax.

3. Gratia convertens ea intentione datur, ut sit efficax, hominemq; permoveat, imo perducat ad ipsum fidei actum infrustrabiliter eliciendum: quo etsi aliquando forte pertingeret ex voluntatis in æquilibrio positæ libera propensione ad amplexandum & obsequendum gratię, tamen haud minus sæpe frustrabitur, ex voluntatis in eodem æquilibrio positæ libera sui determinatione ad repudiandam gratiam, eique resistendum: nempe, cum in æquilibrio semper supponatur contingentia prorsus æqualis ad utrumque.

Hæc gratia à nullo duro corde respuitur: ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur. August. de prædestin. Sanctor. cap. 8.

THESIS IV.

Hominem non posse plus boni facere, quam facit, nec plus mali omittere, quam omittit.

Falsa sunt hæc, & absona, sive de homine irregenito & animali intelligantur, sive etiam de renato & gratia sanctificante suffulto. Primum, quod ad hominis naturalis statum attinet, quamvis non possit insitam suam pravitatem exuere, aut peccati generaliter sumpti dominium excutere, potest tamen multos actus externos cohibere, in quibus frena laxat concupiscentiis suis. Vitiosa concupiscentia inclinat hominem impium ad omne malum, non tamen determinat, aut cogit illum ad hoc, vel illud malum, hic, & nunc, necessario patrandum; ut hanc cædem, hanc rapinam, hoc adulterium. Hoc etiam inde constat, quod homines improbissimi sua scelera aggrediuntur non sine prævia deliberatione, liberrimaq; mediorum dispositione; quodq; ad ipsum facinus jam accincti temperare sibi possunt, ex alterius reverentia, aut præsentaneo periculi metu. Denique frustra ex legibus humanis pœnæ sceleratis intentantur, si nemo ea, quæ admittit flagitia, omittere potuerit. Quod autem ad actus suo genere bonos attinet, certum est, ipsos irregenitos omittere sæpissime multas actiones morales externas, quas secundum operis substantiam potuerant præstare; ac ob voluntariam talium operum omissionem justissime condemnari. Matth. 25. 42. *Esurivi, & non dedistis mihi ad comedendum: Sitivi, & non dedistis potum,* &c. Deinde etiam de renatis ac vere sanctificatis idem est asserendum. nempe quamvis sint à peccati dominio liberati, Rom. 6. 14. & 18. Servi facti justitiæ; Rom. 8. 1. & non secundum carnem ambulent, sed secundum Spiritum; possunt tamen, idq; libere, extra rectum justitiæ tramitem gressus dimovere, etiam tum cum non transgrediuntur: itidemq; cum labuntur, potuerant gratiæ vi ac subsidio, per voluntatem liberam, hoc est, liberatam, concupiscentiis suis restitisse, vitasse illa carnis opera manifesta, quæ Gal. 5. 19. recensentur, fornicationem, immunditiem, iras, rixas, &c. Quis sanus dixerit Davidem non potuisse non perpetrare adulterium? & hoc patrato, non potuisse illi, cui summã injuriam intulerat, non etiam pessima & deliberata machinatione ipsam vitam eripere? Verum, ne longe exempla petantur,

 singulo-

singulorum piorum conscientias appellamus. Quis non quotidie Deum orans, *Dimitte nobis debita*, simul agnoscit, sibi per Dei gratiam in promptu fuisse bona præstare officia, quæ tamen omisit, item tentatiunculas superare, quibus tamen cessit? 1.Cor.10.13. *Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione exitum, ut possitis sustinere*.

Georgius Landavensis.
Ioannes Davenantius.
Samuel VVardus.
Thomas Goadus.
Gualterus Balcanquallus.

DE ARTICVLO TERTIO ET QVARTO

Distinctis propositionibus explicatis,

Iudicium Theologorum Palatinorum.

PROPOSITIO PRIMA.

In statu peccati nec *a* mens hominis intelligentia spirituali plane destituitur, nec *b* voluntas ejus caret facultate amplectendi bonum spirituale; quam citra infusionem sanctitatis alicujus ab intellectu & affectibus vivificatis excitata exercere potest: imo ipsam hominis conversionem sive regenerationem *c* bona quædam opera, ceu conditiones prærequisitæ antecedunt: agnitio peccati, & ex ea, offensi numinis dolor, humilitas, desiderium gratiæ, preces, propositum ac tentamen vitæ in melius commutandæ.

a *Coll. Hag. pag. 298. & seqq. Episcop. de perspic. Scriptur. thes. 2.3.7.*
b *Coll. Hag. pag. 298. 299. 302. 303.*
c *Coll. Hag. pag. 302. Grevinch. pag. 117. Episcop. disput. de pænitent. pag. 1.9.13. Ioh. Arnoldi adversus Tilen. pag. 397.*

Judicium.

De viribus hominis corrupti, qui ipsummet hominem testem aut judicem facit, næ ille judici cæco & quidem in propria causa judicium defert. Solus Deus hic idoneus testis ac judex est, qui alienus à προσωποληψία abditissimos etiam cordis humani recessus penetrat ac rimatur, Ierem.17.9.10. Is pronunciat in Verbo suo, quod homo, prout naturali conditione nascitur ex Adamo, sit iræ filius, Eph.2.3. & transgressor inde ab utero, Esai. 48.8. non semi-mortuus, sed totus, quantus quantus est, mortuus in peccatis suis, Eph.2.1.3. Col.2.13. nec ullis ad bonum spirituale viribus instructus, Rom.5.6. utpote cæcus mente, Eph.5.8. 1 Cor.2.14. pravus voluntate, Gen 6.5. & 8.21. affectibus rebellis, Tit.3.3. Rom.3.12. & seqq. Et in hac cæcitate, pravitate ac rebellione sua ita obfirmatus natura ac voluntate, ut non magis exuere vitiositatem & abjicere pravas inclinationes valeat, quam aut Æthiops potest mutare pellem suam, aut pardus maculas, Ier.13.23. vel etiam arbor mala bonos fructus ferre, Matth 7.18. Quæ omnia ejusmodi sunt, ut nullam sive intelligentiæ spiritualis lucem, sive boni spiritualis cupiditatem & ad illud inclinationem relinquat homini animali. Proinde nec bona opera ante conversionẽ ab eo proficisci aut exspectari queunt. Nam qualis arbor, tales ejus fructus, ut docet Servator noster Matth. 12.33. Certum quidem est, etiam non regenitos quædam honesta laude digna in rebus civilibus & moralibus præstare auxilio Dei, Exodi 31. vers. 2. & seqq. Rom. 2.14.

2.14. quæ tamen ex fide & bona conscientia non procedunt, & ipsorummet vitiis varie contaminantur. Certum item actus quosdam agnitionis peccati, doloris, contritionis &c. præcedere fidem & conversionem in homine regenerando, dum ministerio Legis & Euangelij præparatur ad accipiendam gratiam. At inter eos præter & contra veritatem Scripturæ ponuntur pleræque condiciones Remonstrantium tanquam præviæ conversioni: cum tamen eam aut consequantur ut fructus, aut inchoent ut salutaria ejus initia. Dolor siquidem offensi numinis, ut magis offensa Dei angatur peccator, quam pœnæ metu, est dolor secundum Deum; 2. Corinth. 7. 10. credentium proprius, qui ipsum benignissimum in Christo Patrem intuentes amplectentesque, peccatis suis offensum fuisse, serio & ex animo dolent. *Humilitas*, non hypocritica aut momentanea, qualis Achabi, 1. Reg. 21. sed sincera ac constans, fructus est regenerationis, quo Christo conformamur, Matth. 11. 29. *Desiderium gratiæ*, sive fames ac sitis justitiæ, fides est initialis, Matth. 5. 6. ejusque inchoatio quædam, Phil.1.6. & 2. 13. *Preces* à Spiritu sancto excitantur in cordibus: qui non modo à generali regenerationis apotelesmate Spiritus renovationis Tit. 3. 5. verum etiam à speciali hoc opere, *Spiritus precationis* denominatur, Zachar. 12. 10. Denique *propositum ac tentamen vitæ in melius commutandæ*, est ab inchoata conversione, sicut successus & constantia in eodem proposito est à continuatione ejus. Unde Antiochenos credentes jam hortatus fuit Barnabas, ut proposito cordis manerent in Domino, Actor. 11. 33. Quæ cum ita sint, thesi Remonstrantium, autoritate Scripturæ reprobata, hanc antithesin figimus:

Homo animalis mente cæcus est; pravus voluntate & rebellis affectibus: nec ante sui conversionem ullum opus vere bonum, ac Deo placens præstare potest.

PROPOSITIO SECUNDA.

Gratia Dei alia prima est, in lumine naturæ sive reliquiis imaginis Dei consistens: alia secunda, quæ est prædicatio Euangelij, ejusque efficacia. Et hanc gratiosa Dei dispensatione adipiscitur, quisquis prima illa digne utitur.

Armin. in Antiperkins. p. 218. 259. 260.
Ioh. Arnold. adv. Tilen. p. 154. & aliquot seqq. Item, p. 370. 380. 397.

Judicium.

Naturam gratiæ titulo ornare aut velo ejus palliare, Pelagianum est. Nam Pelagiani ne negare gratiam viderentur, nomen ejus transtulerunt ad naturam; quinimo gratiam in naturam transformarunt. Scriptura vero nihil bonorũ naturalium, ceu sunt, ratio, voluntas, liberum arbitrium, dignatur isto elogio. Euangelium quidem ejusq; prædicationem gratiam dici lubentes permittimus; cum sit ministerium Spiritus gratiæ 2. Cor. 3. ac salutis sermo: interim, si stylum Scripturæ attendamus, nec est prima illa gratia, quam in nostri conversione sive regeneratione nobis proponit; neque etiam secunda; sed ordinarium utriusque organum ac instrumentum: quo sensu potentia Dei ad salutem vocatur Rom. 1.16. Prima gratia in conversione peccatoris est, qua, vocatione Dei, quæ est κατ᾽ πρόθεσιν, traducitur ex statu peccati in statum gratiæ: renovatur mente, voluntate, affectibus, omnibusque viribus: non exteriore solum suasione; aut interiore illuminatione & sollicitatione, sed novarum qualitatum sive virium infusione: quæ infusio, synonymia Metaphorica, dicitur mortuorum vivificatio, resuscitatio, irregenitorum regeneratio; corruptorum nova creatio, Ephes. 2. 1. Iohan. 5. 21, 25. Cap. 3. 5. 7. 2. Cor. 5.17. Eph. 4. 24. Et hæc est gratia præveniens, qua actus nostros in conversione prævenit & antevertit misericors Deus, juxta illud: *Inventus sum ab ijs, qui me non*

 quære-

quærebant; manifestus factus sum iis, qui de me non interrogabant, Rom. 10. 20. Item, Gratia excitans, qua mortuos in offensis suis excitat, ac lethargo peccati oppressos expergefacit; ut est Ephes. 5. 14. *Excitare qui dormis, & resurge à mortuis, & illucescet tibi Christus.* Denique, Gratia operans, qua *Deus* ipsum *velle operatur in nobis secundum beneplacitum voluntatis suæ*, Philip. 2. 13. Ephes. 1. 11. Secunda vero gratia illa est, qua homo jam conversus sive regeneratus cõfirmatur à Deo & corroboratur ad profectum & perseverantiã; eodemq; intus excitante & cooperante bonæ voluntati, ipse quoque operatur Deo grata, sibi salutaria. Dicta de ea sunt, Ierem. 32. 40. *Indam timorem mei cordibus ipsorum, & non recedent à me.* 1. Cor. 1. 8. *Deus confirmabit nos in finem usque inculpatos*, Philip. 1. 6. *qui cœpit in vobis opus bonum, idem perficiet.* Et 2. 13. *à Deo est & velle & perficere.* Hæc gratia dici potest subsequens; quia primam immediate sequitur: cooperans item; quia voluntati conversæ cooperatur. Proinde in prima illa gratia homo se habet mere passive, ut subjectum patiens, & in se recipiens, substratus Spiritui S. regeneranti; non ut principium aut instrumentum agens, ei subordinatus. Cujus ratio est, quod mortuus sit in peccatis, viribus omnibus ad bonum, quæ actionum bonarum principia sunt, destitutus; prout loquitur Apostolus Rom. 6. 6. At in gratia secunda non passive tantum, sed etiam active se habet; ut qui actus à Spiritu S. agit ipse, & ei operanti cooperatur, non socia aut æquali virtute, sed pro accepto regenerationis modulo ac modo. Toto igitur cœlo aberrant Remonstrantes in constitutione ac descriptione utriusq; gratiæ; præter quam, si alia parata non est, aut obtingit homini peccatori, in nullo sufficiens aut efficax esse potest ad consequendam salutem. Aut, si sequatur salus, non utiq; proveniet à beneficio gratiæ, sed ab arbitrio naturæ. Est hoc crassum & apertum nimis interpolati Pelagianismi documentum. Accedit alterum in eo, quod recto usu luminis naturæ homo paret sibi & comparat lumen gratiæ, hoc est, agnitionem Euangelij; idque ex gratiosa quadam Dei dispensatione. Vnde vero didicerunt illam dispensationis rationem? Christus quidem docet Matth. 13. habenti datum iri, hoc est, rectè utenti. Glossa vero textui cõtraria est, qua habentes dicuntur, qui ductum rationis sequuntur in quærendo & colendo Deo. Ii sunt, qui fidem habent ex gratuita donatione ipsius secundum propositum electionis, eamq; lucere faciunt in fructibus bonorum operum ad Dei gloriam. Lumen naturæ quousq; procedat & provehat hominem docet Paulus Rom. 1. & 2. & exempla comprobant eorum, qui monstra virtutum habiti in gentibus. Sermo ille de cruce etiam sapientissimis stultitia est 1. Cor. 1. 23. Sapientia illa Dei latens in mysterio etiam ab acutissimis Philosophis non fuit comprehensa, quod ipsi quoq; animales essent, 1. Cor. 2. 7. 14. Actor. 17. 18, 32. Ratio vero dispensationis, quam commento nimis audaci definiunt ac præscribunt, nec in Veteri Testamento obtinuit inter gentes, quo tacitum ipsis fuit Euangelium ex imperio æterni Dei, Rom. 16. 25, 26. nec valet in Novo, cum eas ubique terrarum per prædicationem Euangelij adductas constet ad ejus notitiam. Fides enim ex auditu est: auditus autem per verbum, Rom. 10. 17. Delirium igitur est & excrementum Pelagiani cerebri, in quo tum Veteres, tum novi Pelagiani meritorum humanorum fundamentum ponunt. Quod nos horremus ac detestamur ex animo; eoque Thesi Pelagianæ antithesin Orthodoxam hanc opponimus.

Prima Dei gratia est, qua solus operatur in nobis conversionem: Secunda est, qua nobis conversis cooperatur, & fidem ac sanctitatem in nobis confirmat & auget: non nostro aliquo merito, sed gratuita sua bonitate.

Propositio Tertia.

Operatio gratiæ in prima conversione indifferens est & resistibilis, ut per eam possit homo converti vel non converti: nec sequatur ejus conversio, nisi libero assensu ad eam se determinet & converti velit.

Remonstr. in Coll. Hag. p. 236. & seqq. Epist. ad VVal. p. 67, 68. & seq. Ioh. Arnold. contra Til. p. 337. & advers. Bogermannum p. 263.

Iudicium.

Digitized by Goo

Iudicium.

Nihil dicemus de terminis gratiæ resistibilis & irresistibilis, quos ad populi applausum sibi, detestationem orthodoxis conciliandam, astuta novitate confinxerunt Remonstrantes, contra Scripturam, ipsam gratiam, & παιδείας Theologicæ τρόπον. Doctrinam ipsorum, quæ terminis hisce occulitur, indagabimus & protrahemus in lucem. Quod ut fiat commodius, internæ operationes gratiæ Euangelicæ in homine convertendo ante omnia distinguendæ veniunt. Huiusmodi vero tres facere solent pro triplicis subiecti condicione: Quorum prima posita est in illuminatione mentis ad agnitionem Evangelij: Altera consistit in pulsatione, excitatione ac vivificatione cordis & affectuum: Tertia autem circa voluntatem occupatur, qua flectitur ipsa atque inclinatur ad fidem Christi atque obsequium Evangelij. Illuminationem irresistibilem esse ipsimet fatentur Remonstrantes, quando virtute plane irresistibili scientiam hominibus ingenerari docent. De pulsatione cordis, & affectuum idem sentiunt. Sive enim velit, sive nolit homo, non potest non sentire pulsum divinum, eiusque sensu affici. Igitur de sola voluntate manet quæstio resistibilitatis: circa quam nullam omnino gratiam vere efficacem, eoque irresistibilem agnoscunt aut admittunt. Positis, inquiunt, omnibus operationibus gratiæ, quibus ad conversionem in nobis efficiendam Deus utitur, manet tamen ipsa conversio in nostra potestate libera, ut possimus non converti, id est, nosmet ipsos convertere, vel non convertere. Quæ vero sit operatio gratiæ in voluntate, id vero mussitare malunt, quam rotunde profiteri. Res tamen ipsa loquitur, nec omnino tacent Scripta ipsorum, quod operationem illam suasione morali, aut ei analoga quadam actione definiant. Quam solam si in convertenda voluntate adhiberet Deus, utique resistibilis esset illa gratia; imo conversio per eam impossibilis; quando suasio conversionis, rei est simpliciter impossibilis homini peccatori; Rom. 8. 7. *Sensus carnis inimicitia est adversus Deum: Legi enim Dei non subijcitur: nam ne potest quidem:* Et Matt. 7. 18. *Non potest mala arbor bonos fructus ferre*, plane sicut impossibile est æthiopi cutem, pardo maculas suas mutare, aut mortuo ad vitam se ipsum resuscitare. Scriptura vero, etsi moralem (quam vocant) suasionem non removet ab hoc negotio (qnid enim est totum ministerium reconciliationis, quam eiusmodi commendatio ac suasio? 2. Cor. 5. 18. 19. 20.) præcipuam tamen vim conversionis in ea minime collocat, verum in actione longe diviniore, quæ efficacia, nec creationi, nec resuscitationi mortuorum quicquam concedat. Est siquidem nova creatio hominis Psalm. 51. 12. 2. Cor. 5. 17. prima eius resuscitatio à morte peccati Ioh. 5. 25. Ephes. 2. 1. altera generatio, qua Deo gignitur, Ioh. 3. 3. 5. renovatio cordis omniumque virium Ezech. 36. vers. 26. Tit. 3. vers. 5. tractus Patris Ioh. 6. 44. & gratia illa, quæ nunquam est inanis 1. Cor. 15. 10. Et quid mirũ, cum Deus operetur conversionem supereminente illa magnitudine potentiæ suæ, & pro efficacitate roboris virium suarum, qua omnia sibi potest subjicere: prout graphice eam depingit Apostolus Ephes. 1. 19. Tam efficax, tam potens Dei operatio optimo maximo iure dici potest irresistibilis, si terminum barbarum nuper malis avibus excogitatum liceat aut iubeat usurpare. Et irresistibilis quidem est, tum ex parte gratiæ Dei, tum ex parte voluntatis. *Ex parte gratiæ;* quia efficax Dei operatio est in actu posita, cui nemo potest resistere, Rom. 9. 19. prout Christus de gratia sapientiæ Apostolis datæ dixit: cui omnes non poterunt resistere, Luc. 21. 15. Et Petrus de gratia gentibus data: Ego quis eram, qui possem Deum prohibere Actor. 11. 17. Quod dum negant Remonstrantes, evidente contradictione se implicant, gratiæ efficaciam simul ponentes & negantes, non minus absurde, quam si vocem auditam inaudibilem dicant. ut enim vox audita actum auditionis in aure ponit, inaudibile negat: ita gratia efficax actum efficaciæ in voluntate ponit, resistibile negat. *Ex parte voluntatis:* Nam subdita gratiæ efficaci iam non vult resistere: & quia non vult, necessario non vult, sicque resistere velle non potest salva sua libertate. Nam unumquodque dum est, necessarium est. Vnde Christus Ioh. 6. 37. *Quicquid dat mihi Pater, ad me venit.* Et August. de Corrept. & Grat. Cap. 14: *Deo volenti salvum facere, nullum hominum resistit arbitrium.* Sic enim velle &

nolle in volentis aut nolentis est potestate, ut divinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem. Quorsum vero gratia Dei resistibilis prædicatur? Nempe ut vires arbitrij humani contra gratiam Dei extollantur: neque est alia vera causa. Atque hoc est in infirmitate, in malitia gloriam quærere. Posse enim gratiæ Dei resistere, non est potentiæ, sed defectus; non virtutis, sed malitiæ: imo est hominem in Deum armare contumacia & superbia. Quasi omnipotentissimam Dei operationem impedire possit & eludere pulvis & cinis; & dum non impedit, habeat, quod glorietur in seipso, qui gratiam liberrime determinarit ad sui conversionem, efficacem reddiderit, seque ipsum eius auxilio converterit. Quod certe est gratiam homini reddere inutilem, ipsum vero in exitium misere præcipitare. Ex quo periculum Pelagiani huius dogmatis pij omnes intelligunt. Præcipua eius firmamenta convellere, maioris foret operæ. Evertisse hypotheses, quibus maxime nititur, id vero satis erit in præsentia. Vna est, quod posita gratia irresistibili elidatur indifferens ad utrumlibet oppositorum voluntatis libertas. Quasi vero in actu conversionis indifferentem relinquat voluntatem renovationis Spiritus, hoc est, nihil agat; aut dum reformandam se Spiritui permittat voluntas, vim aliquam coactivam ab eo patiatur. Ἀσύλλογα hæc sunt, ignota sanæ doctrinæ, quæ est secundum veritatem.

Altera, quod infusio gratiarum habitualium locum non habeat in voluntate. Quorsum ergo promissio illa Dei apud Ezech. 36. 26. *Dabo vobis cor novum, & spiritum novum.* Et apud Ierem. 31. 32. 33. *Indam legem meam inenti ipsorum & cordibus ipsorum inscribam.* Nunquamne igitur diligemus Dominum Deum nostrum ex toto corde, ex tota anima, ex tota cogitatione, ex omnibus viribus? Matth. 22. 37. 38. nec integer noster spiritus & anima & corpus sanctificabuntur & inculpate conservabuntur in adventum Domini nostri Iesu Christi, 1. Thess. 5. 23. Ne Pontificij quidem tam insulse delirant, nec tam crasse recoctum Pelagianismum Orbi Christiano reponere audent. Exploso igitur periculoso ac damnabili errore, thesi Remonstrantium hanc Antithesin opponimus:

> Operatio gratiæ in prima conversione tam efficax est in omnibus & singulis electis, ut non modo possint converti, sed etiam certo ac infallibiliter convertantur.

Propositio Quarta.

Nihilominus initium, progressus & complementum fidei & conversionis prædictæ gratiæ, ut causæ principaliori æquum est attribui: fidesque donum Dei potest appellari, quatenus homo absque illa gratia eam concipere non potuisset. Non autem est donum infusum, irresistibile, partum morte Christi, aut etiam in Novo Fœdere promissum.

Ioh. Alnold. advers. Tilen. p. 441. Et Remonstrantes passim scriptis editis & exhibitis.

Iudicium.

In productione fidei Scriptura non partitur operas inter gratiam Dei & voluntatem hominis, quasi ut causæ sociæ συνεργεία quadam ad eam concurrant; sed gratiæ eam in solidum vendicat, etiam κατ' ἀντίθεσιν Ephes. 2. 8. *Gratia servati estis per fidem: & hoc non ex vobis, Dei donum est.* 2. Cor. 3. 5. *Non sumus idonei per nos ipsos ad cogitandum quicquam velut ex nobis ipsis, sed quod idonei sumus,* id ex Deo est, Matth. 16. 17. *Caro & sanguis hæc tibi non revelavit, sed Pater meus, qui in cœlis est.* Quod usque adeo verum est, ut ne ministri quidem Euangelij, dispensatores variæ gratiæ Dei, venire queant in societatem divini huius operis: quando neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus 1. Corinth. 3. 7. Equidem si ita se res habet, ut Remonstrantes volunt, Gratia Dei non principalis, sed

Digitized by Google

ſed minus principalis cauſa fidei dicenda eſt, eiuſque in cauſando virtus infra voluntatem humanam longiſſime ſubſidit. Quid enim ad fidem, & converſionem homini confert? Solam utriuſque efficiendæ potentiam: actum non magis ponit aut ponere poteſt, quam congenitam voluntati libertatem auferre. Et quis potentiam illam deducit in actum, ut in his ſequatur fides & converſio, in illis non ſequatur? liberrima hominis voluntas, qua ſponte admittit oblatam ſibi gratiam, & efficacem reddit; quam pro eadem libertate ſua reſpuere, irritam & inefficacem reddere poterat. Si cauſa actu dignior eſt ea, quæ vltra potentiam non progreditur: efficacior item, quæ ex potentia in actum deducit, quam quæ deducitur; profecto inanes fuci & ſtrophæ verborum ſunt, quicquid de gratia fidem principaliter cauſante, nugantur Remonſtrantes.

Illud præterea attendendum venit, quo ſenſu fides Dei donum appelletur. Si Remonſtrantibus credimus, Dei donum eſt, quatenus hominibus eam offert Deus verbo Evangelij. Nam Evangelium præcipit fidem in Chriſtum, cognitione eius mentes illuminat, dilectione corda imbuit & accendit, ut poſſint ipſum recipere, modo velint. Quod autem aliqui recipiunt, aut volunt recipere, non magis Dei donum eſſe cenſent, quam quod alij reſpuunt: quando uterque actus ex voluntatibus, indifferenter ſe habentibus, pariter parique libertate elicitur & effluit. Contra Scriptura Fidem Dei donum vocat, & vocari docet, non tam quod offertur, quam quod confertur à Deo, hoc eſt, ſimul & ab ipſo datur & ab homine accipitur: prout natura ac ordo relatorum poſtulat. *Vobis*, inquit Servator Matth. 13. 11. *datum eſt noſſe myſteria regni cælorum*. Et Apoſtolus Philip. 1. 29. *Vobis datum eſt credere in Chriſtum*; nempe ab eo, qui efficit in vobis & velle & perficere, ut eſt Cap. 2. 13. Nec aliter loquitur Deus apud Ieremiam Cap. 32. 40. *Indam timorem mei* (qui eſt ex fide) *animis ipſorum*: apud Ezech. 36. 26. *Dabo eis cor novum & ſpiritum novum*. &c. Ex quibus dictis aliiſque ſimilibus, geminam doni huius qualitatem eruimus.

Vna eſt; quod ſit donum infuſum: quia inditur cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, quem Deus effudit in nos copioſe per Ieſum Chriſtum Servatorem noſtrum Tit. 3. 6.

Altera, quod etiam ſit donum irreſiſtibile, cum ij, quibus obtingit, certo credant in Chriſtum, nec ab eo recedant. Ioh. 6. 37. 68.

Negare vero idem donum Morte Chriſti partum eſſe, eſt negare Ieſum autorem & conſummatorem Fidei, prout eum nominat Apoſtolus Hebr. 12. 2. Factum nobis eſſe ſapientiam à Deo 1. Cor. 1. 30. aut Spiritum fidei nobis acquiſiviſſe 2. Cor. 4. 13. Gal. 3. 14.

Negare item, promiſſum eſſe Novi Fœderis, eſt obliterare atque inducere promiſſionem fœderalem; qua pollicetur Deus ſe legem ſuam inditurum mentibus noſtris, ut cognoſcamus ipſum à minimo uſque ad maximum Ierem. 31. 33. 34. Hæc vero qui faciunt, annon Deo affirmanti in os contradicunt negando, adeoque palam blaſphemant? Quamobrem falſitatis ac blaſphemiæ merito damnamus Theſin illam Remonſtrantium, hacque Antitheſi ſubvertimus:

> Gratia Dei ſola eſt cauſa fidei & converſionis: Fideſque Dei donum vocatur, quod Deus propter ſatisfactionem Filij, ſecundum Novi Fœderis promiſſionem, eam certo donet electis ſuis, effuſo in ipſos Spiritu Sancto.

PROPOSITIO QVINTA.

Vocatio efficax ad fidem, non fluit ex electione ad ſalutem, nec eius fructus eſt.

Remonſt. theſib. & declar. exhibitis.

Iudicium.

Quemadmodum cætera bona ac beneficia ſalvifica ex fonte Electionis procedunt; ita hoc etiam beneficium. Rom. 8. 29. 30. in aurea illa ſalutis catena vocatione

tione ex præcognitione ac prædestinatione deducitur. Cap. 9. 23. quos dicit Apostolus vasa misericordiæ præparata ad gloriam, eosdem etiam vocari docet, vers. 24. Nec alia causa est, cur vocatio κατὰ πρόθεσιν, κατ' ἰδίαν πρόθεσιν appelletur, Rom. 8. 28. 2. Tim. 1. 9. & cum ipsa Electione nexu immediato copuletur, 1. Cor. 1. 26. 27. 2. Pet. 1. 10. & alibi. Sit igitur hæc antithesis:

Vocatio efficax ad fidem fluit ex Electione ad salutem, eiusque est fructus.

SENTENTIA THEOLOGORVM HASSIACORVM,

De Gratia Dei, & Libero Arbitrio:

De quo argumento in Tertio & Quarto Remonstrantium Articulis agitur.

VT doctrina de Libero Arbitrio, & Gratia Dei, accurate & distincte pertractetur, ante omnia diligentissime distinguendum esse judicamus inter ipsam Liberi Arbitrij essentiam, eiusque ἰδιώδεις seu essentiales facultates, quæ sine totali Liberi Arbitrij subversione ab eo separari nequeunt, & inter vires & facultates eius accidentales, sine quibus Liberi Arbitrij essentia salva & integra consistere potest.

De Libero Arbitrio, secundum essentiam suam considerato.

THESIS.

Liberum Arbitrium, secundum naturam & essentiam suam consideratum, est animæ rationalis facultas, seu potentia, ἐκ προαιρέσεως, hoc est, deliberata electione, absque omni coactione, proprio & spontaneo motu volendi aut nolendi, quodcunque intellectus eligendum aut respuendum judicaverit. Hoc modo sumptum Liberum Arbitriũ, homini in quovis statu competit, nec vel in statu corruptionis, servitute & necessitate peccandi evertitur, nec in altera cœlesti futura vita, bene agendi necessitate & immutabilitate evertetur.

ANTITHESIS.

Execramur itaque Manichæorum & Stoicorum fatalem necessitatem, qua finxere ipsam etiam hominis voluntatem ad actus suos elicitos, qui sunt velle & nolle, necessitate quasi constringi & cogi. A quo errore Ecclesias Reformatas Orthodoxas alienas esse, certo nobis persuasum est, ita, ut magnam ijs injuriam fieri putemus, dum Manicheismi & Stoicismi à fratribus Remonstrantibus insimulantur.

De Libero Arbitrio, secundum vires suas accidentales considerato.

THESIS

Cæterum, si vires & facultates Liberi Arbitrij accidentales spectentur: utique longe alio modo se habet homo in statu peccati & miseriæ, ante omnem regenerationis gratiam, quam in statu gratiæ, in quem misericordis & omnipotentis Dei efficaci operatione gratiose transfertur.

De Libero Arbitrio in statu peccati.

Thesis I.

In statu peccati homo, quoad intellectum, prorsus destituitur luce cognitionis salutaris Dei, & rerum ad æternam vitam pertinentium, qua ipsum Deus in prima sui creatione collustraverat. Licet enim post lapsum in hominis intellectu non tantum lux sapientiæ naturalis, ad res huius vitæ intelligendas, verum etiam quædā veluti scintillulę cognitionis & notitię Dei Creatoris remanserint quas D. Apostolus Rom. 1. 19. 20. rerum creatarum visibiliū intuitu, aliquo modo exsuscitari, & in actum educi posse dicit: quo nomine etiam gentes, quibus verbum Dei annunciatum non fuit, inexcusabiles coram Deo fore pronunciat: Hæc tamen Dei notitia naturalis nequaquam vel in se, ad salutem æternam obtinendam sufficiens est, vel hominem paulatim ad maiorem gratiam, etiam salutarem, disponere, & gradatim ad æternam salutem perducere potest. Ita enim D. Apostolus 1. Cor. 2. 14. ait: *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei: sunt enim ei stultitia, neque potest ea cognoscere.* Et 2. Cor. 3. 5. *Non sumus idonei ex nobis ipsis ad cogitandum quicquam* (scilicet boni spiritualis) *velut ex nobis ipsis.* Hinc intellectus hominis obscuratus dicitur tenebris, propter ignorantiam, quæ in ipso est. Ephes. 4. 18. Et cor hominis insipiens, obtenebratum vocatur Rom. 1. 21. Quin & homo corruptus & nondum illuminatus dicitur ipsæ tenebræ Ioan. 1. 5. Eph. 5. 8.

Thesis II.

Quoad voluntatem, homo in statu corruptionis ita depravatus & corruptus est, ut quamvis bona huius vitæ desiderare, actionesque moraliter & civiliter bonas velle & efficere, adeoque disciplinam externam præstare queat, nihilominus tamen iustitia & sanctitate, quam Deus voluntati concreaverat, & omnibus viribus & facultatibus naturalibus ad bonum spirituale ac cœleste, quibus Deus eam in prima creatione instruxerat, prorsus destituatur, ita ut bonum salutare spirituale & cœleste nec velit & efficiat, nec possit velle & efficere. Omnis boni affectio voluntati corruptæ adimitur Rom. 3. 10. 11. 12. Psalm. 14. 3. & 53. 3. *Non est iustus, ne unus quidem, non est qui intelligat, non est qui exquirat Deum, omnes deflexerunt, simul inutiles facti sunt; non est, qui faciat quod quod bonum est, ne unus quidem.*

Δύναμις seu potentia volendi & efficiendi bonum salutare, corruptæ voluntati denegatur Ierem. 13. 23. *An mutare potest æthiops cutem suam, aut pardus liventes maculas suas? Etiam vos potestis benefacere, qui edocti estis malefacere.* Matth. 12. 24. *Progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali.* Rom. 8. 7. *Id quod sapit caro, inimicitia est adversus Deum, & legi Dei non subijcitur: Nam ne potest quidem.*

Thesis III.

Quoad cor, homo in statu corruptionis ita depravatus est, ut omnes cordis affectus & desideria tantummodo prava sint omni tempore. Genes. 6. 5. & 8. 21. *Omne figmentum & omnis cogitatio cordis tantummodo malum est omni tempore.* Marc. 7. 21. *Ex corde hominum procedunt malæ cogitationes, adulteria, furta, iniuriæ,* &c. pertinent huc illa Scripturæ dicta, quæ pravæ concupiscentiæ meminerunt. Ephes. 4. 22. Rom. 6. 12. Gal. 5. 16. 17. &c.

Thesis IV.

Proinde, quicquid homo in statu peccati, ante regenerationis gratiam, vel mente cogitat, vel voluntate eligit, vel corde appetit & desiderat, utut forsitan, quoad substantiam actus, moraliter bonum sit; nihilominus tamen peccatis ita est contaminatum, ut, si ad exactissimam legis divinæ normam exigatur, revera peccatum potius, quam bonum, Deoque placens opus appellari mereatur. Genes. 6. 5. & 8. 21. *Omne figmentum,* &c. Matth. 7. 18. *Mala arbor non potest bonos fructus ferre.* Rom. 14. 23. *Quicquid non est ex fide, peccatum est.* Heb. 11. 6. *Sine fide impossibile est placere Deo.*

ANTI-

ANTITHESES

Reijcimus itaque, ut heterodoxa, ſequentia.

I. Hominem in hoc corruptionis ſtatu, ante illuminationis gratiam, licet doctrinam in Evangelio revelatam ſuopte ingenio excogitare, & modum liberationis generis humani, in Evangelio patefactum, invenire haud potuerit, facillime tamen poſſe doctrinam illam, ſi ei reveletur, & proponatur, intelligere, adeoque ſenſum omnium eorum, quæ ſcitu, creditu, factu neceſſaria ſunt, ex ſeſe, ſine lumine ſupernaturali capere.

II. Luminis naturalis, quod in hominis intellectu poſt lapſum remanſit, recto & bono uſu, qui homini corrupto poſſibilis ſit, hominem conſequi poſſe lumen ſupernaturale, & gratiam etiam ſalutarem. Id quod ex ſententia Arminij aſſerit & defendere conatur Ioh. Arnold. contra Tilen. pag. 153. 154. 155. 156. 157. &c. vel, cognitione Dei naturali peccatorem ad uberiores divinæ gratiæ opes recipiendas aptiorem reddi, ut Remonſtr. in exhib. declar. articul. 3. & 4. loquuntur.

III. In voluntate hominis nunquam fuiſſe dona ſpiritualia & ſupernaturalia, ac proinde non potuiſſe ea, in morte ſpirituali ab ea ſeparari; Quod fratres Remonſtrantes in Coll. Hag. expreſſis verbis aſſeruerunt, ut videre eſt in Coll. Bertij pag. 279.

IV. Voluntatem hominis, etſi in ſtatu corruptionis, ante regenerationem, vires ſuas bene agendi reipſa exerere non poſſit, propter tenebras intellectus & depravationem affectuum, retinuiſſe tamen eas in ſeſe, ut, ſublatis impedimentis iſtis, in actum exire, hoc eſt, bonum velle & eligere poſſit. Quæ Remonſtrantium ſententia non obſcure colligitur ex Coll. Hag. loco proxime citato.

V. Hominem in ſtatu peccati poſſe facere, & vero etiam ſæpenumero facere eiuſmodi opera, quæ, ſi ad rectam rationem, & ad legem, quæ cordi hominis corrupti natura inſita eſt & manet, examinentur, non ſolum peccata non ſint, ſed etiam maiorem & ulteriorem Dei gratiam mereantur, quod Remonſtrantes in Declaratione ſententiæ ſuæ circa 3 & 4 articulum innuunt.

VI. Hominem in ſtatu peccati, ante fidem & Spiritum renovationis, habere poſſe, & vero etiam ſæpenumero habere zelum, curam, & ſtudium, quod ad obtinendam ſalutem adhibeat; & verbum Dei audire, de peccato commiſſo dolere, gratiam ſalutarem & Spiritum renovationis expetere poſſe: idque, ad obtinendam fidem, & Spiritum renovationis, homini utiliſſimum, & quam maxime neceſſarium eſſe, ut Remonſtr. in Theſ. exhib. circa 3 & 4 artic. theſi 3. expreſſe docent: Item, Hominem in ſtatu peccati, ante ſui vivificationem ſeu regenerationem, habere agnitionem mortis ſuæ (ſcilicet Spiritualis,) eius dolorem & deplorationem, deſiderium & votum liberationis, famem & ſitim vitæ, item peccatorum confeſſionem, dolorem, initialem timorem &c. ut in Coll. Hag. pag. 283. fratres Remonſtrantes: Et in ſcripto adverſ. Tilen. Ioh. Arnoldi pag. 397. loquuntur.

De homine in ſtatu Gratiæ, ubi ſimul De Gratia Dei.

THESIS I.

Etſi vero Deus juſtiſſime totum genus humanum in ſtatu peccati & miſeriæ relinquere, æternumque propter peccatum damnare poterat, placuit tamen ineffabili bonitati & miſericordiæ ipſius, è genere humano lapſo, quoſdam, quos pro benevolo affectu voluntatis ſuæ in æterno & immutabili ſuo conſilio, in laudem glorioſæ ſuæ gratiæ, ad vitam æternam elegerat, efficaciter è ſtatu miſeriæ liberare, & in ſtatum gratiæ transferre.

THESIS

Digitized by Google

THESIS II.

[Quapropter Deus, cum illi è reliqua hominum turba evocandi & segregandi sint, non solum externe omnibus promiscue, reprobis pariter & electis, verbũ suum annunciandum curat, & in eo voluntatem suam patefacit (quæ gratia dicitur externa, reprobis & electis communis) verum etiam per illud ipsum verbum, ut ordinarium medium & instrumentum, in quibus, & quando, & quatenus ipsi visum est, intus, Spiritus sui sancti gratia, intellectum, discussis ignorantiæ tenebris, novo cognitionis sui & rerum spiritualium ac cœlestium lumine illustrat, (quæ gratia dicitur interna, reprobis & electis communis) insuperque peculiari & singulari Spiritus *ἰσχυρᾶς* gratia, electorum voluntatem, sua naturali pravitate à Deo plane aversam, ad res spirituales, & cœlestes eligendas & volendas, novis viribus & facultatibus supernaturalibus instruit, eamque ad sui obsequium, hoc est, ad conversionem & fidem in Christum, flectit & inclinat: Et denique etiam corda, omnesque affectus ipsorum sanctificat, & bona desideria eis inspirat: quæ gratia Dei vocatur interna efficax prima. Ab Augustino dicitur præveniens & operans.

De illuminatione intellectus egregius est locus Ephes. 1. vers. 16. 17. 18. *Non cesso gratias agere pro vobis, mentionem vestri faciens in precibus meis, ut Deus Domini nostri Iesu Christi, pater ille gloriæ, det vobis Spiritum sapientiæ & revelationis per cognitionem ipsius: Illuminatos oculos mentis vestræ, ut sciatis; quæ sit spes illuminationis ipsius.* Luc. 24. 45. legimus, Christum *aperuisse mentem Discipulorum suorum, ut intelligerent Scripturas.* Atque huc etiam pertinet illud Christi, Matth. 13. 11. *Vobis datum est nosse mysteria regni cælorum: illis autem non est datum.* Vide etiam 1. Ioan. 5. 20.

De voluntatis immutatione, novarum & supernaturalium virium ac facultatum in ipsam infusione, ejusdemque ad bonum spirituale ac cæleste eligendum ac volendum, potenti & efficaci inclinatione; insignis locus est Phil. 2. 13. *Deus est, qui operatur in vobis velle.*

De cordis & affectuum sanctificatione itidem Scriptura clarissime testatur Psalm. 51. 12. *Cor mundum crea mihi Deus, & spiritum firmum renova in visceribus meis.* Ezech. 11. 9. Et 36. 36. *Auferam cor lapideum, & dabo vobis cor carneum. Dabo leges meas in corda eorum, & in visceribus eorum scribam eas.*

THESIS III.

Non solum vero intellectus illuminatio, & cordis sanctificatio, sed ipsa quoque voluntatis immutatio, hoc est, qualitatum seu facultatum & virium supernaturalium in voluntatem infusio, ejusdemque ad conversionem & fidem efficax flexio & inclinatio, fit irresistibiliter. Vt maxime enim gratia Dei prima præveniente & operante non in totum voluntatis pravitas, & resistendi ac renitendi potentia naturalis penitus tollatur, (cum voluntatis regeneratio in hac vita imperfecta sit, ipsique etiam regenerati sæpenumero gratiæ Dei subsequenti seu cooperanti obluctentur), nequaquam tamen in primo salutaris conversionis momento ita voluntas humana Spiritui, regenerationem intendenti & operari volenti, resistit, ut gratiam ejus prævenientem & operantem, quam vocant, superet, seu penitus respuat, adeoque sui ad Deum conversionem impediat: sed potius prima illa gratia Dei efficax seu præveniens efficit, ut voluntas resistere non velit, sed ipsi necessario & inevitabiliter, libere tamen & absque omni coactione, spontaneo motu, assentiatur & obsequatur. Ita enim D. Apostolus Ephes. 1. 19. 20. dicit: *Esse supereminentem magnitudinem potentiæ Dei in nobis, qui credimus, pro efficacitate roboris virium ipsius, quod exeruit in Christo, cum suscitavit eum ex mortuis &c:* Et ad Phil. 2. 13. *Deus is est, qui efficit in vobis ipsum Velle.* Quo pertinent etiam illa Scripturæ dicta, quibus conversio hominis dicitur esse ablatio cordis lapidei, & datio cordis carnei, Ezech. 11. 9. Et 36. 36. Vivificatio, Eph. 2. 5. Nova creatio, Ephes. 2. 10. Et cap. 4. 24.

Operatio vero, qua cor lapideum aufertur, & cor carneum datur, mortui vivificantur, aliquid quod antea non erat, creatur, tantæ est potentiæ, virtutis, & efficaciæ, ut ei complete resisti, seu, quod idem est, ea superari, adeoq; prorsus impediri neutiquam possit.

Thesis IV.

Nec tamen propterea hominis voluntas instar stipitis & trunci in sui regeneratione se habet, vel etiam invita ad conversionem & fidem cogitur, (quod falso Ecclesiis reformatis à Pontificiis & Remonstrãtibus impingitur.) Præterquam enim, quod potentia passiva seu habilitas est in hominis voluntate, ad vires & facultates supernaturales, volendi bonum spirituale ac cœleste, si ei de novo infundantur, recipiendas; quæ habilitas in stipite aut trunco non reperitur: insuper etiam Deus voluntatem in sui regeneratione non violenter ad conversionem & fidem cogit, & invitam veluti rapit, sed naturæ voluntatis congruenter agit, non tantum patheticis invitationibus, exhortationibus, suasionibus, excellentissimis vitæ æternæ promissis eam alliciendo, & conversionem ac fidem moraliter suadendo, verum etiam supernaturalibus facultatibus & viribus, quibus obtemperare possit suasionibus istis, eam instruendo, & potentissima efficacissimaque sua operatione, ut reipsa obtemperet, immediate eam inclinando & flectendo, efficiendoque ista sua gratia præveniente & operante, ex nolente volentem; ita quidem, ut voluntas, licet ex se, suaque natura non nisi ad rejiciendam Dei gratiam apta nata sit, hac tamen prima Dei gratia efficaci immutata, & ex nolente volens facta, libere & spontaneo motu se ad Deum convertat, & in Christum credat.

Thesis V.

Atque hoc modo voluntas, prima Dei gratia præventa, efficaciterque ad conversionem & fidem à Deo flexa & inclinata, gratiæ Dei subsequenti (qua homo regeneratus in statu gratiæ confirmatur & dirigitur) συνεργεῖ seu cooperatur, adeoq; à Deo acta & mota, ipsa quoque in regenerationis suæ progressu & pietatis studio agit, & una cum gratia adjuvante ad ipsos fidei, caritatis, spei, aliarumq; virtutum actus efficienter concurrit. Testatur hoc Scriptura, quoties regeneratos jubet ut se renovent, mundent, in præceptis Dei ambulent, & salutem suam operentur, Ezechiel. 36. 27. *Faciam, ut ambuletis in praeceptis meis.* Philip. 2. 12. 13. *Cum timore ac tremore operamini salutem vestram. Deus enim is est, qui efficit in vobis ipsum velle, & ipsum perficere.*

Thesis VI.

Voluntas itaque hominis ad qualitates seu facultates & vires supernaturales, nec non ad inclinationes novas recipiendas, habet se mere passive, ita, ut actio Spiritus sancti supernaturales illas vires in voluntatem infundentis, eandemq; efficaciter & potenter ad conversionem & fidem flectentis & inclinantis, non à voluntate humana, ejusque cooperatione vel consensu pendeat: Ad ipsos vero fidei, caritatis, spei, &c. actus, motusq; bonos, non pure passive, sed passive & active se habet: cum Dei gratia præveniente acta & mota, ac subsequente adjuta, ipsa etiam agat, fideiq; caritatis, spei, aliarumq; virtutum actus producat. Atque hinc non Deus in nobis, seu per nos, sed nos gratia Dei credere, sperare, diligere dicimur.

Antitheses

Rejicimus itaque, partim ut ambigue dicta, partim vero ut heterodoxa, sequentia:

I. Dona naturæ; quæ etiam in gentibus, quibus Verbum Dei revelatum non fuit, locum habent, ut sunt, notitia Dei naturalis, & semina legis, cordibus hominum natura inscriptæ; vere esse & appellari posse gratiam Dei: Quomodo olim Pelagius, & ejus asseclæ, ne viderentur gratiam plane negare, ambiguitate vocabuli gratiæ luserunt. Quos secutus Ioh. Arnoldi, ex sententia Arminij, in scripto adversus Tilen. cap. 6. lumen naturale vocat gratiam Dei prævenientem, qua qui bene utuntur, ulteriore à Deo gratia, donentur.

II. Volun-

II. Voluntatem hominis in regeneratione à Spiritu sancto non renovari, novisque & supernaturalibus viribus & facultatibus instrui, sed regenerationem seu vivificationem locum tantum habere in intellectu, qui illuminetur,& affectibus,qui sanctificentur: Qua intellectus illuminatione & affectuum sanctificatione posita, voluntas, quæ propter tenebras intellectus & depravationem affectuum antea vires suas re ipsa exerere in homine peccatore non poterat, sublatis istis impedimentis jam potens reddatur ad insitam sibi facultatem bene volendi exerendam, ut in Coll. Hag. Fratres Remonstrantes pag. 277. 281. & alibi, passim loquuntur.

III. Nihil obstare, quo minus dicatur vel sola Dei suasio moralis homines animales reddere spirituales. Quo propendere videntur Remonstrantes in Coll. Hag. licet expresse illud profiteri ausi non fuerint: Grevinchovius vero totidem verbis asserere non dubitavit, Adverf. Ames. p. 297.

IV. Gratiam Conversionis, quæ intus homini à Deo confertur, & collata vires bene operandi in homine operatur, non ita instruere hominem novis viribus, quin semper maneat in hominis potestate, iis uti vel non uti: adeoque positis & præsentibus omnibus ad conversionem hominis requisitis gratiæ actionibus, semper tamen esse in hominis potestate seipsum convertere vel non convertere, & gratiæ Dei consentire, ut conversio sequatur, vel etiam ita resistere, ut cessare possit ab actione, adeoque consensus & conversio non subsequantur. Id quod Remonstr. in Coll. Hag. pag. 274. Et Ioan. Arnoldi adversus Tilenum pag. 127, 128. Et 337. asserere non verentur.

V. Voluntatem hominis in sui conversione, efficaci & potenti Dei operatione, ad actum conversionis & fidei non ita determinari, ut conversio & fides ipsius necessario sequatur, & non possit non sequi.

VI. Gratiam Dei sufficientem ad conversionem & fidem, omnibus & singulis, quibus Verbum Euangelij prædicatur, adeoque iis etiam, qui actu ipso non convertuntur & credunt, à Deo conferri: ut vero gratia illa, quæ æqualis esse potest, & sæpenumero etiam æqualis est, in quibusdam, qui actu convertuntur, efficax, in aliis vero, qui non convertuntur, inefficax sit, ejus rei causam non esse aliam, quam quod illi gratia illa sufficiente bene utuntur, eidemque obsequuntur, hi vero eam aspernantur & negligunt. Vide Thes. exhib. Remonstrantium circa III. & IV. Artic. Thesin 5. 6. Et Ioh. Arnold. contra Tilen. pag. 134. 135.

VII. Gratiam Dei (primam seu prævenientem) in homine non ita agere, quin agat etiam ipse cum gratia: adeoque homini commode tribui posse; quod se ipse discernat. Quod Remonstrantes in Coll. Hag. pag. 283. Et, Grevinch. adversi Amesium asserunt.

De Libero Hominis Arbitrio, & Modo,

Quo Gratia divina in homine fidem & conversionem operatur,

SENTENTIA HELVETIORUM.

I.

Homo ante lapsum integer fuit, liber ac bonus, ut intellectu suo, cum cæteras res omnes, tum creatoris sui præcepta rectissime nosse, voluntate sua bonum ab intellectu monstratum apprehendere,& affectus reliquos sibi, si vellet, subjectos habere posset. Per lapsum vero his omnibus excidit, & qualis à lapsu factus est ipse, tales ex ipso sunt posteri omnino omnes. Intellectus humanus Dei salutari cognitione orbatus; arbitrium sua ad bonum supernaturale apprehendendum libertate spoliatum; affectus reliqui, cum Dei lege & recta ratione conformitate, privati; deniq; omnia corrupta ac depravata sunt adeo, ut homo miser nihil salutaris vereq; boni cogitare vel velle, Deum non vere nosse, nec Deum aut proximum diligere, aut quicquam aliud, quod scitu, creditu, factu, speratu ad salutem est necessarium, viribus naturalibus capere aut efficere vel velit, vel possit.

II.

Profitemur ergo Fidem veram atque salvificam Dei donum esse mere gratuitum; quod electis suis secundum mensuram, & quando, & quantum vult ipse donat, infundit, auget, custodit. Hanc Fidem ordinarie effici credimus per Dei Verbum, extrinsecus quidem administratum atque auditum, intrinsecus vero per Spiritum S. mentem non tantum salutari cognitione illuminantem, verùm etiam voluntatem ita efficaciter renovantem & flectentem, ut assentiri vel non assentiri, credere vel non credere, converti vel non converti, hominis electi arbitrio acceptum ferri nequaquam possit.

III.

Hominem tamen neque ante conversionem, neque in conversione, vel saxum, truncum aut stipitem facimus: nec voluntati humanæ, etsi conversionis concausa non sit, neque ut causa, sed tanquam subjectum concurrat, actionem in universo omnem adimimus. Homini, inquam, etiam irregenito, non intellectum modo & voluntatem, sed opus legis quoque in cordibus omnium scriptum, conscientiam se accusantem vel excusantem, aliasq; imaginis divinæ collapsæ scintillas, & Dei notitiam aliquam sensumque tribuimus. Verum si vel hæc ipsa, vel his accepta majora homo in injustitia detinet, eum inexcusabilem fieri, & judicium sibi accersere gravius, ex Scripturis non ignoramus. Contra quoque, si donis his recte utitur; si miseriam suam vere agnoscit, & mortem spiritualem ita sentiscit, ut liberationem, vitamque, vere & salutariter esuriat sitiatque, si Domino pulsanti cor aperit, & corde aperto porro attendit; si facit alia id genus plura, quæ conversionem vel inchoando præcedunt, vel progrediendo constituunt, omnia hæc nec libero arbitrio, nec lumini naturali, neque viribus aut meritis humanis ullis, sed soli Deo, à quo bona donatio omnis, & donum perfectum omne supernè descendit, grati humillesque adscribimus.

IV.

Non hominis solum mentem in boni supernaturalis cognitione cœcam, imo tenebras ipsas esse, sed voluntatem quoque ad bonum quantumvis ab intellectu monstratum, mortuam, ad malum propensam & pravam esse asserimus, nisi & ipsa quoque à Spiritu sancto sanetur & vivificetur. Ideoque voluntatem humanam mandatis Euangelicis, moralibus exhortationibus, suasionibus, amplissimis summorum bonorum promissis; sive contra, dehortationibus & minis salutariter affici, aut efficaciter impelli, nisi Spiritus sanctus eam vel ordinarie vel extra-ordinarie gratiosa sua & efficaci operatione regeneret, plane negamus. Præterea, quandoquidem promissionibus aut comminationibus iisdem diversi afficiuntur diverse, Spiritum sanctum audientibus omnibus gratiam parem largiri haudquaquam agnoscimus. Est enim Euangelij vox aliis odor vitæ ad vitam, aliis odor mortis ad mortem.

V.

Voluntas humana in conversionis initio habet se mere passive; neque in censum causæ, quando de conversione est quæstio, ratione ulla admittitur. Vt enim nec intellectus suæ causa est illuminationis, neque vitiosi affectus causa sunt suæ correctionis, ita neque humana voluntas est causa suæ conversionis: & quantum Lazarus contulit ad suscitationem sui in vitam corporalem, tantundem contulit homo regenitus ad restitutionem sui in vitam spiritualem. Estque revera Deo tam proprium opus creationis secundæ, atque ipsi est proprium opus creationis primæ. Nisi asserere libeat arborem malam bonos posse proferre fructus; Æthiopem posse suam mutare pellem: tenebras

tenebras suapte seu propriis viribus transire in lucem; aut mortuis ab ipsa morte restitui vitam. Voluntatem enim hominis miserrimam, non solum languentem, sed mortuam prorsus, gratia Dei invenit; surgere nunquam volentem neque valentem, gratia Dei miserentis prævenit; quam erigit sola, eidem sola ad progrediendum vires infundit. Et hoc sensu suæ conversionis initium, progressum & finem mens vere pia Deo uni & soli in solidum tribuit.

VI.

Voluntas etiam nondum conversa tamen vult: sed quia est mala & prava, non vult nisi mala aut male. Voluntas à Deo conversa, atque ex mala facta jam bona, vult & bona & bene: sed Deus est, qui operatur utrumque. Hinc est quod hominem regeneratum, in electione & operatione boni, non passive tantum, sed active quoque sese habere omnino agnoscimus. Agitur enim à Deo, ut agat ipse quod agit. Voluntas mutata est prius per Spiritum S. & facultatibus ita instructa, ut bonum sponte revera velit & possit. Regenitus operatur; sed operatur in illo Deus, ut operetur. Post conversionem operatur & cooperatur voluntas hominis conversi, quæ potuit à solo Deo converti. Et revera sic est: fit à Deo quod volumus, qui solus efficit, ut velimus. Esse enim nos opus Dei, ad opera bona in Christo conditos, non conconditores ex Paulo didicimus.

VII.

Deo in suis fidem & regenerationem arcane & ineffabiliter, sed efficaciter & infallibiliter operanti quantum resistatur, novit optime omnium is, cui soli resistitur. De homine vel reprobo vel nondum regenito verissimum est, ipsum sermoni gratiæ & salutaribus monitis natura resistere, neque aliud quicquam quam resistere posse, nec unquam ea percipere, quæ sunt Spiritus Dei. Cæterum ad eos quod attinet, quos Deus pro benevolo suæ voluntatis affectu salvare, ac proinde convertere decrevit, hos ut solos Deus convertendo restituit, sic ex his nullus, operationem divinam impediendo, resistit. Equidem in omni homine regenito, quamdiu in carne mortali hac vivit, duo semper manent opposita: caro videlicet, seu homo vetus, Spiritus item, seu homo novus: unde carnis & Spiritus lucta perpetua, & quidem nonnunquam pugna ardua adeo, ut caro regenerationis progressum non raro sistat, spiritumq; tristitia afficiat gravi. Deo autem salvare volenti tandem humanum omne succumbit arbitrium, qui suos tam valide trahit, ut sponte, sua quisque hora, sequantur: non actum resistendi tantum, sed ipsam δύναμιν in iisdem debellat, tandemque tollit; voluntatem non violento impulsu, sed efficaci blandoque motu ex nolente volentem, ex prava ingenuam promptamque efficit. Ovem fugientem & reluctantem Pastor bonus ac potens vel in humeros ipsos attollit. Spiritus sanctus mentem voluntatemque sic renovat, ut corruptionem agnatam cognoscant, de ea ex corde doleant, membra terrestria sua crucifigi & mortificari subinde, operationemque Spiritus sancti magis & magis intendi exoptent.

VIII.

Quare resistendi malignitatem in homine electo cum ante, tum post conversionem omnino agnoscimus, ut tamen indubia sit certæ victoriæ gloria, nec Spiritui sancto desit debellandi jugis materia. Cor tollit lapideum, qui promisit cor carneum. Verum quamdiu in mortali domicilio hoc peregrinamur, cor lapideum atteri, non prorsus conteri, donec tandem electus per Christum de carne victoriam atque triumphum reportet, nolentes volentes sentimus.

IX.

Denique, quæ hominem invitant, ut Deum quærat atque glorificet; ea omni homini manifestari, Paulo docenti credimus. Attamen propterea dicere hominem omnem ad salutem vitamq; æternam vocari, aut media ad salutem necessaria sufficienter & efficaciter omni homini administrari, id vero non modo contrarium sacræ Scripturæ, verumetiam experientiæ ipsi asserimus. Deus enim, ut gentes ire viam suam olim permisit, sic in Fœdere novo ad populos plures Euangelij vocem non misit.

Iudicium.

NOMINE ORTHODOXARVM ECCLESIARVM Nassovio-Wetteravicarum,

DE

TERTIO ET QVARTO ARTICVLO,

De Gratia Dei & Conversione hominis:

Thesis de Libertate Voluntatis.

Sententia Remonstrantium.

Libertas voluntatis humanæ nihil est aliud, quam indeterminatio & indifferentia ad actus oppositos, quæ non potest consistere cum necessitate ad unum determinante: neque cum necessitate illa, quæ dicitur pendere à decreto Dei.

Sententia recepta & vera.

Voluntas hominis per essentiam suam semper manet libera, etiam quando ad unum determinatur. Neque hanc libertatem tollit necessitas ista, quæ pendet à decreto Dei.

Declaratio & confirmatio veræ sententiæ.

Deus in prima creatione omnibus rebus creatis peculiarem indidit naturam, cuius instituta non convellit. Sic voluntatem hominis ornavit libertate, ita ut non possit cogi. Hæc igitur proprietas à voluntate tolli non potest. Sic autem ista libertas est comparata, ut non pugnet cum omni necessitate & determinatione. Pugnat equidem cum determinatione violenta, sive cum necessitate coactionis: sed optime convenit cum necessitate immutabilitatis, infallibilitatis & dependentiæ. Nam Deus necessario odit peccata, Psalm. 5. 5. necessitate scilicet naturæ suæ, seu immutabilitatis: & eadem odit libere, id est, non coacte. Sic beati Spiritus in cœlis maiori libertate sunt præditi, quam nos in hac vita. Illi autem necessario tantum iusta & recta volunt: quia in gratia sunt confirmati. Et hæc est maxima voluntatis perfectio, ferri duntaxat in bonum. Deinde multa fiunt necessario ex hypothesi seu formula decreti Dei, quæ respectu voluntatis humanæ fiunt libere. Ita Iudæi crucifixerunt Christum necessario & libere. Necessario; quia Christum definito illo consilio & præstituto deditum acceperunt; & manibus sceleratis cruci affixum interemerunt, Actor. 2. 23. Libere; quia plena lubentia & deliberata seu interpretativa, ut loquuntur, voluntate, quæsiverunt Christum trucidare, uti testatur historia Evangelica.

Thesis

Digitized by Google

Thesis de Statu miseriæ, & dignitate hominis vocandi.

Sent. Remonstrantium.

Tametsi liberum arbitrium in hoc statu ad bonum spirituale est nullum: superest tamen notitia legis naturæ, rectæque rationis semen: ob cuius meliorem usum Deus quosdam homines præ alijs idoneos iudicat, quos ulteriore gratia donet. Idem iudicium est de gratiæ communioris meliore usu.

Sententia vera.

Liberum arbitrium in hoc statu nullum est ad bonum supernaturale. Ac tametsi in mente hominis reliquæ sunt notitiæ naturales, quas alij suffocant, alij recte collocant: rectus tamen illarum usus non movet Deum, ut quosdam homines præ aliis idoneos iudicet, quos ulteriore gratia, v. g. prædicatione Evangelij donet. Idem de gratiæ communioris meliore usu iudicium est.

Declaratio & confirmatio veræ sententiæ.

Cognitio Dei ut Creatoris petitur è libro Naturæ & Creaturæ: hoc est, oritur è dictamine conscientiæ, & hauritur ex operibus Dei, Rom. 1. Vtriusque usus; per se, est manuducere homines ad Deum cognoscendum & glorificandum, tanquam architectum & conservatorem mundi: per accidens, ut hominem reddat inexcusabilem. Quando igitur homo animalis hoc modo Deum cognoscit & glorificat, gravitatem æterni supplicij mitigat, non autem movet Deum, ut illum ulteriore gratia donet. Hoc enim est opus puræ putæ misericordiæ, quod Deus ex cive mundi facit civem Ecclesiæ, Deut. 7. 6. 7. Et vero Deus multos vocat in Ecclesiam, qui lumine naturæ abutuntur, multosque, qui illo recte utuntur, non vocat. Ad gratiæ communioris meliorem usum quod attinet, ne hic quidem potest movere Deum, ut gratiam ulteriorem donet: quia non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei, Rom. 9. 15. 16. Verum quidem est, Deum solere gratiarum suarum priorum rectum usum alijs & maioribus, & pluribus gratijs compensare, iuxta illud, Matth. 25. *Habenti dabitur*. Sed id non facit motus idoneitate aliqua hominis, quam ipsi conciliet rectus donorum usus: sed promisso suo gratuito impulsus.

Thesis de intentione Dei in hominis vocatione.

Sentent. Remonstrantium.

Deus hac intentione vocat homines per prædicationem Verbi, ut illi assentiantur vocationi, resipiscant, credant, & ad salutem adducantur: ideoque omnibus quos vocat, impertitur gratiam sufficientem.

Sententia vera.

Deus hac intentione vocat; electos, ut per prædicationem Verbi resipiscant, credant & salventur, utque ipsius misericordia in ipsorum glorificatione elucescat: hypocritas, ut ostendat se delectari conversione & salute; itemque, ut ipsi sint ἀναπολόγητοι, & eius iustitia in ipsorum damnatione elucescat. Luc. 8. 10. 2. Cor. 2. 16. Vnde colligitur, vocationem illam, qua hypocritæ vocantur, esse sufficientem partim ad conversionem, partim ad ἀναπολογίαν.

Declaratio & confirmatio veræ sententiæ.

Bonitas Dei scopum suum assequitur duobus modis in annunciatione Evangelij. Primo, si homines perducantur ad resipiscentiam & salutem, Rom. 1. 16. 17. Eph. 1. 6. & seqq. Et hæc est specialis illa Dei bonitas erga electos 2. Cor. 2. 16. Deinde, si non perducantur ad salutem. Tum enim elucet Dei bonitas in hoc, quod ille non sit autor interitus illorum. Esai. 5. 34. Et hæc est generalis illa χρηστότης τ͂ Θεοῦ erga hypocritas. Deus autem vocando reprobos, vult eorum conversionem & salutem serio, voluntate approbationis, non effectionis. Si enim hoc modo vellet, efficeret: quia beneplacitum Dei infallibiliter impletur. Consilium namque Dei stat, & voluntati eius nemo resistit Esai. 46. 10. Quæ ut plenius intelligantur, distinguendum est inter vocationem communem, & propriam. Vocatio communis est; quæ etiam ad hypocritas pertinet: estque vel prædicationis, vel illuminationis: Illo modo vocantur homines per Verbum & Sacramenta: Hoc modo docentur voluntatem Dei & viam salutis agnoscere, adeo quidem, ut doleant de peccatis, cum gaudio excipiant sermonem, credant, illuminentur, gustent donum cœleste, participes fiant Spiritus sancti, gustent virtutes futuri seculi. Luc. 8. 12. 13. 14. Hebr. 6. 4. 5. Vocatio propria pertinet ad solos electos; & dicitur gratia renovationis, qua per Spiritum Sanctum regenerantur voluntates & corda. Et hæc est nova illa creatio, de qua passim in Scriptura. Quod attinet ad vocationem communem, sive gratiam prædicationis & illuminationis, illa duobus modis est sufficiens: Ac primo quidem ad conversionem, non simpliciter, sed secundum quid, hoc est, in ordine causarum secundarum, seu mediorum; quatenus nulla alia conversionis media, sive sint externæ prædicationis, sive internæ illuminationis, præter illa requiruntur. Sed non est sufficiens ad conversionem simpliciter, hoc est, sine internæ motionis vel tractionis gratia: sine qua quenquam converti, & ad Christum venire, Scriptura pronunciat impossibile, Ioh. 6. 44. Matth. 7. 18. Deinde est sufficiens ad ἀναπολογίαν seu inexcusabilitatem. Esai. 5. 3. 4. ubi Dominus accusat ingratitudinem Iudæorum, ut omni eos excusatione carere doceat, quasi salutis viam & media non sufficienter eis revelaverit. Denique gratia renovationis, de qua Ioh. 3. 3. & 6. 44. sola est sufficiens ad conversionem simpliciter: quia sola est semper efficax. Si quæras, cur Deus hanc gratiam non impertiatur omnibus, quos externe vocat, dicam cum Christo: *Etiam, Pater, quia sic complacuit:* Et cum Apostolo, *Miseretur cuius vult:* & cum eodem, *ô altitudo!*

Thesis de Gratiæ divinæ actibus in hominis Conversione.

Sentent. Remonstrantium.

Spiritus Sanctus hunc ordinem in convertendo homine servat: Prædicatur Euangelium, exiguntur fidei & pietatis actus: per prædicationem Verbi & operationem Spiritus sancti vires supernaturales homini dantur ad eliciendos actus conversionis: concomitante porro Spiritu credit & bene agit homo: crebris fidei, spei & charitatis actibus comparat sibi habitus: quibus comparatis actus supernaturales cum facilitate eliciuntur à voluntate.

Sententia vera.

Spiritus Sanctus hunc ordinem in conversione hominis servat. Præit prædicatio Euangelij, qua Deus ab homine exigit fidem & bona opera. Hæc exigendo per prædicationem Verbi, operatione Spiritus interna, habitus fidei animis electorum infunditur. Quo habitu homo instructus, actum fidei elicit, adeoque agit actus à Spiritu sancto.

Declaratio

Digitized by

Declaratio & confirmatio veræ sententiæ.

Quando Deus per verbum, Spiritu suo animatum, agit in hominis electi intellectum & voluntatem, semen fidei iacit in agrum cordis, quod ibi arborescit, & fructum maturum edit. Matth. 13. 8. 23. Luc. 8. 15. Psalm. 1. 3. Hoc fidei semen est habitus ille supernaturalis, quem Deus infundit. Est, inquam, habitus, id est, qualitas nova & principium vitale, actusque primus; à quo fluunt bona opera tanquam actus secundi; Iacob. 2. 22. Vnde patet, aliam esse rationem fidei, habitus illius supernaturalis; aliam habituum moralium. Hi enim crebris actionibus comparantur: ille à Deo infunditur, ibique una Dei misericorditer simul & potenter influentis actio supplet vicem multarum actionum, quales requiruntur ad habitus morales producendos.

Thesis de modo Conversionis.

Sent. Remonstrantium.

In extraordinario Conversionis modo vix dixerimus, gratiæ & motioni Spiritus Sancti resisti posse. Ad ordinariam vero conversionem quod attinet; illa non efficitur gratia irresistibili; sed resistibili: adeo quidem; ut positis omnibus gratiæ operationibus, maneat tamen ista conversio in hominis potestate, ut se ipsum convertere, vel non convertere, Deoque & Spiritui eius regenerationem intendenti resistere possit. Cum vero voluntas se movet ad consensum, & vult se convertere, tum, & non prius, Deus cum ea concurrit. In quo concursu gratiæ & voluntatis duæ sunt causæ partiales conversionis, non quidem collaterales, sed tamen subordinatæ.

Sentent. verà.

Gratia, qua Spiritus Sanctus in homine efficit fidem (sive id faciat ordinarie sive extraordinarie) hæc, inquam, gratia est irresistibilis: adeo quidem, ut posita interna renovationis gratia (quæ non est suasio moralis, aut simplex & indifferens motio, sed efficax tractio & creatio nova) ut inquam, hac Dei gratia posita, homo qui convertitur, non velit resistere Spiritui Sancto, neque etiam possit, quatenus invicta Dei virtute vitiositas ipsius superatur. Quando igitur Deus hoc modo in hominem agit, voluntas hominis se habet mere passive; quippe quæ recipit influxum gratiæ, reformata à Spiritu Sancto. Proinde Deus est causa solitaria conversionis primæ. Ad conversionem secundam quod attinet, homo agit, sed actus à Spiritu Sancto. Ibi est gratia Dei præveniens & operans: hic gratia præveniens, subsequens & cooperans.

Declaratio & confirmatio veræ sententiæ.

Gratia prædicationis & illuminationis est resistibilis ex parte hominis non-regeniti, & regeniti. Ex parte non-regeniti, quantum ad eius pravitatem, gratia Dei est nimis, eheu! resistibilis. *Homo enim animalis non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei* 1. Cor. 2. 14. & *prudentia carnis legi Dei non subjicitur, & ne potest quidem* Rom. 8. 7. Deinde ex parte hominis regeniti eadem Dei gratia, ut & gratia renovationis, est resistibilis, quatenus caro concupiscit aduersus Spiritum, Gal. 5. 17. & lucta perpetua est inter partem regenitam & non-regenitam. Rom. 7. Sed ex parte Dei, quantum ad eius beneplacitum, gratia renovationis nullo modo est resistibilis. Deus enim trahit hominem, id est, ex nolente facit volentem, Ioh. 6. 44. circumcidit cor nostrum, Deuter. 36. dat cor, ut intelligamus; oculos, ut videamus; aures, ut audiamus, Deut. 29. 4. nos ex morte spirituali suscitat, Ioh. 5. 25. & nos cum Christo vivificat, Eph. 2. 5. Vnde colligere est, hominem in prima hac conver-

conversione se habere mere passive, nihilque ex se adferre, ne ipsum quidem τὸ velle regenerari. Sicut enim homo ad sui generationem nihil prorsus confert; ita nec ad sui regenerationem, quippe quæ est spiritualis generatio: estque hujuscemodi actio, qua Deus cor lapideum aufert, & carneum indit, Ezech. 11. & 36. Perperam igitur gratia Dei & voluntas hominis statuuntur causæ sociæ regenerationis: cum solus Deus nos regignat, & cor novum indat. Posteaquam autem Deus nobis indidit cor carneum, id est, principium internum bene agendi, spiritum scilicet regenerationis, tum convertimus nos ad Deum, incipimus vitare peccata, & bona præstare: ita tamen, ut ad singulas actiones bonas præveniat, comitetur, & subsequatur gratia. Deus quippe facit, ut ambulemus & pergamus ambulare in vijs i, sius. Ezech. 36. atque hæc est conversio secunda, in qua homo agit, sed actus à gratia. Tametsi autem homo hic non habeat se mere passive, utpote qui actus à Deo agit & ipse: bonitas tamen voluntatis & actionis non est à voluntate, sed à gratia, ita ut laus bonitatis soli Deo in solidum sit tribuenda, non autem inter gratiam Dei & voluntatem hominis dividenda. 1. Cor. 15. 10. Sed, inquis, homo se potest præparare & disponere ad primam conversionem, meditando Verbum Dei, dolendo de peccatis admissis, & expetendo gratiam Dei. Sed inquam ego, hæc omnia proficiscuntur à gratia illa communi prædicationis & illuminationis, non autem ab hominis voluntate, ut disputatum est supra ad Thesin, De Intentione Dei in hominis vocatione. Deinde quod attinet ad præcedanea illa regenerationis, sive sint externa, sive interna, uti est, dolor de peccato, desiderium gratiæ & similia, illa in hypocritis sunt non-salutaria, in electis salutaria, & proinde differunt specie. Cæterum, homo renatus, etsi iam vult & potest, gratia Dei illum comitante, mala fugere & bona prosequi: tamen quamdiu hic vivit, nec omnia mala fugere, nec omnia bona prosequendo perficere potest. Plus tamen mali potest omittere, quam omittit, & plus boni præstare, quam præstat, si principium vitale, quod ipsi Spiritus Sanctus indidit, spectetur. illud enim est velut viva radix; quæ nunquam emoritur.

Corollarium

De actione Dei circa peccata.

QVæ Deus in tempore agit circa peccatum, ea ab æterno circa illud agere decrevit.

Declaratio & demonstratio.

Efficientia Dei circa peccatum, concernit partim materiale, partim formale peccati, hoc est, actum ipsum & vitiositatem actus: idque tribus modis. Principio, si spectetur initium peccati, Deus illud vel impedit, vel permittit. In ista autem permissione triplex cernitur Dei operatio. Nam aut intellectum non illuminat, aut voluntatem & affectus non flectit, aut occasiones bonas & indifferentes objicit, quibus homines abutuntur. Deinde, si consideretur progressus peccati, Deus illud dirigit in optimum finem, & determinat, ne vagetur in infinitum. Denique si spectes finem & terminum peccati, Deus illud vel punit pro sua justitia, vel remittit pro sua misericordia. Hæc omnia ut Deus in tempore potenter, sapienter & libere circa peccati initium, progressum & finem facit: sic ab æterno hæc talia facere decrevit. Quid ergo? an peccata fiunt necessario? ita est sane; si nempe intelligas necessitatem illam, quæ pendet à gemina hypothesi, decreti scilicet permittentis, & finis boni. De priori necessitate legere est Actor. 2. 23. de posteriori Matth. 18. 7. & 1. Cor. 11. 19.

DE

DE III. ET IV. ARTICVLIS,

qui sunt

DE

Efficacitate Gratiæ, & Libero Arbitrio:

Suffragium & sententia Genevensium.

THESIS I.

Homo animalis, id est, non habens Spiritum Dei, nullam habet vel in intellectu, vel in voluntate facultatem, dispositionem, vel aptitudinem ad ea quæ sunt Regni Dei intelligenda, credenda, facienda, speranda: imo sicut mens ipsius meræ sunt tenebræ, ita voluntas est inimicitia adversus Deum, qua perpetuo resistit, neque unquam subjicitur Deo.

1. Cor. 2. 14. *Homo animalis non capit illa quæ sunt Spiritus Dei, quandoquidem sunt ipsi stultitia, nec potest nosse quia spiritualiter dijudicantur.*

Iudæ 19. *Isti sunt homines animales non habentes Spiritum.*

1. Cor. 12. 3. *Nemo potest dicere Iesum Dominum, nisi per Spiritum Sanctum.*

1. Cor. 2. 7. *Loquimur in mysterio occultam sapientiam Dei, quam Deus ante secula determinavit ad nostram gloriam, sapientiam non seculi huius, neque principum seculi huius, qui evanescunt, quam nemo principum huius seculi cognovit: nam si cognovissent, nequaquam Dominum gloriæ crucifixissent: sed, sicut scriptum est, quæ oculus non vidit, neque auris audivit, nec introierunt cor hominis, quæ paravit Deus iis qui ipsum diligunt, Nobis ea revelavit Deus per Spiritum suum: Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei; Quis enim novit ea quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui est in homine? Ita etiam quæ sunt Dei nemo novit, nisi Spiritus Dei. Nos vero non spiritum mundi accepimus, sed spiritum qui est à Deo, ut noscamus illa, quæ nobis data sunt à Deo: Quis novit mentem Domini? nos autem mentem Christi habemus.*

2. Cor. 3. 5. *Non apti sumus ex nobismetipsis ad cogitandum quicquam, sed omnis nostra ἱκανότης est à Deo.*

Matth. 16. 17. *Caro & sanguis hoc tibi non revelavit, sed Pater meus, qui est in cælis.*

Rom. 8. 7. *Φρόνημα carnis est inimicitia adversus Deum.*

Coloss. 1. 21. *Vos olim alienos & inimicos mente, in operibus malis, iam reconciliavit,* &c.

Ephes. 2. 12. *Eratis eo tempore sine Christo, alieni à fæderibus, sine spe, & sine Deo in mundo.*

THESIS II.

Salutaris sensus peccati, coniunctus cum siti remedij, bona spe, cordis emollitione, odio peccati, & perfugio ad Deum, sunt effecta latentia Spiritus Sancti, ad gratiam iustificationis & regenerationem, hominem paulatim comparantis & adducentis.

Ierem. 31. 18. *Audivi Ephraimum lugentem: Castigasti me & castigatus fui, sicut vitulus non edoctus: converte me & convertar, quia tu es Deus meus: Quia postquam conversus fuero, pænitebit me, & postquam eruditus fuero, percutiam femur meum, & pudore suffundar, & etiam confundar, quia tuli probrum pueritiæ meæ.*

Zach. 12. 10. *Effundam super domum Davidis & incolas Ierusalem, spiritum gratiæ & precum, & respicient me quem confixerint, & lugebunt ut de unigenito, & amaritudine afficientur ut de primogenito.*

Psalm.

Psalm. 27. 8. *Cor meum dicit ex te, Quærite faciem meam.*
Ioh. 16. 8. *Spiritus convincit mundum de peccato, de iustitia & de iudicio.*
Ioh. 6. 44. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui me misit, traxerit eum.*

Thesis III.

Cognitio & scientia illa rerum divinarum, residens in multorum non regenitorum mentibus, est effectus illius lucis undique in Ecclesia, in Verbo, in Ministerio circumfulgentis, qua editur quoddam veluti ἀπαύγασμα in ipsorum intellectu, ad levem aliquam & evanidam corticis scripturæ veritatem pervidendam, adjuncto etiam aliquo momentaneæ lætitiæ motu: assensus vero si quis est, est à Spiritus sancti generali quadam baptizatis collata interna gratia.

Hebr. 6. 4. *Impossibile est eos qui semel fuerunt illuminati, & gustarunt donum cæleste, & participes fuerunt Spiritus Sancti*, &c.

Ioh. 5. 35. *Iohannes erat lucerna ardens & lucens, & vos libenter ad momentum exultastis in eius luce.*

Ezechiel. 33. 31. *Populus iste venit ad te, sed & coram te, & audiunt verba tua, quæ in ore ipsorum sunt, veluti cantilenæ amatoria, sed cor ipsorum sectatur avaritiam suam: Tu es ipsis ut cantilena amatoria; venusta voce, & bene sonans, audiunt verbum tuum, sed non exequuntur.*

Matth. 13. 20. *Satum in petrosis, Ille est, qui audivit verbum, & statim cum gaudio recipit, sed non habet radicem in se, sed est temporarius.*

1. Cor. 14. 24. *Si omnes prophetent, ingrediatur autem infidelis quispiam aut idiota, arguitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus, & ita patefiunt occulta cordis eius, & ipse procidens in faciem adorabit Deum, renuncians vere Deum in vobis esse.*

Numer. 24. 3. 16. *Super Balaam fuit spiritus Dei, & dixit, sic dicit apertus oculo, qui audit verba Dei, qui videt visionem omnipotentis, qui novit scientiam altissimi, qui procidit humi, & habet oculos apertos.*

Ioh. 5. 38. *Non habetis verbum eius manens in vobis, quia non creditis, quod ipse me misit.*

Thesis IV.

At vero illa profunda, penitissima, radicata, vitalis, amica, suavis, permanens, efficax cordis scientia, certitudo, persuasio, qua fit verbum ἔμφυτον & fide contemperatum, est propria regenitorum & sola est salutaris.

2. Cor. 4. 6. *Deus qui dixit ut è tenebris lux splendesceret, is est qui splenduit in cordibus nostris ad prabendam lucem notitiæ gloriæ Dei in facie Iesu Christi.*

Ephes. 1. 17. *Det vobis Pater gloriæ Spiritum sapientiæ & revelationis per agnitionem ipsius, illuminatos oculos mentis vestræ, ad sciendum, quæ sit spes vocationis ipsius, & quæ divitiæ gloriæ hæreditatis ipsius in sanctis.*

2. Cor. 3. 18. *Nos autem omnes detecta facie gloriam Domini quasi in speculo intuentes, in eandem imaginem transformamur, de gloria in gloriam, sicut Domini spiritu.*

Col. 3. 10. *Induite novum hominem qui renovatur in cognitione ad imaginem illius, qui creavit ipsum.*

Iacob. 1. 21. *Recipite cum mansuetudine verbum insitum, quod potest servare animas vestras.*

Thesis V.

Illam certo semper sequitur, & efficacissima & suavissima simul eiusdem spiritus operatione, in cor impressio, inspiratio, influxio novarum proprietatum, inclinationum, motuum, & in summa, ipsum cor vivifi-

vivificatur vitæ novæ parte sua, qua ante conversionem plane destituebatur.

Rom. 12. 2. *Transformamini renovatione mentis vestræ, ut probetis quæ sit bona, accepta, & perfecta voluntas Dei.*

Ephes. 4. 23. *Edocti estis in Christo, deponere veterem hominem, qui concupiscentijs seductricibus corrumpitur, & renovari Spiritu mentis vestræ, & induere novum hominem, qui secundum Deum conditus est in iustitia & sanctitate veritatis.*

Psalm. 51. 12. *Cor mundum crea in me Deus, & Spiritum rectum innova in medio mei, Spiritus voluntarius sustentet me.*

Ierem. 31. 31. *Ecce dies veniunt, quibus pangam fœdus novum cum domo Israelis & domo Iuda, non secundum fœdus quod pepigi cum ipsorum Patribus, quo die eduxi ipsos è terra Aegypti, quod fœdus violaverunt, quamvis ego ipsorum essem Dominus. Nam hoc est fœdus, quod pangam cum domo Israelis post dies illos, inquit Dominus, Indam legem meam in medio eorum, & inscribam eam cordi eorum, & ero ipsis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum. Non docebit amplius vir proximum suum, vel fratrem suum, dicendo, Cognoscite Dominum, nam me omnes gentes cognoscent à minimo ipsorum ad maximum.*

Ierem. 32. 39. *Dabo ipsis cor unum, & viam unam, ut timeant me in æternum, ut bene sit ipsis & filijs ipsorum post ipsos, indam timorem meum in cor ipsorum, ut nunquam recedant à me.*

Psalm. 86. 11. *Domine, doce me vias tuas, & uni cor meum timori tuo.*

Ezech. 2. 19. & 36. 26. *Dabo ipsis cor unum, & indam ipsis Spiritum novum: auferam cor lapideum ex carne ipsorum, & dabo ipsis cor carneum: Et indam Spiritum meum in medio vestri, & faciam ut ambuletis in statutis meis, & observetis statuta mea, & ea exequamini.*

Ierem. 13. 9. *Cor est pravum super omnia & immedicabile, quis cognoscet illud?*

THESIS IV.

Istas duas partes nostræ regenerationis acceptas ferimus, tanquam fonti, arcanæ illi, mysticæ, inenarrabili & verissimæ nostri cum capite Christo unioni, qua facti unius Spiritus cum ipso, caro ex carne eius, & os ex ossibus eius, influit in nos, ut in membra, Spiritus Christi, & Christus est & operatur omnia in omnibus nobis, quæ nos vicissim in ipso, tanquam in spirituali nostra ὑποστάσει præstamus: nec ulla pars hominis regeniti est, quam non pervadat, perspiret, obsideat, vivificet, agitet & moveat Christus motu efficacissimo: quod de corde, ut de arce ἡγεμονικῆς Christi, potissimum affirmamus.

Ephes. 1. 22. *Dedit ipsum super omnia caput Ecclesiæ, quæ est corpus ipsius, complementum illius, qui complet omnia in omnibus.*

Ephes. 4. 15. *Veritatem sectantes in charitate, crescamus per omnia in illo qui est caput, nempe Christo; ex quo totum corpus congruenter coagmentatum & compactum, per omnes commissuras subministrationis, ex vi intus agente, pro mensura uniuscuiusque membri incrementum capit corpori conveniens ad sui ipsius extructionem in charitate,*

Rom. 7. 4. *Vos estis mortui legi per corpus Christi, ut sitis alterius, nempe eius, qui resurrexit ex mortuis, ut fructum feramus Deo.*

1. Cor. 6. 17. *Qui adhæret Domino, unus est Spiritus cum ipso.*

Gal. 2. 20. *Crucifixus sum cum Christo, & vivo non amplius ego, sed Christus vivit in me, & quod nunc vivo in carne, vivo in fide Filij Dei, qui dilexit me, & dedit semetipsum pro me.*

Col. 3. 11. *Omnia & in omnibus est Christus.*

Philipp. 2. 13. *Deus operatur in vobis & velle & perficere, pro beneplacito suo.*

2. Thess. 1. 11. *Deus noster impleat omne beneplacitum voluntatis suæ, & opus fidei cum potentia, ut glorificetur nomen Domini nostri Iesu Christi in vobis, & vos in ipso, secundum gratiam Dei nostri, & Domini Iesu Christi.*

Hebr. 3. 20. *Deus pacis aptos vel consummatos vos reddat in omni bono opere, ad faciendam voluntatem suam, faciens in vobis id quod acceptum est coram ipso, per Iesum Christum, cui sit gloria in secula seculorum.*

THESIS VII.

Ita tamen in hac vita agit Christus per Spiritum in membra sua, ut vetus homo, & corpus peccati, & mors illa spiritualis omnibus hominis partibus adjaceat adhuc semper & adhæreat: ista non simplice voluntatis libera inclinatione & applicatione, sed sua congenita malitia & pravitate, resistit Spiritui perpetuo, sicut ex adverso novus homo, corpus Christi, & ipsius creatura, id est, pars regenita adversari illi nunquam vel inclinatione vult, vel proprietate sua potest: quandoquidem nova forma, nova imago, nempe ipsius Christi, in cor est impressa, per quam agit & movetur.

Galat. 5. 16. *Ambulate secundum Spiritum, & concupiscentias carnis ne implete; Caro enim concupiscit adversus Spiritum, & Spiritus adversus carnem; Et hæc inter se ita adversantur, ut non omnia quæ vultis, illa faciatis.*

Actor. 9. 5. *Durum tibi est contra stimulos calcitrare.*

Rom. 6. 17. *Gratia Deo, quod fuistis quidem servi peccati, sed ex corde obedistis illi formæ doctrinæ in quam estis traditi; & liberati à peccato, servi facti estis iustitiæ. Hominum more loquor, propter infirmitatem carnis vestræ; nempe sicut stitistis membra vestra serva ad impuritatem & iniquitatem, ita nunc sistite membra vestra serva iustitiæ ad sanctimoniam. Nunc liberati à peccato, servi facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctimoniam.*

Rom. 7. 14. &c. *Lex est spiritualis, at ego carnalis sum, venundatus sub peccato; Invenio hanc legem, ut volens facere bonum, adiaceat mihi malum. Delector enim lege Dei secundum hominem internum; sed video aliam legem in membris meis belligerantem adversus Legem mentis meæ & captivum me reddentem legi peccati; quæ est in membris meis: Ego ipse mente servio Legi Dei, sed carne Legi peccati.*

Rom. 8. 2. *Lex Spiritus vitæ liberavit me à lege peccati & mortis.*

Et vers. 13. *Si secundum carnem vivitis, moriemini, sed si spiritu actus corporis vivificatis, vivetis.*

Ephes. 2. 10. *Sumus ipsius opus in Christo Iesu, creati ad bona opera, quæ ante præparavit Deus ut in ipsis ambulemus.*

Col. 2. 12. *Fuistis cum illo sepulti in Baptismo, in quo etiam cum ipso resurrexistis, per fidem virtutis Dei, qui excitavit ipsum à mortuis.*

Rom. 6. 4. *Ipsi sumus consepulti per Baptismum ad mortem, ut sicut Christus resurrexit è mortuis per gloriam Patris, ita & nos ambulemus in novitate vitæ.*

Ephes. 4. 29. *Vestiamini homine novo, creato secundum Deum, in iustitia & sanctitate veritatis.*

Col. 3. 9. *Exuto vetere homine cum operibus suis, induite novum, qui in cognitione renovatur, ad imaginem illius qui creavit ipsum.*

THESIS VIII.

Malitia cordis gratiæ efficaci non potest resistere, quia per gratiæ infusionem aufertur, debilitatur, mortificatur, & tandem plane abolетur: Et quod homo regenitus stat pro Spiritu contra carnem & peccatum suum proprium, est motus gratiæ, & Spiritus ipsius; ubi infirmatur Spiritus, tum ad carnem proclivis fit & labitur, sed nunquam spiritualis voluntas resistit Spiritui, sed gemit, si à voluntate carnali abripitur & opprimitur.

Hos. 14. 2. *Aufer omnem iniquitatem, & da bonum.*

Rom.

Rom. 8. 5. *Ii qui sunt secundum carnem, sapiunt ea quæ sunt carnis: qui sunt Spiritus, illa quæ sunt Spiritus.*

Gal. 5. 25. *Si vivimus Spiritu, Spiritu etiam ambulemus.*

Col. 3. 7. *In quibus ambulastis etiam vos, quum in illis viveretis.*

1. Ioh. 4. 4. *Vos estis ex Deo, & vicistis ipsos: fortior enim est, qui est in vobis, quam qui est in mundo.*

Ephes. 1. 19. *Vt cognoscatis, quæ sit supereminens magnitudo potentiæ Dei in nos, qui credimus secundum virtutem potentiæ roboris ipsius.*

Psalm. 18. 24. *Integer fui coram ipso, & cavi à peccato meo.*

Rom. 8. 13. *Si per Spiritum mortificatis facta corporis, vivetis.*

Rom. 8. 23. *Nos ipsi qui habemus primitias Spiritus, gemimus in nobismetipsis, expectantes adoptionem, redemptionem corporis nostri.*

2. Cor. 5. 4. *Nos, qui sumus in hoc Tabernaculo, suspiramus, aggravati: optantes non exspoliari, sed superindui, ut quod est mortale absorbeatur à vita.*

Rom. 7. 23. *Video aliam legem in membris meis, bellantem adversus Legem mentis meæ, & captivum me reddentem Legi peccati, quæ est in membris meis: Miserum me hominem! quis me liberabit ex corpore hoc mortis? Non ego operor peccatum, quod non volo: sed operatur illud peccatum quod in me habitat.*

Matth. 12. 29. *Quomodo potest aliquis ingredi aulam viri fortis, & vasa eius diripere, nisi prius vinxerit illum fortem. tum revera diripiet eius domum.*

Thesis IX.

In ipsis etiam regenitis sæpe extant tales Spiritus Sancti motus, qui non eadem efficacia agant & ferantur, sed tantum, monendo, hortando, pulsando, destinantur ad experimentum, ad exercitium, ad humiliationem; in illis sæpissime voluntas, non quidem simplice aliqua indifferente proprietate & arbitrio, sed fallaciis peccati abrepta, resistit, & peccatum contrahit. Vbi non restitit sed obediit, ex animo gratias agat Deo, de singulari auxilio efficaci.

Deuter. 27. 2. *Vidistis quæ fecit Dominus, magnas illas probationes, signa & miracula; sed non dedit vobis Dominus cor ad intelligendum, nec aures ad audiendum, nec oculos ad videndum, usque in diem hanc.*

2. Chron. 32. 31. *Deus dereliquit Ezechiam ad probandum ipsum, ut cognosceret id quod erat in corde eius.*

Psalm. 107. 10. *Qui sunt in umbra mortis, vincti afflictione & ferro, quia rebelles fuerunt Verbo Dei, & consilium Altissimi fastidiverunt.*

Apoc. 3. 20. *Ecce, ego sto ad ostium & pulso, si quis audit vocem meam, & portam aperit, ingrediar ad ipsum, & cœnabo cum ipso, & ipse mecum.*

Hebr. 3. 12. *Cavete, fratres, ne in aliquo vestrum sit cor pravum incredulitatis in deficiendo à Deo vero: Imo, hortamini vos invicem quotidie, dum adhuc nominatur Hodie; ne quis vestrum induretur seductione peccati.*

Eph. 4. 22. *Vetus homo corrumpitur seductricibus concupiscentiis.*

Rom. 6. 17. *Gratia Deo, quod eratis quidem servi peccati, sed corde obedistis illi formæ doctrinæ in quam estis traditi.*

Thesis X.

At in generali Conversione testatur Scriptura, Deum agere per modum generationis, creationis, exsuscitationis à mortuis. Quæ certe omnia modum gratiæ resistibilem non admittunt: sed omnipotentiæ Dei opus suum fortiter & suaviter simul, ab extremo ad extremum perducentis, sunt effecta.

Ioh. 5. 25. *Tempus veniet, & iam est, quo mortui audient vocem Filij Dei, & qui audierint, vivent: ut Pater suscitat mortuos & vivificat, ita etiam Filius vivificat quos vult.*

Iac. 1. 18. *Deus volens genuit nos per Verbum veritatis, ut essemus quodammodo primitiæ creaturæ ipsius.*

Ephes. 2. 10. *Sumus ipsius ποίημα, creati ad bona opera, quæ Deus ante præparavit, ut in illis ambulemus.*

Thesis XI.

Eandem vim adhibere in continuatione, reparatione, consummatione victoriæ adversus Diabolum, mundum, carnem, & peccatum, asserimus; eaque sola niti certitudinem salutis obtinendæ.

Ioh. 10. 28. *Ego do ovibus meis vitam æternam, neque unquam in æternum peribunt, & nemo rapiet eas de manu mea. Pater, qui mihi illas dedit, maior est omnibus, & nemo potest rapere illas de manu mea.*

Col. 2. 12. *Estis Christo consepulti in Baptismo, & cum ipso etiam resurrexistis, per fidem potentiæ Dei, qui excitavit ipsum à mortuis.*

2. Thess. 1. 11. *Deus noster impleat in vobis omne beneplacitum bonitatis suæ & opus fidei in potentia.*

1. Corinth. 1. 8. *Deus vos confirmabit in finem inculpatos, in diem Domini nostri Iesu Christi.*

1. Petr. 1. 5. *Nos virtute Dei custodimur in salutem revelandam ultimis temporibus.*

Iudæ 24. *Illi, qui potens est vos servare immunes à lapsu, & sistere in conspectu gloriæ suæ inculpatos, Deo sit gloria,* &c.

Ephes. 3. 20. *Illi, qui super omnia potest exuberantissime facere super ea quæ petimus aut cogitamus, secundum potentiam, quæ agit in nobis, illi sit gloria in Ecclesia in Christo Iesu.*

Rom. 16. 25. *Deo soli sapienti, qui vos potest stabilire secundum Evangelium meum, sit gloria.*

1. Petr. 5. 10. *Deus omnis gratiæ, qui vocavit vos ad æternam suam gloriam, compleat vos, stabiliat, roboret, fundet.*

Thesis XII.

In quibus vero non sese profert virtus Dei ad regenerationem usque, & malitiæ atque tenebrarum hominis debellationem, ibi esse perpetuam & tristissimam obluctationem voluntariam, tum adversus Verbum extrinsecus oblatum, tum adversus Spiritum intus in mente lucentem, & cor pulsantem, cum Scripturis confitemur.

Genes. 6. 3. *Spiritus meus non semper disceptabit cum hominibus, quandoquidem caro sunt.*

Iob. 21. 13. *Sunt rebelles luci, non noverunt vias eius, nec adhæserunt semitis ipsius.*

Isai. 63. 10. *Fuerunt rebelles, & contristarunt Spiritum sanctitatis ipsius, & ipse factus fuit ipsis in inimicum.*

Actor. 7. 51. *Homines duri cervice, & incircumcisi corde & auribus, vos semper restitistis Spiritui Sancto, ut fecerunt Patres vestri, ita etiam facitis.*

1. Tim. 3. 8. *Vt Ioannes & Iambres restiterunt Moysi, ita & isti resistunt veritati: homines mente corrupti, reprobi circa fidem.*

Thesis XIII.

Huic tamen modo omnipotenti & efficaci operationis Spiritus & gratiæ, non adversatur illa paterna in filios οἰκονομία præceptorum, hortationum, monitionum, promissorum conditionalium atque alia eiusmodi: quibus Deus ad modum nostrum loquitur, quanquam cum illis omnibus agat ad suum.

Rom.

Rom. 6. 8. *Liberati à peccato, servi facti estis iustitiæ. Ad morem hominum loquor, propter infirmitatem carnis vestræ.*

1. Cor. 1. 3. *Fratres, non potui loqui ad vos ut spirituales, imo locutus sum ad vos, ut ad carnales, ut ad pueros in Christo.*

1. Cor. 13. 11. *Cum essem infans, loquebar ut infans, sentiebam ut infans.*

Philosophica placita, quæ simplicitati Verbi Dei, in hac doctrina, & olim & nuper tam tristes tenebras offuderunt, facescere omnino ab hoc sacrario Dei optamus.

Bremensium Sententia

AD ARTICVLVM III. & IV.

De Regeneratione in Genere.

I. Regeneratio est actio salvificæ gratiæ Dei, qua nos ex infidelibus fideles, atque ex non filijs suos filios facit, & impuros natura, supra naturam sanctificat.

II. Hæc ut intelligatur, videndum est:

1. *Quid emendetur?*
2. *A quo & per quid?*
3. *Quo modo?*

III. Emendatur homo vetus præcipue in intellectu & voluntate omnibusque viribus suis à Deo per Verbum & Spiritum Sanctum, operatione invicta.

De intellectu & voluntate, ubi, de Libero Arbitrio.

I. Intellectus actiones sunt, res cognoscere: deinde iudicare, aliquid nude affirmando vel negando vel unum ex alio colligendo: aut dubitare, argumenta in utramque partem inclinantia trutinando.

Voluntatis actiones dicuntur, amare, ac probare, odisse & non curare quæ proponuntur, seu suspendere consensum vel dissensum.

II. Intelligimus nonnulla necessario per se ipsa, veluti principia nullam patientia contradictionem: nonnulla autem per alia, ubi sæpe contradictio & dubitatio incidit, & per notiora ad ignotius devenitur intelligendum.

Consimiliter quædam volumus necessario, ut contraria velle non possimus; quædam libere, ut possimus etiam nolle: utraque tamen incoacte.

III. Sicut Deus inclinare & determinare potest voluntatem: ita inclinat & determinat eam, quandocunque vult, semper bene & ad bonum.

IV. Voluntas vires supernaturales ex se nullo modo habere potest, neque solum divinus concursus nobis sufficit; sed opus est, ut singulari Spiritus sui gratia Deus præveniat & impellat, & contra omnes Satanæ incursus ac carnis obstacula paterne succurrat, & muniat.

V. Atq; ita Deus in nos agit secundum propositum suum, ex singulari gratia sua, & nobis dona sua instillat: nos autem hic patimur ad perfectionem nostri, atque à Deo accipimus, quod paterne nobis largitur ad nos purgandos & salvandos.

VI. Arbitrium nostrum consideratur in statu quadruplici, nempe, innocentiæ, miseriæ, gratiæ & gloriæ.

VII. In statu innocentiæ erat arbitrium liberum à peccato & pœna: sed mutabiliter.

VIII. In statu miseriæ, mansit quidem liberum à necessitate in rebus animalibus, civilibus & externis Ecclesiasticis: item liberum à necessitate huius aut illius facinoris; sed tamen tenetur sub peccato & miseria.

IX. In statum gratiæ, de quo præcipue hic quæritur, devenit homo, quum convertitur. Et, quum Deus eum convertere aggreditur, fidem infundit cordi eius, omninoque eum ad imaginem suam instaurare incipit.

Digitized by Google

X. Postquam homo sic instauratus est, arbitrium eius est liberum à dominatu peccati; sed ita, ut tamen multiplex remaneat infirmitas, sæpeque gravis exorbitatio, reluctante ad tempus carne.

XI. In statu gloriæ, erit liberum ab omni peccato & miseria.

De Gratia Dei.

I. Quamvis vox Gratiæ sua natura late pateat: tamen specialiter sumitur in hac causa pro gratia vocationis; ut infra Thesi 6. patebit.

II. Hanc gratiam salutarem administrat Deus Verbo & Spiritu.

III. Verbo Legis, præparat Deus hominem ad notitiam miseriæ suæ, & adducit ad desperationem de se ipso: deinde docet Evangelio, & ostendit viam consequendæ salutis tuto per fidem in Christum. ubi sunt narrationes & institutiones historicæ, mandata, interdicta, promissiones, comminationes.

IV. Hæc omnia spirant divinam veritatem, sanctitatem, bonitatem, iustitiam: & non possunt non notitiam aliquam mysteriorum cœlestium consequi, qui eas animo divinitus illustrato perpendunt. Solet etiam hinc in multis nasci assensus, quo veritatem in illis affirmant, & bonitatem prædicant, tantoque firmius, quanto clarior est mentis illuminatio: & gustus aliquis iucundissimorum bonorum. Attamen hæc omnia possunt cadere in eos etiam, qui non renascuntur.

V. Quid igitur est proprium electorum Dei Filiorum?

Resp. Ex singulari gratia, potenter & efficaciter duci & trahi per Spiritum Dei & Christi, fidem in eis gratiose operantem, ut ex Verbo Evangelij, non tantum sibi communem gratiam possint & velint adiudicare in intellectu; sed etiam ut concipiant & retineant fiduciam, qua in Christi meritis & Dei favore acquiescant; proinde Deum filiali affectu diligant, ea cum spe, fore, ut ipsis omnia cedant in bonum; & ut per hanc gratiam, ducantur in gloriam.

VI. Quid autem de gratia conversionis & regenerationis iudicabimus, sitne ea resistibilis, aut non resistibilis?

Resp. Vt de ea judicari rectius queat, vox gratiæ ita late sumatur, ut comprehendat hæc tria: Externam prædicationem Evangelij; internam illuminationem communiorem; & illuminationem atque tractum singularem, in quo vera regenerationis differentia ponitur.

VII. Gratiæ externæ prædicationis sæpe resistitur; quando homo vel contemnit verbum ut non audiat, vel negligenter audit, vel cum carnali affectu, ut illud ad appetitus suos flectat.

VIII. Gratiæ illuminationis communiori resistitur, quum vel propter præconceptas opiniones, vel negligentiam meditationis, non præbetur assensus, aut lubrice tantum, & sine adjudicatione, aut certe sine seria & solida per fidem veram applicatione.

IX. His modis gratiæ Dei resistere solent reprobi, prout diverse afficiuntur; etiã vero aliquando electi, donec eis gratia regenerationis superveniat, & carnem domet: peculiari autem & horribili modo, per Diabolicam malitiam hic gratiæ divinæ illuminationis resistunt, qui blasphemiam in Spiritum Sanctum admittunt.

X. Est autem etiam singularis gratia, qua intellectus à Deo potenter & efficaciter disponitur, movetur & illuminatur, ad hoc, ut sibi promissas in Evangelio promissiones peculiariter adjudicet, & qua voluntas supra naturalem suam conditionem elevatur, ducitur & trahitur, ut in objectum clare cognitum, tanquam hic & ubique, nunc & semper bonum feratur. Atque ita voluntas divinitus, paterne & suaviter superata non potest non sincere & constanter consentire.

XI. Præterea hæc gratia solis electis datur, licet in singulis pro mensura divinitus destinata suis gradibus distinguatur. Nam alias Deus intensiore gratia docet & ducit, alias autem remissiore pro arbitrio suo: ideoque in alijs caro magis ac diutius & crebrius, in alijs minus oblectatur: at Spiritus Dei tamen, sub cuius magisterio & imperio sunt electi vocati, ita hæc moderatur, ut semen regenerationis, nunquam penitus excutiatur, & ut tandem beata victoria obtineatur.

XII. Atque

Digitized by Google

XII. Atque ita videmus, Deum alias sic agere in hominibus, ut certo respectu resistere possint si velint, alias ut non velint, etsi per naturam possint, alias ut neque possint, neque velint.

XIII. Hic tertius modus maxime perficit voluntatem, tantum abest, ut eam evertat, & naturam eius perdat.

Tanquam Heterodoxa reijcimus ista:

1.

Nunquam fuisse dona spiritualia in hominis integri voluntate.

2.

Hominem lapsum absque supernaturali lumine esse capacem eorum, quæ sunt Spiritus Dei.

3.

Naturæ lumen, esse primam gratiam, quæ inter veras conversionis causas prædicetur.

4.

Naturam à Deo Creatore datam, & gratiam Dei Redemtoris, esse rem eandem.

5.

Naturæ recto usu homines gratiam salvificam promereri posse.

6.

Gratiam conversionis aliam congruam, aliam incongruam homini esse: quasi efficacitas gratiæ ab hominis dispositione propria, & inefficacitas ab ejusdem indispositione pendeat.

7.

Gratiam erga omnes homines esse æqualem.

8.

Hominem seipsum discernere, ut apud Deum gloriari possit.

9.

Gratiam non inclinare & determinare arbitrium nostrum ad bonum.

10.

Actionem, qua convertimur, esse tantum moralem suasionem, & non vere supernaturalem actionem ab omnipotentia Dei proficiscentem, & exercitam in intellectum atque voluntatem nostram.

11.

Esse tantum excitantem & adjuvantem gratiam, cui libere assentiendo cooperemur: non autem talem, quæ revera intellectum & voluntatem corrigat.

12.

Ad conversionem requiri vim, quæ omnem creatam vim multis partibus excedat: vim autem illam esse, promissionem de vita æterna.

13.

Virtutem eam, qua convertimur, esse tantum debilem potentiam, quæ nobis sinceritatem lubentiam & constantiam credendi non afferat.

14.

Fidem non esse donum morte Christi partum, nec Novi Fœderis promissum; sed ejus conditionem, quæ libere ab homine ex se præstetur.

15.

Nullam esse fidei infusionem.

16.

Fidem non esse qualitatem seu potentiam firmam, qua ad credendum Verbo Dei inclinemur, ut hoc sensu recte habitus dicatur.

17.

Fidem temporariam & vere salvificam, non distingui per certam differentiam.

18.

Veram & justificantem fidem, non esse signum electionis.

19.

Hominem, in mente & voluntate sanatum, non posse abuti donis divinitus acceptis.

20.

Hominem conversum, non posse plus boni facere, quam facit.

EMBDANORVM
THESES;
Sententiæ Remonstrantium
De Gratia Dei: Viribus arbitrij humani: & modo Conversionis ad Deum, in III. & IV. Artic. explicatæ; opposita.

Quibus adjunctum est Examen Controversiarum, quæ de iisdem rebus in Ecclesiis Belgicis motæ sunt.

TErtius & Quartus Articulus Remonstrantium extant in Coll. Hag. Belgica, pag. 8. & in Latin. Brand. pag. 10.

Tertium, qui est de Fide salutari, si simpliciter ut verba sonant, iisque nulla subsit ambiguitas vel dolus, intelligatur, verbo Dei consentaneum putamus. Quod vero controverti potest, infra in Examine nostro indicabitur.

In Quarto observamus. 1. quod de præcedanea seu adventitia, excitante, consequente & cooperante gratia dicunt, non tamen explicantes, qualis unaquæque sit gratia, & quæ cujusque operatio.

Secundo observamus, quod ajunt: Quoad vero modum operationis illius gratiæ, ille non est irresistibilis. de multis enim dicitur eos Spiritui sancto restitisse. Actor. 7. & aliis multis locis.

His duobus quarti articuli capitibus, sequentes Theses opponimus, ut inde hujus rei veritas eo luculentius cognoscatur.

1. Omni tempore certamen fuit Ecclesiæ Orthodoxæ cum hostibus veritatis, de modo & ordine conversionis Hominis ad Deum.

2. Pelagiani erroribus Philosophicis & Pharisaicis nimis addicti, ne viderentur gratiam Dei plane negare, fatebantur hominem gratia servari. Per gratiam vero intelligebant bona naturæ, rationem, voluntatem, liberum arbitrium: insuper legem & doctrinam à Deo gratis datam, quibus homo ad bene operandum excitetur.

3. Ponti-

Digitized by Google

3. Pontificij Pelagianorum erroribus (tametsi verbis id negare videantur) revera participant. Primum enim, peccatum originale in ulla qualitate prava consistere negant. 2. Voluntatem non renatam dicunt posse cooperari gratiæ prævenienti, & efficaciam hujus à libero arbitrio pendere.

4. Grevinchovius contra Ames. pag. 198. ad hunc modum scribit: Sicuti unum correlativum dicitur pendere ab altero, nulla prioritate naturæ: & causa partialis ab alia concausa: hoc modo dicimus gratiam in actuali efficacia liberi actus etiam pendere ab influxu arbitrij ex gratia operantis. Imo ut confidentius agam, dico effectum gratiæ, ordinaria lege pendere ab actu aliquo arbitrij, ut prævia conditione sine qua non.

5. Hæc (scilicet Grevinchovij verba) à sententia Bellarmini non admodum aliena videntur, qui scribit: Nec Deus determinat voluntatem, nec voluntas Deum: sed uterque concursum suum libere adhibet, & si alter nolit, opus non fiet. Simile addit: cum duo bajuli ferunt ingentem lapidem, quem unus ferre non posset, neuter alteri vires addit, aut eum impellit, & utrique liberum est onus relinquere.

6. Huic consentire videtur Doct. Conradus Vorstius ad hunc modum scribens: Ergo conversio nostra, sine cooperatione nostra perfici nequit. Quare licet Deus ex sua parte sufficienter hic operetur: homo autem cooperari nolit, effectum commune reipsa non existit. Nam tale effectum, cum utriusque causæ quasi communis fœtus sit, non statim sequitur ad sufficientiam unius causæ, sed utramque causam sufficienter in actu suo poni oportet, ut opus ab utroque pendens, vel apotelesma commune producatur. Vide amicam ejus duplicat. cōtra Piscat. cap. 8 pag. 512. & seqq.

7. Cum autem Remonstrantes in IV. Articulo, varias ponant Gratiæ Dei vel partes vel gradus, nimirum præcedaneam vel adventitiam, excitantem, cōsequentem, & cooperantem gratiam, & tamen quid proprie per unamquamq; gratiam intelligant, & quæ cujusq; operatio sit, non explicent: nos paulo fusius de his agemus.

8. Ab initio vero ad evitandos varios Remonstrantium errores, Dei operationes erga creaturas hic distinguendas arbitramur, in auxilium Dei & Gratiam Dei, quarum illud ex Providentia, hæc vero ex Prædestinatione fluit.

9. Auxilium vero est generale vel speciale. Generale auxilium est universalis operatio Dei, qua dirigit omnes creaturas juxta conditionem & proprietatem, quam singulis dum eas formaret, indidit. Actor. 17. *Ipse dat omnibus vitam & halitum, & omnia: in ipso enim vivimus & movemur & sumus.* Auxilium speciale est, quo in genere humano, etiam extra Christi gratiam, alios præ aliis, dotibus speciosis, animi vel corporis: theoricis vel practicis: mechanicis vel moralibus exornat; Exod. 35. 32. quod speciale Dei auxilium, nonnulli gratiam reprimentem appellant.

10. Sed hoc auxilium cordis innatam malitiam non minuit & abolet, sed eam tantum in aliis coercet magis, in aliis minus: & datur homini in testimonium, ut sit inexcusabilis, Rom. 1. 20. & disciplinæ inter homines in politica societate conservandæ causa. Hoc genere auxilij vel reprimentis gratiæ, Ethnici & pagani nonnulli nominati sunt, liberales, justi, sobrij, casti &c.

11. Errant vero hic Remonstrantes, qui docent: Hominem qui lumen naturæ habet, aliquid per illud lumen posse, utut hoc sit perexiguum. Ideoque non est negandum, talem, siquidem hoc exiguum præstet, & in parvo fidelis sit, à Deo majus lumen & majores vires, quibus plura facere possit, accepturum. Hæc enim intelligi possunt, ac si voluntas humana ad sui conversionem, hoc lumine naturæ recte uti volens, se paulatim præparare aptamque & idoneam reddere posset. Vide Ioh. Arnold. contra Tilen. pag. 159.

12. Præcipua igitur inter Orthodoxos & Pelagianos, Pontificios, Remonstrantesque hic controversia est & manet, de primo conversionis nostræ puncto seu initio, unde illud sit, ex Deo ne, an ex homine.

13. Orthodoxi, conversionis initia nequaquam, neque in totum neque quo ad partem, humanis viribus, neque *a* generali, neque *b* speciali Dei auxilio, quod hominibus etiam extra Christi gratiam (ut paulo ante dictum est) constitutis obtingit, tribuunt, sed ex mera Dei gratia illa proficisci affirmant.

a *Actor. 17. 25. 28.*
b *Exo. 35. 32.*

14. Gratiam

14. Gratiam porro Dei (quod probe observandum) hic non intelligunt Orthodoxi, ut Remonstrantes faciunt, de re quapiam externe oblata, quam instar hospitis advenæ, quis intromittere vel excludere potest: sed de gratia intus efficaciter in hominibus operante.

15. Porro cum gratia Dei erga nos varia sit & multiplex, cujus distinctiones omnes hic recensere operæpretium non est: de gratia ejus movente interna hic potissimum dicendum arbitramur.

16. Gratia movens interna, est vocatio interna Spiritus sancti per illuminationem mentis, & renovationem voluntatis & cordis: ad quam pertinet *a* tota regeneratio, directio & perseverantia nostra in fide usque ad finem: *b* Hanc Christus vocat tractum Patris: eaque omnibus salvandis efficaciter datur, quia est salvandorum propria, & de hac proprie hic disputatur.

a *Philip.* 2.13.
b *Ioh.* 6.44.

17. Hæc gratia à quibusdam distinguitur in Prævenientem, Operantem & Cooperantem. Hic eam cum aliis brevitatis causa distinguemus in Primam & Secundam, cum res eodem recidat.

18. Gratia Prima, teste Augustino, est motus misericordiæ Dei efficax, quando per gratiam in hominis peccatoris mentem in divinis cæcam, novam lucem; in voluntatem perversam, novam qualitatem, seu novam inclinationem; in cor pravum, novos affectus inserit & imprimit. Atque per hanc gratiam *c* è statu peccati efficaciter vocamur, & in statum gratiæ transferimur.

16. Hæc in Scripturis dicitur, *d* nova creatio: *e* suscitatio ex morte peccati: *f* vivificatio: *g* regeneratio &c. Atque hanc gratiam alij appellant cum Augustino prævenientem & operantem.

20. Secundam gratiam vocamus eam, qua in statu Gratiæ *h* corroboramur, dirigimur, conservamur, ut perseveremus ad finem. Hanc alij subsequentem & cooperantem vocant.

c *2.Cor.* 6.1.
Tit. 2. 13.
Ephes. 2. 3.
d *2.Cor.* 5. 11.
e *Ioan.* 5. 25.
f *Ioan.* 6. 63.
g *Matth.* 19. 28.
Ioh. 3. 3.
Tit. 3. 5.
h *Iere.* 32. 40.
Psal. 143. 10.
Phil. 1. 6.
1. Cor. 1 8.

21. Gratiam Primam seu prævenientem vocabat Pelagius gratiam Legis & Doctrinæ. Hanc sententiam damnat Augustinus expresse dicens. Intelligant & fateantur ergo Pelagiani, non lege atque doctrina forinsecus insonante, sed interna atque occulta, mirabili & ineffabili potestate, operari Deum in cordibus hominum, non solum veras revelationes, sed etiam bonas voluntates.

Lib. de Gratia Christi cap. 24.

22. Bellarminus cum Concilio Tridentino & Pelagio, intelligit per gratiam primam seu prævenientem, vocationem & suasionem moralem foris oblatam, cujus efficacia ab hominis ingenio pendet. Atque hanc gratiam sophistæ tales appellant auxilium sufficiens ad conversionem, quod omnibus hominibus dari volunt, cui, si modo velint, libero arbitrio suo possint cooperari & converti, licet auxilium aliud efficax nullum accedat.

23. Ab illa sententia alienos non esse Remonstrantes, illi facile observabunt, qui lectione Scriptorum eorundem paulo attentius occupantur.

24. Bellarminus illustrat sententiam suam hoc simili, quo aliquoties utitur: Quod Deus tantum moralis causa sit conversionis nostræ, quemadmodum Orator perorando, causa motuum in animis auditorum existit.

25. Econtra vero tenendum est, quod suadendo, consulendo, actum conversionis, circa voluntatem hominis animalis, non magis quis perficiet, quam si Æthiopem exuere nigram pellem suam: pardum deponere maculas suas: cæcos videre; surdos audire; mortuos resurgere & ambulare suaderet.

26. Adducit quoque exemplum nolentis navigare in Orientem, qui tamen alterius persuasione motus, tandem illuc navigat. Verum exemplum illud toto genere est dissimile, & hæreticam suam opinionem manifestius prodit.

27. Dissimile est, quia navigatio est res indifferens: possibilis viribus humanis: qui non vult navigare, potest tamen naturaliter velle navigare: qui persuadet, tantum externis rationibus voluntatẽ alterius inducit, in potestate vero eam non habet, &c.

28. At negotium conversionis toto genere diversum est; quia nec est indifferens, nec nostrarum virium aut voluntatis.

29. Scriptura enim sacra docet, hominis carnalis conversionem fieri, non solum suasione morali, sed operatione Dei longe diviniore, nec omnino inferiore quam fuit prima hominis creatio.

30. Cum

30. Cum enim homo post lapsum oculis & auribus mentis sit cæcus & surdus, corde totus perversus, in peccatis mortuus, ut ad Deum convertatur, Scriptura necesse esse docet, ut gratia singulari Spiritus Dei denuo creetur, regeneretur, renascatur, illuminetur, cor ei aperiatur, lapideum auferatur, carneum detur, trahatur, à morte peccati suscitetur, vivificetur. Suasio ergo moralis, vim gratiæ efficacis & conversionis nostræ non sufficienter exprimit, sed extenuat, abnegat & tollit. Psal. 51.12. Ioh. 3.5. Psal. 11.4. Act. 16.14. Act. 26.18. Ezech. 11.9. & 36.26. Ioh. 6.44. Eph. 2.5.

31. Addunt præterea Pontificij, cooperationem divinam cum libero hominis arbitrio se tenere ex parte effectus, non ex parte causæ, hoc est, concursum Dei non determinare voluntatem nostram, nec aliquid in illam imprimere aut operari, sed immediate influere in effectum; eumque producere illo ipso momento, quo à volũtate nostra producitur. Quod nihil aliud est, quam Deum, cum sua motione, cooperatione, gratia, hominis arbitrio subiectum esse, & currum boves trahere.

32. Idem sentiunt Grevinch. contra Ames. pag. 198. Et Vorstius in amica sua Duplicatione contra Piscatorem cap. 8. pag. 512. & seqq. Grevinch. inquit. Imo, ut confidentius agam, dico effectum gratiæ ordinaria lege pendere ab actu aliquo arbitrij, ut prævia conditione sine qua non. Vorstij verba sunt: Ergo conversio nostra, sine cooperatione nostra perfici nequit. Nam tale effectum, cum utriusque causæ quasi communis fœtus sit, non statim sequitur ad sufficientiam unius causæ, sed utramque causam sufficienter in actu suo poni oportet, ut opus ab utroque pendens, vel apotelesma commune, producatur.

33. Sed falsum est, quod primum velle conversionis nostræ, efficienter sit Dei & nostrum simul, nosq; in eo cooperemur Deo, & Deus illud non operetur sine nobis. Apostolus enim sibi persuasum habet Deum, qui in nobis cœpit bonum opus, illud perfecturum usq; ad diem Iesu Christi, Phil. 1.6. Item, Quod Deus is est, qui efficit in nobis, & ut velimus & ut efficiamus, pro gratuita sua benevolẽtia, Phil. 2.13.

34. Hac autem doctrina nequaquam stabilitur Enthusiastarum error (quod Remonstrantes prætendunt) qui gloriose jactitant afflatus sine Verbo Dei. Vsus enim ministerij nullo modo excluditur, sed ut singulare Dei organum, ex eius institutione maxime hic requiritur.

35. Non enim fingendi sunt violenti raptus, neq; Deus utitur hominis corde & voluntate in conversione eius, sicut arreptitiorum membris maligni Spiritus utuntur. Nec hominis voluntas transformanda est in statuam: differt enim quoad modum agendi, natura hominis ab inanimatis & brutis naturis.

36. Fons autem erroris est, quod non considerato ordine, quo Deus se ac sua bona nobis in hac vita communicat, perverse ac impie distrahunt illa, quæ conjungi debebant, scilicet ministerium externum, & efficaciam internam Filii Dei & Spiritus sancti.

37. Deus enim non tantum per internam vocationem nos ad se trahit, sed etiam per externam vocationem ad sui communionem nos invitat. Vtraque vero vocatio duos habet gradus, quos amplioris intelligentiæ causa hic addemus.

38. Externa vocatio fit, vel per Librum Naturæ & Creaturæ: Hæc universalis est omnium hominum, sufficiens ad omnes, non quidem convertendos, sed ἀναπολογήτους reddendos in Dei judicio: vel per librum Scripturæ. Hæc non est universalis omnium, sed aliquorum, quos Deus sic dignatur vocare: & est sufficiens ad conversionem secundum quid, hoc est, quatenus in ordine causarum secundarum seu mediorum, nulla alia externa conversionis media præter illa reperiuntur: non tamen sufficiens ad conversionem simpliciter, hoc est, sine internæ motionis sive tractionis gratia, sine qua quenquam converti, & ad Christum venire, Scriptura pronunciat impossibile. Ioh. 6.44. Matth. 7.18.

39. Errant igitur hic Remonstrantes, qui affirmant, 1. Deum omnibus media ad fidem & resipiscentiam necessaria sufficienter, & efficaciter administrare. Huic errori contradicit Propheta David, inquiens: *Indicat Iacobo verba sua, & jura sua Israeli: non fecit ita ulli genti, ideoque jura ista non noverunt*, Psalm. 147. Et Paulus Rom. 10. 19. *Per gentem intelligentiæ expertem, ad iram vos provocabo.* Item, Actor. 14.16. Ephes. 2. 11. Ioh. Arnold. cont. Tilen. 369. ubi etiam Arminium citat.

40. Errant

40. Errant etiam citati Remonstrantes, qui in sententia sua de primo Articulo ad hunc modum scribunt: Quod Deus non hoc consilio procurat Euangelium prædicari, homines externe vocari &c. ut ista media essent per quæ eorum aliquos ad vitam perduceret. Contrarium Scriptura docet, Rom. 10.14.17. Actor. 16. 9. 10. Actor. 18.9.10.

41. Interna vocatio etiã duos habet gradus: Prior est gratia illuminationis, qua homines voluntatem Dei & salutis viam agnoscere, & intelligere docentur. Hæc etiam non est omnium, sed aliquorum, de quorum aliqua parte Petrus dicit: *Satius fuisset eos viam veritatis non agnovisse*, 2. Pet. 2. 21. Et Paul. Hebr. 6. 4. *Qui semel fuerunt illustrati, & postea prolabuntur*, &c. Est vero hæc gratia sufficiens ad ἀναπολογίαν, ad conversionem autem minime sine interno vocationis gradu altero & præcipuo.

42. Alter vocationis internæ gradus, est gratia renovationis, per Spiritum regenerantem voluntatem & corda, quæ gratia non est simplex vel indifferens motio, sed efficax tractio, Ioh. 6. 44. conversio, & in Scriptura dicitur, *Nova Creatio*, 2. Cor. 5. 17. *Regeneratio*, Ioh. 3. 3. &c. Hanc gratiam solam dicimus esse sufficientem ad conversionem simpliciter, quia sola semper est efficax: reliquos gratiæ gradus externos & internos, de quibus ante dictum, tantum secundum Quid.

a *Psal. 40. 7.*
b *Matth. 13. 9. Luc. 8. 8.*
c *Ioh. 6. 44.*
d *Actor. 16. 14*
e *Actor. 26. 18.*
f *Deut. 30. 6.*
g *Ezech. 11. 19 & 36. 27.*
h *1. Reg. 8. 58.*
i *Deut. 30. 17. Iesaias 29. 13.*
k *Deut. 30. 2. Ioel 2. 12. Ephes. 4. 22.*
l *Iesai. 1. 16. 17 & 55. 7.*

43. De hac gratia frequenter testatur Scriptura *a*. David eam per aurium perforationem à Deo factam *b*. Christus per aures ad audiendum *c*: per tractionem à Patre *d*: Paulus per apertionem cordis *e*: per apertionem oculorum explicant. Item *f* Deus circumcidit cor populi sui *g*: aufert cor lapideum, & dat carneum *h*: inclinat corda ad se ut ambulent in viis suis.

44. Materia in qua, vel subjectum Conversionis, sunt mens, cor seu voluntas, & omnes affectiones hominis in quibus fit mutatio per Conversionem *i*: ut enim Mens & Cor se primum avertunt à Deo, Cordis vero aversionem sequitur aversio reliquarum partium & animæ & corporis, eoque totius vitæ *k*: ita rursum vera conversio in mentis & cordis mutatione cumprimis consistit, id quod proprie significat μετάνοια *l*, & hinc sequitur totius vitæ mutatio.

45. Errant igitur Remonstrantes, qui prævenientis vel primæ gratiæ actum primarium in illustratione mentis ponunt: secundum in affectibus apparere tradunt, atque hæc resistibiliter effici concedunt. Voluntati vero suam manere libertatem affirmant, gratiam Dei recipiendi vel ei resistendi; ideoque conversionem nostri non fieri irresistibiliter, concludunt. Collat. Hagiens. Belg. pag. 244. Brand. 290.

46. Falsum & hoc est. 1. Quia cor in quo voluntas est, omnium est affectuum sedes, quomodo ergo affectus sanari & reformari possunt, ipso corde in plena sua pravitate relicto? Si vero voluntatem ipsam includant, & gratiæ nos convertentis participem faciant, tum totam hominis conversionem irresistibilem esse fatebuntur. 2. Quia Scriptura docet, Deum in hominis renovatione, cor circumcidere: cor lapideum auferre: & dare cor carneum: inclinare cor ad se ut ambulent in vijs suis: trahere nos ad Christum: aperire cor, &c. Loca Scripturæ ante sunt annotata. Qua ergo fronte dicere audebunt; Deum in hac cordis tam efficaci mutatione, voluntatem intactam & sine ulla sanatione relinquere? Cum Paulus aperte reclamet, *Deum in nobis efficere, & ipsum velle & perficere*, Phil. 2. 13.

a *Ierem. 13. 23. Matth. 7. 18. 1. Cor. 2. 4. 2. Cor 3. 5.*
b *Rom. 9. 20.*
c *2. Cor. 5. 17. Ephes. 2. 10.*
d *Ioan. 3. 3.*
e *Ioh. 5. 25.*
f *Ephes. 2. 5.*
g *Philip. 1. 6. Phil. 2. 13. Ierem. 31. 39. Ezech. 11. 19.*

47. Ad hanc mentis, cordis & affectuum mutationem voluntas naturalis post hominis corruptionem *a* se præparare & impedimenta amoliri non potest. *b* ut enim homo ab initio ad sui creationem præparare se non potuit: ita quoque peccator ad sui conversionem (*c* quæ nova quædam est creatio, *d* regeneratio, *e* suscitatio ex morte, *f* vivificatio) id præstare nequit. *g* ideoque præparationis opus, Dei est, non nostrum.

48. Vehementer igitur errant Pelagiani, qui hominẽ sine Spiritus gratia seipsum convertere posse tradunt: & similiter Pontificij, qui cum per liberum arbitrium ad gratiam se præparare posse affirmant: quibus succinunt Remonstrantes, ut antea ex illorum scriptis demonstratum est.

49. Nam in primo conversionis initio, quando Deus novas qualitates & inclinationes in mentem, voluntatem & cordis affectus inserit, quod merum Dei opus est in nobis, homo passive, non autem active se habet.

50. Spiri.

50. Spiritus enim Sanctus efficiens est nostræ conversionis causa. Verbum in usu suo recto, organum seu instrumentum est, per quod operatio Spiritus est efficax. Voluntas vero hominis, patientis sive subjecti tantum, in conversionis initio, rationem obtinet.

51. Cooperationem enim hominis in initio conversionis suæ primam, Sacra Scriptura simpliciter negat, ut conversionis nostræ gloria, Deo soli in solidum maneat. Sophistæ vero contra, tam primam, quam secundam cooperationem mordicus tuentur. In prima enim cooperatione meritum congrui fabricant: in secunda vero meritum condigni statuunt.

52. Summa eorum quæ de gratia prima hactenus diximus, hæc est: Quod in qualitatibus sive inclinationibus novis, voluntati & cordi imprimendis, homo se tantum ut subjectum in quo Deus operatur, habeat; & in eo voluntatem se tantum passive habere.

53. Nequaquam vero primus ille motus passivus, libertati voluntatis derogat. Ad voluntatis enim humanæ libertatem satis est, si proprio & spontaneo motu & electione agatur vel agat, etiamsi is motus, ea electio, aliunde, nimirum à gratia excitetur & dirigatur.

54. Hæc de prima gratia sufficiant: Nunc de Gratia Secunda, cuius antea Thesi 17. meminimus, pauca subjiciemus. Secundam Gratiam vocamus eam, qua in statu gratiæ corroboramur, dirigimur & servamur, ut perseveremus ad finem. De hac dicitur Ierem. 32. 40. *Dabo timorem meum in corda eorum, ut non recedant à me.* Item Psalm. 143. *Spiritus tuus rectus dirigat me in via recta.* Item Phil. 1. 6. & 2. 13. *Qui cæpit in vobis opus bonum, perficiet idipsum in diem Iesu Christi.* Item, 1. Cor. 1. 8. *Deus confirmabit vos usque ad finem inculpatos.* Item, Coloss. 2. 13. *Corpus Christi* (quod est Ecclesia) *augescit Dei augmento.*

55. Sub hac secunda gratia, voluntas hominis non tantum est subjectum, sed etiam instrumentum divinæ operationis, & quidem sua vi ipsi divinitus indita agens in producendo effectu, atque in eo se voluntas nequaquam passive tantum, sed active pariter & passive habet, quandoquidem ideo movetur à Spiritu Sancto ad agendum, ut ipsa hoc agat, quod Deus per eam vult efficere: id quod in omnibus voluntatis actionibus bonis evenit, quemadmodum & in malis, cum à Diabolo vel alijs causis incitatur, ipsa nequaquam interea est otiosa.

56. Atque hactenus de primo, quod in Quarto Articulo observandum duximus: nunc ad Secundum pergemus.

57. Secundum, his verbis Remonstrantes posuerunt, in Coll. Hag. Belg. pag. 8. lat. Brand. pag. 10. Quoad vero modum operationis illius, ille non est irresistibilis. De multis enim dicitur, Eos Spiritui Sancto restitisse, Actor. 7. & multis alijs locis.

58. Contra hanc sententiam nos affirmamus, Quod Deus voluntatem hominis gratia sua movet, non ut Pontificij tradunt (quibus hic assentiri videtur Doct. Vorstius in amica sua Duplic. p. 507. & seq.) ut nostræ postea sit electionis, motioni aut obtemperare aut refragari: sed ut illam efficaciter etiam ab obsequendum flectat.

59. Nam quos Deus convertere vult, eos simul & sufficienter & efficaciter movet. Regeneratio enim non est penes voluntatem humanam, sed à voluntate divina simpliciter dependet. Et quando Deus nos convertere & renovare vult, etsi voluntas natura sua resistere possit, tamen immutabilis Dei voluntatis & internæ eius operationis efficaciæ respectu, reluctari atque Dei opus repellere non potest.

60. In hominis enim conversione, Deus operatur velle & perficere pro gratuita sua benevolentia, Philipp. 2. 13. Atque homines in mandatis suis ambulare facit, Ezech. 36. 16. Sic autem moti à Deo, non inviti convertuntur, neq; coguntur bene agere necessitate quadam physica, qualiter ignis urit, & pecudes agunt: sed bene agunt liberrima voluntate infallibiliter, quia Dei motio non potest carere suo effectu; sed irrefragabiliter ex nolentibus facit volentes. Ezech. 36. 27.

61. Quapropter gratia resistibilis, quam Remonstrantes ad turbandas Ecclesias Belgicas docent & urgent, nihil aliud est quam excrementum Iesuiticum nuper in has Ecclesias invectum ab eo, qui novas moliens opiniones, novas phrases excogitavit.

62. Cum autem in hac voce, quam Orthodoxi omnes, ut à mysterio conversionis prorsus alienam, rejiciunt, Remonstrantes caput ipsum totius controversiæ collocant, nos paulo plenius de hac Resistibilitate, ut vocant, agemus.

63. Resistentia dicitur pugna seu actio contraria patientis cum agente, qua agentis actionem pro facultate impedit aut repellit.

64. Iam gratia Dei agit in hominem ad conversionem eius: homo ex propensione carnis repugnat, & in contrarium tendit. Si repugnantia hæc æqualium sit virium cum exerta gratiæ virtute, tum non efficitur conversio, nec ut sequatur exspectari potest: Effectio enim semper est ab inæquali superante.

65. Sin vero gratiæ virtus excedat, tum quamvis incompleta resistentia fiat à carne, vincitur tamen à gratia, quia hæc fortius agit. Sed si repugnantia major sit, & gratiæ operatio minor, tum caro eam superat, quæ resistentia prævalens est & completa. Et hæc illa resistentia est, cui gratiam Dei obnoxiam esse Remonstrantes defendunt, quando operationem gratiæ resistibilem esse contendunt.

66. Res autem ipsa ad hunc se habet modum. Ex parte hominis non regenerati, gratia nimis est resistibilis, Cum homo animalis non percipiat ea quæ sunt Spiritus Dei 1. Cor. 2.14. Et prudentia carnis inimicitia sit adversus Deum; *nam legi Dei non subjicitur, imo ne potest quidem*, Rom. 8. 6.

67. Ex parte vero Dei quantum ad eius beneplacitum, gratia rectissime dicitur irresistibilis, gratia, inquam, movens & efficax, (de qua sola hic est quæstio) adeo ut dicere, gratiam efficacem esse resistibilem, sit negare esse efficacem.

68. Resistibilitas autem, quæ à Remonstrantibus urgetur, eo spectat, ut vires voluntatis humanæ stabiliantur. Sed quales quæso erunt eæ vires? Sane nullæ aliæ, quam quibus homo summum scelus posset committere, nimirum, ut gratiæ Dei & Spiritui Sancto hominem intus convertere volenti, resistere, Deumque offendere, summe peccare, atque seipsum in exitium præcipitare possit.

69. Verum, id posse hominem, Scriptura non libertatem, sed peccati servitutem esse reputat. Sed de hac re Augustini sententiam asscribemus. *Deo volenti*, inquit, *salvum facere, nullum hominum resistit arbitrium. Sic enim velle & nolle in volentis est potestate, ut divinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem.*

Rom. 6. De Corrept. & Grat. lib. 14.

70. Testimonia Scripturæ nonnulla, demonstrantia, quibusdam dari gratiam efficacem, per quam infallibiliter convertantur, præter ea, quæ supra in diversis Thesibus sunt annotata, hic annotabimus. Ioh. 6.45. Ioh. 10.28. Rom. 8.30. Ezech. 36. 37. Ierem. 32. 40.

71. Testimonia quæ pro resistibilitate proferuntur, hæc sunt præcipua. I. ex Iesa. 5. 3. II. ex Matt. 23. 27. III. ex Actor. 7.51. IV. ex Rom. 2. 4. V. ex Apocal. 3. 20.

72. Ad eorum quædam respondebimus paucis:

Ad Iesa. 5. 4. De vinea sufficienter culta & tamen Fructus idoneos non ferente, Respondemus 1. Parabolas non facere dogmata. 2. Loquitur Deus de omnibus sufficienter adhibitis in ordine causarum secundarum, quia loquitur non ut Deus, sed humano more ut vinitor: idque ad ἀναπολογίαν eorum satis fuit. Sic Paulus plantat, Apollo rigat 1. Cor. 3. 6. 3. Deus eorum pro tot beneficijs ingratitudinem accusat. 4. Habuisse vero illos auxilium sufficiens ad conversionem simpliciter, ita ut alia efficace gratia nulla accedente, sua se voluntate convertere possent, est falsum, ut supra abunde est demonstratum.

73. Ad locum Actor. 7. 51. De Iudæis qui Spiritu sancto obnitebantur vel resistebant, Respondemus 1. Remonstrantes perperam ista verba intelligere, existimantes Spiritum S. bona desideria Iudæis inspirasse, quibus illi restiterunt. Per bona enim desideria Spiritui sancto non resistitur, sed obtemperatur. 2. Loquitur Stephanus de ijs qui erant duri cervice, & incircumcisi corde & auribus: Ergo non de ijs quorum cervicibus emolliendis & cordibus circumcidendis Spiritus S. occupabatur. 3. Restiterunt Sp. Sancto non intus efficaciter in ipsis operanti, sed foris per Verbi ministerium gratiam ipsis offerenti. 4. Textus inquit: *Resistebant sicut & patres eorum:* Hi vero resistebant Spiritui, quia Spiritum in Prophetis loquentem, contumaciter rejiciebant, sicut Deus conqueritur, Iesa. 6. 9. Et 63. 10. & alibi: Et Christus dicit Apostolis Matt. 10. 24. *Vos non estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.* 5. Sacramentalis est locutio, qua contumelia signis illata, ipsi Deo vel rebus significatis illata dicitur; videantur loci Genes. 17. 14. Levit. 10. 1. Luc. 10. 16. Matth. 25. 40. 1. Cor. 11. 29.

74. Ad

Digitized by Google

74. Ad locum Apoc. 3. 20. *Ecce sto ad ostium, & pulso: si quis audierit vocem meam, & aperuerit ostium, ingrediar ad eum, & cœnabo cum eo, & ipse mecum:* Respondemus 1. Locus est parabolicus non Literalis. 2. Habent quidem auxilium aperiendi sufficiens, quoad externa media, prædicationem Verbi, usum Sacramentorum, beneficia alia, quibus ad resipiscentiam invitantur: nec non quoad divinæ voluntatis agnitionem, non vero sufficiens ad aperiendum cor sine gratia Dei efficace, qua ipse nos aperire faciat, imo ipse aperiat cor nostrum, sicuti de Lydia purpuraria dicitur, Actor. 16. 18. 3. Minime ignorat Christus pulsans, nos aperire non posse, sed iacere mortuos in peccatis. Neque pulsando est stultus: Quin ideo pulsat quia scit nos aperire non posse, ut pulsando nos ex morte peccati suscitet; aures surdis aperiat, voluntatem & vires aperiendi nobis instillet; non secus ac si quis pulset domum, in qua scit omnes veterno iacere sepultos.

75. Ad locum Matth. 23. 37. 38. *Ierusalem, Ierusalem, interemptrix Prophetarum & lapidatrix eorum qui ad te missi sunt; quoties volui aggregare liberos tuos, quemadmodum gallina aggregat pullos sub alas, & noluistis?* Respondemus 1. Christum hic considerandum esse ut Deum simul & hominem, qui secundum Deitatem protestatur, se per ministerium Prophetarum Hierosolymis docentium, voluisse aggregare liberos eorum. Spiritus enim Christi, qui erat in Prophetis, declaravit eventuras Christi perpessiones, ut Petrus testatur 1. Pet. 1. 11. Ideo dicit Christus hoc citato loco: *Ierusalem, Ierusalem, interemptrix Prophetarum & lapidatrix eorum, qui ad te missi sunt.* Item, *Quoties volui aggregare liberos tuos.* Hæc vero Deitatis suæ voluntas per Prophetas explicata, non fuit voluntas beneplaciti; alioqui fuissent omnes aggregati; sed fuit voluntas Signi, qua Deus, quid ab hominibus fieri vel omitti velit, declarat, quam pro sua sapientia sic ipsi patefacere placet, non ut eos fallat, sed ut ipsorum bonum promoveat. 2. Respondemus Christum etiam hic loqui ut hominem, & ut Paulus Rom. 15. 8. eum appellat ministrum Circumcisionis, qui ratione muneris sui Prophetici & ut Evangelij sui minister, omnes suos auditores promiscue aggregare voluit ac etiam studuit, sicut & fidi omnes ministri, relicto penes Deum arcano suo consilio, facere consueverunt. Hæc autem Christi, ut hominis, voluntas discernenda est ab illa arcana & immutabili Deitatis suæ voluntate, qua multos inter Hierosolymitanos, reprobos & plane inconvertibiles esse sciebat.

76. Has ad loca citata responsiones, si quis probe observaverit, multa alia similia facile explicare poterit: quare ampliore labore supersedemus, atque ad Examen Quæstionum inter Remonstrantes & Ecclesiam Orthodoxam in his Articulis Controversarum, progredimur.

EMBDANORVM

Examen controversiarum circa III & IV Articulum,

De causa Fidei & modo Conversionis.

Ex Thesi dictata prima.

AN Deus omnes homines aliqua vocatione vocet ad salutem, mediaque ad fidem & conversionem necessaria omnibus sufficienter & efficaciter administret. Affirmant Remonstrant. Armin. ad Perkins. pag. 259. 260. Coll. Hag. Brand. pag. 189. 190. 192. Iohan. Arnold. contra Tilen. pag. 99 104. 105. 106. & seq. Et pag. 367. 369. 370. 372. 373. Et adversus Wal. pag. 60. ubi dicunt Remonstrantes, Deum posse alia occulta ratione sensus verbo prædicato comprehensos animis hominum ingerere, & quibusdam Evangelij summam hoc modo notam facere. Et pag. 61. Deum ijs, qui veritatem in injustitia non detinent, sed eum, uti cognoscunt, glorificant, Evangelij doctrinam extraordinaria ratione revelare. Quæstio 1.

Digitized by Google

Antithesis

Deus, idque iuxta beneplacitum ſuum, non vocat omnes homines ad ſalutem, neque media ad fidem & converſionem neceſſaria omnibus ſufficienter & efficaciter adminiſtrat. Probamus

1. ex Pſalm. 147. 19. 20. *Indicat verba ſua Iacobo, & ſtatuta ſua Iſraeli, non fecit ſic ulli genti.* Reſpondet Ioh. Arnoldi ad Til. pag. 99. Prophetam loqui hic comparative & imparitatem tantum ac diverſam vocationis menſuram exprimere.

Reſpondemus, Concedere nos primum, videlicet, Prophetam loqui comparative. Confert enim populum Iudaicum cui dedit Verbum ſuum, cum alijs gentibus quibus illud non dedit. Alterum illud, diverſam hic tantum vocationis menſuram exprimi, negamus. Nulla enim hic fit mentio vocationis gentium. Deinde, ſubjicit Propheta hæc verba de gentibus, *ideoque iura iſta non noverunt*, quod certe nullo modo dicere potuiſſet, ſi aliqua vocatione ad ſalutem fuiſſent vocati, mediaque ad eam neceſſaria ſufficienter & efficaciter eis fuiſſent adminiſtrata.

2. Probamus Antitheſin noſtram ex eo, quod Apoſtolus tempora præterita vocet ignorantiæ tempora, Actor. 17. 30. Et gentes conferat ijs, qui noctu & in obſcuro aliquid palpando quærunt.

3. Ex eo, quod Apoſtol. ad Rom. 1. 20. dicat, generalem illam & confuſam Dei notitiam ideo gentibus relictam, ut ſint ἀναπολόγητοι.

4. Ex Pauli verbis 1. Corinth. 1. ubi dicit, *mundum non cognoviſſe Deum per ſuam ſapientiam*, ideoque *placuiſſe Deo per ſtultam prædicationem Evangelij credentes ſalvare.*

5. Denique; ſi eiuſmodi media ſufficientia & efficacia omnibus adminiſtrat Deus, mirum eſt nullum ex præſtantiſſimis Philoſophis, quales imprimis Plato & Socrates, converſum eſſe. Ex quibus liquet palam, humanum figmentum eſſe, quod de medijs ad ſalutem ſufficienter & efficaciter adminiſtratis fabulantur.

Quod autem in reſp. ad Walachros aſſerunt, Deum occulta ratione ſenſus verbo prædicato comprehenſos, & Evangelij ſummam, ratione extraordinaria revelare: cum illud ſine teſte aſſerant, eadem facilitate à nobis rejicitur, qua ab illis aſſeritur.

Quæſtio II. An homines mediorum iſtorum recto uſu maiorem gratiam conſequantur? vel, An qui lumine naturæ recte uſi ſunt, alijſque propterea digniores, conſequantur lumen gratiæ? Sic Ioh. Arnold. ad Tilen. pag. 373. & 437. Et ad Wal. pag. 47. Et Armin: ad Perkinſ.

Antithesis.

Lumine naturæ, quod valde obſcuratum eſt, abſque ſingulari Dei gratia nullus homo recte uti poteſt, ideoque neque eius recto uſu ampliorem gratiam mereri. Nemo enim per lumen naturæ & rectum mediorum iſtorum, quem vocant, uſum, ad veram Creatoris cognitionem pervenire poteſt. Ratio,

1. Quia vera Dei cognitio non niſi per Chriſtum revelatur, Ioh. 14. 6. Naturæ autem lux non ducit nos ad Chriſtum, Ioh. 1. *In mundo erat, & mundus per eum factus eſt, & tamen mundus eum non cognovit.* Ergo naturæ lux, cum ad Chriſtum non ducat, non ducit quoque ad veram & ſalutarem Dei creatoris notitiam. Quid itaque homo corruptus mereretur, qui ne in ſtatu quidem gratiæ mereri quidpiam poteſt? Quis enim dedit Deo? ut retributionem accipiat?

Ratio 2. quia etiam ſapientiſſimi inter gentes, ſtulti facti ſunt in ratiocinationibus ſuis, Rom. 1. 21. Conſiderentur facta, dicta, leges etiam ſapientiſſimorum Ethnicorum, deprehendemus ea omnia, collata ad ea quæ ſunt Spiritus Dei, nihil aliud quam tenebras fuiſſe. Videatur de horrendis Gentil. Legibus Theodoretus lib. 9. de curandis Græc. affect. Et Hieronymus lib. 2. ad Iovinianum.

At, inquit Armin. contra Perkinſ. *habenti dabitur* Matth. 13. *Non habenti auferetur, quod habet.* Reſp. 1. non loquitur Chriſtus de habente naturalia, ſed quædam ſupernaturalia dona.

2. A non

2. A non habente aufertur, nimirum, ut Lucas 8.18. explicat quod videtur habere etiamsi reipsa non habeat.

Objectio Ioh. Arnoldi, *incedent albati, quia digni sunt.*

Resp. Loquitur Spiritus Sanctus de dignitate gratiæ non naturæ.

Ex Thesi II.

An omnis homo post lapsum, ante Evangelij revelationem, versetur in tenebris ignorantiæ eius boni quod in Evangelio revelatur, neque possit ex se, suo ingenio, naturalibusque viribus absque ulla revelatione illud invenire vel excogitare, ideoque nec velle nec facere. Quæst. III.

Remonstrantes hoc concedere videntur, inprimis ad Wal. pag: 62. Sed dolus latet in illis verbis, ante Evangelij revelationem; Item, absque ulla revelatione. Dicunt enim Deum extraordinaria ratione doctrinam Evangelij hominibus revelare. Deinde fallunt incautos etiam voce prævenientis gratiæ, per quam nihil aliud quam lumen naturæ, & externam Evangelij prædicationem intelligunt. Ideoque, quod uno loco affirmant, alio, pleno ore negant, & prorsus contrarium statuunt.

Sic enim Remonstr. Coll. Hag. pag. 298. in morte spirituali non separantur proprie dona spiritualia ab hominis voluntate, quia illa nunquam ei fuerunt insita. Vbi obiter & alius error notandus, quod hominem in creatione dona spiritualia accepisse negent.

Episcop. Thes. 1. privat. disput. de perspic. Sacræ Scripturæ, quæ universis, inquit, & singulis creditu ad salutem necessaria sunt, clare omnibus & singulis etiam proponit Scriptura, ita ut à quolibet homine facile intelligi possint.

Et Thes. 2. intelligi posse cum dicimus, aliud nihil volumus, quam percipi atque comprehendi posse, quæ sit verborum quibus necessaria enunciantur, mens & sententia. Hoc non possibile tantum, sed etiam facile esse credimus.

Et expressius Thesi 3. Ad hanc intelligentiam consequendam, aliud necessarium non esse, quam vis apprehendendi, quæ vis naturalis est, & omnibus ratione præditis communis in omni statu, neque ullum aliud supernaturale lumen requiritur. &c.

Antithesis

Nullus homo post lapsum, utut sit ratione præditus, in statu peccati sua vi naturali, absque ullo supernaturali lumine sensum omnium quæ scitu, creditu, factu, speratu necessaria in Evangelio proponuntur, capere potest. 1. Cor. 2. 14. *Naturalis homo non intelligit ea, quæ sunt Spiritus Dei, non potest intelligere, sunt ei stultitia.* Sic 1. Cor. 1. prædicatio Evangelij gentibus stulta esse dicitur.

Ioh. 1. Ephes. 5. Homo ipsæ *tenebræ* appellatur.

Deut. 29. 3. 4. *Viderunt oculi vestri probationes illas magnas, signa, prodigia. Sed non dedit vobis Iehovah mentem ad cognoscendum.* &c.

Iesai. 6. 9. *Indesinenter audite & ne intelligatis, videte indesinenter, neque cognoscatis.*

Matth. 11. *Nemo novit Filium nisi Pater, & nemo novit Patrem nisi Filius, & cuicunque voluerit Filius detegere.*

An pauca tantum in Sacra Scriptura creditu, scitu, speratu, factu *necessaria* sint. Quæstio IV.

Sic Episcop. Thes. 2. & 4. Disput. 2. dicit quædam tantum necessaria esse, sine quibus nullo modo fieri potest, ut quis æternam salutem consequatur, quæque sine manifesta culpa hominis ignorari, negari, aut in dubium vocari nequeunt.

Deinde Thesi 3. quædam esse tantum utilia.

Denique quædam in pure-puta speculatione consistere tantum, quæ ad cultum Dei relationem nullam necessariam habeant, quæque ignorari, in dubium vocari, perperam credi sine voluntaria hominis culpa facile possunt.

Et Disput. 1. Thesi 3. dicit, minutulos quosdam & leviculos sensus in Scriptura esse, quos pius religiosusque animus non admodum curet, neque operose consectetur.

Digitized by Google

ANTITHESIS.

Etiamsi quædam in Sacra Scriptura primo-necessaria & quasi fundamentalia dici possint, qualia sunt primaria doctrinæ Christianæ capita, Decalogus, Symbolum &c. omnia tamen, quæcunque in Sacra Scriptura continentur, maxime necessaria & utilia esse statuimus, neque eiusmodi minutuli & leviculi sensus & pure-putæ speculationes in ea inveniuntur, quas homo pius & religiosus non debeat summo studio consectari.

Omnia enim dicta Iehovæ dicta pura sunt, argentum purgatum in catino lectissimo terræ, defæcatum septies. Psalm. 12. 7.

Rom. 15. 4. *Quæcunque antea scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per tolerantiam & consolationem Scripturarum spem habeamus.*

2. Tim. 3. *Tota Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, arguendum, corrigendum, instituendum in iustitia.* &c.

Quæst. v. An notitia Dei residua, opus Legis inscriptum cordibus, conscientia accusans & excusans gentes, scintillæ imaginis Dei post lapsum reliquæ, etiamsi omnia & seorsim, & per se non sufficiant ad hominem vivificandum, media tamen sint, quæ Deus usurpat ad vivificandum, aut si homo non respondeat, ad excusationem omnem ei adimendum. Sic in Respons. ad Wal. pag. 60. Et in Coll. Hag. pag. 299.

ANTITHESIS.

Vltimum hoc, quod nimirum ad excusationem homini adimendam illa omnia sufficiant, cum Sacra Scriptura asserimus, Rom. 1. 20. prius illud plane repudiamus: Nusquam siquidem legisse nos meminimus, Deum per legem cordibus inscriptam, per conscientiam excusantem vel accusantem, perque scintillas imaginis Dei, tanquam per media hominem vivificare, sed per Verbum & Spiritum suum, Iohan. 3. Actor. 2. 10. & 16. &c. capp. 1. Pet. 1. *renati per semen immortale.*

Observandum autem, quomodo his quid sentiant, palam semetipsos prodant, nimirum reliquias illas imaginis Dei in homine seorsim & per se non sufficere ad hominem vivificandum. Vnde colligitur cum gratia aliqua & auxilio conjunctas sufficere. Accedente itaque ad primam gratiam, hoc est, notitias Dei residuas, de quibus in Respons. ad Walach. pag. 53. 54. prolixe, gratia secunda, quæ est prædicatio Evangelij, tum per sufficientem gratiam hominem vivificari posse. Quem errorem multiplicem nos plane rejicimus. Sed de hisce in seqq. latius.

Quæst. vi. An illud ipsum quod hominem coram Deo reddit inexcusabilem, vel, An naturalis istius luminis reliquiæ, sint aliqua rerum divinarum, quæque ad vitam immortalem pertinent, cognitio? Sic Remonstr. in Respons. ad Walach. pag. 53. 54.

ANTITHESIS.

Cum homo ante regenerationem nulla salutari Dei cognitione imbutus, sed in ijs quæ ad regnum Dei pertinent, plane cæcus sit, nihilque intelligat eorum, quæ sunt Dei Spiritus, colligimus hinc, nullam ad vitam *immortalem* in homine cognitionem reliquam esse. *Hæc enim est vita æterna*, inquit Christus, *ut te cognoscant, solum illum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Ioh. 17.

Objiciunt Remonstr. ad Walach. pag. 53. verba Pauli Rom. 1. 20.

Respond. hic nullam fieri mentionem vitæ immortalis, sed tantum ἀναπολογίας.

Objiciunt secundo, Artic. 14. Confessionis Belgicæ, Respond. nihil tale hic inveniri. Nihil enim aliud dicitur, quam aliquas tantum exiguas scintillas & vestigia relicta esse, quæ sufficiant ad homines reddendos inexcusabiles.

Objic. 3. Wilhelmum quendam Teilingium Middelburgensem, insigni eruditione & pietate virum, qui sex ad salutem capita scitu & creditu revera necessaria dixerit, quæ naturali intellectus lumine cognosci queant, & citra specialem revelationem, etiam irregenitis perspecta esse.

Contra

Contra dicit Apostolus, Rom.8. *φρόνημα τῆς σαρκὸς esse inimicitiam adversus Deum.* Et loco antea ex 1. Corinth. 2. citato. *Homo animalis non potest intelligere.* Ephes. 2. *Abalienati à vita Dei, sine Deo, sine fœdere,* &c. Ex quibus & similibus evidenter colligitur, nihil esse in hominis irregeniti mente reliquum, quo salus ipsius procurari & promoveri queat. Ac proinde falsissimum esse, quod dicunt, hominem irregenitum citra specialem revelationem naturali intellectus lumine cognoscere illa, quæ ad salutem scitu & creditu sunt necessaria.

An dispensatores mysteriorum Dei horsum obligati sint, ut omni creaturę Euangelium prædicent, non eo tantum loco in quo sunt & vivunt, culpaque penes eos sit, quod Euangelium ubique non prædicetur, quia cum Iona ire recusant quo mittuntur. Sic Iohan. Arnold. advers. Til. pag. 105. additque hæc verba, si tantus nobis esset zelus erga Dei gloriam, quantus amor auri est, non conquereremur tam multas nationes, cognitione Christi destitui. Quæst. VII.

Respondemus, mirum esse, quod Remonstrantes qui tam liberales sunt in aliis reprehendendis, ipsi se non præstent immunes à tali reprehensione, & non præeant in Indiam utramq; aliaque remota loca ad prædicandum Euangelium. Si hic tanta est apud Verbi præcones culpa, quare ipsi culpam non præstant. Et si maior est apud ipsos gloriæ Dei zelus, quam auri amor, cur, quod voce fatentur, reipsa non implent?

Deinde, si quis absque vocatione & missione ad gentes Barbaras, quales sunt Indiani, Chinenses, Turcæ, Tartari, &c. proficisci, ibique prædicare vellet, an non esset pro ἀλλοτριοεπισκόπῳ habendus?

Annon tentaret Deum, quod absq; vocatione in eiusmodi discrimen se cõjiceret?

Denique aurum Indorum Brasiliensium, Peruvianarum, aliarumque gentium inter Reformatos potissimum quærunt Belgæ. Cum itaque Remonstrantes Belgæ sint, & nullibi nisi in Hollandia, Vltrajectensi ditione, Geldria, Transisulania reperiantur, præeant illi exemplo, salutem gentilium quærendo, cum eorum aurum & divitias quærant.

An Gratia, quæ præveniens dicitur, sit aliqua communis gratia, puta lumen naturæ, & naturalis scientiæ Legis, &c. Sic Remonstr. ad Wal. pag. 47. Externa item prædicatio Verbi conjuncta cum tractione aliqua quæ fit per Spiritum, sic in Coll. Hag. pag. 97. lin. 13, 14. quæ Spiritus operatio semper cum Verbo coniuncta sit, & in omnibus externe vocatis operetur, sic Ioh. Arnold. advers. Til. pag. 431. Arminius, inquit, sentit externo Verbi præconio internum Spiritus auxilium coniunctum esse, neque internam Spiritus actionem ab actione externa Verbi esse separandam. Et pag. 432. Sententia Arminii est, internum Spiritus auxilium communiter & ordinarie iis contingere, qui per Verbum Euangelii vocantur. Et pag. 125. dicit, nemini externam vocationem sine interna contingere. Hinc ad Wal. pag. 65. statuunt gratiæ paritatem in omnibus quoad sufficientiam. Quæst. VIII.

Antithesis I.

Multi externe vocantur, qui internæ & efficacis vocationis minime fiunt participes. Audiunt enim multi, qui non intelligunt. Iesa. 6. & Matth. 13. multi Christum docentem audiunt, sed paucis datur nosse mysteria regni cælorum. Actor. 2. Non omnes credunt ad prædicationem Apostolorum, sed quidam illudunt. Actor. 17. 8. 12. quidam concitant plebem, quidam vero crediderunt. Ibidem, Athenienses audientes Paulum docentem ridebant, sed Dionysius Areopagita & Damaris aliique credebant, & Paulo adhærebant. Hinc oritur.

Antithesis II.

Gratia interna, qua Spiritus S. movet, immutat, excitat, corrigit corda hominum, non tantum est sufficiens, verumetiam efficax: ac proinde distinctio illa gratiæ in sufficientem & efficacem, si non de externis mediis, sed de vero & interno Spiritus tractu loquamur, minime nobis probatur. Retineant eam sibi Bellarminus & Arminius adv. Perkins. pag. 245. Quoscunque enim Spiritus sanctus

 trahit,

trahit, illis non tantum dat posse currere, sed etiam ut reipsa currant. Cant.1.3. Neque dat tantum Deus, ut possimus ambulare in viis suis, sed etiam ut re ipsa ambulemus, Ezech.36.27. Neque dat tantum ut possimus, qui in peccatis mortui sumus, vivificari, sed etiam ut actu ipso vivificemur, Ephes.2.

ANTITHESIS III.

Gratia præveniens, non est Augustino, aliisque cum priscis tum recentioribus Orthodoxis Ecclesiæ Doctoribus, communis illa & naturalis gratia, qua Deus illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, ut perperam Remonstrantes sentiunt: sed qua Spiritus S. per Euangelij vocem & prædicationem in animis electorum efficaciter bonas cogitationes, bonum propositum, boni desiderium operatur, quaque ita eorum mentes & voluntates præparat, ut assentiantur & obsequantur Spiritui S. Probatur exemplis conversorum, Actor. 2. & 8. & 9. & 10. & 16. & seqq.

ANTITHESIS IV.

Gratia hæc præveniens, sicuti & præparans, operans, cooperans, interna cum externo Verbi præconio conjuncta, non est communis gratia, sed tantummodo electorum. Si enim hæc communis esset, non daretur alia gratia electis quam reprobis, quod nimis est absurdum. Deinde, si par gratia omnibus offertur & datur; unde tam impar effectus? Ex impari, ajunt, hominum affectu vel arbitrio, quo unus acceptat, alter respuit oblatum bonum. Sed hinc alterutrum necessario sequitur: aut impar fuisse remedium, quod non sanat utrumque: aut imparem fuisse morbum & corruptionem, quod est Pelagij placitum. Eligant nunc utrum velint, & sese absque cavillationibus, subterfugiis & dubiis loquendi modis expediant. Si Christus non potuit omnes servare, est imperfectus Salvator; quod blasphemum: si noluit, falsum est dogma eorum secundo Articulo traditum.

Deinde, si non æque corrupti sunt omnes homines, sed hi rectius communi gratia uti norunt, quam alij; vicit Pelagius.

Sin vero omnes æque corrupti sunt, ita ut non sit bonus, ne unus quidem, vicit Paulus Rom. 3. Vincat autem Paulus & confundatur Pelagius cum omnibus asseclis suis.

Fatemur equidem, multa dona communia dari Hypocritis, etiam præter externam Verbi prædicationem, mentis illuminationem, (quamvis non specialem illam quæ electis datur, qua norunt ita Deum ut suum Deum, quemadmodum Filius-familias Patrem suum novit, cum singulari erga Patrem affectu, utpote certus de Patris singulari erga se affectu:) sed nullum omnium illorum donorum separatim, neque conjunctim omnia, cum communia sint, ad salutem consequendam, sufficientia esse concedemus unquam.

Quæstio IX. An vis illuminationis & vivificationis in mente sit irresistibilis, cum in corde, vel, ut illi loqui malunt, in voluntate, sit resistibilis? Affirmant Remonstr. pag. 173. ubi dicunt, mentem nostram ipsum scire effugere non posse, sed velit nolit, cogatur illud cognoscere.

ANTITHESIS I.

Illuminatio mentis, vera nimirum & electorum propria, ac innovatio voluntatis & cordis, nunquam à se mutuo separantur. Deus enim, unicus nostræ conversionis autor, totum hominem mente, corde & voluntate renovat, opusque suum inchoatum magis magisq; perficit. Ideoque sicuti mens hominis, quem Deus convertere vult, non rejicit scientiam, quod natura tamen perceft & facit, Rom.1.12,18. ita voluntas eius qui convertitur, non vult non converti.

ANTITHESIS II.

Novam loquendi formulam, & ad nova dogmata occulte introducenda invectam, de vi irresistibili mentis & resistibili voluntatis, cum dolus sub ea lateat, liberumque

rumque hominis arbitrium plus æquo sic extollatur, ex Ecclesia Dei eliminandam censemus. Nam absurdum est dicere, Deum in convertendo hominem ei vim inferre, quod hostile aliquid sonare videtur. At Deus ex filiis iræ & tenebrarum, faciens filios lucis & gratiæ, facit molli tractu, ne amplius resistant. Quid itaque sibi vult vis illa irresistibilis in mente?

Voluntatem quod attinet, si hominis corruptam naturam consideremus, potest sane resistere, nec potest non resistere Deo, inprimis per externum Verbi præconium hominem vocanti: sed cum efficaciter vocatur, ita afficitur voluntas, ut libere & spontanee absque omni coactione velit bonum, quod antea nolebat, idque absque ullo actu resistentiæ. Exemplum in Paulo, Actor. 9. *Domine, quid vis me facere?* Et Actor. 2. *Viri Fratres, quid faciemus?* Et Actor. 16. in præfecto carceris. Quanta hic ubique fuit promptitudo, cum cor intus tactum esset à Spiritu sancto? Quorsum itaque figmentum hoc de resistibilitate? nisi horsum, ut sub hoc umbraculo conatus hominum nova dogmata spargere satagentium delitescerent?

An Liberum Arbitrium ita sit capax gratiæ natura, ut à gratia illam capacitatem dono accipere non sit opus. Sic expresse Armin. ad Perkins. pag. 244. Et addit, gratiam esse instar formæ, quæ capacitatem & potentiam materiæ in actum producat. Quæstio x.

ANTITHESIS.

Cum homo sit servus natura injustitiæ, Rom. 6. mortuus in peccato Eph. 2. cor habeat lapideum &c. non est capax ullius boni, nisi illam capacitatem à gratia omnimode accipiat. Quomodo enim capax boni est natura, qui ne ad cogitandum quidem bonum idoneus est? Recte Augustinus, *ut velimus, sine nobis operatur, cùm autem volumus, cooperatur*, De Grat. & Lib. Arbit. cap. 17.

EX THESI III.

An communi illa illuminationis gratia, simul cor hominis pulsetur, ut affectus qui propter mentis tenebras erant inordinati, accendantur dilectione veritatis, renoventurque ac vivificentur. Sic Remonstr. in Coll. Hag. passim. Quæstio xi.

ANTITHESIS.

Cum cor hominis sit pravum, & figmentum cordis humani malum ab ineunte ætate, Genes. 6. & 8. Ierem. 17. nullo modo communi illa gratia præveniente, quæ ipsis est lumen naturæ & vox Euangelij externa, cor immutari & accendi veritatis dilectione potest: sed opus est ut cor & affectus renoventur per potentiam illam, qua Deus Iesum ex mortuis excitavit, Eph. 1. quaque cor novum in Davide creavit, Psalm. 51. Et qua cor lapideum juxta promissionem, Ezech. 11. & 36. commutat in carneum.

An Spiritus ubicunque pulsat & intrare vult, non intret, nec semper cordis apertionem sequatur attentio. Affirm. Remonstr. Coll. Hag. pag. 294. lin. 14. 15. Non sequitur, inquiunt, in omnibus, quibus cor adapertum est, talis attentio, qualis nimirum fuit in Lydia, tantum abest, ut necessario illam apertionem cordis sequeretur. Imo probandum esset prius, omnibus cor reipsa adaperiri, quibus illud Spiritus sanctus adaperire vult, quod nos negamus: quia ubicunque Spiritus pulsat, hoc vult aperire & eo ingredi: sed non ubicunque pulsat, aperitur cor, neque Spiritus sanctus ingreditur quocunque vult; vocat enim, sed homines detrectant venire, Proverb. 1. 24. Matth. 13. 37. Ita & non, ubicunque Spiritus S. adaperire vult, cor reipsa semper aperitur. Quæst. xii.

Ibid. pag. 322. Multi possunt venire, qui tamen non veniunt.

Et pag. 328. Posteriorem autem partem, quod nempe operatio, qua Deus nobis fidem dat, semper sit efficax & irresistibilis, negamus simpliciter, imo existimamus illud è diametro pugnare cum natura ipsius fidei, & cum communi donorum conditione, quæ eius plerunque naturæ sunt, ut possint recipi vel rejici.

ANTI-

ANTITHESIS I.

Spiritus S. ubicunque pulsat interno & efficaci pulsu; illuc intrat, & semper cordis apertionem sequitur attentio. *Ventus enim quo vult spirat: ita est qui genitus est ex Spiritu.* Ioh. 3.8.

Deinde, quando *Iehovah init consilium, quis irritum illud faciet? & manum ejus extentam quis avertat?* Ies. 14.27. *Consilium enim Domini stabit, & omnem delectationem suam facturus est*, Iesai. 46.10.

Exemplorum appositione res manifestior evadet. Actor. 2. 9.10. & 16. cap. hoc evidenter docetur, Spiritum S. cor multorum ingressum esse, eaque corda adaperuisse, ita ut vera attentio subsequuta fuerit.

Quæ contra afferuntur ex Proverb. 1. & Matth. 23. ea à Fratribus Contra-Remonstrantibus in Collatione satis refutata sunt. Agitur enim utrobiq; de externa tantum vocatione. Locus etiam Actor. 16. ex quo Lydiæ conversionis exemplum prolatum, ab Amesio satis est vindicatus.

ANTITHESIS II.

Quorumcunq; cor divina gratia tetigit, ita ut possint venire, in illis porro ita efficaciter agit, ut reipsa veniant, & cum filio prodigo reipsa surgant, & redeant ad Patrem suum, à quo fuerant aversi. Deus enim hæc omnia simul conjungit, posse venire, velle venire, & ipsum actu venire, Philip. 2. Anne putandum est, Patrem aliquos ad Christum trahere, qui tamen non veniunt? Ioh. 6. Hoc autem nullo modo pugnat cum natura fidei, siquidem in consideratione ad Articulum II. probatum est, Deum utrumque dare, & posse & velle credere, cum utrumque conjunctum esse oporteat. Est quidem hæc fidei natura, si incrementum spectes, ut per Verbi prædicationem, & Pastorum tempestivas & intempestivas instantias, monita, obsecrationes, augmentum capiat & crescat: sed longe aliter se res habet circa initium fidei, sicuti alias ostensum.

Neque pugnat hoc cum donorum omnium conditione, ut loquuntur loco citato Remonstrantes. Bonorum enim spiritualium tanta est dulcedo, tanta jucunditas, tam sunt desiderabilia, ut merito de iis dici possit, quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ spirituales; id quod ex iisdem exemplis, supra ex Actis Apostolicis allatis, palam liquet: imprimis Pauli, Lydiæ, multitudinis fidelium Actor. 2. Commentariensis, qui tremefactus primo accidit Paulo & Sylæ ad pedes: deinde, quid, inquit, oportet me facere, ut server? Et annuntiato ipsi Iesu, credit protinus re ipsa & actu, baptizatur, gaudet & exultat cũ tota domo sua, quod credidisset Deo.

Quæst. XIII. An homo ante sui regenerationem possit mortem spiritualem agnoscere, eam dolere & deplorare, liberationem desiderare, vitamq; esurire & sitire, aliaque plura præstare, quæ in homine regenerando desiderantur? Affir. Remonst. Coll. Hag. Brand. pag. 290. lin. 22. & seqq. Denique, inquiunt, probamus ex contextu hoc, Ego indam illis cor novum, quia revertentur ad me: conversionem, cum sit hominis actio per Dei gratiam, hic non sequi mox donationem novi cordis, sed præcedere instar conditionis, quia Deus cor novum promittit. Ibidem dicunt, hominem posse aliquid ad sui conversionem conferre ante habitus fidei infusionem.

Et pag. 300. dicunt, irregenitos aliquos esse vocatos; Dei gratia excitatos: & ejus auxilio eo perductos, ut mens illustrata veritatem salutiferam norit. & affectus amore virtutis inflammatos esse. Et pag. 302. præcedit ergo aliquod hominis opus sui vivificationem, nempe, mortem suam agnoscere, deplorare, velle, rogare, ut ex ea liberentur, vitam esurire, sitire, quærere. Quod omne & plus etiam à Christo exigitur in eis quos vivificabit & regenerabit. Sic etiam ad Wal. pag. [illegible] Episcop. disput. de Pœn. thes. 1. 9. 13. Ioh. Arnold. adv. Tilen. pag. 396, 397. ubi peccatorum confessionem, dolorem, initialem timorem, irregenitis tribuit, & vi Spiritus peccatorem ex legis concione præparari dicit ad regenerationem. Probat ex Psalm. 51. & Ies. 66.

Chaos hic continetur errorum, quibus saltem breves hasce Antitheses opponimus.

ANTITHE-

ANTITHESIS
I.

Cum homo natura cœcus sit, mortuus in peccatis suis, filius iræ, versetурque in cupiditatibus carnis suæ, faciens quæ carni & cogitationibus libebant, habeatque cor lapideum, ex quo nullus bonus succus potest exprimi: figmentum illud Pelagianum de operibus ante regenerationem præparatoriis plane repudiamus, ut sacræ Scripturæ è diametro adversum.

ANTITHESIS
II.

Miseriam suam agnoscere, dolere, deplorare, liberationem desiderare, esurire, sitire, quærere &c. nemo potest, sine speciali gratia Spiritus regenerantis, à quo nos quæri & inveniri primum oportet, antequam nos illum quæramus, Ies. 65. Inventi autem à Deo non agnoscimus & confitemur citius peccatum, quam Deus ignoscit; neque esurimus & sitimus justitiam ipsius beneficio, quin statim saturemur. Matth. 5. Tribuere itaque hominibus ista vel in totum, vel ex parte ante regenerationem, Deo est contumeliosum.

ANTITHESIS
III.

Conversio donationem novi cordis ut conditio non præcedit, homoque ante donationem fidei ad sui conversionem nihil conferre potest, quia natura durus est, & corde incircumciso, Actor. 17. Turpissima autem hæc est loci Ieremiæ 24. 7. tam plani corruptio, quando ex hoc loco concludunt, conversionem esse conditionem antecedaneam donationis novi cordis, ac si scriptum esset, quia revertuntur ad me, propterea indam illis cor novum. Cum sic scriptum sit, *Induam eis cor novum, eruntque mihi populus & ego illorum Deus, cum reversi fuerint ad me ex toto corde suo.* Sensus est, Deum conversurum aliquos, eos nimirum, qui bonis ficubus comparantur; Et cum converterit eos, ipsique ab eo conversi ad eum fuerint reversi, tum se copiam bonorum corporalium & spiritualium in eos effusurum, & sua ipsius dona in eis coronaturum. Conversio itaque non præcedit donationem novi cordis ut conditio, sed est ipsa novi cordis donatio, & vice versa, novi cordis donatio est ipsa conversio; continetque omnia, quæ ad eam pertinent.

ANTITHESIS
IV.

Mens electorum non illustratur veritatis salutiferæ cognitione, neque affectus amore veritatis inflammantur, quin simul voluntas vivificetur & immutetur, & vires novæ homini ad obtemperandum Deo sufficiantur. Deus enim hominem convertens non partem aliquam, sed totum hominem convertit. Hinc videmus Ierem. 24. 7. Novum cor & cognitionem veri Iehovæ conjungi. Inprimis etiam Ierem. 31. 33, 34. & passim alibi. notetur hic, quod infusionem omnem habituum in mentem, voluntatem & affectus post lapsum omnino repudient. Ad Walach. pag. 56. Quod in secundo Thesis Tertiæ Corollario annotatum est. Vnde palam liquet, quid ipsis sit illa mentis & affectuum illuminatio & vivificatio, cum quibus toties in arenam prosiliunt, & unde illa ortum suum habeat, videlicet non à Deo, cui habituum & novarum qualitatum post lapsum infusionem non concedunt, sed ex ipsis Liberi Arbitrij humani viribus.

EX THESI

EX THESI IV.

Quæst. XIV. An in voluntate hominis nunquam fuerint dona spiritualia, ideoque infusio sanctitatis in ea locum habere non possit, &, an nec in morte spirituali talia dona ab ea fuerint separata: sed an fuerit in ea duntaxat libertas bene vel male agendi, bonaque vel mala voluntas dicatur tantum ab actione bona vel mala. Affir. Remonstr. Coll. Hag. pag. 298. lin. 16. sed ajunt, in voluntate non potuit talis infusio fieri, quippe quæ ex se libera est ad volendum bonum vel malum, & ab opere suo vel bona vel mala denominanda est; quod mens illi monstraret, & quo affectus illam impellerent. Et lin. 24. At, inquiunt, in spirituali morte non separantur proprie dona spiritualia ab hominis voluntate, quia illa nunquam ei fuerunt insita; sed tantum libertas qua posset vel bonum vel malum facere, ad Wal. 56. 57.

ANTITHESIS I.

Cum homo conditus sit ad imaginem Dei, quæ posita fuit in vera Dei agnitione, Col. 3 & sanctitate ac justitia in veritate, Ephes. 4. Colligitur hinc, non tantum mentem & affectus hominis, sed etiam voluntatem insignibus donis spiritualibus, inprimis justitia, rectitudine & integritate, qua perfecte interne & externe divinæ voluntati homo obedivit (unde factum ut nude ambularent parentes primi, nec erubescerent) ornatam & insignitam fuisse.

Falsum itaque figmentum Iesuitarum est, cum quibus Remonstrantes consentire videntur, hominem in puris naturalibus conditum, justitiam deinde superinfusam esse: Hanc ut donum supernaturale amissam, naturalibus relictis.

Falsum etiam, quod Remonstrantes dicunt, in voluntate tantum fuisse libertatem bene vel male agendi.

ANTITHESIS II.

Etiamsi post lapsum reliquiæ quædam imaginis Dei in homine remanserint, ita tamen ea obliterata est, ut præstantissima illa dona, ceu sunt, sanctitas, justitia, integritas, rectitudo & ad Deo obediendum admirabilis promptitudo, a voluntate hominis omnino separata fuerint, ita, ut qui ante lapsum libenter, sponte & cum voluptate Deo serviebat, eidem nunc, cum figmentum cordis ejus malum sit, repugnet, prorsusque ab eo sit aversus.

Quæst. XV. An libertas volendi bonum & malum post lapsum in homine remanserit, ut pars creatæ naturæ, vires autem suas propter tenebras mentis & connexam affectuum depravationem exerere non possint. Sic Remonstr. Coll. Hag. pag. 298. lin. 28. 29. pag. 300. lin. 14. pag. 301. Deus hominem peccatorem, ajunt, natura non privavit, cujus pars est voluntas, cujus proprium est libertas ad rem propositam vel recipiendam vel rejiciendam. Et pag. 302.

ANTITHESIS.

Etiamsi facultas volendi & quidem volendi libere post lapsum remanserit, nulla tamen in homine corrupto libertas est ad bonum, sed ad malum tantum, quod libere absque ulla coactione vult & patrat. Et hic boni omnis in voluntate defectus, non est tantum ex mentis tenebris & affectuum depravatione, sed ipsius voluntatis per lapsum corruptione. Probatur iisdem testimoniis & argumentis quæ supra sunt allata.

An eadem

Digitized by Google

An eadem libertas voluntatis maneat in regeneratis, quæ fuit in homine corrupto. Affirm. Remonstr. Coll. Hag. pag. 301. Quæst. XVI.

Resp. Negamus: Nam homo corruptus est tantum servus peccati, ideoque non potest nisi malum velle. At homo regeneratus est servus justitiæ, ideoque potest etiam velle & facere, & vult ac facit reipsa quod bonum est. Rom. 6. per totum, & Rom. 7. in fine. Nequaquam itaque hi duo status hominis ante regenerationem & post eam confundi debent.

An regeneratio & vivificatio inchoentur ab opere, quod Deus ipsum hominem jubet facere, & quod cum homo facit, paulatim reviviscit; Et an hominis aliquod opus præcedat sui vivificationem. Affirm. Remonstr. Coll. Hag. pag. 302. lin. 18. & 27. Quæst. XVII.

Antithesis.

Cum Deus det velle & perficere, legem suam indat cordibus nostris, mutet cor lapideum in carneum, solus nos vivificet, & ex mortuis excitet, det Spiritum novum &c: Colligitur hinc, initium Conversionis non esse ab opere aliquo, quod facit homo, sed quod facit solus Deus, iuxta multiplices eius hac de re promissiones. Contrariam blasphemiam detestamur.

An mente & affectibus vivificatis, voluntas ista virtute mentis & affectuum reddatur potens, insitam facultatem, nolendi & volendi, exercendi, &, an voluntatis vivificatio proprie in eo sita sit. Affirm. Remonst. Coll. Hag. pag. 300. ubi dicunt, affectus amore veritatis inflammatos voluntatem ad illam amplectendam instigare. Et paulo post: Nam & intellectus & affectus jam nunc vivificati sunt, atque ea ratione voluntas est potens facta, ut innatam volendi ac nolendi facultatem in actum producat, in quo voluntatis vivificatio proprie sita est. Quæst. XVIII.

Antithesis I.

Intellectus & affectus vivificati non vivificant voluntatem, aut potentem eam faciunt ad nolendum & volendum. Sed solus Dei Spiritus qui mentem illuminat & affectus veritatis amore inflammat, voluntatem simul immutat, ut velit bonum eoque delectetur, quæ ante efficacem illam Spiritus operationem nil nisi malum velle poterat. Passim enim hæc in Sacris Literis soli Deo tribuuntur. Sic Paulus, cum dixisset, nos omnes fuisse mortuos in peccatis, & natura filios iræ, dicit, non nos ipsos, sed Deum nos vivificasse: de toto homine, non de parte ejus loquens, Eph. 2.

Antithesis II.

Vivificatio voluntatis non est proprie in eo sita, quod voluntas per mentem & affectus vivificatos potens facta, innatam volendi & nolendi facultatem in actum producere queat; sed, quod quæ antea serva facta fuerat peccati, bonum jam possit velle & actu velit, suęque Conversionis incrementum serio desideret.

Antithesis. III.

Sacrificium illud cordis fracti, & animus fractus ac contritus, quæ Deus non spernit, Psalm. 51. non est irregenitorum, ut somniat Ioh. Arnold. pag. 307. adv. Tilen. Sed tantum vere regenitorum, qualis erat David cum hasce preces funderet.

An per Euangelicorum mandatorum, patheticarum invitationum, exhortationum, suasionum, excellentissimorum vitæ æternę promissorum, querelarum, protestationum, comminationum notitiam &c: voluntas invitetur, excitetur, propellatur & instigetur ad prębendum assensum, id est, ad credendum & obediendum. Affirm. Remonstr. Coll. Hag. pag. 322. 323. Ioh. Arnold. advers. Til. pag. 11. Quæst. XIX.

Antithesis.

Etiamsi Deus mandatis, exhortationibus, obtestationibus, suasionibus, minis; addo calamitates, pœnas &c. ad convertendum homines plerunque utatur: nullo tamen modo hęc omnia ad convertendum hominem sufficere; Sed aliam & infinito majorem vim supernaturalem, & supereminentem magnitudinem potentiæ Dei, qua Deus Iesum à mortuis excitauit, ad hominis conversionem necessariam esse. Quam vim resurrectionis Domini Paulus optat ut Ephesij cognoscant, eoque nomine ardenter Dominum precatur, ipsaque jam conversus magis magisque sentire desiderat, Phil.3.10.

Falsę itaque sunt hæ Remonstrantium assertiones.

1. Quod in hisce suasionibus alijsque allicijs constet gratia excitans circa voluntatem, vocatio efficax; potentia credendi; omnibus attentis auditoribus communiter collata.

2. In hisce consistere Dei voluntatem & intentionem hominem regenerandi.

3. Hanc esse vim illam supernaturalem, qua homo convertitur.

4. Hanc esse naturam majorem & potentiorem, qua natura seipsam vincere & convertere possit.

5. Denique vel hac sola morali gratia homines animales reddi spirituales.

Ex Thesi V.

Quæst. xx. An positis omnibus gratiæ operationibus, quibus Deus ad conversionem utitur, Conversio tamen ita maneat in hominis potestate, ut seipsum possit convertere vel non convertere, credere vel non credere, Deoque & Spiritui ejus regenerationem intendenti atque operari volenti resistere, eamque impedire vel non impedire &c: Affir. Remonstr. in Coll. Hag. infinitis locis, inprimis pag. 273. lin. 18. ubi dicunt; multos Spiritui Sancto ita resistere reipsa & efficaciter, ut opus conversionis suæ impediant, adeoque gratiam Dei resistibilem manere; Ioh. Arnol. ad Tilen. pag. 337. Arminij, inquit, sententia hæc est: gratiam non ita instruere hominem novis viribus, quin semper maneat in hominis potestate ijs uti vel non uti. Ad Walach. pag. 66. lin. 25. & pag. 68. Arminius ad Perkins. pag. 243. Manet, ait, semper in potestate Liberi Arbitrij, gratiam datam rejicere & subsequentem repudiare, quia gratia non est omnipotens Dei actio, cui resisti à Libero hominis arbitrio non possit.

Antithesis.

Deo per gratiam suam hominem convertente, inque hominis mente, corde & voluntate gratia sua interna & efficaci operante, nullo modo in hominis potestate manet conversionem suam impedire vel non impedire. Si secus esset,

1. Deus tantum suaderet, non simul persuaderet, sed hominis arbitrio hoc permitteret, sive morem gerere velit, siue non. Et sic nihil aliud præstaret quam homo amicus, qui multis rationibus & argumentis amicum in suam sententiam pertrahere molitur. quod absurdum est de Deo dicere, qui corda nostra in sua habet potestate, eaque inclinat quo vult.

2. Sic Deus ab homine penderet, non homo à Deo.

3. Sic gratia efficax penderet tantum ab eventu, eoque incerto, si, scilicet, homo velit vel nolit.

4. Sic esset hominis currentis & volentis, non Dei miserentis tantum: quod indubitato sequitur, si homo gratiam aut acceptare aut repudiare potest. At non est volentis, sed Dei miserentis. Ergo: &c.

5. Considerentur exempla Apostolorum, qui simulac audirent vocem Christi, Sequere me, protinus relictis omnibus, sequebantur eum. Vnde vero hoc? Num ex morali tantum suasione? Nihil minus, cum secundum externam speciem Christus omnium esset miserrimus & contemptus ac abjectissimus virorum, doloribus affectus Iesa.53. Ergo ex interno & efficaci tractu. Exemplum latronis admirabile

Digitized by Google

rabile est, qui Spiritu Christi tactus & tractus, *miserere mei*, clamat, *Domine cum veneris in regnum tuum.* Et audit protinus dulcissimam illam vocem, *Amen dico tibi, hodie mecum eris, &c.* Anne existimandum tum languidam & inefficacem in eis fuisse Dei operationem, ut pro lubitu gratiam oblatam repudiare potuerint? Quin potius ita suasit Spiritus Sanctus, ut simul etiam persuaserit.

6. Porro si Deus hominem ita converteret, ut homo posset conversionem sui impedire &c: tum Deus non daret velle & perficere, Philip. 2.

7. Sic etiam Deus non discerneret hominem 1. Cor. 4. Sed homo Deum.

8. Sic homo posset gloriari se aliquid habere quod non accepisset, nimirum, rectum Liberi Arbitrij usum & actum, sola utendi eo potestate per gratiam sibi collata.

9. Sic Christus hominum Servator potestate tantum esset: homo autem sui ipsius servator actu,

10. Sic homo amplius ad salutem suam conferret quam Deus, cum potestate longe potior sit actus.

Ex quibus liquido constat, Blasphemam esse hanc Remonstrantium doctrinam, ideoque merito ab Ecclesia Dei detestandam.

Antithesis. II.

Homo quando convertitur, irresistibiliter convertitur; etiamsi ante conversionem nihil aliud quam Deo resistat, post conversionem etiam ex infirmitate ei resistere possit & sæpenumero resistat. Nam Deus hominem convertens, ita in eo agit efficaciter; ut ex nolente faciat volentem; atque ita actu omnem resistentiam tollat. Fiunt enim qui convertuntur Filij Dei, amici Dei, fratres Christi, vivi lapides, concives Sanctorum; qui magno cum gaudio Deo efficaciter vocanti obtemperant, tantum abest, ut resistant. Quamvis, cum virus aspidum sub hac resistibilitate & irresistibilitate lateat, hasce καινοφωνίας ex Ecclesia eliminandas censeamus.

An non sola Dei gratia, sed & hominis voluntas tanquam subsequens & una cum gratia iens; non ex se sed efficacia gratiæ vna operetur ad efficiendam ipsam actu fidem, atque ita sit concursus gratiæ divinæ, & voluntatis humanæ; Et, an hæc sit gratia adiuvans, concomitans, prosequens? Affir. Remonstr. Coll. Hag. pag. 271. lin. 18. 19. 20. 21. pag. 275. Voluntas, inquiunt, excitata per gratiam prævenientem (quæ ipsis sunt naturæ lumen & Verbi præconium) idonea facta est, ut cum gratia concomitante & per eam operetur. Et pag. 290. conversio est actio hominis per Dei gratiam. Et ad Wal. pag. 62. 64. dicitur voluntatem hominis esse gratiæ Dei causam subordinatam, & ad ejusdem operis boni apotelesma concurrere. Quæst. XXI.

Antithesis I.

Cum vires Liberi Arbitrij ad bonum, per lapsum non tantum vulneratæ, sed penitus in homine annihilatæ & amissæ sint, concursum ejusmodi gratiæ Dei & voluntatis humanæ in conversione hominis plane repudiamus. Intellectus quidem & voluntas seu volendi vis, cogitationes &c. ipsius hominis sunt, idque ex generalis Dei gratiæ beneficio: Sed bonitas, puritas, rectitudo in intellectu, voluntate & corde, solius Dei opus sunt mere & integre.

Antithesis II.

Vnde colligimus, & adversus varia hæc Remonstrantium figmenta indubitato concludimus, hominem ad primam sui conversionem nihil conferre, sed habere se mere passive, quemadmodum cæcus ille Ioh. 9. cum visum reciperet, & Lazarus cum ex mortuis excitaretur. Homo tamen jam conversus in continuatione suæ conversionis Dei συνεργὸς, desiderando incrementum donorum spiritualium, fi-

dei, Spei, caritatis, omniumque virtutum Christianarum, ideoque verbum audiendo, legendo, meditando, indesinenter orando &c. merito dicatur: ita tamen ut initium, medium, augmentum, finis omnis boni in solidum soli Deo tribuendum sit, qui dat velle & perficere. Hinc Dauid jam conversus, adhuc orat ardenter, *ô Domine flecte animum meum ad statuta tua, neque sinas deflecti ad quæstum.* Psalm. 119. 36. Item Psal 143. *Doce me facere placitum tuum, quia tu Deus meus es: tuo Spiritu bono deduc me per terram planam.*

Nullum itaque concursum gratiæ & Liberi Arbitrij in prima nostri conversione agnoscimus. Ratio.

1. *Sumus enim mortui in peccatis*, Eph. 2.

2. *Animum mundum crea in me Deus.* Psal. 51. Vnde liquet, hominis conversionem esse novam creationem. Ergo hominis voluntas cum Dei gratia non magis operatur, quam cum creatore creatura dum creatur.

3. *Agnoscite Iehovam effecisse nos, non nos ipsos.* Psal. 100. Loqui autem Prophetam non tam de prima creatione, quam de regeneratione, patet ex seqq. *Nos populus eius sumus, & grex pastus eius.*

4. *Deus dat velle & perficere.* Ergo non adjuvat tantum, sed totum ipse operatur. Sic expresse Augustinus, *Vt velimus, sine nobis operatur: cum autem volumus nobiscum cooperatur.* De Grat. & lib. Arbitr. Cap. 17.

5. *Amplius ego laboraui quam illi omnes: Non ego tamen, sed gratia Dei qua mecum est.* Hæc paucula sufficiant, cum res ex Sacris Literis plana & perspicua sit.

Non possumus itaque non summam Remonstrantium in proferendis cerebri sui vanitatibus audaciam & impudentiam admirari, quando expresse ad Wal. dicunt, pag. 63, voluntatem hominis ad operis boni (loquuntur autem de initio conversionis) συμπλήρωμα concurrere. Item, voluntatem esse caussam, qua proxime & immediate velit bonum, credat, speret, diligat. Item, omnem actionem ab aliqua proxima potentia emanare, ideoque hos ipsos conuersionis actus, puta credere, sperare, diligere, dolere, pœnitere ad voluntatem referri necesse esse, non ad Deum. Et similia alia ibidem παράδοξα, nimis audaci ausu proferre non erubuerunt, quæ nos merito abominamur, & pro blasphemis habemus.

Subtiles autem illos & sublimes Disputationes de Concursu gratiæ Dei & voluntatis hominis ijs relinquimus, qui ingenij sui acumen ostentare malunt, quam S. Scripturæ perspicua simplicitate contenti esse. Quid, quod ne ipsi quidem acutissimi Philosophi, hac de re admodum subtiliter disserentes, cum se ipsis consentiant, quod liquebit ex Libro Suarezij de hoc concursu Dei & hominis conscripto.

Ex hisce ita positis, & ex Dei Verbo firmatis, aliæ enascuntur quæstiunculæ à Remonstrantibus passim motæ, quæ paucis indicandæ tantum erunt, cum ex superioribus reipsa satis sint confutatæ.

Quæst. XXII. An conditionem stipulari, eamque irresistibiliter efficere, & propter eam aliquid promittere, & hoc ipsum quoque irresistibiliter præstare, non pugnent inter se? Aiunt Remonstr. Collat. Hag. pag. 282.

Respondemus, minime hæc pugnare. Deus enim postulat à nobis, quod ex nobis ipsis minime præstare possumus, ut sciamus, quidnam ardenter à Domino petere debeamus. Hinc cum Augustino nobis dicendum, *Domine, da, quod iubes, & iube quod vis.* Ergo quam Deus à nobis stipulatur conditionem, eam ipse, quæ est naturæ nostræ pravitas & corruptio, in nobis adimplet:

Deinde promissiones suas præstat, sed non propterea, quod nos conditionem requisitam præstitimus, sed ex mera gratia, atque ita sua dona in nobis coronat, ut ita omnis gloria in solidum soli Deo tribuatur.

Deinde, si hæc inter se pugnant, tum ipsa Scriprura, adeoque ipse Deus secum pugnat. Nam postulat ut Israelitæ corda sua circumcidant, Deut. 10. Sed Deut. 30. promittit per Moysen, se quod ab ipsis postulavit, in eis effecturum, & cor eorum circumcisurum. Sic Ezech. 18. mandat Dominus: *facite vobis cor novum, & Spiritum novum:* Sed Ezech. 32. promittit Dominus: *Ego dabo vobis cor novum, & spiritum novum.* Quæ itaque hæc hominum væsania est, ex hisce pugnantia venari velle?

An ho-

An homo possit illud quod mandat Deus vel facere vel omittere? Remonstr. Coll. Hag. pag. 282. non obscure se hoc sentire fatentur. Quæst. XXIII.

Antithesis.

Homo post lapsum nequaquam illud præstare potest quod mandat Deus: non magis quam Æthiops pellem suam aut pardus maculas suas immutare potest, Ierem. 13. 23. Mandat itaque Dominus multa in lege, ut sciamus, non quæ sint nostræ vires, sed quod sit nostrum officium: quidque facere debeamus, non quid facere possimus. Et simul promittit se hoc quod mandat in nobis effecturum. Vt sciamus à quo hoc petere, & cui illud acceptum ferre debeamus, nimirum soli Deo. Cui sit omnis gloria in secula.

Hæc quæstio cum prioribus coincidit, An scilicet Deus non possit jure nobis imperare, quod ipse irresistibiliter in nobis efficit. Sic Remonstr. Coll. Hag. pag. 291, 292. Quæst. XXIV

Respondemus, Deum iure à nobis omnia quæ mandat, postulare. Dederat enim possibilitatem; quam cùm sua culpa amiserit homo, Deus propterea non amittit ius suum.

Deinde, quando Deus hoc quod jure à nobis postulat, quodque minime nos præstare possumus, in nobis se operari velle promittit; an non potius cum admiratione hanc immensam Dei bonitatem exosculari, deprædicare, & magni facere debemus, quam illam in jus quasi trahere, & ad rationis nostræ captum sacrosancta hæc mysteria aptare velle.

An infusio novarum qualitatum bonarum in voluntatem, intellectum & affectus repugnet mediorum administrationi, quibus Deus in homine novam vitam operari vult, eamque ob caussam virtutes quæ sunt in homine regenito, potius comparatæ quam infusæ dicantur. Affirm. Remonstr. Coll. Hag. pag. 292. lin. ult. & ad Walach. pag. 56. Quæst. XXV.

Respondemus, Nequaquam pugnare, cum subordinata non pugnent. Nam Deus utitur medijs istis, nimirum, predicatione Legis & Euangelij, & per illa media efficax est, efficiens in electis illud gratiose quod in Lege & Euangelio requirit. Vbi hic repugnantia aliqua? Deum autem multa à nobis postulare, quæ præstare nequimus, antea ostensum, & per se satis est manifestum.

An autem virtutes, quæ sunt in regenitis, potius comparatæ quam infusę dicantur, de eo non multum laborabimus, modo omne illud, quod siue comparatum siue infusum sit, soli divinæ gratiæ prorsus tribuatur. Remonstrantium autem sensu, qui nunc latere neminem facile potest, comparatas esse, sine honoris divini imminutione dici nec potest nec debet.

An libertas voluntati essentialiter adhærens, qua potest objectum nolle & velle aut non-velle, tollatur è voluntate, si dicamus, Deum in conversione hominis tollere omnem resistentiam? Affirm. Remonstr. advers. Wal. pag. 55. In Coll. Hag. pag. 292. Quæst. XXVI.

Respondemus primo, nos ejusmodi libertatem, qua possit voluntas nolle aut velle; aut velle & non-velle bonum, minime, hominis ante sui conversionem voluntati adhærere, concedere. Est enim homo servus peccati natura, Rom. 6. ac proinde nulla in eo ad volendum bonum libertas.

Secundo, negamus hoc sequi, quod ex hoc modo Conversionis, quam ex Scriptura tuemur, Remonstrantes sequi contendunt. Nam Deus hominem convertens, ita mouet & renouat, non tantum intellectum & affectus, sed etiam voluntatem, vt voluntas libere & minime coacte velit bonum; quod etiam vult Deus. Atque ita à voluntate, non libertatem, sed molli tractione resistentiam tollit. Ita ut homo, qui natura nihil aliud potest quam Deo resistere, non resistat in sui conversione Deo, sed sponte & alacriter ac liberrime, motus à Deo, absque resistentia velit bonum & sui conversionem.

An, si sic convertamur, omne robur admonitionum, omne desiderium, omnis sedulitas & sollicitudo conversionis in homine, extinguatur. Affirm. Remonst. in Col. Hag. pag. 279. Quæst. XXVII

Digitized by Google

1. Respondemus, ex superioribus liquere hoc minime sequi. Nam cum adhortationes omnes totidem media sint, per quæ nos Deus convertit, atque sua potentia in nobis operatur; quod nostris viribus nullo modo quimus, quomodo hac ratione extinguitur, ac non multo potius stabilitur admonitionum robur?

2. Dicimus, nos ejusmodi desiderium, sedulitatem & solicitudinem conversionis, absque Dei singulari gratia, in nullo hominum ante sui conversionem esse posse, asserere.

3. Quando jam homo conversus & fide donatus est, tum mirum in modum hominis desiderium, sedulitas & solicitudo pro conservatione boni accepti exacuitur, tantum abest, ut extinguatur. Tum clamant cum Davide, *Domine, confirma in nobis quod operatus es*: cum Discipulis, *Domine, adauge nobis fidem*: Et rursus cum Davide, *Domine, notas fac mihi vias tuas, doce me semitas tuas.* Psalm. 25. *Uni cor meum tibi ad timendum nomen tuum* Psal 86. Quod itaque toties hoc inculcant Remonstrantes, id sine causa faciunt, & illud ad fallendum rude & inscitum vulgus pertinet & doctrinam Orthodoxam suspectam reddendam apud incautos.

Quæstio. XXVIII. An ex hac doctrina sequatur, Deum non esse sincerum in offerendo verbo suo hominibus, neque justum in puniendis iisdem.

Aiunt Remonst. Coll. Hag. pag. 296.

Resp. 1. Deum sincere nihilominus verbum suum hominibus offerre. Serio enim & syncere docet & inculcat, quidnam ab homine requirat, & quodnam sit hominis debitum Deo officium; ac serio quoad approbationem, vult omnium conversionem. Quare autem non omnibus eam velit dare, *curiosius illi scrutentur, qui volunt perniciose errare*, ut loquitur Augustinus.

2. Deum etiam justissime punire verbo non obedientes. *Iustus enim est Iehova & iustitias diligit*, Psal. 11. Item; *iustus est, & recta omnia ejus iudicia*, Psal. 119. De hoc videatur Quæstio IX. Catechef. Heidelb. Qui itaque hic Deum injustitiæ arguere audent, cogitent *Deum iustum esse in sermonibus suis, & vincere, quando iudicatur.* Psal. 51. Ipse enim multa lenitate tulit hominum malitiam, qua illum ad iram provocarunt, ejusque tolerantiam & benignitatem spreverunt, Rom. 2.

Quæst. XXIX. An sic essentialis voluntati indeterminatio & agendi indifferentia tollatur? Hoc in speciem absurdo mirum in modum se oblectant passim Remonstrantes, in primis ad Wal. pag. 66.

Respondemus, Nos ejusmodi indeterminationem & indifferentiam voluntatis ad bonum & malum nullo modo post lapsum homini concedere, sicuti supra ostensum. Summa hæc est. Nos nullum Liberum Arbitrium in homine non regenerato ad bonum agnoscere, sed servum peccati tantum. Frustra itaque toties illam suam indeterminationem nobis obtrudunt.

Quæst. XXX. An hac doctrina Orthodoxa de modo conversionis, vera præcipiendi & obediendi ratio tollatur. Sic putant Remonstr. ad Wal. pag. 70.

Resp. Neutrum hinc sequi dicimus.

1. Non tolli rationem præcipiendi quæ omnino necessaria est. Omnibus siquidem hominibus constare debet omni tempore, quidnam coram Deo rectum & æquum sit, quidque Domino Deo suo homo debeat.

Deinde hæc præcipiendi & præcepta indesinenter inculcandi promissiones & comminationes proponendi & explicandi ratio, medium est, quo Deus utitur ad hominem convertendum, ut supra dictum. Ergo & hanc ob causam præcipiendi ratio necessaria est.

2. Non obediendi rationem, quia homo per media illa conversus, vere Deo obedire incipit. Deinde, postquam hominem convertit, indesinenter nihilominus præcepta sua proponi, doceri & explicari vult Deus, & secundum ea obedientiam postulat, quam filiali timore spontanee & cum summa voluptate vere conversi præstant, serio & ex animo dolentes, si quando eos exorbitare contingat, Deumque rogantes assidue pro peccatorum remissione & Spiritus sui Sancti perpetuo ductu.

Gravissime itaque errant Remonstrantes, quando nos Deo non obedire statuunt, nisi obedientia illa ex nostris viribus & voluntate, indeterminate & indifferenter ad bonum & ad malum se habente, initio oriatur.

Quæst. XXXI. An sic nullum sit discrimen inter hominis & trunci vivificationem, & an hic agendi modus

Digitized by Google

modus non sit alius, quam si Deus ex lapidibus excitaret Abrahæ filios, & cum ex limo terræ Adamum formaret. Sic placuit Remonstr. ad Wal. pag. 71.

Sed insana hæc criminandi & veritatem traducendi proteruia responsione digna non est. Cum constet, & multoties inculcatum sit, hominem esse creaturam vivam, ratione præditam & volendi potentia, idque quod vult libere, non coacte volendi. In eiusmodi homine Deum agere, ita ut mentem in spiritualibus cæcam illuminet, affectus pravos & corruptos sanet, voluntatem ad malum tantum natura propensam immutet, & ad obedientiam libere absque coactione præstandam incliner. Hoccine est in trunco aut in statua lapideve agere sensu & vita carentibus? Sed digni sunt qui ejusmodi lepidis fabellis se mutuo seducant, ideo quod amorem nudæ & simplicis veritatis abjecerint.

An si dicamus velle esse ab homine, bene velle à gratia, reale discrimen inferant. Item, an falsum sit, bonitatem esse aliquid superadditum actui? affir. Remonst. ad VValachr. p. 72. Quæst. XXXII.

Respondemus 1. actum volendi & bene volendi numero non differre. Est enim unus idemque actus; qui quatenus actus est volendi, est ab homine, auxilio tamen Dei generali sustentato: quatenus vero actus est bonus, á Deo est.

2. Nimis audacter dicunt, Falsum esse, quod bonitas actui superaddi posse asseratur. Cum è contra, hoc verum esse, lippos & tonsores ipsa experientia edoceat. Sane, si actui interdum superadditur malitia; nunquid è contrario, actui in se indifferenti bona qualitas superaddi poterit?

An *converte me Domine*, idem sit, quod castiga me, Ierem 31. 18. Sic sapiunt Remonstr. Coll. Hag. pag. 283. Quæst. XXXIII.

Respondemus paucis idem quod Philippus Marnixius, cujus memoria in benedictione est, in Apiario suo, loco de S. Cruce, respondit iis, qui ex litera ת Ezech. 9. fecerunt signum crucis; Etiamsi tantum sit inter literam Tau & signum crucis discrimen, quantum est inter catum & anatem; tamen hoc credendum esse cum sic S. Matri Rom. Ecclesiæ visum fuerit, explicare. Æque ferme magna differentia est inter hæc duo: castiga me & converte me; sed ita placuit exponere iis, qui cum Scriptura, ut pueri cum tesseris & astragulis ludunt. Si autem locum ipsum, verba, sensum consideremus, liquebit de conversione loqui Prophetam, non de castigatione. Et quis, obsecro, unquam sic precatus est, castiga me Domine, sicut castigasti Ephraimum, quemadmodum Remonstr. explicant. Legimus sæpenumero sanctos pœnas & castigationes sive præsentes, sive imminentes deprecatos esse, ut Psalm. 6. & 38. *ne castiga me, Domine, in excandescentia tua* &c. contrarium, raro invenietur, nimirum, quempiam petivisse, ut se Dominus castigaret.

Ex Thesi VI.

Quæritur, an Remonstrantes revera sentiant corde, quod ore fatentur & manu, Artic. 3. nimirum, initium, progressum & complementum fidei, gratiæ Dei principaliter esse attribuendum. Videatur Artic. 3. de caussa fidei, Et Ioh. Arnol. adv. Tilen. pag. 441. lin. 5. 8. Quæst. XXXIV.

Respondemus, docuisse nos experientiam, & crebram nunc ipsorum scriptorum lectionem, verba hæc tantum ad fallendum excogitata esse. Quam enim multiplex error hic lateat, & quid variæ illæ distinctiones gratiæ contineant monstri, haud facile, nisi qui ipsorum sacris initiatus fuerit, exacte norit. Audiamus, aliis omissis Ioh. Arnoldi verba loco citato: Assensum vero esse, dicit Arminius, partim ex prævenientis gratiæ impulsu, partim ex libera voluntatis potestate, quæ si non resistat impulsui prævenientis gratiæ, ipsam gratiam assensum operari cum voluntate concomitanter, ad quam antea invitarat prævenienter. En portenta & ludibria verborum. Explicet qui per otium potest; nobis interim ad finem properandum erit.

De Fide, cujus in Corollariis fit mentio, qualis sit, & quid sit, ac an electionis sit effectus, de eo supra aliquoties monuimus, ideoque hic acquiescimus, Deum orantes, ut nos in veritate sua conservet. Amen.

Digitized by Google

Theologorum Magnæ Britanniæ
DE
V. ARTICULO SENTENTIA,
QUI EST
DE

Perseverantia Sanctorum.

IN hoc Articulo, quando de Sanctorum perseverantia quæritur, manifestum est, de illis tantum Sanctis agi, qui rationis usu pollent, actuque fidei ex Euangelio prædicato conceptæ justificantur, quique in eadem fide propriæ voluntatis actu aut perseverare, aut à perseverantia deficere ponuntur. Nam primo patet ex ipso Quinto Remonstrantium Articulo, agi de ijs qui Christo vera fide insiti sunt. Soli autem adulti per veram fidem insiti sunt. Secundo, idem patet ex Articulorum connexione. Nam in IV. Articulo Remonstrantes contendunt, Deum operari fidem in hominibus per vim & gratiam resistibilem: & proinde Deum itidem fidem jam in cordibus fidelium ingeneratam, per vim resistibilem conservare & custodire. Ideoque eum, qui semel fidem adeptus est, posse eandem amittere. Vt patet in statu hujus Controversiæ à Remonstrantibus formato. At Deus operatur & conservat fidem resistibiliter in solis adultis: ut qua soli libere possunt gratiæ resistere. Ergo. Tertio Remonstrantes asserunt Perseverantiam, de qua hic agitur, esse beneficium omnibus fidelibus sub hac conditione ex æquo oblatum, si gratiæ sufficienti non defuerint. Quæ assertio plane supponit, Articulum intelligi debere de Perseverentia adultorum, qui soli libere deesse possunt gratiæ sufficienti. utpote penes quos solos est libertatis usus. Hæc si diligentius perpendissent Remonstrantes, abstinuisse poterant ab argumento sumpto à parvulis baptizatis, ad asserendam justificatorum defectionem; præsertim ij, qui negant in Baptismo parvulorum ullam esse realis gratiæ collationem.

Coll. Hag. Bert. parte 2. pag. 10. *Coll. ibid. pag. 150.* *Coll. Bert. ibid. pag. 19.*

Quia in hoc Articulo duo sunt, quæ ventilari solent, Primum, an non-electi ad statum sanctificationis & justificationis, ex quo in vere Sanctorum numero censeantur, unquam pertingant, secundum, an Electi justificati & sanctificati unquam ab hoc statu penitus deficiant: ideo primo in loco Theses ponimus eas, quibus ostenditur, quousque non-electi in via ad justificationem progredi possint.

Quoad non-electos; Thesis I.

Quibusdam non-electis conceditur quædam illuminatio supernaturalis, cujus virtute intelligant ea, quæ in verbo Dei annunciantur, esse vera, ijsdemque assensum præbent minime simulatum.

Hujus Theseos veritas quoad priorem partem, illuminationem scilicet mentis, aperte ex Scripturis colligitur. Heb. 6. 4. ubi Apostolus meminit eorum, qui in Sp. Sanctum peccarunt, asserens eos fuisse φωτισθέντας; & cap. 10. 26. innuit, eosdem post acceptam veritatis cognitionem ultro peccare posse. Item, Apostolus Petrus 2. Pet. 2. 21. mentionem facit quorundam, qui cum cognovissent viam justitiæ, tamen regressi sunt à sancta doctrina ijs tradita. Iudas erat *filius perditionis*, Ioh. 17. 12. idem tamen cognitione Euangelij instructus est. Vnde & missus à Christo una cum reliquis discipulis ad prædicandum Euangelium Israeli, Matth. 10. 7. Easdemque pœnas interminatur Christus Iudæ præconium aspernantibus ac aliorum. vers. 9. Hi omnes illuminati sunt cognitione supernaturali veritatis Euangelij: quæ illuminatio à Sp. Sancto profecta, veram notitiam in horum mentibus genuit; ex qua actus eliciebant, quoties opus erat, eidem conformes. Imo fieri potest, ut Philosophus Ethnicus di-

Digitized by Google

cus distinctius & accuratius apprehendat mysterium Incarnationis Christi, & subtilius intelligendo discernat unitatem personæ, & naturarum distinctiones, quam rudis Christianus.

De assensu minime simulato, qui Euangelio præberi & potest & solet ab hominibus non-electis, æque liquet. Luc. 8. 13. Semen quod cecidit super petrosam, eos denotat auditores, qui ad tempus credunt. id est, qui divinitus revelatis assentiuntur, & & in primis pa o Euangelico: Assensum autem hunc minime simulatum fuisse inde constat, quod sermonem cum gaudio exciperent. Actor. 8. 12. Ipse Simon Magus Philippo Euangelizanti, quæ ad regnum Dei pertinent, credidit, & in testimonium fidei baptizatus est. Hymenæus & Alexander naufragium fecerant fidei, non quidem fictæ, aut simulatæ, sed veræ. Neque enim cuiquam vitio vertendum, quod à fide hypocritica deficiat: nec fidei simulatæ naufragium fit, sed detectio, & manifestatio: nec naufragus esse poterit, nisi qui vere in navi fuit. 2. Pet. 2. 20. Nonnulli dicuntur effugisse inquinamenta mundi ἐν ἐπιγνώσει τοῦ κυρίου quorum ultima conditio deterior facta est priori: hæc autem ἐπίγνωσις non nudam cognitionem, sed & assensum cognitis datum denotat, ex quo nata illa fuga inquinamentorum mundi. Ioh. 12. 42. *Ex principibus multi crediderunt in illum: sed propter Pharisæos non confitebantur, ut è Synagoga non ejicerentur. Dilexerunt enim gloriam hominum, magis quam gloriam Dei.* Credebant scil. fide dogmatica minime simulata, in cordibus quidem tum latente, sed in externam professionem non erumpente, propter periculi metum. Qui (ut inquit Augustinus) *in hoc ingressu fidei si proficerent, amorem quoque humanæ gloriæ proficiendo superarent.* Tractatu 53. in Iohan.

Omnes hujusmodi desertores juste coarguuntur, ac puniuntur, non quod fidem eam, quam nunquam habuerint, simularint, sed quod eam, quam habuere, dereliquerint: ac multo gravius peccant à fidei gratia con a recedentes, quam illi quibus Euangelij præconium nunquam innotuit, ut docet salvator. Ioh. 15. 22.

II.

In ijsdem ex hac cognitione & fide oritur affectuum quædam mutatio, & morum aliqualis emendatio.

Ex illuminatione, & fidei assensu prædictis nascitur quædam in non-electis, cum mutatio affectuum, tum vitæ emendatio: de priore constat ex Matth. 13. 20. *audiunt verbum & cum gaudio accipiunt.* Item 1. Reg. 21. 27. *Cum audisset Achab sermones istos, scidit vestimenta sua, & operuit cilicio carnem suam, jejunavitque, & dormivit in sacco, & ambulavit demisso capite.* Hosce gestus fuisse indices veri doloris ex Prophetæ verbis concepti inde constat, quod Deus hanc humiliationem supplicij temporalis amotione remuneratus sit, vers. 29. *quia humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus ejus.* Heb. 6. 4. Qui ibidem describuntur apostatæ, non tantum *illuminati sunt, sed & gustarunt donum cœleste, bonum Dei verbum & virtutes futuri seculi.* Et vers. 6. innuitur eosdem aliquo modo fuisse renovatos. Et Cap. 10. 26. *Iidem, qui acceperant cognitionem veritatis*, vers. 29. dicuntur *conculcare sanguinem fœderis, quo sanctificantur.* Marc. 6. 20. *Herodes libenter audiebat Iohannem Baptistam.*

De aliquali morum emendatione idem Herodes exemplo esse potest, qui *Iohannem Baptistam observabat, eoque audito, multa faciebat.* 2. Pet. 2. 20. *Inquinamenta mundi effugerant per agnitionem Domini & Servatoris Iesu Christi.* Hi ex hujus cognitionis & fidei operatione aversati sunt hæc mundi inquinamenta. item. c. 1. 9. Quidam *obliviscuntur sese à veteribus peccatis purgatos fuisse.* Et Matth. 12. 43. Ex talibus *Spiritus immundus exijsse dicitur.* In hisce ut illuminatio & assensus divinitus revelatis præstitus minime simulatus erat, sed suo gradu & ordine verus, ita affectus quoque & morum immutatio. Hæc scilicet initialia non erant ficta, vel fucata, sed ex vi dispositionum ad gratiam, & afflatu Sp. Sancti, quem in sese pro tempore senserunt. Quod patet ex affectibus, gaudio, dolore, zelo, quos non tam præ se ferunt & simulant, quam in se vere experiuntur.

De talis

Digitized by Google

De correpl. & Gratia cap. 9. De talibus pronunciat Augustinus, *Non erant Filij, etiam quando erant in professione & nomine filiorum, non quia justitiam simulaverunt, sed quia in ea non permanserunt.*

III.

Ex his initialibus, etiam per externa obedientiæ opera testatis, sumuntur, & ex caritatis judicio sumi debent, pro credentibus, justificatis & sanctificatis.

Qui istiusmodi Sp. Sancti donis internis cum vitæ emendationem, tum fidei Christianæ externam professionem adjunxerint, merito à nobis (quibus intima cordium penetralia incomperta sunt & inscrutabilia) fidelium, justificatorum, & sanctificatorum censu sunt habendi. id quod satis luculenter ex Apostolo Paulo evincitur: qui in Epistolis, quas ad Ecclesias dedit particulares Romæ, Corinthi, Ephesi &c. omnes promiscue compellat, ut *dilectos Dei, sanctos, sanctificatos.* Rom. 1. 7. 1. Cor. 1. 2. Ephes. 1. 1. Phil. 1. 1. Similiter Apostolus Petrus in fronte primæ Epistolæ advenas dispersos hac formula affatur, *dilectis ex prænotione Dei Patris ad sanctificationem Spiritus.* Augustini calculus accedat de non-electis sic loquentis. *Isti, cum pie vivunt, dicuntur filij Dei; sed quoniam victuri sunt impie, & in eadem impietate morituri, non eos dicit filios Dei præscientia Dei.* Et post. *Sunt rursus quidam, qui filij Dei propter susceptam temporalem gratiam dicuntur à nobis, nec sunt tamen Deo.* (De corrept. & Gratia cap. 9.)

IV.

Non-electi huc usque progressi, ad statum tamen adoptionis & justificationis nunquam perveniunt: ac proinde ex horum apostasia perperam deducitur Sanctorum apostasia.

Licet non-electi in Ecclesiæ gremio enutriti dictis initialibus in mente, voluntate, & affectibus ad justificationem aliquo modo tendentibus disponantur, non tamen inde in statu justificationis vel adoptionis positi sunt. Adhuc enim vitiosarum, quibus indulgent, cupiditatum fibras radicesque funditus defixas retinent, amore terrenorum penitius afficiuntur, & durities in imis cordium recessibus latens non aufertur. hinc, urgente persecutione, aut tentatione, à gratia recedunt, & aut amore voluptatum carnisque illecebris inescati, aut aliquo alio vitioso affectu abrepti produnt tandem se φιλαύτυς, ac potius φιληδόνυς, quam φιλοθέυς: nihilque minus quam Deo frui, quicquid sibi falso persuadeant, sed revera *uti voluisse Deo; ut fruantur mundo,* ut alicubi Augustinus (De Civit. Dei lib. 15.): unde constat, eos nunquam reipsa pertingere ad illam mentis & affectuum immutationem & renovationem, quæ cum justificatione conjuncta est, imo nec ad illam quæ proxime præparat ac disponit ad justificationem. Nunquam enim seriam pœnitentiam agunt; nunquam serio dolore afficiuntur, hoc ipso quod peccando Deum offenderint; humilem cordis contritionem non attingunt; nec sincerum propositum de non peccando imposterum concipiunt: ijs non datur resipiscentia ad vitam, cujus mentio Actor. 11. 18. non dolor ille secundum Deum, qui resipiscentiam efficit ad salutem, cujus nunquam pœniteat (2. Cor. 7. 10.): Non sunt pauperes Spiritu, quoniam talium est regnum cælorum (Matth. 5. 13.).

Huc facit illud Aug. qui de reprobis agens, *istorum* (inquit) *neminem adducit Deus ad pœnitentiam salubrem, & spiritualem, qua homo in Christo reconciliatur Deo.* (Contra Iulianum lib. 5. Cap. 3.)

Adde, quod nunquam serium in se sentiunt desiderium reconciliationis; non esuriunt nec sitiunt justitiam (Matth. 5. 6.): tales enim saturabuntur, iisque dabitur è fonte aquæ vivæ (Apoc. 21. 6.), qui fons erit aquæ salientis ad vitam æternam (Ioh. 4. 14.). Porro se ipsos non abnegant, nec suis cupiditatibus penitus abrenunciant, neque unquam rerum omnium præ Christo vilipendentiam, quam habuit Apostolus (Phil. 3. 8.), sordibus suis persentiscunt. Denique fidem illam vivam, & ἀνυπόκριτον, quæ peccatorem justificat, & per dilectionem operatur, (1. & 2. Tim. 1. 5. Tit. 1. 1.)

ratur, nunquam adipiscuntur. Est enim hæc fides peculium Electorum; & negatur non-electis. Ioh. 10. 26.

Præterea solos electos justificari constat ex aurea illa Apostoli catena, *Quos prædestinavit, hos vocavit, quos vocavit, justificavit:* hos nempe, & non alios; ut ex August. ostendimus ad Articulum I. Rom. 8. 30.

Idem August. *Non omnium Deus, sed eorum, quos præscivit & prædestinavit, delicta dimittit.* Contra adult. leg. & prophet. lib. 2. c. 2.

Eosdem non-electos nunquam ad statum adoptionis pervenire ex Scripturis etiam satis liquido constat. Nam primo gratia adoptionis fundatur in prædestinatione: *Qui prædestinavit nos, quos adoptaret in filios per Iesum Christum.* Secundo, status adoptionis, ut & jus ac privilegium filiorum, non nisi fide viva acquiruntur. *Quotquot eum receperunt, ijs dedit ἐξουσίαν, hoc est, jus & privilegium, ut essent filij Dei. nempe ijs, qui credunt in nomen ejus.* Item, *Omnes estis Filij Dei per fidem in Christo Iesu.* Est autem hæc fides propria Electorum, ut supra dictum est. Tertio, omnes, qui in filios adoptantur, regenerantur, & quidem ex semine incorruptibili, per sermonem Dei vivi. *Quisquis natus est ex Deo, peccatum non committit, quoniam semen ejus in illo manet.* Eph. 1. 5. Ioh. 1. 12. Gal. 3. 27. 1. Pet. 1. 23. 1. Ioh. 3. 9.

Quarto, Iidem filij adoptivi sunt etiam hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi: & hæreditatis arrhabonem accipiunt. At non-electi nunquam ex semine incorruptibili regenerantur, nec in se manens Dei semen habent, nec in eandem cum Christo hæreditatem conscribuntur. Rom. 8. 17. Gal. 4. 7. Eph. 1. 14.

Hinc Aug. *Non erant in numero filiorum, etiam quando erant in fide filiorum.* Rursus: *Sicut non vere discipuli Christi, ita nec vere filij Dei fuerunt, etiam quando esse videbantur, & ita vocabantur.* De corrept. & Grat. cap. 9.

Ambrosius: *Num Deus Pater ipse, qui contulit, potest sua dona rescindere? & quos adoptione suscepit, eos à paterni affectus gratia relegare?* Lib. 1. de Iacob & vit. be. c. 6.

Gabriel Biel, *Præsciti non sunt filij adoptivi. patet, quia non sunt per voluntatem Dei ad hæreditatem præordinati.* 3. dist. 10. q. 1. artic. 1.

Horum tantum, qui ad veræ justificationis metam & adoptionis statum nunquam perveniunt, veri nominis apostasia datur.

Eorum vero, qui in filios Dei cooptati, veraque sanctitate imbuti sunt, certa ac indubitata est perseverantia, ut post demonstrabimus.

Aut ergo horum filiorum Apostasia disertis Scripturarum testimonijs erat probanda, aut infausti nominis ominisque titulo de Apostasia Sanctorum, abstinendum.

DE PERSEVERANTIA

Quoad ipsos electos, ipsiusque certitudine, quoad rem:

THESIS I.

Præter fidem illam dogmaticam, affectuum morumque aliqualem emendationem, datur suo tempore electis omnibus ipsa fides justificans, & gratia regenerans, eaque omnia, per quæ ex statu iræ in adoptionis ac salutis statum transferuntur.

Quando Deus cum electis agit, non subsistit in præparatorijs, aut initialibus quibusdam operibus, sed opus suum semper absolvit, eosdem vera fide donando, justificando, adoptando; & ex statu mortis in vitæ statum transferendo. Hoc ostendit Apostolus 8. 30. *Quos prædestinavit, eos etiam vocavit, & quos vocavit, eos etiam justificavit, quos autem justificavit, eos etiam glorificavit.* Et Col. 1. 12. *Gratias ago Patri, qui idoneos nos fecit ad portionem hæreditatis Sanctorum in lumine, & redemit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilecti sui.* Ex quibus locis constat, dari electis omnibus perpetuam quandam beneficiorum spiritualium seriem, quæ illos nunquam derelinquit, sed usque ad statum gloriæ prosequitur.

II. Quam-

II.

Quamvis electi in hoc statu constituti, ratione reliquiarum concupiscentiæ in omni opere bono aliquid omittant, & leviora peccata subreptionis, negligentiæ & inadvertentiæ quotidie committant, inde tamen nec justificationis status concutitur, nec juris ad regnum cæleste hæreditarij usque intercipitur.

Ex legis quidem rigore quodvis, vel levissimum peccatum est mortiferum, & excludit peccatorem à favore Dei & regno cælorum. Sed cum filijs cum Christo jam adoptatis & justificatis, Deus nunquam agit stricto jure. Sunt quidem peccata aliqua ob quæ Deus hisce filijs suis iram atque indignationem denunciat, imo è cælis exclusionem, mortemque æternam interminatur. Qualia ea sunt, videre licet. 1. Cor. 6. 10. Galat. 5. 25. Coloss. 3. 6. de quibus in Thesibus sequentibus dicetur. Sunt autem & alia quædam peccata, ob quæ Deus misericors non solet filios suos vel ad tempus lumine vultus sui privare, non metum condemnationis aut mortis illis incutere. Hujusmodi sunt rebelles concupiscentiæ motus, de quibus conqueritur Apostolus Rom. 7. Item, defectus & nævi, qui etiam optimis renatorum operibus adhærescunt. Denique ea quotidiana humanæ infirmitatis delicta, quæ committuntur absque certo aliquo proposito committendi, & quotidiana remissionis postulatione dimittuntur. De hisce Iacob. 3. 2. *In multis offendimus omnes.* Et 1. Ioh. 1. 8. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus.* Hisce peccatis non
Rom. 8. 1. obstantibus, recte dixerit quivis fidelium: *Nihil condemnationis est ijs, qui sunt in Christo Iesu.* Imo in medio harum infirmitatum, cuivis justificato Deus dicit quod Apo-
2. Cor. 12. 9. stolo dixit, *Sufficit tibi gratia mea. Nam virtus mea in infirmitate perficitur.* Non excidunt à statu justificationis suis infirmitatibus, quorum infirmitate virtus Dei perficitur, quique interim gloriari possunt virtutem Christi in se inhabitare, ut eodem loco habetur.

III.

Iidem regeniti ac justificati quandoque suo vitio incidunt in atrocia peccata, atque hisce indignationem Dei paternam incurrunt, reatum damnabilem contrahunt, præsentem ad regnum cælorum ingrediendum, aptitudinem amittunt.

Exemplis Davidis ac Petri constat posse renatos in gravissima peccata seipsos præcipitare, Deo id quandoque permittente, ut discant cum humilitate agnoscere, non suis viribus aut meritis, sed solius Dei misericordia se fuisse à morte æterna servatos, & vita æterna donatos. Dum hujusmodi peccatis inhærent, ijsque securè acquies-
Psal. 89. 31. cunt, indignatio Dei paterna contra eos suboritur. *Si justitias meas profanaverint, & mandata mea non custodierint, visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus pec-*
Rom. 2. 9. *cata eorum. Tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum.* Quin etiam reatum damnabilem contrahunt; ita ut dum in eo statu impœnitentes persistunt, nec debeant nec possint aliter sibi persuadere, quam se esse morti obnoxios.
Rom. 8. 13. *Si secundum carnem vixeritis, moriemini.* Sunt enim capitali crimine constricti, cujus merito secundum divinam ordinationem morti subjacent, quamvis nondum morti traditi sint, neque, si paternum Dei amorem spectemus, tradendi; sed ab hoc peccato prius eripiendi, ut sic ex mortis reatu eripiantur.

Denique, pro præsenti conditione amittunt aptitudinem ad ingrediendum regnum
Apoc. 21. 27. cælorum; quia *in illud regnum non intrabit aliquid coinquinatum aut abominationem faciens.* Cœlestis enim corona non imponitur nisi ijs, *qui bonum certamen certarunt,*
2. Tim. 4. 8. *& cursum suum in fide & sanctitate consummarunt.* Ineptus ergo ad hanc coronam adeundam, quisquis impietatis operibus adhuc inhærescit.

IV. Dei

THESIS IV.

Dei immota ordinatio postulat, ut fidelis sic exorbitans per renovatum fidei & pœnitentiæ actum prius redeat in viam, quam ad viæ metam, hoc est, regnum cœleste, perduci possit.

Ex electionis decreto ita ad finem prædestinantur fideles, ut non aliter quam per media à Deo instituta, quasi per viam quandam regiam ad eundem finem perducantur. Nec minus rata & certa sunt hæc Dei decreta de medijs, de modo, ac ordine eventorum, quam de fine, ac ipsis eventis. Si quis igitur insistat viam divinæ ordinationi contrariam, puta latam illam viam immunditiæ & impœnitentiæ, quæ recta ducit ad gehennam, nunquam poterit in cœlum isto pacto pervenire. Imo si mors illum oppresserit in hoc devio errantem, non poterit non in mortem incidere sempiternam. Hæc est perpetua & clara vox Scripturarum. *Nisi pœnitentiam egeritis, vos similiter peribitis.* Luc. 13. 5. *Ne errate: neque scortatores, neque idololatra &c. regni Dei hæreditatem possidebunt.* 1. Cor. 6. 9. Frustra ergo sunt, qui opinantur electum in talibus flagitijs volutantem, & ita morientem, vi electionis nihilominus necessario salvandum fore. Nam Deo quidem decernente certa est & firma salus Electorum: at eodem Deo decernente non nisi per viam fidei, pœnitentiæ, ac Sanctitatis est certa. *Absque sanctitate nemo videbit Dominum.* Heb. 12. 14. *Solidum fundamentum Dei stat, & discedat ab injustitia omnis qui nominat Iesum Christum.* 2. Tim. 2. 19. Sicuti ergo certum fuit ex Dei decreto & promisso illos omnes, qui in eadem cum Paulo navi navigabant, incolumes è naufragio emersuros; & tamen illud Pauli dictum simul certum fuit, *Nisi hi manserint in navi, salvi esse non potestis*; Actor. 27. 31. ita certum fuit, electos Dei servos, Davidem & Petrum ad regnum cœlorum perventuros; & tamen non minus certum, si ille in adulterio & homicidio, hic in Christi abnegatione & perjurio impœnitentes permansissent, neuter eorum salvus esse potuisset. Verum enim est illud Theologicum pronunciatum, Malum oritur ex quovis defectu; bonum non nisi ex causis integris. Ingens igitur illud bonum vitæ æternæ non potest nobis competere ex eo solo quod sumus electi, nisi concurrant & reliqua, quæ ad exequendam electionem ex necessaria Dei ordinatione requiruntur. Si quid horum desit, & contrarium insit homini electo, videtur ex utraque parte stare quædam impossibilitas. Exempli gratia, impossibile est ut Paulus electus pereat: impossibile est etiam ut Paulus blasphemus in Christum & incredulus, si hoc in statu moriatur, non pereat: vel, impossibile est, ut David electus pereat: impossibile simul, ut David adulter & homicida, si mors illum oppresserit impœnitentem, non pereat. Sed hunc nodum divina Providentia & misericordia facile solvit: curando ut nemo electorum in eo statu moriatur, in quo à vita æterna juxta aliquam divinæ voluntatis ordinationem excluderetur.

THESIS V.

In illo interstitio quod est inter contractum ex gravi peccato reatum, & fidei ac pœnitentiæ actum renovatum, stat talis peccator suo merito damnandus, Christi merito & firmo Dei proposito absolvendus: non prius autem, quam per excitatam fidem ac pœnitentiam, veniam impetraverit, actu absolutus.

De damnationis merito ob tale peccatum nulla potest esse quæstio. *Qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.* Gal. 5. 21. Nihilominus sub tali reatu non est eadem conditio fidelium, & improborum. Fidelibus Christi sanguis est instar antidoti parati, & in proximo positi, quo simulac fides eorum evigilaverit, uti possunt ad hoc lethale venenum superandum. At infidelibus deest internum hoc

principium, nempe fides, absque qua ipsum remedium est quasi è longinquo positum, nec potest illis fieri proprium, actuque applicari. Huc accedit specialis Dei amor, qui quamvis non impediat, quin paterna ipsius indignatio suboriatur contra filium immorigerum, arcet tamen odium hostile, quod cum proposito damnandi conjunctum est. *Cum punimur, à Domino erudimur, ne cum hoc mundo damnemur.* Veruntamen hic Pater misericordiarum, qui non vult filios suos, etiam peccati reatu constrictos cum mundo damnare, neque vult eosdem peccatis suis cum mundo suaviter indormire. Hinc illum ordinem instituit, ut actus pœnitentiæ, beneficium veniæ præcedat, Psal. 32. 3. *Delictum meum cognitum tibi feci, & injustitiam meam non abscondi. Dixi, Confitebor adversum me injustitiam meam Domino. Et tu remisisti iniquitatem peccati mei.* Et Ezech. 18. 27. *Cum averterit se impius ab impietate sua, quam operatus est, ipse animam suam vivificabit.*

1. Cor. 11. 32.

Si quis igitur ipsum momentum cognoscere velit, in quo post contractum ex gravi peccato reatum fiat actu absolutus, videtur Cyprianus clare illud hisce verbis indicasse. *Cum te in conspectu Domini video suspirantem, Spiritum Sanctum non dubito aspirantem: cum intueor flentem, sentio ignoscentem.*

Cyprian. de Cœna D.

VI.

In interstitio prædicto jus ad regnum cælorum non tollitur, justificatio universalis non irrita redditur, status adoptionis manet immobilis, & custodiente Spiritu S. semen regenerationis una cum omnibus fundamentalibus donis, sine quibus hominis regenerati status non consistit, sarta tecta consevantur.

Ius nostrum ad regnum cœleste non in actionibus nostris, sed in gratuita adoptione atque in nostra cum Christo conjunctione situm est. Ideoque jus ad regnum non tollitur, nisi sublato eo in quo fundatur. *Si filij, hæredes; hæredes Dei, & cohæredes Christi.* Manente ergo adoptione & in Christum insitione, extra viam regni aberrare potest fidelis, at jure regni hæreditario excidere non potest. Nam sicuti is, qui in lepram incidit, propria domo carere cogebatur; donec ab illo morbo esset purgatus, neque interea loci jus ad suam domum amisit: ita Dei filius adoptivus adulterij, homicidij, aut cujuscunque atrocis peccati lepra correptus, non potest quidem cælum ingredi, nisi per fidem & pœnitentiam renovatam ab hac contagione prius expurgetur: & tamen jus ejusdem hæreditarium interim non extinguitur.

Rom. 8. 17.

Porro nec illa universalis & proprijssime dicta Iustificatio (quam depingit Apostolus Rom. 3. 24. 25.) irrita redditur interveniente reatu particularis peccati, licet atrocis & conscientiam graviter sauciantis. Nam huic Iustificationi è diametro opponitur non quilibet reatus cujuscunque peccati, sed reatus universalis omnium peccatorum nondum expiatus, nec reatus cujuscunque personæ, sed reatus incredulorum Christi sanguine nondum ablutorum, nec cujusvis mensuræ reatus, sed reatus talis, propter quem odium Dei hostile personæ reæ superincumbit. Qui semel vera fide justificatus est, nunquam erit postmodum hoc modo reus.
Dicere itaque possumus, Effectum justificationis interveniente particulari tali peccato ad tempus suspendi: quia persona ex hoc novo reatu indiget particulari absolutione. At dicere non possumus, statum justificationis dissolvi: quia eadem persona non excidit ab universali peccatorum præcedentium remissione, non privatur speciali illa, quam credentibus omnibus Christus promisit intercessione, nec gratuita Dei Patris sui dilectione.

Par ratio est adoptionis. Nunquam enim Deus in Christo adoptat sibi filium, quem postea exhæredare, & è familia sua ejicere aut cogatur aut conetur. Peccare quidem possunt, & graviter Filij Dei: ita tamen eos peccare, ut orbentur patria & patre cælesti, minime patietur Dei providentia & misericordia. *Servus non manet in domo in æternum, filius autem manet in æternum;* Nam, (ut loquitur Ambros.) *donum adoptionis Deus non rescindit.*

Ioh. 8. 35. Ambros. de Iacob. & Vita Beat. lib. 1. cap. 6.

Dei-

Denique semen regenerationis, cum fundamentalibus illis donis, sine quibus vita spiritualis non consistit, salva conservantur. Hoc inde clare patet, quod idem Spiritus Sanctus, qui hoc semen cordibus renatorum infundit, eidem semini vim imprimit cœlestem & incorruptibilem, eandemque perpetuo fovet & custodit. *Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum: sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Ioh. 4. 14. *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet.* 1. Ioh. 3. 9. Manente in ijs hoc vitæ semine, vivæ fidei & caritatis dona prorsus extingui est plane impossibile. Hinc vere Gregor. *In Sanctorum cordibus secundum quasdam virtutes semper manet Spiritus, secundum quasdam recessurus venit & venturus recedit: in his virtutibus, sine quibus ad vitam non pervenitur, in electorum suorum cordibus permanet.* Gregor. mor. lib. 2. cap. 42.

VII.

Quod renati prorsus non excidant à fide, sanctitate & adoptione, minime oritur ex ipsis aut ipsorum voluntate, sed ex speciali Dei amore, divina operatione, Christique intercessione & custodia.

Certum est, si Deus stricto jure nobiscum agere vellet, posse eum justissime paternum suum favorem gratiæque salutifera dona nobis ob ingratitudinem & protervìam nostram subducere. Sed, cum ex ipsius Scholæ Decreto peccatum non tollat gratiam effective sed demeritorie, nisi evincatur, Deum cum suis agere secundum mala eorum merita, haud consequetur, ex admissione atrocis alicujus peccati fidem eos amittere, aut justificationis & adoptionis statu excidere. Nam quod nostro merito malo juste fieri posset, id boni Dei misericordia, & Christi intercessione, ac Sp. Sancti operatione ne fiat, impeditur. *Nulla creatura poterit nos separare à caritate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro:* Rom. 8. ult. Non Diabolus: *Hunc enim Deus conteret sub pedibus nostris.* Rom. 16. 20. Non mundus: *hunc enim Christus vicit*: 1. Ioh. 5. 4. & ita operatur in omnibus suis, ut ipsi quoque per fidem tandem victores evadant. Non denique (unde maximum nobis imminet periculum) propria nostra infirmitas, aut liberi nostri arbitrij in malum proclivitas & flexibilitas. Nam Dei virtus in hac fidelium infirmitate semper ostenditur, & per Christi intercessionem pro ijsdem ne deficiant à sua fide semper obtinetur. *Ego rogavi pro te ne deficiat fides tua.* Luc. 22. 31. *Non tantum pro ijs rogo, sed & pro ijs qui credituri sunt per sermonem eorum, &c.* Ioh. 17. 20. Perseverantiam igitur fidelium in fide & Dei gratia, non arcessimus ab eorum libero arbitrio, sed ab eorum liberatore Christo.

Liberabit me Dominus ab omni opere malo, & ad cæleste regnum suum conservabit me. 2. Tim. 4. 18.

Huc spectant illa apud Augustin. *Tutiores vivimus si totum Deo damus, non autem nos illi ex parte & nobis ex parte committimus.* Aug. de Bono Pers. cap. 6.

Sicut ipse operatur ut accedamus, sic & ipse operatur, ne discedamus. Ibid. cap. 7.

VIII.

Perseverantia itaque Sanctorum est gratuitum Dei donum, & ex decreto Electionis ad nos derivatum.

Conclusio hæc ex ijs omnibus, quæ jam dicta sunt, enascitur. Verum ut clarius constet, paucula adjungemus.

Primo, quod sit donum Dei gratuitum, evincitur ex illis Apostoli verbis. *Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* 1. Cor. 4. 7. Si res ulla justam gloriandi causam hominibus præbeat, ea profecto est constanter in bono usque ad finem perseverasse, etiam tum cum potuerint mediis ad perseverandum sufficientibus pro arbitrio non uti. Aut igitur hoc singulari munere datur fidelibus, aut habent aliquid quod non acceperunt, in quo magnifice glorientur. Nos autem è contra asserimus, sive per perseverantiam intelligi velimus ipsam

vim ſtatuminantem & ſuffulcientem fideles, ſive ipſam ſtabilitatem, & invictam fidei firmitatem, ſive denique ipſum actum perſeverationis, nihil horum eſſe quod non ſit donum Dei.

In reſponſ. ad Walach. p. 75. Quod ad vim attinet, qua fulcitur voluntas, ut poſſit perſeverare, Remonſtrantes haud gravate concedunt, ſolam Dei gratiam eſſe, quæ hominem hiſce viribus ad perſeverandum inſtruit.

Quod attinet ad ipſam ſtabilitatem & firmitatem, quæ conſideratur ut modus vel adjunctum veræ fidei, hoc etiam in donis Dei numerandum eſt. Nam qui dat ipſam rem, nempe fidem, ille & modum rei ſimul dat, puta ſtabilitatem ejuſdem fidei, ſive firmitatem, 2. Theſ. 3. 3. *Fidelis eſt Dominus, qui ſtabiliet vos.* 1. Cor. 1. 7. 8. *Nullo dono deſtituti eſtis, ſed exſpectatis revelationem Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui confirmabit vos uſque ad finem inculpatos.* Ex quibus dictis patet, Fidem eſſe donum Dei, tam in ſuis incrementis & ſtabilitate quam in ſuis initijs, & quaſi tenella ætate. Denique, ſi ſanas loquendi formulas ex Scripturis petere cupiamus, ipſum actum perſeverationis noſtræ donum quoque Dei appellemus oportet; Nam ſi Scriptura non modo ipſam fidei qualitatem donum Dei appellat, ſed Phil. 1. 19. τὸ πιςεύειν gratuito hominibus donatum pronunciat, tum etiam & nos debemus non modo perſeverantiam, ſed & ipſum perſeverationis actum Deo acceptum referre. Hoc in loco allegato clare docetur, ubi Apoſtolus ait, non modo datum fuiſſe Philippenſibus credere in Chriſtum, ſed etiam pati pro Chriſto: quod quid aliud eſt, quam ſub cruce in fide Chriſti perſeverare. In hanc ſententiam Auguſtinus, In Epiſt. Hilarij ad Aug. *Aſſerimus donum Dei eſſe perſeverantiam, qua uſque in finem perſeveratur in Chriſto.* Et inter Maſſilienſium errores refertur, quod negaverint dari cuiquam talem perſeverantiam, *à qua non permittitur prævaricari.* Quem errorem refellit Auguſtinus de Bono perſeverant. Cap. 6. Aug. de Bono Perſ. c. 1.

Iam reſtat, ut hoc donum perſeverantiæ ab Electionis fonte dimanare oſtendamus. Cui rei firmandæ unicum hoc argumentum afferemus.

Quod datur ex efficaci intentione infallibiliter ſervandi illam perſonam cui donatur, illud ex decreto electionis dimanare manifeſtum eſt. Quid enim aliud eſt aliquem eligere, quam eundem ad ſalutem infallibiliter conſequendam ordinare. Jam vero ea eſt vis & natura hujus doni, ut ne cogitare quidem poſſimus, cuiquam à Deo deſtinatam aut donatam eſſe perſeverantiam, niſi ex intentione prævia eundem ad ſalutem infallibiliter ordinandi & perducendi. Quicquid enim commodi ex quocunque divino beneficio ad quemvis redundat, id totum abſque dubio beneficij autor in eum conferre decrevit, cui idem beneficium impartiri dignatus eſt. At ex immota Dei ordinatione, quiſquis perſeveraverit, ſalvus erit. Ergo cuicunque Deus dare voluit perſeverantiam, manifeſtum indicium eſt, eundem antecedenti Dei decreto ad ſalutem fuiſſe deſtinatum. Huc ſpectat illud Matth. 24. 24. Vbi ſeductionis impoſſibilitas quoad certas perſonas Deo notas in prævia eandem electione fundatur. Et illud Pauli Rom. 11. 5. Vbi pauculorum reſervatio qui à Deo non defecerunt, ſecundum electionem gratuitam facta eſſe dicitur.

De his vide plura apud Auguſtin. de Bono Perſever. Cap. 17.

DE PERSEVERANTIÆ *certitudine quoad nos.*

THESIS I.

Quivis fidelium poteſt certo eſſe perſuaſus, quod per miſericordiam Dei Patris ſui ſit in vera fide conſervandus, & ad æternam ſalutem perducendus.

De perſeverantia egimus, quoad certitudinem objecti, nunc de eadem agendum quoad certitudinem ſubjecti, nempe, quatenus rem in ſe certam, etiam nos, in quibus perficitur, pro certa ac infallibili apprehendimus. Quemvis fidelium, dum in hujus beneficij ſortem admittimus, hoc non paucis indultum privilegium, ſed fidelibus omnibus, qua fidelibus attributum, ijſque quarto modo proprium aſtruimus.

Poſſe

Posse autem potius, quam semper actu esse, ita persuasum dicimus, quia certa hæc persuasio, etsi ex ipsa fidei natura emergat, non tamen semper, prout potest, ac debet, actum suum exerat, sed nonnunquam supprimatur, ut paulo post dicemus. Veruntamen hic asserimus, quemvis vere fidelem intus *apud se & semper & ad semper* fundamentum hujusmodi habere in promptu firmum satis, cui, si recte statum suum, divinamque promissionem & custodiam pensitet, sæperstruere possit actualem hanc πληροφορίαν de sua in fide ad salutem æternam conservatione.

1. *Deo*, propter gloriam suam non est satis, nos conservare, nisi etiam nos de hac sua conservatione faciat certiores. *Benedictus Deus cujus virtute custodimur per fidem in salutem.* Non autem benedicimus Deum de ijs, quæ nobis sunt incomperta: Christo non erat satis, pro Petri perseverantia orare, unde effectum in se erat infallibile; nisi etiam Petrus idipsum sciret, unde firma ejusdem persuasione frueretur. *Oravi prote, Petre, ne deficeret fides tua.* 1. Pet. 1. 3. Luc. 22. 32.

2. *Nobis*, propter solatium nostrum, non est satis in Ecclesiæ navi positos versus salutis portum tendere, nisi etiam firmiter persuasum habeamus, nulla tempestate posse nos à portu optato secludi. Noacho non satis erat Arca includi, sed etiam ad fiduciam ipsius confirmandam contra naufragium divina promissione munitus erat, *Ponam fœdus meum tecum & ingredieris arcam* &c. Genes. 6. 18.

3. Hæc persuasionis certitudo promanat ex ipsa fidei specialis natura; utpote quæ fertur non tantum actu directo in rem promissam, sed & actu reflexo in suam apprehensionem. De priori actu, illa; *justificati per fidem, pacem habemus erga Deum. Oves meæ non peribunt in æternum.* De posteriori, illa γινώσκομεν ὅτι ἐγνώκαμεν αὐτόν. Item, *Qui credit in Filium habet testimonium Dei in se.* Item, *Nos accepimus Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ à Deo donata sunt nobis.* Ergo omnis vere fidelis per intimum fidei suæ actum credit ejusdem fidei suæ conservationem. Rom. 5. 1. Ioh. 10. 28. 1. Ioh. 2. 3. 1. Ioh. 5. 10. 1. Cor. 2. 12.

4. Idem stabilitur ex fidei hujus testimonijs. Insigne τεκμήριον est spirituale gaudium. Credentes exultatis gaudio ineffabili & glorioso. Gaudium autem hoc non est evanidum. *Gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Item; Spiritualis gloratio. Habemus accessum per fidem in gratiam istam in qua stamus, & gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei. Hæc autem gloriatio fertur in objectum suum ut præsens & jam comprehensum, etsi reipsa futurum. Sic Chrysostomus (in locum) *Gloriatur quis super ijs, quæ in manu jam habet. Quoniam igitur rerum futurarum spes ita firma est atque evidens, ut jam datarum; æque, inquit Apostolus, & super illis gloriamur.* 1. Petr. 1. 8. Ioh. 6. 22. Rom. 5. 2.

5. Denique, hanc non modo perseverantiæ, sed & perseverantis certitudinem probat mutua inter Deum & fideles oppignoratio, illinc depositi nostri in Dei manu custoditi, hinc arrhæ divinæ cordibus nostris inditæ. Vtrumque pignus non ad utriusque, sed ad unius tantum partis securitatem datur: nempe nostri. Vtrumque licet utrimque possideatur, tamen unius tantum partis fidelitate custoditur, nempe Dei. De priore Paulus, *Non confundar, scio enim, cui credidi: & certus sum, quia potens est servare depositum meum in illum diem.* Depositum: ibi pignus salutis. Potens servare: ibi custos firmus. Scio, & certus sum: ibi fides. Non confundar: ibi fiducia. 2. Tim. 1. 12.

De posteriore penes nos sito; idem Apostolus, *Credentes signati estis Spiritu promissionis S. qui est arrhabo hæreditatis nostræ.* Item, *dedit arrhabonem Spiritus in cordibus nostris.* Quod si Deus hac arrha nobis prius data, reliquam hæreditatis possessionem consequenter non adjiceret, ipse arrhæ perditæ damnum pateretur; ut eleganter, simulque solide infert Chrysostomus, οὐ γὰρ, εἰ μὴ ἔμελλε τὸ πᾶν διδόναι, εἵλετο δε τὸν ἀρραβῶνα παρέχειν, καὶ ἀπολέσαι εἰκῆ, καὶ μάτην. Ephes. 1. 14. 2. Cor. 22. Chrysost. Homil. in 2. Cor. 1.

Idem; Οἱ ὄντως πνεύματος μετέχοντες ἴσασιν ὅτι ἀρραβὼν τῆς κληρονομίας ἡμῶν ἐστι. Idem Homil. 2. in Eph. 1.

II.

Extra studium sanctitatis, & usum mediorum non potest in actum exire hæc fidei persuasio.

Perseverantiæ donandæ ac vitæ æternæ adipiscendæ firmam persuasionem ad solam quidem Dei misericordiam ac Christi intercessionem, ut causam, referimus; ita tamen ut ad sanctificationem, ut comitem individuam, ac certam indicem simul remittamus. Hoc ipsum solidæ fidei indicium ponitur; *In hoc scimus, quod cognovimus eum; si mandata ejus servemus.* Hæc justificationis quasi propria passio describitur. *Nulla condemnatio ijs, qui in Christo sunt, qui non secundum carnem ambulant.*

1. Ioh. 2. 3.
Rom. 8. 1.

Hanc autem sanctitatem, non gradu, sed studio, sive proposito metimur: ipsamque & sanctitatem & fidei persuasionem precatione, jejunijs, vigilijs, membrorum mortificatione, alijsque medijs à Deo institutis promoveri, & firmari posse ac debere pronunciamus. *Vigilate & orate, ne intretis in tentationem. Castigo corpus meum: ne efficiar rejectaneus.* Interim tamen studium hoc & pium horum mediorum usum ita inter nostra liberatæ voluntatis curricula recensemus, ut simul inter gratiæ adjuvantis auxilia, & Spiritus S. inhabitantis notiones numeremus.

Marc. 16. 28.
1. Cor. 9. 27.

Hanc autem, qua de loquimur, firmam persuasionem, constat sine his non emergere.

1. Quia justificationis comes Sanctificatio non consistit extra obedientiæ propositum. Quod quidem propositum habituale, licet multis interruptum lapsibus, sufficit electis ad statum Iustificationis in se salvum custodiendum; ad præsentaneum autem fiduciæ solatium necessario requiritur hujusmodi propositum actuale. Nec potest quisquam ex Spiritus testimonio ad cor suum loquente dicere, Ego jam firmiter credo me in statu gratiæ indefectibiliter perstiturum: nisi simul ex synceri cordis studio adjiciat, Ego jam firmiter statuo in Sanctorum Dei mandatorum vijs ambulare.

Multo minus cogitari potest rivus hujusce fiducię actus stare cum actuali & directo peccandi proposito: cum, ut habitus habitui, ita actus actui opponatur. Nec sine insulsa contradictione quenquam fingemus ita statuentem, Ego vitam æternam mihi eripi posse plane confido. Simul tamen mihi decretum est, illecebrosis cupiditatibus inservire. Hæc ἀσύστατα esse ostendit Salvator. *Nemo potest duobus dominis servire.*

Matth. 6. 24.

III.

Persuasio hæc non habet illum certitudinis gradum, qui omnem contrarij formidinem perpetuo excludat: sed aliquando vivida est, aliquando languida; aliquando, ut in gravissimis tentationibus, nulla.

In donis spiritalibus quibus in hac vita imbuimur, spectanda sinceritas, non expectanda graduum perfectio: etiam illud, quod reliquis omnibus arripiendis est, manus, suos habet morbos, & debilitates, ita ut summo certitudinis gradu non semper fruatur fidelium de sua salute perseverantiæque persuasio.

Primi debilitas oritur, ipsa fundamentali hujus personalis fiduciæ dependentia, quę infra fidei dogmaticæ certitudinem videtur subsidere. Assensum quippe nostrum afficiunt fidei Catholicæ Articuli, ut principia immediata, ac prima. Fidei autem specialis veritas, non inde deducitur, ut quiddam necessario consequens, sed tantum subjungitur per modum assumptionis. Ergo illius, quę hanc persuasionem facit, conclusionis non potest esse firmitudo major, quam quę præmissarum debiliori in est. Subsumptio autem illa experimentalibus nititur indicijs per privatam hominis conscientiam pensitatis. Quę cum nonnunquam in dubium vocentur, an sint signa genuina, sæpe autem tentationum nube occultentur, ne ad præsens solatium effulgeant; quid mirum si non semper in promptu sit vegeta & valida fidelium de sua ęterna salute persuasio.

Quid quod etiam ipsa Fidei Catholicę principia, utramque revelato lumine in se clara, cum tamen per certitudinem, non evidentię, sed tantum adhęsionis nobis innotescant, non adeo ęquabilem apud nos sortiuntur assensus firmitatem, qualem demonstrationes Mathematicę, aut communes Notiones. Sed in ijs ipsis intuendis ex nostrę carnalis diffidentię reliquijs quasi vapores oboriuntur aliquando, per

Digitized by Google

per quos divinę immutabilis veritatis lumen refringi nobis videtur ac vacillare. Quanto crebrior ac diuturnior est in personali sua fiducia intuenda hallucinatio singulorum fidelium? Quorum quidem oculi semper vacillarent, nisi & hanc communem fidei Catholicæ revelationem, & illam propriam subsumentis conscientiæ applicationem firmaret, & cordibus nostris obsignaret Spiritus Dei, qui testimonium perhibet, *Spiritui nostro nos esse filios Dei.* Hoc autem ipsum Spiritus testimonium, etsi nunquam semen ipsum prorsus extinguatur, quoad fructum tamen & sensum aliquando, vel se subducit, ut nobis pateat infirmitas nostra, vel ad tempus nostra rebellione & ingratitudine obruitur.

Altera itaque debilitas oritur ex tentationibus, quibus hæc persuasio oppugnatur. Eæ sunt partim afflictiones, quæ malum pœnæ videntur intentare, partim perversę nostrę concupiscentię, quæ malum culpæ reatumque imprimunt; partim Diaboli laquei & insultus, quibus nos utroque in genere infestat: pręcipua vero palæstra est in carnis & Spiritus colluctatione. Durante hac lucta languida est fides. Quod si vincat Spiritus carnem; tum vivida est, ac triumphum canit, *Quis nos separabit à charitate Christi?* Sin, quod sæpe fit, delassatus, & fractus ad tempus succumbat Spiritus, vel afflictionum mole oppressus, vel graviorum peccatorum maculis sordidatus, nulla tum restat actualis hujusmodi persuasio, solatium omne spirituale intercluditur, divinique vultus lumen absconditur. Hinc illæ Sanctorum querulę voces, Iob. 6. 4. *Sagitta Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit Spiritum meum, & terrores Domini militant contra me.* Threnor. Cap. 3. 42. *Nos inique egimus, & ad iracundiam provocavimus. Idcirco tu inexorabilis es, opposuisti nubem tibi, ne transeat oratio.* Quod si altius surgant tentationum fluctus, & conscientiam suo onere pressam etiam vulnerent ignita Diaboli tela, tum non modo exulat suavis hæc persuasio, sed prorsus contraria succedit, qua sancti turbati Deum ut iratum apprehendunt, ac in apertas Inferorum portas ruituri sibi videntur. Hoc monstrant pene desperabundę illæ voces Iobi 3. 2. *Pereat dies, in qua natus sum.* Davidis Psalm. 31. 32. *dixi in excessu mentis mea, Projectus sum à facie oculorum tuorum.* Rom. 8. 35.

THESIS IV.

Postquam fidelis ex hujusmodi tentationibus eluctatus est, actus ille, quo apprehendit paternam Dei erga se misericordiam, vitamq; æternam sibi infallibiliter conferendam; non est actus incertæ opinationis, aut spei conjecturalis, cui falsum subesse potest, sed veræ & vivæ fidei per adoptionis spiritum in ejus corde excitatæ & obsignatæ.

Vt in natura, sic etiam in gratia, nube pulsa clarior it dies; & morbi quidam sunt imposterum salutares: Fidelis è gravium tentationum fluctibus emergens, non modo eandem, quæ pene suffocata erat, fiduciam resuscitat, sed & majorem ejus gradum acquirit: fit enim & ab exercitio fortior, & à victoria lætior. Quod si ea in lucta etiam ossa illi fuerint confracta; in firmiorem modum consolidabuntur. Psal. 51. 10. *Exultabunt ossa humiliata.*

Quia hominis regeniti vita & status est spiritualis, & quasi contra naturam distinetur, dum peccati aut tentationis vi, abripitur. Itaque spiritus facile ad ingenium suum redit, & priorem suam de Dei misericordia paterna fiduciam recognoscit. Hoc ex Sanctorum exemplis constat, qui luctas suas vehementiores in vivam fidei vocem desinentes expresserunt, Ionas in ventre Ceti, *Abiectus sum à conspectu oculorum tuorum: veruntamen rursus videbo templum Sanctum tuum.* Paulus, *Infelix ego homo, quis me liberabit à corpore mortis huius? Gratia Domini nostri Iesu Christi.* Iona. 2. 5. Rom. 7. 24.

Quia anima anhela, & reconciliationem paternam sitiens, ad aquę vivę fontem avidius accurrit, & suavius gustat, qua aliquantulum se privari sensit, placati

Dei fruitionem. . Inde fidei semen in se agnoscit, cujus vi ad ipsas fidei ruinas resarciendas exurgit: cujus quidem radix ipsa concussione crescit & novas fibras emittit: unde majoris certitudinis propagines succrescunt. Ex hac colluctatione & afflictione patientiam discit, qua se domat; *ex patientia probationem*, qua se explorat, ex *probatione* ad *spem*, ascendit de futuris tentationibus similiter superandis; 2.Cor.1.10. *Qui de tantis periculis nos eripuit & eruit: in quem speramus quoniam adhuc eripiet:* de perseverantia, adeoque vita ęterna conferenda. 1.Cor.1. *Confirmabit vos usque in finem inculpatos in diem Domini nostri Iesu Christi.* Hęc autem spes non confundit, ut ibidem sequitur apud Apostolum. Non est itaque vaga opinio, aut incerta conjectura: sed spes, quę, ut à fide orta, eandem habet cum fide certitudinem, ideoque solida est, ac infrustrabilis.

Rom.5.

Renovatę hujus confirmatęque fiducię exemplum habemus in Davide, post maculam gravis peccati ablutam Psalm: 51. Post tentationis periculosę retusum impetum, Psalm.73. In utroque elucet Spiritus precum, gaudium spirituale, & obsignatio adoptionis. *Spiritum Sanctum à me ne auferas. Tenuisti manum dextram meam, &c:* Inde fiducialis illa conclusio; *Mihi autem adeo adhærere bonum est, ponere in Domino spem meam.*

Theses Heterodoxæ,

quas rejicimus.

Thesis I.

Perseverantiam vere fidelium non esse effectum Electionis; sed beneficium omnibus sub hac conditione ex æquo oblatum, nempe si gratiæ sufficienti non defuerint.

Primum hujusce Theseos membrum confutavimus in Thesibus nostris de 1. Articulo, Orthodoxa 3. & Heterodoxa 3. Item in hoc 5. Artic. Thesi 8. Orthodoxa, de Perseverantia electorum, quo ad rem.

Secundum ejusdem membrum multa numerat absurda.

1. Falsum est, perseverantiam esse donum tantum oblatum, non etiam datum. Scripturę enim testantur Deum gratiam perseverantię suis non tantum offerre, sed etiam dare, ac ipsorum cordibus indere. Ierem.32.40. *Timorem meum dabo in corda ipsorum, ut non recedant à me.* Ioh.4.14. *Aqua quam ego dabo illi, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* 1.Cor.10.13 *Sed una cum tentatione dabit etiam exitum.*

2. Falsum est, idem ex æquo omnibus offerri, ut patet ex nostris de artic.1. Thesibus supra citatis. Vbi perseverantiam in fide ad solos electos pertinére probavimus.

3. Falsum est, perseverantiam esse donum sub conditione oblatum. Est enim donum à Deo absolute promissum sine ullo conditionis respectu. Ratio hæc est: promissiones Dei aliæ sunt de fine, alię de medijs ad finem; Promissiones de fine, verbi gratia, de salute sunt conditionatę. *Crede; & salvaberis. Esto fidelis ad mortem,* (*seu persevera*) *& ego dabo tibi coronam vitæ.* Cum autem nemo par sit conditionibus præstandis, Deus quoque promissiones fecit liberrimas & absolutas de dandis ipsis conditionibus; quas ipse in nobis efficit, ut per ipsas, tanquam media, possimus ad finem pertingere.

Deut.36.6. *Deus circumcidet cor tuum, ut diligas Dominum Deum tuum, ex toto corde & tota anima tua, ut vivas.* Finis hic promissus est vita; quem Israelitæ nunquam assequentur, nisi præstita hac conditione, nempe Dei dilectione. Verum Deus hic absolute promittit, se daturum illis ipsam conditionem.

Cum itaque promissiones de fide & perseverantia in fide, sint promissiones de medijs, omnino sunt de donis absolutis, quibus Deus, perspecta hominum *admiratio* cum de

cum de assequendo fine sine medijs, cum de ipsis medijs seu conditionibus ex se præstandis, pollicetur se effecturum, ut conditiones ipsas præstent. Deus vitam spondet constanter ipsum timentibus. Promissio de vita est condicionata: de constanti autem timore absoluta. *Timorem meum dabo in corda ipsorum, ut non recedant à me.*

4. Esto donum hoc condicionatum. Non tamen offertur sub hac conditione, si gratiæ sufficienti non defuerint. Contra hanc conditionem militant illę rationes, quæ à nobis allatę sunt contra vires Liberi Arbitrij in hominis conversione. Quibus & has addimus. 1. Ex hac conditione sequetur, frustra nos pro ullis hominibus orare Deum, ut det ipsis donum perseverantiæ: quia de more offert illis universalem, & sufficientem gratiam, cui si nolint ipsi deesse, perseverabunt. 2. Otiosa est hęc conditio. facit enim perseverantiam conditionem perseverantiæ. Non enim deesse gratiæ sufficienti est perseverare. Si itaque sub hac conditione Deus perseverantiam offerat, offert eandem sub sui ipsius conditione.

Denique secundum hujus antitheseos membrum solide ab Augustino convellitur. Cuius disputationis hæc summa est; *Adæ fuit datum ut posset, si vellet, in bono perseverare; sed non fuit datum ut vellet. Nobis vero, qui vere Christo insiti sumus, talis data est gratia, ut non solum possimus, si velimus; sed etiam, ut velimus in Christo perseverare.* Aug. de Corrept. & Grat. Cap. 11. & 12.

Item de vnitate Ecclesiæ Cap. 9. idem Augustinus ipsissimam hanc vocem in Donatistis damnat, *Si volunt homines, credunt: si volunt, non credunt: si volunt, perseverant in eo, quod credunt; si nolunt, non perseverant.*

THESIS II.

Perseverantiam esse conditionem novi fœderis antecedaneam ad Electionem.

Vide 2. & 5. Theses Heterodoxas à nobis in I. Articulo reiectas.

THESIS III.

Vere fidelem posse peccare in Spiritum Sanctum.

Thesin hanc hę rationes opugnant.

1. Peccare in Spiritum Sanctum est peccare ad mortem 1. Ioh. 5. 16. *Vere fideles non possunt ad mortem peccare.* Quia peccare ad mortem, est illud peccatum admittere, ex quo certa mors sequetur, nempe æterna & secunda: quæ tamen nunquam potestatem habet in vere fideles: utpote qui peccato moriuntur, & à peccatis resurgunt ad vitæ novitatem. Apoc. 20. 6. *Beatus & sanctus, qui habet partem in prima resurrectione: in tales secunda mors non habet potestatem.*

2. Qui peccant in Sp. Sanctum, illi nunquam pervenient ad gloriam aut regnum cœleste: ad quod tamen vere fideles infallibiliter perveniunt. Esse enim vere fidelem idem est quod esse iustificatum, ac filium Dei adoptivum. Iustificati autem ad gloriam pervenient. Rom. 8. *Quos justificavit, hos glorificavit.* Et filii adoptivi pervenient ad regnum cęleste. Gal. 4. 7. *Si filij, etiam hæredes Dei.*

3. 1. Ioh. 3. 9. *Quisquis natus est ex Deo*, qualis est omnis vere fidelis, *peccatum non potest facere*: quod (interprete Apostolo, vers. 8. *Qui peccatum facit, est ex Diabolo*) intelligendum est de istiusmodi peccatis, quæ constituunt hominem sub regno & potestate Diaboli. quale cumprimis est peccatum in Spiritum Sanctum.

Quo spectat illud quoque Apostoli, *Liberabit me Dominus ab omni opere malo, & ad cæleste regnum conservabit me.* Quid? an ab omni opere malo? Non id quidem. Sed ab omni tali opere malo, quod ipsi ius ad regnum cæleste prorsus adimat. Cuiusmodi proculdubio, propter non modo malitiam insitam, sed & finalem adiunctam impęnitentiam, est peccatum in Sp. Sanctum. 2 Tim. 4. 18.

THE-

THESIS IV.

Nullum vere fidelem ac regenitum posse esse certum in hac vita de sua perseverantia ac salute, absque speciali revelatione.

De priore hujus Antitheseos parte, actum prius in hoc Articulo. Perseverantiam autem de futuro posse sine revelationis specialis privilegio innotescere, sic probatur hac ratione. Quosdam Sanctos, præsertim Paulum, hanc certitudinem adeptos in confesso est. Rom. 8. *Certus sum, quod neque mors, neque vita,* &c. Atqui Paulus ipse hanc fiduciam non à revelatione extraordinaria petijt, sed à rationibus illis, quæ ipsi cum alijs fidelibus sunt communes. vers. 32. *Qui proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum; quomodo non etiam cum illo nobis omnia donabit? Quis accusabit adversus electos Dei? Deus est, qui iustificat. Christus est, qui interpellat pro nobis.* Nunquid soli Paulo, non item aliis fidelibus, datus Christus? Num solus Paulus electus Dei? Num solum Paulum Deus iustificat? aut pro solo Paulo Christus interpellat? Cum ergo ex his præmissis toti Electorum Ecclesiæ communibus, ibidem subinferat Apostolus Conclusionem fiducialem, *Quis nos separabit? & certus sum,* &c: constat alios etiam fideles, quibus ius est ad eadem media salutaria, posse inde haurire, & sibi applicare πληροφορίαν de sua salute & perseverantia. Eandem conclusionem fidelis quisque potest ex aliis ordinariis præmissis inferre.

1. Ex Dei fidelitate. 1. Cor. 10. 13. *Fidelis est Deus, qui non sinit* &c. 2. Ex experientia prioris benevolentiæ, Phil. 1. 6. *Persuasum habens, hoc ipsum fore, ut qui incepit opus bonum, perficiat.* 3. Ex bonorum operum praxi in fide præstitorum, 2. Pet. 1. 10. *Si enim hæc feceritis, nunquam excidetis.* quæ autem illa sint, constat ex vers. 5. & 6. 4. Ex testimonio conscientiæ, 1. Ioh. 3. 21. *Si cor nostrum nos non condemnat, fiduciam habemus apud Deum.* 5. Ex testimonio anteactæ vitæ, 2. Tim. 4. 7. *Bonum certamen certavi,* &c: *deinceps mihi reposita est corona.* Vltimo, hæc omnia obsignat testimonium Spiritus Dei, Rom. 8. 16. *Spiritus Dei attestatur Spiritui nostro.* &c.

Hæc & similia media singulis patent fidelibus. Ergo & Conclusio.

2. Pet. 1. 11. Quod si hæc certitudo ab extraordinaria tantum revelatione profflueret, frustra moneret Petrus omnes fideles, *Date operam ut electionem vestram firmam reddatis.*

THESIS 5.

Quoties grave carnis peccatum committitur, toties statum justificationis & adoptionis amitti.

Contra hanc Antithesin militant, præter alias, hæ rationes.

Non potest homo ullo peccato actus divinos rescindere. At Iustificatio & adoptio sunt actus divini, iique ex beneplacito emanantes. Ergo &c. Cum itaque quæritur, An per peccata carnis gratia iustificans possit intercidi, non solum quæritur, An homo per peccatum possit aliquam qualitatem amittere: sed litem hanc oportet multo altius repetamus, An nimirum peccatum humanum possit actus divinos refigere, aut mutare illam Dei sententiam, qua iam apud se Deus pronunciavit nos iustos, & adoptavit in ius filiorum. Frustra autem hic obtenditur deficientia subiecti; cum Deus subiectum quod per se procul dubio deficeret, reficit continuo, dando ipsis perseverantiam, ne possit deficere. *Vt enim custodiat nos per fidem, custodit etiam in nobis fidem ipsam,* ut scite Reverendiss. Sarisburiensis.

2. Tantum abest, ut etiam gravia illa carnis peccata fidelem à statu iustificationis adoptionisque semper deturbent, ut contra à Theologis, præsertim practicis statuatur, Deum eadem sæpe in iustificatis & adoptatis permittere, ut confirmatior postea sit ipsis cum iustificatio tum adoptio, secundum illud Prophetæ Psal. 119. 72. *Bonum est mihi, quod humiliasti me, ut discam iustificationes tuas.* Hoc non modo in Davidis, sed etiam in Hezechiæ & Petri lapsibus patet: quibus

Digitized by Google

quibus occasionaliter promotum est in ijs studium sanctitatis, infirmitatis suę agnitio, ac pro perseverandi dono vehementior Dei obsecratio. Concludimus itaque, Sanctorum lapsibus non abrumpi justificationem, aut amitti adoptionem, sed effici, ut resurgentes eo cautius *cum timore ac tremore salutem suam operentur*.

THESIS VI.

Doctrinam de certitudine perseverantiæ, & salutis esse ex sua natura veræ pietati noxiam, & toti religioni perniciosam.

Hanc vero calumniam facile retundit & veritas divina & humana experientia. Isthęc, scilicet, Christiana de Perseverantia & salute cer titudo, non modo quoad rei naturam, sed etiam quoad ipsum in Ecclesia eventum, effectus, Deo benedicente, producit prorsus contrarios.

1. Quoad rei naturam, finis infallibilitas non tollit, sed stabilit usum mediorum. Iidemque sancti, qui certissime sibi spondent & constantiam in via, & fruitionem in patria, simul norunt hoc non pręstari sine intermedijs sanctimonię officijs, & oppositorum fuga: ideoque medijs illis non valedicunt, sed sedulo incumbunt. 1. Joh. 3. 3. *Omnis, qui habet hanc spem in eo, sanctificat se, sicut & ille sanctus est.* Isai. 38. 5. Hezechias, accepto divino, de quindecim annis vitæ suæ adijciendis, promisso, non ideo omnem medicamentorum, alimentorumque usum abjecit. sed ad ipsum eventum in actum producendum, cataplasma sibi à Propheta præscriptum ulceri curando adhibuit.

Hanc carnalis securitatis ex hac doctrina consequentiam, prorsus respuit Apostolus quasi indignabundus, Rom. 6. 1. *Permanebimus in peccato, ut gratia abundet? Absit. Qui enim mortui sumus peccato, quomodo vivemus in illo?* quasi non modo incongruitatem, sed & impossibilitatem innueret.

2. Quod ad eventum attinet, verum quidem est, posse veritatem quamlibet Dei saluberrimam ex hominum abusu in perversum rapi. At ex hac doctrina ne de facto quidem extare ullum hujusmodi incommodum agnoscimus. Contemplemur Ecclesias reformatas, in quibus viget hęc perseverantię, ac inviolabilis adoptionis fiducia, Nunquid inde concupiscentiis fræna laxantur? num pietas pessundatur? Gratias agimus Deo, per Dominum nostrum Iesum Christum, quod apud nostros, qui hac solatij specialis plena persuasione fruuntur, & sibi inamissibilem in cęlis hęreditatem conservari prorsus confidunt, non minor reperiatur pietatis cura, vitęque, prout fragilitas humana fert, inculpatæ studium, quam apud alios quosvis, qui suam à Libero arbitrio suspendunt perseverantiam, nec ab ulla electione Dei pręvia eandem profluere concedunt.

Exposuimus nostram de celeberrimis hisce quinque Articulis sententiam; quam credimus Verbo divino esse consentaneam, & tot Reformatarum Ecclesiarum Confessionibus conformem. A quibus ut una hæc Belgica divellatur nec tutum, nec pium ijs videbitur, quibus vel mica inest prudentię, vel verę pietatis scintilla.

Hoc certe *Sereniss. noster, ac Potentiss. Magnæ Britanniæ Rex, Fidei Christianæ defensor*, ac propugnator longe acerrimus (qui etiam unice in votis habet, ut in florentissimis hisce Provinciis fides sincera, Ecclesięque & Reip. pax sarta tecta conservetur) inprimis curavit, cum nobis, huc destinatis, in mandatis daret, ut publicam Ecclesiæ vestræ pacem moderatioribus consiliis pro modulo nostro promoveremus, ac ut venerandos Symmystas in Synodo hac celebri coactos, hortaremur, nequid in Decretis Synodicis, quod contraveniat receptæ doctrinæ, in tot publicis Ecclesiarum Confessionibus consignatæ, statuatur.

Displicuit non ita pridem novatorum quorundam ingeniis hęc recepta doctrina; quam dum omni ope, & opera exagitare studuerunt, ea nihilominus instar cælestis cuiusdam flammę, ipso motu & concussione clarius emicuit. Nos

dem

quidem ex animo optamus hisce fratribus nostris Remonstrantibus τὸν ὀφθαλμὸν τῆς διανοίας πεφωτισμένον, animosque à pacis studio minime abhorrentes: Quinetiam & cæteris venerandis fratribus eam erga illos caritatem, ut quorum errores oppugnant, eorum personis bene velle non desinant.

Atque hic liceat nobis paulisper an Amplissimos, & Prępotentes Ordines, eorumque Consultissimos Delegatos, omnesque adeo, qui ad clavum Reipubl. in hoc Belgio sedent, sermonem nostrum convertere. Vestrum est Illustres D.D. non minus curare, ne religio Orthodoxa, quam ne Respublica vestræ fidei concredita, quicquam detrimenti patiatur. In hoc enim Deo serviunt Magistratus, cum ea faciunt ad serviendum illi, *quæ facere non possunt nisi Magistratus.* Hic itaque non pietate tantum, & exemplo, sed potestate vestra, & imperio opus est. Imperium coerceat illam *prophetandi*, uti vocant, *libertatem*; qua freti nonnulli, fundatissima fidei nostrę dogmata primo leviter tentare solent, dein aperte impugnare, tandem explodere & exsibilare. Si Orthodoxam doctrinam, & communi omnium Ecclesiarum Reformatarum calculo comprobatam cuivis liceat impetere, metuendum profecto erit, ne, qui, Magistratu connivente, res novas in Ecclesia moliri cœperint, eodem etiam repugnante, cum occasio ferat, idem quoque in Republ. moliantur. Sed minime opus habent nostra hortatione, qui jampridem ingenti labore, & sumptu ea omnia procurant, quæ ad revocandam & stabiliendam in hisce Ecclesijs pacem, ac veritatem optari potuerunt.

Quorum ergo singularem prudentiam, pietatem, & industriam perspeximus, de eorundem constantia vel dubitare nefas putamus. Deumque precabimur, ut, quæ pio animo ab ijsdem profecta sunt, felici successu absolvantur.

Vos itidem paucis conueniemus, dilecti Fratres ac Comministri, quorum prudentiam latere non potest, hisce, quæ disceptantur, primariis controversiis immisceri aliquando quęstiunculas, quæ neque eandem habent fidei certitudinem, neque multum momenti ad veram pietatem. Quæ autem sunt eiusmodi, ut absque illis Gratia Dei gratuita in hominum salute procuranda enervetur, & liberum arbitrium in Dei solium euehatur, pro illis, tanquam pro aris & focis dimicandum: nec ullo modo sinendum, ut certitudo salutis nostræ à firmitate divini propositi ad humani arbitrii fragilitatem revocetur. Verum, si qua intercurrant, quę in ipsis Ecclesijs Reformatis nondum definita, à doctis, & pijs in vtramque partem, sine fidei detrimento, probabiliter disputantur, non decet graves & moderatos Theologos, quæ ipsi in talibus privatim sentiunt, omnibus credenda obtrudere. In hisce salua res est, modo id caveatur, ne diversitas opinionum aut inter Ministros soluat vinculum pacis; aut in populum spargat semina factionis.

Porro & illud monemus, inter ea, quæ certa sunt, & in verbo divino solide fundata, esse tamen quędam, quæ non sunt omnibus promiscue inculcanda, sed suo loco & tempore prudenter attingenda. In his est sublime *Prædestinationis mysterium*, suavissimum illud quidem, & solatij plenissimum, sed illis solis, qui in fide radicati sunt, & in pietate exercitati, qualibus in gravi conscientiæ lucta instar firmi propugnaculi esse potest.

Verum enimvero ubi Prædicantium quorundam imprudentia ad hanc abyssum speculandam vocantur, qui nondum prima religionis fundamenta probe didicerunt, quibusque mens adhuc carnalibus affectibus tota diffluit, id unum efficitur, ut dum de arcana Prędestinatione litigant, salutiferum Euangelium negligant, & dum nihil aliud, quam Prædestinationem ad vitam somniant, viam vitæ ęternę prædestinatis constitutam nunquam insistant. De Reprobationis arcano maiori sollicitudine cavendum, ut non modo parce prudenterque proponatur, sed etiam ut in eo explicando studiose vitentur horridæ illæ opiniones, & in Scripturis minime fundatæ, quæ ad desperationem potius, quam ædificationem faciunt, & Ecclesias quasdam Reformatas scandalo ingenti gravant. Denique de Mortis Christi pretiosissimo merito ita statuamus, ut nec primitivę Ecclesiæ sententiam, nec Reformatarum Ecclesiarum Confessiones negligamus,

nec

nec (quod caput rei est) promissiones Euangelicas in Ecclesia universaliter proponendas enervemus.

Paucula hæc monuimus, potius ut nostrum erga venerandos Fratres amorem, officiumque testemur, quam quod eos monitis hisce nostris indigere arbitremur.

Quod reliquum est, Deum Opt. Max. suppliciter obsecramus, ut huc colliment, hoc assequantur consilia Procerum, studia Ministrorum, auxilia exterorum, vota omnium; quo Ecclesia hæc Belgica, extirpatis erroribus, & compositis dissidiis, fide Orthodoxa, ac stabili pace in omne ævum perfruatur, per pacis nostræ sequestrum Iesum Christum, Dominum nostrum. Amen.

Subscripserant ac subsignarant,

Georgius Landavens.
Joannes Davenantius.
Samuel VVardus.
Thomas Goadus.
Gualterus Balcanquallus.

De Articulo Quinto
Distinctis propositionibus explicato
IUDICIUM
Theologorum Palatinorum.

Propositio I.

PErseverantia vere fidelium in fide *a* effectum Electionis non est *b*, nec etiam Dei donum. Est vero *c* conditio novi Fœderis à Deo imperata, & ab homine ante peremptoriam sui Electionem libere præstanda.

a *Thesi. exhib. 1. de V. Artic.*
b *Collat. Hag. pag.* 407.
c *Declar. exhib. de V. Artic.* 7, 8.

IUDICIUM.

Perseverantiam vere fidelium in fide ex fonte æternæ Electionis defluere & ante demonstratum est ad Articulum primum, & his & similibus Scripturarum testimoniis plenius demonstrari potest. Rom. 8. 29. 30. *Quos præcognovit, prædestinavit, hos vocavit, iustificavit, glorificavit.* Unde vers. 35. infert Apostolus: *Quis nos separabit à charitate Christi?* cap. 11. 11. Electi assecuti sunt (nempe fidem & salutem) reliqui occalluerunt. 2. Timoth. 2. vers. 18. 19. *Hymenæus & Philetus circa veritatem aberrarunt à scopo, & subvertunt quorundam fidem. Solidum tamen stat Dei fundamentum, habens sigillum hoc: Novit Dominus eos, qui sunt sui.* Matth. 24. vers. 24. *Excitabuntur Pseudo-Christi & pseudo-prophetæ, & edent signa magna & prodigia, ita ut seducant (si fieri possit) etiam electos.* Omnibus hisce locis perseverantia fidelium in fide, quod non submoventur aut seducuntur, sed assequuntur & glorificantur,

Electioni ipsorum ad vitam adscribitur. Effectum igitur Electionis esse oportet. Non ergo prior est Electione, nec ut prævia conditio eam antecedit. Quo præsupposito, jam alterum suapte sponte corruit, quod perseverantia non sit donum Dei, & male hoc nomine vulgo appelletur. Quicquid enim electis suis ex proposito Electionis gratificatur Deus, ejus gratia ac donum est, & ad benedictiones illas pertinet, quibus *benedicit nobis in Christo*, Ephes. 1.3. Et quid, quæsumus, Perseverantia est, quam fides perseverans? Fides igitur, si donum Dei recte dicitur ab Apostolo, Ephes. 2.8. Quidni ipsa quoque perseverantia? quando qui *cœpit in nobis bonum illud fidei opus, idem consummat in diem usque Iesu Christi*. Phil. 1. 6. Sancti dum quotidianis precibus interpellant Deum pro perseverantia, ipsius certe donum esse agnoscunt, ex ipsius solius donatione eam exspectant, & cum accepere, ut beneficium ipsius, grati prædicant. Nec aliud vult celebris illa Dei promissio apud Ierem. 32. 29. *Timorem meum indam animis ipsorum, ut non recedant à me, &c. Timor ille, per quem Deo perseveranter adhærescimus*, ut loquitur Augustinus, *est Dei donum*: Ergo ipsa Perseverantia eius donum est. Falluntur vero & fallunt Remonstrantes, eo, quod opinantur perseverantiam, siquidem effectum Electionis & Dei donum censeatur, conditionem N. Fœderis à Deo imperatam, ab homine autem libere præstandam, esse non posse. Quasi vero ἀσύστατα hæc sint & repugnantia, nec potius subordinata, maximeque sibi consentanea. Nam Deus, qui in Novo Fœdere conditionem perseverantiæ fœderatis adultis præscripsit, & ex præscripto exigit, suspensam minime relinquit ab ipsorummet arbitrio aut viribus, sed efficaciter eam operatur, & actu ponit in ipsis. Adeoque quod foris præcipit verbo mandati, intus efficit virtute Spiritus conjuncti cum verbo, 2. Cor. 3. 8. Aliter si esset, fœdus gratiæ nihil præcelleret fœderi legis & operum: nec minus irritum fieret illud, quam hoc: quando utrumque in hominis tum ἀδυναμίᾳ, tum mutabilitate consisteret. Atque huc faciunt promissiones fœderis, quibus annexarum ei conditionum protestationem à Deo pendere docet Scriptura verbis clarissimis, Deuteron. 30. vers. 6. *Circumcidet Iehova animum tuum & animum seminis tui; ad deligendum Iehovam Deum tuum ex toto corde, &c.* Ierem. 32. vers. 39. 40. *Indam iis cor unum ad reverendum me, & reverentiam mei indam animis ipsorum, ut non recedant à me.* Ezech. 38. 26. 27. *Dabo vobis cor novum, & amovens cor lapideum à carne vestra, indam vobis cor carneum: & Sp. meum ponam in medio vestri, efficiamque ut in statutis meis ambuletis.* Similia dicta & alibi reperiuntur. Esa. 59. 21. Zach. 12. 10. 1. Cor. 1.8. Phil. 1.6. 1. Pet. 1.5. Ut verbo concludamus; non alia ratio est perseverantiæ, quam resipiscentiæ & fidei, quæ in conditiones N. Fœderis pariter præscribuntur. Iam resipiscentiam exigit à nobis Deus & simul dat, Matth. 3.2. *Resipiscite: appropinquavit regnum cælorum.* Act. 5.31. *Hunc Deus constituit principem ac Servatorem, ut det resipiscentiam Israeli, & remissionem peccatorum.* Cap. 11. 18. Nempe etiam gentibus Deus resipiscentiam dedit ad vitam. Fidem quoque simul exigit, & dat. Marc. 1.15. *Credite Euangelio.* Matth. 13. 11. *Vobis datum est non solum credere in Christum, sed etiam pro eo pati.* Quare mandare & donare perseverantiam repugnantia esse non possunt, sed consentanea sunt, adeoque conjunctissima in dispensatione fœderis gratuiti, ubi mandatum perseverantiæ ejus in nobis per Sp. Sanctum efficiendæ est organum, Esai. 59. 2. Cor. 3. Proinde tum hoc, tum cæteris primæ propositionis erroribus reprobatis, antithesin veram ex Scriptura hanc substituimus.

Perseverantia vere fidelium in fide, effectum est Electionis ac Dei donum: quam Deus in novo Fœdere ita ab iis exigit, ut etiam operetur eam in ipsis per Spiritum Sanctum.

PROPOSITIO SECUNDA.

Cum *a* Deus vere fideles gratia & viribus supernaturalibus ad perseverandum sufficientibus ac necessariis abunde instruxit: *b* ipsi etiam fideles habitum fidei crebris credendi obediendique actibus sibi acquisi-

Digitized by Google

acquisiverunt; manet tamen semper in ipsorum potestate perseverare vel non perseverare:[c] quorum voluntas secundum suam indolem libere agens proxima & sola causa Physica est perseverationis.

a *Thesib. & declar. exhibitis de 5. Articulo.*
b *Declar. exhibit. pag. 11.*
c *Epist. ad VValach. pag. 74.*

IVDICIVM.

Perseverantiæ fidelium in fide duo fundamenta substernunt Remonstrantes, Gratiam resistibilem initialis quoque fidei operatricem ex sensu Articuli Quarti, & habitum fidei crebris credendi obediendique actibus comparatum. Quibus si firmiora aut solidiora alia non sunt, nihil mirum si in dubio, in lubrico posita sit fidelium perseverantia. Nam gratia illa ut maxime penetret in animos ipsorum, illuminando mentes, concitando affectus, & concitatos vivificando, non tamen mutat animos infusione novarum qualitatum, nec malas voluntates in bonas transformat. Habitus vero ille ut facile acquiritur, sic facile amittitur ex sententia Remonstrantium: usque adeo, ut quotiescunque vere fideles opus aliquod carnis patrant, toties veram fidem totaliter excutiant. Scriptura vero alia fidei fulcra subministrat, quibus innixa inconcussa immotaque consistat adversus omnes inferorum portas. Eorum primum ac summum est propositum Electionis; *Solidum illud Dei fundamentum*, quod in omnibus electis firmum est ac immutabile, Rom. 9. 11. 2. Timoth. 2. 19. Quandoquidem eligentis Dei nec voluntas mutari, Malach. 1. 6. Nec potentia impediri potest, Iohan. 10. 29. Intermedium sive sublaternum est Christus Servator merito & efficacia, super quem tanquam petram ædificati sunt fideles, Matth. 16. 16. & qui pro ipsis apud Patrem intercedit, ne deficiat fides ipsorum, Luc. 22. 32. Proximum intimumque fulcrum est Sp. Sanctus manens nobiscum in æternum, Ioh. 14. 16. 17. Semen illud Dei incorruptibile, quod manet in cordibus nostris contemperatum fide, 1. Ioh. 3. 9. His Dei præsidiis quia ad salutem custodiuntur fideles, perseverant in fide: eoque perseverantiam non ex se præstant, nec suis multum licet iteratis actibus acquirunt, verum ex donantis Dei largitate obtinent: qui fidei initia, progressus, incrementa, robur, constantiam unus solusque largitur, Phil. 1. 6. Hebr. 12. 1. Voluntas libere, non coacte agens causa quidem perseverantiæ dici potest, quatenus renovata vult perseverare, non vult recedere à Deo suo: quin etiam non male dicitur causa proxima, cum causa sit immediata actus perseverationis. At neque sola eius causa est, quia renovata movetur & agitur ab eo, qui in ipsa ineffabiliter operatur Spiritu Sancto juxta illud: *à Deo est & velle & perficere*, Phil. 2. 13. neque etiam Physica causa est proprie loquendo, vel saltem non causa Physica Physice agens, quia secundum formam supernaturalem supernaturali regeneratione sibi inditam operatur. Et hanc igitur Thesin Remonstrantium merito rejicimus, ac antithesi Orthodoxa elidimus:

Deus vere fideles gratia & viribus supernaturalibus ad perseverandum tam sufficienter instruit, tam efficaciter movet, tamque potenter conservat, ut non modo possint, sed & velint perseverare, atque adeo ipso actu perseverent: utriusque autem tum potentiæ, tum voluntatis causa hyperphysica est Spiritus Sanctus.

PROPOSITIO TERTIA.

Vere fideles non modo possunt peccare peccato plane regnante, & eo, quod est ad mortem: nec possunt tantum à fide justificante, gratia & salute totaliter & finaliter excidere: sed etiam non raro sic peccant, eoque totaliter ac finaliter excidunt.

Collat. Hag. pag. 353. & seqq.
Epist. ad VValachr. pag. 75. & in
Thesib. ac Declarat. exhibitis.

IVDICIVM.

In controversiam non venit, An fideles in statu gratiæ constituti incidere in peccata possint, sive leviora, quæ ex infirmitate à nolentibus, sive graviora & atrociora, quæ contra conscientiam à volentibus admittuntur. Scriptura, conscientia singulorum, & lugendi sanctorum lapsus dubitare de eo sinunt neminem. Nec illud controversum est, num fideles sensum gratiæ Dei ad tempus amittere, actum fidei impedire, habitum etiam arctare & imminuere valeant. Nam Scriptura pariter & experientia aperte & luculenter id testantur. Imo ne de eo quidem quæstio est, utrum in se & fragilitatis suæ respectu, cui omnes homines obnoxij sunt, excidere Dei gratia ac salute possint. Omnia hæc utrinque in confesso sunt & concessa. Illud manet controversum: Num fideles, quia Electi sunt ad vitam æternam, reconciliati Deo per Christum, & Spiritu Sancto in fidei custodiam donati, possint excidere electione & reconciliatione, amittere Sp. Sanctum, æternumque perire: adeoque non raro excidant & pereant. Hoc vero non sine insigni errore affirmari censemus, & doceri à Remonstrantibus: quando Scriptura apertis & rotundis verbis non actum modo, sed etiam potentiam peccati ad mortem, & per illud excidii exitiique ab electis, reconciliatis, sanctificatis, qua talibus, removet. Actum: 1. Ioh. 2. 19. *Si fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum.* cap. 3. 9. *Quiquis genitus est ex Deo, peccato non dat operam; quoniam semen ipsius in eo manet.* Psalm 37. 24. *Quum cadit justus, non dejicitur: quia Iehova sustentat manum eius.* Matth. 16. 15. *Portæ inferorum non prævalebunt adversus Ecclesiam.* Rom. 8. 32. *Quis intentabit crimina adversus electos Dei? Deus est, qui justificat; quis est qui condemnet?* Potentiam etiam 1. Ioh. 3. 19. *Qui ex Deo genitus est, non potest peccare.* Matth. 14. 24. *Surgent pseudo-prophetæ & edent signa magna & prodigia, ita ut seducant (si fieri possit) etiam electos.* Ioh. 10. 29. *Non potest quisquam eripere eas è manu Patris mei.* Rom. 8. 39. *Nihil nos potest separare à caritate Dei, quæ est in Christo Iesu.* Quæ cum ita sint, Thesi affirmativæ Remonstrantium antithesin negativam hanc opponimus.

Vere fideles non modo non peccant peccato plene regnante & ad mortem, nec tantum totaliter & finaliter non excidunt gratia & salute, verum etiam sic peccare & excidere non possunt.

PROPOSITIO QVARTA.

Certitudo Perseverantiæ ad salutem nulla esse potest in hac vita absque speciali revelatione: neque etiam ad solidam fidelium consolationem & pacem conscientiarum necessaria est.

Coll. Hag. pag. 409. & alibi,
& Thesib. ac Declar. exhibitis.

IVDI-

IVDICIVM.

Quemadmodum fides sua habet incrementa & decrementa; alias major, firmior alias minor, infirmior, languidior est: ita gradibus variatur & alteratur certitudo Perseverantiæ: quin etiam peccatis contra conscientiam, & gravioribus tentationibus, quæ fidei deliquium adferunt, sensus ejus ad tempus amittitur. In his facile consentimus cum Remonstrantibus. Consentire vero in eo nullo modo possumus, quod certitudinem Perseverantiæ ad salutem extra specialem revelationem non agnoscunt. Hoc ipso siquidem negant certitudinem promissionum Dei, negant πληροφορίαν fidei, negant deniq; precum tum Christi, tum nostrarum exauditionem. Promissiones Dei non minus perseverantiam in gratia & fide, quam ipsam gratiam & fidem nobis pollicentur. Ierem. 31. 40. *Indam timorem mei animis ipsorum; ut non recedant à me.* Esai. 46. 3. 4. *Qui bajulamini inde ab utero ad senium & canitiem usque ego portaturus sum, ego feram, & ego gestabo.* Philip. 1. vers. 6. *Qui cæpit in vobis bonum opus, idem perficiet.* Hebræor. 13. 5. *Non deseram nec derelinquam te.* Tam certa igitur perseverantia est, quam certæ sunt promissiones Dei mentiri nescij, Tit. 1. 2. Fideles credunt hisce sermonibus Dei, amplectuntur eas certiorato corde, in iis filiali fiducia acquiescunt: & fides ipsorum Hypostasis est rerum, quæ sperantur ex veritate earum. Quomodo igitur qui credunt perseverantiam, incerti de ea esse possunt? aut qui credunt vitam æternam, de perseverantia ad eam dubii manere? An David incertus erat, cum profiteretur fidem perseverantiæ? Psal. 23. aut incertus Paulus, cum exultans de ea gloriaretur? Rom. 8. 39. 2. Tim. 1. 12. Neque est, quod dicant, hæc singularia fuisse specialis revelationis effecta: quæ ipsimet communia faciunt omnibus fidelibus, & ex generalibus promissionibus deducunt. Quanquam singulis fidelibus specialis etiam obtingit revelatio Spiritus Dei testificantis speciatim singulis, quæ ipsis Deus sit gratificatus. 1, Cor. 2. 11. 12. Postremo & Christus oravit pro fidelibus, ne fides ipsorum deficiat, Luc. 22. 32. Ioh. 17. 24. & ipsi perseverantiam ex fide petunt, dicentes, *Domine, adauge nobis fidem.* Luc. 17. 5. *Adveniat regnum tuum; Fiat voluntas tua: Ne inducas nos in tentationem.* Matth. 6. 10. &c. Iam ex ore Christi constat fidelibus, quod Pater ipsum semper exaudiat, Iohan. 11. 42. Constat item, quod ipsos similiter exaudiat precantes in nomine ipsius, cap. 16. 23. Certissimi igitur & persuasissimi de sui perseverantia in hac vita esse possunt. Hæc de certitudine Perseverantiæ. Necessitatem ejus ad solidam consolationem ac conscientiarum pacem quisquis non admittit, is nec tentationum insultus sustinuit unquam, nec spiritualis nostræ militiæ pericula expendit, & Apostolo iudice expers spei futuræ mortalium omnium Miserrimus est. Nos igitur Thesin illam ut impiam & desperationis magistram detestantes, antithesin hanc statuimus & stabilimus.

Certitudo perseverantiæ ad salutem in hac vita obtinetur à credentibus absque speciali & extraordinaria revelatione: & ad solidam fidelium consolationem & conscientiarum pacem summe necessaria est.

COROLLARIVM.

Fides πρόσκαιρος est vera & justificans fides: est quam diu durat grata Deo: nec specie differt à fide ad finem usque perseverante.

Declarat. exhibita. pag. 4. 5. & alibi passim.

IVDICIVM.

Fidem πρόσκαιρον, temporariam & perseverantem temporis solum ac durationis adjuncto discriminant Remonstrantes: veritate, natura, effectis, hoc est, tota specie differre non agnoscunt.

Et tamen posteriore modo à se invicem non minus evidenter distinguuntur in Scriptura, quam priore. Quin differentiæ illius, quæ ex duratione est, fundamentum ponitur in diversitate veritatis ac speciei: cum duratio index sit veritatis, veritas autem principium durationis. Quod patescit, si secundum locos inventionis, prout in Themate simplici fieri consuevit, differentiæ præcipuæ κατ' ἀντίθεσιν proponantur.

Primo igitur differunt causa efficiente, tam remota, quam propinqua. Causa remota fidei perseverantis est gratia Electionis, Actor. 13.48. Rom. 8.29.30. Fidei temporariæ gratia communis, ex qua reprobis etiam varia χαρίσματα dispensat Deus ad ædificationem Ecclesiæ: quæ gratiæ gratis datæ appellari solent: argumento loci, 1. Cor. 12. 8.9.10. 13. 1. & seqq. Causa propinqua illius, est Spiritus renovationis, Tit. 3.6. Regenerationis, Ioh. 3. 5. adoptionis, Rom. 8. 15. Istius, Spiritus illuminationis, Heb. 6. 4.

Secundo differunt Subjecto: tum ὃ, quod in fide perseverante est Electus, Tit. 1.1. Rom. 11.7. Actor. 13.48. In temporaria reprobus, Matth. 24. 11. & 24. 1. Ioh. 2. 19. tum ἐν ᾧ, quod illic est intellectus cognoscens & voluntas seu cor acquiescens in promissione & sensu gratiæ, Luc. 8. 15. Actor. 10. 37. Rom. 10. 9.10. Eph. 3.17. hic, intellectus tantum, vel etiam cor aliunde, quam ex vivifico gratiæ sensu dilatatum, Luc. 8. 13. Hebr. 6.4.5.

Tertio differunt Forma. Nam in Fide perseverante est fiducialis Christi apprehensio; per quam in ipso radicatur credens. Col. 2.7. Ierem. 17.7.8. & quam στερέωμα τῆς πίστεως Apostolus nuncupat. Col. 2. 5. Contra, Fides temporaria radicem non habet, Matth. 13. 20. Luc. 8. 13.

Quarto differunt Fine & Effectis. Finis fidei perseverantis est salus animarum, Hebr. 10. 39. 1. Pet. 1. 5. 9. temporariæ non item, Matth. 24. 13. Effecta illius varia sunt, de quibus, Rom. 5.6. In primis autem gaudium solidum & constans, Iohan. 16. 22. In mediis afflictionibus perdurans, Rom. 5.3. Quod inde gaudium fidei vocatur, Phil. 1. 25. At nec istud, Luc. 8. 13. nec cætera effecta ex temporaria proveniunt. gaudium enim eius est cum ipsa evanidum.

Quinto differunt Adjunctis sinceritatis & durationis. Sinceritatis, quia fides perseverans ἀνυπόκριτος est, 1. Tim. 1.5. temporaria, hypocritica, 1. Iohan. 2. 19. Luc. 8. 18. Durationis, quia perseverans permanet, Luc. 22. 32. Temporia deficit, Matth. 13. 20. 21. 1. Iohan. 2. 19. Antithesis igitur hæc esto:

Fides πρόσκαιρος vera & justificans fides non est, nec ad salutem placet Deo: à fide autem ad finem usque perseverante specie differt.

EPILOGVS.

DIximus de Quinque Articulis Remonstrantium, prout scriptis editis & exhibitis eos declararunt ipsimet, quæ dedit Dominus veritatem in sacrosancto Verbo suo inquirentibus. Omnes ejusdem sunt monetæ: omnes idolum arbitrij humani cum Pelagianismo postliminio in Ecclesiam reducunt. Nam Articulo Primo eos elegisse dicitur Deus, qui credere, obedire, & in fide ac obedientia perseverare voluerunt. Articulo Secundo asseritur, Christum impetrasse omnibus & singulis reconciliationem cum Deo, & remissionem peccatorum, modo fide accipere hæc ejus beneficia sustineant.

Articulo Tertio & Quarto efficacia Gratiæ conversionis ab humana voluntate suspenditur, ut efficax sit ad conversionem, si homo velit, inefficax, si nolit.

Quinto Articulo Perseverantia in fide eidem voluntati attribuitur. Ita principium salutis, ex quo illa primo oritur, & in quod ultimo resolvitur, aperte ponitur in ipsius hominis arbitrio ac manu. Hoc vero quid aliud est, quam Deo gloriam gratuitæ Electionis, Christo laudem Redemptionis, Spiritui Sancto virtutem Conversionis derogare? Christianam in vita & morte consolationem labefactare; salutis nostræ certitudinem convellere, timorem denique ac fiduciam filialem in cordibus credentium enervare: contra, hominem adversus Deum superbia inflare,

flare, ut non in Deo, in Christo, sed in seipso glorietur, dicens, Ego me discrevi; ut non Dei virtute, sed suis viribus nitatur, carnem statuens pro brachio suo; adeoque ut omnem salutis suæ gloriam fastu diabolico sibi arroget, qui suapte sponte credere, obedire, perseverare voluerit? quod est barathrum inferni ac desperationis abyssus.

Quamobrem, Nos quinque illos Remonstrantium Articulos universos & singulos ob cothurnos æquivocationum non tolerandos, propter errores autem multiplices & & graves, tum apertos tum occultos, etiam solenni iudicio damnandos, & ex Belgicis Ecclesijs, tanquam infelix Pelagianismi lolium, autoritate publica exterminandos censemus.

Deum vero ac Patrem Domini nostri Iesu Christi ardentibus votis precamur, ut pro multitudine miserationum suarum, autores ac defensores horum Articulorum ab errore ad veritatem, à schismate ad unitatem reducere dignetur, condonata ipsis culpa gravissima contristatarum ac conturbatarum Ecclesiarum suarum: Ecclesias vero Belgicas cum omnibus, quæ passim invocant nomen Domini nostri Iesu Christi, in veritate magis magisque sanctificet, consociet atque consolidet, quo per viam veritatis procedant & perveniant ad vitam paratam nobis ante jacta mundi fundamenta in eo, qui via, veritas, & vita est, Iesu Christo Servatore nostro.

SENTENTIA
Theologorum Hassiacorum,
DE
PERSEVERANTIA VERE FIDElium & per Spiritum Sanctum regenitorum,
Quam
Ecclesiæ Orthodoxæ Reformatæ ex Verbo Dei docent.
Et de
APOSTASIA seu DEFECTIONE TOTALI & finali eorundem,
Quam Remonstrantes extra Verbum Dei tradunt.

VT proposita quæstio de Perseverantia, & Apostasia vere fidelium & per Spiritum Sanctum regenitorum, commode ac distincte pertractari possit, ante omnia explicatio Terminorum quæstionis præmittenda erit:

Quid per vere fideles intelligatur: ubi de discrimine Fidei temporariæ, & justificantis ac vere salvificæ.

Cùm vere fideles nominamus, non intelligimus eos, qui vel fidem historicam, vel fidem miraculorum, vel denique fidem πρόσκαιρον seu temporariam habent, sed eos, qui vere justificante & salvifica in Christum fide præditi sunt.

Est enim vocabulum Fidei ambiguum, quatuor potissimum (ut alias ad hanc præsentem materiam non usque adeo pertinentes nunc prætereamus) significationes habens.

Primo enim in Scripturis accipitur pro sola & nuda notitia & assensu, vel profes-

sione etiam doctrinæ, nobis in Verbo Dei revelatæ: quæ fides historica dicitur, & in ipsis etiam Dæmonibus reperitur, Iacob. 2. 29.

Secundo denotat speciale Dei donum edendi miracula; quæ fides miraculorum appellatur, 1. Cor. 13. 2.

Tertio significat non nudam & solam, sed eiusmodi notitiam & assensum doctrinæ in Verbo Dei traditæ, quæ conjunctam habet aliquam lætitiam, verum evanidam, ex spe commodorum temporalium conceptam, sine fiducia certa remissionis peccatorum, & acquiescentia in promissione Dei, propter Christum nobis facta; quæ fides, quoniam rebus quidem secundis durat, adversis vero penitus evanescit, πρόσκαιρος seu temporaria appellatur. Matth. 13. 21.

Quarto significat notitiam & assensum fiducialem, qua promissionem, nobis à Deo in Christo factam, apprehendimus, & in Dei erga nos misericordia, amore & favore paterno, per Christi meritum nobis acquisito, suaviter acquiescimus, certo statuentes, remissionem peccatorum, justitiam, & vitam æternam ex mera Dei gratia; propter unius Christi meritum, non solum alijs, sed etiam nobis, & quidem in particulari, mihi, tibi, &c. vere donari. quomodo vocabulum fidei accipitur, cum per eam coram Deo justificari, æternumque salvari dicimur. Rom. 3. & 4. Et 11. Gal. 2. & 3. & alibi. Unde hæc fides justificans & salvifica dicitur.

Atque hæc Fides justificans à Fide temporaria multis modis, ipsaque etiam specie differt. Nam distinguuntur:

1. Subjecto. Fides enim Temporaria est in intellectu tantum, & ex se gignit quidem in corde aliquod gaudium, sed instabile, ex causis evanidis, spe nimirum commoditatis temporalis, ex doctrina Euangelij, obtinendæ: Fides vero iustificans, licet, quatenus notitia est & assensus, in intellectu sit, tamen quatenus fiducia est & acquiescentia in Deo, in voluntate & corde radicatur. Rom. 10. 9, 10. *Corde creditur*, &c.

Illa succressere potest, & quandoque etiam succressit in agro non bono, sed lapidoso. Matth. 5. 6. 20. 21.

Hæc non provenit nisi in agro bono, hoc est, in homine, cui Deus cor lapideum abstulit, & dedit cor carneum, Ezech. 11. 19. Et 36. 26.

2. Differunt ratione formali. Fidei enim iustificantis forma est ipsa fiducialis Christi, & meritorum ipsius apprehensio, seu firma illa πεποίθησις seu persuasio, qua quisque fidelis certo statuit, promissionem Euangelicam ad se pertinere, sibique eam applicat: Fidei vero temporariæ forma est Verbi Dei assensus, cum gaudio evanido, quod ex spe commodorum temporalium nascitur, coniunctus.

3. Effectibus. Per illam Christo inserimur, eiusque membra efficimur, ita, ut ipse in nobis, & nos in ipso simus, Ioh. 6. 59. Ephes. 3. 17. Per hanc Christo non inserimur, nec membra eius efficimur: alias enim nulla persecutione aut compressione, iterum à Christo separarentur, qui fidem illam πρόσκαιρον habent, secundum illud Rom. 8. 35.

Per illam homo coram Deo iustificatur. Rom. 3. & 4. Gal. 2. & 3. per hanc iustitia non obtinetur.

Illa producit ex se bona, Deoque placentia opera, caritatem, spem, patientiam, &c. ut fructus, in alijs quidem centenos, in alijs sexagenos, in aliis vero tricenos, pro mensura nimirum donationis Christi, & Spiritus eius, vide Matth. 13. 8. 27. Eph. 4. 7. 1. Cor. 12. 11. Galat. 5. 6. 22. 23. Hæc fructus illos non fert, sed antequam ad maturitatem perveniat, in prima veluti herba, ante ῥίζωσιν, perit. Matth. 13. 6. 21.

Illa ex se parit lætitiam solidam, firmam & permanentem, qua in Deo suaviter acquiescimus, quæ quoddam veluti initium est ineffabilis illius gaudij cælestis & æterni. Rom. 5. 1. 2. Et 14. 17. Hæc cum gaudio quidem coniuncta est, sed evanido, & rebus adversis non tantum languescente, sed etiam penitus emarcescente & emoriente. Matth. 13. 6. 22.

4. Adjunctis. Fides iustificans est semper durabilis: Unde vere fideles & iusti dicuntur esse instar arboris plantatæ ad rivos aquarum, quæ fructum suum edit in tempore suo, & cuius folium non decidit, Psal. 1. 3. Fides temporaria, persecutione orta, statim deficit, quoniam radicem non habet, Matth. 13. 6. 21.

Quid

Quid per Spiritum Regenerationis intelligatur.

Spiritum Regenerationis cum vocamus, non intelligimus ea Spiritus S. dona, quæ reprobis cum electis sunt communia, ut sunt tum Extraordinaria illa primitivæ Ecclesiæ dona miraculosa, de quibus loquitur Christus Matth. 7. 21. 22. 23. Et D. Apostolus 1. Cor. 12. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. tum ordinaria illa χαρίσματα, intellectus illuminatio, mysteriorum regni cœlestis cognitio,& quidam veluti Verbi Dei, & virtutum futuri seculi gustus. Heb. 6. 4. 5. Et 10. 26. quæ reprobis etiam obtingunt; sed ea intelligimus Spiritus Sancti dona, quibus electi à reprobis, vere fideles & sanctificati ab hypocritis discernuntur, ut sunt sincera Dei & proximi dilectio, vera sanctitas, justitia, patientia, spes, alijque fructus Spiritus, descripti ab Apostolo, Galat. 5. 22. 23.

Quid sit Perseverantia.

Perseverantiam in fide & sanctitate vocamus, non continuatam, & nullis lapsibus interruptam, actuum fidei & sanctitatis productionem, sed habituum potius fidei, dilectionis, sanctitatis, &c. in vere fidelibus & sanctis continuatam διαμονὴν seu permanentiam.

Quid sit Apostasia totalis & finalis.

Apostasiam totalem à fide & gratia vocamus omnimodam & plenariam habituum fidei, & donorum Spiritus ἀγιαστικῶν effusionem seu amissionem, ita, ut homo fide & donis regenerationis Spiritus Sancti, quibus antea donatus fuerat, penitus privetur & destituatur, adeoque ex fideli iterum infidelis, ex spirituali iterum animalis, ex libero Dei Filio iterum mancipium Satanæ fiat.

Finalem defectionem à fide & gratia dicimus eam,qua homo à fide ita penitus deficit, & Spiritu renovationis, ejusque donis ita privatur ,ut nunquam ijsdem denuo donetur, sed in apostasia illa persistat, & æternum pereat.

His præmissis ac distinctis, sententiam nostram de proposito Perseverantiæ vere fidelium argumento, sequentibus Aphorismis concludimus.

APHORISMUS I.

Quos Deus pro benevolo affectu voluntatis suæ,e genere humano lapso, ante jacta mundi fundamenta, ad vitam æternam elegit, in ijs etiam in tempore, non solum secundum supereminentẽ magnitudinem potentiæ suæ & pro efficacitate roboris virium suarum, veram & salvificam in Christum fidem operatur, eosque per Spiritum suum Sanctum regenerat, & ex animalibus Spirituales reddit, verum etiam in ea ipsa fide & sanctimonia, virtute sua divina, ad salutem æternam potenter & misericorditer conservat & custodit, adeoque perseverantia donat,ita,ut non minus, perseverantia in fide & sanctitate, ac ipsa fides & sanctitas, ex electione ad vitam æternam, ut fructus & effectus à sua causa, dependeat, & necessario promanet, omnesque & soli electi vere in Christum credant, per Spiritum Sanctum sanctificentur, & in vera fide & sanctitate ad finem usque perseverent.

Fidem ex electione ad vitam æternam necessario fluere, adeoque electorum esse propriam,sequentia docent Scripturæ sacræ testimonia, Actor. 13. 48. *Crediderunt quotquot erant ordinati ad vitam æternam.* Rom. 8. 30. *Quos prædestinavit, eos etiam vocavit,* scilicet interne, seu, quod idem est, fide donavit.

2. Thess. 3. 2. *Non omnium est fides.*

Tit. 1. 1. *Secundum fidem electorum.*

Sanctificationem Spiritus, seu regenerationem ex Electione, ut fructum & effectum ex sua causa promanare, tum ex indissolubili fidei veræ salvificæ, & Spiritus regenerationis ac renovationis, inter se nexu, tum vero etiam ex sequentibus Scripturæ dictis patet.

2. Thess.

2. Theſſ. 2. 13. *Elegit vos Deus ab initio ad ſalutem, per ſanctificationem Spiritus, & fidem habitam veritati.*

1. Pet. 1. 2. *Electis ex præcognitione Dei Patris, ad ſanctificationem Spiritus.*

Epheſ. 1. 4. *Elegit nos in Chriſto, ut eſſemus ſancti & inculpati in conſpectu eius cum caritate.*

Perſeverantiam in fide ex ſanctitate, & electione, ut effectum ex ſua cauſa promanare, ſequentia docent Scripturæ teſtimonia.

Iohan. 6. 29. *Hac eſt voluntas ejus, qui miſit me, Patris, ut quicquid mihi dederit, non perdam ex eo, ſed ſuſcitem illud in ultimo illo die,* ſcilicet, ad vitam æternam.

Rom. 8. 30. *Quos prædeſtinavit, &c. eos etiam glorificavit.* Et à verſ. 35. uſque ad finem capitis: *Quis ſeparabit nos à dilectione Chriſti, &c. Mihi perſuaſum eſt, neque mortem, neque vitam, &c. poſſe nos ſeparare à caritate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu, Domino noſtro.*

Rom. 11. 29. *Dona illa & illa vocatio Dei* (ſcilicet, efficax, ſeu fidei donatio) *eiuſmodi ſunt, ut eorum ipſum pœnitere non poſſit.*

1. Pet. 1. 5. *Virtutis Dei præſidio cuſtodimini per fidem ad ſalutem.*

APHORIS. II.

Hanc autem perſeverantiam in vera fide & ſanctitate, Deus non minus, ac ipſam fidem & ſanctitatem, in electis ſuis operatur per certa, quæ eam ad rem potenter adhibet media, tum externa, tum interna.

APHORIS. III.

Externa media ſunt, tum verbi divini prædicatio, & quæ in ea nobis proponuntur, Dei ſanctiſſima mandata, graviſſimæ exhortationes & commonefactiones, dulciſſimæ & ſuaviſſimæ promiſſiones, ſeveriſſimæ comminationes, &c. quibus ad perſeverandum in fide & ſanctitatis ſtudio excitamur; tum paternæ caſtigationes, crux, calamitas, quibus Deus nonnunquam fidem & pietatis ſtudium in nobis acuit. De quibus externis medijs quamplurima occurrunt Scripturæ Sacræ teſtimonia.

APHORIS. IV.

Interna ſunt, efficax Spiritus Sancti in cordibus electorum per externa illa media operatio, qua vere fideles non tantum viribus ſupernaturalibus ad perſeverandum, & Diaboli, carnis, & mundi tentationes ſuperandum, neceſſarijs & ſufficientibus inſtruuntur, ita, ut poſſint, ſi velint, perſeverare (quod Remonſtrantes agnoſcere videntur) ſed inſuper etiam potenter adverſus Satanæ, mundi & carnis tentationes, inſidias, technas, & fraudes, in fide & ſanctitate conſervantur & cuſtodiuntur, viresque ipſorum ſupernaturales ad perſeverandum neceſſariæ, in ipſum perſeverationis actum perducuntur. Et voluntas ipſorum regenita, ad hoc, ut ſemper Deo conſtanter adhærere velit, flectitur & inclinatur, adeo, ut Deus in vere fidelibus non tantum, ut poſſint, verum etiam, ut velint perſeverare, & ut ipſo actu perſeverent, efficaciter operetur.

Deum vere Fideles viribus ſupernaturalibus, ad perſeverandum neceſſarijs inſtruere, adeoque efficere, ut poſſint perſeverare, ex ſequentibus Scripturæ dictis manifeſtum eſt.

Eph. 6. 10. 11. *Corroboramini in Domino, & robore virium ipſius. Induite univerſam illam armaturam Dei, ut poſſitis ſtare adverſus artes Diaboli.*

Phil. 4. 13. *Omnia poſſum per eum, qui me confortat, Dominum.*

Deum vere fideles potenter in vera fide & ſanctitate conſervare & cuſtodire, adeoque efficere, ut perſeverare velint, & ipſo actu perſeverent, ex ſequentibus Scripturæ Teſtimonijs liquet.

Phil.

Phil. 1. 6. *Persuasum habeo hoc ipsum fore, ut qui incepit in vobis opus bonum, perficiat, usque ad diem Iesu Christi.*

Phil. 2. 13. *Deus is est, qui efficit in vobis & ipsum velle, & ipsum perficere, pro gratuita sua benevolentia.*

1. Cor. 10. 13. *Fidelis est Deus, qui non sinit vos tentari supra id, quod potestis, sed una cum tentatione præstabit etiam exitum, ut possitis eam sufferre.*

1. Pet. 1. 5. *Virtutis Dei præsidio custodimini per fidem, ad salutem, paratam revelari præstituto tempore ultimo.*

Aphorismus V.

Nititur itaque hæc vere fidelium perseverantia, non firmitate virium ipsorum naturalium, neque naturali voluntatis ipsorum, constanter volendi bonum supernaturale & cæleste, facultate. Est enim etiam in vere fidelibus virium humanarum tanta imbecillitas, & voluntatis ipsorum etiam regenitæ (quia non in totum, sed ex parte tantum in hac vita renovatur) tanta mutabilitas, ut vere fideles, sibi relicti, contra Satanæ astutiam & potentiam, mundi insidias & technas, nec non propriæ carnis concupiscentiam, ne quidem ad momentum subsistere possint: Unde Scriptura toties nos ad vigilandum, precandum & operandum salutem nostram cum timore ac tremore hortatur, Luc. 21. 36. Phil. 2. 12. 1. Pet. 5. 8. 9. & alibi, &c. Sed potius nititur:

1. Immutabili Dei consilio, de electis suis in vera fide ad finem usque conservandis, & per eam ad æternam salutem necessario & infallibiliter perducendis. Quod Dei consilium à nulla creatura irritum reddi, nec ab ipso Deo, propter ipsius immutabilitatem, revocari unquam poterit, Esai. 46. 10. Psal. 33. 11. Mal. 3. 6. Matth. 24. 24. 2. Tim. 2. 19.

2. Nititur virium supernaturalium quibus Deus hominem vere fidelem ad perseverandum instruit, immutabili ac constanti in ipsis permansione. Deus enim efficaciter in electis suis operando fidem, indit ipsis principium æternæ durationis, & eiusmodi ipsis largitur perseverandi vires, quæ nec in æternum eis ab ulla creatura adimi possunt, nec ab ipsismet unquam penitus excutiuntur. Quod principium vocatur in Scripturis radix insita, Matth. 13. 21. Semen manens, 1. Ioh. 3. 9. Et immortale, 1. Pet. 1. 23. item Unctio manens, 1. Ioh. 1. 21.

3. Perpetua Spiritus S. assistentia, & in vere fidelibus mansione, nec non potente ipsorum, per Dei virtutem, custodia, protectione & directione, adeoque virium illarum supernaturalium in ipsum perseverationis actum deductione. Vide Ioh. 14. 15. 23. 1. Cor. 3. 16. Et, 2. Cor. 6. 16. 1. Pet. 1. 5.

4. Infallibili Dei promissione, qua vere fidelibus & vires ad perseverandum necessarias, & perpetuam Spiritus sui Sancti assistentiam, eorumque custodiam, protectionem & directionem in vijs mandatorum suorum pollicetur. Videatur Esai. 46. 4. Ierem. 32. 40. 1. Ioan. 2. 25. 27. 1. Cor. 1. 8. Et, 10. 13.

5. Indesinente Christi pro vere fidelibus, eorumque in fide perseverantia, intercessione, & Spiritus S. à Deo Patre impetratione. Iohan. 14. 16. Et cap. 17. 15. 17. 20. Luc. 22. 32.

Aphoris. VI.

Atque hæc vere fidelium perseverantia, non finalem tantum, verum etiam totalem defectionem à fide, penitus excludit, ita quidem, ut, quem Deus semel vera & salvifica fide donavit, is nec finaliter, nec totaliter eam amittat, nec vero etiam, ob fundamenta supra posita, amittere possit.

Quod finaliter ab ea non deficiant, ea probant Scripturæ testimonia, quæ vere fideles & regenitos vitam æternam *habere*, & à morte ad vitam *transiisse ac translatos esse* testantur. Ioan. 5. 24. 1. Ioan. 3. 14. Qui vero vitam æternam jam tum habent, & ad eam translati sunt, nequaquam ea privari possunt. Quod ne quidem totaliter fidem & Spiritum regenerationis excutiant, amittantque, ex sequentibus liquet:

Ierem.

Ierem. 32. 40. *Timorem meum dabo in corda eorum, ut non recedant à me.* Qui vero à Deo non recedunt, nunquam fidem & Spiritum regenerationis totaliter amittunt, sed Deo perseveranter adhærent. Vide etiam Esai. 54. 10. Luc. 22. 32. Rom. 11. 28. Et insignem illum locum 1. Iohan. 3. 9. *Qui natus est ex Deo, peccatum non committit, quoniam semen ipsius manet in eo, nec potest peccare, eo, quod ex Deo natus est.*

Aphoris. VII.

Quamvis itaque vere fideles nonnunquam etiam in gravissima & atrocissima peccata prolabantur, quibus externi actus fidei, caritatis, aliarumque virtutum Christianarum interturbantur, & interrumpuntur, adeoque foris aliquamdiu deficiunt ac cessant, & Spiritus Sanctus intus in ipsorum cordibus contristatur, Ephes. 4. 30. Donaque eius ita imminuuntur & debilitantur, ut quandoque homo interior ad agonem veluti redactus, & tantum non enectus videatur; semper tamen Deus secundum pactum misericordiæ suæ, per ac propter Christi meritum, & perpetuam pro fidelibus suis intercessionem, manum eis, ne penitus collidantur, supponit, semen fidei in ipsis potenter & misericorditer conservat, & è lapsibus eos denuo erigit: adeoque fidei scintillulam, quæ in ipsis remanserat, exterius Verbo Legis & Euangelij, nonnunquam etiam paternis castigationibus adhibitis, interius Spiritus S. virtute, quæ sese de novo in ipsis exerit, ita ventilat, ut in actum, per lapsus illos interruptum, iterum erumpat.

Veritas huius aphorismi ex sequentibus patet.

Psal. 37. 24. *Cum cadit justus, non dejicitur,* scilicet, ut pereat.

2. Cor. 4. 9. *Quia Iehova sustentat manum eius.*

Proverb. 24. 16. *Septies cadat justus, exurgit tamen.*

Luc. 22. 31. 32. *Simon, Simon, Satan petyt vos, quos ventilaret sicut triticum, sed ego deprecatus sum pro te, ne deficiat fides tua.*

1. Iohan. 3. 9. *Qui natus est ex Deo, peccatum non committit, quoniam semen ipsius manet in eo.*

Atque hoc ipsum probant exempla Davidis, Petri, aliorumque vere fidelium & Sanctorum, in quibus semen Dei, quod ipsorum lapsibus veluti suffocatum videbatur, tandem iterum germinare, & fructum ferre cœpit, cum virtute Dei è suis lapsibus resurrexerunt, & ad Deum per veram pœnitentiam redierunt.

Aphoris. VIII.

Unde facile est intelligere, ingens esse discrimen inter peccata non renatorum, & lapsus vere fidelium & regenitorum. Illi ex contemptu Dei, toto animo, plena voluntate, & cum quadam veluti delectatione in peccata præcipites ruunt, eaque sine ulla lucta Spiritus committunt, quod Scriptura vocat ἁμαρτίαν ποιεῖν, 1. Iohan. 3. 9. Unde etiam peccatum hoc non renatorum, dicitur regnans. Rom. 6. 12. Ipsique dicuntur vivere in carne & secundum carnem. Rom. 8. 1. 4. 5. 8. 12. 13. &c. Hi nec ex contemptu Dei, nec toto animo, & destinata quadem malitia, plenaque voluntate, sed ex carnis quæ in ipsis residua est, infirmitate, reluctante semper, licet non prædominante, imo vero succumbente Spiritu, peccant. Unde in Scriptura Sacra negantur ἁμαρτίαν ποιεῖν, 1. Iohan. 3. 9. Nec in carne vel secundum carnem vivere dicuntur, (quæ phrasis habitum denotat, & carnis regimen & dominatum, qui in renatis locum non habet) licet opera carnis sæpe numero committant.

Aphoris. IX.

Hæc, de Perseverantia vere fidelium & per Spiritum Sanctum regenitorum, doctrina, firmum ac solidum nobis in omnibus tentationibus solatium præstat, nosque de incorruptibili, incontaminabili & immarcessibili hæreditate cælesti, æternaque animarum nostrarum salute obtinenda certos & securos reddit: Securos, non carnali

nali sed spirituali securitate, adeo ut, qui vera & salvifica in Christum fide præditi sunt, & spiritum regenerationis & renovationis intus in cordibus suis sentiunt, certa & indubitata animi fiducia, se à Deo, ante secula condita, vere ad vitam æternam electos esse, & præsidio virtutis ipsius, per fidem ad salutem custoditum, adeoque necessario & infallibiliter æternum salvatum iri, statuere possint ac debeant.

Videantur de hoc solatio & salutis certitudine, ex hac doctrina promanante, insignia loca Rom. 8. à vers. 33. ad finem cap. 2. Tim. 1. 12. 1. Ioan. 3. 14. Et 5. 10. 11. 12. 13. 14. 15. Et conjungantur cum his ea Scripturæ testimonia, quæ Spiritum sanctum dicunt esse arrhabonem hæreditatis cælestis, qui vere fidelibus testimonium perhibet, quod sint filij & hæredes Dei, ac cohæredes Christi, quique ipsos obsignat, in diem Iesu Christi, & de obtinenda æterna salute certos reddit. Rom. 8. 16. 17. 2. Cor. 1. 22. Ephes. 1. 11. 13. &c.

ANTITHESES.

Rejicimus itaque, ut heterodoxas, sequentes Remonstrantium assertiones;

1. Veram fidem justificantem & salvificam, non esse electorum propriam; Quod ex ista Remonstrantium assertione, cum dicunt, vere fideles in atrocibus flagitijs & sceleribus perseverare & mori, ac proinde in ijs æternum perire posse, & sæpenumero etiam perire, necessario sequitur. Electi enim æternum perire nequeunt.

2. Fidem πρόσκαιρον seu temporariam esse fidem totalem, justificantem, nec differre specie à vera fide ad finem durante.

In Declar. Artic. 5. exhibit. pag. 4. 5.

3. Perseverantiam in fide, non esse effectum Electionis ad salutem, sed conditionem prærequisitam in homine eligendo.

Thesib. exhib. 7. & 1. de Artic. 5.

4. Si Deus pro absoluto suo jure quosdam, diu multumque in stadio pietatis exercitatos, & in varijs adversitatibus, veluti igne probatos, dono indefectibilis perseverantiæ remuneretur; id extraordinaria quadam ratione fieri, nec in censum venire, ubi de ordinarijs Dei actionibus agitur.

In Decl. Artic. 5. pag. 8. 9.

5. Perseverantiam in fide, non esse donum Dei, & quidem tale, quod omnibus electis detur. Hæc assertio ex proxima præcedente necessario sequitur. Si enim extraordinaria ratione fieri dicatur, cum Deus quosdam, diu multumque in stadio pietatis exercitatos, & in varijs adversitatibus veluti igne probatos, dono indefectibilis perseverantiæ remuneratur, utique non omnibus electis ordinarie hoc donum obtinget.

6. Deum quidem gratia & viribus supernaturalibus instruere hominem vere fidelem, quantum ad perseverandum, & Diaboli, carnis ac mundi tentationes superandum, pro infinita sua sapientia sufficere iudicat, insuperque paratum esse, porro gratia & auxilio suo divino ipsi, si officium suum faciat, & gratia viribusque ad perseverandum sufficientibus bene utatur, hoc est, vigilijs, precibus, aliisque sanctis exercitiis, in vera fide perseverare studeat, adesse: nihilominus tamen, stante auxilij divini promptitudine, & gratiæ sufficientis præsentia, positisque illis omnibus, quæ ad perseverandum necessaria atque sufficientia sunt, quæque Deus ad fidem conservandam adhibere vult, imo, posito etiam in ipsa voluntate fidei habitu, manere tamen semper in hominis potestate, perseverare, vel non perseverare: Quæ Remonstrantium assertio non obscure colligitur ex *Thesi. exhib.* 2. & 8. *de Articulo* 5. *Et exhibita declar. Art.* 5. *pag.* 11.

7. Vere fideles à vera fide, & consequenter à gratia & salute totaliter non solum excidere posse, sed etiam non raro excidere, quotiescunque videlicet opus aliquod carnis committunt; *Thesi exhib.* 3. *de Artic.* 5. *Coll. Hag. Bertij pag.* 18. 19. *de Artic.* 5.

8. Vere fideles à vera fide, gratia & salute etiam finaliter excidere posse, & sæpenumero excidere, adeoque in Apostasia perseverare ac mori, æternumque perire, *Thesi. exhib.* 4. *Artic.* 5. *Coll. Bertij pag.* 18. 19. *de Artic.* 5.

9. Vere fideles in ipsum ad mortem & in Spiritum sanctum peccatum incidere posse. Quod asserit *Episcop. disp. publ. de peccato actuali. Corro. 1. & 2.*

10. Nullum vere fidelem in hac vita, citra specialem revelationem, posse esse certum, se semper in fide perseveraturum, adeoque æternum salvatum iri. *Coll. Bert. p. 150. de Artic. 5.*

11. Doctrinam de Perseverantiæ certitudine securitati carnali fenestram aperire, & natura atque indole sua idoneam esse ad ingenerandam hominibus securitatem, ut in medio cursu peccatorum ipsis sit loco pulvinaris, quo semetipsos molliter fovere, suaviterque demulcere possint. *Thes. exhib. 6. de Artic. 5. Coll. Berty pag. 57. de Artic. 5.*

12. Dubitare, utrumne semper ij futuri simus, qui nunc sumus (scilicet vere fideles, Dei Filij, æternæ vitæ hæreditatem certo adepturi) semperque illum animum servaturi simus, quem nunc habemus, non esse noxium, sed laudabile cumprimis atque utile. *Coll. Berty pag. 63. 64. de Artic. 5.*

Exposuimus, Dei adjuti gratia, nostram, & nostrarum, quæ in inferiori, & ex parte etiam in superiori Hassia Christo colliguntur, Ecclesiarum, de Prædestinatione, Merito Christi, Gratia Dei, Libero arbitrio, & Perseverantia vere fidelium sententiam: simulque quid de Contrarijs Fratrum Remonstrantium heterodoxis assertionibus, quibus Ecclesiæ Belgicæ, alias florentissimæ, misere aliquot nunc annos afflictæ ac turbatæ fuerunt, ex Verbo Dei statuendum sit, aperuimus.

Vos itaque, Illustres, Nobilissimi & Amplissimi DD. Delegati, & in vobis Illustriss. ac Præpotentes DD. Ordd. Generales, quos Deus Ecclesijs hisce Belgicis Reformatis dedit Nutritios, per SS. Domini nostri Iesu Christi nomen, & preciosum ipsius sanguinem, quo care admodum Ecclesiam suam redemit, per tot millium animarum æternam salutem, obtestamur ac precamur, ut, (quod ratione officij vestri & potestis & debetis) sanam hanc doctrinam, quam unanimi consensu innumeræ Ecclesiæ Reformatæ in Germania, Gallia, Anglia, Helvetia, alijsque in locis huc usque, per Dei gratiam, constanter amplectuntur, in florentissimo hoc vestro Belgio tueamini, neve eam maledictis & calumnijs male feriatorum hominum diutius traduci, exagitari & opprimi patiamini. Quin potius in id serio incumbite, & consilia vestra eo dirigite, an qua ratione, qui à via aberrarunt hactenus, revocari, & iterum lucrifieri, Ecclesiæque Belgicæ misere nunc distractæ, denuo, pulsis errorum nebulis, in unitatem fidei ac doctrinæ coniungi & uniri, adeoque cum veritate sincera pax & tranquillitas ipsis restitui & deinceps in ijs conservari possint.

Sic consensum in Orthodoxia, cum tot Regnorum, Ducatuum, Provinciarum, Comitatuum, & Rerumpublicarum Ecclesijs Reformatis, quantum in vobis est, tuebimini, & benedictiones Dei immensas, quibus florentissimas Vestras Respublicas hactenus cumulatissime affecit, in posterum quoque abunde persentiscetis, ut, quod per multos hactenus annos fuistis, deinceps quoque hostibus vestris terrori, vicinis & amicis vestris subsidio & adiumento, nec non subditis vestris solatio esse possitis.

Atque hanc rem vobis, qui Provinciarum harum Confœderatarum Belgicarum statum exactissime cognitum habetis ac perspectum, & quid Respublicæ vestræ liberæ ferant vel non ferant, omnium optime nostis, pro vestra eximia sapientia dispiciendum relinquimus; nostro loco precantes, & deinceps etiam precaturi Deum Opt. Max. ut sanctis consilijs vestris cælitus benedicat; Eos, qui à recto veritatis tramite aberrarunt, in viam revocet; Ecclesias vestras Belgicas misere disiectas recolligat, distractas de integro uniat, firmaque ac solida in se & Filio suo unigenito Domino nostro Iesu Christo pace stabiliat, & nos, & nostras, omnesque alias Orthodoxas Ecclesias, per totum Terrarum orbem diffusas, potenti sua dextra contra portarum inferorum potentiam, ac Satanæ, nec non impij mundi fraudes, technas, & insidias tueatur, protegat, defendat; tandemque ad se in cœlestem Paradisum translatas æternum glorificet, per ac propter Filium suum Unigenitum, Dominum ac Servatorem nostrum, Iesum Christum, cui una cum Patre & Spiritu sancto sit laus, honor, & gloria, in secula seculorum. Amen.

Digitized by Google

De
SANCTORVM PERSEVERANTIA
Et salutis fidelium Certitudine.

Sententia Helvetiorum.

I.

CRedimus & profitemur omnes vere credentes, qui fide viva & vera Iesu Christo, tanquam palmites viti & membra capiti sunt insiti, Spiritus item sanctificationis ac regenerationis sunt facti participes, in hac vera in Christum redemptorem fide & sancte vivendi proposito ad vitæ finem usque perseveraturos, & ita salutem illam æternam, ad quam ab æterno ex mera gratia electi sunt, & per Christum redempti, certissime assecuturos esse.

II.

Est nempe Patris eligentis voluntas, ut quoscunque dedit Filio, non pereant: sed novissimo die ad vitam æternam resuscitentur. Est Filij Redemptoris voluntas, ut à Patre dati, sint secum, & secum vivant, spectentque gloriam suam in æternum. Spiritus sanctus quoque Paracletus cum electis manet in æternum. Et revera quos Deus Pater pro libera voluntate sua elegit misericorditer, quos Dei Filius sanguine pretioso suo redemit, quos Spiritus sanctus illuminavit & sanctificavit, ij gratiose certoque servantur & perducuntur ad finem destinatum potenter.

III.

Hanc autem vere fidelium in fide vera & sanctitate perseverantiam non ullis adscribimus voluntatis humanæ, aut liberi arbitrij viribus, sed Dei Patris omnipotenti virtuti, Filij ipsius unigeniti, Pastoris nostri summi & vigilantissimi omnipotenti custodiæ, nec non infallibili Spiritus sancti obsignationi, eam in solidum tutoque tribuimus. Nam quia fideles præsidio divinæ virtutis per fidem ad hæreditatem æternam custodiuntur; quia ex semine incorruptibili renati sunt; quia Spiritus S. ductu reguntur; quia Christi Pastoris fidissimi tenentur manu: totaliter vel finaliter à vera fide deficere, aut salute æterna excidere non possunt. Contra tamen, si fidelium perseverantia viribus humanis & proprijs staret aut caderet; si fideles permitterentur sibi; si virtute propria ipsis esset pugnandum; sane eos ne ad momentum quidem contra Leonis rugientis insultus, mundi & carnis tentationes, quæ ipsorum in carne est imbecillitas, consistere, sed in peccata & apostasiam labi, in lapsu perseverare, & mori, & ita æternum perire posse non diffitemur: propterea quod Sanctorum perseverantia opus est non carnis & sanguinis, non liberi nostri arbitrij, non habitus alicuius per crebros credendi & obediendi actus acquisiti, sed donum Dei mere gratuitum, Spiritus sancti effectum proprium, electionis Dei Patris, & consequutæ Filij redemptionis, nec non intercessionis perpetuæ fructus.

IV.

Etsi autem vere fideles & electos neque totaliter neque finaliter à vera fide deficere, saluteque æterna excidere posse credamus, tamen non negamus vere fideles & electos propter inhabitantem legem peccati & veteris Adami reliquias interdum in gravia & enormia peccata, mundi exemplo & Satanæ, tentationibus deceptos incidere, ita ut conscientiam gravissime lædant, Spiritum

Sanctum contristent, eiusque charismata quædam amittant, fides reddatur infirma, & consolatio plane languescat: Si tamen hi cadunt, Deus illorum, ne prosternantur, manus sustentat; nunquam ut tentatio maior sit, quam possunt ferre, permittit: opus bonum, quod cœpit, etiam perficit; lychnum fumigantem afflatu Spiritus Sancti rursus accendit: ad veram resipiscentiam certo revocat, & tandem ad metam beatam perducit.

V.

Atque de hac perseverantia sua vere fideles possunt certi esse non tantum pro tempore præsenti, sed etiam pro futuro, idque tum ad Dei gloriam, qui eos gratiose & potenter contra apostasiam finalem conservat, tum ad eorum in hac miseriarum & tentationum valle, consolationem eximiam. Habent enim fideles de hac sua perseverantia & fideli custodia Dei & Salvatoris nostri non tantum promissiones certissimas, Verbo Dei luculenter expressas, verum etiam Spiritus S. internum testimonium, qui cum Spiritu nostro testatur, quod Filij Dei sumus, quo etiam in diem plenæ redemptionis obsignamur, quique hæreditatis cælestis est infallibilis arrhabo.

VI.

Non tamen electi, propterea quod perseverantiæ suæ certi sunt, ad omne genus peccata, flagitia, scelera, noxiamque carnis securitatem fenestram sibi aut portam aperiunt, sed per inhabitantem Spiritum Dei in veritatis, pietatis, charitatis & gratitudinis via omni collato studio incedunt; opera carnis & membra terrestria sua mortificant; ad novam vitam subinde resurgunt, student pietati & bonis operibus; Deum timent; à peccatis sibi cavent; denique operantur cum timore & tremore salutem. Dat enim illis Deus cor novum & Spiritum novum, efficitque ut in statutis suis ambulent, & jura sua faciant, fiantque tanquam arbor plantata ad rivos aquarum quę fructum edit tempore suo. Revera enim, qui ex Deo natus est, peccatum non facit, quoniam semen eius manet in ipso, nec potest peccare, quia ex Deo natus est.

VII.

Neque hinc sequitur, omnes admonitiones, adhortationes, præmonitiones, præceptiones, minas, consilia, obsecrationes, &c. propterea esse inutiles, inanes, aut irritas, sed sunt potius hæc omnia salutaria media, quibus Deus perseverationis consilium donumque expedit, & suos, quibus, ut hortationibus concedant locum, potenter largitur vires, ad finem destinatum perducit.

VIII.

Multo minus certitudo salutis, aut perseverandi spes certa preces fidelium tollit. Caput utique fidelium Redemptor noster Iesus Christus, qui de gloria sua & Patris favore perpetuo non certus esse non potuit, in precibus dies noctesque fuit assiduus; neque beato Paulo mortalium quisquam in precibus fuit ardentior, in commendando sese precibus aliorum frequentior, quo tamen de salute atque corona sua vix alius extiterat certior. Quemadmodum enim nihilo segnius agebant Moses, Iosua, Gedeon, David, alij, populi sancti Duces, Iudices, Reges, propterea quod divinis oraculis certi fuerunt, traditum iri hostem in manus suas: sic vere fideles de consequenda salute non dubij, alacrius etiam suam salutem operari, & adversus tentationes omnes pugnare non dubitant. Unde hanc de certitudine salutis: doctrinam non solidæ consolationis solum, verum etiam filialis, spontaneæ atque ingenuæ pietatis magistram esse profitemur & credimus.

IX.

Si qui vero à fide defecisse dicuntur, aut ij fuerunt hypocritæ, fidem professi ore, quam

Digitized by Google

quam nunquam habuerunt in corde, qualis fuit Simon Magus. Aut temporarij sunt, qui fidei veræ & salvificæ radices in corde non habuerunt, de quibus in parabola Christus. Aut tales ex charitatis judicio propter professionem externam ab alijs pro vere fidelibus sunt habiti, cum intus revera sanctificati non essent.

X.

Concludimus ergo verbis Apostoli, neque mortem, neque vitam, neque Angelos, neque principatus, neque potestates, neque præsentia, neque futura: neque sublimitatem, neque profunditatem, neque creatam rem aliam ullam fideles separare posse à charitate Dei quæ est in Christo Iesu, Domino nostro.

Estque hæc nostra fides, nostra spes, nostra de quinque Articulis controversis sententia, quam in Scriptura Sacra revelatam; iustitiæ, misericordiæ, sapientiæ divinæ omnino congruam & honorificam; consolationi & ædificationi apprime servientem, pietati vero & bonis moribus inimicam nequaquam; à maioribus nostris ex verbo divino haustam, ac religiosissime traditam, totis animis & conscientijs inoffensis amplectimur: In Ecclesijs & Academijs Reformatæ Helvetiæ fidei nostræ commissis constanter etiamnum docemus. Hanc doctrinam, atque adeo veritatem salvificam totam, Illustrissimis & Præpotentib. DD. Ordinibus Generalibus, nec non Provinciarum Belgicarum reformatarum Magistratibus, Orthodoxis reliquis omnibus, Ecclesiæ Christianæ nutritijs celebratissimis, commendatissimam esse ex animo cupimus. Academiarum & Ecclesiarum Belgicarum Professoribus & Pastoribus, fratribus in Domino Iesu Christo dilectissimis, in doctrina hac ardua atque sublimi proponenda prudentiam, in propugnanda constantiam, in utroque Dei incrementum benignum, qua possumus animorum sinceritate precamur. Deum quoque Patrem miserationum supplices humilesque oramus, atque ἀδιαλείπτως orabimus, ut sentientes contrarium, & gregi, quem acquisivit sibi sanguine suo Deus, non parcentes, aut gratiose emendet, aut manu potente sua coerceat; denique ut Ecclesias Belgicas, & Rempublicam hanc Illustrissimam universam adversus Tyrannos, adversus hæreses, adversus omnes omnium fraudulentorum insidias clementer custodiat, protegat, conservet, ad sacrosancti nominis sui gloriam, ad Ecclesiæ & Reipu Christianæ totius salutem, per Dominum nostrum Iesum Christum, cui cum Patre & Spiritu Sancto sit laus, honor, & gloria in secula. Amen.

IVDICIVM

Nomine Orthodoxarum Ecclesiarum Nassovio-VVetteravicarum,

DE QVINTO ARTICVLO.

Qui est,

De Perseverantia Sanctorum & certitudine salutis.

Sententia Remonstrantium.

I.

PErseverantia fidelium in fide non est effectum electionis; nec est donum Dei concessum, sed oblatum, & conditio novi Fœderis, quam Deus inter multas possibiles præscripsit, quamque homo habitu fidei & obedientiæ per crebros credendi & obediendi actus acquisites facile præstare potest, & accedente interno Spiritus S. auxilio plerunque præstat.

Sententia Orthodoxorum.

I.

PErseverantia, qua usque in finem perseveratur in fide Christi, & sine qua nemo servatur, Matth. 24. 13. Est donum Dei; quod datur omnibus electis, ita ut illi habitu fidei salvificæ præditi, & virtute Dei custoditi, non possint non ad finem usque perseverare.

ſione etiam doctrinæ, nobis in Verbo Dei revelatæ: quæ fides hiſtorica dicitur, & in ipſis etiam Dæmonibus reperitur, Iacob. 2. 19.

Secundo denotat ſpeciale Dei donum edendi miracula, quæ fides miraculorum appellatur, 1. Cor. 13. 2.

Tertio ſignificat non nudam & ſolam, ſed eiuſmodi notitiam & aſſenſum doctrinæ in Verbo Dei traditæ, quæ conjunctam habet aliquam lætitiam, verum evanidam, ex ſpe commodorum temporalium conceptam, ſine fiducia certa remiſſionis peccatorum, & acquieſcentia in promiſſione Dei, propter Chriſtum nobis facta; quæ fides, quoniam rebus quidem ſecundis durat, adverſis vero penitus evaneſcit, πρόσκαιρος ſeu temporaria appellatur. Matth. 13. 21.

Quarto ſignificat notitiam & aſſenſum fiducialem, qua promiſſionem, nobis à Deo in Chriſto factam, apprehendimus, & in Dei erga nos miſericordia, amore & favore paterno, per Chriſti meritum nobis acquiſito, ſuaviter acquieſcimus, certo ſtatuentes, remiſſionem peccatorum, juſtitiam, & vitam æternam ex mera Dei gratia; propter unius Chriſti meritum, non ſolum alijs, ſed etiam nobis, & quidem in particulari, mihi, tibi, &c. vere donari. quomodo vocabulum fidei accipitur, cum per eam coram Deo juſtificari, æternumque ſalvari dicimur. Rom. 3. & 4. Et 11. Gal. 2. & 3. & alibi. Unde hæc fides juſtificans & ſalvifica dicitur.

Atque hæc Fides juſtificans à Fide temporaria multis modis, ipſaque etiam ſpecie differt. Nam diſtinguuntur:

1. Subjecto. Fides enim Temporaria eſt in intellectu tantum, & ex ſe gignit quidem in corde aliquod gaudium, ſed inſtabile, ex cauſis evanidis, ſpe nimirum commoditatis temporalis, ex doctrina Euangelij, obtinendæ: Fides vero iuſtificans, licet, quatenus notitia eſt & aſſenſus, in intellectu ſit, tamen quatenus fiducia eſt & acquieſcentia in Deo, in voluntate & corde radicatur. Rom. 10. 9, 10. *Corde creditur*, &c.

Illa ſuccreſſere poteſt, & quandoque etiam ſuccreſſit in agro non bono, ſed lapidoſo. Matth. 5. 6. 20. 21.

Hæc non provenit niſi in agro bono, hoc eſt, in homine, cui Deus cor lapideum abſtulit, & dedit cor carneum, Ezech. 11. 19. Et 36. 26.

2. Differunt ratione formali. Fidei enim iuſtificantis forma eſt ipſa fiducialis Chriſti, & meritorum ipſius apprehenſio, ſeu firma illa πληροφορία ſeu perſuaſio, qua quiſque fidelis certo ſtatuit, promiſſionem Euangelicam ad ſe pertinere, ſibique eam applicat: Fidei vero temporariæ forma eſt Verbi Dei aſſenſus, cum gaudio evanido, quod ex ſpe commodorum temporalium naſcitur, coniunctus.

3. Effectibus. Per illam Chriſto inſerimur, eiuſque membra efficimur, ita, ut ipſe in nobis, & nos in ipſo ſimus, Ioh. 6. 59. Epheſ. 3. 17. Per hanc Chriſto non inſerimur, nec membra eius efficimur: alias enim nulla perſecutione aut compreſſione, iterum à Chriſto ſepararentur, qui fidem illam πρόσκαιρον habent, ſecundum illud Rom. 8. 35.

Per illam homo coram Deo iuſtificatur. Rom. 3. & 4. Gal. 2. & 3. per hanc iuſtitia non obtinetur.

Illa producit ex ſe bona, Deoque placentia opera, caritatem, ſpem, patientiam, &c. ut fructus, in alijs quidem centenos, in alijs ſexagenos, in aliis vero tricenos, pro menſura nimirum donationis Chriſti, & Spiritus eius, vide Matth. 13. 8. 27. Eph. 4. 7. 1. Cor. 12. 11. Galat. 5. 6. 22. 23. Hæc fructus illos non fert, ſed antequam ad maturitatem perveniat, in prima veluti herba, ante ῥίζωσιν, perit. Matth. 13. 6. 21.

Illa ex ſe parit lætitiam ſolidam, firmam & permanentem, qua in Deo ſuaviter acquieſcimus, quæ quoddam veluti initium eſt ineffabilis illius gaudij cæleſtis & æterni. Rom. 5. 1. 2. Et 14. 17. Hæc cum gaudio quidem coniuncta eſt, ſed evanido, & rebus adverſis non tantum langueſcente, ſed etiam penitus emarceſcente & emoriente. Matth. 13. 6. 22.

4. Adjunctis. Fides iuſtificans eſt ſemper durabilis: Unde vere fideles & iuſti dicuntur eſſe inſtar arboris plantatæ ad rivos aquarum, quæ fructum ſuum edit in tempore ſuo, & cuius folium non decidit, Pſal. 1. 3. Fides temporaria, perſecutione orta, ſtatim deficit, quoniam radicem non habet, Matth. 13. 6. 21.

Quid

Quid per Spiritum Regenerationis intelligatur.

Spiritum Regenerationis cum vocamus, non intelligimus ea Spiritus S. dona, quæ reprobis cum electis sunt communia, ut sunt tum Extraordinaria illa primitivæ Ecclesiæ dona miraculosa, de quibus loquitur Christus Matth. 7. 21. 22. 23. Et D. Apostolus 1. Cor. 12. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. tum ordinaria illa χαρίσματα, intellectus illuminatio, mysteriorum regni cælestis cognitio,& quidam veluti Verbi Dei, & virtutum futuri seculi gustus. Heb. 6. 4. 5. Et 10.26. quæ reprobis etiam obtingunt; sed ea intelligimus Spiritus Sancti dona, quibus electi à reprobis, vere fideles & sanctificati ab hypocritis discernuntur, ut sunt sincera Dei & proximi dilectio,vera sanctitas, justitia, patientia, spes, alijque fructus Spiritus, descripti ab Apostolo, Galat. 5. 22. 23.

Quid sit Perseverantia.

Perseverantiam in fide & sanctitate vocamus, non continuatam, & nullis lapsibus interruptam, actuum fidei & sanctitatis productionem, sed habituum potius fidei, dilectionis, sanctitatis, &c. in vere fidelibus & sanctis continuatam ἐπιμονὴν seu permanentiam.

Quid sit Apostasia totalis & finalis.

Apostasiam totalem à fide & gratia vocamus omnimodam & plenariam habituum fidei, & donorum Spiritus υἱοθεσίας effusionem seu amissionem, ita, ut homo fide & donis regenerationis Spiritus Sancti, quibus antea donatus fuerat, penitus privetur & destituatur, adeoque ex fideli iterum infidelis, ex spirituali iterum animalis, ex libero Dei Filio iterum mancipium Satanæ fiat.

Finalem defectionem à fide & gratia dicimus eam,qua homo à fide ita penitus deficit,& Spiritu renovationis, ejusque donis ita privatur ,ut nunquam ijsdem denuo donetur, sed in apostasia illa persistat, & æternum pereat.

His præmissis ac distinctis, sententiam nostram de proposito Perseverantiæ vere fidelium argumento, sequentibus Aphorismis concludimus.

APHORISMUS I.

Quos Deus pro benevolo affectu voluntatis suæ,è genere humano lapso, ante jacta mundi fundamenta, ad vitam æternam elegit, in ijs etiam in tempore, non solum secundum supereminentẽ magnitudinem potentiæ suæ & pro efficacitate roboris virium suarum, veram & salvificam in Christum fidem operatur, eosque per Spiritum suum Sanctum regenerat, & ex animalibus Spirituales reddit, verum etiam in ea ipsa fide & sanctimonia, virtute sua divina, ad salutem æternam potenter & misericorditer conservat & custodit, adeoque perseverantia donat,ita,ut non minus, perseverantia in fide & sanctitate, ac ipsa fides & sanctitas, ex electione ad vitam æternam, ut fructus & effectus à sua causa, dependeat, & necessario promanet, omnesque & soli electi vere in Christum credant, per Spiritum Sanctum sanctificentur, & in vera fide & sanctitate ad finem usque perseverent.

Fidem ex electione ad vitam æternam necessario fluere, adeoque electorum esse propriam,sequentia docent Scripturæ sacræ testimonia, Actor. 13.48. *Crediderunt quotquot erant ordinati ad vitam æternam.* Rom. 8. 30. *Quos prædestinavit, eos etiam vocavit*,scilicet interne, seu, quod idem est, fide donavit.

2. Thess. 3. 2. *Non omnium est fides.*

Tit. 1. 1. *Secundum fidem electorum.*

Sanctificationem Spiritus, seu regenerationem ex Electione, ut fructum & effectum ex sua causa promanare, tum ex indissolubili fidei veræ salvificæ, & Spiritus regenerationis ac renovationis, inter se nexu, tum vero etiam ex sequentibus Scripturæ dictis patet.

2. Thess.

2. Theſſ. 2. 13. *Elegit vos Deus ab initio ad ſalutem, per ſanctificationem Spiritus, & fidem habitam veritati.*

1. Pet. 1. 2. *Electis ex praecognitione Dei Patris, ad ſanctificationem Spiritus.*

Epheſ. 1. 4. *Elegit nos in Chriſto, ut eſſemus ſancti & inculpati in conſpectu eius cum caritate.*

Perſeverantiam in fide ex ſanctitate, & electione, ut effectum ex ſua cauſa promanare, ſequentia docent Scripturæ teſtimonia.

Iohan. 6. 29. *Hæc eſt voluntas ejus, qui miſit me, Patris, ut quicquid mihi dederit, non perdam ex eo, ſed ſuſcitem illud in ultimo illo die*, ſcilicet, ad vitam æternam.

Rom. 8. 30. *Quos prædeſtinavit, &c. eos etiam glorificavit.* Et à verſ. 35. uſque ad finem capitis: *Quis ſeparabit nos à dilectione Chriſti, &c. Mihi perſuaſum eſt, neque mortem, neque vitam, &c. poſſe nos ſeparare à caritate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu, Domino noſtro.*

Rom. 11. 29. *Dona illa & illa vocatio Dei* (ſcilicet, efficax, ſeu fidei donatio) *ejuſmodi ſunt, ut eorum ipſum pœnitere non poſſit.*

1. Pet. 1. 5. *Virtutis Dei præſidio cuſtodimini per fidem ad ſalutem.*

APHORIS. II.

Hanc autem perſeverantiam in vera fide & ſanctitate, Deus non minus, ac ipſam fidem & ſanctitatem, in electis ſuis operatur per certa, quæ eam ad rem potenter adhibet media, tum externa, tum interna.

APHORIS. III.

Externa media ſunt, tum verbi divini prædicatio, & quæ in ea nobis proponuntur, Dei ſanctiſſima mandata, graviſſimæ exhortationes & commonefactiones, dulciſſimæ & ſuaviſſimæ promiſſiones, ſeveriſſimæ comminationes, &c. quibus ad perſeverandum in fide & ſanctitatis ſtudio excitamur; tum paternæ caſtigationes, crux, calamitas, quibus Deus nonnunquam fidem & pietatis ſtudium in nobis acuit. De quibus externis medijs quamplurima occurrunt Scripturæ Sacræ teſtimonia.

APHORIS. IV.

Interna ſunt, efficax Spiritus Sancti in cordibus electorum per externa illa media operatio, qua vere fideles non tantum viribus ſupernaturalibus ad perſeverandum, & Diaboli, carnis, & mundi tentationes ſuperandum, neceſſarijs & ſufficientibus inſtruuntur, ita, ut poſſint, ſi velint, perſeverare (quod Remonſtrantes agnoſcere videntur) ſed inſuper etiam potenter adverſus Satanæ, mundi & carnis tentationes, inſidias, technas, & fraudes, in fide & ſanctitate conſervantur & cuſtodiuntur, vireſque ipſorum ſupernaturales ad perſeverandum neceſſariæ, in ipſum perſeverationis actum perducuntur. Et voluntas ipſorum regenita, ad hoc, ut ſemper Deo conſtanter adhærere velit, flectitur & inclinatur, adeo, ut Deus in vere fidelibus non tantum, ut poſſint, verum etiam, ut velint perſeverare, & ut ipſo actu perſeverent, efficaciter operetur.

Deum vere Fideles viribus ſupernaturalibus, ad perſeverandum neceſſarijs inſtruere, adeoque efficere, ut poſſint perſeverare, ex ſequentibus Scripturæ dictis manifeſtum eſt.

Eph. 6. 10. 11. *Corroboramini in Domino, & robore virium ipſius. Induite univerſam illam armaturam Dei, ut poſſitis ſtare adverſus artes Diaboli.*

Phil. 4. 13. *Omnia poſſum per eum, qui me confortat, Dominum.*

Deum vere fideles potenter in vera fide & ſanctitate conſervare & cuſtodire, adeoque efficere, ut perſeverare velint, & ipſo actu perſeverent, ex ſequentibus Scripturæ Teſtimonijs liquet.

Phil.

Phil. 1. 6. *Persuasum habeo hoc ipsum fore, ut qui incepit in vobis opus bonum, perficiat, usque ad diem Iesu Christi.*

Phil. 2. 13. *Deus is est, qui efficit in vobis & ipsum velle, & ipsum perficere, pro gratuita sua benevolentia.*

1. Cor. 10. 13. *Fidelis est Deus, qui non sinit vos tentari supra id, quod potestis, sed una cum tentatione præstabit etiam exitum, ut possitis eam sufferre.*

1. Pet. 1. 5. *Virtutis Dei præsidio custodimini per fidem, ad salutem, paratam revelari præstituto tempore ultimo.*

APHORISMVS V.

Nititur itaque hæc vere fidelium perseverantia, non firmitate virium ipsorum naturalium, neque naturali voluntatis ipsorum, constanter volendi bonum supernaturale & cæleste, facultate. Est enim etiam in vere fidelibus virium humanarum tanta imbecillitas, & voluntatis ipsorum etiam regenitæ (quia non in totum, sed ex parte tantum in hac vita renovatur) tanta mutabilitas, ut vere fideles, sibi relicti, contra Satanæ astutiam & potentiam, mundi insidias & technas, nec non propriæ carnis concupiscentiam, ne quidem ad momentum subsistere possint: Unde Scriptura toties nos ad vigilandum, precandum & operandum salutem nostram cum timore ac tremore hortatur, Luc. 21. 36. Phil. 2. 12. 1. Pet. 5. 8. 9. & alibi, &c. Sed potius nititur:

1. Immutabili Dei consilio, de electis suis in vera fide ad finem usque conservandis, & per eam ad æternam salutem necessario & infallibiliter perducendis. Quod Dei consilium à nulla creatura irritum reddi, nec ab ipso Deo, propter ipsius immutabilitatem, revocari unquam poterit, Esai. 46. 10. Psal. 33. 11. Mal. 3. 6. Matth. 24. 24. 2. Tim. 2. 19.

2. Nititur virium supernaturalium quibus Deus hominem vere fidelem ad perseverandum instruit, immutabili ac constanti in ipsis permansione. Deus enim efficaciter in electis suis operando fidem, indit ipsis principium æternæ durationis, & eiusmodi ipsis largitur perseverandi vires, quæ nec in æternum eis ab ulla creatura adimi possunt, nec ab ipsismet unquam penitus excutiuntur. Quod principium vocatur in Scripturis radix insita, Matth. 13. 21. Semen manens, 1. Ioh. 3. 9. Et immortale, 1. Pet. 1. 23. item Unctio manens, 1. Ioh. 1. 21.

3. Perpetua Spiritus S. assistentia, & in vere fidelibus mansione, nec non potente ipsorum, per Dei virtutem, custodia, protectione & directione, adeoque virium illarum supernaturalium in ipsum perseverationis actum deductione. Vide Ioh. 14. 15. 23. 1. Cor. 3. 16. Et, 2. Cor. 6. 16. 1. Pet. 1. 5.

4. Infallibili Dei promissione, qua vere fidelibus & vires ad perseverandum necessarias, & perpetuam Spiritus sui Sancti assistentiam, eorumque custodiam, protectionem & directionem in vijs mandatorum suorum pollicetur. Videatur Esai. 46. 4. Ierem. 32. 40. 1. Ioan. 2. 25. 27. 1. Cor. 1. 8. Et, 10. 13.

5. Indesinente Christi pro vere fidelibus, eorumque in fide perseverantia, intercessione, & Spiritus S. à Deo Patre impetratione. Iohan. 14. 16. Et cap. 17. 15. 17. 20. Luc. 22. 32.

APHORIS. VI.

Atque hæc vere fidelium perseverantia, non finalem tantum, verum etiam totalem defectionem à fide, penitus excludit, ita quidem, ut, quem Deus semel vera & salvifica fide donavit, is nec finaliter, nec totaliter eam amittat, nec vero etiam, ob fundamenta supra posita, amittere possit.

Quod finaliter ab ea non deficiant, ea probant Scripturæ testimonia, quæ vere fideles & regenitos vitam æternam *habere*, & à morte ad vitam *transiisse ac translatos esse* testantur. Ioan. 5. 24. 1. Ioan. 3. 14. Qui vero vitam æternam jam tum habent, & ad eam translati sunt, nequaquam ea privari possunt. Quod ne quidem totaliter fidem & Spiritum regenerationis excutiant, amittantque, ex sequentibus liquet:

Ierem.

Ierem. 32. 40. *Timorem meum dabo in corda eorum, ut non recedant à me.* Qui vero à Deo non recedunt, nunquam fidem & Spiritum regenerationis totaliter amittunt, sed Deo perseveranter adhærent. Vide etiam Esai. 54. 10. Luc. 22. 32. Rom. 11. 28. Et insignem illum locum 1. Iohan. 3. 9. *Qui natus est ex Deo, peccatum non committit, quoniam semen ipsius manet in eo, nec potest peccare, eo, quod ex Deo natus est.*

Aphoris. VII.

Quamvis itaque vere fideles nonnunquam etiam in gravissima & atrocissima peccata prolabantur, quibus externi actus fidei, caritatis, aliarumque virtutum Christianarum interturbantur, & interrumpuntur, adeoque foris aliquamdiu deficiunt ac cessant, & Spiritus Sanctus intus in ipsorum cordibus contristatur, Ephes. 4. 30. Donaque eius ita imminuuntur & debilitantur, ut quandoque homo interior ad agonem veluti redactus, & tantum non enectus videatur; semper tamen Deus secundum pactum misericordiæ suæ, per ac propter Christi meritum, & perpetuam pro fidelibus suis intercessionem, manum eis, ne penitus collidantur, supponit, semen fidei in ipsis potenter & misericorditer conservat, & è lapsibus eos denuo erigit: adeoque fidei scintillulam, quæ in ipsis remanserat, exterius Verbo Legis & Euangelij, nonnunquam etiam paternis castigationibus adhibitis, interius Spiritus S. virtute, quæ sese de novo in ipsis exerit, ita ventilat, ut in actum, per lapsus illos interruptum, iterum erumpat.

Veritas huius aphorismi ex sequentibus patet.

Psal. 37. 24. *Cum cadit justus, non dejicitur*, scilicet, ut pereat.

2. Cor. 4. 9. *Quia Iehova sustentat manum eius.*

Proverb. 24. 16. *Septies cadat justus, exurgit tamen.*

Luc. 22. 31. 32. *Simon, Simon, Satan petijt vos, quos ventilaret sicut triticum, sed ego deprecatus sum pro te, ne deficiat fides tua.*

1. Iohan. 3. 9. *Qui natus est ex Deo, peccatum non committit, quoniam semen ipsius manet in eo.*

Atque hoc ipsum probant exempla Davidis, Petri, aliorumque vere fidelium & Sanctorum, in quibus semen Dei, quod ipsorum lapsibus veluti suffocatum videbatur, tandem iterum germinare, & fructum ferre cœpit, cum virtute Dei è suis lapsibus resurrexerunt, & ad Deum per veram pœnitentiam redierunt.

Aphoris. VIII.

Unde facile est intelligere, ingens esse discrimen inter peccata non renatorum, & lapsus vere fidelium & regenitorum. Illi ex contemptu Dei, toto animo, plena voluntate, & cum quadam veluti delectatione in peccata præcipites ruunt, eaque sine ulla lucta Spiritus committunt, quod Scriptura vocat ἁμαρτίαν ποιεῖν, 1. Iohan. 3. 9. Unde etiam peccatum hoc non renatorum, dicitur regnans. Rom. 6. 12. Ipsique dicuntur vivere in carne & secundum carnem. Rom. 8. 1. 4. 5. 8. 12. 13. &c. Hi nec ex contemptu Dei, nec toto animo, & destinata quadem malitia, plenaque voluntate, sed ex carnis quæ in ipsis residua est, infirmitate, reluctante semper, licet non prædominante, imo vero succumbente Spiritu, peccant. Unde in Scriptura Sacra negantur ἁμαρτίαν ποιεῖν, 1. Iohan. 3. 9. Nec in carne vel secundum carnem vivere dicuntur, (quæ phrasis habitum denotat, & carnis regimen & dominatum, qui in renatis locum non habet) licet opera carnis sæpe numero committant.

Aphoris. IX.

Hæc, de Perseverantia vere fidelium & per Spiritum Sanctum regenitorum, doctrina, firmum ac solidum nobis in omnibus tentationibus solatium præstat, nosque de incorruptibili, incontaminabili & immarcessibili hæreditate cælesti, æternaque animarum nostrarum salute obtinenda certos & securos reddit: Securos, non carnali

Digitized by Google

nali sed spirituali securitate, adeo ut, qui vera & salvifica in Christum fide præditi sunt, & spiritum regenerationis & renovationis intus in cordibus suis sentiunt, certa & indubitata animi fiducia, se à Deo, ante secula condita, vere ad vitam æternam electos esse, & præsidio virtutis ipsius, per fidem ad salutem custoditum, adeoque necessario & infallibiliter æternum salvatum iri, statuere possint ac debeant.

Videantur de hoc solatio & salutis certitudine, ex hac doctrina promanante, insignia loca Rom. 8. à vers. 33. ad finem cap. 2. Tim. 1. 12. 1. Ioan. 3. 14. Et 5. 10. 11. 12. 13. 14. 15. Et conjungantur cum his ea Scripturæ testimonia, quæ Spiritum sanctum dicunt esse arrhabonem hæreditatis cælestis, qui vere fidelibus testimonium perhibet, quod sint filij & hæredes Dei, ac cohæredes Christi, quique ipsos obsignat, in diem Iesu Christi, & de obtinenda æterna salute certos reddit. Rom. 8. 16. 17. 2. Cor. 1. 22. Ephes. 1. 11. 13. &c.

Antitheses.

Rejicimus itaque, ut heterodoxas, sequentes Remonstrantium assertiones;

1. Veram fidem justificantem & salvificam, non esse electorum propriam; Quod ex ista Remonstrantium assertione, cum dicunt, vere fideles in atrocibus flagitijs & sceleribus perseverare & mori, ac proinde in ijs æternum perire posse, & sæpenumero etiam perire, necessario sequitur. Electi enim æternum perire nequeunt.

2. Fidem πρόσκαιρον seu temporariam esse fidem totalem, justificantem, nec differre specie à vera fide ad finem durante.

In Declar. Artic. 5. exhibit. pag. 4. 5.

3. Perseverantiam in fide, non esse effectum Electionis ad salutem; sed conditionem prærequisitam in homine eligendo.

Thesib. exhib. 7. & 1. de Artic. 5.

4. Si Deus pro absoluto suo jure quosdam, diu multumque in stadio pietatis exercitatos, & in varijs adversitatibus, veluti igne probatos, dono indefectibilis perseverantiæ remuneretur; id extraordinaria quadam ratione fieri, nec in censum venire, ubi de ordinarijs Dei actionibus agitur.

In Decl. Artic. 5. pag. 8. 9.

5. Perseverantiam in fide, non esse donum Dei, & quidem tale, quod omnibus electis detur. Hæc assertio ex proxima præcedente necessario sequitur. Si enim extraordinaria ratione fieri dicatur, cum Deus quosdam, diu multumque in stadio pietatis exercitatos, & in varijs adversitatibus veluti igne probatos, dono indefectibilis perseverantiæ remuneratur, utique non omnibus electis ordinarie hoc donum obtinget.

6. Deum quidem gratia & viribus supernaturalibus instruere hominem vere fidelem, quantum ad perseverandum, & Diaboli, carnis ac mundi tentationes superandum, pro infinita sua sapientia sufficere iudicat, insuperque paratum esse, porro gratia & auxilio suo divino ipsi, si officium suum faciat, & gratia viribusque ad perseverandum sufficientibus bene utatur, hoc est, vigilijs, precibus, aliisque sanctis exercitiis, in vera fide perseverare studeat, adesse: nihilominus tamen, stante auxilij divini promptitudine, & gratiæ sufficientis præsentia, positisque illis omnibus, quæ ad perseverandum necessaria atque sufficientia sunt, quæque Deus ad fidem conservandam adhibere vult, imo, posito etiam in ipsa voluntate fidei habitu, manere tamen semper in hominis potestate, perseverare, vel non perseverare: Quæ Remonstrantium assertio non obscure colligitur ex *Thesi. exhib. 2. & 8. de Articulo 5. Et exhibita declar. Art. 5. pag. 11.*

7. Vere fideles à vera fide, & consequenter à gratia & salute totaliter non solum excidere posse, sed etiam non raro excidere, quotiescunque videlicet opus aliquod carnis committunt; *Thesi exhib. 3. de Artic. 5. Coll. Hag. Bertij pag. 18. 19. de Artic. 5.*

8. Vere fideles à vera fide, gratia & salute etiam finaliter excidere posse, & sæpenumero excidere, adeoque in Apostasia perseverare ac mori, æternumque perire, *Thesi. exhib. 4. Artic. 5. Coll. Bertij pag. 18. 19. de Artic. 5.*

9. Vere fideles in ipsum ad mortem & in Spiritum sanctum peccatum incidere posse. Quod asserit *Episcop. disp. publ. de peccato actuali. Corro.* 1. & 2.

10. Nullum vere fidelem in hac vita, citra specialem revelationem, posse esse certum, se semper in fide perseveraturum, adeoque æternum salvatum iri. *Coll. Bert. p.* 150. *de Artic.* 5.

11. Doctrinam de Perseverantiæ certitudine securitati carnali fenestram aperire, & natura atque indole sua idoneam esse ad ingenerandam hominibus securitatem, ut in medio cursu peccatorum ipsis sit loco pulvinaris, quo semetipsos molliter fovere, suaviterque demulcere possint. *Thes. exhib.* 6. *de Artic.* 5. *Coll. Bertij pag.* 57. *de Artic.* 5.

12. Dubitare, utrumne semper ij futuri simus, qui nunc sumus (scilicet vere fideles, Dei Filij, æternæ vitæ hæreditatem certo adepturi) semperque illum animum servaturi simus, quem nunc habemus, non esse noxium, sed laudabile cumprimis atque utile. *Coll. Bertij pag.* 63. 64. *de Artic.* 5.

Exposuimus, Dei adjuti gratia, nostram, & nostrarum, quæ in inferiori, & ex parte etiam in superiori Hassia Christo colliguntur, Ecclesiarum, de Prædestinatione, Merito Christi, Gratia Dei, Libero arbitrio, & Perseverantia vere fidelium sententiam: simulque quid de Contrarijs Fratrum Remonstrantium heterodoxis assertionibus, quibus Ecclesiæ Belgicæ, alias florentissimæ, misere aliquot nunc annos afflictæ ac turbatæ fuerunt, ex Verbo Dei statuendum sit, aperuimus.

Vos itaque, Illustres, Nobilissimi & Amplissimi DD. Delegati, & in vobis Illustrif. ac Præpotentes DD. Ordd. Generales, quos Deus Ecclesijs hisce Belgicis Reformatis dedit Nutritios, per SS. Domini nostri Iesu Christi nomen, & preciosum ipsius sanguinem, quo care admodum Ecclesiam suam redemit, per tot millium animarum æternam salutem, obtestamur ac precamur, ut, (quod ratione officij vestri & potestis & debetis) sanam hanc doctrinam, quam unanimi consensu innumeræ Ecclesiæ Reformatæ in Germania, Gallia, Anglia, Helvetia, alijsque in locis huc usque, per Dei gratiam, constanter amplectuntur, in florentissimo hoc vestro Belgio tueamini, neve eam maledictis & calumnijs male feriatorum hominum diutius traduci, exagitari & opprimi patiamini. Quin potius in id serio incumbite, & consilia vestra eo dirigite, an qua ratione, qui à via aberrarunt hactenus, revocari, & iterum lucrifieri, Ecclesiæque Belgicæ misere nunc distractæ, denuo, pulsis errorum nebulis, in unitatem fidei ac doctrinæ coniungi & uniri, adeoque cum veritate sincera pax & tranquillitas ipsis restitui & deinceps in ijs conservari possint.

Sic consensum in Orthodoxia, cum tot Regnorum, Ducatuum, Provinciarum, Comitatuum, & Rerumpublicarum Ecclesijs Reformatis, quantum in vobis est, tuebimini, & benedictiones Dei immensas, quibus florentissimas Vestras Respublicas hactenus cumulatissime affecit, in posterum quoque abunde persentiscetis, ut, quod per multos hactenus annos fuistis, deinceps quoque hostibus vestris terrori, vicinis & amicis vestris subsidio & adiumento, nec non subditis vestris solatio esse possitis.

Atque hanc rem vobis, qui Provinciarum harum Confœderatarum Belgicarum statum exactissime cognitum habetis ac perspectum, & quid Respublicæ vestræ liberæ ferant vel non ferant, omnium optime nostis, pro vestra eximia sapientia dispiciendum relinquimus; nostro loco precantes, & deinceps etiam precaturi Deum Opt. Max. ut sanctis consilijs vestris cælitus benedicat; Eos, qui à recto veritatis tramite aberrarunt, in viam revocet; Ecclesias vestras Belgicas misere disiectas recolligat, distractas de integro uniat, firmaque ac solida in se & Filio suo unigenito Domino nostro Iesu Christo pace stabiliat, & nos, & nostras, omnesque alias Orthodoxas Ecclesias, per totum Terrarum orbem diffusas, potenti sua dextra contra portarum inferorum potentiam, ac Satanæ, nec non impij mundi fraudes, technas, & insidias tueatur, protegat, defendat; tandemque ad se in cœlestem Paradisum translatas æternum glorificet, per ac propter Filium suum Unigenitum, Dominum ac Servatorem nostrum, Iesum Christum, cui una cum Patre & Spiritu sancto sit laus, honor, & gloria, in secula seculorum. Amen.

Digitized by Google

De SANCTORVM PERSEVERANTIA

Et salutis fidelium Certitudine.

Sententia Helvetiorum.

I.

Credimus & profitemur omnes vere credentes, qui fide viva & vera Iesu Christo, tanquam palmites viti & membra capiti sunt insiti, Spiritus item sanctificationis ac regenerationis sunt facti participes, in hac vera in Christum redemptorem fide & sancte vivendi proposito ad vitæ finem usque perseveraturos, & ita salutem illam æternam, ad quam ab æterno ex mera gratia electi sunt, & per Christum redempti, certissime assecuturos esse.

II.

Est nempe Patris eligentis voluntas, ut quoscunque dedit Filio, non pereant; sed novissimo die ad vitam æternam resuscitentur. Est Filij Redemptoris voluntas, ut à Patre dati, sint secum, & secum vivant, spectentque gloriam suam in æternum. Spiritus sanctus quoque Paracletus cum electis manet in æternum. Et revera quos Deus Pater pro libera voluntate sua elegit misericorditer, quos Dei Filius sanguine pretioso suo redemit, quos Spiritus sanctus illuminavit & sanctificavit, ij gratiose certoque servantur & perducuntur ad finem destinatum potenter.

III.

Hanc autem vere fidelium in fide vera & sanctitate perseverantiam non ullis adscribimus voluntatis humanæ, aut liberi arbitrij viribus, sed Dei Patris omnipotenti virtuti, Filij ipsius unigeniti, Pastoris nostri summi & vigilantissimi omnipotenti custodiæ, nec non infallibili Spiritus sancti obsignationi, eam in solidum tutoque tribuimus. Nam quia fideles præsidio divinæ virtutis per fidem ad hæreditatem æternam custodiuntur; quia ex semine incorruptibili renati sunt; quia Spiritus S. ductu reguntur; quia Christi Pastoris fidissimi tenentur manu: totaliter vel finaliter à vera fide deficere, aut salute æterna excidere non possunt. Contra tamen, si fidelium perseverantia viribus humanis & proprijs staret aut caderet; si fideles permitterentur sibi; si virtute propria ipsis esset pugnandum; sane eos ne ad momentum quidem contra Leonis rugientis insultus, mundi & carnis tentationes, quæ ipsorum in carne est imbecillitas, consistere, sed in peccata & apostasiam labi, in lapsu perseverare, & mori, & ita æternum perire posse non diffitemur: propterea quod Sanctorum perseverantia opus est non carnis & sanguinis, non liberi nostri arbitrij, non habitus alicuius per crebros credendi & obediendi actus acquisiti, sed donum Dei mere gratuitum, Spiritus sancti effectum proprium, electionis Dei Patris, & consequutæ Filij redemptionis, nec non intercessionis perpetuæ fructus.

IV.

Etsi autem vere fideles & electos neque totaliter neque finaliter à vera fide deficere, saluteque æterna excidere posse credamus, tamen non negamus vere fideles & electos propter inhabitantem legem peccati & veteris Adami reliquias interdum in gravia & enormia peccata, mundi exemplo & Satanæ, tentationibus deceptos incidere, ita ut conscientiam gravissime lædant, Spiritum

Sanctum contristent, eiusque charismata quædam amittant, fides reddatur infirma, & consolatio plane languescat: Si tamen hi cadunt, Deus illorum, ne prosternantur, manus sustentat; nunquam ut tentatio maior sit, quam possunt ferre, permittit; opus bonum, quod cœpit, etiam perficit; lychnum fumigantem afflatu Spiritus Sancti rursus accendit; ad veram resipiscentiam certo revocat, & tandem ad metam beatam perducit.

V.

Atque de hac perseverantia sua vere fideles possunt certi esse non tantum pro tempore præsenti, sed etiam pro futuro, idque tum ad Dei gloriam, qui eos gratiose & potenter contra apostasiam finalem conservat, tum ad eorum in hac miseriarum & tentationum valle, consolationem eximiam. Habent enim fideles de hac sua perseverantia & fideli custodia Dei & Salvatoris nostri non tantum promissiones certissimas, Verbo Dei luculenter expressas, verum etiam Spiritus S. internum testimonium, qui cum Spiritu nostro testatur, quod Filij Dei sumus, quo etiam in diem plenæ redemptionis obsignamur, quique hæreditatis cælestis est infallibilis arrhabo.

VI.

Non tamen electi, propterea quod perseverantiæ suæ certi sunt, ad omne genus peccata, flagitia, scelera, noxiamque carnis securitatem fenestram sibi aut portam aperiunt, sed per inhabitantem Spiritum Dei in veritatis, pietatis, charitatis & gratitudinis via omni collato studio incedunt; opera carnis & membra terrestria sua mortificant; ad novam vitam subinde resurgunt, student pietati & bonis operibus; Deum timent; à peccatis sibi cavent; denique operantur cum timore & tremore salutem. Dat enim illis Deus cor novum & Spiritum novum, efficitque ut in statutis suis ambulent, & jura sua faciant, fiantque tanquam arbor plantata ad rivos aquarum quę fructum edit tempore suo. Revera enim, qui ex Deo natus est, peccatum non facit, quoniam semen eius manet in ipso, nec potest peccare, quia ex Deo natus est.

VII.

Neque hinc sequitur, omnes admonitiones, adhortationes, præmonitiones, præceptiones, minas, consilia, obsecrationes, &c. propterea esse inutiles, inanes, aut irritas, sed sunt potius hæc omnia salutaria media, quibus Deus perseverationis consilium donumque expedit, & suos, quibus, ut hortationibus concedant locum, potenter largitur vires, ad finem destinatum perducit.

VIII.

Multo minus certitudo salutis, aut perseverandi spes certa preces fidelium tollit. Caput utique fidelium Redemptor noster Iesus Christus, qui de gloria sua & Patris favore perpetuo non certus esse non potuit, in precibus dies noctesque fuit assiduus; neque beato Paulo mortalium quisquam in precibus fuit ardentior, in commendando sese precibus aliorum frequentior, quo tamen de salute atque corona sua vix alius extiterat certior. Quemadmodum enim nihilo segnius agebant Moses, Iosua, Gedeon, David, alij, populi sancti Duces, Iudices, Reges, propterea quod divinis oraculis certi fuerunt, traditum iri hostem in manus suas: sic vere fideles de consequenda salute non dubij, alacrius etiam suam salutem operari, & adversus tentationes omnes pugnare non dubitant. Unde hanc de certitudine salutis: doctrinam non solidæ consolationis solum, verum etiam filialis, spontaneæ atque ingenuæ pietatis magistram esse profitemur & credimus.

IX.

Si qui vero à fide defecisse dicuntur, aut ij fuerunt hypocritæ, fidem professi ore, quam

Digitized

quam nunquam habuerunt in corde, qualis fuit Simon Magus. Aut temporarij sunt, qui fidei veræ & salvificæ radices in corde non habuerunt, de quibus in parabola Christus. Aut tales ex charitatis judicio propter professionem externam ab alijs pro vere fidelibus sunt habiti, cum intus revera sanctificati non essent.

X.

Concludimus ergo verbis Apostoli, neque mortem, neque vitam, neque Angelos, neque principatus, neque potestates, neque præsentia, neque futura: neque sublimitatem, neque profunditatem, neque creatam rem aliam ullam fideles separare posse à charitate Dei quæ est in Christo Iesu, Domino nostro.

Estque hæc nostra fides, nostra spes, nostra de quinque Articulis controversis sententia, quam in Scriptura Sacra revelatam; iustitiæ, misericordiæ, sapientiæ divinæ omnino congruam & honorificam; consolationi & ædificationi apprime servientem, pietati vero & bonis moribus inimicam nequaquam; à maioribus nostris ex verbo divino haustam, ac religiosissime traditam, totis animis & conscientijs inoffensis amplectimur: In Ecclesijs & Academijs Reformatæ Helvetiæ fidei nostræ commissis constanter etiamnum docemus. Hanc doctrinam, atque adeo veritatem salvificam totam, Illustrissimis & Præpotentib. DD. Ordinibus Generalibus, nec non Provinciarum Belgicarum reformatarum Magistratibus, Orthodoxis reliquis omnibus, Ecclesiæ Christianæ nutritijs celebratissimis, commendatissimam esse ex animo cupimus. Academiarum & Ecclesiarum Belgicarum Professoribus & Pastoribus, fratribus in Domino Iesu Christo dilectissimis, in doctrina hac ardua atque sublimi proponenda prudentiam, in propugnanda constantiam, in utroque Dei incrementum benignum, qua possumus animorum sinceritate precamur. Deum quoque Patrem miserationum supplices humilesque oramus, atque ἀδιαλείπτως orabimus, ut sentientes contrarium, & gregi, quem acquisivit sibi sanguine suo Deus, non parcentes, aut gratiose emendet, aut manu potente sua coerceat; denique ut Ecclesias Belgicas, & Rempublicam hanc Illustrissimam universam adversus Tyrannos, adversus hæreses, adversus omnes omnium fraudulentorum insidias clementer custodiat, protegat, conservet, ad sacrosancti nominis sui gloriam, ad Ecclesiæ & Reip. Christianæ totius salutem, per Dominum nostrum Iesum Christum, cui cum Patre & Spiritu Sancto sit laus, honor, & gloria in secula. Amen.

IUDICIUM

Nomine Orthodoxarum Ecclesiarum Nassovio-VVetteravicarum,

DE QUINTO ARTICULO.

Qui est,

De Perseverantia Sanctorum & certitudine salutis.

Sententia Remonstrantium.

I.

PErseverantia fidelium in fide non est effectum electionis; nec est donum Dei concessum, sed oblatum, & conditio novi Fœderis, quam Deus inter multas possibiles præscripsit, quamque homo habitu fidei & obedientiæ per crebros credendi & obediendi actus acquisites facile præstare potest, & accedente interno Spiritus S. auxilio plerunque præstat.

Sententia Orthodoxorum.

I.

PErseverantia, qua usque in finem perseveratur in fide Christi, & sine qua nemo servatur, Matth. 24. 13. Est donum Dei; quod datur omnibus electis, ita ut illi habitu fidei salvificæ præditi, & virtute Dei custoditi, non possint non ad finem usque perseverare.

Confirmatio veræ sententiæ.

Effecta Electionis cum passim in Scriptura Sacra, tum nominatim Rom. 8. Eph. 1. nobis describuntur hac serie. Deus efficaciter vocat, quos elegit ad υἱοθεσίαν per Christum: eos fide vera donat: per fidem justificat: justificatos sanctificat, veterem hominem per certos gradus in illis mortificando, novum vivificando: mortificatos carne, & vivificatos Spiritu exercet tolerantia crucis: in cruce illos erigit ac firmat spe melioris vitæ: in hac spe firmos perseverantia finali donat; denique pugnam ipsorum contra omnes hostes in hac vita continuam gratis remuneratur æterna victoria lætitiæ & gloriæ. Unde patet, perseverantiam esse inter dona Dei, quæ ille gratis confert ijs, quos ab æterno ad hoc elegit, ut decertent præclarum illud certamen, cursum consummcnt, fidem servent, & accipiant coronam justitiæ, quæ illis est reposita. 2. Tim. 4. 7. 8.

Sentent. Orthodoxa.

II.

Positis illis omnibus, quæ ad perseverandum sunt necessaria, voluntas hominis electi à Deo gratiose determinatur ad perseverandum. Neque tamen ideo hominis voluntas, sed sola Dei gratia est causa proxima perseverantiæ.

Sentent. Remonstrantium.

II.

Positis illis omnibus, quæ ad perseverandum sunt necessaria, manet in hominis potestate perseverare vel non perseverare: ita ut voluntas hominis secundum nativam suam indolem agens libere, proxima sit perseverationis causa.

Confirmatio veræ sententiæ.

Confirmatio veræ sententiæ in hac Thesi pendet à Tertio & Quarto Articulo, ubi hæc res fuse est disputata. Summa huc redit. Posita operatione Spiritus S. qua ille efficaciter agit in corda electorum; voluntas invicta illa virtute Dei inclinatur, suaviterque trahitur, ad eliciendum actus illos, qui proficiscuntur ab habitibus sive principijs supernaturalibus divinitus infusis. Tametsi ergo homo sit causa proxima, quæ credit & perseverat: sola tamen gratia est proxima causa conferens donum fidei & perseverantiæ. quippe quæ sola instruit hominem his viribus, & eundem excitat, ut actus agat, ita ut bonitas operis soli gratiæ sit accepta ferenda. 1. Cor. 15. 10.

III.

Tametsi vere fideles in atrocia peccata sæpe incidunt, adeoque conscientiam sibi vastant, Spiritum Sanctum perturbant, lætitiam cordis amittunt, & iram Dei incurrunt, attamen nec timorem Dei, nec fidem omnino excutiunt; sed manet in eis semen Dei: ideoque gratia Dei neque totaliter, neque finaliter excidere possunt.

III.

Vere fideles non solum possunt in atrocia & conscientiam directe vastantia scelera, adeoque in ipsum peccatum in Spiritum Sanctum incidere: sed etiam in ijs perseverare & mori, ac consequenter à fide justificante, gratia & salute totaliter & finaliter excidere: multisque id evenit, ac etiamnum non raro evenit.

Declaratio & confirmatio veræ sententiæ.

Vere credentes sibi relicti possunt amittere fidem, gratiam & salutem, quoad vires suas. Voluntate siquidem humana nihil mutabilius, viribus humani arbitrij nihil imbecillius, carnis & mundi illecebris nihil potentius, Satana & scandalis mundi nihil violentius: atque hanc ob causam dicitur omnibus fidelibus. Qui existimat se stare, videat ne cadat. 2. Cor. 10. 12.

Rursus

Rursus vere credentes non possunt fidem amittere & gratia Dei excidere penitus, quoad electionem & vocationem Dei ἀμεταμέλητον. Etsi enim non raro gravissimis lapsibus Deum offendant, Spiritum S. contristent, plurima eius dona excutiant & amittant, conscientiam polluant, fidem labefactent, & quantum in se est, frangant, ut exemplum Davidis & Petri ostendit: nunquam tamen sic toto corde adversus Deum ruunt, ut fiant hostes Dei, & gratia penitus excidant, Spiritum S. prorsus excutiant, fidem omnino amittant, & in Spiritum S. peccent: quoniam semen Dei manet in eis; 1. Ioh. 3.9. & virtute Dei custodiuntur in fide, 1. Pet. 1.5. & perpetua Christi intercessione fulciuntur, ut fides eorum totaliter nunquam deficiat, Iohan. 16. & 17. In quotidianis denique lapsibus Dominus eis supponit manum, ne collidantur, Psal. 37. 24. Et vero fieri non potest ut electi seducantur, Matth. 24. 24. ut oves Christi rapiantur ex manibus eius, Ioh. 10. 28. Ut fideles separentur à dilectione Dei in Christo, Rom. 8. 35. Denique vocatio & dona Dei sunt ἀμεταμέλητα, Rom. 11. 29. & hæreditas ἄφθαρτος καὶ ἀμίαντος, καὶ ἀμάραντος nobis in cœlo servatur, 1. Pet. 1. 4. Et Deus est fidelis, qui non sinit nos tentari supra id, quod possumus, sed una cum tentatione præstat exitum, ut possimus eam sufferre, 1. Cor. 10. 13.

Sentent. Orthodoxa.

IV.

Vere credentes de sui justificatione vitaque æterna certi esse possunt ac debent, pro statu præsenti & futuro.

Sentent. Remonstr.

IV.

Quilibet vere fidelis pro statu præsenti certus esse potest de fidei suæ integritate, & salutifera Dei erga ipsum benevolentia. Pro statu futuro non potest esse certus se perseveraturum in fide.

Confirmatio veræ sententiæ.

Omnes fideles exemplo Apostoli, Rom. 8. (ubi describitur victoria & triumphus fidei) possunt & debent certo esse persuasi de gratia Dei præsente & futura. Argumenta persuasionis hæc sunt:

1. Promissiones Dei infallibiles, quarum Epitome est Ioh. 3. 15. 16.
2. Immutabile Dei propositum de electis servandis, quod illi habent cognitum ex vocatione & fide sua, Rom. 8.
3. Immensa Dei charitas diffusa in cordibus ipsorum per Sp. Sanctum, & obsignata traditione Filij, Rom. 5. 5. 6. Et 8. 32. 38.
4. Christi dilectio & intercessio pro nobis, Iohan. 17.
5. Interna Spiritus Sancti testificatio, Rom. 8.

Quibus omnibus adde naturam & indolem fidei justificantis. Tribuitur enim illi πληροφορία, παῤῥησία, & πεποίθησις, & dicitur ὑπόστασις καὶ ἔλεγχος. Quæ fidei non competunt, si credens dubitet de favore Dei perenni, nec possit gloriari cum Apostolo sub spe gloriæ Dei, Rom. 5. 2. neque cum eodem dicere: *Novi cui crediderim, & mihi persuasum est, eum posse depositum meum in illum diem servare,* 2. Tim. 1. 12. Cum qua sententia è diametro pugnat, quod Sophistæ nostri docent, certitudinem fidei esse infra scientiæ, sed supra opinionis certitudinem.

Sentent. Orthodoxa.

V.

Dulcissima de finali perseverantia doctrina est aculeus ad studium bonorum operum, ac materia solidæ consolationis: quippe quæ fidem in nobis fovet, amorem accendit, spem sustentat, & spiritualem secu-

Sentent. Remonstr.

V.

Tantum abest, ut certitudo perseverantiæ & salutis ad solidam fidelium consolationem & conscientiarum pacem in hac vita sit necessaria, ut è contrario hæc ipsa doctrina ex se, natura, atque indole

securitatem gignit. E contrario doctrina, qua jubentur homines fideles dubitare de salute, ex se, natura, atque indole sua est veræ pietati totique religioni perniciosa.

dole sua veræ pietati & toti religioni sit perniciosa. Contra doctrina de dubitatione in hoc negotio apprime est utilis: eo, quod dubitare de salute non solum sit laudabile militi Christiano, sed etiam ad excitandum veternum & torporem in religionis negotio perquam utile.

Confirmatio veræ sententiæ.

Fructus, quos certitudo salutis in nobis gignit, sunt hi præcipui. Principio, hæc doctrina est maximus aculeus ad studium bonorum operum; dum scimus, nobis esse decurrendum per viam sanctitatis ad salutem æternam. Nam cum certitudine perseverantiæ semper manet propositum vitandi lapsus, & ex lapsibus resurgendi, Rom. 7. à vers. 15. usque ad finem: Deo hæc omnia secundum æternam πρόθεσιν suam immutabiliter in eis operante, nec misericordiam suam ab eis penitus abstrahente, Eph. 1. 11. 2. Sam. 7. 14. Psal. 89. 30. & seqq. Deinde, nos gratos erga Deum reddit; quia scimus causam hujus certitudinis non esse in nobis, sed in Christo, ex virtute mortis, resurrectionis & intercessionis ejus, Rom. 8. 34. 35. 38. 39. Ioh. 17. 28. & ex æterno Dei proposito, Ephes. 1. 4. 6. 2. Tim. 2. 19. Rom. 8. 30. Porro hæc doctrina est materia solidæ consolationis: utpote quæ securos nos efficit contra omnes hostium insultus, & in adversis patientes reddit, dum fluctus tentationum superamus hac anchora nixi: *Qui cœpit, perficiet: Nihil nos separabit à charitate Dei: In his omnibus* ὑπερνικῶμεν. Hac consolatione David se erigebat in lapsibus, Psal. 37. 24. *Iustus si ceciderit, non collidetur.* Confer cum Psalm. 23. E contrario ἐποχὴ Sophistarum nostrorum est pestis conscientiæ, officina desperationis, & vestibulum inferni. Nam sine perseverantia Sanctorum in fide & spe, nulla est certitudo gratiæ Deo Patre dignæ, nulla justificatio fidei, nulla denique efficacia Mortis Christi.

COROLLARIUM.

Sentent. Orthodoxa.

Fides πρόσκαιρος non est fides justificans: sed ab illa differt specie.

Sentent. Remonstrant.

Fides πρόσκαιρος est fides vera, totalis, justificans, & Deo, quamdiu durat, grata: nec differt specie à vera fide ad finem durante.

Confirmatio veræ sententiæ.

Differentia specifica fidei temporariæ & justificantis cum ex aliis multis, tum in primis ex elogiis fidei justificantis colligitur. Tribuitur enim illi πληροφορία, Rom. 4. 21. Col. 2. 2. Hebr. 6. 11. Et 10. 22. παῤῥησία, Ephes. 3. 12. 2. Iohan. 2. 18. Hebr. 3. 6. Et 10. 35. πεποίθησις, Ephes. 3. 12. Phil. 3. 4. & dicitur ὑπόστασις, Hebr. 11. 1. 2. Cor. 9. 4. Et 11. 17. Itemque ἔλεγχος. Heb. 11. 1. Porro fides salvifica est donum donorum, anima animæ, ratio rationis, viva radix sanctitatis, character filiorum Dei, clavis Gazophylacij cœlestis, mater solidi gaudij, nutrix bonæ conscientiæ, manus, os & oculus filiorum Dei, pignus æternæ nostræ hæreditatis, pacis cum Deo πρόξενος & arrha, electionis sigillum, scala cœli, scutum fidelis animæ, tessera unionis nostræ cum Christo, victoria nostra, & denique vinculum, quo summo bono per Christum nobis unitum unimur. Quæ omnia fidei temporariæ sine sacrilegio tribui non possunt.

Coronis quinque Articulorum.

Atque hæc est Pentas illa controversiarum cardinalium, quæ Remonstrantium Pandora, & fluctus decumani dici possunt: quibus Satanas, μυεολέχνης ille, Tyria, quod dicitur, maria, concitare est aggressus. Hinc qui tuto & cito enavigare cupiunt, (cupere autem debent omnes) hanc sibi Cynosuram proponant. Illa demum doctrina est probanda, quæ sanitatem & simplicitatem phrasium, sanctitatem vitæ, serenitatem conscientiæ sibi habet propositam; quæque κυκλοειδῶς à Gratia Dei incipiendum, per gratiam Dei pergendum, in gratia Dei conquiescendum esse docet.

Quorum nihil competit in doctrinam Remonstrantium: quippe quæ & æternam Dei electionem, & Christi Servatoris pretiosam satisfactionem, & Gratiæ salvificæ oblationem, & perennem in statu gratiæ conservationem, suspendit ab hominis voluntate. Orthodoxa vero Contra-remonstrantium (quos vocant) doctrina, & Scripturis S. consentit, & Orthodoxæ antiquitati non repugnat, & praxi potius solidæ, quam meteorologicæ Theoriæ servit. Deus igitur pacis & concordiæ, potenter perficiat bonum illud opus, quod in Illustrib. ac Præpotentib. DD. Ordd. Genn. Confœderati Belgij clementer cœpit; Et hanc laudis Hecatombam, quam ipsi in ara cordis mei quotidie offerimus, gratiose acceptet:

Gratia sola Dei certos elegit ab ævo,
Dat certis Christum gratia sola Dei.
Gratia sola Dei fidei dat munera certis,
Certos stare facit gratia sola Dei.
Gratia sola Dei cum nobis omnia donet,
Omnia nostra regat Gloria sola Dei.
Gloria sola Dei regat ô te, Belgica, ocelle,
Orbis, & invicta Pace coronet agros!

DE V. ARTICVLO,

Qui est,

De Perseverantia Sanctorum,

Sententia & suffragium Genevensium.

THESIS I.

QVos ab æterno Deus elegit; pro quibus Christus certo atque destinato consilio mortuus est; pro quibus perpetuo intercedit; quos per efficacissimam in corpus suum mysticum unionem sibi adscivit, & inseruit; quos denique Spiritus sui ductu & regimine vitali sustentandos, conservandos, provehendos & consummandos suscepit; illi à gratia Christi, à communione Spiritus, à justificatione sua, nec totaliter, nec finaliter deficere possunt.

Isai. 55.

Isai. 55.22. *Electi mei veterascere facient opus manuum suarum.*

Rom. 8.29 *Quos praenovit, eos etiam praedestinavit conformandos imagini Filij sui, ut sit ipse primogenitus inter multos fratres: Et quos praedestinavit, eos etiam vocavit, & quos vocavit, eos etiam justificavit, & quos justificavit, eos etiam glorificavit.*

Phil. 1. 16. *Confidens de hoc ipso, quod qui incaepit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Iesu Christi.*

2. Thess. 2. 17. *Dominus noster Iesus Christus, & Deus & Pater, qui nos dilexit, & dedit aeternam consolationem, & bonam spem in gratia, consoletur corda vestra, & confirmet vos in omni bono verbo & opere.*

1. Cor. 1. 7. *Nullum vobis donum deest; exspectantibus manifestationem Domini nostri Iesu Christi, qui etiam vos confirmabit in finem usque inculpatos in die Domini nostri Iesu Christi: fidelis est Deus, à quo vocati estis in communionem Filij ipsius Iesu Christi, Domini nostri.*

1. Thessal. 3. 12. *Dominus augeat vos, & abundare faciat in charitate invicem, & erga omnes ad stabilienda corda in sanctitate, inculpata coram Deo, in adventum Christi.*

Ierem. 24. 6. *Ponam oculos meos in ipsos in bonum, & aedificabo, nec diruam, plantabo nec evellam, & dabo ipsis cor ad me cognoscendum, me esse Dominum: & erunt mihi populus, & ego ero ipsis Deus.*

Isaiae 6. 13. *Sicut robora & quercus, quae sunt in Sallechet, habent suum robur in semetipsis, ita semen sanctum erit firmitas ipsorum.*

2. Tim. 2. 18. *Fundamentum Dei stat immotum, habens hoc sigillum, Novit Dominus eos, qui sunt sui.*

Luc. 22. 31. *Satan petijt cribare vos ut triticum, sed ego rogavi pro te, ne deficiat fides tua: tu ergo quum conversus fueris, confirma fratres.*

Iohan. 17. 12. *Cum essent cum ipsis in mundo, ego conservabam illos in nomine tuo: custodivi illos, quos dedisti mihi; neque ullus perijt, nisi filius perditionis, ut Scriptura impleretur: haec dico in mundo, ut habeant in se gaudium meum plenum: Non rogo ut tollas ipsos de mundo, sed ut custodias ipsos à malo.*

Iohan. 10. 17. *Oves meae vocem meam audiunt, & ego novi ipsas, & ipsae sequuntur me, & ego do eis vitam aeternam, & in aeternum non peribunt, & nullus rapiet eas de manu mea.*

Iohan. 6. 39. *Haec est voluntas Patris mei qui misit me, ut nihil perdam ex omni eo, quod dedit mihi, sed suscitem in ultima die.*

Rom. 8. 33. *Quis accusabit electos Dei? Deus est, qui justificat: Quis damnabit? Christus is est, qui mortuus est, qui etiam resurrexit, qui etiam est ad dextram Dei, qui etiam intercedit pro nobis.*

1. Iohan. 3. 9. *Quisquis natus est ex Deo, peccatum non facit, quia semen ipsius manet in ipso, & non potest peccare, quia natus est ex Deo.*

Iohan. 8. 35. *Servus non manet perpetuo in domo, filius manet perpetuo.*

Iohan. 14. 16. *Ego rogabo Patrem, & ipse dabit vobis alium Paracletum, qui maneat vobiscum in perpetuum.*

Ierem. 31. 33. *Hoc est foedus quod pangam cum domo Israel, illis diebus , inquit Dominus. Indam legem meam in medio ipsorum, & inscribam cordi ipsorum.*

Et Ierem. 32. 40. *Et pangam cum ipsis foedus aeternum, me non recessurum ab ipsis, ut benefaciam ipsis: sed indam timorem meum cordi ipsorum, ut non recedant à me, & gaudebo super ipsis ad benefaciendum ipsis, & in veritate plantabo ipsos, in hac terra, ex toto corde, & tota anima mea.*

Heb. 12. 2. *Respicientes ducem, & consummatorem fidei Christum.*

THESIS II.

Perseverantia, quantumvis οἰκονομικῶς exigatur à fidelibus omnibus sub specie conditionis cujusdam ad vitae aeternae adeptionem; quia possideri vel retineri non potest, nisi ab homine voluntatem suam voluntati Dei accommodante, & omnia studia, conatum, atque sollicitudinem adhibente: tamen revera est donum verum Dei, ex mera gratia collatum, de quo singulares & verae gratiae Deo debentur.

Hebr.

Digitized by Google

Hebr. 3. 13. *Facti sumus participes Christi, si modo firmum retinuerimus ad finem usque principium τῆς ὑποστάσεως.* Et vers. 6. *Christus est fidelis super domum suam, ut filius: cuius domus sumus nos, modo retineamus firmam usque ad finem libertatem & spei gloriationem.*

Rom. 11. 22. *Vide benignitatem Dei in te, si perseveras in benignitate; alioquin & tu recideris.*

Iohan. 8. 31. *Dixit Iesus Iudæis qui in ipsum crediderunt; si perseveraveritis in doctrina mea, vere mei discipuli eritis, & cognoscetis veritatem, & veritas vos liberabit.*

Col. 1. 22. *Reconciliavit vos in corpore carnis suæ per mortem, ut sistat vos coram se inculpatos & sanctos, si modo perseveratis fundati & firmi in fide, nec dimovemini à spe Euangelij quod audivistis.*

Ioh. 3. 27. *Homo non potest recipere quicquam, nisi sit ipsi datum cœlitus.*

Heb. 13. 21. *Deus pacis vos compleat & perfecte instructos reddat in omni bono opere, ad faciendam voluntatem ipsius, faciendo in vobis quod est acceptum coram se, per Iesum Christum.*

Ephes. 5. 10. *Reddite gratias de omnibus Deo & Patri.*

THESIS III.

Perseverantia, ordine naturæ & causarum, ut effectus verus & germanus, sequitur electionem & justificationem: respectu vero notitiæ, sensus, & conscientiæ nostræ fatemur, pro modo, incrementis & soliditate perseverantiæ, patescere arcanum Electionis: & ultimum actum perseverantiæ esse ultimam dubitationem carnis, & hæsitationum debellationem atque victoriam.

Apoc. 22. 11. *Qui justus est, justificetur adhuc, qui sanctus est, sanctificetur adhuc.* Et Matth. 13. 12. *Habenti dabitur, ut abundet.*

2. Pet. 1. 10. *Studete vestram vocationem & electionem firmam efficere: Si enim hoc feceritis, nunquam impingetis.*

1. Ioh. 3. 19. *Ex hoc cognoscimus nos esse ex veritate, & confirmabimus corda nostra coram ipso: quia amamus fratres, scimus nos esse translatos à morte ad vitam.* Et vers. 24. *Qui custodit ipsius mandata manet in ipso, & ipse in illo: Et ex hoc novimus ipsum manere in nobis, ex Spiritu, quem dedit nobis.*

THESIS IV.

Quicunque non vult perseverare, scandalizatur, remittit studium, deest gratiæ Dei, diffluit, seipsum subducit, ad posteriora regreditur, admittit denuo Diabolum semel exturbatum, relabitur in statum universalem peccati, Dominum abnegat, Spiritum extinguit, ille ipso facto sese nunquam vere electum ac justificatum fuisse prodit.

Matth. 15. 12. *Tum accedentes Discipuli ad Iesum, dixerunt illi, An scis, Pharisæos, audito hoc sermone, fuisse scandalizatos? Et ipse respondit eis, Omnis planta, quam non plantavit Pater meus cœlestis, eradicabitur.*

Hebr. 10. 38. *Iustus ex fide vivet: si vero sese subduxerit, non complacet sibi anima mea in ipso: Nos vero non sumus ὑποστολῆς ad interitum, sed fidei ad salutem animæ.*

1. Iohan. 2. 19. *Egressi sunt ex nobis: sed non erant ex nobis, nam si fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum: sed egressi sunt ex nobis, ut manifestum fieret non omnes esse ex nobis.*

Ioh. 13. 17. *Si hæc scitis, beati estis, si illa præstatis: non dico de vobis omnibus; scio quos elegerim.*

Ioh. 17. 12. *Servavi eos, quos dedisti mihi, & nullus ex ijs perijt, nisi filius perditionis, ut Scriptura impleretur.*

Rom. 11.

Rom. 11. 7. *Electio obtinuit, cæteri indurati fuerunt.*

Phil. 3. 12. *Persequor experiens, an ipse quoque apprehendam, cujus etiam rei causa apprehensus fui à Christo Iesu.*

Thesis V.

Tales sunt omnes πρόσκαιροι, non habentes radicem vivam fidei, Christi corpori Ecclesiastico, & religioso, influxu quodam superficiali, tantum insiti, non vero mystico & arcano: quorum fides nunquam vera & solida, regeneratio nunquam absoluta partibus omnibus suis fuit, neque cor unquam intime & pernitissime occupatum & renovatum à Christo per Spiritum, neque unquam fructus germanos & durabiles, regni cœlorum, Deo probatos, protulerunt.

Matth. 17. 10. *Id quod super petrosa satum fuit; Ille est, qui audit sermonem, & confestim cum gaudio excipit illum, at non habet radicem in semetipso, sed temporarius est: accedente autem tribulatione vel persecutione, propter verbum statim scandalizatur.*

Ioh. 15. 2. *Pater aufert omnem palmitem, qui in me non fert fructum.*

Matth. 25. 3. *Fatuæ virgines non habent oleum in vasis.*

Matth. 21. 19. *Ficus non habens fructus, etiam maledicente Christo folijs ipsis exarescit.*

Iudæ 12. *Nubes aquæ inanes, δένδρα φθινοπωρινὰ καὶ ἄκαρπα vocantur.*

Thesis VI.

Veri fideles habent donum perseverantiæ à gratia, modo gratiæ efficaci conveniente, non bruto, sed vivo, voluntario, per continuum influxum in cor & voluntatem, quo & ipsa Deo cooperatur in stadio decurrendo, & per sustentationem perpetuam Spiritus sancti adversus infirmitates carnis atque Diaboli machinamenta & insidias: adeo ut causa vera perseverantiæ sit ipse Spiritus sanctus voluntatem hominis regens, non voluntas ipsa, motu indifferente & naturali sua indole agens.

1. Ioh. 5. 18. *Nos scimus quod quisquis natus est ex Deo, non peccat, sed qui natus est ex Deo, custodit seipsum, & malignus ipsum non tangit.*

2. Cor. 7. 1. *Habentes hasce promissiones, purificemus nos ab omni contaminatione carnis & Spiritus, implentes nostram sanctificationem in timore Domini.*

Phil. 2. 12. *Implete vestram salutem cum timore & tremore: Deus enim est, qui efficit in vobis & velle & perficere pro beneplacito.*

1. Pet. 1. 5. *Virtute Dei per fidem custodimur in salutem revelandam ultimo tempore.*

2. Tim. 4. 17. *Dominus mihi adfuit & roboravit me, & liberatus fui à manu leonis, & etiamnum liberabit me Dominus ab omni malo opere, & servabit me, & adducet in regnum suum cæleste.*

Psalm. 84. 6. *Beatus ille, cujus robur in te est, & cui cordi sunt itinera: de robore in robur incedens.*

Thesis VII.

Perseverantia est imago, imo principium vitæ æternæ, & ista illam consequitur, ut adolescentia infantiam, virilitas adolescentiam, &c. per modum ordinis, non causæ.

Ephes. 4.

Ephes. 4. 15. *ἀληθεύοντες in charitate crescamus per omnia in illo, qui est caput, Christo, in quo totum corpus, &c. donec perveniamus ad unitatem fidei, & cognitionis Filij Dei in hominem perfectum, ad mensuram adultæ ætatis complementi Christi.*

THESIS VIII.

Vere fideles cum succumbunt tentationibus, & à Diabolo & carne vel seducuntur vel abripiuntur, non propterea totaliter deficiunt à Christo, spiritu, fide; nec dona eius omnia profundunt: quandoquidem peccatum, quantumvis atrox non statim abrumpit vinculũ nostri cum Christo: quod sola impœnitentia finalis, delectatio & obduratio intima, & gloriatio in malo, & peccatum in Sp. Sanctum præstarent, si in electos cadere possent.

Luc. 22. 32. *Rogavi pro te, Petre, ne deficiat fides tua.*

Matth. 17. 20. *Arundinem quassatam non confringet, & linum fumigans non extinguet.*

Zach. 3. 2. *Annon est hic titio ereptus ex igne?*

Matth. 16. 18. *Portæ inferorum non prævalebunt adversus Ecclesiam.*

Psal. 130. 3. *Si attendis ad iniquitates, ô Domine, quis consistet? sed penes te est propitiatio, ut timearis.*

1. Ioh. 2. 1. *Hæc scribo, ne peccetis: quod si quis peccavit, habemus advocatum apud Patrem Iesum Christum justum.*

Ioh. 17. 13. *Ego sum in eis, & tu es in me, ut ipsi consummentur in unum, & ut mundus cognoscat, te misisse me, & te ipsos amasse, ut amasti me: Non oro, ut tollas de mundo, sed ut custodias ipsos à Malo.*

Luc. 15. 18. *Filius prodigus, inquit, Redibo ad Patrem meum, & dicam ipsi, Pater mi, peccavi in cœlum, & in te.* Ergo adhuc Pater.

Hos. 11. 7. *Redibo ad maritum meum priorem.* Ergo adhuc maritus.

Apoc. 3. 8. *Dedi ostium apertum coram te, quia habes parum virium, & servasti verbum meum, nec abnegasti nomen meum.*

Iohan. 14. 16. *Dabo vobis consolatorem alium, qui vobiscum maneat in perpetuum.*

Psal. 30. 6. *Ira Dei est momentum, sed benevolentia eius est vita.*

Isai. 54. 7. 8. *Ad momentum reliqui te, abscondi faciem meam à te, in momento indignationis, sed misertus sum tui benignitate æterna.*

Isai. 59. 21. *Hoc est fœdus meum cum eis. Spiritus meus, & verbum meum nunquam recedent à te, neque à semine tuo.*

Ierem. 32. 40. *Indam timorem meum in cor eorum, ut non recedant à me.*

1. Iohan. 3. 9. *Quicunque natus est ex Deo, non facit peccatum, quia semen Dei manet in ipso, neque potest peccare, quia natus est ex Deo.*

THESIS IX.

Imo vinculum cum Christo, integrum virtute gratiæ Dei, conservatum in maximis lapsibus, est unica causa & principium redintegrationis per pœnitentiam: quod vinculum si abrumperetur, nulla daretur restitutio.

Hebr. 6. 6. *Si cadunt* (id est omnimodo excidunt à Christo in statum generalem peccati) *impossibile est renovari ad pœnitentiam.*

Iohan. 15. 5. *Extra me nihil potestis facere; si quis in me non manet, foras ejicitur, ut palmes, & exarescit, & ejusmodi palmites colliguntur in fasces, & projiciuntur in ignem, & comburuntur.*

Marc. 11. 14. *Ficus* (cui maledicit Christus) *statim exarescit, Sal infatuatus non habet quo saliatur, sed ejicitur foras, & proculcatur ab hominibus.*

Matth. 25. vers. 30. *Servus inutilis, cui aufertur talentum, projicitur statim in tenebras*

exteriores, ubi est planctus & stridor dentium. Conscientia cauterio inusta non potest reviviscere. 1. Tim. 4. 3. Bis mortui & eradicati non restituuntur. Iud. 12. & Hos. 9. 12. *Væ ipsis cum recessero ab ipsis.*

Thesis X.

Sensus vitæ spiritualis reparatio, pacis & gaudij conscientiæ restitutio, sanatio membri Christi graviter per peccatum sauciati, non nisi per pœnitentiam recuperari potest. Illa vero constare vel dari non potest omni excussa fide, & vita spirituali, quæ per illam à Christo hauritur: cujus vitæ est proprium, dolere, remedium sitire, & quærere, sanitatem à sanitate trahere.

Ephes. 4. 19. *Gentes alienatæ à vita Dei, etiam dolorem omnem conscientiæ amiserunt.*

Ioh. 11. 26. *Qui vivit & credit in me, non morietur in æternum.*

1. Cor. 5. 7. *Expurgate vetus fermentum, ut sitis massa nova, sicut estis sine fermento.* Et vers. 5. *Incestuosus detur in manum Satanæ, ad destructionem carnis, ut Spiritus salvetur in die Domini.* Ergo manebat Spiritus in eo, illa castigatione expurgandus.

Iohan. 13. 10. *Qui lotus est, eget tantum, ut pedibus abluatur.*

Thesis XI.

Vere fidelis per Spiritum Dei intus habitantem, & operantem, novit sese esse verum membrum Christi, & iste Spiritus imprimit illi in corde veritatem promissionum Dei de Perseverantia, quæ in Verbo extant, quibus ille dubitationes & hæsitationes carnis exorientes vincit, atque in metu lapsus præsentis fide recogitat se habere repagulum atque obicem objectum, gratiam nempe, custodiam, præsentiam Spiritus Dei; qui etiam infundit in ipsum donum timoris, sollicitudinis, prudentiæ, fidelitatis, quibus caveat à Deo tentando, imo ex mandato Dei, illis tanquam mediis ordinariis, sanctificatis, necessariis utatur ad perseverandum, neque unquam sensus perseverantiæ cum lascivia, audacia, ignavia carnis consistere potest. Labare fatemur & concuti sæpissime in fideli homine hanc certitudinem; ideoque nondum confirmatis gradatim & sensim viis Domini insistendum potius, quam immensa omnia illa perseverantiæ spatia uno fidei intuitu complectenda & antecapienda: At vero jam habentibus sensus exercitatos propter habitum, quos Dominus post multas tentationes solari & munerari vult, illis per spiritum communem corporis Christi dat vim apprehendendæ vitæ æternæ, & de perseverantia sua firmiter statuendi apud sese.

1. Ioh. 3. 24. Et 4. 13. *Ex hoc cognoscimus ipsum manere in nobis, & nos in ipso, ex Spiritu, quem dedit nobis.* Et Rom. 8. 9. *Non estis in carne, sed in Spiritu, si modo Spiritus Dei habitat in vobis; sed si quis non habet Spiritum Christi, ille non est eius.*

1. Cor. 2. 10. *Deus revelavit illa nobis, quæ oculus non vidit, &c. per Spiritum suum: nam Spiritus investigat omnia, etiam profunda Dei: accepimus Spiritum non mundi, sed Spiritum qui est à Deo, ut noscamus illa, quæ nobis donata sunt à Deo.* Paulus loquens Spiritu communis fidei, 2. Corinth. 4. vers. 13. dicit, *Nihil nos potest separare à dilectione Dei, quæ est in Christo Iesu,* Rom. 8. 39. Et Philip. 1. vers. 19. *Hoc mihi cedet in salutem per vestram*

vestram deprecationem & per suppeditationem Spiritus Christi: secundam intentam exspectationem & spem meam, quod in nulla re pudefiam, sed cum omni dicendi libertate, ut semper, ita quoque nunc magnificabitur Christus in corpore meo, per vitam aut per mortem.

Ephes. 1. 13. *Obsignati estis Spiritu Sancto promissionis, qui est arrhabo hæreditatis nostræ in redemptionem acquisitionis.*

Ephes. 4. 30. *Ne contristate Spiritum Sanctum Dei, quo obsignati estis in diem redemptionis.*

1. Tim. 6. 11. *At tu, vir Dei, fuge ista & sectare iustitiam, pietatem, fidem, charitatem, mansuetudinem, patientiam: Certa bonum certamen fidei, apprehende vitam æternam ad quam vocatus es.* Et vers. 17. Mone divites in seculo præsenti, *ne sint animo elato, neque spem ponant in incertitudine divitiarum sed in Deo vivo, sint benefici, divites operibus bonis, faciles ad impertiendum, κοινωνικοὶ, thesaurizantes sibi bonum fundamentum in posterum, ut apprehendant vitam æternam.*

Isai. 33. 15. *Qui ambulat in iustitia, & qui proloquitur iusta, qui respuit avaritiam, injuriam, &c. Ille habitabit in locis excelsis: receptus eius erunt monimenta rupium: panis dabitur ipsi, neque deficient ipsius aquæ. Videbunt oculi tui Regem in decore suo, & contemplabuntur terram longinquam.*

Psal. 112. 6. *Iustus nunquam commovebitur, nihil timebit: cor ipsius firmum est, confidens in Domino: Cor ipsius suffultum est, nec quicquam timebit.*

THESIS XII.

Doctrina hęc de Perseverantia, quæ est verum peculium animarum piarum, sacrarium penitissimum Dei, in quod introducit suos, à quo arcentur omnes profani & carnales, κέλυσμα currentium, solatium laborantium & anhelantium & labentium, non convellit Religionis veræ studium, nec pietatis sollicitudinem labefactat: imo contra statuimus, perseverantiam absolute negantes, adversari aperto Verbo Dei: illam vero alii fundamento superstruentes, quam Electioni æternæ & gratuitæ Dei, & alij causæ perpetuæ attribuentes, quam efficaci Spiritus Sancti operationi, custodiæ, præsentiæ in corde ipso, esse in Dei majestatem injurios, perseverantiæ tantam molem luto atque arenæ, quale est voluntatis humanæ arbitrium, imponere, penitus convellere consolationem, sacrilegos homines facere, atque adeo ipsam omnino Perseverantiam è medio tollere.

Ierem. 17. 5. *Maledictus qui ponit carnem brachium suum, erit ut myrica: Benedictus qui confidit in Domino, cuius fiducia est Dominus.*

Psal. 115. 1. *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam propter benignitatem & veritatem tuam.*

Iacob. 1. 17. *Omnis bona donatio & donum perfectum est ex alto descendens à Patre luminum, apud quem non est mutatio, nec obumbratio revolutionis.*

1. Cor. 1. 7. *Nullum donum vobis deest, exspectantibus manifestationem Domini nostri Iesu Christi, qui vos etiam confirmabit usque ad finem inculpatos, in diem Domini nostri Iesu Christi: fidelis est Deus, à quo estis vocati in communionem Filij sui, &c.*

Heterodoxa hæc reijcimus.

Perseverantia non est proprie donum Dei, nec effectum Electionis, sed habet causam propriam voluntatē hominis, nativa sua indole libere & flexibiliter ad utrumque agentem: imo ordine causarum perseverantia antecedit electionem, nec ullus dici potest electus complete, nisi qui ad finem usque perseveraverit.

Fideles veri in peccatis carnis fidem totaliter amittunt.

Fideles veri possunt peccare in Spiritum sanctum & mori in æternum, & ita finaliter excidere.

Nulla datur certitudo Perseverantiæ, nisi per revelationem specialem.

Doctrina de Perseverantia, est doctrina pietati & religioni perniciosa.

Hæc, atque alia eiusmodi, ex doctrina de Libero Arbitrio promanantia, toto pectore rejicimus: atque generatim dogmata nova, quibus Electio æterna Dei, Mortis & Satisfactionis Christi efficacia & applicatio; Spiritus Sancti intra hominem operatio: Perseverantia ipsa, & totus generatim hominis spiritualis status, à naturali voluntatis indifferente & ad utrumque flexibili motu & inclinatione pendere constituitur; damnamus; Et, invocato Dei nomine, in ipsius timore, sententiam rogati, Ecclesię nostræ publico, & nostro privato nomine, repudiamus & aversamur: quippe quæ contra Scripturas manifestas, contra consensum antiquitatis purioris, & Ecclesiarum omnium vere Reformatarum, gloriam Dei obscurent, fundamentum salutis reddant fluxum & instabile, consolationẽ omnem tollant, Papatum interiorem revehant, Pelagianam hæresin recoctam & interpolatam denuo obtrudant, nervum & arcum Papatus, liberi nempe Arbitrij idolum, adversus Gratiam, in altari cordis reponant, efficacem influxum & operationem Spiritus Sancti in cor, negent; enervent doctrinam suavissimam de nostri cum Christo spirituali unione, vita, [illegible]: vetus fœdus operum cum Novo Gratiæ & Fidei confundant, hominem denuo Christo avulsum sibi reddant, & in immensum dubitationum, agitationis, desperationis barathrum conjiciant, & Ecclesiam tristissimo Schismate conscindant & lacerent, & inanibus παραδιατριβαῖς & κενοφωνίαις sinceritatem Euangelij adulterent. A Deo Opt. Max: veris suspiriis, resipiscentiam aberrantibus, & errorum doctoribus exoptantes, & harum Provinciarum Illustriss. Rectoribus eum animum, ut fortiter & sancte expurgationi istius pestiferi fermenti incumbant, & Ecclesias alias omnes periculo ejus contagij liberent.

IVDICIVM BREMENSIVM
De Quinti Articuli
REMONSTRANTIVM
Qui est,
De Perseverantia Sanctorum,
controversa quæstione:

An vere regeniti universali Apostasia Spiritum Gratiæ penitus queant excutere, & se bonis omnibus cœlestibus spoliare.

I.

QUum Sanctorum perseverantiam dicimus; per Sanctos quidem intelligimus omnes & solos regenitos, quos, scilicet, Deus per verbum & Spiritum suum salvificæ fidei, spei & charitatis dono affecit; nomine perseverantiæ autem eam constantiam & stabilitatem, ut, qui semel Filij Dei esse cœperunt per regenerationem, etiam Filii maneant, atque ita certo hæredes ejus evadant. etsi in obedientia, quantum ad partes & gradus aliquos, subinde ad tempus deficiant; & hactenus perseverationem suam interrumpant. Hi sunt, qui ad illam sententiam; *Qui perseveraverit ad finem, salvus erit*, assumere possunt & debent: Nos per Dei gratiam perseverabimus, & concludere, Itaque salvi erimus.

II.

Ut scilicet creationi annexa est conservatio in natura, ne res conditæ in nihilum relabantur; ita recreationi seu regenerationi adhęret conservatio in gratia; ne illi, qui in Christo facti sunt novæ creaturæ, in statum non-filiorum seu plane extraneorum hominum recidant, & penitus iræ filij evadant.

Itaque

Digitized by Google

III.

Itaque pronunciamus, vere regenitos non tantum debere perseverare, sed etiam posse & velle per virtutem à Deo datam perseverare. Quod debeant, patet, 1. Quia Deus mandat, 2. Theſſ.2.15. 1. Cor.16.15. 1. Tim.3.14. Iohan.15.4. 2. Quia Deus perseverantibus præmia promittit, Levit.26.3. 2. Cor.6.16. Iohan.5.11. & 31. Ioh. 15. 7. Matth. 10.12. Et 24.13. Quod possint ac velint, colligitur ex eo, 1. Quia Deus ipsis à dexteris est, Rom.8.31. 2. Quia Deus ipsis vires subministrat, Philipp.4.13. 3. Quia Spiritus Sanctus in ipsis habitat.

IV.

Idque adeo verum est, ut neque possint seduci in interitum, Matth. 24.24. Ioh. 10.28.29.

V.

Hinc est, quod renati certo perseverant, & vitam æternam consequuntur, Rom.8. 30.35. Iohan.10.27.28.

VI.

Huius perseverantiæ firmitas pendet ab immutabilitate divini consilii, quo electos suos per & propter Christum, & in eo ac cum eo certò servare constituit, & adversus omnia obstacula in via vitæ ad beatam metam perducere.

VII.

Et hoc ipsum pertinet ad gloriam Dei redemptoris nostri, quem nos electos, non solum merito, sed & efficacia salvos facere credimus, & profitemur.

VIII.

Absque hoc beneficio si sit, nullatenus in secundo Adamo feliciores erimus, quam fuimus in primo: quippe in isto acceperamus justitiam & salutem mutabilem, &, ut possemus, quod vellemus: in illo autem accipimus immutabilem, ut & possimus quod volumus, & velimus quod possumus; quantum tamen labilis huius peregrinationis conditio & σαρκίτα patitur.

IX.

Cæterum renati, quantumvis alacriter militent adversum peccata, tamen & multa & magna carnis imbecillitate laborant, cui quidem, spiritu divinitus excitato, obluctantur, crebro tamen à cupiditatibus carnis se vinci patiuntur, ad Rom.7.19.22.23. 24. Geneſ.8.20. Geneſ.19.30. 2. Sam. 12.9. Matth. 26.30. Gal.2.14.

X.

His talibus peccatis Deum gravissime offendunt, &, quantum in ipsis, æternæ damnationi se faciunt obnoxios, ex ea nunquam emersuri, nisi remissis peccatis, Christi justitia eis à Deo imputaretur, ipsique ad serium veræ pœnitentiæ studium converterentur.

XI.

Quando renati hunc in modum peccatis suis Deum offendunt, quantum in ipsis est, se gratia Dei excludunt, Spiritum contristant, bonam conscientiam, cordis puritatem, lætitiam Spiritus, sensum consolationis, ardorem audiendi Verbum Dei, precandi ac Deum religiose colendi, aliaque plura Spiritus Sancti dona amittunt, & iram Dei ex adverso, angores, & pavores conscientiæ patiuntur: communis experientia id nos docet.

XII.

Attamen vere renati nunquam eo usque exorbitant, ut universali apostasia à Deo

prorſus deficiant, hoſtili eum odio proſequantur, atque affectata malitia, diaboli in morem, peccent, omnibuſque cælestibus bonis ſe expolient. Nullum enim exemplum talis Apoſtaſiæ ex S. Literis afferri poteſt.

XIII.

Quapropter & nunquam ex gratia ac favore Dei penitus excidere queunt: ſed ita Deus eorum peccatis iraſcitur, ut ipſos tamen ceu filios non oderit, ſed caſtiget, ne fiant rejectanei. 2. Sam. 7. 14. Pſalm. 89. 33. 34. 35.

XIV.

Abuſus vero huius doctrinæ præcipue cavendus eſt duplex: unus ne in peccata labamur, alter, ne in eis maneamus: potius vero, quo certiores ſumus de Dei benevolentia, eo acrius nos ad omnia noſtra officia excitemus.

XV.

Ut lapſus caveamus, ſemper ob oculos nobis ponemus, quod Deus gratiam ſuam his mediis & non aliter in nobis velit confirmare, ut attendamus ad divinam iuſtitiam & ſanctitatem, adhibeamus juges preces, Verbi divini meditationem, Baptiſmi ſuſcepti memoriam, S. Cænæ pium frequentemque uſum, ſobriam vitam, fugam mundanæ converſationis & ſimilia; adeo ut, qui iſta ſecure uſque ad finem negligunt, ſe ex regenitis & Dei filiis non eſſe oſtendant,

Vide Vrſin. loco de Sp. Sancto, quomodo is accipiatur, & amittatur.

XVI.

Ut autem à lapſibus reſurgamus, conſiderabimus divinam miſericordiam, mentem convertemus ad immenſum precium mortis Chriſti, lubenti & grato animo piorum hominum admonitiones admittemus. &c.

XVII.

Hæc doctrina, & ſic credita, & ſic quoque tractata, gratiæ Dei plenitudinem & conſtantiam commendat, ſecuritatem carnis comprimit, & in filiis Dei convenientem timorem atque fiduciam fovet & conſervat: ut nos regeniti & adoptivi filii Dei, indolem & perfectionem unigenti Filii Dei pro modulo noſtro imitemur, & membra illi capiti aſſimilemur.

De Quinto Articulo
REMONSTRANTIUM
Ἐπίκρισις.

I.

ASſertio Quinti Articuli duas principales partes habet. Prior facultates & ſecuritatem ſalutis fidelium aſſerit; poſterior eandem in dubium vocat.

II.

Prior pars tria docet, 1. Eos, qui Chriſto vera fide inſiti, ac proinde vivificantis ejus Spiritus participes facti ſunt, ſufficienter inſtructos eſſe viribus, quibus adverſus Satanam, peccatum, mundum, ſuamque carnem poſſint pugnare, atque adeo etiam victoriam ab eis referre. 2. Ieſum Chriſtum ipſis per Spiritum ſuum in omnibus tentationibus adeſſe, manum porrigere, eoſdem fulcire ac confirmare. 3. Nulla fraude aut vi Satanæ ſeduci, aut ex Chriſti manibus eripi poſſe, juxta promiſſionem Chriſti, Iohan. 10. 28.

III.

Poſterior pars ambigit, an iidem non poſſint per ſocordiam, ut loquitur Apoſtolus, Hebr. 3. verſ. 6. 14. Τὴν ἀρχὴν τῆς ὑποστάσεως χριστοῦ καταλείπειν, præſens ſeculum iterum amplecti, à Sancta Doctrina ipſis tradita recedere, bonam conſcientiam amittere, gratiam-

gratiamque negligere, Et ait: hoc esse prius accuratiore ex S. Scriptura examine inquirendum, quam nos illud possemus alios cum πληροφορίᾳ animi nostri docere. Bert. Coll. pag. 11. Belg. 296.

IV.

At si ista tria, quæ priori parte Articuli continentur, Remonstrantes vere & ex animo asseruerunt, de hoc ambigere nec possunt, nec debent. Si enim illi, qui Christo inserti sunt, abunde instructi sunt viribus, ad victoriam de Satana, mundo, & carne; & Christus in omnibus tentationibus illis adest & manum porrigit, &, ut nulla Satanæ fraude vel vi possint seduci & ex manibus eius eripi, eos confirmat: quomodo, (obsecro) dubium esse potest, quin illi & facultatibus à Christo sibi datis & eiusdem ἐνεργείᾳ & confirmatione adjuti ac freti, initium sui esse in Christo nunquam sint deserturi, & à fide defecturi, & à gratia destituendi? quid hoc aliud est, quam secum dissidere?

V.

At dicent, non absolute, sed cum conditione se affirmasse, Christum fide vera sibi insitis Spiritu suo adesse, manum porrigere, eosque confirmare, si nempe ad pugnam parati sint, eius auxilium deposcant, sibique ipsis non desint. Hanc autem conditionem à multis non præstari.

VI.

Hæc exceptio non tribuit omnem debitam laudem Deo, Christo, & Spiritui S. quasi vera fide Christo insitos facultatibus gratiæ resistibilis quidem instruat, ad pugnam vero paratos non reddat, sed adeo supinos esse patiatur, ut auxilium eius non petant, sibique ipsis desint.

VII.

Divinæ promissiones longe aliud ostendunt. Quantumvis enim pugna, preces, vigilantia, similesque conditiones, quas exigunt, omnino necessariæ sint ad perseverationem, tamen ea non ponuntur à fidelibus, sed à Spiritu sancto in fidelibus efficiuntur, iuxta hæc testimonia: Deut. 30. 6. *Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum & cor seminis tui, ut diligas Dominum Deum tuum toto corde.* Ierem. 32. 40. *Timorem meum dabo in corda eorum, ut non recedant à me.* Quod citans B. Augustinus de Bono Persev. cap. 2. pro bono perseverantiæ explicat. His adde Ezech. 36. 27. Esai. 59. 21. Zach. 12. 10. 1. Cor. 1. 8. Phil. 1. 6. 1. Pet. 1. 6.

VIII.

Neque magni momenti est, quod dicunt, promissiones non esse absolutas, sed conditionales & stricte intellectas, excludere etiam minima sanctorum peccata. Promissiones enim de ipsa conditione fidei, precum, perseverantiæ in fidelibus per Spiritum sanctum efficienda diserte loquuntur.

IX.

Nec sequitur, conditionem non promitti, tanquam à Spiritu sancto in nobis efficiendam, quoniam præcipitur & exigitur à fidelibus. Nam præcipitur etiam, ut Deum timeant, ut ipsi adhæreant, ut in vijs ipsius ambulent, & tamen Deus pollicetur, se id daturum, se effecturum.

X.

Nec tamen promissiones illæ, Sanctorum lapsus & peccata excludunt, sed lapsos à ruina erigunt. Nam etiam ad hæc quandoque diserte extenduntur, Psal. 37. 24. Psal. 89. 34.

XI.

Quare si prior Articuli pars est vera & certa, uti verissima ac certissima est: falsa

omnino est pars posterior, quippe quæ priori aperte contradicit: id quod est manifestum malæ causæ argumentum.

XII.

Neque hanc contradictionem effugiunt, negando, se perseverantiam sanctorum in dubium vocare, sed de ea accuratiorem institutionem postulare, quoniam in tota Collatione de Perseverantia Sanctorum ita disputant, ut quod in priori parte huius articuli verum & certum statuerint, non modo dubium & incertum, sed & manifeste falsum & impium esse contendant: ut jam nihil dicamus de ipsorum Thesibus, & 5. Articuli Declaratione, quam Synodo exhibuerunt.

XIII.

Præterea ut plausibilius disputent, sæpe in Collatione dicunt nos docere: qui semel crediderunt, eos nunquam posse labi, neque lapsuros, sed persuasum sibi habere, quicquid peccent, se nunquam posse fidem amittere & gratia excidere, sed inevitabiliter perseveraturos & salvos futuros, atque hunc perseverantiæ modum duntaxat se in dubium vocare & impugnare.

Coll. pag. 354. 403. 404.

XIV.

Huc septem argumentorum ordines dirigunt:

1. Quia ex se veræ pietati & bonis moribus obsit, seu quia eius prædicatio sit scandali plena. *pag. 353.*

2. Quia media exhortationum, mandatorum, promissionum & comminationum, earumque usum evertat. *pag. 356.*

3. Quia præmonitiones Spiritus sancti de fallacijs & fraudibus Satanæ cavendis enervet. *pag. 359.*

4. Quia multos totaliter & finaliter defecisse exempla doceant. *pag. 360.*

5. Quia multi fideles graviter lapsi in ea peccata, quæ cum fide consistere nequeunt, in Scripturis legantur. *pag. 361.*

6. Quia hoc dogmate posito, omnes baptizati infantes fidelibus parentibus nati servarentur. *pag. 362.*

7. Quia multi ex fidelibus ijs sese flagitijs obstringant, ut excommunicentur & Satanæ tradantur. *pag. 363.*

XV.

Ad hæc breviter respondemus, & quidem ad 1.

Si doctrina Perseverantiæ offendiculum & licentiam parit, tum Prophetæ & Apostoli erunt accusandi, qui eam Ecclesiæ commendarunt, neque illi habuerunt calcar ad pietatis studium. At hoc absurdum est, Ergo & illud.

Ad 2. & 3. His medijs studium & certitudo Perseverantiæ in renatorum animis fovetur & roboratur.

Ad 4. At hi vere renati, & viva Ecclesiæ membra nunquam fuerunt. 1. Ioh. 2. 19.

Ad 5. Nihil Mosis, Aaronis, Davidis, Saulis, Iudæ & aliorum exempla hic faciunt. Nam hi aut non fuerunt vere regeniti, aut tandem resipuerunt & servati sunt.

Ad 6. Ἀναπόλυτον est quanquam id in ijs qui in infantia moriuntur confidimus, sicut ad 1. Articulum dictum est.

Ad 7. Excommunicati non sunt eiusdem census. Alij renati sunt, & hi, etsi peccatum luant censura Ecclesiastica, tamen manent in interiori communione sanctorum per fidei vinculum, quod externo offendiculo non penitus abruperunt: alij non renati sunt, qui si renascantur, tandem perseverant, si non renascantur, inter profanos censeri debent.

XVI.

Cæterum, si qui aliud nihil in hoc capite impugnant, ij rationem nullam idoneam habent, quare Ecclesias inquietaverint. Nam hoc ipsum non solum ut dubium, sed etiam ut falsum & offendiculi plenum rejicimus, improbamus, & ex Ecclesia Dei eliminamus.

Quare

Digitized by Google

XVII.

Quare male faciunt, quod nobis dogma affingunt, quod pro nostro neutiquam agnoscimus: & septem rationibus præfatis falsum illud dogma quidem destruunt, sententiam vero nostram nullatenus attingunt, ut in Coll. ostenditur. pag. 36.

XVIII.

Coronidis vice apponimus ac repudiamus præcipuos circa hanc doctrinam quorumcumque

ERRORES.

1. Perseverantia est uniformis ac æquabilis, nulloque peccati actu interrupta constantia in fide & obedientia.
2. Quotiescunque vere fideles opus aliquod carnis committunt, toties veram fidem totaliter amittunt. Lapsis post Baptismum non est spes resipiscentiæ restaurandæ & veniæ consequendæ.
3. A sola hominis voluntate pendet Perseverantia.
4. Perseverandi potentia, non autem ipsa voluntas fidelibus datur.
5. Perseverandi facultas & voluntas, non est effectum electionis ad salutem, sed electionem antecedit.
6. Perseverantia non est donum nobis morte Christi partum, sed tantum oblatum.
7. Horribilia peccata, quæ aliquando fideles admittunt, sunt tantum infirmitates.
8. Nullus regenitus in hac vita potest esse certus de Perseverantia absque speciali revelatione.
9. Doctrina de Perseverantiæ certitudine est veræ pietati & toti religioni perniciosa per se.
10. Dubitatio de perseverantia est laudabilis & utilis.
11. De perseverantia possumus esse certi absque vigilijs, precibus, alijsque sanctis exercitijs, officium nostrum negligentes.
12. Fides temporaria non differt specie à salvifica & durante.
13. Nullum est principium unde duratio fidei necessario fluat.
14. Perseverantia potest aliquorum fidelium esse extraordinarium privilegium & donum, non est autem commune omnium.
15. Ex doctrina de perseverantia non nascitur pietatis affectus.
16. Nusquam in Scripturis legitur, Deum vim conservatricem fidei constantiæ inserere velle hominis voluntati.
17. Fidelis de sua salute certus esse non potest.
18. Non est homini necessarium, ut sciat, se perseveraturum esse.

Fugiendæ loquutiones aliæ ut falsæ, aliæ ut incommodæ ædificationi.

Hominem ne quidem volentem posse amittere fidem.

Fatalem esse perseverandi necessitatem. quum regenerati peccant, id inde esse, quia gratia aliqua eis subtrahatur: desertionem divinam præviam esse causam, cur homines desinant obedire Deo.

Nullis flagitijs renatos fidem perdere: peccata non posse separare à gratia Dei: credentes non magis posse studium perseverandi amittere, quam Æthiops colorem mutare, aut mas aut fœmina sexum abjicere.

Vere fideles non posse deliberato consilio peccare, sed tantum ex ignorantia & infirmitate.

CON-

CONCLVSIO Iudiciorum Nostrorum De V. Articulis.

ATque hæc de quinque famosis Articulis, quorum varijs disputationibus non tantum ad receptæ Orthodoxæ Confessionis depravationem, verum etiam charitatis & concordiæ, olim in his Regionibus merito ad exempli laudem prædicatæ, imminutionem & destructionem, cum publico fidelium luctu & dolore itum est. Nostram sententiam quidem breviter diximus. Si usquam opus sit, quædam à nobis explicari aut probari plenius: non patiemur in nobis fidem, sinceritatem & industriam, prout Deo juratos decet, desiderari.

Quid autem deinceps facto opus sit; & prudentiores rectius dicent, & Illustres ac Præpotentes Magistratus, nobis quoque non monentibus, pro sua pietate & prudentia dispicient. Hoc interim non dubitamus; Deo omnia sapientissime & agenti & permittenti, id propositum esse, ut latior in posterum ædificandi & proferendi regni Christi area pateat, & ex omni parte vitia incuriæ nostræ emendari possint.

Duo in dicendis sententijs nostris spectare jussi sumus; veritatem divinam, & pacem harum Provinciarum. ad utrumque exigitur in primis simplicitas & sinceritas, ut contenti ea doctrina, quæ nobis fiduciæ erga Deum & perpetuæ humilitatis ac pietatis sit magistra: speculationes, quæ rixas & contentiones pariunt, effugiamus.

Id Caput rei est, ut nulla nobis doctrina arrideat, quæ Deum parvum & Hominem magnum efficiat, & non semper in illud Apostolicum resolvatur, *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Multa sunt arcana in terris, quorum cognitionem melius in cœlestem spirituum consummatorum panegyrin differremus, & interim in puritate cordis & constante dilectione Deum coleremus.

Certe providendum est, ne sub libertatis prophetandi titulo licentia modum justum supergressa, teneram & lætam Ecclesiæ segetem inundet & suffocet. Controversiæ de Religione, ipso Verbo nos monente, religiosæ sunt tractandæ, & justo cum discrimine ac delectu; non ut alij alijs ægre faciamus, sed mutuo nostris laboribus faveamus, necessaria à non necessarijs, probabilia à minus probabilibus distinguamus; qua sine æquitate nunquam vel in Ecclesijs vel in Scholis ulla pax sperari potest.

Ad res præsentes autem quod attinet, merito nos socios asscribimus ijs, qui his altercationibus hactenus Ecclesias turbatas adeoque convulsas esse graviter indoluerunt. Et non possumus non judicari, gravi crimine se obstrinxisse eos, qui temere & leviter dederunt atque arripuerunt hasce lites, quas in ipso exordio statim oppressas oportuit, & certa moderatione ad divinas literas exacta, scandalorum extrema prohibita & impedita. Optaremus equidem eo rem deduci posse, ut sublato omni schismate & dissidio, Ecclesiarum doctores & auditores in unitatem revocarentur. at non videmus, quomodo ad salutarium consiliorum effectum hactenus per fratres citatos perveniri potuisset: nec dissimulamus vereri & nos, quod sub Articulis in Controversiam deductis peius aliquid lateat, quod in suum commodum Satanas vertere cogitaverit: multis quoque & Fratrum & Auditorum ignotum minimeque spectatum. Quid autem de singulis statuendum judicaverimus, quosque errores excludentes existimemus, scripta nostra ostendunt. Summa huc redit, Deum esse, qui homines in perditione æquali positos mera sua gratia & judicio discernat, & ad passionum Christi fructum vocet quos vult, eisque merita illius applicet. Fidem in his per Verbum & Spiritum suum, divina ac paterna efficacia ipsorum vitiositatem vincente, ad se inclinatis & tractis generet, eosque ad beatum finem certo ac perpetuo conservet. Ideoque à veritate & gloria Dei & fidelium solatio atque officio alienum esse, opinari, quod gratia electionis ab hominis arbitrio pendeat, quodque ipse gratiam satisfactionis meritorumque Christi, & gratiam regenerationis totiusque spiritualis conservationis, quasi in potestate sua habeat. ut voluntas nostra,

nostra, omni Dei consilio ac decreto alioquin in incertum casuro, colophonem imponat.

Exaudiat omnium nostrum vota Deus, ut in afflictorum conscientijs pax revirescat, & omnibus odiorum atque simultatum fibris elisis, amœnissima germinatione, concordia revalescat: muniat etiam Dei clementia adversus præsentia & futura pericula omnia, harum regionum statum, ut in eis oppugnandis Satanas & Antichristus deinceps quoque omnem operam ludant, & omnia sua consilia atque vires cum pudore suo & æterna gloria Dei Servatoris nostri atterant, & apud nos maneat vis atque usus angelici illius hymni, *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax, in homines benevolentia.*

Subscriptum subsignatumque erat,

Deputati Reip. Bremensis.

THESES
Embdanorum,

Sententiæ Remonstrantium de Apostasia Sanctorum, & fidelium de sua salute dubitatione, quam in Articuli V. tractatione profitentur, oppositæ.

Quibus adjuncta est consideratio eiusdem Articuli.

THESIS I.

GRatia Dei erga homines, interna, movens (ut in tractatione quarti Articuli diximus) distinguitur in primam & secundam. Prima est, qua è statu peccati efficaciter vocamur, & in statum gratiæ transferimur. Secunda, qua in statu Gratiæ corroboramur, dirigimur, conservamur, ut perseveremus ad finem.

2. Perseverantia hæc in vera fide ad vitæ finem, est *a* donum Dei, quo primam a *Ro.* 11. 29.
gratiam electis in regeneratione datam, sic in ijsdem *b* conservat, auget & confirmat, *Phil.* 2. 13.
ut *c* finaliter in ea permaneant, ita ut gratiam Dei, fidem qua donati sunt, & Spiritum b *Ro.* 16. 25.
sanctum, nunquam in hac vita penitus excutiant, & à Christo prorsus excidant. c *Mat.* 24.

3. Consistit autem electorum perseverantia, *d* tum in perpetua eorum voluntate 24.
perseverandi in bono, qua donantur in regeneratione: *e* tum in actuali quadam boni *Luc.* 22. 32.
ad finem usque persecutione, quæ modo remissior est, modo intentior, prout Sp. S. *Ioh.* 10. 28.
speciali gratia sua, aut efficacius aut remissius in ijs operatur. *Rom.* 8. 35.

4. Errant hic errorem magnum Remonstrantes, qui 1. negant, Perseverantiam 2. *Cor.* 1. 21.
esse donum Dei, & effectum unici ac æterni illius decreti, quo Deus singulares per- *Ephes.* 4. 30
sonas, nulla conditione obedientiæ circumscriptas elegit. 2. Sed eam ex secundo illo, *Phil.* 1. 16.
quod constituunt, decreto fluere, quo decrevit Deus credentes jam, & medijs ad 1. *Pet.* 1. 5.
perseverandum institutis rite utentes, non deserere, priusquam deseratur ab ipsis. 1. *Ioh.* 2. 19.
Epist. ad VVal. p. 74. *Remonstrant. citati in Thesi. de* 5. *Art. Thesi.* 1. *Coll. Hag. Belg.* 27.
pag. 343. *circa finem, Brand. pag.* 407. *lin.* 4. d *Phil.* 1. 6.

5. Quidnam vero ipsis sit Perseverantia, his verbis explicant: *Imo ne donum Dei* e *Phil.* 2. 13.
est proprie, sed est conditio requisita novi & gratiosi fœderis, quam Deus pro liberrimo suo arbitrio, inter multas possibiles præscripsit, & ante peremptoriam electionem ac peccatorum remissionem in homine prærequirit, quamque homo habitu fidei & obedientiæ per crebros credendi & obediendi actus acquisito, facile præstare potest,

accedente

accedente autem interno Spiritus sancti auxilio & solatio, etiam præstare vult, & plerumque præstat, *Vide Declar. 5. Articuli Remonstr. Citat. pag. 7. & 8.*

6. Hæc omnia eo spectant, ut gratiæ Dei in nobis efficaciter operanti, quod ipsius est, detrahant, humanæ vero voluntati & viribus id tribuant, quod ipsis nequaquam competit.

7. Causam efficientem perseverantiæ in nobis, Scriptura Deum esse docet, *Iustus, inquiens, cum ceciderit non prosternetur, quia Iehova sustentat manum eius*, Psal. 37. 24. *Vsque ad canitiem portabo vos*, Isai. 46. 4. *Misericordia mea à te non recedet*, Isa. 54. 10. *Timorem meum dabo in corde eorum, ut non recedant à me*, Ierem. 32. 40. *Roborabo eos in Iehova, dicit Iehova*, Zach. 10. 12. *Fieri non potest ut seducantur electi*, Matth. 24. 24. *Qui venit ad me, nequaquam esuriet, nec sitiet unquam*, Ioh. 6. 35. *Deus est, qui efficit in vobis & ipsum velle, & ipsum perficere*, Phil. 2. 13.

8. Remonstrantes, contra Scripturam, duplicem Perseverantiæ causam statuunt: Supernaturalem unam: Physicam alteram, ad hunc modum ad Wal. pag. 73. 74. scribentes. Profitemur solam Dei gratiam esse perseverantiæ causam supernaturalem, quæ facit ut voluntas nostra perseverare possit & velit. Et paulo post: Nihilominus tamen voluntas proxima & sola est perseverationis causa physica, quia voluntas perseverat in fide & pietate, non Deus, & perseverat libere, secundum voluntatis humanæ in hoc vitæ stadio indolem ac proprietatem.

9. Porro tenendum est, quinam ij sunt, de quorum perseverantia hic agitur. 1. Primum enim non sunt illi, qui simplici quadam notitia præditi, credunt vera esse quæ S. Scriptura continentur; Nam hæc fides tantum est historica, quæ nisi ulterius procedat, fides mortua & Diabolis communis dicitur. Iacob. 2. 9.

10. Secundo, non sunt πρόσκαιροι, Matth. 13. 21. qui cum gaudio excipiunt sermonem, sed radicem non habent, & tempore tentationis abscedunt, Luc. 8. 13. Tertio, neque sunt ij, quorum mentes aliqua cognitione Euangelij sunt illuminatæ, & qui aliquem gustum doni cælestis perceperunt, & deinde prolabuntur, & ad pœnitentiam non renovantur, Heb. 6. 4. Sed Filium Dei conculcant, & sanguinem pacti profanum ducunt, Heb. 10. 29. Tales enim in Spiritum sanctum peccant. De his omnibus hic non agitur, sed de vere fidelibus.

11. Vere autem fideles sunt, qui vera, viva, justificante, fide; & Spiritu Dei, quo adoptamur in Dei Filios, & sanctificamur, & qui nobis est arrhabo hæreditatis futuræ, præditi sunt, Rom. 8. 15. 16. Eph. 1. 5. Quique radicati & superstructi sunt in Christo Iesu Domino nostro, Eph. 1. 13. Col. 2. 7. Hæc fides non extinguitur, non excidit, non evanescit totaliter neque finaliter.

12. Electi & veri fideles ac sancti, tametsi Deo chari sint, frequenter tamen & graviter subinde peccant, & quidem contra utramque tabulam, ut exempla Aaronis, Davidis & Petri demonstrant. Quæ peccata si quis extenuare conetur, peccabit ipse.

13. Observandum tamen 1. Diversimode electos, & qui electi non sunt, ad peccandum adduci. In eum namque qui electus non est, nec vere regenitus, princeps huius seculi semper aliquod jus habet, quo illum ad omnis generis flagitia impellit. 2. Cor. 4. 4. Eph. 2. 2. cuius rei exemplum Iudas exhibet. Ioh. 13. 27.

14. In electo vero regenito, teste Apostolo, duo quasi homines consistunt. Vetus homo & novus homo. Eph. 4. 22. Col. 3. 9. caro & Spiritus, Rom. 8. 13. Gal. 5. 16. Internus & externus homo, 2. Cor. 4. 16. Rom. 7. 22. Internus, (hoc est, quatenus regeneratus est) Spiritum sanctum habet rectorem, ac delectatur lege Dei. Externus (hoc est quatenus non regeneratus est) habet carnem, ac delectatur lege peccati.

15. Hinc in electo, quando peccatum committit, certamen oritur, & tandem externus eius homo adversus internum quamvis reluctantem prævalet. Unde perspicuum fit, electum hominem, quomodocunque labatur, non tamen peccare toto animo, tota mente ac plena voluntate. Malum enim quod agit, neutiquam probat, sed odit, & consentit interea legi Dei, quod bona sit, Rom. 7. 15. 16.

16. Ergo, si peccata quæ ab electis admittuntur, respicimus, sunt quod ad speciem attinet, peccatis reproborum paria; in modo vero, quo ad peccandum inducuntur, plane imparia.

17. Reprobi enim cum tantum sint caro, animum & curam ijs, quæ carnis sunt, intendunt, Rom. 8. 5. toto animo plenaque voluntate peccant Rom. 6. 12. peccatis delectan-

Digitized by Google

delectarant; & etiam cum ijs, qui ea faciunt, consentiunt; Rom. 1. 32. atque hoc modo inimicitiam cum Deo exercent, Rom. 8. 7. 8.

18. Electi vero cum graviter labuntur, nunquam sine ulla lucta peccant: neque tota voluntate in peccata feruntur; neque toto animo ijs consentiunt: non habent affectus eo modo, quo reprobi, peccatis implicitos: non delinquunt ut inimicitiam cum Deo exerceant: denique etiamsi vis peccati inhabitantis in ipsis animadvertatur, peccata tamen regnantia & dominantia, plenum imperium in ijsdem non obtinent, Rom. 6. 12. Et 8. 1. 8.

19. Observando secundo; quam diversa admissorum peccatorum in electis & reprobis effecta sequantur.

20. Reprobi ob crimina sua, *a* remota omni exceptione, damnantur. In *b* electos vero, etiamsi peccaverint, mors seu damnatio non cadit. Reproborum scelera puniuntur tum in hoc seculo, tum in futuro: Electorum autem peccata tantum punit Deus in præsenti vita, quamvis etiam acerbissime, ut in Davidis Historia videre est, 2. Sam. 12. 49.

a *Rom. 5. 12. Rom. 6. 23.*
b *Rom. 8. 1. 33.*

21. Reproborum peccata Deus frequenter etiam novis peccatis punit, Rom. 1. 24. indurat, & in reprobum sensum tradit. Electorum vero peccata, absit, ut Deus novis peccatis puniat, quin potius tandem eos ad peccati perpetrati agnitionem, ad seriam resipiscentiam, ad veram Dei invocationem, ad petitionem veniæ excitat, atque ita peccata prorsus ab ipsis transfert, ut 2. Sam. 2. 13. legitur.

22. Reprobi quando peccant, atque peccatum in ipsis dominatur, fidem eam, cujuscunque sit speciei, quam habent, cito amittunt: siquidem quam ore fuerunt professi, nunquam vera & viva fides fuit, sed tantum temporanea, Luc. 8. 13. infrugifera, Iacob. 2. 14. mortua, Iacob. 2. 17.

23. Quando autem electi peccant, fidem quam consecuti sunt, veram, non prorsus amittunt; quamvis ea quæ relinquitur, exigua subinde sit, debilis & mortuæ simillima, quod Petri exemplum manifeste evincit, Matth. 26. 70. 75.

24. Gravissime hic errant Remonstrantes, qui plane contrariam sententiam profitentur, & mordicus tueri conantur. Sic enim scribunt:

25. Fideles qui eousq; possunt prolabi, ut opera carnis & turpia flagitia cōmittant, illi possunt fidem amittere, & amiserunt illam, nempe ad tempus, si se convertant: in æternum vero, nisi se convertant. *Coll. Hag. Belg. p.* 304. *in fine, Brand.* 361. *in fin.* Item, possunt in ijsdem perseverare & mori, & proinde finaliter excidere & perire. *Thes. Remonstr. Citat. Artic.* 5. *Thes.* 4. *Coll. Hag. Belg. pag.* 443. *&* 445. *Brand.* 504. *&* 506.

26. Huic errori addunt alterum, de perpetua fidelium dubitatione de salute, sic scribentes: Vere fidelis, qui officio suo non deest, pro tempore præsenti certus quidem esse potest: sed quomodo certus esse possit, se officio suo in posterum non defuturum, non videmus; nec ut hac de re certus sit fidelis, necessarium esse arbitramur; *Remonst. Citati in Thesib. exhib. Artic.* 5. *Thesi.* 8, quæ est inter dogmata quæ rejiciunt. Item, dubitare num simus ijdem semper futuri, qui nunc, non obest, sed est laudabile, quippe quæ est causa anxiæ sollicitudinis, ut vitemus peccata. *Coll. Hag. Belg. pag.* 346. *in med. in respons. ad VVal. pag.* 75. *ante med.*

27. Ex his duobus erroribus, nimirum 1. Quod vere credentes possunt finaliter perire. 2. Quod vere fidelis de sua salute certus esse non potest: apparet Remonstrantes non tantum in Ubiquitariorum, verum etiam in Iesuitarum castra transijsse.

28. Bellarm. enim & Stapletonus, Pontificiorum antesignani, πληροφορίαν fidei & certitudinem salutis fidelium, omnis consolationis nostræ basin, modis omnibus destruere: ἐποχὴν vero seu dubitationem de gratia & salute propugnare ita conantur, ut neminem quoad vivit, absque speciali revelatione, de fide sua, an vere credat, & crediturus sit in posterum, & de vita æterna, an sit salvandus, certum esse posse, affirment.

29. Hac pestilenti doctrina quid aliud Remonstrantes agunt, nisi quod fidem Christianam aperte abnegant, & pullulantem in ipsis Antichristum produnt? atque turbatis conscientiis barathrum inferni aperiunt?

30. Errori eorum, qui est, quod vere credentes possunt finaliter perire, hæc argumenta, ex solo Dei verbo petita, opponimus.

31. Argumentum 1. Deus in sese pro benevolo affectu suo, prædestinavit & adoptavit electos in filios per Iesum Christum, Ephes. 1. 5. eisque largitus est Spiritum

adoptionis, qui testatur eos esse filios Dei, & hæredes fore, Rom. 8. 15. 16. Gal. 4. 5. 7. Ergo nec fidem nec Spiritum sanctum penitus amittent.

32. Argumentum 2. Deus ex multa sua misericordia regenuit electos in spem vivam & hæreditatem, quæ perire non potest, 1. Pet. 1. 3. Iacob. 1. 18. & semen eius manet in ipsis, ut ad mortem peccare non possint, 1. Ioh. 3. 9. Ergo non peribunt finaliter.

33. Argumentum 3. Deus electis suis salutem Spiritu suo promissionis Sancto obsignavit, qui ipsis est arrhabo hæreditatis futuræ, Ephes. 1. 13. 2. Cor. 1. 22. Arrhabonem vero nemo qui promissis stare vult, reposcit: Ergo, electi Spiritum sanctum nunquam prorsus amittunt.

34. Argumentum 4. Electi sunt templum Dei, & Spiritus Dei habitat in ipsis, 1. Cor. 3. 16. 1. Cor. 6. 19. vivificat eos, Rom. 8. 11. ducit eos, Rom. 8. 14. & qui eum habent, ij sunt Christi, Rom. 8. 9. Spiritus vero ille Christi, domicilium suum fixamque sedem non relinquit, neque vagatur, ut malus Spiritus, Christo teste facit, Matth. 12. 43. sed manet in illis in æternum. Ioh. 14. 16. unctio quam à Christo acceperunt, manet in ipsis, 1. Ioh. 2. 27. semen Dei manet in ipsis, 1. Ioh. 3. 9. Ergo electi Spiritum sanctum nunquam amittent totaliter.

35. Argumentum 5. Idem constat ex multis promissionibus, cum pijs quibusdam privatim, tum omnibus in Ecclesiæ persona factis. *Iustus cum ceciderit, inquit David, non prosternetur, quia Iehova sustentat manum eius*, Psal. 37. 24. *Calamum quassatum non conteret*, Iesai. 42. 5. Matth. 12. 20. *Vsque ad canitiem portabo vos*, Iesai. 46. 4. *Misericordia mea à te non recedet*. Iesai. 54. 10. *Timorem meum dabo in corde eorum, ut non recedant à me*. Ierem. 32. 40. *Roborabo eos in Iehova*, dicit Iehova, Zach. 10. 12. *Portæ inferorum non vincent Ecclesiam*, Matth. 16. 18. *Fieri non potest, ut seducantur electi*, Matth. 24. 24. *Qui venit ad me, nequaquam esuriet, nec sitiet unquam*, Ioh. 6. 35. *Deus est, qui efficit in vobis & ipsum velle, & ipsum perficere*. Phil. 2. 13. Ergo perseverantiam ad finem, quam Deus, qui mentiri nequit, electis promisit, ipsis dabit.

36. Argumentum 6. Electi sunt Christo dati à Patre, & veniunt ad eum, atque illos Christus non ejiciet foras, Ioh. 6. 37. Non perdit ex eis quempiam, Iohan. 6. 39. Pater eos trahit ut ad Christum veniant, & Christus eos suscitat ultimo die, Ioh. 6. 44. Patris erant, & ille Christo eos dedit, ijque sermonem Patris servant, Iohan. 17. 6. Ergo nunquam peribunt.

37. Argumentum 7. Deus electos justificat, & Christus mortuus est pro ipsis, nemoque eos condemnabit, neque ulla res eos separabit à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu, qui tradidit semetipsum pro ijs, Rom. 8. 33. 34. 39. Gal. 2. 20. Christus rogavit & rogat Patrem pro eisdem, ne fides eorum deficiat, Luc. 22. 32. Ioh. 17. 9. 26. Rom, 8. 34. Et vult, ut ubi ipse est, & illi sint cum ipso, eiusque gloriam conspiciant, Iohan. 17. 24. Dat ovibus vitam æternam, neque peribunt in æternum, neque rapiet eas quisquam è manu ipsius, Iohan. 10. 28.

38. Argumentum 8. Catena salutis nostræ ex annulis certis mutuo invicem junctis, æterno & immutabili Dei consilio & decreto connexa, nunquam disrumpetur. Catenam illam sic describit Paulus, *Quos præscivit, etiam prædestinavit: quos prædestinavit, eos etiam vocavit: & quos vocavit, eos etiam iustificavit: quos autem iustificavit, eos etiam glorificavit*, Rom. 8. 29. 30. Ergo electi, per hanc catenam, ab æterno in cælis connexam, in tempore vero in terras demissam, è terris certo in cælos attrahuntur, & ibi glorificantur.

39. Argumentum 9. *Dona & vocatio Dei sunt ἀμεταμέλητα*, hoc est, eiusmodi, ut eorum ipsum pœnitere non possit, Rom. 11. 29. Fides electorum tale est donum Dei. Tit. 1. 1. Actor. 13. 48. Ephes. 2. 8. Ergo fides nunquam penitus deficit. Si enim fides deficeret, etiam vocatio cessaret & fieret μεταμέλητος. id autem fieri nequit, quoniam Deus qui cœpit in electis bonum opus, perficiet illud ad diem Iesu Christi: Phil. 1. 6. Et est is, qui efficit ut velint, & ut efficiant, pro gratuita sua benevolentia. Phil. 11. 13. Hinc fideles de suæ salutis certitudine gloriantur, Rom. 8, 38. 2. Tim. 1. 12. Ergo, &c.

40. Argumentum 10. Quia electi (tametsi in se sint infirmi) *virtute Dei custodiuntur per fidem, ad salutem quæ præparata est patefieri tempore ultimo*. 1. Pet. 1. 5. *Et si ceciderint non prosternentur, quia Iehova sustentat manum eorum*. Psal. 37. 24.

41. Argumentum 11. Scriptura fidelium conditionem, eiusmodi similibus nobis ob oculos ponit. Vnde eorum in fide perseverantia manifeste liquet. Sunt enim

arbor

enim arbor ad rivos plantata, quæ fructum suum dat tempore suo, Psal. 1. 3. Sunt ut mons Sion qui non commovetur, sed in seculum permanet, Psal. 125. 1. Ædificant domum suam super petram, quæ venientibus fluminibus, & ventis flantibus non cadit, fundata enim fuit super petram. Matth. 7. 24. Retinent auditum sermonem in corde bono, & fructum afferunt per patientiam, Luc. 8. 15. Sunt radicati & fundati in charitate. Eph. 3. 18. Sunt radicati & superstructi in Christo Iesu Domino nostro; ac confirmati fide. Coll. 2. 7.

42. Argumentum 12. Ex doctrina contraria, nimirum electos posse totaliter & finaliter fidem salvificam amittere, & salute penitus excidere, multa absurda sequuntur. Nam propositum electionis falleretur: Propositum electionis penderet non ab immutabili voluntate Dei, sed ab hominis voluntate mutabili: Non esset firmum fundamentum Dei, de quo Paulus, ***Solidum fundamentum Dei stat, habens sigillum hoc, Novit Dominus eos, qui sunt sui***, 2. Tim. 2. 19. In hominum potestate & manu esset æterna salus: Nullus fidelis per totam vitam posset de salute sua esse certus: Item; qui hodie est Dei Filius, cras poterit esse filius Diaboli, idque vicibus diversis, quamdiu in hoc mundo versatur: Imo deficientibus omnibus fidelibus, Christus foret sine Ecclesia, & caput sine corpore, contra promissionem, Matth. 16. 18.

43. Argumentum 13. Denique si vis illa Spiritus sancti quæ se exerit in regenerandis ad vitam æternam electis, vel semen illud Dei, cujus meminit Iohannes 1. Epist. 3. 9. semel admissum, postea prorsus amitteretur, planeque interiret, esset de integro induendum homini: videreturque regenerationis Symbolum, quod est Baptismus, omnino esse repetendum, quando id quod Symbolo adumbratur, tertio atque quarto imo sæpe foret donandum, quod Verbo Dei & Ecclesiæ consensui repugnat. Hæc argumenta hoc loco sufficiant.

44. Non diffitemur quidem fidem, seu fiduciam actualem, ad tempus amitti posse, cum homo fidelis grave peccatum admittit. Actus enim peccati ex quodam consensu perpetrati, cum actuali fiducia de remissione peccatorum consistere nequit.

45. Præterea, homo fidelis in tali casu fidem vehementer labefactat: Spiritum sanctum tristitia afficit, Ephes. 4. imo quoad aliqua dona amittit: & Spiritus sancti energeian non ita plene, ut antea sentit.

46. Fidem vero habitualem, quæ residet in corde, etiam cum homo fidelis alia agens aut dormiens, nihil de Deo cogitat aut loquitur, penitus interire constanter negamus. Hæc enim (actuali fiducia ad tempus amissa) denuo ad novum actualis fiduciæ actum, nova verbi Dei prædicatione, lectione, meditatione, Sacramentorum usu, &c. excitatur, ut in Davidis & Petri exemplis videre est, 2. Sam. 12. 13. Psal. 51. Matth. 26. 75. Luc. 22. 61.

47. Quapropter vero renati, non plane à gratia Dei, à fide & communione cum Christo excidunt: hoc est, non deficiunt in universum à Deo, ut fiant hostes agnitæ veritatis: neque in peccatis illis gravioribus perseverant, sed pœnitentiam agunt, & amissa dona Spiritus sancti recuperant.

48. Quemadmodum enim sol nubibus obducitur, & ignis cineribus obruitur: ita in Sanctis labentibus, opera fidei nulla conspiciuntur, sed tandem se iterum proferunt, & discussis carnis nebulis, lætitia salutis, turbatis fidelium conscientiis instar solis affulgens, redditur, ut Davidis, Petri & aliorum ostendunt exempla. Similiter in lethargicis, phreneticis, ebrijs & infantibus, mentis quidem usus cessat, ipsam tamen mentem non amittunt.

49. Sicut igitur animæ facultatum usus ad tempus, manente ipsa tamen anima, interrumpi potest: sic etiam spirituales Spiritus sancti & fidei motus & actiones, non sublatis tamen nec ipsa Spiritus δυνάμει neque fide, intercidere possunt. Spiritus enim S. & fides, firmius quiddam sunt in homine spirituali, quam anima & ipsius facultates in homine animali.

50. Porro, quærunt nonnulli hic, an non eodem res recidat, sive doceamus, nunquam penitus excuti in electis & vera fide præditis, sed tantum sopiri ad tempus, quod ad sensum & energiam attinet, Spiritum S. & fidem ac fidei fructus: sive cum alijs dicamus, excuti quidem penitus fidem ipsam & Sp. sanctum peccatis contra conscientiam admissis, sed qui peccatoribus postea per pœnitentiæ donum restituatur.

 51. Respon-

51. Respondemus. 1. Plurimum duas istas sententias inter se differre, nisi hoc adjiciatur, tam esse certam illorum resipiscentiam apud Deum, quam certa est & immutabilis electio, quod tamen posterioris sententiæ autores non addunt. 2. Etiamsi hoc adderent, tamen prior sententia non tantum ex Dei Verbo certior est, verum etiam perculsæ ob peccati magnitudinem menti, consolationem efficaciorem affert. Frigida enim erit consolatio, si quis dicat: Vere excidisti fide, & Sp. sanctum penitus amisisti, sed fortassis Deus te de novo adoptabit & regenerabit, ut pœnitentiam agens, ipsi reconcilieris.

52. Esto ergo huius materiæ conclusio hæc: Quod fides vera nunquam excidat aut deficiat penitus, sed conjuncta sit cum Perseverantia totali & finali, ita ut licet lapsibus & peccatis sanctorum aliquando foris deficiat fidei actus: intus tamen nunquam penitus deficiat fidei habitus.

53. Porro, qui hanc doctrinam de Perseverantia Sanctorum oppugnant, varia contra eam Scripturæ loca, & graves quorundam piorum lapsus, proferunt. Nos ad unam saltem atque alteram, ex præcipuis eorum objectionibus hic respondebimus. *Vide Coll. Hag. Belg. pag. 318. & alibi.*

54. Objectio 1. David, inquiunt, adulterium commisit, & Uriæ innocentis necem procuravit, &c. 2. Sam. 11. 4. 15. Ergo Fidem & Spiritum sanctum prorsus excussit; Respondemus, Gravia flagitia Davidem tum perpetrasse, nemo pius inficiabitur: Fidem vero & Spiritum sanctum penitus eum amisisse, sequentibus rationibus nixi, negamus. 1. Peccavit enim quidem David, at non totus, sed quatenus nondum erat regeneratus, sopito intra illum ad tempus homine illo interno, peccare nolente, de quo Apostolus, Rom. 7. 15. 19. inquit: *Quod enim perpetro, non agnosco: non enim quod volo, hoc facio, sed quod odi, hoc facio*: Item Gal. 5. 17. *Caro concupiscit adversus Spiritum, Spiritus adversus carnem, hæc autem inter se opposita sunt, ut non quæcunque volueritis, eadem faciatis.*

55. 2. Quamprimum à Nathane Propheta esset reprehensus, ad hunc modum Psalm. 51. vers. 3. est precatus: *O Deus secundum amplitudinem misericordiarum tuarum dele defectiones meas.* Unde vero illæ preces, si non Spiritus ille precum, Zach. 12. 10. qui in centro cordis eius adhuc delitescebat, energiam suam rursus exerens, ad deprecandum culpam eum excitasset?

56. 3. Orat, vers. 13. *Ne abjicias me à facie tua*; Ergo, tametsi adulter & homicida factus, non tamen abjectus erat à facie Domini. 4. Contristarat quidem, ut Paulus, Eph. 4. 30. loquitur, Spiritum sanctum sed non penitus eum excusserat. Dicit enim vers. 12. *Spiritum firmum renova intra me*: & 13. *Spiritum sanctum tuum ne auferas à me*. Animi vero seu conscientiæ suæ munditiem, quam amiserat, creari sibi rursum petit, vers. 12. & gaudium salutis quod imminutum erat in ipso, sibi restitui precatur, vers. 14. 5. Denique non tam facile expergefactus fuisset ad objurgationem Nathanis, nisi occultum timoris Dei semen, in eius animo latuisset.

57. Object. 2. Heb. 6. 4. 5. 6. dicit Apostolus: Impossibile est, eos qui semel fuerunt illustrati, gustaveruntq; donum illud cæleste, & participes fuerunt facti Spiritus sancti, si prolabantur, denuo renovari ad resipiscentiam. Ergo totaliter & finaliter gratia Dei excidere possunt fideles.

58. Respondemus: Ut locus hic recte intelligatur, hæc tria observanda sunt. 1. Qualia dona illi, de quibus Apostolus loquitur, accipiant. 2. Quale peccatum admittant. 3. Qua pœna afficiantur.

59. 1. Dona sunt, illuminatio mentis: gustus doni cælestis: participatio Spiritus sancti, verum hæc dona etiam in hypocritas & temporarios cadere possunt. Quare tenendum hic est, amplius & præstantius quid requiri, ut quis vere sit fidelis, quam recitata illa dona. In Dei enim filium adoptari eum oportet, Eph. 1. 5. Spiritum adoptionis ut habeat necesse est, qui Spiritui suo testetur, eum esse Dei Filium, Rom. 8. 15. 16. Spiritum Dei & Christi in se habitantem habere debet. Rom. 8. 9. Regenerari, sanctificari, vivificari eum oportet, &c. Iohan. 3. 1. Cor. 6. 11. Ioh. 6. Deinde, aliud est gustare donum cæleste, quam plena eius perceptione frui. Quemadmodum enim quis cibum oblatum gustat, sed mox respuit, nec in ventriculum trajicit: sic illi dulcedinem quandam Euangelij gustant, sed nihil in cordis ventriculum trajiciunt. Scriptura vero docet, vere fideles non tantum gustare Christum, sed habere Christum

habitan-

habitantem per fidem in suis cordibus, Eph. 3. 17. Item, eos esse radicatos, fundatos & superstructos in Christo Iesu Domino nostro, & confirmatos in fide, Ephes. 3. 18. Coloss. 2. 7.

60. Secundo. Peccatum quod admittunt, est, ut Apostolus inquit, *Si prolabantur*. Hic *prolapsus* non est particularis quidam lapsus hominis Christiani, in hoc vel illud peccatum, contra primam aut secundam Tabulam Legis admissum: sed est universalis & totalis apostasia & defectio, ab agnita Euangelij veritate, qua defectione quis non ex parte Deum offendit, sed totam Dei maiestatem destinato animo contemnit, omnique Dei gratia semetipsum excludit. Deinde, quod Filium Dei Heb. 10. 29. conculcat, & Spiritum Dei contumelia afficit. Unde manifestum est, Apostolum hic de peccato in Spiritum S. loqui, quod Christus Matth. 12. 31. blasphemiam in Spiritum S. vocat; quoniam qui illud committunt, gustum gratiæ & virtutis Spiritus sancti quem perceperunt, probro afficiunt & oppugnant.

61. Tertio. Pæna eorum, teste Apostolo, vers. 6. prima est; Quod non renoventur ad resipiscentiam: secunda, quod pro peccatis eorum non sit reliqua hostia; sed horrenda quædam exspectatio iudicij & ignis fervor, Heb. 10. 26. 27. quoniam tale peccatum non remittetur eis, neque in hoc, neque in futuro seculo, inquit Christus Matth. 12. 32. id est, non remittitur in æternum, Marc. 3. 29. Cum itaque hic non de vere fidelibus, sed de hypocritis & temporarijs, qui in Spiritum sanctum peccare possunt (quo periculo exempti sunt electi, Matth. 24. 24.) agatur, nulla ratione inde concluditur, electos & vere fideles fidem & Spiritum sanctum totaliter & finaliter amittere, & æternum, ut Remonstrantes docent, perire posse.

62. Object. 3. Petrus dicit, 2. Pet. 2. 1. Quosdam Dominum qui illos mercatus est, abnegare, & celerem perniciem sibi accersere: Ergo fideles fide excidere & perire posse. Respondemus 1. Petrus de pseudoprophetis & falsis doctoribus, atque de ijs, qui per illos seducuntur, loquitur, non autem de vere fidelibus, vers. 1. & seqq. 2. Quod dicit, Dominum illos mercatum, recte intelligendum est. Quos enim quæso mercatus est Dominus? Respon. Angelus, Mat. 1. 21. Liberavit populum suum à peccatis ipsius. Et Christus ipse, Ioh. 10. 15. Animam meam pono pro ovibus meis. Quis vero novit, quænam sint Christi oves? Respondet Christus Ioan. 10. 14. Ego agnosco oves meas. Novit etiam, ibidem vers. 26. quinam non sint ex ovibus suis. Et Paulus, 2. Tim. 2. 19. *Solidum fundamentum Dei stat, habens sigillum hoc: Novit Dominus, qui sunt sui.* Sciebat ne & Petrus, quinam essent illi quos revera mercatus erat Dominus? Nequaquam, soli enim Deo illi sunt noti, ut demonstratum est. Cur ego dicit quosdam abnegare Dominum, qui illos mercatus est? Respondemus: Hoc arcanum illi Deus peculiari quadam revelatione non patefecerat, sed ex causis secundis id probabiliter colligebat, nimirum, quia baptizati erant in Christi nomine: profitebantur Christum: & fidem, qua aiebant se per Christum esse redemptos & liberatos. Ergo Petrus, cordis eorum scrutationem Deo relinquens, ex caritatis regula statuebat, eos vere esse redemptos, donec contrarium ex doctrina & factis eorum appareret. Sic Actor. 8. 13. & ipse Simon Magus Philippo euangelizanti credidit & baptizatus est, & à Philippo pro genuino discipulo fuit habitus; perdurabat enim apud Philippum. Cum vero ambitione & avaritia ductus, Spiritus sancti dona, pecuniam Apostolis offerens, emere vellet, hypocrisin suam patefecit, quam Petrus ex re nata agnoscens, dixit ei, Pecunia tua tecum pereat, cor enim tuum non est rectum in Dei conspectu.

63. Ad plures Remonstrantium objectiones, nimiæ prolixitatis evitandæ causa respondere supersedemus: Quare ad secundam Iudicij nostri partem, Considerationem nimirum eiusdem Articuli 5. progredimur.

CONSIDERATIO

Sententiæ Remonstrantium circa V. *Articulum,*

De Perseverantia Sanctorum.

Quæstio I. Sitne perseverantia vere fidelium in fide effectum Electionis ad salutem? *Negant Remonstr. ad VVal. pag.* 74. *Et Thesi exhibita* I. *Articuli* 5.

Antithesis.

Perseverantia vere fidelium in fide est effectum electionis ad salutem, Rom. 8. *Quos prædestinavit, eos vocavit.* Loquitur autem de vocatione efficaci, quæ complectitur ipsam fidei donationem. Deinde, *quos vocavit, eos justificavit & glorificavit:* hæc glorificatio inchoatur in hac vita, quando sanctificamur, perficitur autem & completur in vita futura. Ex initio itaque de complemento certi sunt fideles. Unde colligitur perseverantiam in fide & sanctificationem ex prædestinatione oriri, eiusque effectum esse. Quod cum in considerationibus nostris ad Artic. I. pluribus probaverimus, nolumus actum agere, eademque cum tædio repetere.

Quæstio II. An perseverantia in fide sit donum Dei morte Christi partum? *Negant Remonst. expresse Coll. Hag. p.* 407. *lin.* 4.

Antithesis.

Cum perseverantia in fide sit effectum electionis, necessario sequitur, quod quemadmodum electio gratuita, vocatio, fides, &c: Sic etiam ipsa sit gratuitum Dei donum. Sic enim expresse dicit Apostolus, ad Phil. 2. 13. *Deus is est, qui efficit in vobis & ipsum velle & ipsum perficere pro gratuita sua benevolentia.* Et cap. I. 29. *Gratis datum est vobis in Christi negotio non solum in eum credere, sed etiam pro eo pati,* hoc est, in cruce etiam & calamitatibus pro Christo sustinendis in fide perseverare, & vitam potius pro Christo fundere, quam fidem abnegare velle. Unde manifeste colligitur, perseverantiam non esse tale Dei donum, quo Deus dat tantum potentiam perseverandi, si homo velit, ut Remonstrantes subinde vocabulo doni Dei ludunt & fallunt; sed tale, quo etiam ipsum actu perseverare datur. Nequaquam igitur voluntati hominis, sed soli Dei gratiæ acceptum ferendum est donum perseverantiæ.

Quæstio III. An Perseverantia sit conditio N. Fœderis, quam Deus pro liberrimo suo arbitrio, inter multas possibiles præscripsit, & ante peremptoriam Electionem ad peccatorum remissionem in homine prærequirit. Affirmant Remonstr. passim; videatur prima eorum *Thesis in Coll. Hag. & ad VVal. pag.* 36.

Antithesis I.

Perseverantia non est conditio N. Fœderis, quæ ab homine præstanda prærequiritur, ut promissio Novi Fœderis sit firma: sed est ipsissimum Novi Fœderis donum, quod Deus gratis electis suis se daturum promisit. Ierem. 31. & 33. 34. & cap. 32. 38. 39. 40.

Antithesis II.

Cum remissio peccatorum sit primum novi Fœderis promissum. Ierem. 31. 33. non prærequiritur ad eam consequendam perseverantia, sed eam ut aliud priori annexum Novi Fœderis donum subsequitur, quod ex formula novi Fœderis manifestum est. Pangam enim inquit Dominus, cum ipsis fœdus perpetuum, & reverentiam meam indam animo ipsorum, & non recedent amplius à me. Ierem. 32. 40.

ANTITHESIS. III.

Neque prærequiritur perſeverantia ante peremptoriam electionem, cum Sacra Scriptura, de ejuſmodi ab hominibus novatoribus conficta electione, nihil novit: ſed eſt electionis ejus, cuius Scriptura meminit, quæ facta eſt in Chriſto ante mundi jacta fundamenta, effectum, ut ſupra oſtenſum.

An homo perſeverantiam, habitu fidei & obedientię per crebros credendi & obediendi actus acquiſito, facile præſtare poſſit, & accedente interno Spiritus auxilio, ac ſolatio præſtare velit. *Sic Remonſtrantes paſſim, Epiſcop. in Theſib. de condit. Novi Fœderis.* Quæſtio IV.

ANTITHESIS.

Fides vera, viva & juſtificans, de qua nos loquimur, non eſt habitus per crebros credendi actus acquiſitus; ſed eſt habitus, per ordinariam Verbi prædicationem & Sacramentorum uſu Dei gratia infuſus, ſive initium, ſeu incrementum fidei ſpectes. Hinc Diſcipuli fide jam præditi orant, *Domine adauge nobis fidem.* Luc. 17. 5. Poſſumus equidem nos, Spiritu Dei adjuti, qui aures perforat. Pſa. 40. verbum Dei attente audire, Sacramentis uti, preces pro augmento fidei fundere; ſed ipſi noſtris viribus, &, ut loquuntur, crebris credendi actibus fidem augere non poſſumus, ideoque ſicuti ipſa ſides, ita etiam ejuſdem incrementum & complementum à ſolo Deo provenit; Cui ſoli debetur omnis gloria.

Falſum itaque, quod perſeverantia in fide, ab homine, accedente interno Spiritus auxilio (quod auxilium ipſis nihil eſt aliud quam credendi potentia) præſtari poſſit. Paulus enim expreſſe ſoli Deo eam tribuit, cum dicit Philipp. 1. 6. *Perſuaſum habeo hoc ipſum fore, ut qui incepit in vobis bonum opus, perficiat uſque ad diem Ieſu Chriſti.* Et 1. Theſſ. 5. 24. *Qui vocavit nos fidelis eſt, qui etiam illud efficiet.* Hinc ibidem Paulus Deum orat, ut Theſſalonicenſes inculpate conſervet in adventum Domini noſtri Ieſu Chriſti. Et 2. Theſſ. 1. 3. *Deo gratias agit, quod fides eorum augeſcat.* Et Hebr. 13. à Deo hoc poſtulat Apoſtolus, *ut eos ad omne bonum opus inſtructos reddat.*

Perſeverantia itaque in vera fide non nobis, noſtriſque credendi actibus crebris, ſed ſolius Dei benevolentiæ, potentiæ, & promiſſionum veritati innititur.

Falſum etiam, quod Articulo ſecundo aſſeritur, ſtante divini auxilij promptitudine & gratiæ ſufficientis præſentia, (ubi voce gratiæ more ſuo ludunt & fallunt) poſitiſque omnibus ad perſeverandum neceſſariis, manere tamen in hominis poteſtate perſeverare vel non perſeverare, hominemque cauſam eſſe phyſicam perſeverationis. Voluntas enim renovata, licet phyſice velit quod vult, & velle ipſum merito homini tribuatur; tamen, ea quæ Dei ſunt, non vult phyſice ſed Spiritu Dei mota hyperphyſice, ideoque phyſica cauſa perſeverantiæ, quæ donum hyperphyſicum eſt, dici non poteſt nec debet.

Deinde Dei auxilium in electis ſuis non tantum eſt ſufficiens, ſed etiam efficax, datque non tantum poſſe, neque tantum velle perſeverare in fide, ſed etiam ſimul ipſam actu fidei perſeverantiam, quod ex allatis Scripturæ teſtimoniis luculenter evincitur.

An qui mediocrem diligentiam in hiſce duobus adhibet, ut contra clarum naturalis rationis & ſupernaturalis revelationis dictamen non peccet, & infirmitates ſuas emendare non negligat, in judicio divino perſeverare dicatur? *Sic Remonſt. in Declar. exhibita.* Quæſtio V.

ANTITHESIS. I.

Cum ratio humana in rebus divinis cæca ſit, ut ſupra, Artic. 3. & 4. oſtenſum: dictamen rationis naturalis in iis nullum locum habet. Ideoque paſſim monemur, ne hoc quod ratio dictat, ſed quod Deus in Verbo ſuo requirit, ſectemur: neque faciamus, quod rectum eſt in oculis noſtris, ſed in oculis Iehovæ. Deutr. 4. verſ. 1. 2. Et 7. & 12, &c.

ANTITHESIS II.

Contra rationis naturalis & revelationis supernaturalis dictamen non peccare, & vitam emendare, non est in ullius hominis animalis potestate, sed solius Dei est beneficium. Quomodo enim homo non renatus naturæ lumine utatur & abutatur, ex 1. Cap. Rom. satis superque liquet. Et quomodo multi supernaturali revelatione, (sive illa sit Verbi prædicatio, sive interna, sed communis tamen, mentis illuminatio) donati, turpiter tandem deficiant, ex 6. cap. ad Hebr. constat.

ANTITHES. III.

Ut quis in fide perseveret, non sufficit naturalis rationis neque supernaturalis revelationis dictamen: sed eadem vis & potentia divina qua Deus fidem dedit, & cor novum indidit, ad eorundem bonorum spiritualium conservationem requiruntur. Non enim virtute hominis, sed Dei custodimur ad salutem. 1. Pet. 1.

ANTITHES. IV.

Non peccare contra rationis naturalis & supernaturalis revelationis dictamen ac vitam emendare, non sunt ipsa in fide perseverantia; sed fidei perseverantis effectum. Nulli enim nisi vera fide donati, in eaque divina gratia perseverantes; (licet non æque firma semper sit fides, sed cum tentationibus & dubitationibus variis luctetur) peccata vitare & vitam emendare student. Hinc Iacob. 2. probat veram fidem per bona opera. Et Paulus Gal. 5. per charitatem, per quam efficax, & sine quibus mortua esse dicitur.

Quæstio VI. An illa fides, non peccare & vitam emendare, gratiose vitæ æternæ præmio à Deo digna censeatur. *Affirm. Remonst. in sua Declaratione.*

ANTITHESIS.

Etiamsi fideles peccata vitare & vitam emendare omnino teneantur, in eoque ipsi omni cura & sollicitudine incumbant, Deus etiam piis promissiones dederit vitæ præsentis & futuræ: minime tamen peccatorum fuga vitæque emendatio, neque ipsa fides etiam vitæ æternę præmio digna censentur, ac si Deus fugam hanc peccati & vitæ emendationem, tanquam hominis opus vita dignum, vitæ præmio remuneretur. Vita enim æterna est gratuitum Dei donum, morte Christi partum, quam nos fide apprehendimus; atque ita non propter fidem neque propter vitæ emendationem, sed per & propter Christum vitæ æternæ præmio gratiose digni censemur. Romanor. 3, 4, 5, 6.

Quæst. VII. An quoties vere fideles opus aliquod carnis committunt, toties veram fidem totaliter amittant, Et, an in Spir. Sanctum peccent, & ad mortem, ac in peccatis perseverare & mori atque ita totaliter ac finaliter à salute excidere possint, multisque illud fidelibus & regenitis evenerit, ac etiamnum non raro eveniat. *Affirm. Remonstrantes Thesibus de 5. Articulo exhib. 3. 4.*

ANTITHESIS I.

Vere fideles fidem totaliter non possunt amittere, etiamsi fides eorum sæpenumero vacillet, & tentationis tempore quasi consopita subinde, & carbonibus in igne absconditis similis esse videatur.

ANTITHESIS II.

Neque iidem vere fideles, etiamsi peccent sæpenumero, & ex infirmitate opera carnis subinde patrent & labantur; tamen non perseverant in peccatis neque in iis moriuntur, nec finaliter ac totaliter à salute excidunt, nullique unquam vere regenitis illud accidit. A Iehova enim gressus viri statuuntur, cujus

cujus delectatur via. Cum cadit non dejicitur,& Iehova sustentat manum.Psalm.37.23.34. Vere fideles sunt arbores bonæ semper virentes, & fructum ferentes suo tempore.Psal.1.Domus eorum supra petram fundata est,ideoque non subvertetur.Mat.7. Sunt à Patre cœlesti plantati, ideoque non eradicabuntur,Matth. 15. Nam ille omnem palmitem qui fert fructum purgat, ut plus fructus adferat, Ioh.15.3.&c.

Christus etiam indesinenter pro eis intercedit, ne deficiat fides eorum, Luc. 22. Nam ne quis illud solius Petri privilegium fuisse autumet, Paulus omnibus electis hanc gratiam fieri testatur,quod Christus, qui pro iis mortuus est, etiam pro illis interpellet,sedens ad dextram Patris, Rom.8. Et Iohannes hoc argumento omnes fideles consolatur, quod si peccent, advocatum habeant apud Deum,1. Iohan.2. Christus autem pro suis orans semper exauditur.

Ipsi etiam fideles quotidie pro augmento donorum spiritualium & perseverantia in fide, Deum invocant, clamantes, ô Domine, confirma in nobis, quod operatus es. Habent autem infallibiles promissiones, si quid in nomine Filii petiverint recte, & quod petere licet, illud se accepturos.

Dona etiam & vocatio Dei sunt ἀμεταμέλητα Roman. 11. Pœnitentiaque abscondita est ab oculis eius, Hos. 13. 14. Ideoque quod cœpit in electis suis, fideliter etiam perficiet.

ANTITHES. III.

Unde etiam aliud colligitur, nimirum vere fideles in Spiritum S. nunquam peccare. Qui enim destinato odio veritatem agnitam malitiose oppugnant, eamque persequuntur & è medio sublatam volunt, ij vere fideles nunquam fuerunt. Hinc Iohannes dicit eos, qui ex Deo sunt,non peccare ad mortem, cum semen Dei in eis sit & maneat. 1. Iohan. 3. & 5.

An nullus vere fidelis de perseverantia & salute sua in hac vita possit esse certus, absque speciali revelatione. *Sic sentiunt Remonstrant. locis in Thesib. dictatis, citatis.* Quæst. VIII.

ANTITHESIS.

Omnes vere fideles de sua perseverantia & salute, etiam absque speciali revelatione, certi esse possunt & debent. Spiritus enim S. testificatur Spiritui nostro, quod simus filij Dei, Rom. 8. Est autem hoc testimonium Spiritus Sancti non extraordinarium & speciale, ut Enthusiastæ, Pontificii & Remonstrantes somniant; sed ordinarium & omnibus electis commune. Nam Spiritus S. per ordinariam Verbi prædicationem,fidem in electis operatur,perque eam fidem testificatur Spiritui nostro, quod simus Dei Filii. Exempli gratia: Mandat Deus in Verbo suo ut credamus; promittit tum nos fore salvos: per illud mandatum autem, perque illam promissionem iterato repetitam est efficax in cordibus electorum,fidemque in eis operatur, ita ut vere dicere possint, se credere in Dominum Iesum. Hinc ita infallibiliter concludunt,

Qui credit in Dominum Iesum, salvabitur,
Ego vere in Dominum Iesum credo.
Ergo salvabor.

Non itaque hæc specialis aliqua revelatio est, qua aliqui tantum fideles extraordinaria ratione de sua perseverantia certiorentur: sed ordinaria, qua in danda fide, eaque in omnibus electis conservanda,ordinarie Spiritus S. utitur.

Cæterum de certitudine nostræ electionis & consequenter perseverantiæ in fide electorum, in considerationibus nostris ad 8. quæstionem Articuli primi testimonia & exempla varia in medium attulimus, quæ repetere nunc supervacaneum putamus.

An certitudo perseverantiæ & salutis ad solidam fidelium consolationem & conscientiarum pacem in hac vita sit necessaria. *Negant Remonst. Thesi. xhib. 8.* Quæstio IX.

Tam est

ANTITHESIS.

Tam est necessaria certitudo salutis & perseverantiæ ad solidam consolationem & conscientiarum tranquillitatem, ut qui contrarium statuunt, & Deo suam gloriam, & hominibus verum in vita & morte solatium sacrilege suffurentur. Deum enim fingunt in consiliis suis mutabilem, & ab hominibus nolentibus aut volentibus perseverare absurdissime dependentem, & hominibus stimulos dubitationis de salute sua infigunt, ansam ad desperationem præbent, atque ita afflictas conscientias mirum in modum excarnificant. Quomodo autem Paulus semetipsum adeoque omnes electos & fideles hoc argumento solide consoletur, de eo videatur, cap. 5. & 8. ad Roman. Item 2. Tim. 4. *Parata est mihi corona justitiæ, neque mihi solum*, &c. Et 1. Thess. 5. 9. *Non constituit nos Deus ad iram, sed ad salutem consequendam per Dominum nostrum Iesum Christum.*

Quæstio x. An doctrina de Perseverantia ex se, natura & indole sua veræ pietati & toti religioni sit perniciosa, serviatque ingenerandæ ac mollis pulvinaris instar carnali securitati fovendæ.

Sic Remonstr. passim.

ANTITHES.

Cum omnia ea, quæ ad veram pietatem & studium religionis syncere promovendum pertinent, ceu sunt Verbi auditus, Sacramentorum usus, preces ardentes, exhortationes, comminationes, terrores, &c. totidem media sint, per quæ Deus donum perseverantiæ largitur: indubitato hinc sequitur, doctrinam de perseverantia pietati & religioni minime esse perniciosam, neque servire carnali securitati fovendæ.

Quin potius hominem excitat, ut in timore & tremore salutem suam operetur, mediisque per quæ perseverantia datur, se studiose accommodet. Deus enim petentibus dat Spiritus sui augmentum. Hoc cum norint fideles, avide justitiam sitientes, indesinenter Deum precibus, pro incremento donorum spiritualium & perseverantiæ dono sollicitant. In primis quando suam infirmitatem, & ad omne malum (quatenus adhuc caro sunt) pronitatem, Deique adversus peccata indignationem & gravissimas castigationes, etiam filiorum suorum, considerant, non cessant inquam, sicuti ex profundis, Dei auxilium pro sancta in omni bono perseverantia indesinenter implorare. Tantum itaque abest, ut hæc doctrina homines carnaliter securos reddat, ut potius instar stimuli & calcaris sanctis admonitionibus ad vigilantiam & omnia pietatis officia excitet & impellat.

Quæstio xi. An dubitatio laudabilis ac cum primis utilis dicenda sit?

Affirmant Remonstr. ad VVal. pag. 75.

ANTITHES.

Cum dubitatio vere fidelis hominis de salute sua, Dei gloriæ adversetur, ac si non esset in suis promissionibus verax & constans, hominemque semper anxium teneat, atque ita Deum sua gloria, homines autem vera consolatione spoliet, nequaquam laudabilis & utilis, sed potius noxia & vituperio digna censeri debet.

Etsi dubitatio talis laude digna censetur, cur toties Christus illud inculcat, tantummodo crede? &c. Cur dicimus, credo remissionem peccatorum, credo vitam æternam, si dubitandum adhuc est, an unquam ea simus consequuturi? Ægre fert homo integer, verax, fidus, si promittenti fidem habere detrectes: quanto magis Deus, si hac ignominia eum afficiamus, quod promittenti non credimus? ac si verax & constans non esset, neque potiens, qui possit & velit quod promisit præstare? *Qui ambigit*, inquit Iacobus, *similis est fluctui maris, qui ventis agitatur & jactatur*, cap. 1. Nequaquam itaque laudabilis dubitatio.

Quæst. xii. An fides πρόσκαιρος sit vera fides justificans, & Deo grata quamdiu durat, nec differat specie à vera fide ad finem duratura. *Affirm. Remonstr. in Declar. exhib.*

ANTI-

ANTITHESIS.

Fides πρόσκαιρος non est fides vera, neque justificans, ideoque nec vere nec proprie Deo grata, ac proinde specie differt à fide, ad finem duratura. Nam

1. Definitione differunt. Fides enim justificans est illud quo subsistunt quæ sperantur, & quæ demonstrat ea quæ non cernuntur: sed fides temporaria est historica tantum cognitio, cum qua communis quædam mentis illuminatio, quæ etiam reprobis datur, conjuncta est, Hebr. 6. 4.
2. Subjecto. Nam
   1. Fides vera in terra bona reperitur, hoc est, in electis, Matth. 13. temporariæ autem fidei fundamentum est terra petrosa.
   2. Fides vera habet radicem firmam & immotam: temporaria minime. Ibidem enim expresse de ea dicitur, quod radicem non habeat.
   3. Fides vera in corde locum habet: temporaria in cerebro volitat, & ore sese vendit.
3. Differunt Effectis. Nam 1. justificans tanquam manus apprehendit Christum ejusque beneficia, remissionem peccatorum, justitiam & vitam æternam: πρόσκαιρος nihil minus.
   2. Iustificans producit fructus, centesimum, sexagesimum, trigesimum: πρόσκαιρος nullos, cum ante maturitatem exarescat.
   3. Iustificans Deo sese approbat: temporaria hominibus.
4. Objecto. Nam justificantis fidei objectum est promissio gratiæ, in eaque Christus ejusque meritum, & merito ejus partus paternus Dei favor, quæ omnia fides justificans apprehendit. At temporariæ fidei objectum est terrena felicitas, commoda temporaria, honores, opes, &c. Exemplum in Simone Mago, qui credebat, sed cor ejus non erat integrum coram Domino: quærebat honores & magnum nomen: Quæ cum tempore persecutionis πρόσκαιροι consequi non possunt, deficiunt. Matth. 13.
5. Adjunctis.
   1. Certitudine bonorum promissorum, quæ fides secure possidet. Est enim rerum sperandarum ὑπόστασις. At temporaria, incerta fluctuat.
   2. Perseverantia: Nam justificans perfert & obdurat, Diabolo, carni, mundo resistit, temporaria instar herbæ in petrosa crescentis, arescit orto sole.
   3. Lætitia. Nam etiamsi, qui in petrosa semen excipit, cum gaudio illud accipiat; gaudium tamen illud tantum est in rebus terrenis, ideoque instabile. At justificans fides, in Domino Deo suo tantum lætatur, Psal. 32. 11. Psal. 33. 1. Psal. 144. in fine. Ies. 61. 10. *Omnino gaudeo in Iehova, exultat anima mea*, &c. Quæ itaque hæc hominum dementia est, nullum inter fidem justificantem, quæ est electorum Dei, & temporiam, quæ hypocritarum propria est, discrimen agnoscere?

An Deus quosdam in stadio pietatis diu multumque exercitatos, in variis adversitatibus veluti in igne probatos extraordinaria ratione, dono indefectibilis perseverantiæ remuneretur. Quæst. XIII.

Sic Remonstr. in Declar. exhibita:

ANTITHESIS I.

Quodlibeticas ejusmodi quæstiones, quæ nullum in Scriptura fundamentum habent, merito, cum nihil aliud quam contentiones pariant, ex Ecclesia Dei eliminandos esse censemus.

ANTITHESIS II.

Deus donum perseverantiæ non propter dignitatem aliquam in homine, ut pietatem, ut afflictiones &c. largitur: sed ex mera gratia electos suos omnes, non paucos tantum exercitatos & probatos eo dignatur. Quoscunque enim elegit, illos vocavit, nimirum, efficaciter: illos justificavit & denique glorificavit, Rom. 8. Sed de hisce plura in Artic. I. de Prædestinat.

ANTI-

ANTITHESIS III.

Deinde cursus in stadio pietatis, Dei timor, patientia & tolerantia in afflictionibus etiam ipsa Dei dona sunt; sicut Apostolus testatur ad Philip. 1. 29. Cum itaque Deus hæc omnia solus largiatur, colligitur inde, hominem non posse uno Dei dono, aliud ejusdem donum, tanquam præmium & remunerationem mereri. Quis enim prior dedit illi, ut retributionem accipiat? Rom. 11. Quamvis non negemus, Deum sua dona in nobis coronare, verum non ex dignitate vel merito, sed ex gratia.

Quæst. XIV. An, si quis doctrinæ de Perseverantia adhærens pius sit, illud non habeat ex hac doctrina, sed aliunde. Sed ad hoc supra quæstione 10. satis responsum est, neque hanc quæstionem, totidem verbis in Libris Socinianis expressam, responso prolixiore dignam judicamus.

Ideoque hic considerationes nostras super hosce Quinque Articulos controversos finimus, palam coram Deo, sanctis Angelis ejus, & toto mundo profitentes, nos hanc doctrinam, variis in hoc scripto nostro Thesibus, Hypothesibus & Antithesibus comprehensam, Verbo Dei consentaneam esse indubitato credere. Contrariam Remonstrantium doctrinam circa hosce Articulos controversos, cum aliis eorum monstris opinionum, quarum in Thesibus Episcopij privatis Synopsin habemus brevem, quibus omnibus tristissimos hosce in florentissimis Belgicis Ecclesiis motus excitarunt, easque miserrime dissiparunt; ut falsam, Verbo Dei è diametro contrariam, gloriæ Dei inimicam, veræ consolationi adversam, ex variis hæresibus conflatam, in Pelagio olim, & nunc in Socinianis, Pontificiis, Anabaptistis, Libertinis, aliisque damnatam, ab omnibus Reformatis Ecclesiis in Germania, Gallia, Anglia, Scotia, Belgio, & ubivis terrarum explosam, refutatam, rejectam & repudiatam, ex animo detestantes.

Et, si harum Provinciarum Proceres, Patriæ Patres, gloriam Dei sartam tectam, pacem ac tranquillitatem Reipubl. & Ecclesiæ, in suis Provinciis & Ditionibus restitui & restabiliri desiderent; Existimamus omnino, doctrinam hanc novam, heterodoxam & falsam ex Ecclesiis, Rebuspublicis & Provinciis ipsorum eliminandam, & tanquam infelix lolium, extirpandam, ut quisquilias everrendam, & ut Pharisaicum fermentum, à quo mandato Christi cavere debemus, Matth. 16. abjiciendam & expurgandam esse. Quod superest, Deum oramus Sancto Zelo, ut Magistratus harum Provinciarum accendat, quo tantam pestem ab Ecclesiis Belgicis avertant & everruncent, ne si principiis, quod nunc opportunum, non obstetur, sero tandem medicina paretur; Concludentes voto Paulino, pro afflictis Ecclesiis Belgicis; Utinam etiam abscindantur, qui vos conturbant! Gal. 5. 12.

Subscriptum erat,

Sic sentimus Embdanæ Ecclesiæ Ministri ad Synodum Nationalem Delegati.

F I N I S.

IVDICIA
THEOLOGORVM
PROVINCIALIVM,

DE

Quinque Controverſis Remonſtrantium Articulis,

SYNODO DORDRECHTANÆ

Exhibita.

Anno MDCXIX.

DE PRIMO ARTICVLO

QVI EST

DE ELECTIONE

ET REPROBATIONE,

Iudicium trium Professorum Belgicorum.

Sententia Remonstrantium

De primi Articuli membro, nimirum de Electione.

Prima Thesis Remonstrantium.

DEcretum seu voluntas qua Deus constituit in Christo, per Christum & propter Christum credentes, & in ea fide fideique obedientia usque ad finem vitæ perseverantes, qua tales, servare; est verum, unicum, & totum Electionis decretum.

Coll. Hag. Belg. 57. Bert. 62. & deinceps.

Sententia Orthodoxa.

Quam in nostris Ecclesiis retinendam esse judicamus.

Antithesis prima Orthodoxa.

Prædestinatio ad salutem est æternum, liberrimum & immutabile Dei decretum, quo pro gratuito voluntatis suæ beneplacito quosdam homines ex universo genere humano in peccatum prolapso ac perdito ad salutem in Christo elegit, eosdemque secundum suam electionem per verbum ac spiritum suum efficaciter vocare, per fidem in Christum justificare, sanctificare, in fide ac sanctitate conservare, & tandem glorificare constituit, ad divitis suæ gratiæ ac misericordiæ demonstrationem. Atque hoc est, de certis quibusdam hominibus in Christo & per Christum salvandis, verum, unicum & totum Electionis decretum.

Antitheseos probatio.

I. Decretum hoc Electionis esse æternum, patet ex Ephes. 1. 4. *Elegit nos in ipso antequam jacerentur mundi fundamenta.*

Matth. 25. 34. *Possidete regnum paratum vobis à jactis mundi fundamentis.*

II. Esse liberrimum ex

Rom. 9. 15. *Miserebor cuius miserebor &c.*

Et 18. *Cuius vult miseretur.*

Ephes. 1. 5. *Qui prædestinavit nos pro benevolo affectu voluntatis suæ.*

Et verſ. 11. *In Chriſto in ſortem adſciti ſumus, cum eſſemus prædeſtinati ſecundum propoſitum eius, qui omnia efficit ſecundum conſilium ſuæ voluntatis.*

III. Eſſe immutabile Rom.9. 11. *Vt propoſitum Dei, quod eſt ſecundum electionem, maneret.*

Rom.11. 28,& 29. *Dona illa & vocatio Dei eiuſmodi ſunt, ut eorum ipſum pœnitere non poſſit.*

IV. Decretum hoc eſſe ex gratuito Dei beneplacito liquet ex locis ſupra citatis nempe Eph. 1. 5. & 11.

Item Roman. 11. 5. *Reſervatio ſecundum electionem gratiæ facta eſt.*

V. Idem eſſe quorundam hominum ex genere humano in peccatum prolapſo ac perdito colligitur ex,

Rom.9. 15. 16. *Miſerebor cuius miſerebor.*

Et verſ.23. *Vaſa miſericordiæ ad gloriam præparavit.*

Et verſ. 22. Vbi præteriti ex eadem maſſa, vaſa iræ vocantur. Dei autem in homines ira peccatum illorum præſupponit, ut docet Apoſtolus Rom.1.18. *Ira Dei è cælo manifeſtatur adverſus omnem hominum impietatem & injuſtitiam.*

Item Eph.cap.1. ubi dicimur electi in Chriſto, idque ut eſſemus ſancti & inculpati. Item prædeſtinati in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum. Quæ abſque peccati reſpectu conſiderari nequeunt.

Nec non Rom. 8. 29. 30. & 9. 23. 24. Et Epheſ. 1. 7. 8. 9. Quibus in locis tum redemptio noſtri per Ieſum Chriſtum, tum vocatio ad fidem & reſipiſcentiam, decreto Electionis proxime ſubordinantur, nuſquam autem hominis creatio ad Dei imaginem.

Qualis denique eſt Vocatio ſeu Electio in tempore facta, tale eligendi propoſitum fuit ab æterno. Atqui iſta Vocatio ſeu Electio in tempore facta eſt ex corrupto genere humano. Ergo tale quoque fuit eligendi propoſitum ab æterno.

VI. Eodem electionis decreto conſtituiſſe electos vocare, juſtificare, ſanctificare, conſervare & glorificare probatur ex Rom. 8.30. *Quos prædeſtinavit, eos vocavit; quos vocavit, eos juſtificavit; quos juſtificavit, eos quoque glorificavit.*

2. Theſſ. 2. 13. *Elegit vos Deus ab initio ad ſalutem in ſanctificatione Spiritus, & in fide veritatis, quò vocavit vos per Evangelium noſtrum, ad obtinendam gloriam Domini noſtri Ieſu Chriſti.*

1. Pet. 1. 2. *Electi* dicuntur *ex prænotione Dei Patris, in ſanctificationem Spiritus, in obedientiam & aſperſionem ſanguinis Ieſu Chriſti.*

Iohan. 10. 29. *Pater meus, qui eas mihi dedit, major omnibus eſt, neque quiſquam eas poteſt rapere è manu Patris mei.*

Ioh. 17. 11. *Pater ſancte ſerva eos per nomen tuum, quos dediſti mihi.*

VII. Finem denique huius Electionis eſſe demonſtrationem gratiæ ac miſericordiæ Dei teſtatur Apoſtolus, Rom.9.29. & Epheſ.1.5.6.

2. *Theſis Remonſtrantium.*

Electio ad ſalutem eſt multiplex, definita ſcilicet & indefinita, generalior & particularior: hæc aut eſt incompleta, aut completa, peremptoria & non peremptoria, conditionata & abſoluta, & hæc iterum vel Veteris vel Novi Teſtamenti.

Remonſtr. Geld. p. 44. & 58. Adverſ. VValach. p. 34. & 35. & 44. Theſ. Epiſc. de diſcrimine Veteris & Novi Teſt. 6. & 7.

Antithe-

Digitized by Google

Antithesis 2. Orthodoxa.

Electio illa quorundam hominum ad salutem, tam ratione Veteris, quam Novi Testamenti, est unica, uno eodemque actu divino ab æterno peracta, definita, completa, & absoluta: tametsi ex nostro concipiendi modo, ac finis diversorumque mediorum respectu, per quæ electi ad finem illum sunt destinati, ac suo tempore perducuntur, distincti in eo gradus considerari possint, atque in sacris literis proponantur.

Antitheseos probatio.

I. Primum membrum huius Thesis, quod Electio illa sit unica, confirmant loci citati Rom. 8. 29. 30. & 9 11.

Et versu 12, 13. *Major serviet minori, quemadmodum scriptum est, Iacob dilexi, Esau odio habui.*

Rom. 11. 1. 2. *Num igitur abjecit Deus populum suum? Absit. Nam & ego Israelita sum, tribus Benjamin. Non abjecit Deus populum suum quem praecognovit. An nescitis quid de Elia dicat Scriptura?* &c. Vnde constat eandem esse electionem Veteris & Novi Testamenti, quoniam eodem electionis genere reliquiæ illæ sub Novo Testamento conservatæ sunt, quo eas tempore Eliæ fuisse conservatas testatur Apostolus.

II. Alterum membrum, quod nempe distincti in decreto illo unico gradus possint considerari, patet ex eadem gradatione ac salutis catena. Roman. 8. 29. 30.

Item Ephes. 1. 4. 5.

3. *Thesis Remonstrantium.*

Causa sine qua non vel conditio prærequisita Electionis singularium personarum est fides fideique obedientia à Deo in eligendis prævisa, hæcque singularium personarum electio, est quoque ex Dei beneplacito, quoniam scilicet ex multis conditionibus possibilibus hanc potius, quam alias ipsi eligere placuit ad præmium salutis ac vitæ æternæ huic præ illo destinandum.

In Coll. Hag. Art. primo. Adversus Walach. 4. 21. In thesib. exhibit. Thes. 1. & 7. Grevinch. adversus Ames. pag. 111. &c.

3. *Antithesis Orthodoxa.*

Causa Electionis singularium personarum est liberrimum voluntatis Dei consilium ac beneplacitum, quo solo in semetipso permotus absque ullo fidei, obedientiæ, aut perseverantiæ tanquam causæ, conditionis, aut bonæ qualitatis, dignitatisque ullius in homine præexistentis intuitu, huic præ illo gratiam salutiferam in Christo, per Christum, & propter Christum conferre voluit: ac proinde hæc Electio non ex illis conditionibus est facta, sed ad illas, tanquam ad eius fructus & effecta.

Probatio Antitheseos.

I. Causam Electionis singularium personarum esse liberrimum voluntatis Dei consilium ac beneplacitum supra probatum est ad Thesin primam ex Rom. 9. 11. 15. 16. Et Ephes. 1. 4. 5. Rom. 11. 5. 6. &c.

II. Hocque decretum factum esse absque ullo fidei, obedientiæ, aut perseverantiæ præexistentis intuitu; præter locos jam citatos demonstrant sequentes.

Ioh. 15. 15. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & constitui vos, ut eatis & fructum feratis, & fructus vester maneat.*

Actor. 13. 48. *Crediderunt, quotquot ordinati erant ad vitam æternam.*

Rom. 9. 11. *Antequam boni aut mali quicquam fecissent, ut propositum Dei, quod est secundum electionem, maneat, non ex operibus, sed ex vocante, dictum est ei.* &c.

Et vers. 16. *Igitur non est volentis, nec currentis; sed miserentis Dei.*

Roman. 11. 5. 6. *Ita igitur & hoc tempore reservatio secundum electionem gratiæ facta est.*

Ephes. 1. 4. *Electi sumus in ipso,* &c. *ut simus sancti & inculpati coram ipso in charitate:* non autem quia sancti & inculpati eramus.

1. Pet. 1. 2. *Electi ad sanctificationem Spiritus & ad obedientiam & aspersionem sanguinis Christi.* Non ergo, quia jam per fidem sanguinis Christi adspersi aut obedientes erant. Quibus addi possunt loca illa, per quæ demonstratur vocationem esse ex electione, ac proinde ipsam etiam fidem ad quam vocamur, Rom. 8. 29. 30. *Quos prædestinavit, eos vocavit.* Rom. 9. 23. 24. ubi vasa misericordiæ primum ad gloriam dicuntur præparata, & deinde vocata.

Idem indicant loca sequentia. 2. Thess. 2. 13. 14. 2. Timoth. 1. 9. *Qui servavit nos & vocavit nos vocatione sancta, non ex operibus nostris, sed ex suo proposito & gratia, quæ data est nobis in Christo ante tempora secularia.*

Idem docent loci, in quibus fides purum putum Dei donum esse asseveratur, ut Ephes. 2. 8. & Phil. 1. 29.

4. *Thesis Remonstrantium.*

Electio incompleta, conditionata, & non peremptoria est mutabilis, adeoque interrumpi, revocari, electique in numerum reproborum transire, illorumque numerus augeri & minui potest.

Grevinch. adversus Ames. pag. 137. & 191. Remonstr. Geldr. Thes. 7. ex Articulis exhib. thes. 5. Episc. de Iustificatione, thes. 22. pag. 65.

4. *Antithesis Orthodoxa.*

Electio singularium personarum ad salutem, cum sit, ut supra diximus, æternum & immutabile Dei propositum, nec revocari nec interrumpi potest: ac proinde electorum ita certus & definitus est numerus, ut nec augeri, nec minui possit: qui licet pauci & grex sint pusillus, cum turba reproborum comparati, in sacra tamen Scriptura innumerabiles esse dicuntur.

Antitheseos probatio.

I. Decretum Dei non posse revocari nec interrumpi asserit Sacra Scriptura.
Esai. 14. 27. *Iehova exercituum inivit consilium, quis irritum faciet?*
Rom. 8. 30. Loco aliquoties citato.
Et Cap. 9 11. *Vt propositum Dei secundum electionem maneret.*
Et 11. 7. *Non abiecit Deus populum suum quem praenovit. Quod requirit Israel, hoc non est assequutus, sed electi assequuti sunt.*
2. Timoth. 2. 10. *Solidum stat Dei fundamentum, habens sigillum hoc, Novit Deus eos qui sunt sui.*

II. Numerum Electorum certum esse ac definitum, ideoque nec augeri nec minui posse, evincitur ex;
Ioh. 10. 27. *Ego oves meas agnosco.*
Rom. 9. 27. *Etiamsi fuerit numerus filiorum Israel ut arena maris, reliquiae servabuntur.*
Rom. 11. 7. *Quod requirit Israel, hoc non est assequutus, sed electi assequuti sunt, reliqui occalluerunt.*
1. Ioh. 2. 19. *E nobis egressi sunt sed non erant ex nobis. Nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum: sed egressi sunt ex nobis, ut patefieret non omnes esse ex nobis.*

III. De paucitate & multitudine electorum, diverso respectu consideratorum, loquitur Sacra Scriptura in locis sequentibus.
Matth. 20. 16. *Pauci electi, multi vocati.*
Luc. 12. 32. *Ne time, grex parve.*
Apoc. 7. 9. *Postea vidi, & ecce turba multa quam numerare nemo possit ex omnibus Gentibus, & Tribubus &c. stabantque ante thronum & in conspectu agni.*

5. *Thesis Remonstrantium.*

Sensus ac certitudo Electionis completae, peremptoriae, & absolutae ante mortem haberi non potest, ideoque nullus illius fructus in hac vita percipitur.

5. *Antithesis Orthodoxa.*

Quamvis in electis, ante vocationem ipsorum efficacem, sensus sit nullus electionis, & post eam vocationem ob varias infirmitates, conscientiae angores & conflictationes, quibus in hac vita saepe iactantur, sit interdum debilior, obscurior & quodammodo interruptus, non minus tamen de sua electione, quam de sua efficaci vocatione & iustificatione ex sua fide, fidei suae fructibus, atque interna Spiritus Sancti obsignatione certiores esse possunt ac debent, idque pro fidei à Deo ipsis donatae modo ac mensura.

Antitheseos probatio.

I. In electis ante efficacem ipsorum vocationem sensum nullum esse suae electionis eruitur ex
Eph. 2. 3. 12. *Eramus natura filij irae, ut & reliqui. Mementote vos illo tempore fuisse absque Christo &c. spem non habentes & Dei expertes in mundo.*
Rom. 3. 9. *Quid igitur? praecellimus? nullo modo: Nam ante criminati sumus & Iudaeos & Graecos omnes esse sub peccato.*
Vers. 23. *Omnes enim peccaverunt ac deficiuntur gloria Dei.*
Rom. 6. 17. *Fuistis servi peccati, &c.*

II. In electis post vocationem ipsorum, ob varias in hac vita infirmitates, interdum esse debiliorem, obscuriorem ac quodammodo interruptum, patet ex querimonijs ac lamentationibus Iobi. Cap. 6. 3. &c. Davidis Psalm. 31. 28. Psal. 51. 12. & seq. Et Sponsæ in Cantico Canticorum; Cap. 3. & 5. 4.

III. Electos interim in hac vita certiores esse posse ac debere de salute sua, legitur Luc. 10. 20. *Gaudete, quod nomina vestra scripta sint in cœlis.*

Ioh. 1. 2. *Quotquot eum exceperunt, dedit eis hoc ius, ut Filij Dei sint facti, nempe ijs qui credunt in nomen eius.*

Ioh. 4. 14. *Quisquis biberit ex aqua illa, quam ego ei dabo, non sitiet in æternum, sed aqua illa quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Cui consimilis locus est Ioh. 6. 35.

Ioh. 10. 27. 28. *Oves meæ vocem meam audiunt & sequuntur me; ego do eis vitam æternam, nec peribunt in æternum, nec rapiet eas quisquam è manu mea, &c.*

Rom. 5. 2. *Per quem,* nempe Iesum Christum, *adducti sumus in hanc gratiam, per quam stamus & gloriamur sub spe gloriæ Dei.*

Vers. 5. *Spes non pudefacit, eo quod charitas Dei effusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis.*

Vers. 9. *Iustificati igitur nunc eius sanguine, servabimur multo magis per eum ab ira illa Dei.*

Rom. 8. 14. *Quotquot Spiritu Dei aguntur, ij sunt Filij Dei.*

Vers. 35. *Non enim accepistis Spiritum servitutis ad metum, sed Spiritum adoptionis, per quem clamamus, Abba pater. Qui ipse Spiritus testatur una cum Spiritu nostro nos esse Filios Dei; Quod si filij, etiam hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* Et

Vers. 35. *Quis nos separabit à charitate Christi.* Et seq. usque ad finem capitis.

1. Cor. 2. 9. 10. *Deus ea, quæ ijs paravit qui ipsum diligunt, nobis revelavit per Spiritum suum. &c.*

2. Cor. 1. 21. *Qui nos confirmat vobiscum in Christum & qui unxit nos, Deus est. Qui etiam obsignavit nos, indiditque arrhabonem Spiritus cordibus nostris.* Cui correspondet locus, Eph. 1. 13. 14.

2. Pet. 1. 10. *Studete electionem & vocationem vestram firmam efficere, Hæc enim si feceritis nunquam impingetis.*

1. Ioh. 3. 2. *Nunc Filij Dei sumus, sed nondum patefactum est quod erimus: scimus autem fore, ut, quum ipse patefactus fuerit similes ei simus. &c.*

Et vers. 24. *Per hoc novimus eum in nobis habitare, nempe, ex Spiritu quem nobis dedit.*

1. Ioh. 5. 9. *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei maius est. Nam hoc testimonium est Dei, quod testificatus est de Filio suo.*

Et vers. 10. *Qui credit in Filium Dei, habet testimonium in se ipso. &c.*

Et vers. 11. *Est autem hoc testimonium quod vitam æternam dedit nobis. &c.*

Sententiæ Remonstrantium,

De primi Articuli membro secundo, nempe

DE REPROBATIONE.

Thesis prima Remonstrantium.

Decretum seu voluntas, qua Deus constituit infideles in sua inobedientia contumaciter persistentes sub ira relinquere ac condemnare, est totum Reprobationis decretum.

Antithesis prima Orthodoxa.

Reprobatio est liberrimum ac iustissimum Dei decretum, quo statuit quosdam homines ex genere humano in peccatum prolapso, non eligere

gere in Christo, nec eadem Spiritus sui efficacia, qua electos, ex statu suæ perditionis vocare, ut eos justificet & glorificet, sed eos in suis ipsorum vijs sinit incedere, ac veritatem ipsius in injustitia detinentes, vel Evangelium ipsis prædicatum diversis modis ac gradibus reijcientes, atque in suis peccatis iuste induratos, post multam suam tolerantiam merito tandem exitio adjudicare.

Antitheseos primæ probatio.

I. Deum quosdam homines statuisse non eligere, nec ex statu perditionis efficaciter evocare, &c. Demonstratur,

Rom. 9. vers. 6. *Non omnes qui sunt ex Israel, sunt Israel, nec quia sunt semen Abrahæ, ideo filij, &c.* Et vers. 13. *Iacob dilexi, Esau odio habui.* Vers. 18. *Quem vult, indurat.* Vers. 21. *An non habet potestatem figulus in lutum, ut ex eadem massa faciat aliud quidem vas ad decus, aliud ad dedecus?*

Matth. 11. 25. *Confiteor tibi, pater,* &c. *quod absconderis hæc à sapientibus, & intelligentibus, & ea detexeris infantibus,* &c. *Etiam, Pater, quia tibi placuit.*

Et vers. 27. *Nemo novit Patrem nisi Filius & cuicunque voluerit Filius revelare.*

Rom. 11. 7. *Electi assequuti sunt, reliqui occalluerunt.*

Ioh. 6. 43. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater traxerit eum.* Et vers. 65. *Propterea dixi vobis neminem posse venire ad me, nisi fuerit ei datum à Patre meo.*

Act. 16. 6. 7. *Peragrata Galatia regione, & Phrygia, prohibiti sunt à Spiritu Sancto loqui sermonem in Asia. Cum vero venissent in Mysiam, tentabant ire in Bithyniam, sed non sivit eos ire Spiritus, nempe, ad prædicandum Evangelium.*

II. Deum sinere reprobos, tametsi Dei cognitione non omnino sint destituti, in vijs suis incedere, diserte affirmatur,

Rom. 1. 24. *Tradidit eos Deus cupiditatibus cordium ipsorum,* &c.

Et vers. 28. *Et sicut non visum est eis Deum in notitia retinere, ita tradidit eos Deus in mentem omnis iudicij expertem, ut facerent quæ non conveniebant.*

Act. 14. 16. *Deus præteritis ætatibus sivit omnes Gentes suis ipsarum vijs incedere, quamquam non passus est se esse expertem testimonij.* &c.

Actor. 17. 30. *Temporibus istius ignorantiæ dissimulatis, Deus nunc denunciat omnibus ubique hominibus ut resipiscant.* &c.

Psalm. 147. 19. *Indicat verba sua Iacobo.* &c. *Non sic fecit ulli Genti, ideoque iura illa non noverunt.* Quibus loci sunt parelleli, Ephes. 2. 1. 2. 3. & vers. 12. & cap. 4. 17. 18. 1. Cor. 1. 8.

III. Reprobos Evangelium sibi prædicatum diversis modis ac gradibus rejicere, probatur ex parabola seminantis.

Matth. 13. vers. 19. & seq. ex Actor. 28. 24. & 25. *Quidam vero non credebant,* &c. *Ideo recte dixit Spiritus Sanctus, vade ad populum istum & dic, Auditu audietis & non intelligetis.*

Heb. 6. 5. 6. *Nam fieri non potest, ut qui semel fuerint illustrati, gustaverintque bonum Dei verbum,* &c. *si prolabantur, ut denuo renoventur ad resipiscentiam.* Cui parallelus est: Heb. 10. 26.

IV. Deum denique reprobos in peccatis suis iuste induratos merito tandem exitio adiudicare, colligi potest ex

Rom. 9. 18. *Quos vult, indurat,* & seq.

Cap. 11. 7. 8. *Reliqui occalluerunt: Deus enim dedit eis Spiritum soporis, oculos ut non videant.* &c.

2. Thess. 2. 11. 12. *Propterea mittit illis Deus efficaciam deceptionis ut credant mendacio, ut damnentur omnes qui non crediderunt veritati, sed acquieverunt in iniustitia.*

1. Pet. 2. 8. *Christus est petra offensionis, nempe ijs qui offendunt ad sermonem, immorigeri, ad quod etiam positi fuerunt.*

Iudæ vers. 4. *Iam olim descripti ad hoc iudicium.*

2. Thess. 1. 8. *Infliget ultionem ijs qui Deum non noverunt, neque auscultant Evangelio Domini nostri Iesu Christi.*

2. Thesis Remonstrantium.

Causa Reprobationis meritoria est impoenitentia & infidelitas adversus Evangelium & perseverantia in ea.

2. Antithesis Orthodoxa.

Quamvis Deus neminem nisi ea sorte dignum, & non nisi iustas ob causas prætereat, tamen cum etiam electi ante electionem suam in eodem miseriæ statu coram eo fuerint, nulla causa, cur hos potius quam illos reprobaverit, à nobis dari potest, quam libera Dei voluntas nemini obstricta, & de suo quod vult, faciendi potestas. Causa vero, cur Deus reprobos certis pœnarum gradibus addicat, recte ipsorum impœnitentia & infidelitas statuitur.

Hæc Thesis locis præcedentibus abunde est probata.

Thesis tertia Remonstrantium.

Infantium nec electio, nec reprobatio est.

Antithesis tertia Orthodoxa.

Longe diversa est conditio eorum infantium, qui ex fœderatis parentibus, & aliorum qui ex non fœderatis nascuntur, quoniam Scriptura hos impuros, atque à Christo & fœdere gratiæ alienos pronunciat.

1. Cor. 7. 14. *Alioqui liberi vestri impuri essent, nunc vero sancti sunt,*
Gal. 2. 15. *Nos natura Iudæi, & non ex Gentibus peccatores.*
Eph. 2. 1. *Vos Gentes eratis absque Christo alieni à Republica Israelis, extranei à pactis promissionis, &c.*

Contra vero ad illos promissionem ac vitam æternam pertinere asseverat.
Gen. 17. 7. *Stabilio fœdus meum inter me & te, ac semen tuum post te, ut fœdus sit perpetuum, me esse tibi Deum, & semini tuo post te.*
Matth. 19. 14. *Sinite pueros, & ne prohibete ad me venire: nam talium est regnum cœlorum.*
Actor. 2. 39. *Vobis facta est promissio, & liberis vestris.* Ex quibus locis concludimus liberos fidelium in sua infantia morientes electis esse accensendos, cum à Deo ex hac vita gratiose eripiantur, antequam fœderis illius conditiones violaverint. Infidelium vero liberos extra Ecclesiam Dei constitutos, Dei iudicio relinquendos censemus. Nam *eos qui extranei sunt, Deus iudicabit.* 1. Cor. 5. 13.

Atque hoc nostrum est judicium super primo Articulo,

Iohannes Polyander.
Antonius Thysius.
Antonius VValleus.

Quod approbavit ac manu sua subsignavit,
Sibrandus Lubbertus.

Suffra-

Digitized by Google

Suffragium

SIBRANDI LVBBERTI

De

PRIMO ARTICVLO.

OMnes homines in Adamo peccaverunt, & facti sunt rei damnationis, & mortis æternæ.

Deus igitur jure potuit omnes homines propter peccatum ipsorum condemnare: neque cuiquam fecisset iniuriam, si omnes homines propter peccata ipsorum condemnasset, aut condemnare decrevisset.

Sed Deus maluit uti misericordia erga quosdam miseros peccatores, iisque, ex gratuita gratia propter mortem & δικαίωμα sui filij, peccata condonare, quam omnes propter rigorem justitiæ suæ æternis pœnis addicere.

Hinc est, quod Deus ab æterno aliquos miseros peccatores in Iesu Christo elegerit, ut essent sancti & inculpati, & eosdem prædestinaverit ad υἱοθεσίαν, juxta beneplacitum voluntatis suæ, ad laudem gloriosæ gratiæ suæ.

Ex eodem fonte est, quod Deus aliquos miseros peccatores ab æterno in Christo Iesu non elegerit, neque prædestinaverit eos ad υἱοθεσίαν, sed in æterna electione præterierit, h.e. reprobaverit. Vtrumq; hoc sub Prædestinatione comprehenditur.

Prædestinatio est æternum, liberrimum, & justum consilium sive propositum, quo Deus sibi ab æterno ex corrupto humano genere aliquos ex mera gratia & misericordia in Christo Iesu elegit, & ad vitam æternam prædestinavit, ut eos in tempore efficaciter vocaret ad communionem Filii sui, vera cognitione Iesu Christi, fide & resipiscentia donaret, justificaret, ac tandem glorificaret ad laudem gloriosæ suæ gratiæ: aliquos non elegit in Iesu Christo, neque ad vitam æternam prædestinavit, sed justo suo judicio in æterna electione præteriit, & tanquam vasa iræ in peccatis & miseria reliquit, eosque tandem propter peccata ipsorum iuste condemnabit, ut in illis suam misericordiam, in his suam justitiam declaret.

Esse talem electionem & reprobationem inde constat, quod Deus aliquorum miseretur, aliquorum non miseretur; aliquos illuminat, aliquos non illuminat: aliquos per verbi prædicationem vocat ad resipiscentiam, aliquos per verbi prædicationem non vocat ad resipiscentiam; in aliquibus excitat fidem, in aliquibus non excitat fidem: Abel recipitur, Cain rejicitur. Sem accipit benedictionem, Cham non accipit benedictionem. Abraham vocatur ex Vr Chaldæorum, cæteri non vocantur. Isaac factus est hæres, Ismael pellitur foras. Iacobum dilexit Deus, Esavum odit Deus. Petrus intuitu Christi convertitur, Iudas non convertitur. Duo latrones cum Christo crucifiguntur, unus recipitur in paradisum, alter non recipitur in paradisum. Duo erunt in uno lecto, unus accipietur, alter relinquetur. Duæ erunt molentes simul, una accipietur, altera relinquetur. Duo erunt in agro, unus accipietur, alter relinquetur. Luc. 17.34.

Electio, qua Deus nos ad gratiam, & gloriam elegit, est una & eadem; vel quod idem est, una & eadem electione elegit nos Deus ad gratiam & ad gloriam, hoc est, ad media & ad finem. Colligitur hoc ex Ephes. 1.5. ubi legimus Deum nos prædestinasse ad υἱοθεσίαν pro beneplacito voluntatis suæ, ad laudem gloriosæ suæ gratiæ. Idem ex aurea illa catena, de qua est Rom. 8.29.30. colligi potest.

Causa quare Deus non omnes elegerit, neque omnes reprobaverit, aut quare Petrum & Paulum elegerit, Iudam & Simonem Magum non elegerit; aut quare illos potius elegerit quam hos, nulla alia ex S. Scriptura afferri potest, quam liberrimum Dei beneplacitum.

Electio

Electio facta est ex una & eadem massa, hoc est, ex corrupto & misero humano genere. Hominem igitur in æterna electione consideravit Deus, non ut credentem, nec ut vocatum, nec ut iustificatum, nec ut sanctificatum, nec ut regenitum; sed ut miserum peccatorem, & constituit suam misericordiam in illo vocando, fide donando, iustificando, sanctificando, & regignendo exercere. Act. 13. 48. *Crediderunt, quotquot erant ordinati ad vitam æternam.* Non ergo, quia crediderunt, ordinati sunt ad vitam: sed quia ordinati erant ad vitam, crediderunt. Rom. 8. 29. *Quos prædestinavit, eos etiam vocavit; quos vocavit, eos etiam iustificavit;* Ergo non, quia vocati & iustificati fuerunt, prædestinantur, sed quia prædestinati fuerunt, vocantur & iustificantur. Eph. 1. 4. *Elegit nos in ipso ut essemus sancti.* Ergo non, quia sancti fuimus, eligimur; sed quia electi fuimus, sanctificamur.

Deus non elegit nos ob prævisam fidem, neq; ob prævisam resipiscentiam. Nullam enim fidem aut resipiscentiam in electis prævidere potuit, nisi quam ille ex misericordia iuxta beneplacitum suum in illis effecturus erat. Ob quam causam fides à Deo in æterna electione, non ut prævia conditio electionis, neq; ut antecedens, sed ut effectum, sive consequens, sive fructus eius considerari potuit.

Quos Deus ab æterno ex liberrimo beneplacito suo ad vitam æternam elegit, eos in tempore ex eodem beneplacito suo vocat ad communionem sui Filij, donat illos fide, regignit illos per Spiritum Sanctum, & iustificat eos, hoc est, deducit eos per media à se constituta ad finem destinatum.

Quos vero Deus ex eodem beneplacito suo in æterna electione præterijt, hoc est, reprobavit: ijs vel non revelat viam salutis, vel non donat eos fide aut cognitione Iesu Christi, non regignit eos per spiritum, non iustificat eos: sed relinquit eos in peccato & miseria, in quam se ipsos propria sua culpa præcipitarunt. Neque propterea iniustus est. *Licet* enim *illi de suo facere quod vult*, Matth. 20. 15. Quin sinit eos, postquam adoleverunt, in vijs suis incedere, sæpe etiam ob magna flagitia, quibus se polluunt excæcat, & tandem propter peccata ipsorum iustissime punit.

Beneplacitum Dei est vera causa præteritionis (quam reprobationem negativam vocamus) sed non est vera causa peccati: sui enim operis quod iustum est, non scelerum nostrorum quæ iniusta sunt, ipse auctor est.

Vnde sequitur fidem esse effectum electionis; sed peccatum non esse effectum reprobationis. Nam ut Deus eligens in electis fidem & resipiscentiam operatur: ita Deus reprobans, in reprobis non operatur malitiam neque peccatum.

Omnes homines tam electi quam reprobi in se considerati fuerunt æquales, neque quisquam eorum melior aut deterior fuit altero, antequam Deus illos ex æterno & immutabili consilio suo discerneret. Proinde nulla qualitas in illis esse potuit, quare Deus illos elegerit, hos non elegerit: aut quare illos potius, quam hos elegerit; neque in ijsdem ulla qualitas reperta fuit, quare illos præterierit, hos non præterierit; aut quare illos potius, quam hos præterierit. Quin videmus à Deo in æterna electione præteritos esse qui inter alios externa vitæ honestate excelluerunt, ut Catonem, Scipionem, Aristidem, Fabricium, Phocionem, Pomponium Atticum, &c. Ex adverso etiam videmus electos esse qui alios scelerum magnitudine superarunt. Equidem Paulus erat iniuriosus, blasphemus, persecutor Ecclesiæ, iuratus Christi hostis: & tamen ab æterno ad vitam electus fuit. Latro cum Christo crucifixus totam vitam suam sceleribus attriverat, & tamen ab æterno à Deo electus fuit, ut vere dicere possimus cum Apostolo: *O profundas divitias tum sapientiæ tum cognitionis Dei, quam inscrutabilia sunt iudicia eius!* Rom. 11. 33.

Electio Dei est immutabilis. Fieri enim non potest ut mutetur, quod à Deo decretum, definitum, & determinatum est. Quam ob causam qui electus est, nunquam fit reprobus: & vice versa, qui reprobus est, nunquam fit electus.

Hinc sequitur certum esse electorum & reproborum numerum, & neutrum horum vel augeri vel minui posse.

Non debemus in arcana Dei penetrare, neque istic scrutari, an simus electi: sed debemus nos ipsos excutere, an Christus in nobis habitet. Veri enim fructus electionis sunt efficax vocatio, fides à Spiritu Sancto per vocem Evangelij in cordibus

dibus nostris excitata, nova obedientia, pax in Deo, testimonium Spiritus sanctus de nostri adoptione. Si hæc vere & reipsa in nobis sentimus, possumus de nostri electione certi esse; & si ea nondum in nobis sentimus, tamen de nobis desperare non debemus.

Hac doctrina nemini damus ansam desperandi. Docemus enim Deum mandare omnibus hominibus ut se convertant, & Christum audiant, & promittere illis qui se ad Deum convertunt, & Christum audiunt, salutem & vitam æternam. Hinc homo, antequam convertitur, non habet quod eum ad desperationem adigat, sed habet causam accusandi suam contumaciam, & ingratitudinem quæ ipsum reddunt inexcusabilem.

Rursus docemus omnes illos, qui veræ fidei & conversionis sensum in cordibus suis sentiunt, debere ex Dei mandato statuere; se ad vitam æternam electos esse. Hoc enim est credere & expectare vitam æternam jam in nobis inchoatam & in æternum conservandam, sicut dictum est Iohan. 10. 28. *Nemo rapiet eas è manibus meis.* Et Roman. 11. 29. *Dona Dei eiusmodi sunt, ut illorum ipsum pœnitere non possit.*

Nemo igitur fidelium habet causam desperandi, sed hoc demum est fundamentum Christianæ religionis in ipsa morte, quod sciunt illos, qui ædificati sunt super petram, hoc est, Christum, nunquam perituros esse. Hanc consolationem eripiunt piis, quicunque docent vere credentes finaliter deficere, & in Spiritum S. peccare posse: quod negat Christus, Iohan. 6. 40. & Ioh. 10. 28. 1. Epist. Iohan. cap. 5. com. 18.

Sed neque suppeditamus cuiquam hac doctrina ansam impietatis. Docemus enim illos sua culpa perire, & sibi pœnas accumulare & exasperare, cum Deum ipsos ad se invitantem audire recusent, ipsique hanc blasphemiam impingant, quod ipsos quidvis boni facientes damnare decreverit.

Fideles ex hac doctrina ansam securitatis carnalis capere non possunt. Docemus enim non hypocritas, sed vere credentes retinentes studium bonæ conscientiæ, & in assidua pœnitentia, timore, & invocatione Dei viventes, & habentes serium ac ardens studium & desiderium perseverandi in vera pietate, & studio cavendi peccata, certos esse debere tanquam ex effectu proprio de propria causa, & sui electione ad vitam æternam. Fatemur quidem securitatem Spiritus nasci ex hac doctrina: sed securitas spiritus & carnis se invicem minuunt & pellunt, quod ipsum etiam faciunt timor filialis & servilis.

Non docemus Deum simpliciter nolle, ut omnes homines convertantur & serventur; neq; docemus Deum simulare, aut non velle serio omnium conversionem, aut habere in se voluntates contradicentes.

Sed docemus Deum serio velle omnium hominum conversionem & salutem, quoad approbationem & lætitiam suam. Non enim vult & approbat peccatum, sed horribiliter irascitur peccato; neque delectatur cuiusquam interitu, & destructione tanquam destructione sui operis. Nihil ergo simulat, sed serio omnes vocat, iisque ostendit in suo verbo, quid sibi placeat, & quid sibi ab hominibus debeatur.

Hæc Dei voluntas ad omnes pertinet. Omnibus enim mandat ut resipiscant: hoc satis arguit Dei justitiam. Sed ad nostram salutem requirebatur non tantum illa Dei voluntas, hoc est, jussio: sed etiam requirebatur ejus gratia, qua nos fideles & resipiscentes efficeret.

Hanc resipiscentiam & fidem in omnibus efficere non decrevit ab æterno. Ergo quoad effectionem, non vult omnibus hominibus salutem, sed electis tantum, sicut docet Scriptura. Act. 13. 48.

Etiam in pereuntibus peccata & naturæ destructio, quatenus est divini operis destructio, Deo displicent serio: & exigit ab illis Deus justitiam & vitam, quamvis in solis electis efficiat, ut faciant quo Deus delectatur. hanc ob causam hi soli perveniunt ad conversionem & salutem, ut inquit Apost. Rom. 11. 7. *Electio apprehendit, cæteri occalluerunt.*

Hæc duo: Deus non vult destructionem creaturæ, quatenus est destructio creaturæ. Et, Deus vult destructionem creaturæ, quatenus est justa pœna; non contradi-

tradicunt. Pius enim & iustus judex vult necem homicidæ, quatenus est justa pœna; & non vult eam, quatenus est hominis destructio.

Non docemus Deum sine respectu peccati nuda & absoluta voluntate aut decreto, aliquos ad æternam damnationem ordinasse: sed docemus Deum in damnatione reproborum velle suam justitiam declarare; ac proinde non velle quemquam damnationi addicere, nisi ob peccatum: ac ne quidem damnationem velle, quatenus est damnatio, sive operis sui destructio, sed quatenus est justa pœna. Non autem locum habet pœna nisi ubi peccatum antecedit.

In electis voluit Deus suam misericordiam declarare, quia cum propter peccatum in quod sponte erant prolapsi, justissime potuisset totum humanum genus abjicere (nam omnes eramus natura filii iræ, ut & reliqui) ex sola gratuita misericordia statuit aliquos ex communi interitu eripere, atque suam misericordiam salva justitia sua exercere & declarare; ut omne os obturetur, & omnis gloria tribuatur Deo.

Hæc doctrina non est blasphema, neque impia, neque continet horribiles errores, ut aliqui irrequieti homines tragice pronunciant; sed est vera & S. Scripturæ consentanea.

Antitheses

DE PRIMO ARTICVLO.

Heterodoxæ.

1

DEi voluntas servandi credentes per fidem, est totum decretum Prædestinationis.

Orthodoxæ.

1

DEi voluntas servandi credentes per fidem, non est decretum Prædestinationis, nedum totum decretum Prædestinationis.

Probatio Orthodoxæ sententiæ.

Non est idem decretum. Nam ut justificare non est idem quod prædestinare: ita decretum justificandi, non est idem quod decretum prædestinandi. *Non est totum* est enim & decretum cooptandi in filios, decretum patefaciendi viam salutis, decretum diligendi, decretum mittendi Christum, decretum dandi fidem, decretum exigendi pœnas peccatorum nostrorum à Iesu Christo, decretum vocandi ad communionem filii Dei, decretum convertendi, decretum sanctificandi, & multa alia decreta ad salutem pertinentia, quæ neque conjunctim, neq; divisim sumpta, sunt decretum servandi per fidem. *Decretum servandi credentes* est phrasis ambigua. Potest enim hunc sensum habere, quod illi qui nunc vere credunt, sint à Deo ad vitam æternam electi. Atque hic sensus est verus. Omnes enim vere credentes sunt electi ad vitam æternam. Potest etiam hunc sensum habere: quod eligendi ad vitam æternam ante sui electionem fuerint credentes; aut quod tales fuerint in mente Dei, antequam illos ad vitam æternam eligeret. Atque hic sensus est falsus. Nam, ut inquit Scriptura, Actor. 13. 48. *Crediderunt quotquot erant ordinati ad vitam æternam.* Ergo non quia crediderunt sunt ordinati ad vitam æternam: sed quia ordinati erant ad vitam æternam crediderunt. Rom. 8. 29. *Quos prædestinavit, eos etiam vocavit: quos vocavit, eos etiam justificavit.* Ergo non quia vocati & justificati erant, sunt prædestinati: sed quia prædestinati erant, sunt vocati & justificati.

2

Decreta justificationis & prædestinationis sunt uniformia & conformia.

2

Decreta justificationis & prædestinationis non sunt uniformia & conformia.

Probatio

Probatio.

Huius veritas constat ex præcedente.

3

Electio alia est definita, alia indefinita; alia generalis, alia singularis: alia completa, alia incompleta: alia peremptoria, alia non peremptoria; alia irrevocabilis, alia revocabilis; alia V.T. alia N. Testamenti: alia eorum qui sunt in EcclesiaN. alia eorum qui sunt extra Ecclesiam.

3

Electio ad gratiam & gloriam, hoc est, ad media & ad finem, tantum est una & eadem omnium salvandorum in V. & N. Test.

Probatio.

Scriptura docet esse unam & eandem electionem, qua Deus nos ad gratiam & ad gloriam elegit Eph. 1. 4. *Elegit nos in ipso N. antequam jacerentur fundamenta mundi, ut essemus sancti, prædestinavit nos ad υἱοθεσίαν pro beneplacito voluntatis suæ, ad laudem gloriosæ suæ gratiæ.* Idem ex aurea illa catena quæ est Rom. 8. 29. colligi potest. *Nam quos præcognovit, eos etiam prædestinavit; quos prædestinavit, eos etiam vocavit: quos vocavit, eos etiam justificavit: quos justificavit, eos etiam glorificavit.* Ergo una prædestinatione prædestinavit nos ad vocationem, justificationem, & glorificationem.

4

Fides est cõditio in objecto eligibili, ante ipsius electionem requisita.

4

Fides non est conditio in objecto eligibili, ante ipsius electionem requisita.

Probatio.

Deus in electis nullam fidem prævidere potuit, nisi quam in illis in tempore effecturus erat. Ergo fides in æterna electione, non ut antecedens, neque ut conditio præcedens electionem, sed ut consequens, sive fructus sive effectum electionis, à Deo considerari potuit.

5

Singulares personæ sunt ratione prævisæ fidei ad vitam æternam prædestinatæ:

5

Singulares personæ non sunt ratione prævisæ fidei ad vitam æternam prædestinatæ.

Probatio.

Hæc thesis constat ex primæ & quartæ theseos probatione.

6

Solum beneplacitum Dei non est unica causa, quare Deus hunc præ illo elegerit.

6

Solum beneplacitum Dei est unica causa, quare Deus hunc præ illo elegerit.

Probatio.

Hoc esse solam & unicam causam prædestinationis docet Scriptura Ephes. 1. 5. *Prædestinavit nos ad υἱοθεσίαν, pro beneplacito voluntatis suæ.* Neque ulla alia causa in Scriptura reperitur.

7

Deus in eligendo homine spectavit aliquam bonam qualitatem, quare illum potius quam hunc ad vitam æternam elegerit.

7

Deus in homine eligendo non spectavit bonam aliquam qualitatem, quare illum potius quam hunc ad vitam æternam elegerit.

Probatio.

Apostolus scribit Eph. 1.4. *Elegit nos in ipso ut essemus sancti.* Ergo non quia in nobis, antequam eligeremur, aliqua sanctitas fuit, elegit nos: sed quia elegit nos ab æterno, sanctitatem & novam obedientiam in nobis jam electis per Spiritum sanctum efficit, Rom.8.29. *Quos præcognovit eos etiam prædestinavit, ut conformes fiant imagini filii sui.* Ergo non quia in nobis ante nostri electionem aliqua conformitas fuit, elegit nos: sed quia elegit nos ab æterno, facit nos in tempore imagini filii sui conformes.

8

Christus est meritoria causa nostræ electionis.

8

Christus non est meritoria causa nostræ electionis.

Probatio.

Scriptura docet nos esse justificatos Christi sanguine, & esse Deo reconciliatos per mortem filii sui; sed nusquam docet nos esse electos sanguine Iesu Christi, neque docet nos esse prædestinatos per mortem Iesu Christi. Addit Iohan.3.16. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum dederit, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Ergo non quia Christus pro nobis mortuus est, dilexit & elegit nos: sed quia dilexit & elegit nos Christus, pro nobis mortuus est. Idem colligi potest ex loco Rom.5. 8. *Commendat Deus erga nos charitatem suam, quod cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est.*

9

Quædam electio ad salutem est revocabilis.

9

Nulla electio ad salutem est revocabilis.

Probatio.

Scriptura hoc clare docet Esa.14.27. *Iehovah exercituum decrevit, quis irritabit.* Esa.46.11. *consilium meum stabit, & omnem voluntatem meam faciam.* Mal.3.6. *Ego Iehovah, non muto.*

10

Electi possunt fieri reprobi, & reprobi fieri possunt electi.

10

Electi non possunt fieri reprobi, neque reprobi possunt fieri electi.

Probatio.

Idem Scriptura docet Iohan.10.27. *Oves meæ vocem meam audiunt, ego cognosco eas, & sequuntur me: & ego vitam æternam do eis; neque peribunt in æternum, neque rapiet eas è manu mea quisquam. Pater meus, qui eas dedit mihi, maior est omnibus, neque quisquam rapiet eas è manu Patris mei.* Rom.9. 27. *Etiamsi fuerit numerus filiorum Israel ut arena maris, reliquiæ servabuntur.* Rom.11. *Electi assecuti sunt, reliqui occalluerunt.*

11. Nemo

Digitized by Google

11

Nemo citra peculiarem revelationem, de sui electione in hac vita, certus esse potest.

11

Aliquis de sui electione in hac vita, citra peculiarem revelationem, certus esse potest.

Probatio.

Huius Theseos veritas probatur Roman. 8. 15. *Accepistis spiritum adoptionis, per quem clamamus Abba*, id est, *Pater*. 2. Cor. 1. 27. *Qui nos confirmat vobiscum in Christum & unxit nos, Deus est, qui etiam obsignavit nos*. Eph. 1. 13. *obsignati estis spiritu promissionis, qui est arrhabo hæreditatis nostræ.*

12

Nemo potest gustum aut sensum electionis sui ad gloriam in hac vita percipere.

12

Aliquis potest sensum & gustum electionis sui ad gloriam in hac vita percipere.

Probatio.

Hujus theseos veritas probata est thesi præcedente. Deinde Apostolus dicit Rom. 8. 16. *Qui ipse spiritus testatur una cum spiritu nostro, nos esse filios Dei.*

DE REPROBATIONE.

1

Dei voluntas damnandi peccatores propter peccatum ipsorum, est totum decretum reprobationis.

1

Dei voluntas damnandi peccatores propter peccatum, non est decretum reprobationis, nedum totum decretum reprobationis.

Probatio.

Vt damnare, non est idem quod reprobare: ita voluntas sive decretum damnandi non est decretum reprobandi. Ad totum decretum reprobationis, pertinet etiam decretum non revelandi viam salutis, decretum relinquendi in ignorantia, decretum indurandi, decretum excæcandi, decretum odio habendi, & multa alia, quæ neque conjunctim neque divisim sumpta, sunt decretum damnandi.

2

Decreta damnationis, & reprobationis sunt uniformia, & conformia.

2

Decreta damnationis, & reprobationis, non sunt uniformia & conformia.

Huius veritas constat ex præcedentis theseos probatione.

3

Deus decrevit nullos homines in lapsu Adæ relinquere.

3

Deus decrevit aliquos homines in lapsu Adæ relinquere.

Probatio.

Huius theseos veritatem docet Scriptura. Quosdam enim *praecognovit* Rom.8.29. quosdam nunquam novit Matth.7.23. quosdam vocat per vocem Evangelij, quosdam non vocat per vocem Evangelij; quosdam regenerat per S.Sanctum, quosdam non regenerat per Spiritum sanctum. Equidem quos non regenerat per Spiritum sanctum, eos constituit in lapsu Adæ relinquere.

4	4
Deus decrevit omnibus hominibus dare gratiam sufficientem, cuius beneficio salvi fieri possunt.	Deus non decrevit omnibus hominibus dare gratiam sufficientem, cuius beneficio salvi fieri possunt.

Probatio.

Huius theseos veritas constat ex præcedente: deinde Scriptura dicit Matt.11.25. *Confiteor tibi Pater Domine cæli & terræ, quod hæc absconderis à sapientibus huius mundi, & revelaveris ea parvulis.*

5	5
Deus subministrat omnibus hominibus necessaria & sufficientia media ad salutem, idque cum intentione servandi.	Deus non subministrat omnibus hominibus necessaria & sufficientia media ad salutem, idque cum intentione servandi.

Probatio.

Primum membrum huius theseos probatum est thesi præcedenti. Alterum membrum probat Deus ipse Esa.6.9. *Vade & dicas populo huic. Audite audiendo, & ne intelligatis, & videte videndo, & ne cognoscatis: impingua cor populi huius, & aures eius aggrava, & oculos eius claude, ne forte videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & convertatur, & sanem eum.*

Num Deus illis offert sufficientia media ad salutem, quibus in hunc modum verbum suum annunciari jubet?

6	6
Deus vult omnibus hominibus ex æquo salutem.	Deus non vult omnibus hominibus ex æquo salutem.

Probatio.

Τὸ velle Dei aliquando est idem, quod approbare, & efficere simul, ut Psalm. 115. 3. *Deus noster in cœlo est, quicquid vult facit.* Aliquando est idem quod approbare tantum, ut 1. Tim. 2. 5. *Deus vult omnes homines salvos fieri.* Omnium enim salutem Deus approbat, sed non efficit. Iam vero electis vult Deus salutem approbatione & effectione simul. Reprobis vero tantum approbatione vult salutem, non effectione; Ergo non vult eam electis & reprobis ex æquo.

7	7
Non-rectus usus mediorum est causa reprobationis.	Non-rectus usus mediorum, non est causa reprobationis.

Proba-

Probatio.

Ratio eſt manifeſta. Reprobatio enim facta eſt ab æterno; non-rectus uſus, ſive abuſus fit in tempore. ſed quod temporale eſt, æterni cauſa eſſe nequit. Deinde Scriptura dicit Rom. 9. 11. *Nondum natis pueris, cum neque boni quicquam feciſſent neque mali, ut propoſitum Dei, non ex operibus, ſed ex vocante maneret, ſcriptum eſt, Iacob dilexi, Eſau odio habui.*

8.

Nemo, qui tantùm peccato originali contaminatus eſt, in æterna electione à Deo præteritus eſt.

8.

Quidam, qui tantum peccato originali inquinati ſunt, in electione æterna à Deo præteriti ſunt.

Probatio.

Hanc Theſin probat interitus multorum infantium, qui in infantia extra Eccleſiam & extra Chriſtum moriuntur.

9.

Infantium nulla eſt electio, nulla reprobatio.

9.

Infantium aliqua eſt electio, aliqua reprobatio.

Probatio.

Hanc Theſin probat Scriptura Rom. 9. 7. *neque quia ſunt ſemen Abrahæ, omnes ſunt Filij*, & verſ. 6. *Non omnes qui ſunt ex patre Iſraele, ſunt Iſrael.* Deinde ad infantes Eccleſiæ pertinet promiſſio. Act. 2. 39. *Vobis facta eſt promiſſio, & liberis veſtris.* Cæteris, qui ſunt extra Eccleſiam, nulla facta eſt promiſſio.

Sibrandus Lubbertus.

Iudicium hoc de primo Articulo legimus, & approbamus,

Iohannes Polyander.
Antonius Tyſius.
Antonius VValæus.

IVDICIVM
De Primo Articulo, nempe
De Electione & Reprobatione,
D.D. FRANCISCI GOMARI.

Articulus Remonſtrantium primus.

DEus æterno & immutabili decreto, in Ieſu Chriſto, ante iacta mundi fundamenta, ex genere humano, in peccatum prolapſo, ſtatuit illos, in Chriſto, propter Chriſtum, & per Chriſtum, ſalvare; qui per gratiam Spiritus Sancti, in eundem eius Filium Ieſum, credituri, & in ea fide, fideique obedientia, per eandem gratiam, uſque ad finem, eſſent perſeveraturi: contra vero converti neſcios & incredulos, ſub peccato & ira relinquere, & condemnare, tanquam à Chriſto alienos, ſecundum Verbum Evangelij, Ioh. 3. 36. *Qui credit in Filium, habet vitam æternam: qui vero Filio non aſſentitur, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum:* Pluraque alia Scripturæ loca.

Articuli huius explicatio.

Theses.	*Antitheses.*

De universa hominum prædestinatione.

Theses.	*Antitheses.*
1. Prædestinatio (quæ electionem & reprobationem complectitur) non est unica, sed duplex. Remonstrantes citati declarat. Artic. 1. & Epist. ad Walach. 41.	1. Prædestinatio (quæ electionem & reprobationem complectitur) non est duplex, sed unica. Idque ex sequentibus constabit.
2. Prima est decretum divinum, generale, seu universale; quo constituit credentes servare, incredulos damnare. Ibidem.	2. Decretum divinum generale seu universale, quo constituit credentes servare, incredulos damnare, non est prædestinatio ad salutem & condemnationem. 1. Quia per se, nec salutem, nec condemnationem ullam futuram statuit: sed modum tantum ac conditionem salutis, & condemnationis describit. 2. Quia nullam hominum, sed qualitatum tantum, fidei & infidelitatis electionem & reprobationem designat. Remonstr. citati, Declarat. Vtpote cum generale hoc decretum (ex Remonstrantium sententia) non solum singularium hominum fidelium prævisionem antegrediatur: sed etiam mediorum, ad fidem ingenerandam necessariorum, destinationem omnino præcedat. Remonst. Epist. ad Walach. 35. 36.
3. Hoc est totum & integrum prædestinationis decretum. Coll. Hag. Belg. 57.	3. Hoc non est totum & integrum prædestinationis decretum. Illius enim constare potest veritas, si aut omnibus credentibus ac servatis, nemo damnaretur; aut omnibus incredulis ac damnatis, nemo fieret salvus. Id quod integræ prædestinationi (quæ electione simul & reprobatione constat) è diametro adversatur.
4. Decretum de salvandis fidelibus, solum est fundamentum Christianismi, salutis & certitudinis salutis. Collat. Hag. Belg. 61.	4. Decretum de salvandis fidelibus, non est solum fundamentum Christianismi, salutis & certitudinis salutis: sed fundamentum primum salutis est gratuita Dei dilectio, & electio: quæ causa est & fundamentum non tantum salutis, sed etiam donationis Salvatoris Christi, & fidei in ipsum, Rom. 8. 29. 30. Ioh. 3. 16. & 6. 37. Act. 13. 48.
5. Secun-	5. Specia-

5. Secunda prædestinatio, est decretum divinum speciale seu singulare, quo constituit iuxta præcedens illud decretum, hos salvare, illos perdere: id est, hos consideratos, ut fideles, æternæ vitæ destinare: illos consideratos, ut infideles, sive qui credere nolint, æternæ morti atque exitio addicere. Remonst. citati Declar. Et Epist. ad Walach. 34. & 41.

5. Specialis quidem est prædestinatio: sed veriore ratione describenda: ut ex sequenti distincta explicatione liquebit.

Theses.

Antitheses.

De prædestinatione, seu electione hominum ad salutem speciali.

1. Prædestinatio hominum ad salutem specialis, duplex est, peremptoria: quæ æternæ salutis communicationem actualem, & realem, sibi coniunctam habet: & non peremptoria, contra. Remonst. citati declar. ad Articul. 1.

1. Sacræ litteræ non aliam, quam unicam prædestinationem hominum ad salutem specialem agnoscunt.

2. Peremptoria est decretum Dei, de salvandis iis sigillatim, quos per Spiritus sui gratiam, in Christum credituros, atque in hac fide ad finem usque perseveraturos, prævidebat. Remonstr. Epist. ad Walach. 36.

2. Prædestinatio hominis ad salutem est decretum Dei, de gloria & gratia ad salutem sufficiente, & efficaciter perficiente, certis, ex universo genere humano, hominibus, pro liberrimo ac mere gratuito beneplacito, conferenda, 2. Thess. 2. 13. Rom. 8. 28. 29. 30. Phil. 2. 13. Ad laudem gloriosæ suæ gratiæ, Ephes. 1. 6.

3. Quæ prædestinatio, solummodo ad salutem & gloriam est; non etiam ad gratiam. Eadem Epist. 38. & 45.

3. Eadem prædestinatio non solum est ad salutem ac gloriam, sed etiam ad gratiam, quæ ad gloriam conferendam necessaria. 2. Thess. 2. 13. Rom. 8. 28. 29. 30.

Qualis est gratia dationis Christi in Servatorem, Ioh. 3. 16. 1. Petri 1. 20. & 1. Ioh. 4. 10. & vocationis. Rom. 8. 28. 30. & Fidei Act. 13. 48. & 2. Thess. 2. 13. Phil. 1. 29. & 2. 13. Iustificationis Rom. 8. 30. Conformitatis cum Christo Rom. 8. 29. ac sanctificationis Eph. 1. 4. & 2. Thess. 2. 13. Adoptionis Eph. 1. 5. & conservationis in Christo & per Christum Ioh. 6. 29. & 10. 28. 29. donatio. Ad quam gratiam, non minus quam ad salutem, prædestinatio est instituta 1. Pet. 1. 2.

4. Quæ salus in credentibus fidei præmium est, non autem finis. Remonstr. citati Declar.

4. Quæ salus in credentibus & præmium est fidei 2. Tim. 4. 8. & finis 1. Petr. 1. 8. Quia bonum est summum, cuius causa fides datur: & quo fides tendit 2. Thess. 2, 13. Ioh. 20. 31. Act. 26. 18.

5. Gratia

5. Gratia vero donationis Christi, vocationis, fidei, justificationis, sanctificationis, adoptionis, perseverantiæ, non est medium prædestinationi speciali ad salutem subordinatum: sed ea prædestinationem ipsam naturæ ordine antecedit. Epist. ad Walach. 41. & 44.

6. Fides enim, obedientia illius & perseverantia, ut ab homine præstita, & à Deo prævisa, est conditio in objecto eligendo prærequisita, ac causa sine qua non, cui decretum electionis innititur. Remonst. citati Declar. & Epist. ad Walach. 41. & 44.

7. Quæ fidei gratia, non solis electis ad gloriam & servandis confertur: sed reprobis etiam ac condemnandis. Remonst. citati Declar.

8. Ac fides electorum semel collata, omnino amitti ac restitui potest, adeoque re ipsa interdum amittitur, & amissa restituitur. Ibidem.

9. Ideoque peremptorie electus, in hac vita fieri potest reprobus, & rursum ex reprobo electus.

10. Vnde sequitur, electionem peremptoriam aliam esse mutabilem, quæ est electorum viventium: aliam immutabilem, quæ est mortuorum tantum.

11. Electionis huius causa impulsiva est & solum ac liberrimum Dei beneplacitum & Christi meritum. Epist. ad Walach. 35. & 41. & 46. & 36.

12. Fidelium in hac vita de electione sui salvifica, certitudo non est absoluta, sed tantum conditionata, ut quæ ab incertæ perseverantiæ conditione dependet. Grevinch. contra Ames. 138.

13. Abso-

5. Gratia vero donationis Christi, vocationis, fidei, justificationis, sanctificationis, adoptionis, perseverantiæ, salutem ipsam antecedit, ut medium eo destinatum, sed ipsam prædestinationem ad salutem ordine consequitur.

Idque ex Antithesi tertia apparet.

6. Fides enim, obedientia illius, & perseverantia in ea, non est objecti eligendi conditio, ante electionem prævisa, nec causa sine qua non: sed electionis effectum proprium, ex ea promanans Act. 13. 48. Rom. 8. 30. & 2. Thess. 2. 13. & 1. Petri 1. 2.

Alioqui dilectio & electio nostra, dilectionem & electionem Dei antecederet contra scripturam. 1. Ioh. 4. 10. Rom. 9. 16. & 5. 8. & 10.

7. Quæ fidei gratia, solis electis ad gloriam, ac servandis confertur: nullis vero reprobis ac condemnandis. Ioh. 10. 26. 27. & 6. 44. 45. Tit. 1. 1. 2. Thess. 3. 2.

8. Ac fides electorum semel collata nunquam omnino amitti potest, ob Dei conservantis veritatem & virtutem; multo minus amissa restitui: etsi partim minui queat, vel augeri. Ioh. 10. 28. 29. & 1. Pet. 1. 5. Matth. 24. 24. Rom. 8. 30. 39.

9. Ideoque peremptorie electus in hac vita fieri non potest reprobus: neque ex reprobo electus. Matth. 24. 24. Rom. 8. 30. 33. 35. 39.

10. Vnde sequitur nullam electionem peremptoriam esse mutabilem; pro veritatis & æterni consilij divini natura immutabili. Ies 46. 3. 10. Iac. 1. 17.

11. Electionis huius causa impulsiva est solum liberrimum & gratuitum Dei beneplacitum: ideoque non Christi meritum: nec quidquam extra Deum.

Præsertim, cum Christi donatio sit medium electioni hominum ad salutem subordinatum: ut Antithesi tertia ostensum est. Ideoque salutis est causa; sed electionis consequens effectum.

12. Fideles in hac vita de electione sui salvifica certi sunt; non solum hac conditione si perseveraverint: sed etiā absolute. quia sese perseveraturos esse per Dei & Christi gratiam certi sunt a: idque ex

Dei

Dei promissione generali de danda omnibus vere fidelibus perseverantia, *b* & ex speciali fidei, electis propriç, *c* sensu, & Spiritus Sancti testimonio, *d* ac tanquam arrhæ hæreditatis nostræ obsignatione ad diem redemptionis, *e* & serio denique operum bonorum, *f* fidei & charitatis studio. a *Rom.* 8. 39. b *Ier.* 32. 40. *Iohan.* 4. 14. & 6. 37. 39. 56. 58. & 10. 28. 29. c *Tit.* 1. 1. & 2. *Thess.* 3. 2. d *Rom.* 8. 13. e *Ephes.* 1. 13. 14. & 4. 30. f 2. *Petri* 1. 10.

13. Absoluta electionis certitudo ad pietatem non conducit. Ibid. 139.

13. Absolutæ electionis certitudo ad pietatem conducit plurimum; ut Deum, pro gratuito & incomprehẽsibili hoc dilectionis & electionis, ad gratiam & gloriam æternam, beneficio, debita gratitudine, vicissim diligant, adorent, glorificent, & digne se gratia & gloria gerant: *a* & in crucis tolerantia eo se sustentent: *b* fortiter & constanter adversus Satanam, carnem, mundum (tanquam Dei gloriæ & gratiæ ac salutis nostræ hostes perpetuos) militent: *c* solidumque in vita & morte habeant solatium, & in hoc favoris Dei sensu, tanquam vitæ æternæ præludio, sancte acquiescant & exultent. *d* a 2. *Thess.* 2. 13. & 14. *Eph.* 1. 4. 5. *Eph.* 4. 1. 1. *Pet.* 2. 9. *Phil.* 5. 14. b *Rom.* 8. 17. 18. 35. 2. *Cor.* 4. 18. c 2. *Tim.* 4. 7. 8. d *Rom.* 8. 33. 38. 39. & 5. 23.

14. Infantibus nullis convenit electio, quod fide prævisa careant. Grevinch. contra Ames. p. 150.

14. Infantes fœderatorum Deo per Christum, ac vere fidelium, etiam electos esse, pie credimus, si ante usum rationis moriãtur, ex formula fœderis, Ego sum Deus tuus & seminis tui: *a* sin vero ad usum rationis pertingant, solos eos electos esse agnoscimus, qui credunt in Christum, quippe hi soli secundum Evangelium servantur. a *Gen.* 17. & *Act.* 2. 39.

15. Non peremptoria prædestinatio est, quæ æternæ salutis communicationem actualem & realem sibi conjunctam non habet.

Thesin primam consequitur.

15. Non peremptoria prædestinatio, & scripturæ Sacræ, & naturæ, unicæ atque immutabilis prædestinationis ad salutem, repugnat.

Idque ex antecedentibus liquet.

16. Eaque vel communis est non credentibus & credentibus: vel credentibus propria.

16. Quum nulla non peremptoria sit prædestinatio, nulla illius potest esse divisio.

17. Communis est quæ communiter se extendit ad omnes, qui divinæ vocationis gratiosæ participes fiunt, sive vocationi pareant, sive incredulitate eam respuant. Remonst. citat. Decl.

17. Quum sacræ literæ vocationem quandam communem ab electione ad salutem secernant; nec omnes communiter vocati salventur: sequitur nullam, communi vocationis decreto, prædestinationem ad salutem, contineri, Matth. 22. 40.

18. Propria est, quæ solis vere credentibus non perseverantibus convenit.

18. Nulla est prædestinatio ad salutem non peremptoria, quæ vere credentibus non perseverantibus conveniat.

Nulli enim vere credentes, qui non perseverent: nullaq; prædestinatio ad salutem, quæ non sit permptoria.

Theses.

De reprobatione hominum speciali ad damnationem.

Theses.	*Antitheses.*
1. Reprobatio alia est peremptoria quæ actualem & realem damnationem sibi conjunctam habet; Alia non peremptoria, contra.	1. Nulla in sacris litteris reprobatio nõ peremptoria reperitur.
2. Reprobatio peremptoria est decretum Dei de ijs sigillatim damnandis, quos in infidelitate morituros prævidebat.	2. Reprobatio peremptoria est decretum Dei, quo, pro voluntate sua liberrima, ad declarationẽ iustitiæ suæ vindicantis, certos ex humano universo genere homines, nec gratia nec gloria donare, sed in peccatum libere prolabi permittere & in peccatis relinquere, iusteque tandem propter peccata condemnare constituit. Matth. 11. 26. & 7. 23. Ioh. 6. 44. & 65. & 10. 26. Rom. 11. 7. 8. Apoc. 20. 13. Rom. 9. 18. 20. 21. 22.
3. Reprobi quidam ad tempus viva fide sunt præditi, vivaq; fiunt Christi membra, justificantur & regenerantur, sed tandem omnino ac perpetuo à fide deficiunt ac pereunt.	3. Reprobi nunquam viva fide sunt prędi-ti, nec viva fiunt Christi membra, nec justificantur, nec regenerantur, multo minus à fide deficiunt. Ioh. 10. 26. 27. 2. Thess. 3. 2. Tit. 1. 1. Matth. 7. 23.
4. Ideoque reprobi fieri possunt ad tempus electi ad salutem; & rursus ex electis fieri reprobi in æternum.	4. Ideoque nec reprobi fieri possunt electi, nec electi facti rursum fieri reprobi in æternum.
5. Reprobatio non peremptoria, quæ actualem & realem condemnationẽ conjunctam non habet, est eorum qui Evangelio vocati, initio non credunt, aut si credant, à fide ad tempus deficiunt, sed in fide tandem moriuntur.	5. Reprobatio non peremptoria huiusmodi, & reprobationis & electionis naturæ immutabili, & inter se, contrariæ, omnino repugnat. Ita enim eodem tempore, unus idemq; & electus esset ad salutem & reprobatus; filius Dei, & filius Diaboli.
6. Causa impulsiva antecedens, non solum damnationis, sed etiam reprobationis à gratia ac gloria ad justam damnationem, est peccatum prævisum, & quidem cum originali actuale conjunctum.	6. Causa impulsiva antecedẽs reprobationis à gratia ac gloria ad justam damnationem, est solum liberum Dei placitum, etsi executionis ipsius seu justæ damnationis causa sit quodvis peccatum ab homine factum, à Deo permissum ac toleratum. Mat. 11. 25. 26. Roman. 9. 16. 18. 22. Roman. 6. 23. 2. Thess. 1. 8. 9.
7. Nam propter solum originale peccatum nemo reprobatur, nemo damnatur: Ideoque nec infantium reprobatio est. Grevinch. contra Amesium 142. 145. 150. Episc. Thes. p. 28.	7. Nam propter solum etiam originale peccatũ damnatio est, quæ omnis peccati stipendium est, etiam non actualis, Rom. 5. 12. 14. 21. Ideoq; infantes infidelium à fœdere Dei alienorum, non renati, natura sunt filij iræ, sine Christo, sine spe, sine Deo. Eph. 2. 3. 12. ut etiam in diluvio, infantes mundi improborum, & Sodomitarum impiorum, in conflagratione etiam infantes perierũt, iræque Dei cum parentibus juste subjecti fuerunt, 2. Pet. 2. 5. 6.

Franciscus Gomarus.

IVDICIVM

IVDICIVM
Deputatorum Synodi Geldricæ,

De Articulo Primo Remonſtrantium,

Qui eſt

DE PRÆDESTINATIONE,

Deſumto ex Collatione Hagienſi.

Articulus Remonſtrantium.

DEum æterno & immutabili Decreto in Ieſu Chriſto filio ſuo, ante iactum mundi fundamentum, ſtatuiſſe ex lapſo peccatis obnoxio humano genere, illos in Chriſto & propter Chriſtum, & per Chriſtum ſervare, qui Spir. Sancti gratia in eundem filium eius Ieſum credunt, & in ea fide, ac fidei obedientia per eandem gratiam in finem perſeverant.

Contra vero eos, qui non convertuntur, & infideles, in peccato & iræ ſubiectos relinquere, & condemnare, tanquam à Chriſto alienos, ſecundum illud Euangelij, Iohan. 3.36. *Qui credit in filium, habet vitam æternam: qui vero filio non aſſentitur, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum.*

Col.Br. p. 66. l. 21. Hoc Articulo dicunt Remonſtrantes, 1. contineri totum De-
p. 85. l. 21. cretum prædeſtinationis: ipſam doctrinam de Prædeſtinatione
p. 69. l. 17. ad ſalutem: hanc Prædeſtinationem eſſe unicam & veram Præ-
p. 41. l. 16. 22. deſtinationem: nullam ſe, preter hanc de Prædeſtinatione ad ſa-
p. 42. l. 4. lutem, Euangelio revelatam doctrinam agnoſcere. II. Illud u-
Col.Br. p. 70. l. 25. nicum Decretum, eſſe fundamentum Chriſtianiſmi, ſalutis, & certitudinis de ſalute.

Nos plane aliter exiſtimamus. Nam I.

Prædeſtinatio quæ in Euangelio revelata eſt, eſt Decretum practicum.

Prædeſtinatio Remonſtrantium non eſt Decretum practicū, ſed ſpeculativum.

Ergo. Prædeſtinatio Remonſtrantium non eſt ea quæ in Euangelio revelata eſt.

Maior patet. Eſt enim Prædeſtinatio Decretum de eo quod facere vult Deus, & faciet. Minor etiam patet. Nam fieri poteſt ut Deus nihil eius faciat, quod iſto Decreto dicitur velle facere, & tamen firmum ſtaret Decretum ipſum. Ante lapſum vita decernebatur homini ſub conditione obedientiæ: *Si non comederis vives.* At comedit homo, & à vita excidimus omnes; manet tamen firmum Decretum iſtud. Ita poſſet nunc fieri ut nemo vel fieret, vel maneret fidelis, (nam fides à mutabilitate voluntatis humanæ pendet Remonſtrantibus) ac ſic per conſequens, ut nemo ſalvaretur, & tamen hoc immotum ſtaret, *Ego ſervabo Credentes.*

II. Si Decretum de ſervandis perſonis ſingularibus, eſt Prædeſtinatio ad ſalutem, tum illud quod continetur ſuperiori Articulo, non eſt totum Decretum Prædeſtinationis. At prius eſt verum. Ergo & poſterius.

Conſequentia patet. Nam Decretum de ſervandis ſingularibus non continetur Coll.Brand.
Articulo: imo omnino diverſum eſt ab eo, & diſtinctum; ut generale à ſingulari, de- p.104.l.22.&
finitum ab indefinito: Deinde electio ſingularium innititur præſcientiæ fidei quæ pag.492.
actu ineſt eligendo, ſive ei qui eligitur: Electio quæ in Articulo deſcribitur non inni- Adverſus
titur præſcientiæ fidei; quia huic electionis Decreto ſuccedaneum demum ponitur VValachr.
illud, de adminiſtrandis mediis ad finem neceſſariis. pag. 47.

Anteccdens eſt ipſorum Remonſtrantium. Collat. Brand. p. 492. Ergo manet conſequens.

III. Electio incompleta, non peremtoria, revocabilis, aut in Euangelio non est revelata, aut non est electio ad salutem, aut illa quæ in Articulo continetur, non est unica electio ad salutem, quæ sola in Euangelio est revelata.

Vide Grevinch. p. 136. & 137. cont. Amesium.

Ratio: Nam electio de qua Articulus loquitur, est completa, peremptoria, irrevocabilis.

At electio incompleta, &c. est revelata Euangelio, & est ad salutem, ex sententia Remonstrantium.

Ergo Electio quæ in Articulo continetur, non est unica electio ad salutem.

Atque hæc de primo. Sequitur alterum.

I. Decretum quo Christus à Deo statuitur in Servatorem & caput eorum qui hæreditario salutem accipient est fundamentum Christianismi. Decreto Remonstrantium non statuitur Christus in Servatorum & caput eorum qui hæreditario salutem accipient. Ergo, &c.

Maior est Remonstrantium, Coll. Brand. pag. 70. l. 26.

Minor probatur: ubi nulli ponuntur esse vel futuri qui salutem accipient, ibi Christus dici non potest statutus esse in Servatorem & caput eorum qui salutem accipient.

In Decreto Remonstrantium nulli ponuntur esse vel futuri qui salutem accipient. Ergo.

vel hoc modo:

Quales in Decreto Remonstrantium statuuntur servandi & fideles, talis statuitur Christus in eodem Decreto Servator & caput.

At in Decreto Remonstrantium statuuntur servandi & fideles, qui nec actu sint tales, nec potentia. Ergo.

Christus in eodem Decreto statuitur Servator & caput, qui nec actu talis sit, nec potentia.

Præclarum sane Christianismi fundamentum!

II. Decretum quo nulli homini salus in re aut spe decernitur, sed quo manente salvo, fieri adhuc posset, ut nemo omnino fieret salvus, id esse fundamentum salutis non potest.

Tale autem est Decretum Remonstrantium. Ergo, &c.

Nec refert, quod in Decreto hoc mentio fiat Christi, qui salutis fundamentum est. Nam & in Decreto de mittendo filio mentio fit Christi, adeoq; ordinatur istic Christus ut salutem & Spirituales omnes benedictiones promereatur: nec tamen esse hoc Decretum fundamentum salutis agnoscent Remonstrantes, utpote quod præcedaneum faciunt huic quod salutis fundamentum appellant.

III. Ex quo homo quamdiu vivit, certus esse nullo modo potest aut debet de salute sua, id fundamentum esse certitudinis de salute falso asseritur.

Ex Decreto Remonstrantium homo dum vivit, certus esse nullo modo potest aut debet de salute sua. Ergo, &c.

Maior patet per se.

Minor probatur ex Confessione Remonstrantium. Nam statuunt ut videre est in Articulo, objectum Electionis peremtoriæ (unde sola dependere potest salutis certitudo) hominem qui ad finem usque perseverarit in fide & fidei obedientia: Neminem autem certum esse posse & debere de sua Perseverantia, passim affirmant. Collat. Brand. pag. 410. lin. 10. *Dubitare num simus iidem semper futuri, laudabile est.* & pag. 504. lin. 2. *Nullus fidelis sine peculiari revelatione potest certus esse se semper in fide perseveraturum.* & pag. 506. *Qui semel vere credit, non est extra omnem metum condemnationis.* His addatur Grevinch. contr. Amesium, pag. 136. 137. & 138. Ac plane à se abeunt Remonstrantes, suique penitus obliti videntur, dum sic docent argumentari: Fideles servabuntur: Ego sum fidelis: Ergo ego servabor. Quum sic potius ex ipsorum mente dicendum fuisset: Fideles perseverantes, sive qui jam perseverarunt, salvabuntur: Ego quidem fidelis sum, sed nondum ad finem usque perseveravi, ac prorsus incertus sum an sim perseveraturus, imo non sum extra metum condemnationis, fierique potest ut condemner: Ergo ego incertus quoque sum an sim servandus.

Coll. Brand. p. 70. l. penult.

Ita

Digitized by Google

Ita hactenus, licet breviter, liquido tamen satis probasse nos credimus, I. Prædestinationem quæ à Remonstrantibus traditur, non esse totam, quæ Euangelio revelata est, prædestinationem. II. Nec eandem esse fundamentum Christianismi, salutis, & certitudinis de salute. Restat ut quam ipsi prædestinationem Euangelio revelatam ac vere fundamentum Christianismi, salutis, & certitudinis de salute esse judicamus, succincte & distincte explicemus. Sic ergo sentimus.

De Electione,

[1] Deus æterno [2] & immutabili consilio juxta [3] beneplacitum suum [4] ex lapso genere humano [5] certos quosdam, quorum [6] misereri voluit [7], prædestinavit, quos [8] I. Christo daret, [9] vocaret efficaciter ad gratiam & gloriam, adoptaret [10] in filios per Iesum Christum, [11] justificaret, [12] sanctificaret, & tandem [13] faceret actu hæredes vitæ æternæ, idque [14] ad laudem gloriosæ gratiæ suæ.

1.] Iohan. 13. 18. *Non de omnibus vobis loquor: ego scio quos elegerim.*

Ephes. 1. 3. 4. *Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi qui elegit nos in ipso.*

Non ergo homo se ipsum elegit, sed eligitur à Deo.

Neque Deus Pater tantum, sed & Dei filius, causa, fons, & auctor est electionis nostræ.

2.] Matth. 25. 34. *Possidete regnum paratum vobis à iactis mundi fundamentis.*

Ephes. 1. vers. 4. *Elegit nos antequam iacerentur fundamenta mundi.*

& vers. 11. *In sortem adsciti sumus, quum essemus prædestinati secundum propositum eius qui omnia efficit ex consilio voluntatis suæ.*

2. Timot. 2. 19. *Solidum fundamentum Dei stat, habens hoc sigillum, novit Dominus qui sint sui.*

Hebræor. 6. 17. *Volens Deus ostendere immutabilitatem consilij sui, &c.*

Iacob. 1. 17. *Apud quem (patrem luminum) non est transmutatio, aut conversionis obumbratio.* Coll. Brand, p. 69. 6. pen.

Esai. 14. 27. *Iehova exercituum ineunte consilium, ecquis irritum faciat.*

& 46. 11. *Voco ab oriente volucrem, è terra longinqua effectorem consilij mei, & locutus sum, & adducam istud; formavi, & faciam istud.*

Hinc docemus, immotam stare electionem, & electorum salutem. Ac proinde licet electorum fides, adoptio, sanctificatio, & salus, quamdiu hic militant, incompleta sit, tamen incompletam, non peremtoriam, interruptam, & revocabilem, electionem nullam esse posse. *1. Corint. 13. 9. Rom. 8. 23. 24. 2. Corint. 7. 1. 1. Iohan. 3. 1.*

3.] Matth. 11. 25. *Quod absconderis hæc à sapientibus & intelligentibus, & ea detexeris infantibus.*

vers. 26. *Etiam Pater, quia ita placuit tibi.*

Et 20. vers. 14. *Volo autem huic ultimo dare ut & tibi.*

15. *An non licet mihi, quod facere volo in meis?*

Ergo προκαταρκτικὴ electionis ad gratiam & gloriam faciendæ causa nulla est. Neque in homine, cui gratia aut gloria obtingit, cogitari quicquam potest, aut debet, quod Deum moverit, vel quasi moverit, ut gratiam illam & gloriam ipsi decerneret ac conferret. Poterat Deus omnes relinquere in peccato: poterat eligere, quos non elegit; & non eligere, quos elegit; vel pauciores pluresve eligere. Sed elegit quosdam: & quidẽ hos, non illos: Quare? tantum, quia ita placuit.

4.] Iohan. 15. 19. *Ego elegi vos ex mundo.*

Roman. 9. 21. *An non habet potestatem figulus in lutum, ut ex eadem massa faciat aliud quidem vas ad decus, aliud vero ad dedecus?*

vers. 22. *Quod si vero volens Deus ostendere iram, &c.*

Ira præsupponit peccatum: ut & pœna; qualis certe nobis est, factio vasis ad dedecus.

Prædestinatio igitur non est causa lapsus.

5.] Rom. 9. 13. *Iacob dilexi, Esau vero odio habui.*

2. Tim. 2. 19. *Novit Dominus qui sint sui.*

Iohan. 17. 9. *Non pro mundo rogo, sed pro ijs quos dedisti mihi.*

verſ. 20. *Non tantum autem pro istis rogo, sed & pro ijs qui per sermonem eorum credituri sunt in me.*

Ideo non agnoſcimus generalem & indefinitam ullam talem electionem, qua poſita, fieri adhuc poſſet ut nemo omnino ſalvaretur.

Patet & hinc manifeſte, Electorum numerum imminui & augeri non poſſe: eoſque quos pro ſuis habet Deus, in omni tentatione perſtare immotos, ac proinde etiam immotam ſtare electionem.

6.] Roman. 9. 16. *Electio non est eius qui velit, neque eius qui currat, sed miserentis Dei.*

verſ. 18. *Cuius vult, miseretur, quem vult, indurat.*

Cauſa προηγουμένη electionis eſt miſericordia Dei, id eſt, gratioſus Dei miſereri volentis affectus erga quoſdam, miſeros quidem, ſed non ideo, quia miſeri erant; omnes enim erant miſeri, & aliquorum tantummodo miſereri voluit.

Cum autem miſericordia præſupponat miſeriam, utique miſerum conſiderabat Deus quem eligebat: non ergo fidelem, non ſanctum, non qui curſum pietatis abſolverat, is enim talis ab omni omnino miſeria, nimirum, non à reatu tantum & dominio peccati, ſed à corpore peccati & mortis iam liberatus eſt.

Iohan. 14. 6. Actor. 4. 12. Hebr. 11. 5. 6. Luc. 1, 68, &c. Quin etiam hinc inferimus, aliam non eſſe Veteris Teſtamenti ſanctorum electionem, aliam Novi: cum eadem utriuſque Teſtamenti populorum miſeria, eadem miſerendi ratio, eadem à miſeria eluctandi via per Chriſtum ſtatui, omnino debeat.

7.] Epheſ. 1. 5. *Qui prædestinavit nos, προορίσας.*

Rom. 8. 29. *Quos præscivit, eosdem Prædestinavit. προώρισε.*

Finem igitur intendit ordine prius, quam media. Et quidem finem ſuum æque atque finem hominis, ita ut credamus ſtatuiſſe Deum ad laudem gratiæ ſuæ (hic Dei finis eſt) certos quoſdam eligere ad vitam æternam (hic ut finis extremus eſt hominis, ita medium eſt illuſtrandæ Dei gloriæ) quos Chriſto daret, &c.

Hæc ſunt media deducendi hominem ad finem ſuum electione ipſi iam præſtitutum, neque poſſumus vel cogitatione aſſequi quomodo nos prædeſtinaverit, quos adoptaret in filios, niſi de communicanda hæreditate, & quidem nobis communicanda antea certi aliquid apud ſe ſtatuiſſet Deus.

8.] Iohan. 17. 6. *Patefeci nomen tuum hominibus quos dedisti mihi selectos è mundo: tui erant, & mihi hos dedisti.*

& 6. verſ. 37. *Quicquid dat mihi Pater, ad me veniet.*

Hæc datio omnino fidem antegreditur: nam venire eſt credere: ut liquet ex toto contextu, Chriſtus itaque ut θεάνθρωπος & mediator, eſt fundamentum & meritoria cauſa ſalutis noſtræ, omniumque bonorum quæ ab æterna electione præparata ſunt, & in tempore conferuntur à Deo. Imo eſt etiam fundamentum Electorum.

9.] Rom. 8. 30. *Quos prædestinavit, eos etiam vocavit.*

1. Theſſ. 1. 4. *Vt qui sciamus vos esse à Deo electos:*

verſ. 5. *Quoniam Euangelium nostrum consistit apud vos, non loquutione duntaxat, sed etiam virtute.*

2. Theſ. 2. 13. *Debemus gratias agere de vobis Deo quod elegerit vos Deus ab initio ad salutem, per sanctificationem Spiritus, & fidem habitam veritati.*

2. Petr. 1. 3. *Divina vis ipsius omnia nobis donavit, quæ ad vitam, & pietatem pertinent, per agnitionem illius qui vocavit nos ad gloriam & virtutem.*

Rom. 8. 28. Non deſtinavit ergo quemquam ad finem Deus niſi per media. Et quos ad gloriam, id eſt, ſalutem deſtinavit, eos etiam ad media ſalutaria deſtinavit; non ut offerret ea illis tantum, ſed ut conferret etiam. Ideo vocatio hæc ſecundum propoſitum dicitur. Et qui finem deſiderat, omnino de præordinatis mediis adhibendis ſerio ſollicitus eſſe debet. Ut ſtultum & impium ſit dicere, ſi ad ſalutem & fidem ſalutarem ſum prædeſtinatus, obtinebo utrumque quicquid tandem agam. Imo, ſi vis ſalvus eſſe, crede: ſi fidem expetis, audi verbum. Nam ex auditu fides.

Collat. 8. p. 489. cap. 8. Efficax vocatio & fides, omniaq; quę ſequuntur fidẽ, fructus ſunt & effecta electionis ad vitam: ſive ut cum Remonſtrantibus contra ipſoſmet Remonſtrantes loquamur,

præde-

Prædestinatio est vera causa & fons ipse, unde gratia & reliqua sequuntur. Non potest ergo dici, in eligendis fuisse prævisam fidem; multo minus ut ea prævisa sint quæ fidem sequuntur. Qui autem nunquam per prædicatum verbum vocantur, credere non possumus eos (loquimur de adultis) ad vitam æternam esse electos. Rom.10.13.

Non omnes qui vocantur, à Deo vocantur. Sed loquutione, id est, externa hominis prædicatione vocantur omnes quibus verbum annunciatur: virtute autem, id est, interna & efficaci operatione Spiritus sancti, soli electi. Sed neque ad gratiam salutarem, & gloriam vocantur omnes, qui à Deo virtute interna Spiritus vocantur. Duo enim omnino sunt prædicanda: lex & Euangelium. Illa peccatum docet & iram operatur: hoc gratiam & gloriam annunciat. Illius prædicationis, quæ antecedanea esse debet, objectum proprium & adæquatum est homo in peccatis mortuus; huius, quæ succedanea est, homo in quo peccatum revixit. Finis illius non semper est, ut ad gratiam salutarem, ipsamque adeo salutem æternam expetendam homo adigatur, sed sæpe tantum, ut ad corporale beneficium recipiendum, præstita pœnitentia, aptus reddatur; hujus, tantum ut gratiæ salutaris & gloriæ hominem faciat participem. Quæ cum ita sint, etsi credimus neminem ex se ac virtute sua dolorem de peccato debitum concipere & converti posse, ne quidem si per loquutionem, id est, externam prædicationem legis vocetur, sed necesse esse, ut qui hæc faciat, etiam virtute, id est, voce interna Dei vocetur, quin etiam ut dolorem istum & conversionem operetur Deus; tamen, quia sæpe Deus converso peccatori tantum intendit dare bonum aliquod externum, vel auferre pœnas aliquas extraordinarias: concludimus, ne quidem omnes ad gratiam salutarem, & gloriam vocari, qui à Deo, sive virtute Dei interna, vocantur. Mat.11.28. Luc.24.47. Ioh.7.37. Ionæ 3.5.&c. Psalm.99.8. 1.Reg.21.29.

10.] Ephes. 1. 5. *Qui prædestinavit nos, quos adoptaret in filios per Iesum Christum.* Quum ad adoptionem nos elegerit, non elegit sane quos fideles esse jam prævidebat. Nam per fidem adoptamur in filios Dei. Si autem filii sumus, erimus & hæredes. Proinde simulatque adoptionis hujus spiritum accepimus, de electione nostra certi esse possumus. Ioh.1.12. Gal.3.26. Rom.8.15.16,17.

11.] Rom. 8. 30. *Quos vocavit, eos etiam iustificavit.*

Et hinc liquet justificationem, id est, peccatorum gratuitam & salutarem remissionem esse fructum, consequens, & effectum electionis: id est, justificatos non eligi, sed electos justificari. Non quod credamus omnes electos esse justificatos, qui ne vocati quidem omnes sunt, sed fieri non posse dicimus, quin quos elegit Deus ut vocaret eos, ac fide donaret, ij etiam vocentur, fide donentur, ac per fidem justificentur. Ephes.1.13.14.

12.] Ephes. 1. vers. 4. *Elegit nos ut simus sancti & inculpati coram eo per charitatem.*

1. Petr. 1. 2. *Dilectis ex præscripto Dei Patris ad sanctificationem Spiritus.*

Ideo tantopere commendamus sanctitatem vitæ, & pietatis serium studium, omniaque quæ ad pietatem iuvare nos possunt, ut sunt preces, jejunia, vigiliæ, carnis mortificatio, peccati fuga, &c. Hinc etiam illud Apostoli toties inculcamus, *Cum timore ac tremore vestram ipsorum salutem conficite.* Et, *Qui sibi videtur stare, videat ne cadat.* Et, *Studete vocationem & Electionem vestram firmam efficere.* Et, *Discedat ab injustitia, omnis qui nominat nomen Christi.* Nam omnino credimus, *Quotquot Spiritu Dei ducuntur, eos esse filios Dei.* Et, *Si quis non habet Spiritum Christi, illum non esse eius: omnesque qui Christi sunt, carnem crucifixisse cum affectibus & concupiscentiis.* Unde pro aperte impiis eos omnes habemus, qui quicquid tandem agunt, salvos se indubitato fore dicunt, quia scilicet Electi sint. Imo vero, ex fructu de arbore, ex operibus de fide, ex sanctitate interna pariter & externa, id est, ex Spiritu adoptionis & sanctificationis, operibusque Spiritus istius, de electione judicare quemlibet debere (ac ne posse quidem alia ratione) asserimus. *Sine sanctimonia nemo videbit Deum.* Licet autem nisi sanctificatus nemo salvetur, non tamen ideo etiam Electi sunt ad salutem, quos sanctificatos iam esse in mente sua præcognoscebat Deus. Nam ad sanctitatem æque elegit nos atque ad salutem: & quidem prius ad hanc, quam ad illam, ut supra diximus, etsi ad hanc non nisi per illam. Phil.2.12. 1.Cor.10.12. 2.Pet.1.10. 2.Tim.2.9. Rom.8.14. Ibid.9. Galat.5.24. Hebr.12.14.

13.] Matt. 25. 34. *Venite possidete hæreditatis iure regnum paratum vobis, &c.*
& 20. 23. *Sedere ad dextram meam & sinistram meam dabitur quibus paratum est à Patre meo.*
1. Pet. 1. 4. *In hæreditatem vobis in cælis servatam.*
Luc. 12. 32. *Visum est Patri vestro dare vobis regnum.*

Uti gratis filii simus, & jus hæreditatis acquirimus, ita & in possessionem hæreditatis mittimur plane gratis, misericorditer, indebite. Perperam ergo dicitur vitam æternam à Deo ceu præmium decerni & dari iis qui conditiones, quas ipse præscripsit, impleverit. Nam dare vitam ut præmium, præstita iam conditione, sub qua decreta erat vita illa, ut præmium, non est omnimode gratis & ex εὐδοκίᾳ dare vitam, sed ex debito.

14.] Ephes. 1. 6. *Ad laudem gloriosæ suæ gratiæ, qua nos gratis effecit sibi gratos in illo dilecto.*

Idque in solidum: ut nihil omnino operanti, credenti, perseveranti cedat de quo, tanquam de suo, ulla ratione gloriari queat. Hactenus de electione.

Atque hanc de electione doctrinam, fundamentum recte dici Christianismi, salutis, & certitudinis de salute, hinc probamus:

I. Decretum quo salus infallibiliter decernitur certis personis, simulque media ad salutem necessaria ordinantur, & ex cuius vi primitus & efficaciter fluit participatio tum mediorum istorum ad salutem necessariorum, tum ipsius salutis, id vere dicitur fundamentum salutis.

Tale est illud jam à nobis descriptum. Ergo.

II. Decretum quod docet nos totos à Christo pendere, & ab eo solo universam salutem petere, simulque indicat omnia media quibus solis ad participationem Christi & salutis pervenitur, id continet, sive est, fundamentum Christianismi.

Tale est illud à nobis iam descriptum. Ergo.

III. Decretum quod æternam salutem infallibiliter, & irrevocabiliter paratum esse statuit omnibus & singulis, qui mediorum ad salutem necessariorum semel vere facti sunt participes, id demum certitudinis de salute fundamentum est.

Tale est illud à nobis descriptum. Ergo.

Nam sic omnino docemus argumentari: & primo in thesi:

Quoscunque Deus elegit ab æterno, ij infallibiliter salvabuntur.
Quorumcumque misereri voluit Deus, eos elegit ab æterno. Ergo.
Quorumcumque misereri voluit Deus, ij infallibiliter salvantur.

Syllogismus est apodicticus, & termini omnes convertibiles. Deinde sic assumimus in Hypothesi:

Quorumcumque misereri voluit Deus, ij infallibiliter salvabuntur.
Mei misereri voluit Deus. Ergo.
Ego infallibiliter salvabor.

Minor probatur: Nam,

1. Dedit me Christo. Id colligo ex viva fide mea, juxta Iohan. 6. 37.
2. Vocavit me efficaciter. Et hoc colligo ex fide mea, Rom. 10. 17.
3. Adoptavit me in filium per I. Christum. Id me docet Spiritus Adoptionis quo obsignatus sum. Rom. 8. 16. Galat. 4. 6. & fides mea. Iohan. 1. 12. Gal. 3. 26.
4. Iustificavit me. Id scio ex pace conscientiæ meæ, Rom. 5. 1.
5. Sanctificavit me. Id partim vita mea mihi testatur, in primis autem animi mei & conscientiæ constitutio. Actor. 15. 9. Matth. 12. 34. 35. Colos. 3. 12. 13. 14. 15. 16. 17.

Hic tam in Decreto, quam in executione, id est, tam ubi in Thesi loquor, quam ubi in Hypothesi, omnia non sunt currentis, neque volentis, sed miserentis Dei.

Et hac ratione reddor certissimus de electione mea à posteriori: ac rursus, ex electione mea, id est à priori, reddor certissimus de perseverantia, & per consequens de salute mea.

Quod

Quod maximum sane & certissimum est solatium. Neque timendum etiam est, qui sic agunt ne ad securitatem prolabantur. Res est manifestissima.

Sequitur ut explicemus quid sentiamus.

DE REPROBATIONE.

Credimus vero reliquos [1] quorum misereri Deus non voluit, præteritos esse [2] & in lapsu relictos: qui [3] Christo dati non sunt, quibusque unquam [4] salutarem Christi atque eius Euangelij cognitionem & fidem qua [5] adoptentur in filios, iustificentur, dare, quia [6] ita placuit, [7] non proposuit. Sed propter peccata quosdam in hac etiam vita, [8] indurando, excæcando, in reprobum sensum eos tradendo, omnes autem post hanc vitam [9] æterna damnatione punire, idque [10] ad ostendendam iram, potentiam, & iustitiam suam.

1.] Rom. 9. 18. *Cuius vult miseretur.*

Quorum in tempore miseretur, eorum misereri vult & voluit ab æterno Deus. Contra quorum non miseretur, eorum non vult, nec voluit ab æterno misereri. Est ergo voluntas & beneplacitum Dei unica causa, ut electionis illorum, ita non electionis horum: & obiectum utriusque, tam electionis, quam non electionis adæquatum, homo miser, peccato & iræ Dei sua culpa obnoxius. Unde sicut misericorditer electus est quisquis est electus, ut gloriari, aut se præ alio efferre nulla ratione possit, ita iuste non eligi potuit, quisquis non electus est, neque habet talis de quo iuste queratur, nisi de sua culpa. Rom. 9. 14. 15.

2.] Matth. 24. 40. *Unus assumetur, alter relinquetur.*

Rom. 11. 7. *Electi assecuti sunt, reliqui vero occalluerunt.*

Invenit ergo miseros, corruptos, peccato & iræ obnoxios, ad malum propensos, ineptos ad ullum bonum salutare, eos quos non eligebat sive præteribat Deus: ut omnino tantum reliquerit eos, quales sua culpa erant, non autem fecerit tales decreto ullo suo.

3.] Ioh. 17. 6. *Hominibus quos mihi dedisti selectos è mundo.*

Non Ergo dedit Christo totum mundum.

Rom. 9. 3. *Optarim ego ipse anathema esse separatum à Christo.* Ergo reprobi sunt separati à Christo.

Ioh. 6. 37. *Quicquid dat mihi Pater, ad me venit.* Qui itaque ad Christum non veniunt unquam, id est, qui in infidelitate manent, eo ipso noscuntur Christo dati non esse. Sed de hoc fusius Articulo secundo.

4.] Matth. 13. 11. *Vobis datum est nosse mysteria regni cælorum, illis autem non est datum.*

Ioh. 10. 26. *Vos non creditis: non enim estis ex ovibus meis.*

2. Thess. 3. 2. *Fides non est omnium.*

Act. 13. 48. *Crediderunt quotquot erant ordinati ad vitam æternam:*

Scientiam ergo omnem de Christo & regno cælorum, gaudiumque in corde hominum enatum, veram & salutarem esse fidem negamus. Quod ex eo probatur:

Qui dolorem de peccato, qui secundum Deum est, non habuit, is salutarem fidem non habuit.

Qui in impietate & infidelitate moritur (qualiscumque tandem in vita fuerit) is dolorem de peccato, qui secundum Deum est, non habuit. Ratio eius est id quod dicitur 2. Cor. 7. 10.

Ergo is talis quoque salutarem fidem non habuit. Sed de hoc fusius in quinto Articulo.

5.] Eph. 1. 13. *In quo etiam posteaquam credidistis, obsignati estis Spiritu illo promissionis sancto.*

Vers. 14. *Qui est arrhabo hæreditatis nostræ.*

Iohan. 1. 12. *Quotquot eum exceperunt, dedit eis hanc dignitatem, ut filij Dei fierent, nempe, ijs qui credunt in nomen eius.*

Quibus fidem igitur dare non constituit, eosdem adoptare in filios non constituit: atque ita neque iustificare, neque sanctificare. Fide enim iustificamur, & sanctificantur corda nostra. Unde perperam sane nobis etiam objicitur, quasi doceamus, Rom. 3. 28. Act. 15. 9.

reprobos ſervari non poſſe, etſi faciant omnia opera ſanctorum. Nam quamvis non difiteamur, in ſpeciem multa ab hypocritis fieri quæ materialiter ſanctorum operibus non abſimilia videri poſſent, nihil tamen quod vere & formaliter bonum ſit, ab ipſis fieri, imo quamdiu hypocritæ manent, poſſe fieri contendimus, ex Matth. 7. 16. 18. Collato cum Matth. 12. 34. Act. 15. 9.

6.] Matth. 11. 25. 26. *Quod abſconderis hac à ſapientibus & intelligentibus. Etiam Pater, quia ita placuit tibi.*

Atque ita, ut ſalutis, ſic quoque diſpenſationis mediorum ad ſalutem neceſſariorum cauſam unicam ſtatuimus Dei beneplacitum ac voluntatem liberrimam ſimul & iuſtiſſimam ſapientiſſimamque. Neque ſtatuitur hoc modo Deus infidelitatis cauſa poſitiva, ſed negativa tantum: cum homo ipſe ſit cauſa poſitiva ſuæ infidelitatis, utpote qui ſuamet culpa cæcus, perverſus, impotens ad bonum factus, neque poſſit credere.

7.] Matth. 13. 11. *Illis autem datum non eſt.* Ergo non propoſuit dare. Nam Deo ab omni ævo nota ſunt omnia opera ſua.

Atque hactenus negative omnia tantummodo, nihil dum poſitive ex parte Dei, circa reprobos. Et ut negatio hæc, ſive noluntas cauſa eſſe poſitiva ullius peccati non poteſt, ita neque peccatum, cui obnoxij erant, qui non eligebantur, cauſam eſſe negationis vel noluntatis iſtius poſſe credimus.

8.] Rom. 1. 28. *Tradidit eos Deus in mentem omnis iudicij expertem, ut facerent quæ minime conveniebat.*

Et cap. 9. 18. *Quem vult, indurat.*

Ioh. 12. 40. *Excæcavit oculos eorum, & obduravit corda eorum ne videant oculis & intelligant corde & ſeſe convertant & ſanem eos.*

Hi actus ſunt iuſtitiæ punitivæ: ideo peccatum præſtruimus; ſine cuius intuitu Deum punire quenquam non credimus: ac propterea ne decreviſſe quidem hanc pœnam niſi peccatoribus Deum exiſtimamus. Poſito ergo peccato poſitive circa reprobos verſatur Deus.

9.] Matth. 25. 41. *Execrati abite à me in ignem æternum.*

Iudæ verſ. 4. *Prius iam olim deſcripti ad hanc damnationem.*

2. Theſſ. 1. 9. *Pœnam pendent æterni exitij, expulſi à facie Domini & à gloria ipſius robore.*

Damnat Deus homines propter peccata, & decrevit damnare propter peccata.

10.] Rom. 9. 14. *Num iniuſtitia eſt apud Deum? abſit.*

Verſ. 22. *Quid? ſi vero volens oſtendere iram & notam facere potentiam ſuam, &c.*

Hic Dei finis extremus fuit reprobatione intentus. Ira autem & iuſtitia peccatum præſupponunt. Ut omnino iniuria nobis fiat cum dicimur credere, Quod Deus decreverit damnare homines, abſque reſpectu peccati quod admiſerunt. Nam ſive peccatum conſideres quod in Adamo omnes commiſimus, ſive, quod quotidie dum vivimus, committimus, ſemper Deum punientem æterna morte hominem ad peccatum attendere credimus: & quidem peccatum non ἀπιστίας tantum, ſi privative intelligitur, ſed etiam ἀπειθείας omnis. Et hæc quoque breviter de Reprobatione, quia parce de ea in Scripturis legitur.

Neque poteſt quiſquam ex hac doctrina legitime occaſionem captare, nedum cauſam arripere negligendi & contemnendi auditum Verbi Dei ac de ſua ſalute deſperandi: Nam ſi quis ita argumentetur,

> Quorum Deus miſereri voluit, ij infallibiliter ſalvabuntur. Mei Deus miſereri non voluit. Nam nondum miſertus eſt. Ergo ego non ſalvabor infallibiliter.

Reſpondemus: Alijs citius, alijs ſerius miſericordiam contingere. Vocari hos hora ſexta, illos hora undecima: & tantundem accepiſſe latronem qui in fine vitæ ad Chriſtum venit, atque alios qui tota vita Deo ſervierint: Non enim ex merito dari vitam æternam, ſed ex gratia. Cum ergo in rebus alijs quæ vitam præſentem concernunt, quiſque de ſe optima ſperet & media adhibeat quibus ſpei ſuæ ſe compotem poſſe fieri exiſtimat, monemus ſingulos ne ſibi deſint quoque in ijs quæ futuram vitam attingunt, quin potius verbum Dei audiant, *ſi forte daturus aliquando*
2. Tim. 2. 25. 26. *ſit ijs Deus reſipiſcentiam ad cognitionem veritatis*, utque ſanitate mentis recepta evadant

dant ex Diaboli laqueo. Sic de nullius salute desperamus, dum vivit. neque dubitare quenquam permittimus, nisi manifesta reprobationis indicia, excæcationem, puta, & peccatum in Spiritum sanctum, quod ad mortem est, & pro quo orare non licet, in quoquam liquido comperiantur.

Hæc salvo meliori iudicio nostra de primo Articulo hoc, est sententia.

IVDICIVM
Deputatorum Synodi Zuydt-Hollandicæ, De Primo Articulo Remonstrantium, *Qui est,* DE PRÆDESTINATIONE DIVINA.

DEputati Synodi Zuydt-Hollandicæ, omnibus, in timore Domini, ad normam verbi divini, diligenter & accurate expensis, statuunt:

De Electione,

1. Electionem seu Prædestinationem ad salutem significare liberrimum Dei decretum, quo apud se ab æterno statuit, certas quasdam singulares personas, nullo actu, qualitate, dispositione, aut Euangelica & gratiosa dignitate, inhærente aut prævisa, discretas, ex toto genere humano seligere, per verbum & Spiritum suum vocare, vera fide donare, in eadem ad finem vitæ conservare, & per fidem in Christum justificare, sanctificare, & glorificare, ad laudem gloriosæ suæ gratiæ.

Consectaria.

Consect. I. Adeo ut unico hoc decreto, quod à justificatione distinguunt, sentiant Deum singularibus illis personis non tantum gloriam, sed etiam gratiam suam, per quam certo & efficaciter ad gloriam perducantur, destinasse ac præparasse: seu eas non tantum ad finem, qui est vita æterna, sed simul etiam ad omnia media ad hunc finem consequendum necessaria, destinasse, eaque suo tempore certo atque efficaciter ijs administrare. 2. Ac proinde destinationem ad gratiam æque late se extendere atque destinationem ad gloriam, & vice versa. 3. Unam & uniformem electionem omnium salvandorum. 4. Omnesque illos qui horum mediorum per gratiam Dei participes facti sunt, ex ijs certo statuere posse ac debere, se à Deo ab æterno ad vitam æternam esse electos.

Docent id hæc Sacræ Scripturæ loca. Ad Ephes. 1. 4. 5. Matth. 20. vers. 16. & cap. 22. vers. 14. 2. Timoth. 2. vers. 19. Actor. 15. vers. 18. Rom. 9. vers. 11. 12. 13. Rom. 8. vers. 29. 31. & seqq. Ad Galat. 1. vers. 15. Matth. 24. vers. 21. Marci 13. vers. 22. Ephes. 1. vers. 11. 12. 1. Cor. 2. vers. 12. 2. Cor. 13. vers. 5. & similia.

Reijciunt itaque,

I. Electionem seu Prædestinationem ad salutem in S. Scriptura, nihil aliud significare, quam decretum Dei quo in genere statuit fideles & in fidei obedientia perseverantes justificare & vita æterna donare.

2. Decreta

II. Decreta Electionis & Iustificationis esse uniformia & conformia.

III. Deum velle perseverantes fideles justificare & vita æterna donare, esse totum atque integrum decretum prædestinationis ad salutem, in Euangelio revelatum.

IV. In hoc Electionis decreto vitam æternam non finis à Deo absolute intenti, sed tantum præmij in genere propositi rationem habere.

V. Aliam esse Electionem in Veteri, aliam in Novo Testamento: & Deum absolute loquendo perpaucos homines quosdam, tanquam aliorum credentium duces, singulari quadam & prorsus extraordinaria ratione ad fidem & salutem eligere potuisse; ita ut absolute hos tales ad Christum sive ad salutem perducere decreverit.

VI. Electionem esse multiplicem, puta aliam ad vitam æternam, aliam ad fidem, hancque latius illa se extendere: aliam absolutam, aliam conditionatam, aliam indefinitam, aliam definitam; aliam generalem, aliam particularem: aliam incompletam & revocabilem, aliam completam & irrevocabilem; aliam non peremptoriam, aliam peremptoriam.

VII. Electionis ad vitam nullum esse certum sensum nullumque fructum in hac vita.

II. De Causis Electionis.

Deum in eligendo omnes homines considerasse in pari statu: Causamque cur Deus aliquos elegerit non esse aliquod bonum (sive id actus, sive qualitas, sive dispositio, sive gratiosa & Euangelica dignitas nominetur) aut in homine iam existens, aut à Deo prævisum, quod Deum moverit ad eligendum, sed solum Dei beneplacitum & gratuitam benevolentiam. Fidem autem & perseverantiam ceterasque benedictiones spirituales media esse saluti subordinata à Deo; & effecta ex æterna electione manantia.

Docent hæc sequentia Sacræ Scripturæ loca, Matth. 11. vers. 26. Luc. 12. vers. 32. Exod. 33. vers. 19. Rom. 9. vers. 15. 16. 18. Deuteronom. 7. vers. 7. 8. & cap. 9. vers. 6. Matth. 20. vers. 15. Rom. 11. vers. 5. Eph. 1. vers. 5. 2. Thess. 2. vers. 13.

Itaque reÿciunt,

1. Fidem, conversionem, obedientiam fidei, sanctitatem, perseverantiam, totumque pietatis cursum consummatum esse conditiones in eligendis prærequisitas, aut causas, quæ sive ex dignitate & merito suo, sive ex gratuita Dei æstimatione, Deum moverint ad eligendum.

2. Eandemque electionem Dei, ulla ratione, sive actu, sive consideratione, in præscientia Dei præcedere.

III. De Immutabilitate Electionis.

Decretum Electionis hujus æternæ esse firmum atque immutabile; ita ut omnes Electi complete, irrevocabiliter & peremptorie sint electi, nullique eorum, licet ex infirmitate graviter peccent, possint fieri reprobi: proinde apud Deum certum ac definitum esse Electorum numerum, qui nec augeri nec minui possit.

Docent loca seqq. Rom. 8. vers. 29. & seqq. Rom. 11. vers. 29. Iacob. 1. vers. 17. Esai. 46. vers. 10. Ioan. 6. vers. 39. 2. Timoth. 2. vers. 12. & 19. Psalm. 23. vers. 1. 2. 6. Heb. 6. vers. 17. Heb. 10. vers. 23.

IV. De Objecto Electionis.

An Deus in eligendo homines consideraverit ut lapsos, an etiam ut nondum lapsos, existimant non esse necessarium ut definiatur, modo statuatur Deum in eligendo

gendo consideraſſe omnes homines in pari ſtatu, ita ut qui Electus eſt, non fuerit à Deo conſideratus, vel ex ſe & merito ſuo, vel per gratioſam æſtimationem dignior altero, qui non eſt electus: quemadmodum viri docti & pij ſententias de objecto Prædeſtinationis, quæ inter ſe videntur diſcrepare, reconciliaverunt, & illi non inutiliter reconciliari poſſe exiſtimant.

DE REPROBATIONE.

I. Quod quorundam ſit Reprobatio.

1. Ut Deus ab æterno non omnes homines, ſed quoſdam tantum ad vitam æternam elegit, ita etiam ab æterno decreviſſe ad gratiam & gloriam ſupradictam quaſdam ſingulares perſonas non eligere, ſeu præterire, ſibique ipſis relinquere, & iuſte propter peccata damnare ad laudem iuſtitiæ ſuæ:

Probant hæc S. Scripturæ loca. Rom. 9. verſ. 13. & 21. 22. 2. Timoth. 2. verſ. 20. 1. Pet. 2. verſ. 7. 8. Iud. verſ. 4. & ſimilia.

Ideoque reÿciunt,

1. Deum ſtatuiſſe neminem præterire, aut ſibi relinquere, aut vita æterna mediiſque ad eam ſufficientibus non donare, ſed media neceſſaria & ſufficientia omnibus hominibus adminiſtrare, ita ut omnibus prodeſſe poſſint ad ſalutem, & revera proſint, niſi ea ipſi ſibi eorundem abuſu in exitium vertant.

2. Integrum Decretum Reprobationis in verbo Dei revelatum hoc eſſe, quod Deus ſtatuerit infideles & impœnitentes damnare.

II. De Cauſa Reprobationis.

Cauſam adæquatam cur Deus aliquos non eligendo præterierit, eſſe ſolum divinæ voluntatis beneplacitum: Cauſam vero cur eoſdem damnare decreverit, eſſe non tantum actualem oblatæ gratiæ divinæ rejectionem, ſed etiam alia omnia peccata, tam originale, quam actualia:

Docent hæc loca Sacræ Scripturæ, Matth. 11. verſ. 26. Rom. 9. verſ. 18. & 21. Matth. 13. verſ. 11, &c.

Itaque reÿciunt,

Cauſam cur Deus aliquos rejecerit eſſe infidelitatem & impœnitentiam præviſam.

III. De Immutabilitate Reprobationis.

Decretum hoc Reprobationis eſſe æternum & immutabile ita ut reprobi non poſſint fieri electi:

Probatur hoc iiſdem locis quibus ſupra Electionis immutabilitas eſt probata.

Ideoque reÿciunt,

Reprobos ullos aliquando poſſe fieri electos.

IV. De

IV. De Reprobatione Infantium.

Infantes omnes propter peccatum originale, æternæ damnationi obnoxios esse, & in infantibus etiam fidelium viventibus & adolescentibus reprobationem locum habere, S. Scripturam atque experientiam clare testari. Verum an eadem quoque locum habeat in infantibus fidelium in infantia, sine peccatis actualibus, morientibus, existimant non esse curiose inquirendum: sed quia exstant S. Scripturæ testimonia, quæ fidelibus parentibus omnem de Electione & salute horum infantium dubitandi ansam præcidunt, existimant in ijs esse acquiescendum: qualia sunt, Genes. 17. vers. 7. Matth. 19. vers. 14. Actor. 2. vers. 39. 1. Cor. 7. vers. 14. & similia.

IVDICIVM
Fratrum Noordt-Hollandorum,
De Primo Articulo Remonstrantium.

PRimus Articulus Remonstrantium in Collatione Hagiensi sic habet:

Deum æterno & immutabili decreto in Iesu Christo filio suo, ante iactum mundi fundamentum, statuisse ex lapso peccatis obnoxio humano genere illos in Christo, & propter Christum, & per Christum, servare, qui Spiritus sancti gratia in eundem filium ejus Iesum credunt, & in ea fide ac fidei obedientia per eandem gratiam in finem perseverant.

Contra vero eos, qui non convertuntur & infideles in peccato, & iræ subiectos relinquere, & condemnare, tanquam à Christo alienos; secundum illud Euangelij, Ioan. 3. 36. Qui credit in filium, habet vitam æternam: qui vero Filio non assentitur, non videbit vitam æternam, sed ira Dei manet super eum.

De huius autem Articuli vera & genuina sententia ex ipsa Hagiensi Collatione, alijsque Remonstrantium editis scriptis, & exhibitis huic Synodo Thesibus fideliter eruta, certisque Articulis seu quæstionibus à R. D. Præside ad formandum Synodicum judicium comprehensa & proposita, Fratres Noordt-Hollandi, expensis in timore Domini tam S. Scripturæ locis, quam argumentis ab ipsis Remonstrantibus in iam dicta Collatione & passim alibi ad suæ sententiæ assertionem adductis, ijsque diligenter ad solam divini verbi normam infallibilem examinatis, sic in conscientia apud se sentiunt, &, seposita omni humana consideratione, judicant. Et,

Primo quidem falsum esse asserunt; quod statuunt Remonstrantes, hoc Articulo, contineri totum & integrum Electionis decretum quo dicitur: Deum decrevisse æterno & immutabili decreto, in Filio suo Iesu Christo credentes & in fide ac fidei obedientia perseverantes servare.

Plura enim & maiora dicunt decreto Electionis contineri: videlicet:

Deum ab æterno decreto immutabili statuisse & pro mero suo beneplacito, ex toto genere humano in peccatum & perditionem prolapso certos quosdam & singulares homines conformes reddere imagini Filij sui; eosque in tempore efficaciter vocare, fide & perseverantia donare, justificare, sanctificare, glorificare, atque ita per Christum servare, ad laudem gloriosæ suæ gratiæ.

Sic enim Scriptura testatur, Rom. 8. vers. 29. *Quos præscivit eosdem & prædestinavit, ut conformes fiant imagini Filij sui.*

Veri

Vers. 30. *Quos prædestinavit, eos etiam vocavit: & quos vocavit eos etiam iustificavit: quos autem iustificavit, eos etiam glorificavit.*

Et ad Ephes. cap. 1. vers. 4. *Sicut elegit nos in ipso antequam iacerentur fundamenta mundi, ut simus sancti & inculpati coram eo per charitatem.*

Vers. 5. *Qui prædestinavit nos, quos adoptaret in filios per Iesum Christum in sese, pro benevolo affectu voluntatis suæ.*

Vers. 6. *Ad laudem gloriosæ suæ gratiæ.*

Item: 2. Thess. 2. 13. *Nos autem debemus gratias agere Deo semper de vobis Fratres dilecti à Domino, quod elegerit vos Deus ab initio ad salutem per sanctificationem spiritus & fidem habitam veritati.*

Vers. 14. *Ad quod vocavit vos per Euangelium nostrum ad obtinendam gloriam Domini nostri Iesu Christi.*

2. Timoth. 1. 9. *Qui servavit nos, & vocavit vocatione sancta: non ex operibus nostris, sed ex suo proposito, & gratia quæ data quidem est nobis in Christo Iesu ante tempora secularia.*

1. Petr. 1. 2. *Electis ex prænotione Dei Patris ad sanctificationem spiritus per obedientiam & aspersionem sanguinis Iesu Christi.*

Quibus ex locis patet Prædestinationem ad conformitatem imaginis Filij Dei, patefactionem mysterij voluntatis divinæ, vocationem efficacem, fidem, adoptionem in filios Dei, sanctificationem spiritus, redemptionem per sanguinem Christi, & justificationem Decreto Electionis includi; & partim ut eius effecta fructusque, partim ut eius subordinata media supponi, per quæ Deus electos suos ad salutem & gloriam perducit; quæ omnia isto Remonstrantium Articulo non continentur. Quare verum non est, eo totum & integrum Electionis decretum contineri. Imo nec est quidem hic decretum ullum Electionis. Fieri enim posset, ut manente hoc decreto, vel omnes sine exceptione crederent & servarentur, vel ut nemo crederet & omnes perirent: quia sintne futuri qui credant; item, sintne qui credunt in fide & fidei obedientia ad postremum usque vitæ halitum perseveraturi; nec unde credentibus fides & perseverantia sint obventura ullo modo hic decernitur. Denique vel ex ipsorum Remonstrantium scriptis liquido constat isto Articulo totum & integrum Electionis decretum minime contineri. Ipsi enim in Collatione Hagiensi pag. 4. 13. quemadmodum & in scripto nuperrime exhibito, mentionem faciunt, cuiusdam decreti particularis, quo decrevit Deus certas quasdam & singulares personas servare, quas credituras jam videbat, & ad finem usque perseveraturas. Quod si verum est amplius aliquid Deus decrevit, quam credentes & in fide perseverantes servare: quia aliud est, *Decrevi servare credentes*; aliud, *Decrevi hos vel illos homines quos provideo credituros & non alios homines servare.*

Secundo, statuunt Remonstrantes multiplicem esse Electionem; aliam generaliorem, aliam particularem & singularem; aliam indefinitam, aliam definitam; aliam incompletam, aliam completam; aliam non peremtoriam, aliam peremtoriam, aliam conditionatam, aliam absolutam.

Fratres Noordt-Holl. contra asserunt: unicam tantum esse electionem eamque particularem, definitam, completam, peremptoriam, absolutam; eam, nimirum, quæ paulo ante ab illis ex Dei verbo descripta est, quæque cum salute certa electorum omnium & singulorum, sine ulla exceptione, etiam media ad salutem præordinata comprehendat.

Quod testantur loca Scripturæ non obscura, nec pauca. Matth. 20. 16. & 22. 14. *Multi vocati pauci electi.* Luc. 10. 20. *Gaudete quod nomina vestra scripta sunt in calis.* Ioh. 10. 14. *Agnosco oves meas, & agnoscor à meis.* Iohan. 13. 18. *Non de omnibus vobis loquor, scio quos elegerim.*

Act. 13. 48. *Crediderunt quotquot erant ad vitam æternam ordinati.* Rom. 8. 29. *Quos præcognovit, eosdem & prædestinavit, &c.* Vers. 30. *Quos prædestinavit eosdem, &c.*

2. Timoth. 2. 19. *Novit Dominus qui sunt sui.*

Nam etſi pro noſtro conſiderandi modo varia videri poſſent eſſe decreta, reipſa tamen Decretum vnicum & ſimpliciſſimum eſſe ex eo conſtat, quod Deus actus eſt ſimpliciſſimus, qui uno ac ſimpliciſſimo actu omnia intelligit, vult, decernit & agit.

Et quia ex teſtimonijs Sacræ Scripturæ jam allatis manifeſto conſtat, Electionem ad ſalutem unicam tantum eſſe, particularem, definitam, completam, & abſolutam, quæ certa eſt & infallibilis deſtinatio antecedanea finis & mediorum; ita ut finem, qui eſt gloria Dei, & ſalus Electorum, ſimul cum medijs ad iſtum finem certo includat; merito illam multiplicem Remonſtrantium falſam & fictam eſſe iudicant.

Tertio ſentiunt Remonſtrantes prædeſtinationem ad ſalutem eſſe ex conditionibus Fidei, Obedientiæ, Reſipiſcentiæ, & Perſeverantiæ finalis prærequiſitis.

Fratres Noordt-Holl. hanc Remonſtrantium ſententiam falſam eſſe iudicant, & contra aſſerunt:

Electionem eſſe ex mero & gratuito Dei beneplacito, non ex iſtis, nec ullis prærequiſitis in homine eligendo conditionibus.

Quod manifeſtis Scripturæ teſtimonijs & rationibus probatur. Sic Moſes Deuter. 7. verſ. 6. 7. *Te elegit Dominus Deus tuus, vt ſis ei populus peculiaris, de cunctis populis, qui ſunt ſuper terram; non quod cunctas gentes numero vincebâtis, vobis iunctus eſt Dominus, & elegit vos, cum omnibus ſitis populis pâuciores; ſed quod dilexit vos Dominus, & cuſtodivit iuramentum quod iuravit Patribus veſtris.*

Matth. 11. 25. *Conſiteor tibi, Pater, Domine Cæli & Terræ, quod abſconderis hæc à ſapientibus & intelligentibus, & ea detexeris infantibus.* verſ. 26. *Etiam, Pater, quia ita placuit tibi.*

Luc. 12. 32. *Ne time, ô parve grex, nam viſum eſt Patri veſtro dare vobis regnum.*

Rom. 9. 11: *Nondum enim natis pueris, cum nihil feciſſent boni vel mali, ut propoſitum Dei quod eſt ſecundum ipſius Electionem, id eſt, non ex operibus, ſed ex vocante, firmum maneret.* verſ. 12. *Dictum eſt ei, maior ſerviet minori.* verſ. 13. *Sicut ſcriptum eſt, Iacob dilexi, Eſau odio habui.* verſ. 15. *Nam Moſi dixit; Miſerebor cuius miſertus fuero, & commiſerabor, quem commiſeratus fuero.* verſ. 16. *Nempe igitur Electio non eſt eius qui velit, neque eius qui currat, ſed miſerentis Dei.* verſ. 18. *Itaque cuius vult, miſeretur, quem autem vult, indurat.*

Epheſ. 1. 5. *Qui prædeſtinavit nos, quos adoptaret in filios per Ieſum Chriſtum in ſeſe, pro benevolo affectu voluntatis ſuæ.*

Ratio quoque id ipſum confirmat. Si enim Electio eſſet ex prærequiſitis iſtis conditionibus, homines prius elegiſſent Deum, quam eſſent à Deo electi. Quod abſurdum eſt, & pugnaret cum dicto Chriſti, Iohan. 15. 16. *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos.*

Deinde electio non eſt ex fide, obedientia, reſipiſcentia, perſeverantia; ſed ad fidem, obedientiam, &c. Act. 22. 14. *Deus Patrum noſtrorum delegit te, ut cognoſceres ipſius voluntatem,* &c. Epheſ. 1. 4. *Elegit nos ut eſſemus ſancti & inculpati coram Deo per charitatem.* Iacob. 2. 5. *Nonne Deus elegit pauperes mundi, ut fierent divites in fide & heredes regni, quod promiſit ijs qui diligunt ipſum.* 1. Petr. 1. 2. *Electi ex præcognitione Dei Patris in ſanctificationem Spiritus, ad obedientiam, & aſperſionem ſanguinis Ieſu Chriſti.*

Præterea, ſi electio eſt ex iſtis conditionibus, nemo vere electus erit, niſi qui iam actu reſipiſcat, credat, & ad extremum vitæ halitum in reſipiſcentia & fide perſeveraverit, imo & in fide iam mortuus ſit. Atqui in Sacra Scriptura electi ſunt & dicuntur etiam illi, qui nondum actu credunt. Sic Paulus electus erat antequam crederet, vel credens dici poſſet. Etiam Iudæi ſub finem mundi ſervandi nondum actu credunt, ſunt tamen & vocantur à Paulo electi, Rom. 11. 25. 26. 28. Quin & ipſe Servator Chriſtus vocat oves ſuas eos, qui nondum credebant, ſed adhuc ſuo tempore vocandi erant & aggregandi ad ovile ipſius. Iohan. 10. 16.

Quarti

Quarto docent Remonstrantes, Electionem ad fidem similiter esse ex conditionibus prærequisitis; quales sunt, ut homo peccator per legem peccata sua agnoscat, de ijs pœniteat, ad vitam æternam sit dispositus, sit humilis, parvus, probusq; &c.

Id itidem falsum esse iudicant Fratres Noordt-Hollandi, & contra docent:

Prædestinationem ad salutem simul & fidem, esse ex mero gratuitoque Dei prædestinantis beneplacito.

Quia, cum una eademque Electio sit ad salutem quæ ad fidem, fides autem fructus sit electionis ad salutem, ut patet, Act. 13. 48. *Crediderunt, quotquot ad vitam æternam ordinati erant*; & alijs locis Scripturæ supra citatis, necesse est Electionem ad fidem etiam esse ex mero & gratuito Dei beneplacito.

Et, si Electio hæc ex prærequisitis esset conditionibus, alia insuper electione foret opus ad istas conditiones rursus ex conditionibus prærequisitis, & sic daretur progressus in infinitum.

Præterea, cum Deus sit *αὐαίτιος*, non potest ab ulla extrinseca conditione determinari.

Quinto asserunt Remonstrantes: Aliquam Electionem ad salutem esse mutabilem.

Quod falsissimum esse iudicant Fratres Noordt-Hollandi, qui contra ut unam tantum Electionem ad salutem supradixerunt, ita eandem omnino immutabilem esse asserunt, & stare firmissimam ex vi immutabilis consilij divini. Unde fieri non potest ut vel unus Electorum excidat, aut pereat.

Quod verum esse testatur, Psal. 33. 11. *Consilium Domini in æternum persistit, cogitationes cordis eius in generationem & generationem.*

Esai. 46. 10. *Consilium meum stabit, & omne beneplacitum meum efficiam.*

2. Timoth. 2. 19. *Solidum fundamentum Dei stat.*

Rom. 11. 2. *Non abjecit Deus populum suum quem præcognovit.* vers. 5. *Ita igitur & hoc tempore reservatio secundum Electionem gratuitam facta est.* vers. 29. *Dona & vocatio Dei eiusmodi sunt, vt eorum ipsum pœnitere non possit.*

Rom. 8. 38. *Mihi persuasum est, neque mortem, neque vitam, neque angelos, neque principatus, &c. posse nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.*

Matth. 24. 24. *Fieri non potest, vt seducantur electi.*

Unde hoc? nisi quod salutis nostræ firmitas non in nobis ipsis sed in arcana & immutabili Electione Dei fundata sit?

Sexto affirmant Remonstrantes, Deum in hac vita Electos suos de sui Electione ad gloriam incertos & suspensos relinquere.

Sed id Fratres Noordt-Hollandi falsum quoque & cum S. Scriptura aperte pugnare iudicant; contraque affirmant: Deum in hac vita suos Electos per Spiritum sanctum de hoc tanto & incomprehensibili suo beneficio certos facere.

Cuius veritas ex Scripturis constat, Psal. 23. 1. *Deus est pastor meus, non egebo.* vers. 4. *Etiamsi ambulavero per vallem umbræ lethalis, non timebo; quia tu mecum es.* vers. 6. *Certe bonitas & benignitas persequentur me omnibus diebus vitæ meæ, & manebo in domo Iehovæ in longitudinem dierum.*

Rom. 5. 5. *Spes non pudefacit, quod charitas Dei effusa sit in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.*

Rom. 8. 15. *Non accepistis spiritum servitutis rursus ad metum, sed accepistis spiritum adoptionis, per quem clamamus Abba, id est, Pater.* vers. 16. *Qui ipse spiritus testatur una cum spiritu nostro, nos esse filios Dei, &c.*

2. Corinth. 1. 21. *Qui nos confirmat vobiscum in Christum & qui unxit nos, Deus est.* vers. 22. *Qui etiam obsignavit nos deditque arrhabonem in cordibus nostris.*

Ephes. 1. 13. *Obsignati estis spiritu isto promissionis S.*

2. Tim. 1. 12. *Novi, cui crediderim, & mihi persuasum est illum posse depositum meum in illum diem servare.*

Et certe, si Electi in hac vita manent Electionis suæ incerti, nullus erit sensus gratiæ, nulla πληροφορία fidei, nulla certitudo salutis, nulla conscientiarum pax. Quæ omnia, vt benedictiones omnes spirituales, ex electione tanquam fonte scaturiunt, atque promanant.

DE REPROBATIONE.

Quæritur hic primo, An Deus ex suo beneplacito ad iustitiæ suæ declarationem, quosdam homines decrevit in lapsu & miseria relinquere, mediaque ad fidem & conversionem necessaria ijs non conferre?

Quæstionis huius seu propositionis negativam tuentur Remonstrantes.

Fratres Noort-Hollandi affirmativam. Quam probant sequentibus scripturæ testimonijs.

Sic enim Christus ipse, Matth. 11. 25. *Confiteor tibi, Pater Domine Cæli & terræ, quod absconderis hæc à sapientibus & intelligentibus, & ea detexeris infantibus.* 26. *Etiam Pater quia ita complacuit tibi.* Hic videmus Christum tam absconsionem mysteriorum, quam eorundem revelationem soli beneplacito Patris tribuere:

Rom. 9. 11. 12. 13. *Nondum enim natis pueris, quum nihil fecissent boni vel mali, vt propositum Dei, quod est secundum Electionem, non ex operibus, sed ex vocante firmum maneret, Dictum est ei, Maior serviet minori, sicut scriptum est, Iacob dilexi, Esau vero odio habui.* Item vers. 18. *Itaque cuius vult miseretur, quem autem vult, indurat.* Item vers. 22. *Quod si volens Deus ostendere iram, & notam facere potentiam suam, pertulit multa lenitate vasa iræ, coagmentata ad interitum.* Videmus hic Apostolum diserte non tantum Electionem, & Prædestinationem ad salutem, sed etiam Reprobationem & destinationem ad iustum odium, itemque indurationem soli voluntati divinæ asscribere.

Quod idem patet ex hisce rationibus:

Prima. Deus secundum Apost. Eph. 1. 11. *Omnia efficit ex consilio voluntatis suæ.* Quod igitur quosdam homines in lapsu & miseria relinquat, ijsque media ad conservationem & salutem necessaria & sufficientia non conferat, ex eodem plane voluntatis suæ consilio facit.

Secunda. Cum causa electionis sit sola voluntas & εὐδοκία Dei, non autem aliquid in homine prævisum, sequitur ex natura contrariorum, Reprobationis, aut non-Electionis quorundam, seu desertionis in lapsu & miseria similiter esse eandem Dei voluntatem & beneplacitum.

Tertia. Si quæ esset in hominibus desertionis, seu non-Electionis causa statuenda, ea non posset esse alia quam peccatum & infidelitas. Et hanc ob causam essent omnes homines absque exceptione ulla, deserendi. Omnes enim sunt natura infideles & peccatores. Et eadem causa in eodem subiecto eundem semper effectum producit.

Quod autem huius voluntatis divinæ finis sit, patefactio gloriæ & iustitiæ Dei, constat ex locis sequentibus. Prov. 16. 4. *Deus fecit omnia propter se ipsum, etiam impium ad diem malum.*

Exod. 9. 16. & Rom. 9. 17. *Ad hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te potestatem meam, & ut annuncietur nomen meum in tota terra,* & vers. 22. *Volens Deus ostendere iram, & notam facere potentiam suam.*

Quod idem probatur ex eo, quod Deus, ut omnium rerum summum & primum Ens, omnium etiam summus finis est; secundum illud Apostoli, Rom. 11. 36. *Ex eo, per eum, & in ipsum sunt omnia. Ipsi sit gloria in sæcula, Amen.*

Falsum

Falſum ergo iudicant fratres Noordt-Hollandi, quod Remonſtrantes docent, Deum neminem præciſe, ex ſuo beneplacito, ad demonſtrationem iuſtitiæ ſuæ, poteſtatis, & dominij abſoluti, decreviſſe in lapſu Adæ aut miſeria relinquere.

Contra verum, & verbo Dei conſentaneum eſſe dicunt; Deum nulla motum cauſa extrinſeca, quæ in homine eſſet, ſed ex ſeſe, & mero ſuo beneplacito, decreviſſe non eligere, id eſt, præterire, quos ipſi viſum fuit: nec ijs media ad converſionem & ſalutem neceſſaria & ſufficientia conferre.

Cauſam igitur cur Deus hos per Euangelium vocet, illos non vocet; negant fratres Noordt-Hollandi, aut horum idoneitatem, aut illorum indignitatem, ſed ſolam eſſe Dei voluntatem affirmant, qui media ad converſionem & ſalutem neceſſaria confert quibus vult, & quibus vult non confert, pro ſuo beneplacito.

Facit enim de ſuo quod vult, utpote qui nemini quicquam debet: Quis enim prior dedit ei, & ἀνταποδοθήσεται αὐτῷ? Rom. 11. 35. Et Pſal. 147. 19. *Notum facit Iacob verbum ſuum, iudicia ſua Iſraeli. Non fecit ſic omni nationi, & iudicia ſua non manifeſtavit eis.* Item; Matth. 13. 11. *Vobis datum eſt noſſe myſteria regni cælorum, illis autem non eſt datum.* Iohann. 6. 64. *Nemo poteſt venire ad me, niſi fuerit ei datum à Patre meo.* Iohan. 10. 26. *Vos non creditis, quia non eſtis ex ovibus meis.* Eſai. 53. 1. & Iohan. 12. 37. *Domine, quis credidit ſermoni noſtro? & brachium Domini cui retectum eſt? Propterea non poterant credere, quia Eſaias iterum dixit: Excæcavit oculos eorum, & obduravit corda eorum, ne videant oculis, & intelligant corde, & convertantur.* Actor. 14. 16. *Deus ſivit præteritis ætatibus omnes gentes ſuis ipſarum vijs incedere.* Rom. 11. 7. *Quod requirit Iſrael non eſt aſſecutus, ſed electi aſſecuti ſunt, reliqui vero occalluerunt*, &c.

Nec poteſt hic idoneitas horum, aut indignitas illorum, huius diſcriminis ſtatui cauſa. Sunt enim homines omnes natura pares & eiuſdem omnino cōditionis, ut Paulus docet, Rom. 3. 9. *Quid igitur præcellimus? nullo modo. Nam ante criminati ſumus Iudæos & Græcos omnes ſub peccato eſſe, ſicut ſcriptum eſt; non eſt iuſtus, ne unus quidem.* Eph. 2. 1. 2. 3. *Et vos una vivificavit quum eſſetis mortui in offenſis & peccatis: In quibus olim verſati eſtis, ut eſt vita mundi huius*, &c. *Inter quos & nos omnes converſati ſumus, olim in cupiditatibus carnis noſtræ, &c. eramusque natura filij iræ, ut etiam reliqui.*

Itaq; tametſi Fratres Noordt-Hollandi fateantur Deum neminē damnare, niſi propter peccatum, ideoq; ab æterno non decreviſſe aliquem damnare, niſi propter peccatum (quod enim & ſicut ab æterno decrevit Deus, id quoque, & ſic ut decrevit, in tempore exequitur) negant tamen antecedaneam infidelitatem & in ea perſeverantiam, aut peccata ſeu originale, ſeu actuale, quæ Deus futura prævidit; cauſam eſſe, cur eos homines Deus non elegerit quos iuſte propter peccata damnat: cum alia ſit cauſa non electionis, ſeu præteritionis, alia damnationis. Huius enim unica & ſola eſt peccatum, illius vero ſola Dei voluntas ſeu *εὐδοκία*, uti ex ſupra citatis S. Scripturæ teſtimonijs manifeſtum eſt.

Falſum igitur ſit oportet quod Remonſtrantes ſtatuunt, Quod Deus quibuſdam hominibus Euangelium annunciari curet, quibuſdam non curet; hos per illud vocet ad ſalutem, illos non vocet; his media ad ſalutem, neceſſaria conferat, illis non conferat, cauſam eſſe aliquid in hominibus latens, propter quod hi Euangelio ſint prorſus indigni, illi gratioſa quadam Dei æſtimatione, propter communioris gratiæ meliorem uſum, digniores qui ulteriore gratia donentur.

Concludimus itaque primum hunc Articulum Remonſtrantium, prout jacet, non continere totam & integram prędeſtinationis doctrinā: & ſecundū Remonſtrantium ſententiam ex ipſa Hagienſi Collatione, ipſorum paſſim editis ſcriptis & exhibitis huic Synodo Theſibus expoſitum, complecti doctrinam cum SS. Dei verbo pugnantem, id eſt, falſam, hæreticam, impiam, pietati ſalutique hominum ſumme noxiam, Dei vero gloriæ maxime iniuriam: ideoque in Eccleſijs Dei verbo reformatis minime ferendam: contra vero, quam huic oppoſuimus verbo Dei conſentaneam, id eſt, veram, orthodoxam, piam, in Eccleſijs & Scholis Reformatis omnino retinendam, docendam. Doceri enim debent quæ verbo ſuo Deus Eccleſiæ revelavit, etſi longe captū humani ingenij excedant, imo humanæ rationi repugnent. Omnis enim ſcriptura

 divini-

divinitus inſpirata utilis eſt, &c. 2. Timoth. 3. 16. Dummodo id fiat ſobrie, ſolide & prudenter. Stultæ enim, curioſæ, & ineruditæ quæſtiones ad Chriſtianam inſtitutionem ineptæ, cum ab alijs, tum ab hoc præſertim doctrinæ Chriſtianæ capite faceſſere debent.

Iudicium Zeelandorum,

De Primo Remonſtrantium Articulo.

Conſiderata ſententia Remonſtrantium de Primo Articulo, ex publicis & privatis eorum, quos pro vindicibus ſuæ ſententiæ habent, ſcriptis, eaque ad ſacram Scripturam examinata: hanc judicamus Orthodoxam doctrinam, quæ hactenus in reformatis Eccleſijs fuit tradita, eſſe, quæ duobus hiſce Articulis continetur: Cui ex oppoſito ſententia heterodoxa à nobis reijcitur.

Articulus I. De Electione.

Prædeſtinatio ad ſalutem eſt æternum, gratuitum, & immutabile decretum Dei, quo conſtituit ex conſilio voluntatis ſuæ, certas & ſingulares quaſdam perſonas (quarum numerus definitus ſoli Deo notus eſt) ex lapſo genere humano, in Ieſu Chriſto eligere, efficaciter vocare, per fidem juſtificare, ſanctificare, inque iiſdem donis, uſque ad finem vitæ conſervare, ac tandem glorificare: idque ex mero beneplacito, in ſeſe, ſine aliquo reſpectu conditionis, electionem antecedentis, vel prærequiſitæ fidei, bonorum operum, ſeu alicujus dignitatis, qualitatis, & diſpoſitionis Euangelicæ, ad laudem glorioſæ ac divitis ſuæ gratiæ.

Sententia Orthodoxa.

I.

Prædeſtinatio ad ſalutem eſt decretum æternum.] Probatur: Matth. 25. 34. *Venite benedicti Patris mei: poſſidete regnum paratum vobis, à jactis mundi fundamentis.* Eph. 1. 4. *Elegit ante jacta mundi fundamenta.* 2. Timoth. 1. 9. *Ante tempora ſæcularia.*

II.

Decretum gratuitum.] Prob. Epheſ. 1. 5. *Prædeſtinavit nos pro benevolo affectu voluntatis ſuæ.* 2. Tim. 1. 9. *ſervavit nos ex ſuo propoſito & gratia.* Rom. 11. 5. 6. *Reſervatio facta eſt ſecundum Electionem gratuitam.*

III.

Immutabile.] Prob. Rom. 9. 6. *Fieri non poteſt ut exciderit ſermo Dei,* verſ. 29. cap. 11. *Dona & vocatio Dei, ſunt ἀμεταμέλητα,* 2. Tim. 2. 19. *Solidum fundamentum Dei ſtat.* Ratio. Cum Deus ſit ſapientiſſimus, & omnipotentiſſimus, conſilium ſemel captũ mutari non poteſt. Omnis enim mutatio, vel ab errore, vel ab impotentia orta, imperfectionem iudicij ſignificat: quorum neutrum in Deum cadit.

Certas

Sententia Heterodoxa.

I. II. III.

Iudicamus itaque, graviter errare Remonſtrantes, qui ſtatuunt electionem quandam incompletam, revocabilem, non peremptoriam, adeo ut electus poſſit fieri reprobus, & contra. Hæc enim & ſimilia ipſum Deum faciunt mutabilem, contra expreſſam Malachiæ ſententiam, capite 3. verſ. 6. *Ego Iehova & non mutor:* ipſamque decreti dicti æternitatem ſubvertunt, eiuſque executionem à mutabili hominis voluntate ſuſpendunt, contra illud Ieſaiæ 46. 10. *Conſilium meum ſtabit & voluntas mea fiet.*

Iudica-

IV.

Certas & singulares quasdam personas:] Prob. Matt.20.16. *Multi vocati, pauci electi*, Matt.24. 22. *Propter electos contrahentur dies*. verſ. 24. *Vt seducant, si fieri possit, etiam electos*. Rom.9.13. Exemplum Iacobi. Rom.11.7. *Electi aſſequuti ſunt: reliqui vero occalluerunt*. Ratio. Neque aliam quam ſingularium perſonarum electionem, ſcriptura ſacra novit.

V.

Numerus definitus Soli Deo notus:] Prob. Ioan.13.18. *Scio quos elegerim*. Ioann.10.3. *Vocat oves ſuas nominatim*. 2. Timot.2.19. *Novit, qui ſint ſui*.

VI.

Ex lapſo genere humano:] Prob. Primo, quia propoſitum eligendi, Rom.9. 15. 16. vocatur *Miſeratio*. & verſ. 23. Vocantur electi *vaſa Miſericordiæ*. Iam vero miſeratio, præſupponit miſeriam, confirmante Paulo, Rom.11.32. *Concluſit Deus omnes in contumacia, ut omnium miſereretur*. Deinde 2.Timoth.1. 9. *Vocavit nos ex ſuo propoſito & gratia, quæ data eſt nobis in Chriſto Ieſu, &c.* Gratia illa nobis data in Chriſto, & peccatum præſupponit, & illius remedium ſimul monſtrat. Quin imo, omnia media electioni ſubſtrata, puta Chriſtus Mediator, vocatio efficax, fides, iuſtificatio, ſanctificatio, ad ſtatum hominis corrupti ſunt attemperata.

VII.

In Chriſto Ieſu:] Prob. Eph.1.4. 2.Tim. 1.9. *Gratia nobis data in Chriſto ante tempora ſecularia*.

VIII.

Efficaciter vocare:] Prob. Rom.8.30. *Quos prædeſtinavit, eos vocavit, &c.* Ex quo loco colligitur eos, quos Deus prædeſtinavit ad gloriam, etiam ad media iſta, quibus ad gloriam pervenitur, prædeſtinaſſe, Rom. 8.28. *Qui ex propoſito vocati ſunt*. 2. Tim. 1.9. *Vocavit nos vocatione ſancta, ſecundum propoſitum*. Ioan. 6.37. *Quidquid dat mihi Pater, ad me veniet*. Actor.13.48. *Credebant quotquot ad vitam æternam erant ordinati*.

Per

IV.

Iudicamus igitur errare Remonſtrantes cum ſtatuunt, Electionem indefinitam, generalem, eamque totum Decretum Prædeſtinationis, Euangelio revelatum, continere. Quæ tantum abeſt, ut totum Prędeſtinationis Decretum ſit, ut ne electionis quidem vere nomen mereatur, utpote qua poſita fieri poſſit, ut nullus ſervetur.

V.

Iudicamus errare Remonſtrantes, qui certum & definitum electorum numerum eſſe negant. Eumque augeri & minui poſſe aſſerunt.

VIII.

Errant Remonſtrantes, qui negant Deum (quos ad ſalutem elegit) etiam decreviſſe prædicatione Euangelij vocare, & ſpiritu ſuo trahere, ut per veram fidem ad Chriſtum veniant, ſi hoc ita accipitur, ut illa ſint media, quibus Deus, decretum ſuum de ſalute ſtatutum, velit exequi. Colloq.Hag. pag.19. Brandij. Item Grevinchovius; qui ad gloriam ſolam dicit prædeſtinari fideles & non ad fidem,

 pag.132.

Per fidem justificare:] Prob. Rom. 8. 30. *Quos vocavit, eos iustificavit.*

Sanctificare,] Prob. Ephes. 1. 4. *Elegit nos, ut essemus sancti & inculpati.* Ephes. 2. 10. *Conditi ad bona opera, quæ præparavit Deus.*

In iisdem donis ad finem vitæ conservare.] Prob. Ioan. 10. 28. 29. *Oves meæ non peribunt in æternum.* Matth. 24. 24. *Seducent electos, si fieri posset:* Rom. 8. 35. 39. *Quis nos separabit à caritate Dei.*

Glorificare:] Prob. Rom. 8. 30. in Catena. Rom. 9. 23. *Vasa præparata ad gloriam,* 2. Thess. 2. 13. *Deus elegit nos ab initio ad salutem.*

IX.

Idque ex mero beneplacito in sese,] Prob. Matth. 11. 26. *Etiam Pater! quia ita placuit tibi.* Ephes. 1. 5. 9. *Per Iesum Christum in sese pro benevolo affectu voluntatis suæ.* Rom. 9. 16. *Electio non est eius, qui velit, sed miserentis Dei.* Et vers. 18. *Cuius vult miseretur.*

X.

Sine aliquo respectu conditionis antecedentis:] Prob. Rom. 9. 16. *Non est volentis, nec currentis.* vers. 11. *Nondum natis cum nihil fecissent boni. Non ex operibus.* Rom. 11. 6. *Quod si per gratiam, iam non ex operibus.* Rat. 1. *Quia fides & bona opera sunt fructus Electionis.* Actor. 13. 48. Ephes. 1. 4. Ephes. 2. 8. *Fides donum Dei est.* Et latius hoc probatur in Collat. Hag. II. Si vocatio est effectum prędestinationis, etiam fides quæ est ex vocatione. Roman. 8. 30. *Quos prædestinavit, vocavit.* Si vocatio non sit facta ex fide prævisa, multo minus electio. Iam vero vocamur ad fidem & non ex fide. III. Quos Deus ab æterno in eligendo consideravit, ut Christo per fidem insitos, ij non opus habebant eligi in Christo. IV. Sequeretur nos Deum elegisse & dilexisse priores, contra Christi verba, Ioan. 15. 16. *Non vos me elegistis, sed ego vos elegi.*

pag. 132. Similiter Corvinus, qui asserit, fidem donum quidem esse Dei in eligendo prærequisitum, verum non ex electione, sed alia Dei volūtate datum. Adversus Tilen. pag. 52. Item Remonstrantes Citati in Thesibus exhibitis, 3.

Similiter errant cum dicunt, neminem in hac vita de sua electione posse esse certum, contra Apostolum, Rom. 8. 35.

Manifesta quoque calumnia Ecclesiis impingitur à Remonstrantibus, cum absolutum hoc Decretum Dei dicunt excludere vocationem, fidem, & bona opera, & fundamentum Religionis evertere, ut loquitur Corvinus adversus Tilen. pa. 314. Cum ista omnia Dei Decreto includantur & non excludantur ab eo.

IX.

Fallunt Remonstrantes, cum beneplacitum Dei, causam προηγουμένην Electionis esse dicunt, & tamen beneplaciti Decreto nihil aliud intelligunt, quam quod Deus abrogato legis exactissimæ obedientiæ rigore, cujuslibet vere credituri misereri proposuit. Respons. ad Walach. pag. 43. Atque ita beneplacitum causam tantum faciunt, cur Deus conditionem Fidei præ legis obedientia, & non cur hunc præ illo ad salutem elegerit.

X.

Iudicamus, errare Remonstrantes, qui sentiunt, fidem esse conditionem in eligendo prærequisitam. In primis Grevinchovium, qui dicit, Deum moveri fidei conditione ad eligendum, sicut voluntas judicis movetur à conditione præstita ad præmium. pag. 24.

Deinde cum dicunt, Deum moveri ad dandum fidem huic magis quam illi, puta magis Paulo quam Caiaphæ: quia Paulus est humliis, parvulus, non resistens gratiæ oblatæ. Cajaphas vero sapiens, superbus, & contumax. Grevinch. contra Ames. pag. 117. Tertio, cum dicunt, sanctitatem, obedientiam & resipiscentiam, tanquam dignitatem & dispositionem Euangelicam, à Deo consideratam esse, cur unum præ altero elegerit. Quæ omnia pugnant cum Apostolo, 1. Cor. 4. 7. *Quis te discernit?* Et Rom. 11. 35. *Quis prior dedit Deo, ut retribuatur ei?*

XI.

Ad laudem gloriosæ suæ gratiæ:] Probatur Ephes. 1. vers. 6.

Articulus II. De Reprobatione.

Reprobatio est æternum, justum, & immutabile Dei Decretum, quo constituit certas & singulares quasdam personas in Adamo lapsas & corruptas, in lapsu & corruptione relinquere: iisque, media ad fidem & conversionem, vel simpliciter non dare, vel non efficaciter applicare, idque ex mero placito & liberrima voluntate, faciente de suo quod vult: ac tandem justissimo judicio, propter peccata damnare: ad ostensionem iræ & potentiæ suæ in vasa iræ. Vt nomen ipsius annuncietur in universa terra.

Sententia Orthodoxa.

I.

Iustum] Probatur Rom. 9.14. *Estne iniustitia apud Deum? Absit.* Gen. 18.15. *Qui index est totius mundi, an non faceret iudicium?* Rom. 3. 5. *Num iniustus est Deus qui inferat pœnam? Absit. Alioquin, quomodo iudex erit Deus mundi?* Et ratio est manifesta: cum Deus justus sit, omnia ipsius opera esse justissima.

II.

Immutabile:] Probatur Actor. 1.16. *Oportuit impleri scripturam hanc de Iuda:* vers. 25. *A qua aberravit Iudas, ut abiret in locum proprium.* Ioan. 17. 12. *Et nemo ex us peryt, nisi filius ille perditionis, ut scriptura impleretur.* Iudæ 4. *Homines prius jam olim descripti ad hanc damnationem*, Rat. Sicut immutabile est Electionis, sic est Reprobationis Decretum.

III.

Certas & singulares personas, in Adamo lapsas:] Prob. Rom. 9. 13. *Esau odio habui.* vers. 17. *Ad hoc ipsum Pharaonem excitavi:* Exemplum Iudæ Iscariotæ ante citatum.

IV.

In lapsu & corruptione relinquere:] Prob. Actor. 14. 16. *Sivit omnes gentes ambulare in viys suis.* Psal. 81. 13. *Deus permisit eos in desideriys cordis ipsorum.*

Iisque

Sententia Heterodoxa.

Iudicamus, graviter errare eos, qui sentiunt omnes esse Electos, nullos vero Reprobatos: cum, *multi sint vocati, & pauci Electi.* Matt. 20. 16.

Errant Remonstrantes qui dicunt, aliquam reprobationem esse mutabilem & posse interrumpi: ut supra de Electione.

Errant Remonstrantes, cum dicunt reprobationem esse generalem & indefinitam. Item, propositum de damnandis in genere in Infidelibus & impœnitentibus, esse totum Decretum reprobationis.

Errant Remonstrantes cum dicunt Deum neminem præcise decrevisse in lapsu & miseria relinquere, & in eligendo ad vitam æternam præterire, Ioann. Arnold. advers. Tilen. p. 121. & Citati Remonstrantes in traditis thesibus. 2. & 3.

Errant

V.

Iisque media ad conversionem.] Probatur Psal. 147. 19. 20. *Indicat verba sua Iacobo, & non fecit ita ulli genti, ideoque iura sua non noverunt:* Paulus prohibitus ire in Bythiniam Actor. 16. 7. Matt. 11. 25. *Abscondidisti hæc à sapientibus, quia sic tibi placuit Pater.* Ioan. 10. 27. *Non creditis, quia non estis ex ovibus meis.* Ioan. 12. 39. *Non poterant credere, quia Iesaias dixit, Excæcavit oculos eorum.* 2. Cor. 4. 3. 4. *Euangelium est tectum ijs qui pereunt.*

Errant Remonstrantes cum dicunt, neminem à vita ęterna, nec à mediis ad eam sufficientibus, absoluto aliquo antecedaneo Decreto, rejectum esse, in thesib. traditis. 6.

VI.

Ex mero placito & liberrima voluntate:] Prob. Matth. 11. 25. *Quia ita tibi placuit.* Rom. 9. 18. *Indurat quem vult.* vers. 22. *Deus volens ostendere iram suam.* Matth. 20. 15. *Annon licet mihi de meo facere quod volo?*

Errant Remonstrantes, cum dicunt, caussam, cur Deus aliquibus Euangelium offerat, aliquibus non, non esse absolutum aliquod Decretum, sed aliquid in hominibus latens, propter quod hi Euangelio sint indigni, illi gratiosa quadam Dei æstimatione digniores. Puta propter meliorem gratię communioris usum, idonei, qui ulteriore gratia donentur. advers. VValach. pag. 47. 49.

VII.

Iustissimo judicio propter peccata damnare.] Prob. Matth. 26. 24. *Væ autem homini, per quem filius hominis proditur.* Rom. 11. 20. 22. *Per infidelitatem detracti sunt.* Item, *Vide benignitatē & severitatem Dei.* Rom. 9. 22. *Vasa iræ.* Epist. Iudæ 10. vers. 4. *Impÿ ante descripti ad hoc judicium.* 1. Thess. 5. 9. *Constituti ad iram.* Rat. Cum pœnæ sint inæquales reproborum, inde necessario sequitur, Deum in prædamnatione respexisse ad illorum peccata.

Calumnia est manifesta, Primo, ex hoc Decreto sequi Deum esse injustum. Secundo, infidelitatem & peccata esse effecta Reprobationis: sive, Deum hoc Decreto (ut odiosius loquuntur Remonstrantes) homines ad peccatum necessitare. Tertio, aliquos absoluto Dei Decreto damnari, sine aliquo respectu ad peccata.

VIII.

Ad ostensionem iræ & potentiæ in vasa iræ:] Rom. 9. 17. & 22. De Pharaone.

Corollarium.

Hanc Orthodoxam de Prædestinatione doctrinam, quæ hactenus in Ecclesiis Reformatis obtinuit, censemus esse retinendam: citatos vero errores, Remonstrantium, & similes huic contrarios, nullo modo in ijsdem posse doceri.

IVDI-

Iudicium Ultrajectinorum,

De Primo Remonstrantium Articulo.

Theses Heterodoxæ, ex Articulo Remonstrantium I. eiusdemque in varijs exhibitis ab ipsis scriptis, editisque in vulgus libris, explicatione excerptæ, quibus Orthodoxæ cum S. Scriptura consentientes antitheses, ex adverso opponuntur.

Remonstrantium Heterodoxæ de Electione ad salutem theses.

I.

Voluntas Dei, de credentibus, in vera in Christum fide ad vitæ finem perseverantibus, salvandis, est tota atque unica prædestinatio ad salutem in Euangelio patefacta.

II.

Electio singularium ad salutem non absoluta sed conditionalis est, fundata in præscientia Dei secundum quam infallibiliter novit, qui in filium ejus I. Christũ sint credituri, & in fide perseveraturi, Hos autem tales elegit Deus.

III.

Electio ad salutem non unica sed multiplex est, indefinita & definita: generalis, & particularis sive singularis: hęc item incompleta, completa: revocabilis, irrevocabilis: non peremtoria, peremtoria: itẽ, alia Veteris, alia Novi Testamenti.

IV.

Causa Electionis est beneplacitum Dei, hoc scilicet sensu, cum è variis possibilibus conditionibus aliam posset, nullam tamẽ conditionem, sub qua salutem conferret, aliam eleger t, quam fidem.

Antitheses Orthodoxæ de Electione ad salutem.

I.

Voluntas Dei, qua pro suo beneplacito statuit quorundam ex humano genere lapso misereri, eosdemq; Christo filio suo servandos dare, fide vera in ipsum donare, atque ita justificare, sanctificare & glorificare, ad laudem gloriosæ suæ gratiæ, est totum decretum prædestinationis ad salutem in S. Scriptura patefactum.

II.

Electio ad salutem absoluta, non autem conditionalis est, nõ fundata in præscientia Dei, qua tali. Etsi enim infallibiliter novit Deus, qui in filium ejus I. Christum credituri, & in fide perseveraturi sint: non tamen credituros elegit, sed eos, qui nunquam ex se credituri fuissent, ab æterno elegit, ut eos suo tempore credentes perseverantesque efficeret.

III.

Electio ad salutem unica & uniformis; non autem multiplex est; definita, singularis, completa, irrevocabilis, peremtoria, Una tum in Veteri tum N. Testamento est Electio.

IV.

Causa Electionis est solum Dei beneplacitum; hoc sensu, quod cum nemini gratiam deberet Deus, nec ulla in ullis esset hominibus causa, ipsis misericordiam præstandi: secundum vero justitiam ipsius sola superesset ira ac damnationis in singulis causa: liberrimo voluntatis suæ consilio, horum præ illis misereri in I. Christo, hos præ illis Christo donare, his præ illis fidem veram ac vivam in Christum, resipiscentiam, sanctitatem, perseverantiamque conferre, decrevit.

Ad

V.

Ad singularium peremtoriam Electionem, non tantum vera in Christum fides & obedientia fidei; sed etiam perseverantia in utraq; tanquam conditio, aut causa sine qua non, antecedenter in mente Dei considerata, seu prærequisita fuit. Proinde fides hæc nec fructus, nec effectus est Electionis.

V.

Fides vera in Christum; obedientia fidei, & in utraque perseverantia, non tanquam conditio, aut causa sine qua non, ad Electionem prærequisita, aut antecedenter considerata fuit à Deo, sed illæ ex Electione tanquam fructus è radice, aut effectus è causa sua fluunt, & Electorum sunt propria.

VI.

Electio quædam ad salutem mutabilis est, electorumq; quorundam apostasiâ interrumpi aut abrumpi potest.

VI.

Electio ad salutem immutabilis est. Etsi enim electi sæpenumero, & graviter nonnunquã labuntur: electio tamen Dei, nec interrumpitur nec abrumpitur.

VII.

Electionis ad gloriam nec sensus certus, nec fructus ullus est in hac vita.

VI.

Sicut Iustificationis ita & Electionis ad gloriã, in iis qui fide vera insiti sunt Christo, & sensus certus (etsi non semper) & fructus in hac vita est amplissimus.

De Reprobatione ad mortem.

Theses Heterodoxæ Remonstrant.

I.

Voluntas Dei de infidelibus in infidelitate ad finem vitæ perseverantibus sub ira relinquendis ac damnandis, est totum Decretum reprobationis ad mortem.

II.

Reprobatio non unica, sed multiplex est, indefinita, definita, generalis, particularis. Hæc item incompleta completa; non peremtoria, peremtoria, revocabilis, irrevocabilis.

III.

Causa Reprobationis meritoria est, infidelitas adversus Euangelium & perseverantia in ea.

IV.

Quod Deus hos Euangelicæ prædicationis face illustret, illos prætereat, gratiam

Antitheses Orthodoxæ.

I.

Voluntas Dei, qua pro beneplacito suo statuit quorundam ex humano genere lapso non misereri, sed eos in peccatis suis relinquere & propter illa condemnare, ad justitiæ suæ declarationem, est totum reprobationis ad mortem decretum.

II.

Reprobatio ad mortem non multiplex, sed unica, immutabilis, definita, particularis sive singularis; irrevocabilis, peremtoria est.

III.

Causa reprobationis, sive cur, cum gratiose quosdã elegerit Deus, cæteros præterire, eorundemque ad salutem non misereri decrevit, est Dei beneplacitum, seu liberrima justissimaque voluntas: Causa vero damnationis est tum peccatum originale, tum actualia, adversus legem & Euangelium commissa.

IV.

Quod hos Euangelicæ prædicationis face illustret, illos prætereat Deus, gratiã Euangelij

riam Euangelicæ prædicationis iis non communicando. causa illius præteritionis est indignitas in ipsis hominibus latens.

Euangelij iis non communicando; causa illius præteritionis est beneplacitum Dei, sive eius liberrima justissimaque voluntas.

Thesis Remonstrantium heterodoxa.

Infantium nec Electio, nec Reprobatio est.

Antithesis Orthodoxa.

Electio & Reprobatio etiam in infantibus locum habent.

Vltrajectinorum Fratrum

DE SVPRAPOSITIS THESIBVS, Antithesibusque Iudicium.

THeses hasce tum de Electione, tum de Reprobatione tanquam Scripturæ S. contrarias, Dei gloriæ injurias, ac solidæ vere fidelium, in luctis tempestatibusque conscientiæ gravissimis, consolationi officientes, improbamus ac damnamus. Proinde doctrinam aut sententiam eis contentam, in Ecclesiis Dei reformatis minime ferendam censemus. Antitheses autem, eis Thesibus oppositas, sacræ Scripturæ consentaneas, ad Dei gloriam recte promovendam, & ad vere fideles in quibusvis etiam summis tentationibus adversus desperationem firmissime consolandos, denique ad pietatem vere Christianam provehendam, utilissimas ac necessarias esse minime dubitamus. Proinde doctrinam aut sententiam quæ in eis continetur, in Ecclesiis Dei Reformatis porro constanter docendam judicamus. Rationes autem huius judicii nostri, scripto deinceps exhibituri sumus.

Rationes Vltraiectinorum fratrum, ob quas de Thesibus Remonstrantium, oppositisque antithesibus, ita statuerint.

THesin primam heterodoxam, & à veritate alienam esse asserimus. Etsi enim Euangelium aut Scriptura S. docet, Deum decrevisse credentibus, qui in fide finaliter perseverant, salutem aut vitam æternam conferre, nec id in Reformatis Ecclesiis unquam à quoquam sit in dubium vocatum (ut necesse minime fuerit id, tanquam novum articulum, Ecclesiæ Reformatæ obtrudere, atque ita pacem illius perturbare) non tamen docet illud esse totum atque integrum Dei de prædestinatione ad salutem decretum.

Ratio. Scriptura sacra perspicue tradit hæc sequentia decreto de prædestinatione includi, nempe, *adoptionem in filios*, Ephes. 1. 4. *misericordia collationem*, Rom. 9.16. *vocationem efficacem*, 2. Tim. 1. 9. *fidei donationem*, Actor. 13. 48. *Iustificationem per fidem*, Rom. 8. 30. *sanctificationem*, Ephes. 1. 4. Summa, Decreto prædestinationis ad salutem, omnem salutarem gratiam, singulaque ad salutem consequendam necessaria dona mediave comprehendi, abunde Apostolus tradit, Rom. 8. 29. 30. Ephes. 1. vers. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11.

Concludimus ergo thesin hanc heterodoxam, & Scripturæ Sacræ contrariam esse, nam quod Thesis illa ponit esse totum de prædestinatione Dei decretum, Scriptura docet non esse totum. Plura enim id decretum complectitur: ea autem dissimulari aut silentio præteriri, nec veritas, nec gloria Dei permittit. Antithesin autem, quia ea complectitur, Scripturæ S. consentaneam censemus, & in Ecclesia reformata porro retinendam, atque constanter docendam esse.

Thesin secundam, non modo non in scripturis fundatam, sed etiam illis repugnare, dicimus. Non esse in Scripturis S. fundatam probamus. Nusquam n. Scriptura S. hanc conditionalem ponit: si credideris, eligeris, aut ad salutem prædestinaberis,

aut, quicunque crediderit, ad salutem eligetur, nec usquam ponit æquivalent: Scripturæ S. repugnare, patet. Illa enim docet, Decretum de Electione esse absolutum à priori, id est, nullam in homine ullo, qui ad salutem à Deo eligendus aut prædestinandus erat conditionem aut causam antecedenter à Deo esse consideratam. 1. Sic enim Apostolus Rom. 8.29.30. *Quos præcognovit, hos & prædestinavit conformes fieri imagini filij sui. Quos prædestinavit, eos vocavit: quos vocavit, eo: justificavit: quos justificavit, eos & glorificavit.* De electione aut prædestinatione ad salutem hic agi, indubium est. Incipit autem Apostolus à primo termino, qui est præcognitio, id est, dilectio æterna (ita enim præcognitionis vox aut verbum præcognoscendi pro notitia cum affectu & amore conjuncta Rom. 11.2. & alibi sumitur) & per gradus sive media subordinata, ad ultimum terminum, glorificationem scilicet, descendit. Si ergo prædestinationis Dei ad conformitatem imaginis filii ipsius, antecedanea est præcognitio, id est, dilectio Dei, & ex ea fluit quod ordinati sumus, ut filio Dei aut imagini illius conformes in tempore fieremus, id est, efficeremur filii Dei, ac proinde ad fidem in illum efficaciter vocaremur, per fidem justificaremur, justificati glorificaremur, sequitur quod electio ad salutem à Deo absolute sit facta; nec ulla in nobis causa aut conditio, ob quam aut secundum quam à Deo eligeremur, ab eo præconsiderata fuerit, aut præconsiderari potuerit. Prædestinationem autem ad conformationem imaginis filii, velle ad crucem, iis qui Deum diligunt, obventuram, restringere, inane Remonstrantium, vim argumenti eludere conantium, effugium est. Ordinavit quidem Deus, ut qui diligunt ipsum, cruce, perpessionibusque exercerentur, sed ordine prædestinavit seu proposuit, ut cum considerarentur tanquam non populus, vocatione sancta vocarentur efficaciter, ut fierent populus, aut filii Dei, per donationem fidei in Christum, atq; ita Deum tanquam Patrem in filio diligerent; eundem vero diligentes, à mundo persecutionem paterentur, prout & Christus toto vitæ suæ tempore perpessiones sustinuit. Quæ quidē perpessiones eis aut saluti eorum minime essent obfuturæ. Quotquot enim in Christo Filio dilectionis, sunt prædestinationis beneficio & gratia in filios adoptati, atque ita ipsi tum in eo, tum in cruce sunt conformes futuri; eos etiā ordinavit Christo capiti suo, secundum eandem prædestinationem, in gloria conformandos. Nam quos vocavit, eos & justificavit: quos justificavit, eos & glorificavit; inquit Apostolus; docens electionis aut prædestinationis singulariū ad salutem Decretum, absolutū esse à priori.

2. Probatur illud verbis Apostoli Rom. 9. 11. *Nondum natis cum nihil fecissent boni nec mali, ut propositum illud Dei, quod est secundum ipsius electionem, id est, non ex operibus, sed ex vocante, firmum maneret.* Hinc ita argumentamur. Si propositum Dei est ex vocante, non autem ex operibus, non est etiam ex fide, nec ex obedientia fidei, ut conditionibus antecedenter in singularibus eligendis consideratis. Ratio. Si enim ex fide aut obedientia fidei, aut secundum eam esset propositum Dei; jam non ex vocante esset, sed ex vocato, aut vocati qualitate sive conditione, aut secundum eam: At est ex vocante solo; non ergo ex vocato, aut qualitate ulla eiusdem, sive conditionibus ullis antecedenter consideratis in ipso. Ac proinde electio est absoluta.

3. Probatur ex verbis Apostoli Rom. 9. 16. *Non est volentis nec currentis, sed miserentis Dei.* Si fidem Deus in eligendo consideravit ut antecedaneam decreto electionis, falsum erit quod Apostolus ait: *non est volentis*: nempe, credere aut bene operari: *nec est currentis*: nempe, in fide & bonis operibus. Falsum etiam erit quod addit Apostolus, *sed miserentis Dei.* Vtrumque absurdum. Si igitur & velle & currere Dei misericordiæ & quidem soli acceptum est ferendum, utiq; electionem singularium ad salutem, ex fide, tanquam conditione prævisa, factam esse, falsum est. Electio igitur est absoluta.

Idē ex locis Rom. 11. 5. & Eph. 1. 5. 9. demonstrare possemus, sed brevitati studemus.

Concludimus ergo, Thesin secundam falsam esse, & sacræ Scripturæ contrariam: antithesin autem verissimam ac S. Scripturæ consentaneam esse. Videlicet, electionem ad salutem esse absolutam à priori.

Tertiam Thesin falsam esse hoc modo probamus. 1. Quæ distinctiones nec disertis è Scriptura S. verbis, nec justa consequentia ex ea probari possunt, eas commentitias & falsas esse necesse est. Has autem non tradit Scriptura S. Nam nec Prophetæ in Veteri, nec Christus, Apostoli, Euangelistæ in N. Testamento, indefinitam & gene-

& generalem electionem docuerunt: non etiam incompletam, revocabilem, non peremtoriam, sed definitam, particularem, completam, irrevocabilem, peremtoriam tantum. Ergo hæ distinctiones sunt falsæ, & unica tantum est Electio.

2. Si hæ distinctiones veræ sunt, sequitur de uno eodemq; subjecto aut homine, Dei Decreta esse contradictoria, aut saltem contraria. Hoc autem impossibile est. Ratio, Deus est immutabilis, ut essentia, ita & Decretis. *Consilium meum stabit*, &c.

3. Si fides vera non est omnium, sed electorum tantum, ut diserte Apostolus testatur, & fides non indefinite datur, sed definite, sequitur electionem non indefinitam, sed definitam esse: verum prius. ergo & posterius.

Scio, inquit Christus, *quos elegerim*. Item, *non vos me elegistis, sed ego vos elegi. Elegit nos ante tempora secularia* &c. Hæc omnia docent Electionem esse definitam & singularem. 4. Omnis actus Dei æternus & internus est completus: Electio est talis actus Dei. ergo Electio est completa. Major patet, quia in Deum non cadit ulla imperfectio. Minor non potest negari. Salus quidem in hac vita est incompleta, gradibusque illa suis perficitur successive: hinc autem non sequitur Electionem aliquam in Deo esse incompletam: nisi dicamus totidem, tamque varias esse de uno eodemque homine Electiones, quot & quam sunt varij salutis gradus; imo in singulas horas momentaque electio mutabitur, quod absurdissimum.

5. Irrevocabilem & peremtoriam esse electionem, ex immutabilitate Dei consiliorumque illius patet. neque enim Deus instar hominum decretum suum revocat, rescindit, aut mutat, sed ratum firmumque habet in æternum, ut jam dictum est.

6. Est & una omnium singulorumque, tum in Veteri, tum Novo Testamento electio, non duæ. Vt enim una in utroque justificatio, Actor. 15. 11. Roman. 4. 23. 24. Sicut unum gratiæ fœdus, fundamentum salutis unum. 1. Corinth. 3. unus Deus Pater, Ephes. 4. una eademque glorificatio. Matth. 8. 11. tum in Veteri tum in Novo Testamento: ita & una eademque in utroque Electio. Rom. 11. 5. Vbi Paulus, producto eorum septem millium, qui genua coram Baale non flexerant, exemplo, ait. Ita etiam hoc tempore reliquæ secundum electionem gratiæ. Quænam illa Electio? utique non alia, quam de qua ante cap. 9. disseruerat. Vide etiam Rom. 11. 7. & vers. 28. & vers. 32. Si misericordia igitur in omnes una, una & erit, eademque electio; & unum de ea misericordia conferenda decretum.

Concludimus igitur hanc etiam Thesin falsam, & verbo Dei contrariam, antithesin autem veram ac verbo Dei consentaneam esse.

Thesin quartam rejicimus. Scriptura enim sacra beneplacito Dei solam electionis ad salutem causam impellentem adsignat; non hoc sensu, quod illud beneplacitum ad eligendam fidem in salutis conferendæ conditionem (cum Deus alias pro voluntatis suæ libertate conditiones eligere potuisset) restringatur. Nusquam enim id docet Scriptura, sed in hunc modum, cum par omnium & singulorum esset conditio, par miseria, cumque omnes & singuli essent peccatores, rei iræ & maledictionis, natura ex Adamo omnes mortui, Rom. 11. 32. Ephes. 2. 3. &c. *omnes destituerentur gloria Dei* Rom. 3. quod Deus horum præ illis misereri in Christo decreverit, nulla tamen in illis causa, qua ad hanc misericordiam præstandam moveretur, inventa. *Miseretur, cuius vult*, Rom. 9. *Prædestinavit nos ad adoptationem in filios per Iesum Christum in se ipso, secundum beneplacitum voluntatis ipsius*. Ephes. 1. 5. sic etiam vers. 9. & 11. & Matth. 11. 26. Præterea, si nec fides, nec bona opera, nec obedientia fidei, nec resipiscentia, nec perseverantia, sunt causa electionis, ut ipsi Remonstrantes fateri videntur, sequitur quod solum Dei beneplacitum illius sit causa.

Imo vero, si beneplacitum Dei, ut testatur Apostolus Colos. 1. 18. 17. causa est, quod Christus nobis mediator sit datus, & quidem sufficientissimus, quidni beneplacitum Dei causa erit electionis nostri? Denique, si electionis ulla in homine causa aut conditio prærequisita est, falsum erit quod ait Apostolus, *Non est volentis nec currentis, sed miserentis Dei*.

Rejecta igitur thesi hac, antithesin oppositam, tanquam verbo Dei congruentem amplectimur.

Thesin quintam ex eodem plane fundamento damnamus.

Ratio 1. Electio non conditionata, sed absoluta est, Nusquam dicente Scriptura: Si credideris, obediveris, perseveraveris, eligeris & ad salutem prædestinaberis. Vocatio quidem ad gloriam sive salutem conditiones habet: nemo enim salvabitur, nisi resipuerit, crediderit, perseveraveritque: at Electionis; quæ est actus Dei internus simplicissimusq;, alia est ratio. 2. Si hæ conditiones ante electionis singularium decretum sunt antegressæ, jam electio non erit omni modo gratuita: sed aliqua parte meritoria, si non ex condigno, saltem ex congruo. 3. Fides, obedientia, perseverantia, sunt Electionis aut fructus, aut effecta. Act. 13. 48. Eph. 1. 4. Tit. 1. 1. 2. Thess. 2. 13. 1. Ioan. 2. 19.

Stat igitur antithesis ex verbo Dei firma. Nam quod ex electione tanquam effectus è causa fluit, id non potest tanquam conditio, aut causa sine qua non, antecedenter ante electionem in mente Dei considerari. Atqui, &c.

Thesin sextam non modo tanquam falsam, sed etiam blasphemam damnamus. Ponit enim nobis Deum mutabilem in decretis suis, contra expressum Dei verbum, Psal. 33. Esa. 34. & 43. Matth. 24. *Si fieri posset etiam electi seducerentur.* Ioan. 10. *Nemo rapiet* &c. *Pater maior* &c. Rom. 9. 11. *ut propositum quod est secundum electionem firmum maneat. Fundamentum Dei stat* &c. Antithesin ergo tanquam orthodoxam probamus.

Thesin VII. verbo Dei contrariam esse statuimus, atque eâ omnem vere fidelium in spiritualibus certaminibus tentationibusq; gravissimis consolationem funditus subverti judicamus. Electionis enim ad gloriam in fidelibus sensum esse, ac proinde fructum, hoc argumento probamus. Pro quo beneficio sancti Deo gratias agunt, eius sensum ac fructum eos percepisse necesse est. Ratio. Nam cuius beneficii aut rei nullus est sensus fructusque, pro eo gratiæ agi non possunt: Atqui sancti tum in Veteri, tum novo Testamento Deo pro Electionis ad gloriam beneficio, gratias quantas potuerunt, egerunt. Psal. 77. & 144. &c. Ephes. 1. 3. 4. 2. Thes. 2. 13. &c. Ergo. &c.

Judicij à nobis de Thesibus antithesibusque de reprobatione lati rationes.

Totum de Dei ad mortem reprobatione decretum, thesi prima comprehendi negamus. Verum est Deum velle perseverantes in infidelitate sub ira relinquere & damnare, idque in Euangelio seu Scriptura esse patefactum. At inde non sequitur Deum decreto de reprobatione, id tantum statuisse, & præter hoc nihil in Scriptura aut Euangelio manifestavisse. Docet enim Scriptura Deum ex genere humano (quod universum per Adæ lapsum, seu transgressionem, reum est factum æternæ damnationis Rom. 5. 18.) majorem hominum partem (Matth. 20. 16.) quam Spiritus sanctus mundum vocat, Ioan. 17. 6. 9. non dilexisse in Christo, Matth. 7. 23. decrevisse non eligere, Matth. 20. 16. Apoc. 17. 8. eius non misereri, Rom. 9. 18. Christo non dare, Ioan. 17. 9. sed in lapsu illo, corruptione & peccatis relinquere, Ioan. 3. 36. eos foris verbo, aut omnino non vocare, Psalm. 147. 20. aut si vocet, fide tamen in Christum non donare, Matth. 13. 11. 2. Thess. 3. 2. Ioan. 10. 26. proinde neque à peccatis justificare, eis Spiritum sanctificationis non conferre, Ioan. 14. 17. sed in peccatis relictos, contumaciterq; perseverantes, æterna morte punire. Matth. 25. ad justitiæ, potentiæ, libertatisque suæ declarationem. Hoc illud est quod Scriptura de Reprobatione tradit. Falsa igitur est Thesis. Accedit quod stante illo decreto Reprobationis fieri potuerit, ut nemo actu reprobatus fuisset, ac nemo damnaretur. Antithesin ergo tanquam Scripturæ sacræ consentaneam, ac totum de Reprobatione decretum complectentem, approbamus.

De secunda Thesi idem pronunciamus, quod de I. Non enim multiplex, sed unica est reprobatio. Reprobatio est actus Dei internus absolute simplex. Simultiplex & mutabilis esset reprobatio, id fieret inde quod præscientia Dei posset falli, aut Deus quædam ignoraret, aut de novo quicquam cognosceret, aut præter voluntatem ei quicquam accidere posset. At nihil horum est. Est enim omniscius,

omniſciùs, perfectiſſimus, omnipotentiſſimus, ab æterno novit & poteſt omnia, & facit quicquid vult. Voluntas eius mutari, conſiliumque illius impediri non poteſt. Iehova dixit quis impediet? Non.

Tertia Theſis falſa eſt. Si reprobationis vox pro damnatione ſumatur, fatemur meritoriam cauſam eius perſeverantem eſſe adverſus Euangelium infidelitatem. ut docet Chriſtus, Ioan. 3. 36. At non eſt ſola cauſa. Nam & qui adverſus Legem peccaverunt, ſine Lege peribunt. Eſavus, cum nihil mali feciſſet; imo ne natus eſſet, reprobatus fuit, Rom. 9. At reprobatio ſumta pro decreto non eligendi, ſive non miſerendi, cauſam non habet infidelitatem aut peccatum: ſed Dei voluntatem liberrimam, iuſtiſſimamque: Voluntati eius quis reſiſtit? quem vult indurat. omnia agit ex conſilio voluntatis ſuæ Pa ter ita placuit tibi. Vera igitur eſt antitheſis & Scripturæ conſentiens.

Theſis IV. itidem ſeſe habet. Falſitas eius patet. Si indignitas in hominibus latens cauſa eſt, quod nonnullis Deus gratiam Euangelii non confert, omnes & ſingulos homines præteriturus eſſet Deus. Omnes enim æque indigni natura. Aut neceſſe eſſet natura alios aliis eſſe digniores. Hoc autem falſum. Omnes ex eadem ſunt maſſa corrupta, Omnes in & per peccata mortui, omnes natura filii iræ. Si indignitas eſt cauſa non manifeſtationis Euangelii, cur latroni ſe patefacit Chriſtus non autem Socrati, non Platoni? Hi enim ſi vitæ foris actæ ratio habeatur, illo digniores videntur fuiſſe. Scriptura contra teſtatur. Sicut quod è vocatis aliis datum eſt intelligere myſteria regni cœlorum, aliis non item: idque ſolo Dei beneplacito. Matth. 11. 26. Ita quod alii foris vocantur, alii non, cauſa eſt Dei beneplacitum, Epheſ. 1. 9. *Notum fecit nobis myſterium, pro ſua ἐὐδοκίᾳ. Omnia facit ex conſilio voluntatis ſuæ.* Pſalm. 147. 20. Antitheſis ergo vera eſt, & in ſacra Scriptura fundatur.

Corollarium heterodoxis Theſibus ſubjectum adverſari S. Scripturæ ex eo patet, quod Apoſtolus ait, *Nondum natis pueris, antequam boni vel mali quicquam feciſſent* &c. *ut propoſitum Dei, quod eſt ſecundum Electionem, firmum maneret.* Si infantium non eſt electio. Ergo neque ſalutis promiſſio, nec ſalus. Salus enim & promiſſio illius non niſi ex Electione ad ſalutem. Atqui infantium eſt promiſſio, *Ego ſum Deus tuus & ſeminis tui. Vobis & liberis veſtris facta eſt promiſſio. Liberi veſtri ſunt ſancti.* Et ſalus ipſorum eſt. *Sinite eos ad me venire, quoniam eorum eſt regnum cœlorum.* Ergo.

Si electio eſt infantium: erit & infantium reprobatio, demonſtrat id Eſavi infantis, imo nondum nati reprobatio. Quod exemplum Apoſtolus ad generalem de Dei reprobatione doctrinam demonſtrandam (prout & doctrinam de Electione Dei Iacobi infantis & nondum nati exemplo oſtendit) infert ab hypotheſi ad theſin progrediendo.

Gloriæ Dei theſes has de Electione officere judicamus. Nam ſi fides & perſeverantia non eſt ex Electione, ſed conditio in eligendo prærequiſita, gloria non in ſolidum gratiæ, ſed ex parte ſaltem libero hominis arbitrio tribuenda erit, cuius beneficio aut uſu ſe homo ipſe diſcreverit. Contra illud Apoſtoli, *Quis te diſcernit? quid habes quod non accepiſti?* &c.

Judicium

Deputatorum Eccleſiarum Friſicarum,

DE

SENTENTIA REMONSTRANTIUM

circa primum Articulum Hagienſem.

SEntentiam & doctrinam Remonſtrantium, circa primum de Electione & Reprobatione Articulum, ex libris ipſorum, in lucem editis, publicisque & authenticis eorundem Remonſtrantium declarationibus & ſcriptis in hac Synodo exhibitis ac ſubſignatis, ſincere & fideliter excerptam, argumentaq; quibus illam in

Collatione Hagiensi, aliisque scriptis confirmare conati sunt, in timore Domini expendimus, & secundum tenorem juramenti ab Ill. Ord. Gen. præscripti, & à nobis præstiti, sola divini verbi statera examinavimus, deque iis sentimus in conscientia & judicamus, ut sequitur.

I.

De Electione.

Primum Articulum Remonstrantium Ill. Hollandiæ Ord. exhibitum, & ab ipsis in Collatione Hagiensi declaratum, ac pro viribus defensum, cuius summam ipsimet (qua electionem sive prædestinationem ad salutem concernit) sic exprimunt: *Deum decrevisse credentes, & in fide fideique obedientia perseverantes servare*, si simpliciter & sane intelligatur, judicamus indubitatæ apud omnes veros Christianos semper fuisse veritatis, ideoq; Remonstrantes nulla justa necessitatis specie, hunc Articulum formasse, ejusque tolerantiam petiisse, ac si in Ecclesiis Reformatis Belgicis essent, qui de hujus assertionis veritate dubitarent, eive contradicerent, aut peculiaris quædam esset Remonstrantium hæc doctrina ac sententia. Cumque id ipsos, ut rerum satis peritos, latere non potuerit, dubitare non possumus, quin alium sibi in Articuli huius efformatione scopum propositum habuerint, nimirum, ut imperitis causæ æquitatem persuaderent, & sub specioso huius Articuli prætextu, tanquam clypeo, errores tutius disseminarent; quod ex sequentibus planum fore existimamus.

Si vero respiciatur ad Articuli huius explicationem & declarationem, quam in Coll. Hagiensi proposuerunt, manifestum est, illos hunc Articulum Ecclesiis voluisse obtrudere, ut continentem integrum & totum electionis ad salutem Decretum, præter quod nulla alia ad salutem Prædestinatio, in Euangelio sit patefacta. quod ipsum variis argumentis conati sunt evincere in eadem Collat. Hagiensi. Hoc autem Remonstrantium sensu Articulum hunc acceptum reijcimus: Iudicamus enim, illum neutiquam continere doctrinam divinæ Electionis in Scripturis sacris traditam, imo ne quidem continere ipsam Remonstrantium sententiam totam & integram de Electione; ut sibimet ipsis aperte contradicant; dum contendunt hunc Articulum continere integram prædestinationem ad salutem, nullamque præter hanc in Euangelio esse revelatam: & è contrario ipsi aliam præter hanc electionem diserte tradunt. Vtrumque breviter probabimus.

Primum probatur sequentibus.

Articulus hic, ex sententia Remonstrantium, continet totam doctrinam prædestinationis & electionis ad salutem: Scriptura autem sacra hanc doctrinam sic tradit, ut aperte inter alia declaret esse decretum prædestinandi & eligendi *hos vel illos* sive singulares quosdã homines ad salutem, Rom. 8. 30. *quos* prædestinavit Deus, *hos* vocavit. Ioh. 13. 18. Scio *quos* elegerim. Marc. 13. 18. Electi *quos* elegit. Matth. 22. 14. Multi vocati, *pauci* electi. Actor. 13. 48. Credebant *quotquot* erant ordinati ad vitam æternam. Ephes. 1. 4. Elegit *nos*. 2. Thes. 2, 13. quod elegerit *vos*. Rom. 9. 15. *Quorum* vult miseretur. Iohan. 17. 6. Manifestavi nomen tuum *iis* hominibus, *quos* dedisti mihi: & versu 12; *quos* dedisti mihi, *eos* custodivi &c. In hoc autem Remonstrantium de Prædestinatione & Electione Articulo, nullibi comparet *horum vel illorum* hominum mentio. Hac phrasi (*hi vel illi*) cum Scriptura eo libentius utimur, quod vix aliâs occurrant voces, quibus sententiam veram, ab ipsorum sententia discriminemus. Si dixerimus certos particulares quosdam homines, idem quidem nobis esset, quod *hos* vel *illos*: verum illi ista voce utentes, intelligunt per *certos*, certa & particulari, fidei scilicet, qualitate vestitos, sive certum genus hominum, puta fidelium, qua talium. Ipsi Remonstrantes cardinem controversiæ, rotunde satis in eo versari fatentur; quod ipsorum doctrina de Electione statuat, *quales* Deus voluerit eligere: adversariorum. *quos*

quos voluerit eligere. Hoc autem Decretum eligendi, *hos vel illos*, est Scripturæ, ut supra ostensum; Remonstrantium autem de eligendo *tales*, fidei, obedientiæ, perseverantiæque qualitatibus vestitos, pugnat cum Scriptura. Quumque ipsis, de eligendis *talibus* decretum sit duplex, unum generale & absolutum, quod nullum contineat respectum ad has vel illas personas singulares, qualitate ista vestitas, sed duntaxat statuat in genere, si qui tales fuerint, eos eligendos: sive, Decretum salvandi quoslibet credituros: Alterum conditionatum, de singularibus istas conditiones præstantibus, eligendis: quorum prius illud *secundum* inter ipsorum decreta locum obtinet, posterius *quartum & ultimum*: apparet vel ex ipsorum sententia in decreto huius Articuli, quod ipsismet explicantibus, est prius illud generale, nullam mentionem, nullum respectum singularium *harum* vel illarum personarum, ne quidem *istis qualitatibus vestitarum*, locum ullum habere posse: Decretumque hujus Articuli, ex ipsorum confessione, potius appellandum est Decretum de *conditionibus* salutis, quas Deus è multis possibilibus elegit. Quale ergo discrimen est inter *electionem conditionis huius vel illius è multis*, & *electionem hominum horum vel illorum è communi hominum multitudine*, tantum est inter hunc Articulum & doctrinam electionis, quam Scriptura tradit, discrimen.

II.

Hic Articulus nihil ponit aliud, quam; posse homines salvari, & *qua conditione*, fide scilicet, possint salvari. Non autem ponit *originem, fontem & fundamentum* certæ & infallibilis quorundam hominum *definitorum* fidei & salutis, quod tamen Scriptura passim facit, ubi agit de divina ad salutem electione, quæ illum fontem aperit & continet. *Sive brevius*: Hic Articulus tradit Deum tales servare velle, si existant. At Decretum electionis in Scriptura traditum, ponit Deum certos quosdam homines servare *velle, & efficere, ut illi tales sint*, quales servare vult. *Quos enim prædestinavit, hos vocavit, justificavit, glorificavit*, Rom. 8. *Oves alias habeo, & illas me oportet adducere*, Ioh. 10. 16. *Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi, & verbum tuum servarunt. Credebant, quotquot erant ordinati ad vitam æternam*, Actorum 13. 48.

III.

Hoc Decreto salvo, potuissent tamen omnes homines damnari, aut etiam omnes salvari; si scilicet omnes vel non credidissent vel credidissent, quod fieri potuisse Remonstrantes non diffitentur. Quale autem hoc esset Decretum electionis ad salutem, quo posito vel nemini vel omnibus salus obtingere potuisset? Omnibus siquidem vel damnatis vel servatis, nullus esset electioni ad salutem locus. Contra Scriptura, Rom. 11. 7. *Electi assecuti sunt*. Rom. 8. 30. Quos prædestinavit, *hos glorificavit*. Matth. 24. 30. Mittet Angelos suos & *congregabunt electos*. Rom. 8. 34. *Quis condemnabit electos?* Apocal. 17. 14. *& qui cum ipso* (Christo) *erant electi*: Luc. 18. 7. annon vindicabit *electos?* vindicabit eos cito. Ioh. 17. 12. Quos dedisti mihi eos custodivi.

IV.

Articulus hic nihil aliud continet, quam pronunciatum & promissum hoc Evangelium: *Si credideris, & perseveraveris, salvaberis*: Vel, *Qui credit & perseveraverit, salvabitur*. Hujus Evangelici effati fundamentum est in Decreto Electionis, quo Deus statuit quosdam ad vitam æternam eligere, eosque fide in Christum donare, & per eam ad salutem perducere. Cum igitur ex fonte electionis ad gloriam, emanet hoc donum fidei in electos & salvandos, illorumque sit proprium, hinc promulgatur in Evangelio: *Qui credit salvabitur*. Quare absurdum est, hujus generis promissa, totum Prædestinationis ad salutem Decretum appellare, cum horum annuntiatio, *medium duntaxat unicum externum sit*, Quo deus Decretum ele-

ctionis in electis suis exsequitur, per verbum hoc promissionis extrinsecus & Spiritum suum intrinsecus, fidem in cordibus electorum accendendo, conservando & augendo.

V.

Hoc primi Articuli decretum posset consistere cum defectu & negatione *Præscientiæ* in Deo. Potest enim statui conditio salutis, licet ignoretur, num quis eam sit præstiturus nec ne, & consequenter hic Articulus admitti etiam posset ab illis, qui omnem futurorum contingentium (qualia omnia esse existimant, in quibus actio voluntatis humanæ intervenit,) præscientiam Deo derogant.

Alterum probatur ex ipsa Coll. Hagiensi, plurimisque alijs Remonstrantium scriptis editis, atque etiam in hac Synodo exhibitis, in quibus omnes statuunt, electionem singularium personarum, quam vocant conditionatam, innitentem prævisioni præstitæ fidei conditionis: cui prævisioni, in decreto hujus Articuli primi de servandis fidelibus, locum nullum esse, ipsi expresse fatentur. Quare aut in confirmatione hujus Articuli male contenderunt, eum complecti totum electionis ad salutem decretum: aut, electionem singularium ex prævisa fide, extra Scripturam excogitarunt, aut denique luserunt, intelligentes per TOTUM Prædestinationis decretum, totum illud generale Decretum, quod secundum ipsis est inter quatuor, præter quod tamen scirent aliud esse decretum, de singularibus ex præscita fide servandis, quod quarto loco reponunt, & similiter TOTUM dicere possent in suo genere decretum, electionis scilicet singularis, conjunctæ cum præscientia.

Atque hæc sufficiant de Articulo primo ex Remonstrantium sensu, nec Scripturæ, nec ipsorummet sententiæ consentaneo, cujus in locum nos hunc Orthodoxum & S. Scripturæ consentaneum substituimus.

Electio ad salutem, est Decretum Dei æternum, liberrimum & immutabile, quo statuit certam hominum multitudinem (quam ut alijs nec meliorem, nec digniorem, sed per peccatum pariter morti & maledictioni obnoxiam, juste in sponte attracta communi miseria relinquere, & propter peccata damnare potuisset) ex mero beneplacito, misericordia & gratia ad vitam æternam eligere, ijs Filium suum Redemptorem & Servatorem, eosque Filio suo redimendos ac servandos dare, ad Filij sui eiusque beneficiorum communionem, per Verbum & Spiritum Sanctum efficaciter perducere, & in eadem communione per media ab ipso ordinata, gratiose & potenter custoditos tandem glorificare: idque in hunc finem, ut totus Electorum chorus ipsi constanter adhæreat, ipsum fervide diligat, ipsi benedicat & gloriosam atque incomprehensibilem hanc ipsius gratiam in æternum prædicet.

In explicatione Articuli de Electione, sequentes erroneas assertiones, in varijs Remonstrantium scriptis observavimus, quarum prima hæc est.

I.

De Electione ad Fidem.

Electio ad fidem, prior est electione ad gloriam: nec omnes qui ad fidem sunt electi, peremptorie quoque ad gloriam sunt electi: in homine autem ad fidem eligendo, prærequiritur hæc conditio, ut homo peccator peccata sua per legem agnoscat, de ijs pœniteat, sit humilis, parvus, probus & ad vitam æternam dispositus.

Hanc Remonstrantium sententiam, S. Scripturæ dissentaneam esse judicamus. Nam S. Scriptura testatur;

1. Deum nos simul ad gloriam & fidem, aliaq; media electioni ad gloriam subordinata, elegisse ac prædestinasse. Videantur loca, Rom. 8. 30. Eph. 1. à vers. 4. ad 13. 2. Thess. 2. 13. 1. Pet. 1. 1. 2.

2. Omnes

2. Omnes in Filium vere credentes, habere vitam æternam in Filio, Ioh. 3. 36. 1. Ioh. 5. 12. esse immunes à condemnatione, Rom. 8. 1. 34. esse hæredes Dei & cohæredes Christi, Rom. 8. 17. & credere quotquot ad vitam æternam sunt ordinati, Act. 13. 48. Fidem esse Electorum Dei, Tit. 1. 1. Unde liquido constat, omnes vere credentes ad vitam æternam immutabiliter electos esse, secundum illud Rom. 11. Electi assequuti sunt, & Matth. 25, Seducerent electos, si fieri posset.

3. Nos, animales, carnales, in peccatis mortuos, & ad vitam æternam ineptissimos & maxime indispositos, ex mera gratia efficaciter illuminari, regenerari, vivificari, resipiscentiaque simul & fide donari. Ioh. 3. 3. 5. 6. 1. Cor. 2. 14. Ephes. 3. à vers. 1. ad 11. Act. 5. 31. & 11. 18.

Quare huic sententiæ, Pelagianæ non absimili, opponimus hanc Orthodoxam.

Deus nos simul ad gloriam & gratiam huius vitæ, ipsamque fidem elegit: & quotquot ad veram fidem perducuntur, indubie electi sunt ad gloriam. Ad fidem vero, non ex ulla prærequisita & præstita à nobis conditione vel dispositione, sed ex mera & gratuita gratia, nos omnibus modis ineptos, incapaces, indispositos Deus elegit, & potenti ac gratiosa Spiritus operatione perducit.

II.

De Beneplacito Dei, quod causa est Electionis ad gloriam.

Merum & gratiosum Dei beneplacitum, mera gratia, liberrimum arbitrium, quæ causa est Electionis, in hoc consistit, quod Deus actum fidei in sese ignobilem, nullo eius merito, è multis possibilibus in conditionem communicandæ salutis elegerit, tantique illam gratiose æstimare voluerit, ut eam reputarit pro perfecta legis obedientia, cum liberum ipsi fuerit alias conditiones, puta opera legis &c. eligere.

Hoc commentum Remonstrantium è Socino haustum, explodendum, eiusque loco veritatem hanc substituendam esse judicamus.

Beneplacitum Dei, quod Electionis nostræ causa est, non in eo consistit, quod Deus fidem è multis conditionibus possibilibus, elegerit, sed nos miseros & indignos nullo nostro merito, nulla fidei & alia bona qualitate vestitos, ex gratuita gratia & misericordia, præ alijs æque ac nos indignis, ad vitam æternam elegerit. Videantur, Rom. 9. 11. 15. Ephes. 1. 5. 9. 11. Ephes. 2. à vers. 1. ad 11. Deut. 7. 6. &c. & Cap. 9. 4. 5. 6.

III.

Electio ad salutem multiplex est, alia generalis fidelium, alia particularis sive singularis horum vel illorum fidelium, illa sine prævisione seu præscientia fidei; hæc innitens præscientiæ fidei: item alia indefinita, alia definita: rursus definita sive singularis, alia incompleta, non peremptoria, revocabilis, vel conditionata; alia completa, peremtoria, irrevocabilis vel absoluta, cuius adæquatum objectum est homo fidelis in fide moriens vel iam mortuus; alia item Vet. alia Nov. Testamenti: alia illorum, quibus Evangelium annunciatur: alia illorum, quibus non annunciatur.

Hanc Electionem multiplicem, ut cerebri humani figmentum, Deo ignominiosum, veræ pietati noxium, solidumque fidelium in vita & morte solatium subvertens, maximopere improbamus; cum Scriptura testetur unicum esse beneplacitum, propositum & consilium electionis, eiusque singularis, definitæ, ab æterno in Deo perfectæ & completæ; irrevocabilis, peremtoriæ (si quidem hoc ipsorum

rum termino ἀγεάφῳ uti liceat) horum vel illorum miserorum mortalium: eademque est uniformis in Vet. & Nov. Testamento, Ephes. 1. 4. 5. 6. 7. 9. 11. Roman. 9. 11. 8. 28. 1. Thess. 1. 4. 1. Petri 1. 2. Roman. 11. 7. 8. 30. Iohan. 10. 28. 17. 12. Matth. 24. 24. Roman. 4. per totum: 1. Corinth. 10. 1. 2. 3. 4. Hebr. 11. per totum &c.

1. Deo ignominiosæ sunt hæc Electionis divisiones. Nam reipsa Deum suspensum, incompletum, in momenta mutabilem, id est, idolum cerebri, loco omnipotentis, æterni, omniscij & immutabilis Dei substituunt.

2. Pietati sunt noxiæ; quia carnis dubitationes atque diffidentiam iuvant ac stabiliunt, fiduciamque ac spem vivam fidelium subvertunt. Vera autem & germana pietas non ex dubitatione, sed ex Spiritu adoptionis, fide & sensu dilectionis Dei constantissimæ, velut radice pullulat.

3. Consolationem fidelium subvertunt; quia Electionem in momenta pro ratione nostræ mutabilitatis mutabilem inducunt. Sed Scriptura testatur, Spiritum adoptionis testari Spiritui nostro, nos hæredes esse Dei, cohæredes Christi; nos habere vitam æternam; nos in Christo in supercœlestibus esse constitutos; nos in Deo esse, & ipsum in nobis; nos sive viventes sive morientes, Christi Domini nostri esse. Idem Spiritus facit nos *exultare* & gloriari in Deo nostro pastore, similiaque sentire & loqui, qualia extant, ad Rom. 8. sub finem; 2. Cor. 5. ab initio usque ad 9. & Psal. 23. passimque alibi; confer 2. Cor. 4. 13.

Quare nos, ignitis hisce Satanicis telis, scuto fidei retusis, opponimus hanc fidei loquelam.

Unica est ad salutem & media salutis, Electio, in Veteri & Novo Testamento: eaque singularis, definita, irrevocabilis, immutabilis: ut numerus electorum augeri aut minui, Electio interrumpi, electusque reprobus fieri nequeat.

IV.

Electio singularium personarum, facta est ex prærequisitis ac prævisis, ut præstitis, conditionibus fidei, obedientiæ, resipiscentiæ, sanctitatis, pietatis, vel inchoatæ & aliquo usque continuatæ, vel etiam consummatæ & ad extremum vitæ terminum perductæ, pro diversa non peremptoriæ & peremtoriæ Electionis ratione. Adferuntque hæ conditiones dignitatem & dispositionem gratiosam Evangelicam, propter quam, qui eligitur, dignior est eo, qui non eligitur. Quare fides, obedientia fidei, sanctitas, pietas, perseverantia, item vocatio, iustificatio, sanctificatio huius vitæ, non sunt fructus ex immutabili Dei electione manantes, eiusve effecta & consequentia, sed eius conditiones prærequisitæ & antecedaneæ.

Et hanc Thesin, ut Pelagianam & Sacræ Scripturæ ex diametro repugnantem, eiusque, ut & salutis, seriem atque ordinem pervertentem, quam maxime improbamus.

1. Scriptura enim docet nos, non à Deo *ex his* tanquam conditionibus prærequisitis, sed *ad hæc omnia* electos & prædestinatos esse, & effecta, fructusque, hæc esse, ex electione gratuita Dei manantes. Videatur Rom. 8. 30. Ephes. 1. 4. 5. 9. 11. 1. Petri 1. 2. Iohan. 6. 37. 39. 44. 10. 16. Matth. 11. 25. 26. 27. 1. Timoth. 1. 9.

2. Deinde absurdum & ἀθεολόγον est, hominem iam per fidem in Christo existentem, vocatum, iustificatum, à condemnatione immunem, in supercœlestibus in Christo constitutum, vitæque æternæ hæredem, ad vitam æternam eligi, id est, non *præ* sed *post* destinari. Ista autem omnia, fidelibus in Christo existentibus, passim in Scriptura tribuuntur.

3. Præterea hæc doctrina Electionem, quæ omnis promissionis, fœderatis, fons est, vertit in promissum, in hanc scilicet formam, *Si credideris, eligeris*, sed needum peremtorie; *Si perseveraveris, eligeris peremtorie*. Quæ peregrina sunt.

4. Dein-

4. Denique dignitatem aliquam prærequisitam & præviam in eligendo ponere, sive naturalem, sive legalem, sive Evangelicam, propter quam qui eligitur, dignior sit illo qui non eligitur, est Scripturæ, adeoque ipsi Deo, velut in os contradicere: Videatur Deuter. 7. 6. & seq. 9. 4. & seqq. Rom. 11. 9. 21. Ephess. 2. 2. Tit. 3. 5. Rom. 11. 5. 6.

Nec excusat eos, quod has conditiones, negent causam proprie dictam Electionis esse. Eo enim nihil aliud sibi volunt, quam hanc fidem, fideique obedientiam, resipiscentiam, sanctitatem & pietatem, non mereri quidem sua insita dignitate Electionem; Sed vere tamen movere Deum ad eligendum, quandoquidem statuto prævio, ea jam in conditionem elegerit, & benigne tanti æstimare voluerit. Quæ omnia quomodo non longius abeant à veritate, quam sententia Pontificiorum de meritis condigni, equidem profitemur nos non videre. Pontificij siquidem operum merita, ex merito Christi student derivare: Remonstrantes autem statuunt, Deum obedientiam Evangelicam bonorum operum, liberrimo suo arbitrio tanti facere; cum liberum ei esset, alias conditiones eius loco eligere, credentesque (quod Socinus explicationis causa addit) ut cæteros perdere.

Huic igitur Remonstrantium Sententiæ; opponimus Contrariam Orthoxam hanc.

Deus nos elegit ac prædestinavit ad fidem, obedientiam, resipiscentiam, sanctitatem, pietatem & perseverantiam in illis; item ut nos vocaret, justificaret, sanctificaret, suntque hæc omnia fructus, effecta & consequentia Electionis & Prædestinationis.

V.

Vniformia & conformia sunt Electionis & justificationis decreta: Sive, quales Deus homines consideravit in justificando, tales etiam consideravit in eligendo: Sive; ijsdem qualitatibus vestiti objiciuntur homines Deo eligenti & justificare volenti.

Et hæc peregrina pronunciata, sive Pontificiæ, sive Socinianæ Sententiæ consentanea, vehementer improbamus, utpote adversus Scripturam statuentia, Electionem & Iustificationem ex fide & bonis operibus, sive ex obedientia vitæ Evangelicâ.

VI.

Electionis immutabilis ad gloriam, nec sensus certus, nec fructus ullus est in hac vita: nullaque eius certitudo, nisi conditionata & contingens.

Hoc impium dictum, Sententiæ quidem Remonstrantium, consentaneum & conforme est; sed omnium, quotquot in Scripturis commendantur, Sanctorum sensui ac sententiæ dissentaneum, adeoque deforme & Scripturæ Sacræ adversissimum.

Nec judicij nostri alias hic probationes afferimus, quàm ipsa viva sensus Sanctorum documenta & fructus amplissimi vestigia, quæ nobis Sanctorum praxis in S. Biblijs exhibet copiosissime.

1. Considerentur Sanctorum, in Deo, constantissimaque eius dilectione, electione ac salute, gaudia, gloriationes, exultationes, tripudia, quæ totidem sunt cœlestis gaudij, vera initialiaque præludia, nil nisi sensum Electionis vivum, spem lætam & vivam gloriæ in Patria possidendæ, Satanæque & inferorum contemtum spirantia.

2. Denique quot dilectionis paternæ effecta, in pectoribus suis electi in dies persentiscunt, tot electionis æternæ vestigia ac sigilla sentiunt, palpant, contrectant, eaque ex gratissimo illo omnis benedictionis fonte, ad se profluere gratissime agnoscunt.

Tantum

Tantum vero abest, ut hic suavissimus Electionis sensus & certitudo, Electos degeneres, carnales aut in cursu pietatis segniores, tardioresve reddat, ut è contrario hic demum fervidæ ac sinceræ Dei ac proximi dilectionis, sanctique in omni bono opere zeli, non tantum incentivum & calcar efficacissimum, sed & radicem ac quasi sedem cum Scriptura collocemus; quod vel ipsa Sanctorum experientia testatissimum est. Et sicuti, Hic æterni Dei favoris sensus, paradisus electorum est in terris, ita nihil ipsis tristius & durius accidit, quam carnis dubitationum aut gravium tentationum nebulis, eam lætitiam obscurari aut interrumpi, quo, sanctis & justis de causis, sapiens pater, nonunquam suos electos in hac vita exercet & humiliat, uti ex Scripturis patet.

De Reprobatione.

DE Reprobationis decreto, licet parcé ac sobriè (pro ut Spiritus Sanctus prævivit in Scripturis) in Ecclesia loquendum esse arbitremur; hæc tamen sequentia Remonstrantium dogmata, ut à Scripturis Sacris aliena, non possumus non improbare; eaque, posita electionis doctrina, sponte sua concidere existimamus, ut operose ijs immorari non sit necesse.

I.

Deus neminem decrevit in lapsu Adæ & miseria relinquere, sed omnium salutem desiderat, omnibus salutem intendit, omnibus mediatorem dedit, mediaque ad fidem & conversionem necessaria, sufficientia & efficacia administrat.

1. Contrarium patet, ex veritate doctrinæ Orthodoxæ de Electione. 2, longe aliud docet Paulus, Rom. 9. 11. 12. 13. 15. 18. 21. Christus, Matth. 11. 25. 26. 28. 13. 11. Act. 14. 16. Deut. 7. 6. & seq. Psal. 147. 19. 20. Ioh. 17. 6.

II.

Decretum de damnandis infidelibus perseverantibus, est totum Reprobationis decretum.

Huius falsitas, ex opposita Electionis doctrina, in primo Remonstrantium Articulo expressa, percipitur. Est siquidem hoc decretum generale, indefinitum de qualitatibus damnandorum, non concernens definitas has vel illas personas, quas Deus in eligendo præterijt & propter peccata iuste damnare decrevit, qualem Reprobationem Scriptura tradit. Et ut Electorum, ita reproborum certus & definitus numerus Deo constat. Exempla quædam singularium personarum, Rom. 9. extant.

III.

Reprobatio dividitur, ut Electio, in generalem, singularem, indefinitam, non peremtoriam, peremtoriam, &c.

Et hæ divisiones, eiusdem sunt genij cum illis Electionis supra positis divisionibus, quas ut naturæ Divinæ & Scripturæ dissentaneas reijcimus, & Reprobationem interrumpi, reprobosque Electos fieri posse, pernegamus. *Consilium enim Dei stat, omnem suam voluntatem facit* &c. *Ego Iehova, non mutor*: Item: *nulla est mutationis umbra in Deo.*

IV.

Reprobatio singularium peremtoria, facta est propter prævisam antecedentem adversus Evangelium infidelitatem, inobedientiam, perseverantiamq; in ea: adeo

adeo ut nemo propter peccatum Originis reprobetur, sed qui reprobantur, tantum reprobentur, propter propria peccata ipsorum actualia, quæ omittere potuerunt.

Contrarium docet Paulus, Rom. 9. 11. 18. 21. Christus, Matth. 11. vers. 25. 26. 27. Ex quibus constat beneplacitum Dei causam esse, cur Deus quosdam, aliis (electis) non indigniores præterierit, & non elegerit ad vitam æternam: causam vero cur Deus præteritos damnare voluerit esse peccata omnia, tum originale tum actualia, universa testatur S. Scriptura.

V.

Causa cur Deus ad hos Euangelium mittat, ad alios non mittat, est hominum illorum gratiose æstimata idoneitas, vel indignitas.

Hoc si verum esset, nemini unquam in terris Euangelium fuisset annunciatum, cum ad unum omnes eo sint indignissimi. Sola igitur hujus discriminis causa est justissimum ac liberrimum Dei beneplacitum, secundum illa: Matth. 11. 25. 26. 27. Psalm. 147. 19. 20. Actor. 14. 16. Rom. 10. 20.

Quare nos his Heterodoxis assertionibus, has duas Orthodoxas opponimus.

I.

Deus unico, eoque sanctissimo, irreprehensibili atque immutabili beneplacito, decrevit quosdam in peccatum prolapsos, iræque & maledictioni, sua culpa obnoxios, in miseria & peccatis relinquere, eos ad vitam æternam non eligere, eorum ad salutem non misereri, eos ad Filij sui communionem efficaciter non vocare, non justificare, non sanctificare, & tandem propter peccata, tum originale, tum actualia omnia, eosdem juste damnare.

II.

Causa cur Deus Euangelium à nonnullis aufert, procul dubio est ipsorum detestanda ingratitudo; cur vero ad hos illud mittat, ad alios non mittat, non est idoneitas vel indignitas hominum, sed solum liberrimum Dei beneplacitum, quo de suo facit quod vult, neminique habet retribuere, cum nemo prior ipsi dederit.

Ad Argumenta Remonstrantium quod attinet, quibus hanc suam Heterodoxam sententiam, in Collat. Hagiensi aliisque scriptis stabilire conati sunt, nos ea partim ex male intellectis & detortis Scripturæ testimoniis, partim ex depravato humanæ rationis judicio desumta & formata esse judicamus, pridemque solide confutata, tum à priscæ, tum etiam modernæ Orthodoxæ Ecclesiæ doctoribus; etiam à Clariss. Theologis in hac ipsa Synodo, in quorum laboribus, nos certa scientia & bona conscientia, acquiescere profitemur. Atque hæc de Sententia Remonstrantium circa. 1. Articulum de Electione & Reprobatione sufficiant. Ex quibus cum liquido appareat, illorum de Electione & Reprobatione doctrinam, esse in his Ecclesiis Orthodoxis novam, Heterodoxam, S. Scripturæ dissentaneam; Iudicamus illam in Ecclesiis Belgicis Reformatis non debere doceri, sed è contrario sententiam Orthodoxam, ut Verbo Dei consentaneam in iisdem porro constanter, ut in omnibus aliis Reformatis Ecclesiis fit, esse retinendam & docendam, ut Deo per eam sua constet gloria, vera humilitatis & sinceræ pietatis radix stabiliatur, conscientiisque fidelium solidum in vita & morte solatium administretur. Ita faxit clementissimus misericordiarum Pater, propter filium suum unigenitum. AMEN.

IVDICIVM
Deputatorum TransIſulaniæ,
De Primo Articulo.

Theſes Heterodoxæ Remonſtrantium De Electione.

I.

Voluntas Dei de ſervandis fidelibus in fide eiuſque obedientia perſeverantibus, eſt totum Decretum prædeſtinationis ad vitam.

Hanc theſin falſam eſſe aſſerimus, ob ſequentes rationes.

I. Quia hoc poteſt conſiſtere cum negatione præſcientiæ Dei, & omnium hominum damnatione. Cum negatione præſcientiæ; quia articulus hanc non præſupponit: adeoque Deus potuiſſet ſimpliciter apud ſe ſtatuere, velle ſe credentes ſalvos facere, quamvis non præſciret, qui credituri eſſent. Quemadmodum & ipſi Remonſtrantes luce veritatis convicti, haud obſcure indicant, cum aliud Decretum electionis ad ſalutem de ſingularibus, his vel illis hominibus ſervandis, quod præſcientiæ divinæ de ipſorum fide, & obedientiæ in fide perſeverantia, imitatur, ſtatuunt. Cum omnium hominum damnatione; Nam ſi Deus ex gratuita miſericordia fidem nemini daret, nemo ſervaretur: ideo ipſi interponunt, Decretum tertium de medijs ad fidem neceſſariis ſuppeditandis.

II. Quia non ſtatuit veram & unicam cauſam impulſivam Prædeſtinationis, nimirum liberrimum beneplacitum Dei; non finalem; illuſtrationem ſcilicet gratioſæ ſuæ miſericordiæ in Electis: non certum & totum numerum electorum; non omnia voluntatis miſericordis effecta; non fructum nec ſenſum Electionis.

Antitheſes Orthodoxæ De Electione.

I.

Voluntas Dei, qua *a* pro beneplacito ſuo ſtatuit, *b* quorundam (quos *c* æterno ſuo *d* conſilio & Decreto ad vitam æternam *e* immutabiliter elegit) ex *f* genere humano lapſo miſereri *g* eoſdem Chriſto Filio ſuo ſervandos dare *h* efficaciter vocare, *i* fide in Chriſtum donare, atque ita *k* juſtificare, *l* ſanctificare, & *m* glorificare, ad *n* laudem glorioſæ ſuæ gratiæ, eſt *o* totum Decretum Prædeſtinationis ad gratiam & gloriam.

Dicta Scripturæ, ex quibus veritas hujus theſeos liquet.

a Epheſ. 1. verſ. 5. *Prædeſtinavit nos quos adoptaret in filios per Ieſum Chriſtum in ſeſe, pro benevolo affectu voluntatis ſuæ.* & verſ. 11. *Prædeſtinati ſecundum præſtitutum eius qui agit omnia ex conſilio voluntatis ſuæ.*

b Iohan. 13. verſ. 18. *Non de omnibus vobis loquor: ego ſcio quos elegerim.* 2. Timoth. 2. verſ. 19. *Solidum tamen fundamentum Dei ſtat, habens ſigillum hoc: Novit Deus eos qui ſunt ſui.*

c Epheſ. 1. verſ. 4. *Elegit nos in ipſo ante jactum mundi fundamentum.* 2. Theſſal. 2. verſ. 13. *Elegit vos Deus ab initio ad ſalutem.*

d Epheſ. 1. verſ. 11. Vide ſupra literam *a*.

e Eſai. 46. verſ. 10. *Conſilium meum ſtabit & omnem delectationem meam facturus ſum.* 1. Sam. 15. verſ. 29. *Quin etiam qui eſt æternitas Iſraelis, non committit mendaciter, neque pœnitebit eum: non enim homo eſt, ut pœniteat eum.* Romanor. 11. verſ. 29. *Dona illa & illa vocatio Dei eiuſmodi ſunt, vt eorum ipſum pœnitere non poſſit.*

f Roman. 9. verſ. 18. *Cuius vult miſeretur.* & verſ. 23. *Vaſa miſericordiæ.*

g Iohann. 6. verſ. 39. *Hæc eſt autem voluntas eius, qui miſit me, id eſt, Patris, vt quidquid mihi dederit, non perdam ex eo, ſed ſuſcitem illud in ultimo die.* Epheſ. 1. verſ. 5. *Prædeſtinavit nos quos adoptavit in filios per Ieſum Chriſtum.*

h Rom. 8. vers. 30. *Quos Prædestinavit eos etiam vocavit.* 2. Timoth. 1. vers. 9. *Qui servavit nos, & vocavit vocatione sancta, non ex operibus nostris, sed ex suo proposito, & gratia, quæ data est quidem nobis in Christo Iesu, ante tempora seculorum.*

i Actor. 13. vers. 48. *Crediderunt; quotquot erant ordinati ad vitam æternam.* Tit. 1: vers. 1. *Fides Electorum Dei.*

k Roman. 8. vers. 30. *Quos prædestinavit, eos etiam vocavit: & quos vocavit eos etiam iustificavit.*

l 1. Petr. 1. vers. 2. *Electis ex præcognitione Dei Patris ad sanctificationem Spiritus; per obedientiam & aspersionem sanguinis Iesu Christi; gratia vobis & pax multiplicetur.* Ephes. 1. vers. 4. *Elegit nos ut simus sancti & inculpati in conspectu eius cum charitate.*

m Rom. 8. vers. 30. *Quos justificavit eos etiam glorificavit.*

n Rom. 9. vers. 23. *Vt notas faceret divitias gloriæ suæ erga vasa misericordiæ, quæ præparavit ad gloriam.* Ephes. 1. vers. 6. *Ad laudem gloriosæ suæ gratiæ, qua nos gratis sibi acceptos effecit in illo dilecto.*

o Rom. 8. vers. 29. 30. *Nam quos præscivit, etiam prædestinavit conformandos imagini filij sui; ut is sit primogenitus inter multos fratres: Quos vero prædestinavit, eos etiam vocavit; & quos vocavit, eos etiam justificavit: quos autem justificavit, eos etiam glorificavit.*

Thesis Heterodoxa II.

Electio ad salutem non unica, sed multiplex est: indefinita & definita: generalis & particularis sive singularis: & hæc iterum incompleta & completa; non peremptoria & peremptoria.

Thesis hæc falsa est.

I. Quia Deus est ens simplicissimum, omnis compositionis expers, ac sapientissimum, adeoque uno & simplicissimo actu omnia scit, vult, & decernit.

II. Quia Electio internus est Dei actus, ideoque unus & simplex.

III. Quia Deus est æternus ac immutabilis adeoque Decreta nova, eaque inter se realiter diversa facere non potest.

IV. CujusDecreti causa impulsiva est unica: objectū idem: finis unicus: ac media executionis eadem, illud non potest esse multiplex.

At Decreti Electionis causa impulsiva est unica, objectū ejus, finis & executionis media sunt una atque eadem: ut ex primæ antitheseωs Orthodoxę probatione manifestum est.

Ergo Decretum illud non potest esse multiplex.

Antithesis Orthodoxa II.

Electio ad salutem non multiplex, sed unica tantum est, omnium electorum in Veteri & Novo Testamento.

Huc pertinet totum nonum & undecimum caput Epistolæ ad Romanos.

Psalm. 33. vers. 12. *Beata gens illa, cuius Iehova Deus est: populus quem elegit in possessionem sibi.*

Luc. 2. vers. 30. 31. 32. *Viderunt oculi mei salutem tuam, quam parasti in oculis omnium populorum, lumen detegendum gentibus, & gloriam populi tui Israelis.*

Actor. 15. vers. 11. *Imo per Gratiam Domini I. Christi, credimus nos servatum iri, quemadmodum & illos.* Ephes. 1. vers. 9. 10. *Postquam notum fecit nobis mysterium voluntatis suæ, secundum gratuitam suam benevolentiam, quam præstituerat in sese. Nempe ut, in plena temporum illorum præstitutorum dispensatione summatim recolligeret omnia illa in Christo, tum quæ in cœlis sunt, tum quæ in terra.*

Ephes. 3. vers. 6. *Gentes sunt cohæredes & concorpores, consortesque promissionis ejus in Christo per Euangelium.* Hebr. 13. vers. 8. *Iesus Christus heri & hodie idem est & in secula.*

Thesis Heterodoxa III.

Causa Electionis est beneplacitum Dei, quo ex multis conditionibus possibilibus placuit ipsi fidem eligere in conditionem communicandæ salutis.

I. Hanc

Antithesis Orthodoxa III.

Causa electionis est *a* beneplacitum Dei, quo *b* nemini quicquam debens *c* libertima voluntate ac gratia *d* hujus præ illo misereri in Christo, hunc

I. Hanc thesin S. Scriptura ubique falsitatis arguit, quippe tale beneplacitum, quod humani cerebri figmentum est, nusquam agnoscit.

II. Quia Scriptura statuit beneplacitum Dei actum esse æternum & absolutum, à nullis conditionibus pendentem.

hunc præ illo *e* fide & sanctitate ad salutem donare decrevit.

a Vide in Antithesi prima litteram *a*.

b Roman. 11. vers. 5. 6. *Ita igitur & hoc tempore reservatio secundum electionem gratuitam facta est. Quod si per gratiam, non jam ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia: sin ex operibus, iam non est gratia: alioqnin opus iam non est opus.* & vers. 35. *Quis prior dedit ei, & reddetur ei?*

c Rom. 9. vers. 18. *Cuius vult, miseretur, quem autem vult, indurat.* Et vers. 21. *An non habet potestatem figulus in lutum, ut ex eadem massa faciat aliud quidem vas ad decus, aliud vero ad dedecus?* Matth. 20. vers. 15. *An non licet mihi quod volo facere in meis rebus? an oculus tuus malus est, quia ego bonus sum?*

d Roman. 9. vers. 13. *Iacobum dilexi, Esavum autem odio habui*, vers. 16. *Nempe igitur* (electio) *non est eius qui velit, neque eius qui currat, sed eius, qui miseretur, nempe Dei.* vers. 18. *Itaque cuius vult miseretur, quem autem vult indurat.*

e Matth. 11. vers. 25. 26. *Gloriam tibi tribuo, Pater Domine cœli & terræ, quod hæc occultaveris à sapientibus & intelligentibus, & ea retexeris infantibus. Etiam Pater, quia ita placuit tibi.* Matth. 13. vers. 11. *Vobis datum est nosse mysteria regni cælorum, illis autem non est datum.*

Thesis Heterodoxa IV.

Causa sine qua non, Electionis, sive prærequisita ejus conditio est fides, nec non fidei obedientia, & in utraque perseverantia.

Falsa hæc Thesis.

I. Quia nullis Scripturæ testimoniis nititur, adeoque eadem facilitate rejicitur, qua asseritur, quod ipsum Remonstrantes non obscure fatentur in Collatione Hagiensi pag. 42. Lat. Ed. Brand. dicentes: *Quoad modum, quo fidem in eligendo* (Deus) *respexit, nempe, an ut causam, an vt conditionem, respondemus considerasse nullo modo, vt causam, neque vt quippiam, quod gratiæ Dei salutiferæ aliqua ratione adversari possit: quo posito non putamus, nos ulterius debere esse solicitos, sed rationem eius Deo Electori commendandam esse.* Vide vers. 110. eiusdem Ed: *In sacra Scriptura nusquam hæc phrasis invenitur, Deum nos qua fideles elegisse.*

II. Quia Electio est ad fidem tanquam medium, adeoque non antecedaneum & prærequisitum quid, sed consequens Electionis. Hinc Ephes. 1. vers. 4. dicit Paulus nos esse Electos, non quia futuri eramus sancti, sed *ut simus sancti*, Ad hæc subjicit v. 5. prædestinatos nos esse *in adoptionem filiorum*: At fide in Iesum Christum in filios Dei adoptamur, Iohan. 1. vers. 12. *Quotquot eum exceperunt, dedit eis hoc jus, vt filij Dei sint facti, nempe ijs, qui credent in nomen eius.*

Antithesis Orthodoxa IV.

Fides *a* in Christum *b* obedientia fidei & in utraque perseverantia *c*, fructus & effectus sunt Electionis *d* Electorum proprij.

a Actor. 13. vers. 48. *Crediderunt quotquot erant ordinati ad vitam æternam.*

b Ephes. 2. vers. 10. *Nam ipsius sumus opus, conditi in Christo Iesu ad opera bona, quæ præparavit Deus, ut in eis ambulemus.* 1. Pet. 1. vers. 2. Vide supra literam *l.* in Antitheseos probatione.

c 1. Petr. 1. vers. 3. 4. 5. *Benedictus esto Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui ex multa sua misericordia regenuit nos in spem vivam per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis, id est, ad hæreditatem, quæ nec corrumpi potest, nec contaminari, nec marcescere, vobis in cælo servatam. Qui virtutis Dei præsidio custodimini per fidem, ad salutem paratam revelari præstituto tempore ultimo.* Matt. 24. vers. 24. *Excitabuntur Pseudo-Christi & Pseudoprophetæ, & edent signa magna & miracula, ita ut seducant (si fieri possit) etiam Electos.*

d Tit. 1. vers. 1. *Fides Electorum Dei.* Roman. 11. vers. 7. *Quid igitur? Quod requirit Israel, hoc non est adeptus, sed Electi assecuti sunt, reliqui vero occalluerunt.*

Thesis

Thesis Heterodoxa. V.

Electio omnis immutabilis non est, ut quæ ipsorum Electorum Apostasia interrumpi & abrumpi potest.

Hanc Thesin falsitatis convincunt argumenta evidentissima sumpta.

I. *A natura Dei.* Quicquid simplex est, nec in potentia ad aliquid est, id immutabile est. Divina essentia est simplex, nec in potentia ad aliquid est. Divina igitur essentia immutabilis est. Hinc vero quicquid in Deo est, id immutabile est. Prædestinatio in Deo est, utpote actus Dei æternus. Prædestinatio igitur immutabilis est.

II. *A Præscientia Dei,* Quicquid Deus ab æterno prævidet ac cognoscit, id necessario atque immutabiliter fit. Non enim aliter res sese habere possunt, quam cognoscuntur; quia unumquodque quatenus est, dum est, necessario est. Atqui res omnes ab æterno à Deo prævidentur ac cognoscuntur. Omnia enim vere proprie uno & immutabili actu, simul perfectissime, certo, evidenter, distincte scit & intelligit, nihil unquam ignorans, nihil successive discens, & cognoscens, nihil obliviscens. Hebr. 4. vers. 13. Res igitur omnes, prout à Deo sunt prævisæ, tandem fiant necesse est, & per consequens immutabilis est prędestinatio, cum præscientiam comprehendat.

III. *A Voluntate Dei absoluta:* Quicquid Deus secundū consilium optimum & beneplacitum voluntatis ad finem sibi gloriosissimum, statuit, illud immutabile est. Atqui Deus secundum optimum consilium & beneplacitum voluntatis suæ ad finem sibi gloriosissimum, statuit aliquos eligere, reliquos præterire. Ergo Decretum illud est immutabile. Major est manifesta; nihil enim nunc incipit velle novi, quod non voluerit ab æterno: si enim inciperet aliqųid nunc velle, hoc esset vel quia, quod antea ignorabat bonum, nunc judicaret bonum, aut vere cognosceret: (est enim bonum cognitum voluntatis objectum) vel quod bonum & utile ipsi non erat, postmodum inciperet esse bonum. Neutrum vero in Deo locum habet, quum jam ab æterno omnia apprime noverit, nihilque in Deo sui causa sit bonum aut utile, utpote semper idem existens.

IV. *Ab omnipotentia Dei.* Si divina prædestinatio esset mutabilis, ita ut aut Electus possit fieri reprobus, aut contra, hoc erit, quia prius suum consilium non potest exequi. Quando enim non possumus, quod volumus, volumus quod possumus. Atqui hoc est absurdum de Deo dicere. Est enim omnipotens, ita ut quicquid velit, possit, atque ita possit, ut etiam reipsa quæcunque velit fieri, in cælo & in terra faciat. Psal. 115. vers. 3.

Antithesis Orthodoxa. V.

Electio ad salutem *a* immutabilis est, nec *b* defectibus aut lapsibus Electorum etiam *c* gravioribus interrumpitur aut abrumpitur.

a Rom. 9. vers. 11. *Nondum enim natis pueris, quum nihil fecissent boni aut mali, ut præstitutum Dei, quod est secundum Electionem, id est non ex operibus, sed ex vocante, firmum maneret.* 2. Timoth. 2. vers. 19. *Solidum fundamentum Dei stat, habens sigillum hoc; Novit Dominus eos, qui sunt sui.* Iohan. 10. vers. 28. *Ego vitam æternam do eis, nec peribunt in æternum, neque rapiet eas quisquam è manu mea.* Psalm. 33. vers. 11. *Consilium Iehovæ in seculum consistit, cogitationes animi eius in ætates singulas.* Esai. 54. vers. 10. *Quamvis hi montes recedent, & hi colles dimoverentur; attamen benignitas mea à te non recedet, & fœdus pacis meæ non dimovebitur, ait miserator tuus Iehova.*

b Psalm. 37. vers. 24. *Cum cadit non dejicitur, quia Iehova sustentat manum eius.*

c Luc. 22. vers. 32. *Ego deprecatus sum pro te, ne deficiat fides tua.* Confer cum hoc loco. Iohan. 17. vers. 20. *Non tantum autem pro istis rogo, sed & pro ijs, qui per sermonem eorum credituri sunt in me.* Et vers. 12. *Quum essem cum eis in mundo, ego custodiebam eos per nomen tuum, quos dedisti mihi, ego custodivi, & nemo ex eis perijt.*

Thesis Heterodoxa VI.

Electionis ad gloriam nec sensus certus, nec fructus ullus est in hac vita.

Hæc Thesis est bipartita. In primo membro agitur de certitudine & sensu Electionis, in altero, de fructu ejus in hac vita. Sed utrumque membrum Scriptura falsitatis convincit. Prius: Si enim nullus esset certus sensus Electionis in hac vita: nullum quoque ex ea flueret gaudium, nulla pax conscientiæ, nullum reconciliationis nostri per Christum factæ testimonium, nulla gratiarum ad Deum actio, nullum pietatis studium, nullum æternæ vitæ desiderium. At falsum posterius. Etenim ex Electionis ad gloriam certo sensu fluet gaudium. Luc. 10. vers. 20. *Gaudete quod nomina vestra scripta sint in cælis.* Psalm. 47. vers. 2. *Omnes populi plaudite manu; clangite Deo voce canora.* Causam inter alias adfert & hanc vers. 5. *Seligit nobis possessionem nostram, excellentiam Iahhacobi, quem diligit maxime.*

Psalm. 100. vers. 1. 2. 3. *Clangite Iehovæ omnes incolæ terræ: Colite Iehovam cum lætitia, venite in conspectum ejus cum cantu. Agnoscite Iehovam esse Deum, ipsum effecisse nos (non autem nos ipsos) populum suum & gregem pastus sui.*

Pax conscientiæ; Lucæ 2. vers. 14. *Gloria in cœlis altissimis Deo, & in terra pax, in homines benevolentia.* Rom. 5. vers. 1. *Iustificati ex fide, pacem habemus erga Deum apud Dominum nostrum Iesum Christum.*

Reconciliationis nostræ per Christum factæ testimonium; Roman. 8. vers. 33. 34. *Quis intentabit crimina adversus electos Dei? Deus is est, qui justificat. Quis est qui condemnet? Christus is est, qui mortuus est, imo vero qui etiam suscitatus est: qui etiam est ad dextram Dei: qui etiam interpellat pro nobis.*

Gratiarum actio ad Deum; Ephes. 1. vers. 3. 4. *Benedictus esto Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nobis omni benedictione spirituali in cælis in Christo, sicut elegit nos in ipso ante jactum mundi fundamentum.* 2. Thessal. 2. vers. 13. *Nos autem debemus gratias agere Deo semper de vobis, fratres dilecti à Domino, quod elegerit vos Deus ab initio ad salutem per sanctificationem spiritus & fidem habitam veritati.*

Pietatis studium. 2. Petr. 1. vers. 10. *Studete vocationem & electionem vestram firmam efficere.* 2. Timoth. 2. vers. 19. postquam dixisset: *Solidum tamen fundamentum Dei stat, habens sigillum hoc: novit Dominus eos qui sunt sui:* subjungit statim: *& abscedat ab injustia, quisquis nominat nomen Christi.* vers. 21. *Si quis igitur se ab his expurgarit, erit vas ad decus, sanctificatum, & accommodum usibus Domini: & ad omne opus bonum comparatum.*

Vitæ æternæ desiderium: Apoc. 22. vers. 17. *Et spiritus & sponsa dicunt Veni, & qui audit dicat veni.* Et vers. 20. *Dicit qui testatur ista: etiam veni cito. Amen. Veni igitur Domine Iesu.*

Ergo & posterius falsum.

Alterum membrum quoque falsum est, scilicet, nullum esse fructum electionis ad gloriam in hac vita. Patet hoc ex præcedentibus, sed illustrationis gratia hos quatuor sequentes præcipuos fructus electionis addimus.

Primus est, ut fiducia de nostra salute in cordibus nostris confirmetur. Cum enim una ex parte credimus salutem electorum firmam esse idque ab æterno in Christo: ex altera vero parte ex verbi regula credimus, nos esse per gratiam Dei ex Electorum numero, quomodo amplius dubitare possumus de nostra salute? Confer Rom. 8. vers. 30. & deinceps; item 2. Timoth. 2. vers. 19.

Secundus est, ut humili adoratione agnoscamus, quam simus obstricti Deo, qui nos indignos è turba perditorum eligere & ad gloriam cœlestem instaurare dignatus est, inflammentur ergo corda nostra, vicissim ad Deum reclamandum, & modis

Antithesis Orthodoxa VI.

Sensus ac certitudo Electionis ad gloriam non minus, quam vocationis, aut justificationis Electis etiam in hac vita constat.

Huc referantur, quæ in Refutatione Theseos Heterodoxæ dicta sunt, ex quibus veritas Antitheseos satis patet.

modis omnibus glorificandum. Huc respiciens Iohannes ait: Epist. 1. cap. 4. vers. 19. *Nos diligimus eum, quoniam ipse prior dilexit nos.*

Tertius est, ut ad ipsum quoque proximum, præsertim fratres in Christo, de quibus speramus, eos ad candem vitam electos esse, amore complectendos, & beneficijs, quibuscunque possimus prosequendos accendamur, 1. Ioh. 4. vers. 11. *Dilecti si Deus nos ita dilexit, debemus & nos alij alios diligere.*

Quartus est, ut in omnibus afflictionibus nos ea sustentemus fortiter & constanter adversus Satanam, carnem & mundum militemus, solidumque in vita & in morte habeamus solatium; in hoc favoris Dei sensu, tanquam vitæ æternæ præsidio sancte exultemus. Huc pertinet tota posterior cap. 8. ad Rom. pars: sic Christus Luc. 12. vers. 32. *Ne metue, parve grex iste, nam libuit Patri vestro, dare vobis regnum istud.*

Thesis Heterodoxa VII.

Decreta Electionis & Iustificationis uniformia & conformia sunt.

Falsa hæc Thesis.

Quia hoc modo Electio & Iustificatio, quæ sacra Scriptura accurate distinguit, imprudenter confunduntur. Etenim 1. Electi summus ab æterno, sed justificamur in tempore. 2. Per fidem iustificamur, sed non per fidem electi sumus. 3. Omnes vere iustificati actu electi sunt, sed non omnes vere electi, actu jam iustificati, sed suo tempore iustificandi sunt.

Antithesis Orthodoxa.

Decreta Electionis & Iustificationis non sunt uniformia & conformia.

Rom. 8. vers. 30. *Quos prædestinavit, eos etiam vocavit, & quos vocavit, eos etiam justificavit.*

Theses Heterodoxæ Remonstrantium

DE REPROBATIONE.

Thesis Heterodoxa I.

Voluntas Dei de infidelibus perseverantibus sub ira relinquendis & condemnandis, est totum decretum Reprobationis ad mortem.

Thesin hanc falsam judicamus.

Quia differunt Decretum Reprobationis & Condemnationis. Reprobare nihil aliud est, quam præterire, aut non eligere, quod pendet à solo beneplacito divino. Damnare est actio judicis, pœnam peccatis promeritam decernentis, & infligentis. Reprobatio seu non-Electio facta est ab æterno, sed Damnatio fit in tempore.

DE REPROBATIONE.

Antithesis Orthodoxa I.

Voluntas Dei, qua pro *a* beneplacito suo statuit *b* quorundam *c* quos æterno suo consilio & decreto ad vitam æternam non eligit, *d* ex genere humano lapso non misereri, sed *e* eos, tanquam vasa iræ relinquere, & tandem *f* propter peccata damnare ad declarationem justitiæ suæ, est totum decretum reprobationis & damnationis ad mortem.

a Rom. 9. 18. *Cuius vult miseretur: quem autem vult, indurat.* Matth. 11. vers. 25. 26. Vide Antithesin Orthodoxam quartam lit. *e.*

b Rom. 9. vers. 11. 12. 13. *Nondum enim natis pueris, quum nihil fecissent boni vel mali, ut præstitutum Dei, quod est secundum ipsius Electionem*, id est, *non ex operibus, sed ex vocante firmum maneret, dictum est ei, maior serviet minori; sicut scriptum est: Iacobum dilexi, Esavum autem odio habui.*

c Rom. 11. vers. 2. *Non abiecit Deus populum illum suum, quem præcognovit.* Apoc. 17. vers. 8. *Mirabuntur incolæ terræ (quorum nomina scripta non sunt in libro vitæ à iacto mundi fundamento) cernentes bestiam.* Matth. 7. vers. 23. *Certe nunquam novi vos.*

d Rom. 9. vers. 22. *Quod si vero volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, pertulit multa cum ira cohibitione vasa iræ, compacta ad interitum.*

1. Theſſ. 5. verſ. 9. *Non conſtituit nos Deus ad iram.*

e Iudæ verſ. 4. *Subrepſerunt quidam homines iam olim præſcripti ad hanc damnationem, impij, qui Domini noſtri gratiam transferunt ad laſciviam, & ſolum illum herum Deum, ac Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum negant.*

f Rom. 9. verſ. 22. Vide ſupra lit. *d.*

Prov. 16. verſ. 4. *Omnes operatus eſt Iehova propter ſe, etiamque improbum ad diem mali.*

Theſis Heterodoxa II.

Reprobatio non unica, ſed multiplex eſt, indefinita & definita, generalis & particularis, ſive ſingularis: Et hæc iterum incompleta & completa: non peremptoria & peremptoria.

Antitheſis Orthodoxa II.

Reprobatio unica eſt omnium Reproborum in Veteri & Novo Teſtamento.

Falſitas Theſeωs huius Heterodoxæ, & veritas Antitheſeωs Orthodoxæ, liquet ex ſecunda Theſi & Antitheſi de Electione, idque ex natura contrariorum.

Theſis Heterodoxa III.

Cauſa Reprobationis meritoria eſt Infidelitas adverſus Euangelium & perſeverantia in ea.

Hanc Theſin, utpote ſcripturis diſſentaneam rejicimus: quia Reprobatio eſt actus Dei internus, æterni & abſoluti beneplaciti, quæ ſingulas antecedaneas omnes conditiones excludunt. Quod innuens Paulus ait, Rom. 9. 15. *Miſerebor cuius miſertus fuero, & commiſerabor, quem commiſeratus fuero.* Et verſ. 18. *Quem vult, indurat.* Adhæc, ſi hoc ita eſſet, ut volunt Remonſtrantes, tum nullum neceſſitatis colorem haberet objectio illa apud Paulum eiuſque Refutatio Rom. 9. verſ. 14. *Quid igitur dicemus? Num iniuſtitia eſt apud Deum? Abſit.*

Antitheſis Orthodoxa III.

Cauſa Reprobationis, cur quibuſdam gratioſe electis cæteros *a* præterierit, eſt *b* beneplacitum Dei, ſive *c* liberrima ac *d* iuſtiſſima eius voluntas. Cauſa autem damnationis eſt *e* peccatum, tum *f* originale, tum *g* actualia adverſus *h* legem & *i* Euangelium admiſſa.

a Apoc. 20. verſ. 15. *Qui non inventus eſt in libro vitæ ſcriptus, coniectus eſt in ſtagnum ignis.*

b Vide ſupra allegata ad Antitheſin primam de Reprobatione.

c Matth. 20. verſ. 15. *An non licet mihi quod volo facere in meis rebus?*

Rom. 9. verſ. 21. *An non habet poteſtatem figulus in lutum, ut ex eadem maſſa faciat, aliud quidem vas ad decus, aliud vero ad dedecus?*

d Rom. 9. verſ. 14. *Num iniuſtitia eſt apud Deum? Abſit.*

e Hoſ. 13. verſ. 9. *Perditio tua ex te, Iſrael.*

f Rom. 5. verſ. 12. *Per unum hominem peccatum introijt in mundum ac per peccatum mors; & ita in omnes homines mors pervaſit, in quo omnes peccarunt.* & verſ. 18. *Per unam offenſam reatus venit in omnes homines ad condemnationem.* Pſal. 51. verſ. 7. *En, in iniquitate formatus ſum, & in peccato fovit me mater mea.* At *ſtipendium peccati mors* Rom. 6. verſ. 23.

g Apoc. 22. verſ. 15. *Foris autem erunt canes, & venefici & ſcortatores, & homicidæ, & idololatræ, & quiſquis amat & committit mendacium.* Apoc. 21. verſ. 27. *Non intrabit in eam quicquam, quod inquinat, aut abominandum quippiam patrat, vel mendacium loquitur, ſed qui ſcripti ſunt in libro vitæ agni.*

h Rom. 2. verſ. 12. *Qui in lege peccaverunt, ex lege iudicabuntur.* Gal. 3. verſ. 10. *Quotquot ex operibus legis ſunt, ſub execratione ſunt. Scriptum eſt enim, execrabilis eſt, quiſquis non manſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro Legis, ut faciat ea.*

i Iohan. 3. verſ. 36. *Qui non aſſentitur Filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum.*

Theſis

Thesis Heterodoxa IV.

Quod Deus nonnullos præterit gratia prædicationis Euangelij, eius causa est in ipsis hominibus latens.

Antithesis Orthodoxa IV.

Quod Deus nonnullos præterit gratia prædicationis Euangelij, eius causa est idem beneplacitum, sive eadem liberrima ac iustissima eius voluntas.

Falsitas Theseωs & Veritas Antitheseωs liquet ex sequentibus Scripturæ Testimonijs; Act. 16. vers. 6. 7. 9. *Phrygia autem peragrata & Galatica regione, prohibiti sunt à Spiritu S. loqui sermonem Dei in Asia. Quum venissent in Mysiam, tentabant in Bithyniam: sed non sivit eos ire Spiritus Iesu. Et visum per noctem conspectum est Paulo. Vir Macedo quidam astabat precans eum, & dicens. Transiens in Macedoniam succurre nobis.* Sic Act. 18. vers. 10. iubetur prædicare Corinthi, adfert rationem Deus, quoniam populus est mihi multus in hac urbe. Quam vero Corinthij præ alijs digni fuerint hac gratia, colligere licet, ex 1. Cor. 6. vers. 9. 10. 11. Sic Matth. 11. vers. 25. 26. En beneplacitum Dei, illudque æternum, aliquibus revelandi Euangelium, eoque veram sui & Christi cognitionem donandi, alijs autem abscondendi. Matth. 13. vers. 11. *Vobis est datum nosse mysterium regni cælorum, illis autem non est datum.* Matth. 20. vers. 15. *An non licet mihi, quod volo facere in meis rebus?* Psalm 147. vers. 19. 20. *Indicat verba sua Iahacobo, statuta sua & iura Israeli. Non fecit ita ulli genti; ideoque iura ista non noverunt.* An vero Iudæos dignatus est hac gratia, quia digniores illa essent alijs? Neutiquam Confer Deut. 7. vers. 8. & cap. 8. vers. 17. Vide etiam totum 16. caput Prophetæ Ezechielis.

Corollarium.

Thesis Heterodoxa.

Infantium nec Electio, nec Reprobatio est.

Antithesis Orthodoxa.

Electio & Reprobatio etiam in infantibus locum habet.

Falsitas Theseωs & veritas Antitheseωs hinc liquet. Rom. 9. vers. 11. *Nondum natis pueris, quum nihil fecissent boni vel mali, ut propositum Dei, quod est secundum eius Electionem, firmum maneret.* Genes. 17. vers. 7. *Ero tibi Deus & semini tuo post te.* Gal. 1. vers. 15. *Deus me separaverat ab utero matris mea, & vocavit per gratiam suam.* Ierem. 1. vers. 5. *Quum nondum formavissem te in utero, agnovi te, & quum nondum prodijsses ex vulva, sanctificavi te.*

Sententiam Remonstrantium his Thesibus expressam, ut verbo Dei dissentaneam, & Heterodoxam rejicimus, & in Ecclesia Dei Belgica Reformata non esse docendam, iudicamus, ideoque liberandam esse Ecclesiam ab illis, qui huius ἑτεροδοξίας introductione & professione hactenus eam turbarunt, & etiamnum turbant, censemus.

Hanc Orthodoxam hisce Antithesibus expressam sententiam, ut verbo Dei consentaneam, porro in Ecclesia Reformata Belgica constanter retinendam & docendam esse iudicamus.

De

De Primo Remonstrantium Articulo,

Qui est,

DE PRAEDESTINATIONE;

Deputatorum Synodi Civitatis Groningæ & Omlandiæ

IVDICIVM.

I.

CRedimus, *a* Electionem aut *b* Prædestinationem ad vitam, esse *c* æternum ac *d* immotum Dei Decretum: quo *f* ex mera voluntatis suæ εὐδοκία, *g* ante jacta mundi fundamenta, constituit; *h* ex corrupto genere humano, *i* certos quosdam homines, *k* quorum numerum definitum ipse novit, *l* absq; prævisæ fidei aut ullius qualitatis bonæ respectu, *m* in Christo ad salutem eligere, eumque in finem *n* illis electis Christum in mediatorem dare, & per certa ac à se definita media, id est per *o* vocationem efficacem atque ita per *p* fidem in Iesum Christum, per *q* iustificationem & *r* sanctificationẽ, ad *f* laudem gloriæ suæ gratiæ *t* salvos facere & glorificare, atque hoc totum prædestinationis divinæ ad salutem esse Decretum.

a Mat.20.16. Ioan.13.vers.18 Rom.8.33. Eph.1.4. 1.Pet.1.vers.10. *b* Rom.8.29.30. Eph.1.5. *c* Eph.1.4. 2.Tim.1.vers.9. *d* Esai. 14.27. & 46.10. Rom.9.6. & 11. vers. 29. *e* Rom.8.28.& 9.11. Eph.1.11. 2. Tim.1.9. *f* Mat.11.26.Luc.12.32.Eph.1.5.9.11.Rom. 9.15.18.& 11.5. *g* Ephes.1.4. 2.Tim.1.9. *h* Rom.9.18.& vers.23. *i* Matt.20.16. Rom. 9.18.Mat.25.34. Rom.11.7. *k* Luc.10.vers. 20.Apo.21.27.Ioan.10.3.14. 2.Tim.2.19. *l* Matth.11.26. Luc. 12.32. Ephes.1.5. 9. 11. 2.Tim.1.9.Ezech.16.6.Eph.2.3.5. Tit.3.3. 4.5. *m* Eph. 1 4. 2.Tim.1. 9. *n* Esai.42.7. & 49.6. & 61. 1. 2.3. Ioan.3.16. Coloss.1. 19.Ioan.17.vers.6.12.13. *o* Ioan.6.44.Rom. 1.16. & 8. 29. 2. Tim. 1.9. 1.Cor. 1. 21. *p* Ioan.3.16.36. Act.13.39. Rom.1.16. & 10. 9. 10. 11. & 4. 2. 3. & 5.1.2. Ephes.2.8. Phil.3.9. 1.Ioan.5.1.4.5. *q* 1.Cor.6.11. Rom. 8.28. & 5.1. 2. Cor. 5.21. Rom. 3.24.

I.

COntra iudicamus, voluntatem Dei de salvandis fidelibus, & in fide eiusque obedientia perseverantibus, non esse totum prædestinationis, ad vitam, Decretum, sed voluntatem saltem de exequutione Decreti illius, quæ voluntas actio Dei immanens dicitur.

Ratio est manifesta:

In prædestinationis doctrina, consideranda, ipsum Decretum & Decreti exequutio.

Decretum est ipsa voluntas Dei æterna, qua ex mero beneplacito cõstituit, certos quosdam homines in eadem cum cæteris miseria, & indignitate consistentes Eph. 2.3.5. non tantum, suo tempore per Christum salvare, verum etiam vocare, fide donare, iustificare & per Spiritum sanctum renovare: quæ in hoc Articulo, cum sint omissa, totum certe non continet prædestinationis Decretum.

Exequutio Decreti fit per certa & à Deo definita aut præordinata media. Rom. 8.18. scilicet per vocationem efficacem, 2.Tim.1.9. 1.Cor.1.21. Atque ita per fidem in Iesum Christum Iohan. 3.16.36. Act.13.39. per iustificationem Rom.3.22.23.24. 2.Cor.5.21. & per sanctificationem, Ephes.1.4.& 2.10. 1 Pet.1.2.& 3. Cum itaque Remonstrantes, primo hoc articulo agant de hominibus salvandis per fidem, satis constat, non ad ipsum Decretum proprie hoc, (saluare per fidem) esse referendum, sed ad ipsam Decreti exequutionem, aut ad media exequutionis per vocationem & iustificationem, id est ad illa media, in quibus fides proprie locum obtinet. Fides respicit promissiones in Christo gratuitas

3.24. r 1. Cor. 1. 30. & 6. 11. Ephes. 2. 10. 1. Pet. 1. 2. 3. ſ Ephes. 1. 6. 1. Cor. 1. 31. t Ioan. 6. 39. 40. & 3. 16. & 5. 24. & 10. 28. Rom. 8.28. Iohan. 17.24. Phil. 3. 21. 1. Iohan. 3. vers. 3. 1. Thes. 4. 17.

tuitas aut Euangelij; ſunt enim teste Apoſtolo fides & promiſſiones relata: Rom. 4. 20. 21. Gal. 3. verſ. 14. 22. Cum autem promiſſiones electionem non præcedant, eſt enim illa ab æterno ex ſolo Dei beneplacito, ſed in tempore aut in hac vita, ubi per media executionis decretum Dei executioni mandatur, factæ ſint, & in Chriſto ſint etiam & amen. 2. Corinth. 1. verſ. 20. ſequitur illud, ſalvare per fidem, ad exequutionem per vocationem & iuſtificationem pertinere, ac proinde hanc voluntatem de ſalvandis credentibus, totum non eſſe, aut continere prædeſtinationis Decretum.

II.

Credimus electionem eſſe unicam omnium Electorum in Veteri & Novo Teſtamento; qua Deus ab æterno uno & ſimpliciſſimo actu & ad ſalutem & ad media ſaluti ſubordinata, certos reliquos homines deſtinavit, qui in ſe quidem multi ſunt, Matth. 8. 11. Rom. 5. 14. Apoc. 7. 9. at comparate ad reprobos, pauci. Matth. 20. 16. Luc. 12. 32. Rom. 9. 27. qui ſoli & non alij Deo, ut ſui ſunt noti. Ioan. 10. 3. 14. Luc. 10. 20.

Soli à Chriſto redemti: Apoc. 5. 9. Soli fide ſalvifica donantur. Iohan. 6. 37. 45. Actor. 13. 48. Tit. 1. 1.

Soli efficaciter vocantur, iuſtificantur, glorificantur, Rom. 8. 30.

Soli denique & certo ac infallibiliter ſalutem conſequuntur Rom. 11. verſ. 7.

II.

Contra negamus Electionem ad ſalutem eſſe multiplicem, indefinitam, nempe, & finitam; generalem & particularem ſive ſingularē; & hanc iterum incompletam & completam; non peremtoriam, & peremtoriam, &c. & iudicamus multiplicitatem hanc conſiliorum & decretorum à Dei natura & verbo eſſe alieniſſimam; unus enim eſt Iehova, hoc eſt, ſimpliciſſima & perfectiſſima eſſentia; & uno æternoque eius decreto omnia, quæ vult comprehenduntur; quare etiam Spiritus ſanctus illud ſingulari numero nobis in verbo ſuo proponit. Pſal. 33. 11. Eſai. 46. 10. Iohan. 6. 39. 40. Eph. 1. verſ. 5. & 11. *ex conſilio voluntatis ſuæ.*

III.

Credimus cauſam Electionis eſſe merum beneplacitum Dei; atque fidem, reſipiſcentiam, totiuſque Euangelij curſum, ac perſeverantiam, ut & vocationem, iuſtificationem & ſanctificationem, fructus & effecta eſſe electionis ad ſalutem, & media ſaluti ſubordinata.

III.

Contra, iudicamus Remonſtrantes contra ſacram Scripturam docere, fidem, & reſipiſcētiam eſſe cauſam ſine qua non, ſive conditionem in eligendo prærequiſitam & à Deo poſtulatam, qua præſtita conſequatur non ſolum ſalus, ſed & ipſa ſalutis volitio & deſtinatio.

Rationes.

Nam nuſquam in ſacris litteris traditur, ullum unquam vel hominem vel populum fuiſſe à Deo propter fidem electum, vel per fidem fieri electum; contrarium vero habetur, Deuteron. 7. 8. 9. Ezech. 16. doceturque in verbo Dei; 1. ſolam electionis cauſam, eſſe unicum illud voluntatis Dei beneplacitum,

Epheſ.

Ephes. 1. 5. 9. Matth. 11. 26. Luc. 12. 32. Propositum Dei, Rom. 8. 28. & 9. 11. 2. Tim. 1. 9. Consilium voluntatis, Ephes. 1. 11. Gratiam & misericordiam, Deuteron. 10. 15. Rom. 9. 15. 18. 2. Tim. 1. 9. Unde etiam Apostolus hoc Dei consilium aut Decretum, gratuitam appellat Electionem: Rom. 11. 5. & Electos, vasa misericordiæ; Rom. 9. 23. & nos dicit electos esse ad laudem gloriosæ suæ gratiæ; Ephes. 1. 6. 2. Electionem non esse nec ex fide, nec ex operibus Euangelij prævisis.

Non ex fide prævisa. 1. Sumus enim electi ut credamus, non autem credimus ut eligamur: vocatio enim & fides non præcedunt, sed sequuntur Electionem, Rom. 8. 29. Ephes. 1. 4. Act. 13. 48. 2. Fides non est æterna, sed semper est in suo subjecto, nempe in fideli, idque in tempore & ut electionis effectum. Actor. 13. 48. Non potest ergo esse causa Decreti æterni. Temporarium, rei æternæ non potest esse causa. 3. Fides est donum Dei, Phil. 1. 29. Rom. 12. 3. Ephes. 2. 8. Non est ergo causa, quæ Deum movit ad eligendum.

Non ex operibus Euangelij prævisis. 1. Paulus omnia opera à causis salutis & electionis excludit, Rom. 9. 11. 12. Nondum enim natis pueris, quum nihil fecissent boni vel mali, ut propositum Dei, quod est secundum ipsius electionem, non ex operibus, sed ex vocante, firmum maneret, dictum est ei, &c. Sic etiam 2. Tim. 1. vers. 9. Tit. 3. 5. 2. Opera nostra sunt finis & effectum electionis. Electi enim sumus ut simus sancti, Ephes. 1. vers. 4. Sunt præparata, ut in ijs ambulemus. Ephes. 2. 10.

Causa autem efficiens, non potest esse tempore posterior suo effectu: At opera sunt tempore posteriora electione, quia opera fiunt in tempore, electio vero est æterna: nulla ergo potest esse electionis causa, quam æterna, quæ est in Deo, nempe beneplacitum voluntatis suæ. 3. Opera non sunt causa vocationis, 2. Tim. 1. 9. nec justificationis, &c. Rom. 3. 20. Gal. 2. 16. Tit. 3. 15. imo eum in finem Christus semetipsum pro nobis dedit, ut purificaret sibi ipsi populum peculiarem, studiosum bonorum operum, Tit. 2. 14. multo minus sunt causa electionis. Itaque in genere certum est, fidem fideique fructus promanare ex electione, Actor. 13. 48. Iohan. 6. 37. Rom. 8. vers. 29. 30. Ephes. 1. 4. 5. 13. 2. Timoth. 1. 9. & gratiam electionis nobis esse factam ut fideles simus, non contra. 1. Cor. 7. 25.

Fides igitur & fidei obedientia, electionis beneficium est, non eligentis motivum: alias Deus non primum nostræ salutis esset principium: electio non esset gratuita, Rom. 11. 6. imo nullus esset electus, quia in nullo fides & fidei obedientia natura est, neque quisquam credere nec fidei fructus proferre potest, nisi ei datum fuerit. Ioh. 6. 44. 45. Iohan. 15. 5. Phil. 1. 29. Ezech. 36. 27.

Et quia Remonstrantes per illam fidem, quam dicunt esse conditionem aut requisitum electionem antecedens, proprie intelligunt ipsam obedientiam Euangelicam consummatam, id est, fidem, pœnitentiam, obedientiam novi fœderis & perseverantiam usque ad extremum vitæ terminum, sequeretur; neminem electum esse actu, dum est in vivis. Et, electos dicendos non qui fideles sunt, sed qui tales fuerunt. Imo fieri posse, ut nullus eorum qui nunc vivunt, electus sit & salvetur.

IV.

Credimus causam electionis & ad salutem & ad fidem, esse merum Dei beneplacitum, quo nemini quicquam debens, libera, simplici, ac gratuita voluntate, hujus præ illo misereri, in Christo hunc præ illo fide & sanctitate ad salutem donare, decrevit.

IV.

Contra magnum errorem errare Remonstrantes iudicamus, dum sentiunt in eligendo ad fidem prærequiri alias conditiones. Videlicet, ut homo peccata sua ex lege agnoscat, & de ijsdem pœniteat. Iohannes Arnold. adversus Tilenum pag. 56. lin. 20. sit probus, humilis, & ad æternam vitam dispositus. Episcopius in Thes. privatis, disp. 15. Thes. 7. 8. pag. 45. Grevinchovius adversus Amesium pag. 117. &c.

Ratio-

Rationes.

Nam talem qualitatem, dispositionem vel habitudinem, qua dignior sit qui fide donatur, eo, quem Deus hac gratia non dignatur, sacra Scriptura in homine lapso ante efficacem vocationem non agnoscit, sed innumeris pene locis testatur, in homine post lapsum, nullam omnino vim relictam esse, qua Deo ad se vocanti respondere, vel salutem proponenti annuere possit; quippe qui non percipit, quæ sunt Spiritus Dei. 1. Corinth. 2. 14. Et si more naturali intellexerit, non potest assentiri, quia stulta judicat. 1. Corinth. 1. 23. & 2. 14. ineptus ad bonum quodcumque cogitandum 2. Corinth. 3. cuius intelligentia inimicitia est adversus Deum Rom. 8. quique opera tantum carnis & malos fructus mortis profert. Rom. 7. 5. Matth. 7. & neque ipse, neque opera eius Deo placere possunt. Roman. 14. 23. Hebr. 11. 6. E contra Scriptura docet, omne bonum quod in nobis est, esse ex electione, Rom. 8. 29. 30. Ephes. 2. 8. 9. 10. & gratiæ Dei ascribendum; 1. Corinth. 15. 10. qui efficit velle & perficere in nobis, Phil. 2. 13. sine quo nihil possumus; Iohan. 15. 5. nec habemus quicquam boni quod ab ipso non accepimus. 1. Corinth. 4. 7. adeoque omnia electis ad salutem consequendam necessaria, ab hoc gratiæ fonte perenni, minimeque ex turbidis arbitrij nostri lacunis profluere, nullamque in nobis dispositionem vel aptitudinem esse ad vitam æternam, quæ non sit effectum eius & consequens; ac proinde conditio ad fidem prærequisita esse non possit. Prævisio enim earum; voluntate eius qui ea efficere decrevit, posterior est ordine. Neque enim prævideret nisi efficere decrevisset. Alias fides esset, ex parte saltem, ex nobis, contra illud Pauli Ephes. 2. 8. Phil. 1. 29. Rom. 12. 3. initium salutis esset ab eo qui servatur, non autem à Deo, qui servat.

5.

Credimus electionem ad salutem immutabilem esse, & defectibus aut lapsibus etiam gravioribus non interrumpi aut abrumpi.

5.

Contra verbo Dei dissentaneum esse judicamus, quod dicitur, Decretum electionis ad salutem esse mutabile, electorumque ἐκλογὴν interrumpi, revocari, & electos in numerum reproborum nonnunquam transire posse.

Rationes.

Theseos nostræ veritas, & antitheseos falsitas, patet ex claris S. Scripturæ dictis, tum de decreto electionis, tum de ipsis electis.

De decreto; illud dicitur æternum & immutabile.

Æternum, non tantum quia est ab æterno, Ephes. 1. vers. 4. 2. Timoth. 1. 9. 2. Thess. 2. 13. verum etiam in æternum duraturum, Hos. 2. 18. Ierem. 32. 39. 40. Iohan. 10. 28.

Est immutabile, quia est æternum, uti probavimus, & quia est absolutum: nihil enim extra Deum fuit, quo ipse moveretur, aut moveri posset; nullus enim respectus hic est ad dignitatem, opus aut qualitatem aliquam in hominibus: sed cum omnes æque sint peccatores, & natura pares, atque adeo indigni vita æterna, contra digni pœna æterna, Ephes. 2. 3. Deus secundum propositum & beneplacitum suum, ex communi hominum genere corrupto hos elegit, illos reprobavit, horum miseretur, illorum non miseretur, Roman. 9. 15. 18. omniaque efficit ex consilio voluntatis suæ, Ephes. 1. vers. 5. 11. Absolutum

I. Hanc thesin S. Scriptura ubique falsitatis arguit, quippe tale beneplacitum, quod humani cerebri figmentum est, nusquam agnoscit.

II. Quia Scriptura statuit beneplacitum Dei actum esse æternum & absolutum, à nullis conditionibus pendentem.

hunc præ illo *e* fide & sanctitate ad salutem donare decrevit.

a Vide in Antithesi prima litteram *a*.

b Roman. 11. vers. 5. 6. *Ita igitur & hoc tempore reservatio secundum electionem gratuitam facta est. Quod si per gratiam, non jam ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia: sin ex operibus, iam non est gratia: alioquin opus iam non est opus.* & vers. 35. *Quis prior dedit ei, & reddetur ei?*

c Rom. 9. vers. 18. *Cuius vult, miseretur, quem autem vult, indurat.* Et vers. 21. *An non habet potestatem figulus in lutum, ut ex eadem massa faciat aliud quidem vas ad decus, aliud vero ad dedecus?* Matth. 20. vers. 15. *An non licet mihi quod volo facere in meis rebus? an oculus tuus malus est, quia ego bonus sum?*

d Roman. 9. vers. 13. *Iacobum dilexi, Esavum autem odio habui*, vers. 16. *Nempe igitur* (electio) *non est eius qui velit, neque eius qui currat, sed eius, qui miseretur, nempe Dei.* vers. 18. *Itaque cuius vult miseretur, quem autem vult indurat.*

e Matth. 11. vers. 25. 26. *Gloriam tibi tribuo, Pater Domine cœli & terræ, quod hæc occultaveris à sapientibus & intelligentibus, & ea retexeris infantibus. Etiam Pater, quia ita placuit tibi.* Matth. 13. vers. 11. *Vobis datum est nosse mysteria regni cælorum, illis autem non est datum.*

Thesis Heterodoxa IV.

Causa sine qua non, Electionis, sive prærequisita ejus conditio est fides, nec non fidei obedientia, & in utraque perseverantia.

Falsa hæc Thesis.

I. Quia nullis Scripturæ testimoniis nititur, adeoque eadem facilitate rejicitur, qua asseritur, quod ipsum Remonstrantes non obscure fatentur in Collatione Hagiensi pag. 42. Lat. Ed. Brand. dicentes: *Quoad modum, quo fidem in eligendo* (Deus) *respexit, nempe, an ut causam, an vt conditionem, respondemus considerasse nullo modo, vt causam, neque vt quippiam, quod gratiæ Dei salutiferæ aliqua ratione adversari possit: quo posito non putamus, nos ulterius debere esse solicitos, sed rationem eius Deo Electori commendandam esse.* Vide vers. 110. eiusdem Ed: *In sacra Scriptura nusquam hæc phrasis invenitur, Deum nos qua fideles elegisse.*

II. Quia Electio est ad fidem tanquam medium, adeoque non antecedaneum & prærequisitum quid, sed consequens Electionis. Hinc Ephes. 1. vers. 4. dicit Paulus nos esse Electos, non quia futuri eramus sancti, sed *ut simus sancti*, Ad hæc subjicit v. 5. prædestinatos nos esse *in adoptionem filiorum*: At fide in Iesum Christum in filios Dei adoptamur, Iohan. 1. vers. 12. *Quotquot eum exceperunt, dedit eis hoc jus, vt filij Dei sint facti, nempe ijs, qui credent in nomen eius.*

Antithesis Orthodoxa IV.

Fides *a* in Christum *b* obedientia fidei & in utraque perseverantia *c*, fructus & effectus sunt Electionis *d* Electorum proprij.

a Actor. 13. vers. 48. *Crediderunt quotquot erant ordinati ad vitam æternam.*

b Ephes. 2. vers. 10. *Nam ipsius sumus opus, conditi in Christo Iesu ad opera bona, quæ præparavit Deus, ut in eis ambulemus.* 1. Pet. 1. vers. 2. Vide supra literam *l.* in Antitheseos probatione.

c 1. Petr. 1. vers. 3. 4. 5. *Benedictus esto Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui ex multa sua misericordia regenuit nos in spem vivam per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis, id est, ad hæreditatem, quæ nec corrumpi potest, nec contaminari, nec marcescere, vobis in cælo servatam. Qui virtutis Dei præsidio custodimini per fidem, ad salutem paratam revelari præstituto tempore ultimo.* Matt. 24. vers. 24. *Excitabuntur Pseudo-Christi & Pseudoprophetæ, & edent signa magna & miracula, ita ut seducant (si fieri possit) etiam Electos.*

d Tit. 1. vers. 1. *Fides Electorum Dei.* Roman. 11. vers. 7. *Quid igitur? Quod requirit Israel, hoc non est adeptus, sed Electi assecuti sunt, reliqui vero occalluerunt.*

Digitized by Google

Thesis Heterodoxa. V.

Electio omnis immutabilis non est, ut quæ ipsorum Electorum Apostasia interrumpi & abrumpi potest.

Hanc Thesin falsitatis convincunt argumenta evidentissima sumpta.

I. *A natura Dei.* Quicquid simplex est, nec in potentia ad aliquid est, id immutabile est. Divina essentia est simplex, nec in potentia ad aliquid est. Divina igitur essentia immutabilis est. Hinc vero quicquid in Deo est, id immutabile est. Prædestinatio in Deo est, utpote actus Dei æternus. Prædestinatio igitur immutabilis est.

II. *A Præscientia Dei,* Quicquid Deus ab æterno prævidet ac cognoscit, id necessario atque immutabiliter fit. Non enim aliter res sese habere possunt, quam cognoscuntur; quia unumquodque quatenus est, dum est, necessario est. Atqui res omnes ab æterno à Deo prævidentur ac cognoscuntur. Omnia enim vere proprie uno & immutabili actu, simul perfectissime, certo, evidenter, distincte scit & intelligit, nihil unquam ignorans, nihil successive discens, & cognoscens, nihil obliviscens. Hebr. 4. vers. 13. Res igitur omnes, prout à Deo sunt prævisæ, tandem fiant necesse est, & per consequens immutabilis est prędestinatio, cum præscientiam comprehendat.

III. *A Voluntate Dei absoluta:* Quicquid Deus secundũ consilium optimum & beneplacitum voluntatis ad finem sibi gloriosissimum, statuit, illud immutabile est. Atqui Deus secundum optimum consilium & beneplacitum voluntatis suæ ad finem sibi gloriosissimum, statuit aliquos eligere, reliquos præterire. Ergo Decretum illud est immutabile. Major est manifesta; nihil enim nunc incipit velle novi, quod non voluerit ab æterno: si enim inciperet aliquid nunc velle, hoc esset vel quia, quod antea ignorabat bonum, nunc judicaret bonum, aut vere cognosceret: (est enim bonum cognitum voluntatis objectum) vel quod bonum & utile ipsi non erat, postmodum inciperet esse bonum. Neutrum vero in Deo locum habet, quum jam ab æterno omnia apprime noverit, nihilque in Deo sui causa sit bonum aut utile, utpote semper idem existens.

IV. *Ab omnipotentia Dei.* Si divina prædestinatio esset mutabilis, ita ut aut Electus possit fieri reprobus, aut contra, hoc erit, quia prius suum consilium non potest exequi. Quando enim non possumus, quod volumus, volumus quod possumus. Atqui hoc est absurdum de Deo dicere. Est enim omnipotens, ita ut quicquid velit, possit, atque ita possit, ut etiam reipsa quæcunque velit fieri, in cælo & in terra faciat. Psal. 115. vers. 3.

Antithesis Orthodoxa. V.

Electio ad salutem *a* immutabilis est, nec *b* defectibus aut lapsibus Electorum etiam *c* gravioribus interrumpitur aut abrumpitur.

a Rom. 9. vers. 11. *Nondum enim natis pueris, quum nihil fecissent boni aut mali, ut præstitutum Dei, quod est secundum Electionem, id est non ex operibus, sed ex vocante, firmum maneret.* 2. Timoth. 2. vers. 19. *Solidum fundamentum Dei stat, habens sigillum hoc; Novit Dominus eos, qui sunt sui.* Iohan. 10. vers. 28. *Ego vitam æternam do eis, nec peribunt in æternum, neque rapiet eas quisquam è manu mea.* Psalm. 33. vers. 11. *Consilium Iehovæ in seculum consistit, cogitationes animi eius in ætates singulas.* Esai. 54. vers. 10. *Quamvis hi montes recederent, & hi colles dimoverentur; attamen benignitas mea à te non recedet, & fœdus pacis meæ non dimovebitur, ait miserator tuus Iehova.*

b Psalm. 37. vers. 24. *Cum cadit non dejicitur, quia Iehova sustentat manum eius.*

c Luc. 22. vers. 32. *Ego deprecatus sum pro te, ne deficiat fides tua.* Confer cum hoc loco. Iohan. 17. vers. 20. *Non tantum autem pro istis rogo, sed & pro iis, qui per sermonem eorum credituri sunt in me.* Et vers. 12. *Quum essem cum eis in mundo, ego custodiebam eos per nomentuum, quos dedisti mihi, ego custodivi, & nemo ex eis periit.*

Thesis Heterodoxa VI.

Electionis ad gloriam nec sensus certus, nec fructus ullus est in hac vita.

Hæc Thesis est bipartita. In primo membro agitur de certitudine & sensu Electionis, in altero, de fructu ejus in hac vita. Sed utrumque membrum Scriptura falsitatis convincit. Prius: Si enim nullus esset certus sensus Electionis in hac vita: nullum quoque ex ea flueret gaudium, nulla pax conscientiæ, nullum reconciliationis nostri per Christum factæ testimonium, nulla gratiarum ad Deum actio, nullum pietatis studium, nullum æternæ vitæ desiderium. At falsum posterius. Etenim ex Electionis ad gloriam certo sensu fluet gaudium. Luc. 10. vers. 20. *Gaudete quod nomina vestra scripta sint in cælis.* Psalm. 47. vers. 2. *Omnes populi plaudite manu; clangite Deo voce canora.* Causam inter alias adfert & hanc vers. 5. *Seligit nobis possessionem nostram, excellentiam Iahhacobi, quem diligit maxime.*

Psalm. 100. vers. 1. 2. 3. *Clangite Iehovæ omnes incolæ terræ: Colite Iehovam cum lætitia, venite in conspectum ejus cum cantu. Agnoscite Iehovam esse Deum, ipsum effecisse nos (non autem nos ipsos) populum suum & gregem pastus sui.*

Pax conscientiæ; Lucæ 2. vers. 14. *Gloria in cælis altissimis Deo, & in terra pax, in homines benevolentia.* Rom. 5. vers. 1. *Iustificati ex fide, pacem habemus erga Deum apud Dominum nostrum Iesum Christum.*

Reconciliationis nostræ per Christum factæ testimonium; Roman. 8. vers. 33. 34. *Quis intentabit crimina adversus electos Dei? Deus is est, qui justificat. Quis est qui condemnet? Christus is est, qui mortuus est, imo vero qui etiam suscitatus est: qui etiam est ad dextram Dei: qui etiam interpellat pro nobis.*

Gratiarum actio ad Deum; Ephes. 1. vers. 3. 4. *Benedictus esto Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nobis omni benedictione spirituali in cælis in Christo, sicut elegit nos in ipso ante jactum mundi fundamentum.* 2. Thessal. 2. vers. 13. *Nos autem debemus gratias agere Deo semper de vobis, fratres dilecti à Domino, quod elegerit vos Deus ab initio ad salutem per sanctificationem spiritus & fidem habitam veritati.*

Pietatis studium. 2. Petr. 1. vers. 10. *Studete vocationem & electionem vestram firmam efficere.* 2. Timoth. 2. vers. 19. postquam dixisset: *Solidum tamen fundamentum Dei stat, habens sigillum hoc: novit Dominus eos qui sunt sui:* subjungit statim: *& abscedat ab injustia, quisquis nominat nomen Christi.* vers. 21. *Si quis igitur se ab his expurgarit, erit vas ad decus, sanctificatum, & accommodum usibus Domini: & ad omne opus bonum comparatum.*

Vitæ æternæ desiderium: Apoc. 22. vers. 17. *Et spiritus & sponsa dicunt Veni, & qui audit dicat veni.* Et vers. 20. *Dicit qui testatur ista: etiam veni cito. Amen. Veni igitur Domine Iesu.*

Ergo & posterius falsum.

Antithesis Orthodoxa VI.

Sensus ac certitudo Electionis ad gloriam non minus, quam vocationis, aut justificationis Electis etiam in hac vita constat.

Huc referantur, quæ in Refutatione Theseos Heterodoxæ dicta sunt, ex quibus veritas Antitheseos satis patet.

Alterum membrum quoque falsum est, scilicet, nullum esse fructum electionis ad gloriam in hac vita. Patet hoc ex præcedentibus, sed illustrationis gratia hos quatuor sequentes præcipuos fructus electionis addimus.

Primus est, ut fiducia de nostra salute in cordibus nostris confirmetur. Cum enim una ex parte credimus salutem electorum firmam esse idque ab æterno in Christo: ex altera vero parte ex verbi regula credimus, nos esse per gratiam Dei ex Electorum numero, quomodo amplius dubitare possumus de nostra salute? Confer Rom. 8. vers. 30. & deinceps: item 2. Timoth. 2. vers. 19.

Secundus est, ut humili adoratione agnoscamus, quam simus obstricti Deo, qui nos indignos è turba perditorum eligere & ad gloriam cœlestem instaurare dignatus est, inflammentur ergo corda nostra, vicissim ad Deum reclamandum, &

modis

modis omnibus glorificandum. Huc respiciens Iohannes ait: Epist. 1. cap. 4. vers. 19. *Nos diligimus eum, quoniam ipse prior dilexit nos.*

Tertius est, ut ad ipsum quoque proximum, præsertim fratres in Christo, de quibus speramus, eos ad eandem vitam electos esse, amore complectendos, & beneficijs, quibuscunque possimus prosequendos accendamur, 1. Ioh. 4. vers. 11. *Dilecti si Deus nos ita dilexit, debemus & nos alij alios diligere.*

Quartus est, ut in omnibus afflictionibus nos ea sustentemus fortiter & constanter adversus Satanam, carnem & mundum militemus, solidumque in vita & in morte habeamus solatium; in hoc favoris Dei sensu, tanquam vitæ æternæ præsidio sancte exultemus. Huc pertinet tota posterior cap. 8. ad Rom. pars: sic Christus Luc. 12. vers. 32. *Ne metue, parve grex iste, nam libuit Patri vestro, dare vobis regnum istud.*

Thesis Heterodoxa VII.

Decreta Electionis & Iustificationis uniformia & conformia sunt.

Falsa hæc Thesis.

Quia hoc modo Electio & Iustificatio, quæ sacra Scriptura accurate distinguit, imprudenter confunduntur. Etenim 1. Electi summus ab æterno, sed justificamur in tempore. 2. Per fidem iustificamur, sed non per fidem electi sumus. 3. Omnes vere iustificati actu electi sunt, sed non omnes vere electi, actu jam iustificati, sed suo tempore iustificandi sunt.

Antithesis Orthodoxa.

Decreta Electionis & Iustificationis non sunt uniformia & conformia.

Rom. 8. vers. 30. *Quos prædestinavit, eos etiam vocavit, & quos vocavit, eos etiam justificavit.*

Theses Heterodoxæ Remonstrantium

DE REPROBATIONE.

Thesis Heterodoxa I.

Voluntas Dei de infidelibus perseverantibus sub ira relinquendis & condemnandis, est totum decretum Reprobationis ad mortem.

Thesin hanc falsam judicamus.

Quia differunt Decretum Reprobationis & Condemnationis. Reprobare nihil aliud est, quam præterire, aut non eligere, quod pendet à solo beneplacito divino. Damnare est actio judicis, pœnam peccatis promeritam decernentis, & infligentis. Reprobatio seu non-Electio facta est ab æterno, sed Damnatio fit in tempore.

DE REPROBATIONE.

Antithesis Orthodoxa I.

Voluntas Dei, qua pro *a* beneplacito suo statuit *b* quorundam *c* quos æterno suo consilio & decreto ad vitam æternam non elegit, *d* ex genere humano lapso non misereri, sed *e* eos, tanquam vasa iræ relinquere, & tandem *f* propter peccata damnare ad declarationem justitiæ suæ, est totum decretum reprobationis & damnationis ad mortem.

a Rom. 9. 18. *Cuius vult miseretur: quem autem vult, indurat.* Matth. 11. vers. 25. 26. Vide Antithesin Orthodoxam quartam lit. *e.*

b Rom. 9. vers. 11. 12. 13. *Nondum enim natis pueris, quum nihil fecissent boni vel mali, ut præstitutum Dei, quod est secundum ipsius Electionem,* id est, *non ex operibus, sed ex vocante firmum maneret, dictum est ei, maior serviet minori; sicut scriptum est: Iacobum dilexi, Esavum autem odio habui.*

c Rom. 11. vers. 2. *Non abiecit Deus populum illum suum, quem præcognovit.* Apoc. 17. vers. 8. *Mirabuntur incolæ terræ (quorum nomina scripta non sunt in libro vitæ à iacto mundi fundamento) cernentes bestiam.* Matth. 7. vers. 23. *Certe nunquam novi vos.*

d Rom. 9. vers. 22. *Quod si vero volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, pertulit multa cum iræ cohibitione vasa iræ, compacta ad interitum.*

1. Theſſ. 5. verſ. 9. *Non conſtituit nos Deus ad iram.*

e Iudæ verſ. 4. *Subrepſerunt quidam homines iam olim praſcripti ad hanc damnationem, impy, qui Domini noſtri gratiam transferunt ad laſciviam, & ſolum illum herum Deum, ac Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum negant.*

f Rom. 9. verſ. 22. Vide ſupra lit. *d.*

Prov. 16. verſ. 4. *Omnes operatus eſt Iehova propter ſe, etiamque improbum ad diem mali.*

Theſis Heterodoxa II.

Reprobatio non unica, ſed multiplex eſt, indefinita & definita, generalis & particularis, ſive ſingularis: Et hæc iterum incompleta & completa: non peremptoria & peremptoria.

Antitheſis Orthodoxa II.

Reprobatio unica eſt omnium Reproborum in Veteri & Novo Teſtamento.

Falſitas Theſeos huius Heterodoxæ, & veritas Antitheſeos Orthodoxæ, liquet ex ſecunda Theſi & Antitheſi de Electione, idque ex natura contrariorum.

Theſis Heterodoxa III.

Cauſa Reprobationis meritoria eſt Infidelitas adverſus Euangelium & perſeverantia in ea.

Hanc Theſin, utpote ſcripturis diſſentaneam rejicimus: quia Reprobatio eſt actus Dei internus, æterni & abſoluti beneplaciti, quæ ſingulas antecedaneas omnes conditiones excludunt. Quod innuens Paulus ait, Rom. 9. 15. *Miſerebor cuius miſertus fuero, & commiſerabor, quem commiſeratus fuero.* Et verſ. 18. *Quem vult, indurat.* Adhæc, ſi hoc ita eſſet, ut volunt Remonſtrantes, tum nullum neceſſitatis colorem haberet objectio illa apud Paulum eiuſque Refutatio Rom. 9. verſ. 14. *Quid igitur dicemus? Num iniuſtitia eſt apud Deum? Abſit.*

Antitheſis Orthodoxa III.

Cauſa Reprobationis, cur quibuſdam gratioſe electis cæteros *a* præterierit, eſt *b* beneplacitum Dei, ſive *c* liberrima ac *d* iuſtiſſima eius voluntas. Cauſa autem damnationis eſt *e* peccatum, tum *f* originale, tum *g* actualia adverſus *h* legem & *i* Euangelium admiſſa.

a Apoc. 20. verſ. 15. *Qui non inventus eſt in libro vitæ ſcriptus, coniectus eſt in ſtagnum ignis.*

b Vide ſupra allegata ad Antitheſin primam de Reprobatione.

c Matth. 20. verſ. 15. *An non licet mihi quod volo facere in meis rebus?*

Rom. 9. verſ. 21. *An non habet poteſtatem figulus in lutum, ut ex eadem maſſa faciat, aliud quidem vas ad decus, aliud vero ad dedecus?*

d Rom. 9. verſ. 14. *Num iniuſtitia eſt apud Deum? Abſit.*

e Hoſ. 13. verſ. 9. *Perditio tua ex te, Iſrael.*

f Rom. 5. verſ. 12. *Per unum hominem peccatum introÿt in mundum ac per peccatum mors; & ita in omnes homines mors pervaſit, in quo omnes peccarunt.* & verſ. 18. *Per unam offenſam reatus venit in omnes homines ad condemnationem.* Pſal. 51. verſ. 7. *En, in iniquitate formatus ſum, & in peccato fovit me mater mea.* At *ſtipendium peccati mors* Rom. 6. verſ. 23.

g Apoc. 22. verſ. 15. *Foris autem erunt canes, & venefici & ſcortatores, & homicidæ, & idololatræ, & quiſquis amat & committit mendacium.* Apoc. 21. verſ. 27. *Non intrabit in eam quicquam, quod inquinat, aut abominandum quippiam patrat, vel mendacium loquitur, ſed qui ſcripti ſunt in libro vitæ agni.*

h Rom. 2. verſ. 12. *Qui in lege peccaverunt, ex lege iudicabuntur.* Gal. 3. verſ. 10. *Quotquot ex operibus legis ſunt, ſub execratione ſunt. Scriptum eſt enim, execrabilis eſt, quiſquis non manſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro Legis, ut faciat ea.*

i Iohan. 3. verſ. 36. *Qui non aſſentitur Filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum.*

Thesis Heterodoxa IV.

Quod Deus nonnullos præterit gratia prædicationis Euangelij, eius causa est in ipsis hominibus latens.

Antithesis Orthodoxa IV.

Quod Deus nonnullos præterit gratia prædicationis Euangelij, eius causa est idem beneplacitum, sive eadem liberrima ac iustissima eius voluntas.

Falsitas Theseωs & Veritas Antitheseωs liquet ex sequentibus Scripturæ Testimonijs; Act. 16. vers. 6. 7. 9. *Phrygia autem peragrata & Galatica regione, prohibiti sunt à Spiritu S. loqui sermonem Dei in Asia. Quum venissent in Mysiam, tentabant in Bithyniam: sed non sivit eos ire Spiritus Iesu. Et visum per noctem conspectum est Paulo. Vir Macedo quidam astabat precans eum, & dicens. Transiens in Macedoniam succurre nobis.* Sic Act. 18. vers. 10. iubetur prædicare Corinthi, adfert rationem Deus, quoniam populus est mihi multus in hac urbe. Quam vero Corinthij præ alijs digni fuerint hac gratia, colligere licet, ex 1. Cor. 6. vers. 9. 10. 11. Sic Matth. 11. vers. 25. 26. En beneplacitum Dei, illudque æternum, aliquibus revelandi Euangelium, eoque veram sui & Christi cognitionem donandi, alijs autem abscondendi. Matth. 13. vers. 11. *Vobis est datum nosse mysterium regni cælorum, illis autem non est datum.* Matth. 20. vers. 15. *An non licet mihi, quod volo facere in meis rebus?* Psalm 147. vers. 19. 20. *Indicat verba sua Iahacobo, statuta sua & iura Israeli. Non fecit ita ulli genti; ideoque iura ista non noverunt.* An vero Iudæos dignatus est hac gratia, quia digniores illa essent alijs? Neutiquam Confer Deut. 7. vers. 8. & cap. 8. vers. 17. Vide etiam totum 16. caput Prophetæ Ezechielis.

Corollarium.

Thesis Heterodoxa.

Infantium nec Electio, nec Reprobatio est.

Antithesis Orthodoxa.

Electio & Reprobatio etiam in infantibus locum habet.

Falsitas Theseωs & veritas Antitheseωs hinc liquet. Rom. 9. vers. 11. *Nondum natis pueris, quum nihil fecissent boni vel mali, ut præstitutum Dei, quod est secundum eius Electionem, firmum maneret.* Genes. 17. vers. 7. *Ero tibi Deus & semini tuo post te.* Gal. 1. vers. 15. *Deus me separaverat ab utero matris meæ, & vocavit per gratiam suam.* Ierem. 1. vers. 5. *Quum nondum formavissem te in utero, agnovi te, & quum nondum prodijsses ex vulva, sanctificavi te.*

Sententiam Remonstrantium his Thesibus expressam, ut verbo Dei dissentaneam, & Heterodoxam rejicimus, & in Ecclesia Dei Belgica Reformata non esse docendam, iudicamus, ideoque liberandam esse Ecclesiam ab illis, qui huius ἑτεροδοξίας introductione & professione hactenus eam turbarunt, & etiamnum turbant, censemus.

Hanc Orthodoxam hisce Antithesibus expressam sententiam, ut verbo Dei consentaneam, porro in Ecclesia Reformata Belgica constanter retinendam & docendam esse iudicamus.

De

De Primo Remonstrantium Articulo,

Qui est,

DE PRAEDESTINATIONE;

Deputatorum Synodi Civitatis Groningæ & Omlandiæ

IVDICIVM.

I.

CRedimus, *a* Electionem aut *b* Prædestinationem ad vitam, esse *c* æternum ac *d* immotum Dei Decretum: quo *f* ex mera voluntatis suæ εὐδοκίᾳ, *g* ante jacta mundi fundamenta, constituit; *h* ex corrupto genere humano, *i* certos quosdam homines, *k* quorum numerum definitum ipse novit, *l* absq; prævisæ fidei aut ullius qualitatis bonæ respectu, *m* in Christo ad salutem eligere, eumque in finem *n* illis electis Christum in mediatorem dare, & per certa ac à se definita media, id est per *o* vocationem efficacem atque ita per *p* fidem in Iesum Christum, per *q* iustificationem & *r* sanctificationē, ad *s* laudem gloriæ suæ gratiæ *t* salvos facere & glorificare, atque hoc totum prædestinationis divinæ ad salutem esse Decretum.

a Mat.20.16. Ioan.13.vers.18. Rom.8.33. Eph.1.4. 1.Pet.1.vers.10. *b* Rom.8.29.30. Eph.1.5. *c* Eph.1.4. 2.Tim.1.vers.9. *d* Esai. 14.27. & 46.10. Rom.9.6. & 11.vers.29. *e* Rom.8.28. & 9.11. Eph.1.11. 2.Tim.1.9. *f* Mat.11.26. Luc.12.32. Eph.1.5.9.11. Rom. 9.15.18. & 11.5. *g* Ephes.1.4. 2.Tim.1.9. *h* Rom.9.18. & vers.23. *i* Matt.20.16. Rom. 9.18. Mat.25.34. Rom.11.7. *k* Luc.10.vers. 20. Apo.21.27. Ioan.10.3.14. 2.Tim.2.19. *l* Matth.11.26. Luc.12.32. Ephes.1.5.9.11. 2.Tim.1.9. Ezech.16.6. Eph.2.3.5. Tit.3.3. 4.5. *m* Eph.1 4. 2.Tim.1.9. *n* Esai.42.7. & 49.6. & 61.1.2.3. Ioan.3.16. Coloss.1. 19. Ioan.17.vers.6.12.13. *o* Ioan.6.44. Rom. 1.16. & 8.29. 2.Tim.1.9. 1.Cor.1.21. *p* Ioan.3.16.36. Act.13.39. Rom.1.16. & 10. 9.10.11. & 4.2.3. & 5.1.2. Ephes.2.8. Phil.3.9. 1.Ioan.5.1.4.5. *q* 1.Cor.6.11. Rom.8.28. & 5.1. 2.Cor.5.21. Rom. 3.24.

I.

COntra iudicamus, voluntatem Dei de salvandis fidelibus, & in fide eiusque obedientia perseverantibus, non esse totum prædestinationis, ad vitam, Decretum, sed voluntatem saltem de exequutione Decreti illius, quæ voluntas actio Dei immanens dicitur.

Ratio est manifesta:

In prædestinationis doctrina, consideranda, ipsum Decretum & Decreti exequutio.

Decretum est ipsa voluntas Dei æterna, qua ex mero beneplacito cōstituit, certos quosdam homines in eadem cum cæteris miseria, & indignitate consistentes Eph. 2.3.5. non tantum, suo tempore per Christum salvare, verum etiam vocare, fide donare, iustificare & per Spiritum sanctum renovare: quæ in hoc Articulo, cum sint omissa, totum certe non continet prædestinationis Decretum.

Exequutio Decreti fit per certa & à Deo definita aut præordinata media. Rom.8.18. scilicet per vocationem efficacem, 2.Tim.1.9. 1.Cor.1.21. Atque ita per fidem in Iesum Christum Iohan. 3.16.36. Act.13.39. per iustificationem Rom.3.22.23.24. 2.Cor.5.21. & per sanctificationem, Ephes.1.4. & 2.10. 1.Pet.1.2. & 3. Cum itaque Remonstrantes, primo hoc articulo agant de hominibus salvandis per fidem, satis constat, non ad ipsum Decretum proprie hoc, (saluare per fidem) esse referendum, sed ad ipsam Decreti exequutionem, aut ad media exequutionis per vocationem & iustificationem, id est ad illa media, in quibus fides proprie locum obtinet. Fides respicit promissiones in Christo gra-

tuitas

3. 24. r 1. Cor. 1. 30. & 6. 11. Ephes. 2. 10. 1. Pet. 1. 2. 3. ſ Ephes. 1. 6. 1. Cor. 1. 31. t Ioan. 6. 39. 40. & 3. 16. & 5. 24. & 10. 28. Rom. 8. 28. Iohan. 17. 24. Phil. 3. 21. 1. Iohan. 3. verſ. 3. 1. Theſ. 4. 17.

tuitas aut Euangelij; ſunt enim teſte Apoſtolo fides & promiſſiones relata: Rom. 4. 20. 21. Gal. 3. verſ. 14. 22. Cum autem promiſſiones electionem non præcedant, eſt enim illa ab æterno ex ſolo Dei beneplacito, ſed in tempore aut in hac vita, ubi per media executionis decretum Dei executioni mandatur, factæ ſint, & in Christo ſint etiam & amen. 2. Corinth. 1. verſ. 20. ſequitur illud, ſalvare per fidem, ad exequutionem per vocationem & iuſtificationem pertinere, ac proinde hanc voluntatem de ſalvandis credentibus, totum non eſſe, aut continere prædeſtinationis Decretum.

II.

Credimus electionem eſſe unicam omnium Electorum in Veteri & Novo Teſtamento; qua Deus ab æterno uno & ſimpliciſſimo actu & ad ſalutem & ad media ſaluti ſubordinata, certos reliquos homines deſtinavit, qui in ſe quidem multi ſunt, Matth. 8. 11. Rom. 5. 14. Apoc. 7. 9. at comparate ad reprobos, pauci. Matth. 20. 16. Luc. 12. 32. Rom. 9. 27. qui ſoli & non alij Deo, ut ſui ſunt noti. Ioan. 10. 3. 14. Luc. 10. 20.

Soli à Christo redemti: Apoc. 5. 9. Soli fide ſalviſica donantur. Iohan. 6. 37. 45. Actor. 13. 48. Tit. 1. 1.

Soli efficaciter vocantur, iuſtificantur, glorificantur, Rom. 8. 30.

Soli denique & certo ac infallibiliter ſalutem conſequuntur Rom. 11. verſ. 7.

II.

Contra negamus Electionem ad ſalutem eſſe multiplicem, indefinitam, nempe, & finitam; generalem & particularem ſive ſingularē; & hanc iterum incompletam & completam; non peremtoriam, & peremtoriam, &c. & iudicamus multiplicitatem hanc conſiliorum & decretorum à Dei natura & verbo eſſe alieniſſimam; unus enim eſt Iehova, hoc eſt, ſimpliciſſima & perfectiſſima eſſentia; & uno æternoque eius decreto omnia, quæ vult comprehenduntur; quare etiam Spiritus ſanctus illud ſingulari numero nobis in verbo ſuo proponit. Pſal. 33. 11. Eſai. 46. 10. Iohan. 6. 39. 40. Eph. 1. verſ. 5. & 11. *ex conſilio voluntatis ſuæ.*

III.

Credimus cauſam Electionis eſſe merum beneplacitum Dei; atque fidem, reſipiſcentiam, totiuſque Euangelij curſum, ac perſeverantiam, ut & vocationem, iuſtificationem & ſanctificationem, fructus & effecta eſſe electionis ad ſalutem, & media ſaluti ſubordinata.

III.

Contra, iudicamus Remonſtrantes contra ſacram Scripturam docere, fidem, & reſipiſcētiam eſſe cauſam ſine qua non, ſive conditionem in eligendo prærequiſitam & à Deo poſtulatam, qua præſtita conſequatur non ſolum ſalus, ſed & ipſa ſalutis volitio & deſtinatio.

Rationes.

Nam nuſquam in ſacris litteris traditur, ullum unquam vel hominem vel populum fuiſſe à Deo propter fidem electum, vel per fidem fieri electum; contrarium vero habetur, Deuteron. 7. 8. 9. Ezech. 16. doceturque in verbo Dei; 1. ſolam electionis cauſam, eſſe unicum illud voluntatis Dei beneplacitum, Epheſ.

Ephes. 1. 5. 9. Matth. 11. 26. Luc. 12. 32. Propositum Dei, Rom. 8. 28. & 9. 11. 2. Tim. 1. 9. Consilium voluntatis, Ephes. 1. 11. Gratiam & misericordiam, Deuteron. 10. 15. Rom. 9. 15. 18. 2. Tim. 1. 9. Unde etiam Apostolus hoc Dei consilium aut Decretum, gratuitam appellat Electionem: Rom. 11. 5. & Electos, vasa misericordiæ; Rom. 9. 23. & nos dicit electos esse ad laudem gloriosæ suæ gratiæ; Ephes. 1. 6. 2. Electionem non esse nec ex fide, nec ex operibus Euangelij prævisis.

Non ex fide prævisa. 1. Sumus enim electi ut credamus, non autem credimus ut eligamur: vocatio enim & fides non præcedunt, sed sequuntur Electionem, Rom. 8. 29. Ephes. 1. 4. Act. 13. 48. 2. Fides non est æterna, sed semper est in suo subjecto, nempe in fideli, idque in tempore & ut electionis effectum. Actor. 13. 48. Non potest ergo esse causa Decreti æterni. Temporarium, rei æternæ non potest esse causa. 3. Fides est donum Dei, Phil. 1. 29. Rom. 12. 3. Ephes. 2. 8. Non est ergo causa, quæ Deum movit ad eligendum.

Non ex operibus Euangelij prævisis. 1. Paulus omnia opera à causis salutis & electionis excludit, Rom. 9. 11. 12. Nondum enim natis pueris, quum nihil fecissent boni vel mali, ut propositum Dei, quod est secundum ipsius electionem, non ex operibus, sed ex vocante, firmum maneret, dictum est ei, &c. Sic etiam 2. Tim. 1. vers. 9. Tit. 3. 5. 2. Opera nostra sunt finis & effectum electionis. Electi enim sumus ut simus sancti, Ephes. 1. vers. 4. Sunt præparata, ut in ijs ambulemus. Ephes. 2. 10.

Causa autem efficiens, non potest esse tempore posterior suo effectu: At opera sunt tempore posteriora electione, quia opera fiunt in tempore, electio vero est æterna: nulla ergo potest esse electionis causa, quam æterna, quæ est in Deo, nempe beneplacitum voluntatis suæ. 3. Opera non sunt causa vocationis, 2. Tim. 1. 9. nec justificationis, &c. Rom. 3. 20. Gal. 2. 16. Tit. 3. 15. imo cum in finem Christus semetipsum pro nobis dedit, ut purificaret sibi ipsi populum peculiarem, studiosum bonorum operum, Tit. 2. 14. multo minus sunt causa electionis. Itaque in genere certum est, fidem fideique fructus promanare ex electione, Actor. 13. 48. Iohan. 6. 37. Rom. 8. vers. 29. 30. Ephes. 1. 4. 5. 13. 2. Timoth. 1. 9. & gratiam electionis nobis esse factam ut fideles simus, non contra. 1. Cor. 7. 25.

Fides igitur & fidei obedientia, electionis beneficium est, non eligentis motivum: alias Deus non primum nostræ salutis esset principium: electio non esset gratuita, Rom. 11. 6. imo nullus esset electus, quia in nullo fides & fidei obedientia natura est, neque quisquam credere nec fidei fructus proferre potest, nisi ei datum fuerit. Ioh. 6. 44. 45. Iohan. 15. 5. Phil. 1. 29. Ezech. 36. 27.

Et quia Remonstrantes per illam fidem, quam dicunt esse conditionem aut requisitum electionem antecedens, proprie intelligunt ipsam obedientiam Euangelicam consummatam, id est, fidem, pœnitentiam, obedientiam novi fœderis & perseverantiam usque ad extremum vitæ terminum, sequeretur; neminem electum esse actu, dum est in vivis. Et, electos dicendos non qui fideles sunt, sed qui tales fuerunt. Imo fieri posse, ut nullus eorum qui nunc vivunt, electus sit & salvetur.

IV.

Credimus causam electionis & ad salutem & ad fidem, esse merum Dei beneplacitum, quo nemini quicquam debens, libera, simplici, ac gratuita voluntate, hujus præ illo misereri, in Christo hunc præ illo fide & sanctitate ad salutem donare, decrevit.

IV.

Contra magnum errorem errare Remonstrantes iudicamus, dum sentiunt in eligendo ad fidem prærequiri alias conditiones. Videlicet, ut homo peccata sua ex lege agnoscat, & de ijsdem pœniteat. Iohannes Arnold. adversus Tilenum pag. 56. lin. 20. sit probus, humilis, & ad æternam vitam dispositus. Episcopius in Thes. privatis, disp. 16. Thes. 7. 8. pag. 45. Grevinchovius adversus Amesium pag. 117. &c.

Ratio-

Rationes.

Nam talem qualitatem, diſpoſitionem vel habitudinem, qua dignior ſit qui fide donatur, eo, quem Deus hac gratia non dignatur, ſacra Scriptura in homine lapſo ante efficacem vocationem non agnoſcit, ſed innumeris pene locis teſtatur, in homine poſt lapſum, nullam omnino vim relictam eſſe, qua Deo ad ſe vocanti reſpondere, vel ſalutem proponenti annuere poſſit; quippe qui non percipit, quæ ſunt Spiritus Dei. 1. Corinth. 2. 14. Et ſi more naturali intellexerit, non poteſt aſſentiri, quia ſtulta judicat. 1. Corinth. 1. 23. & 2. 14. ineptus ad bonum quodcumque cogitandum 2. Corinth. 3. cuius intelligentia inimicitia eſt adverſus Deum Rom. 8. quique opera tantum carnis & malos fructus mortis profert. Rom. 7. 5. Matth. 7. & neque ipſe, neque opera eius Deo placere poſſunt. Roman. 14. 23. Hebr. 11. 6. E contra Scriptura docet, omne bonum quod in nobis eſt, eſſe ex electione, Rom. 8. 29. 30. Epheſ. 2. 8. 9. 10. & gratiæ Dei aſcribendum; 1. Corinth. 15. 10. qui efficit velle & perficere in nobis, Phil. 2. 13. ſine quo nihil poſſumus; Iohan. 15. 5. nec habemus quicquam boni quod ab ipſo non accepimus. 1. Corinth. 4. 7. adeoque omnia electis ad ſalutem conſequendam neceſſaria, ab hoc gratiæ fonte perenni, minimeque ex turbidis arbitrij noſtri lacunis profluere, nullamque in nobis diſpoſitionem vel aptitudinem eſſe ad vitam æternam, quæ non ſit effectum eius & conſequens, ac proinde conditio ad fidem prærequiſita eſſe non poſſit. Prævisio enim earum, voluntate eius qui ea efficere decrevit, poſterior eſt ordine. Neque enim prævideret niſi efficere decreviſſet. Alias fides eſſet, ex parte ſaltem, ex nobis, contra illud Pauli Epheſ. 2. 8. Phil. 1. 29. Rom. 12. 3. initium ſalutis eſſet ab eo qui ſervatur, non autem à Deo, qui ſervat.

5.

Credimus electionem ad ſalutem immutabilem eſſe, & defectibus aut lapſibus etiam gravioribus non interrumpi aut abrumpi.

5.

Contra verbo Dei diſſentaneum eſſe judicamus, quod dicitur, Decretum electionis ad ſalutem eſſe mutabile, electorumque ἀπώλεια interrumpi, revocari, & electos in numerum reproborum nonnunquam tranſire poſſe.

Rationes.

Theſeos noſtræ veritas, & antitheſeos falſitas, patet ex claris S. Scripturæ dictis, tum de decreto electionis, tum de ipſis electis.

De decreto; illud dicitur æternum & immutabile.

Æternum, non tantum quia eſt ab æterno, Epheſ. 1. verſ. 4. 2. Timoth. 1. 9. 2. Theſſ. 2. 13. verum etiam in æternum duraturum, Hoſ. 2. 18. Ierem. 32. 39. 40. Iohan. 10. 28.

Eſt immutabile, quia eſt æternum, uti probavimus, & quia eſt abſolutum: nihil enim extra Deum fuit, quo ipſe moveretur, aut moveri poſſet; nullus enim reſpectus hic eſt ad dignitatem, opus aut qualitatem aliquam in hominibus: ſed cum omnes æque ſint peccatores, & natura pares, atque adeo indigni vita æterna, contra digni pœna æterna, Epheſ. 2. 3. Deus ſecundum propoſitum & beneplacitum ſuum, ex communi hominum genere corrupto hos elegit, illos reprobavit, horum miſeretur, illorum non miſeretur, Roman. 9. 15. 18. omniaque efficit ex conſilio voluntatis ſuæ, Epheſ. 1. verſ. 5. 11. Abſolutum

ergo, quia sine ulla alicuius qualitatis conditione: atque est absque conditione aliqua, quia est gratuitum. Ephes. 1. 6. 2. Timoth. 1. 9. gratia autem & conditio qualitatis prævisæ aut operum, simul consistere non possunt, Roman. 11. vers. 6.

Immutabilitas porro decreti Dei in sacra Scriptura & in genere, & in specie quoad electionem asseritur:

In genere, Num. 23. vers. 19. 1. Sam. 15. 29. *Triumphator Israel non mentitur, & pœnitudine non flectitur: neque enim homo est ut agat pœnitentiam.*

Esai. 14. 27. *Deus exercituum decrevit, & quis potest dissolvere.*

Esai. 46. 10. *Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet.*

In specie: Rom. 9. vers. 6. *fieri non potest, ut exciderit sermo Dei.*

Et vers. 11. *ut propositum Dei, quod est secundum electionem, non ex operibus, sed ex vocante firmum maneret.*

Rom. 11. vers. 29. *Dona & vocatio Dei sunt ἀμεταμέλητα*: ergo etiam immutabilis electio.

De electis ita Deus in verbo suo loquitur: Psal. 37. v. 28. *non derelinques sanctos suos: in æternum conservabuntur.*

Esai. 41. vers. 10. 13. 17. Esa 45. 17. *Israel servatus est in Domino salute æterna: non confundemini, & non erubescetis usque in sæculum sæculi.*

Esai. 46. 3. 4. *Audite me domus Iacob, qui portamini à meo utero, usque ad senectam ego ipse, & usque ad canos ego portabo: ego feci & ego feram, ego portabo & salvabo.*

Esai. 49. 15. *nunquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filii uteri sui? etsi illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui, ecce in manibus meis descripsi te, muri tui coram oculis meis semper*: sic Esai. 51. 6. & 56. 5.

Ierem. 32. vers. 40. *Et feriam eis pactum sempiternum, & non desinam eis benefacere, & timorem meum dabo in corde eorum, ut non recedant à me.*

Matth. 7. 25. *non cecidit* (domus) *fundata enim erat supra petram.*

Matth. 16. 18. *portæ inferorum non superabunt eam.*

Ioh. 8. vers. 35. *Filius manet in æternum* (in domo.)

Ioh. 10. 28. *Ego vitam æternam do eis, nec peribunt in æternum, neque rapiet eas quispiam ex manu mea.*

Rom. 8. vers. 39. *nulla creatura nos potest separare à charitate Dei, quæ est in Iesu Christo Domino nostro.*

1. Corinth. 1. v. 8. *Deus etiam confirmabit vos usque ad finem inculpatos, in diem Domini nostri Iesu Christi*: & Psal. 1. vers. 6.

1. Petr. 1. vers. 5. *virtute Dei custodimur per fidem ad salutem, quæ parata est patefieri tempore ultimo.*

Immutabilem itaque esse electionem ad salutem, ex istis Scripturæ dictis jam satis constat: Graviter quidem peccant electi, aut ex ignorantia. Psalm. 19. aut ex infirmitate carnis ut David, aut ex metu periculorum, ut Abraham, ut Petrus: attamen istis lapsibus gravioribus non interrumpitur electio; *Semen enim Dei manet in ipsis*, 1. Iohan. 3. v. 9. *Dominus supponit manuum suam.* Psalm. 37. vers. 24. emendantur & resurgunt uti videre est in Davide, Petro, &c. Constat ergo, electionem esse immutabilem.

6.

Credimus electos in hac vita à Deo de hoc gratuito & incomparabili beneficio certos fieri.

6.

Contra judicamus, Remonstrantes contra sacram Scripturam docere, quod Deus in hac vita electos de electione sua suspensos ac incertos relinquat.

Rationes.

Rationes.

Euangelium enim affirmat, vere fideles certam electionis suæ fiduciam & πληροφορίαν habere; idque ex Spiritus sancti, tum testimonio interno, tum effectis in nobis.

Ex Spiritus sancti testimonio, quo obsignati sunt in diem redemptionis, & sciunt quæ Deus electis suis est gratificatus. 1. Corinth. 2. 12. De hoc testimonio ita Paulus testatur, Rom. 8. 15. *Accepistis spiritum adoptionis, per quem clamamus Abba, id est, Pater.* 2. Corinth. 1. 21. 22. *Qui nos confirmat vobiscum in Christum, & qui unxit nos, Deus est. qui etiam obsignavit nos, deditque arrhabonem spiritus in cordibus nostris.* Ephes. 1. 13. 14. *obsignati estis spiritu illo promissionis sancto, qui est arrhabo hæreditatis nostræ.* Et tandem Rom. 8. 16. *Qui ipse spiritus testatur, una cum spiritu nostro, nos esse filios Dei:* idque non ad certum aliquod tempus, sed inquit Paulus, Ephes. 1. 14. *dum in libertatem vindicemur ad laudem gloriæ ipsius:* Et Ioannes, *unctio, quam vos accepistis ab eo, manet in vobis*, 1. Ioh. 2. 27.

Ex effectis, hic enim spiritus quoad gradus ad salutem omnia in nobis operatur.

Quoad vocationem: hic qui spiritus est sapientiæ, intellectus, consilii. Esai. 11. 2. illuminat oculos mentis nostræ, ut sciamus quæ sit spes illa vocationis, Ephes. 1. 17. 18. qui est spiritus fidei. 2. Corinth. 4. vers. 13. operatur in nobis veram fidem in Iesum Christum; *nemo enim potest dicere Iesum Dominum, nisi per Spiritum sanctum.* 1. Corinth. 12. 3. Hinc certi de Christi in nobis inhabitatione; sigillum certum habemus, quo agnoscimus nos in eodem Domino nostro Iesu Christo fuisse ad æternam vitam electos, & in adoptionem filiorum Dei prædestinatos, Ephes. 1. 5. eamque adoptionem accepisse. Ex hac ergo nota agnoscunt fideles, se ad vitam æternam esse electos: unde Paulus 2. Corinth. 13. 5. *Vosipsos tentate, annon sitis in fide, vosipsos probate, annon agnoscitis vosmetipsos*, videlicet, *Iesum Christum in vobis esse? nisi reprobi estis:* Et 1. Iohan. 5. vers. 10. *Qui credit in filium Dei, habet testimonium in seipso: qui non credit Deo mendacem eum fecit, quia non credidit testimonio, quod testificatus est Deus de filio suo: est autem hoc testimonium, nempe, quod vitam æternam dedit nobis Deus, & hæc vita in filio eius est.*

Quoad Iustificationem: Per Spiritum Dei nostri abluti sumus & justificati, 1. Corinth. 6. 11. hic Spiritus gratiæ, Zachar. 12. 10. effundit in cordibus nostris charitatem Dei, Roman. 5. 5. hoc est, obsignat in cordibus nostris, nos à Deo diligi: quare hic spiritus adoptionis, vere & infallibiliter testatur nos esse filios Dei, Roman. 8. 15. 16. & ipse Spiritus & oleum exultationis, Hebr. 1. 9. replet nos omni gaudio & pace, ut spe abundemus, per ipsius virtutem: Roman. 15. 13. unde ad Roman. 5. vers. 1. 2. *justificati ex fide* &c. tandem hic verus consolator, Iohan. 15. 16. & 16. 26. sublevat infirmitates nostras, & interpellat pro nobis suspiriis inenarrabilibus. Rom. 8. 26. efficitque ut in oppressionibus consolatione repleamur, Actor. 9. 31. & gloriemur. Rom. 5. 3.

Quoad sanctificationem; ipse Spiritus sanctificationis, Romanor. 1. 4. regenerat & sanctificat nos, Iohan. 3. 5. 8. 1. Corinth. 6. 11. mortificat corporis actiones. Rom. 8. 13. facitque ut in præceptis Dei ambulemus, Ezech. 36. 27. unde ex istis fructibus cognoscunt fideles se filios Dei aut electos esse; *Quotquot enim spiritu Dei ducuntur, ij sunt filij Dei*, Roman. 8. 14. atque hinc monet Petrus, 2. Epist. 1. 10. *ut studeamus*, per sanctificationem scilicet aut opera bona, *vocationem & electionem nostram firmam efficere.* item, Paulus, 2. Timoth. 2. 10.

Et tandem *quoad glorificationem:* Spiritus hic gloriæ, 1. Petr. 4. 14. non tantum facit, ut gloriemur sub spe gloriæ Dei Roman. 5. 2. verum etiam ita operatur, ut ipse Spiritus roboris. 2. Timoth. 1. 7. & fortitudinis, Esai. 11. 2. nos ad finem confirmet, & in ipso habeamus efficacem sustentationem & conser-

vationem. Esai. 41. 10. Hinc Paulus Deum pro fidelibus precatur, ut det illis pro divite sua gloria, ut fortiter corroborentur per Spiritum suum in interiore homine &c. Ephes. 3. 16. 17. 18. 19. *Confirmabit enim nos usque ad finem inculpatos in diem Domini nostri Iesu Christi.* 1. Corinth. 1. 8. *persuasum habentes fore, ut qui cœpit in nobis opus bonum, etiam perficiat usque ad diem Iesu Christi.* Phil. 1. 6. vera ergo Electionis certitudo: Ita, ut electionis nostræ in Christo consideratio, suavis, dulcis & ineffabilis consolationis plena sit, vere piis; in iisque efficiat, ut Deum diligant, adorent, glorificent, digneque se tanto beneficio gerant, in cruce se ea sustentent, fortiter & constanter adversus Sathanam, carnem & mundum militent, & quicquid hic dubitationis obrepit, gladio Spiritus enecent, & fidei scuto extinguant: Ephes. 6. solidumque in hac vita & morte habeant solatium, & in hoc favoris Dei sensu, tanquam vitæ æternæ præludio, sancte exultent. Rom. 8. 2. Tim. 4.

Huius certitudinis sensum & fructum pii in hac vita perceperunt: Iob. 19. vers. 25. 26. 27. *Scio quod Redemptor meus vivit,* &c. David Psalm. 4. v. 9. 10. *In pace dormiam & requiescam, quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me:* Psalm. 23. vers. 6. *Misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ, & habitabo in domo Domini in longitudine dierum aut in æternum.* Esai. 12. 2. *Ecce Deus salvator meus, fiducialiter agam & non timebo, quia fortitudo & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem.* Paulus Apostolus, Galat. 2. 20. *Christus dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* 1. Tim. 1. 16. *Christus misertus est mei* &c. 2. Tim. 1. 12. *Non erubesco; novi enim cui crediderim, & mihi persuasum est, eum posse depositum meum in illum diem servare.* 2. Timoth. 4. 7. 8. & Rom. 8. 38. 39. de se & cæteris fidelibus: *Persuasum mihi est, neque mortem, neque vitam* &c. *nos posse separare à caritate Dei, quæ est in Iesu Christo Domino nostro.*

Ex hac de certitudine Electionis doctrina, Spiritus sanctus, multis in locis, suos ut consolaretur, & adversus diffidentiæ scopulos in certitudine electionis & salutis confirmaret, certissima deducit argumenta, & rationes firmissimas proponit, contra metum æterni pudoris & ignominiæ, Esai. 45. v. 17. *Israel salvatus est in Domino salute æterna, non confundemini & non erubescetis usque in seculum seculi.* Cum dicunt fideles, dereliquit me Dominus, & Dominus oblitus est mei; respondet Deus, *nunquid oblivisci potest mulier infantem suum* &c. *ecce in manibus meis descripsi te, muri tui coram oculis meis semper.* Adversus peccatorum pœnas, Psalm. 89. 33. 34. *Visitabo in virga iniquitates eorum: Misericordiam autem meam non dispergam ab eo* &c. Cum loquitur populus Dei, Ierem. 31. vers. 3. longe Dominus apparuit mihi, & respondet Deus, *in caritate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserum:* contra metum seductionis, dicit Christus Matth. 24. 24. *Seducerent, si fieri posset, etiam electos:* Sic etiam Paul. 2. Tim 2. vers. 19. *Subvertunt quorundam fidem: solidum tamen fundamentum Dei stat:* &c. sic Iohannes 1. Epist. 2. 19. 20. *è nobis egressi sunt* &c. *sed vos unctionem habetis à sancto illo:* & cap. 4. vers. 4. adversus antichristos, *vos ex Deo estis & vicistis eos, quoniam potentior est, qui est in vobis, quam qui in mundo est:* adversus omnem solicitudinem rerum, temporalium, dicit Christus, Luc. 12. 32. *ne time, ô parve grex, nam visum est patri vestro dare vobis regnum.* Sic & Paulus adversus non modo corporales, sed & spirituales tentationes Rom. 8. 1. 2. 3. 4. *Nulla condemnatio iis, qui sunt in Christo:* & v. 28. 29. 30. & 32. 33.

Certissima ergo & suavis electionis doctrina, eiusque sensus & fructus in hac vita percipitur. estque longe certissimus & indissolubilis nexus ille, quo ἀμεταμέλητα illa, quæ Deus in electos suos confert, beneficia cohærent; Rom. 8. 29. 30. ac proinde ex illis prædictis, ceu effectis, de antegressa ab æterno causa, certi esse possunt fideles; In æternum non peribunt, neque rapiet eos quisquam è manu Christi. Ioan. 10. 28. 29.

De Repro-

DE REPROBATIONE.

I.

Credimus Deum ex beneplacito voluntatis suæ, ad suæ justitiæ demonstrationem, quosdam decrevisse in lapsu & miseria relinquere, mediaque ad fidem & conversionem iis necessaria, illis non conferre, ac tandem propter peccata damnare: atque hoc totum esse decretum reprobationis, seu prædestinationis ad mortem.

I.

Contra judicamus, voluntatem Dei, de Infidelibus & in infidelitate perseverantibus damnandis, non esse totum Decretum Reprobationis ad mortem: nec etiam verum esse, quod Deus neminem ad demonstrationem justitiæ suæ decreverit in lapsu Adæ aut miseria relinquere, sed affectu & voluntate generali omnium salutem desideret ac intendat, omnibus media necessaria & sufficientia administret, sic ut omnibus ad salutem prodesse possint, & revera possint, nisi ipsi sibi ea in exitium, eorundem abusu vertant.

Rationes.

Si enim aliqui electi sunt, necessario reliqui sunt reprobati. Etenim sine reprobatione ne cogitari quidem potest electio: nec solum electionis, sed & reprobationis mentionem facit Scriptura; Esai. 30. 33. Ierem. 6. 30. Proverb. 16. 4. Roman. 9. 18. 21. 22. 23. 2. Corinth. 13. 5. Iudæ v. 4. Multi currunt in via, quæ ducit ad interitum, qui ultimo die relinquentur, & in exitium aut supplicium æternum abibunt. Matth. 7. 13. 14. Matth. 25. 30. 46. Luc. 17. 34. Apocalyps. 19. 20. & 20. 14. 15. quod non fieret, nisi ab æterno reprobati essent. Nam prout Deus ab æterno decrevit, sic omnia in tempore eveniunt: & si tanta est sapientia, potentia & voluntas eius, ut invito vel inscio ipso ne passerculus quidem pereat, nec capillus de capite nostro defluat, multo minus tot præstantissimæ creaturæ, absque eius consilio ac decreto perducuntur ad finem.

Voluntas vero illa generalis, omnium salutem, conversionem, &c. desiderans, intendensque, commentum est cerebri humani, ac Deum in impotentem hominem transformat, qui cuperet omnes homines salvari, sed non possit hoc efficere. Non omnibus etiam sufficientia media ad salutem subministrat, Psalm. 147. 20. Externe enim non omnes vocantur, quod Paulus de omnibus illis gentibus, quas Deus ante primum adventum Christi sivit ambulare in viis suis Actor. 14. 16. affirmat; & etiamnum vel tertia pars hominum adeo non prædita est notitia Christi, ut ne famam quidem Christi vel tenui rumore audiverint. Interne illi soli vocantur, qui ad gloriam prædestinati sunt, Roman. 8. 29. 30. sine qua efficaci vocatione nemo ad Christum pervenit, Ioan. 6. adeo nec ad salutem, quia extra Christum nulla est salus. Nempe ita: Deus ab æterno agere decrevit, qui sine injustitia de universis & singulis hominibus statuere potuit, quidquid ipsi placuerit in alterutram partem, ut docet Apostolus exemplo figuli Rom. 9.

2.

Credimus unicam esse reprobationem omnium reproborum Veteri, & Novi Testamenti, eamque immutabilem.

2.

Contra, multiplices illas Remonstrantium reprobationes, ut falsas & Dei naturæ ac verbo eius contrarias rejicimus.

Rationes.

Decretum enim, quod Deus ab æterno fecit, in tempore non mutat, non retractat, ut quod cum infallibili eius Præſcientia & Omnipotentia eſt conjunctum: quarum illa non falli, hæc impediri non poteſt. Reprobi etiam non poſſunt fieri electi, ſed manent in morte æterna, in quam ſeſe ipſos præcipitarunt: Deo, qui miſeretur quorum vult, Roman. 9. gratia ſua ſalvifica eos non donante.

3.

Cauſam cur hos, non illos, per Euangelium vocet Deus, merum Dei beneplacitum, ſive liberrimam & juſtiſſimam eius voluntatem eſſe credimus.

3.

Contra, non eſſe horum idoneitatem, illorum indignitatem in hominibus ipſis latentem judicamus.

Rationes.

Nulla enim in homine eſt dignitas, vel idoneitas, quæ hunc præ illo diſcernat coram Deo, quæ non indatur ab eo, qui aufert cor lapideum, & dat carneum; nec ulla caro aures habet ad audiendum vocantem, aut oculos ad videndum, niſi quos ille fecerit, & aperuerit; nulla etiam indignitas, & inhabitudo eſſe poteſt, quam Deus non emendare ac tollere poſſit, ut in electis eam tollat, fidem ſanctimoniamque ingenerans: Cur non faciat hoc in omnibus, quod fecit in quibuſdam? Reſpondet Chriſtus, Matth. 11. verſ. 11. 25. 26. *Etiam Pater, quia placuit tibi.*

4.

Cauſam reprobationis cur quibuſdam gratioſe electis, cæteros præteriit Deus: relictos in communi exitio in quod omnes ſe ipſos præcipitaturi erant, eandem juſtiſſimam ac liberrimam Dei voluntatem eſſe credimus.

4.

Contra verbo Dei diſſentaneum eſſe judicamus, quod dicunt Remonſtrantes, reprobationem factam ſecundum conſiderationem antecedaneæ infidelitatis, & perſeverantiæ in ea, ſive peccatorum tantum actualium, quæ omittere potuerit homo.

Rationes.

Veram quidem cauſam damnationis, peccatum quodlibet, tum originale, tum actualia adverſus Legem & Euangelium admiſſa, aſſerimus: ſed cauſam impellentem, ſive meritoriam decreti reprobationis, nec prævisam infidelitatem, nec ullum aliud peccatum eſſe, docet Apoſtolus, Roman. 9. verſ. 18. ubi electionem & reprobationem pares facit in cauſa impellente, quam non ſtatuit in eligendo aut reprobando, ſed in ipſo eligente & reprobante tantum; & ſi peccatum cauſa eſſet reprobationis, non minus Iacobus, quam Eſavus, imo nos omnes eſſemus reprobati, quia omnes peccatores ſumus, Roman. 5. & natura filii iræ, Epheſ. 2. verſ. 3. & ſi figulus non alia ratione, quam ſola voluntate ſua motus, ex una maſſa facit vas unum ad decus, aliud ad dedecus, tum multo magis Deus, non ob aliam cauſam, alios elegit, alios reprobavit, quam

quia voluit. Ierem. 18. verſ. 4. Rom. 9. verſ. 21. quam tamen voluntatem Dei non ἄλογον ſtatuimus, ſed rationem hanc ipſi dicimus conſtare: etſi nobis non reddatur, ac proinde eam ultra verbi patefacti metas non ſcrutandam, ſed adorandam eſſe ſtatuimus, cum τὸ διότι illius ne Angeli quidem percipere queant.

IVDICIVM DRENTANORVM,

De Sententia Remonſtrantium

Circa Articulum Primum Hagienſem.

I.

PRædeſtinatio, eſt æternum Dei decretum, quo Deus homines certos, è lapſo genere humano decrevit denuo erigere, reliquos autem juſtè in miſeria relinquere. Roman. 9. 11. 12. 13. nondum natis, &c. Cadunt ergo Antitheſes ſequentes:

1. Deus præciſa voluntate, neminem in Adæ lapſu voluit relinquere: quia ſcilicet hoc ipſum Scripturis, & conſtanti affectui, quo Deus omnium ſalutem, & converſionem, ſe deſiderare teſtatur, planiſſime adverſatur. *Ioh. Arnold. Contra Tilen. pag. 121.*
2. Decreta Dei quædam non ſunt æterna: & Generalia decreta poſſunt conſiſtere, etiamſi ſpecialia eiuſdem decreta nondum exiſtant. *Vorſt.*
3. Quædam opera primum, & ante omnia alia à Deo inſtituantur ac decernantur neceſſe eſt, antequam de ullo homine nominatim ſalvando, quippiam certi apud ſe ſtatuerit. *Epiſcop. diſp. 6. Theſ. 12.*

II.

Prædeſtinationis partes ſunt: Electio & Reprobatio. Electio eſt æternum, immutabile Dei decretum, quo Deus è lapſo genere humano, perditaque maſſa, certos quoſdam homines ex mero ſuo beneplacito, in Chriſto, ad nominis ſui gloriam, & ipſorum electorum ſalutem, ſtatuit erigere. Epheſ. 1. 4. 5. 6. Cadit ergo Antitheſis ſequens:

Decretum Electionis, non eſt decretum tale abſolutum, quo Deus pro ſuo beneplacito, ad demonſtrationem ſuæ miſericordiæ, ſalutem tanquam finem homini præciſe intendere, eique media talia ſubordinare, quibus electos ad iſtum finem efficaciter, & infallibiliter perducere voluerit. neque etiam beneplacitum, cauſa unica eſt, cur hunc præ illo, ex genere humano lapſo ad gloriam ſimul & gratiam elegerit. *Theſ. 5. De Electione.*

III.

Huius definitionis ſingula membra ſeparatim declaranda, & demonſtranda erunt. Primum membrum eſt, quod electio ſit decretum æternum. Eph. 1. 4. Rom. 9. 11. Act. 15. 18. Cadunt ergo Antitheſes ſequentes:

1. Nemo in hac vita dici poteſt peremptorie electus. *Theſ. 10.*
2. Electio particularis ſive ſingularis horum vel illorum fidelium, eſt alia incompleta, non peremptoria, alia completa, peremptoria, & irrevocabilis. *Theſ. 2.*
3. Dei præſcientia futurorum contingentium, non eſt ad ſalutem. *Epiſcop. diſp. 4 Theſ. 10.*

IV.

Secundum membrum hoc eſt, quod electio ſit decretum Dei immutabile: 2. Tim. 2. 19. Rom. 9. 6. 11. Rom. 8. 29. & 38. Mal. 3. 6. Matth. 24. verſ. 24. Cadunt ergo Antitheſes ſequentes:

1. Consilium Dei, de salvando hoc vel illo homine, non est certum, nec immutabile.

Thes. 9. De Elect. 2. Electio incompleta, & non peremptoria; potest interrumpi, atque interdum interrumpitur, suntque incomplete electi vere quidem electi, ut & justificati, ac possunt fieri reprobi, atque perire, numerusque illorum potest augeri & minui.

3. Deus aliquando non vult, quod antea voluit.

V.

Tertium membrum hoc est: quod Deus in eligendo, intuitus sit genus humanum tanquam lapsum in peccata & mortem æternam, ita ut electio sit consilium miserendi quorum vult, ex massa perdita. Rom. 9. 21. Est enim genus humanum è corrupta Adami natura propagatum, & massa damnata est proprie objectum electionis & reprobationis, misericordiæ & iræ. Rom. 9. 22. Psalm. 51. 5. Eph. 2. 2. Cor. 3. 5. Tit. 3. 3. Cadunt ergo Antitheses sequentes;

Thes. 6. 1. In eligendo hoc vel illo individuo prærequiritur conditio, quamvis ea novi fœderis non sit. Hæc scilicet, vt homo peccator, peccata per legem agnoscat, de ijs pœniteat, ad vitam æternam sit dispositus, humilis, parvus, probus, &c.

Thes. 2. De Reprobat. 2. Quod Deus quibusdam Evangelium annuntiari curat, quibusdam non, eius rei causa non est, absolutum aliquod decretum; sed aliquid in hominibus latens, propter quod hi Evangelio sunt indigni; illi propter gratiosam, &c.

3. Peccatum Originis non est sufficiens, ad universi generis humani condemnationem.

VI.

Quartum membrum est hoc: quod electio, sit decretum speciale de certis & singularibus personis, quarum numerus Deo est notus. Rom. 9. *nondum nati*, &c. Ioh. 13. 18. Ioh. 15. 19. Ioh. 17. 9. Cadunt ergo Antitheses.

Thes. 1. 1. Decretum generale servandi credentes, est integrum Electionis decretum; nullaque alia prædestinatio revelata, &c.

Thes. 1. De Reprob. 2. Deus neminem precise elegit: sed affectu & voluntate generali, ex æquo omnium salutem desiderat, omnibus Mediatorem dedit, & salutem indiscriminatim, ex fide obtinendam ordinat, &c.

VII.

Quintum definitionis membrum hoc est: Quoscunque Deus elegit è solo beneplacito, amore, & misericordia elegit; Rom. 9. 11. 18. Ephes. 1. 4. 11. Quia, quod nihil potuerit in nobis prævidere, probatum iam est Thes. 5. Neque adversarios juvat quod dicimur electi κατὰ πρόγνωσιν. Rom. 8. 29. 1. Pet. 1. 2. Quasi electio sit fundata in præscientia cujusquam boni; in nobi latentis, non autem in absoluta εὐδοκία. Significat enim hic πρόγνωσις nihil aliud, quam specialem illam notitiam, de qua 2. Tim. 2. 19. conjunctam cum approbatione, favore, & amore quo Deus eligendos complectitur. Psalm. 1. 6. Quo sensu magis ad voluntatem, quam ad intellectum pertinet; uti Christus dicitur præscitus, ante iacta mundi fundamenta. 1. Pet. 1. 20. quæ πρόγνωσις ab electione, & ab εὐδοκία, ut causa ab effecto discernitur. Cadunt ergo Antitheses:

Thes. 1. 1. Deus, ex sapientiæ suæ præscripto, abrogato primo fœdere, decrevit actu ipso, in gratiam recipere & servare resipiscentes, &c.

Thes. 5. 2. Electio singularium personarum facta est ex consideratione prævisa, antecedente illarum fide, fidei obedientia & resipiscentia, &c.

Thes. 5. 3. Decretum hoc electionis, non est decretum tale absolutum, &c.

VIII.

Sextum membrum definitionis est, de fundamento electionis: quod est Christus, non qua Deus, neque qua homo, sed quatenus est θεάνθρωπος, caput & Mediator

diator noster æternus, per quem servamur: quippe, qui nobis suo merito conciliat Dei gratiam, & suo Spiritu fidem in nobis efficit: Ephesf. 1. 4. 5. 6. Cadunt Antitheses sequentes:

1. Christus non est fundamentum simpliciter, sed qua fide apprehensus: accedente insuper ad fidem, obedientia & pietate vel inchoata, & aliquandiu continuata, vel consummata, continuata & ad finem vitæ perducta, prout aliquis complete vel incomplete eligitur. *Thes. 7.*

2. Sancti Veteris Testamenti, imo Ethnici servantur sine fide in cognitione Christi, &c.

IX.

Septimum & ultimum definitionis membrum, est de causa finali: quod finis electionis sit gloria Dei, & salus electorum. Rom. 9. 23. Cadunt ergo impiæ Antitheses:

1. Si electio est absoluta; Deus est injustus, immisericors, Tyrannus.

2. Si electio absoluta doceatur, homines ad inanem fiduciam, carnisque securitatem, à studio bonorum operum avocabuntur.

X.

Finem alterum diximus esse salutem electorum: quippe quos Deus elegit, 1. ad Gratiam. 2. ad Gloriam. Rom. 8. 29. &c.

Gratia, qua per electionem, in Iesu Christo fruimur, est donorum spiritualium, 1. Collatio, 2. Conservatio.

Conferuntur electis sine ipsorum viribus aut cooperatione; 1. Vocatio efficax: 2. Iustificatio: 3. Sanctificatio. Rom. 8. vers. 29.

Ad vocationem istam efficacem quod attinet, fit prædicatione Evangelij & Verbi Dei intus in corde per Spiritum Sanctum, Rom. 8. 30. Ioh. 6. 37. Ergo æternæ electionis arbitrio fit, quod his Evangelium prædicatur, illis non, apud hos locum invenit, apud illos non. Ergo cadunt Antitheses sequentes:

1. Quod Deus quibusdam Evangelium annunciari curat, quibusdam non, ejus rei, &c. *Thes. 2. De Reprob.*

2. Electio est & illorum incredulorum, quibus Evangelium non est annunciatum, quique gratia communiori corriguntur, &c. *Thes. 12.*

XI.

E vocatione ista exoritur fides salvifica, ex operatione Spiritus Sancti, sine nostra cooperatione. Act. 13. Ioh. 6. 29. & 36. Ioh. 10. 26. Ephes. 2. 8. Cadunt ergo Antitheses sequentes:

1. Christus est fundamentum salutis, & electionis, &c. non simpliciter, sed qua fide apprehensus, accedente insuper ad fidem, &c. *Thes. 7.*

2. Fides non est novi fœderis promissum, nec datur ex electione ad gloriam, sed alia quadam Dei voluntate. *Thes. 6.*

3. Fides non consideratur tanquam promissio novi fœderis, sed ut conditio, & actio à nobis præstita. *Episcopius.*

4. Electio singularum personarum est facta, ex considerata & prævisa antecedente illarum fide, fidei obedientia, & resipiscentia, tanquam conditione novi fœderis, à Deo postulata, & ab homine eligendo libere præstita, &c. *Thes. 3.*

5. Electio est & illorum incredulorum, quibus Evangelium non est annunciatum: &c. qui fidem aliquam in Deum, sine Christi & meriti eius notitia, concipiunt. *Thes. 12.*

XII.

Secundo diximus, quod electis conferatur iustificatio, qua credentes iusti coram Deo, per obedientiam Christi acceptantur: ita ut ipsis peccata remittat, & iustitiam Christi imputet; Roman. 8. 29. &c. 2. Corinth. 5. 21. Rom. 5. 17. 18. 19.

1. Petri

1. Pet. 2. 2. Rom. 4. &c; Psalm. 32. Cui justificationi annexa est adoptio; Ephes. 1. 5. Caduntergo Antitheses:

Thes. 2. 1. Vniformia & conformia sunt electionis & justificationis decreta: ut justificatio alia similiter sit incompleta, non peremptoria, revocabilis: alia completa, peremptoria, irrevocabilis.

Thes. 6. 2. In eligendo hoc præ illo ad fidem, prærequiritur etiam conditio, quamvis ea novi fœderis non sit, hæc scilicet, ut homo peccator peccata per legem agnoscat, de ijs pœniteat, ad vitam æternam sit dispositus, humilis, parvus, probus denique.

3. Conditiones novi fœderis sitæ sunt in pœnitentia, obedientia, observatione præceptorum Evangelicorum & fide, non considerata tanquam instrumento, quo apprehendimus promissionem remissorum peccatorum, propter sanguinem Christi.

4. Cadunt etiam iuxta hanc Thesim, Antitheses Thesi præcedenti subiectæ.

XIII.

Tertio diximus quod electi sanctificentur: Rom. 8. Spiritus enim sanctus, divina quadam & supernaturali ratione, carnem mortificat, vivificatque ad resipiscentiam, obedientiam, &c. quæ definitio diversa continet membra seorsim probanda. Primum est, quod hæc regeneratio & sanctificatio pertineat ad solos electos, tanquam fructus electionis. Rom. 8. Eph. 1. Cadit ergo Antithesis.

Thes. 2. De Reprob. Deus omnium fidem & conuersionem desiderat, omniumque salutem intendit, omnibus illam offert, omnibus pœnitentiam & fidem mandat, mediaque ad ea necessaria & sufficientia administrat, ita ut omnibus ad salutem prodesse possint, & revera prosint, nisi ipsi sibi ea in exitium, eorundem abusu vertant.

Secundum membrum est, quod operatio hæc Spiritus Sancti, resistibilitate nostra nunquam impediatur. Phil. 2. 13. Eph. 1. 18. 19. Eph. 2. 5. Cadit ergo Antithesis præcedens, & sequentes:

1. Deus plures convertere intendit, quam convertit.

2. Quædam præparatio conversionis in nobis est, &c.

Tertium membrum est, quod pœnitentia & obedientia sint gratuitus fructus electionis, à Spiritu Sancto productus. Ierem. 31. vers. 18. 19. & vers. 33. & 2. 36. 27. 28. Eph. 1. Cadunt ergo Antitheses:

Thes. 1. 1. Deus decrevit in gratiam recipere resipiscentes, &c.

Thes. 4. 2. Fides, Obedientiæ Evangelicæ totus cursus, Perseverantia, Vocatio, Iustificatio, Sanctificatio, &c. non sunt fructus electionis.

XIV.

Porro hæc fides, justificatio & sanctificatio, non tantum à Spiritu Sancto generantur, sed etiam semel generata ad finem vitæ conservantur: ita ut fructus electionis sit Perseverantia. Ierem. 32. 28. 29. 30. Esai. 59. 21. Ioh. 14. 16. Phil. 1. 6. & salutis Certitudo, Roman. 8. 29. 30. 31. 2. Corinth. 1. 2. 21. Cadunt ergo Antitheses sequentes:

1. Antithesis quæ proxime precessit; nimirum Thesis 4.

Thes. 10. 2. Nemo in hac vita dici potest peremtorie electus, sed ille demum peremptorie eligitur, qui moritur & mortuus est in fide & obedientia, ideoque nec sensus huius electionis certus, nec fructus ullus est in hac vita.

Thes. 1. 3. Nulla certitudo salutis, nisi in decreto salvandi credentes.

XV.

Præter hanc certitudinem salutis, sunt & alij fructus ex electione, ejusque donis commemoratis manantes, nimirum, humiliatio nostri; 1. Cor. 1. 30. 31. 1. Cor. 4. 7. Amor Dei & spontanea obedientia, Eph. 1. 4. Eph. 2. *Conditi in Christo ad bona opera*, &c. Cadunt ergo Antitheses sequentes:

1. Gratiosa & Evangelica dignitas Deum ad electionis præmium, huic præ alijs destinandum, movit.

2. Electio absoluta facit homines salvos, &c.

XVI.

Dictum de electione ad Gratiam: sequitur electio ad Gloriam. Hæc enim duplex electio, in Dei Decreto nunquam separatur, Rom. 8. 29. ita ut illam semper ista tandem sequatur: habeatque suum initium statim post mortem: nam tunc anima nostra fertur in sinum Abrahæ, percipitque gaudia ineffabilia: Luc. 16. Act. 7. 60. Luc. 23. 42. Apoc. 14. 13. Phil. 1. 23. 2. Cor. 12. 2. 3. 4. Cadit ergo abominanda Episcopij Antithesis:

Superstitem tamen manere, cum dicimus, non audemus confidenter asserere, quod extra se quippiam agat, sentiat, aut percipiat spiritus corpore exutus, etiamsi non improbabilem eorum sententiam esse credamus, qui statuunt eum in se ipsum conversum speculari & intelligere posse ea quæ antea percepit, ac proinde neutiquam dormire: ad ea vero, quæ extra sunt indigere organo atque instrumento corporis. *Episc. in Colleg. disp. 23. thes. 7.*

De Reprobatione.

XVII.

Reprobatio est Decretum Dei æternum & immutabile: quo Deus è lapso genere humano, certos quosdam homines in suo lapsu & perditione, ad nominis sui gloriam, & salutem electorum, ex beneplacito suo, iuste statuit relinquere. In hac definitione membra singula seorsim probanda sunt.

1. Reprobatio est Decretum æternum: Rom. 9. 6. 11. Actor. 15. 18. Ergo cadit Antithesis: Deus futura infallibiliter non novit. item nemo peremptorie reprobatus in vita.

2. Reprobatio est Decretum immutabile; Mal. 3. 6. quia antea probatum fuit electionem esse immutabilem, quippe quæ mutabilitas pugnaret cum Dei Voluntate & Sapientia. Cadunt ergo Antitheses, subjectæ thesi quintæ, & hæc sequens:

Reprobatio alia est indefinita, alia definita & singularis; & hæc rursus alia incompleta nec peremptoria: possuntque incomplete reprobati fieri electi, ac servari, numerusque illorum potest augeri & minui. *Thes. 3. De Reprob.*

3. Quod Deus in prædestinatione, adeoque in Reprobatione sua, genus humanum tanquam lapsum in miseriam sit intuitus, ea de re superius, thesi 5. actum est.

XVIII.

Quartum membrum definitionis est quod Dei Decretum reprobandi, non sit generale tantum, sed vel cum primis speciale, de certis & singularibus personis: quarum numerus Deo notus est, Rom. 9. Cadit ergo Antithesis præcedens. Reprobatio alia, &c. *Thes. 3. De Reprob.*

Hic quædam de infantibus (sub quibus & adultos mente ab exordio vitæ alienatos comprehendimus) dicenda sunt, de ijs nimirum infantibus, qui moriuntur in infantia.

1. Infantes infidelium morientes in infantia, reprobatos esse statuimus, 1. Cor. 7. Rom. 11. Ergo cadit Antithesis.

1. Ethnici servabuntur bono rationis Lumine utentes.
2. Nemo ob Peccatum Originale condemnatur.

XIX.

At aliter sese res habet, cum infantibus fidelium, morientibus in infantia: de quibus duo asserimus.

1. Infantes fidelium, ut ut in infantia moriantur, iuste tamen à Deo reprobari, & in sua miseria, relinqui possint, si Deus suo iure vellet uti. probationes extant

Thes.

Thes. 5. quippe qui totum genus humanum potuisset in lapsu relinquere, si ita visum fuisset, Rom. 9.

2. Interim parentes fideles, de infantulorum talium salute certam spem possunt concipere: non enim in Scriptura legitur tales fuisse unquam reprobatos: contra vero de bono Dei erga tales affectu testatur eadem Scriptura: Genes. 17. 7. Matth. 19. 14. Act. 2. 39. ex his, quæ hac de re dicta sunt, apparet falsitas Antitheseos sequentis:

Infantes, neque sunt reprobati, neque electi.

XX.

Sextum definitionis membrum, hoc est: Reprobatio est à solo Dei beneplacito, bonaq; & libera voluntate. Matth. 11. 25. 26. Luc. 10. 21. quidquid Deus vult, bene vult: quidquid ei placitum est, bene placitum est. Rom. 9. 18. *quem vult indurat*, id est, non miseretur. Porro hoc quod dicimus de absoluta Voluntate, id est intelligendum, non tantum de reprobatione à Gratia, sed etiam à Gloria. In illa quidem agit tantum secundum ius absolutum; ut testatur Paulus. Rom. 9. ad vers. 22. usque: at in ista, agit partim ex iure absoluto, partim ordinato: Rom. 9. 22. &c. unde apparet, quod utrumque recte dicatur; 1. Reprobationem esse absolutam. 2. in ea Deum aliquem respectum habuisse ad peccata & pravitatem reproborum: neutiquam tamen, eo modo, quo Remonstrantes volunt. Cadunt igitur eorum Antitheses:

Thes. 1. De Reprob. 1. Deus neminem præcise ex suo beneplacito ad demonstrationem iustitiæ suæ, potestatis, & Dominij absoluti, decrevit in lapsu Adæ ac miseria relinquere, & in eligendo ad vitam æternam præterire, &c.

Thes. 4. De Reprob. 2. Reprobatio facta est secundum considerationes antecedaneæ infidelitatis.

XXI.

Septimum & ultimum definitionis membrum est, de fine reprobationis: primarius eius finis est Gloria Dei, quæ apparet ex liberrimo agendi iure & potestate, sapientia, iustitia, &c. Rom. 9. 17. & vers. 22. Proverb. 16. 4. Imo hæc reprobatio facit ad commendandam misericordiam suam erga electos; Cadit ergo Antithesis proxime antecedens: & quæ sequitur:

Si Deus sine peccato præcedaneo reprobavit; est iniustus, crudelis, &c.

2. Secundarius reprobationis finis est, salus electorum: quia 1. consideratione reprobationis aliorum, excitantur ad metum & reverentiam potentiæ Dei, quæ in reprobatis demonstratur. 2. admiratione gratiæ indebitæ, excitantur ad ardentem Dei amorem. 3. Per reproborum impiorum illatas injurias, tribulationes & persecutiones, paterne tanquam Dei virga castigantur; Es. 10. 5. qui omnia novit ad salutem ipsorum convertere. Rom. 8. 28. Cadit ergo Antithesis:

Doctrina Reprobationis facit ad desperationem & carnis securitatem. Obstat studio bonorum operum.

Hasce Theses, tanquam è puro Israelis fonte haustas, tota mente & corde approbamus & amplexamur; easque cum ædificatione Ecclesiæ Christi publice proponi posse, persuasissimum habemus. Contra vero Antitheses Remonstrantium, hisce thesibus oppositas, tanquam falsas, Verbo Dei contrarias, ex humani cerebri figmentis profectas, blasphemis fundamentis innixas, & multis alijs erroribus, (brevitatis gratia in hoc scripto non commemoratis,) individuo nexu coniunctas, Socinumque olentes, in totum reijcimus, easque in Ecclesijs Belgicis sine magno sanæ doctrinæ detrimento & labefactatione, non posse tolerari arbitramur.

IVDI-

IVDICIVM
Deputatorum Synodi Gallo-Belgicæ.
De Primo Remonſtrantium Articulo,
SIVE DE
DECRETO PRÆDESTINATIONIS.

Sententia Remonſtrantium.

I.

IN Prædeſtinationis definitione quatuor diſtincta ſunt, ex ordine conſequentia decreta. Epiſt. ad Wal. pag. 32. 33. &c.

Sententia Orthodoxa.

I.

DEcretum Electionis, ſuis quidem membris diſtinctum, numero tamen unicum eſt; complectens totum ordinem gratiæ & gloriæ: adeoque ipſas perſonas ſingulares, quas Deo viſum fuit eligere. Epheſ. 1. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 2. Theſſ. 2. 13. 14.

Proinde varia illa decretorum genera, & ordinem, quem Remonſtrantes in Decretis divinis ponunt, non agnoſcimus; ut quæ humanis tantum imaginationibus, non certis Scripturæ teſtimonijs innitantur.

Nobis quidem ſatis eſt, quo ordine, modo, & tempore Deus conſilium ſuum perficere voluerit, ab executione præſertim colligere. Sed quæ in mente divina antecellerint, quæ ſubſequunta ſint; periculoſum judicamus extra Scripturam conſequentijs humanis definire.

II.

Deum velle perſeverantes in fide ſervare; iram vero ſuper incredulis & impœnitentibus velle relinquere; eſt totum & integrum Decretum Prædeſtinationis.

II.

Deum velle perſeverantes in fide ſervare, eſt quidem concio Euangelica & Theſis univerſalis, quam quiſque ſibi debet applicare: ſed non eſt totum & integrum Decretum Prædeſtinationis, quod, præter alia, etiam ſingulares perſonas includit. Epheſ. 1. 4. 5. 2. Theſſ. 2. 13. Iohan. 13. 18. Et 15. 16. Et 17. 2. 6.

III.

Electio ad ſalutem, alia eſt peremtoria, completa, irrevocabilis: alia non peremtoria, incompleta, revocabilis.

III.

Electio ad ſalutem unica tantum eſt, *a* eaque certa & immutabilis, *b* à qua vere credentes dimoveri non poſſunt: *c* non variabilis, vel ab hominis actione ſuſpenſa, ſed firma, & quæ ſola Dei gratuita εὐδοκίᾳ *d* in Chriſto nititur.

a Rom. 8. 30. 33: Epheſ. 1. 4.
b Mal. 3. 6. Rom. 9. 6. Et 11. 29.
c Iohan. 6. 37. Et 10. 27. 28.
d Epheſ. 1. 6. Rom. 9. 11. 2. Tim. 1. 9.

IV.

Electio peremtoria est eorum credentium, qui totam consummatam fidei obedientiam præstiterunt, cursum absolverunt, & ad finem usque perseverarunt.

IV.

Electi peremptorie sunt omnes vere credentes, quos Deus gratiose & efficaciter vocavit, justificavit,& per Spiritum suum in diem redemtionis obsignavit, quosque seduci non permittit. *a* Unde etiamnum viventes & ante peractum vitæ cursum absolute & simpliciter Electi vocantur. *a* Rom. 8.30. 2. Thess. 2. 13. 14. Ephes. 4. 30. Matth. 24. 24.

b Luc. 18. 7. Ephes. 1. 4. Col. 3.12. 2. Tim. 2. 10.

V.

Electorum numerus augeri & minui potest.

V.

Cum Electio ad salutem certa sit & invariabilis, sequitur, ex electo neminem fieri posse reprobum, nec ex reprobo electum. *a* Ac proinde certum esse Electorum numerum, Deo notum, qui nec augeri, nec minui potest. Unde etiam de certitudine Electorum satis constat.

a 2. Tim. 2. 19. Et 4. 18. Iohan. 6. 37. Et 10. 27. 28. Rom. 8. 35.

VI.

Sensus, electionis ad salutem & peremtoriæ, nullus est, nec fructus ad salutem.

VI.

Fideles in hac vita de æterno Dei amore, suique electione, & de vita æterna, *a* ex fide fideique fructibus, atque interno Spiritus Sancti testimonio certi sunt. *b* Et ex huius rei scientia atque πληροφορίᾳ tum in vita, tum in morte, solidam & immotam consolationem animo percipiunt. *c*

a Gal. 2. 20. Rom. 8. 33. 1. Pet. 5. 1.

b 2. Tim. 1, 12. 2. Pet. 1. 10. Rom. 8. 16. Ephes. 4. 30. 2. Cor. 1. 22.

c Iob. 19. 25. 26. 2. Tim. 1. 12. & 4. 18. Rom. 8. 28. 33.

VII.

Electio singularium personarum est peremtoria, ex consideratione & præscientia fidei in Iesum Christum & perseverantiæ fidei: non autem citra considerationem fidei & perseverantiæ in vera fide, tanquam conditionis in eligendo prærequisitæ.

Ideo, quod alij efficaciter vocantur, iustificantur, in fide perseverant, glorificantur; causa non est, quod absolute ad vitam æternam sunt electi.

VII.

Causa electionis singularium personarum est sola misericordia, & amor, atque εὐδοκία voluntatis Dei, gratiaque, qua nos sibi acceptos facere voluit in dilecto Filio suo. Unde etiam Electio gratiæ vocatur; *a* eoque nomine absolutum decretum dici potest, quod ipsum tamen sine medijs perficere Deus nunquam voluit. *b*

a Rom. 9. 16. Ephes. 1. 5. 11. 2. Thess. 2. 13. Rom. 11. 5.

b Rom. 8. 30. Eph. 1. 8. 9. 2. Thes. 2. 14.

Porro Electiones Dei gratiosæ, nec ex vi ipsius vocis, nec ex usu Scripturæ, quidquam in eligendo prærequirunt; sed à sola Dei gratuita benevolentia fluunt. *a* Atque hoc eo magis in electione ad salutem valet, quia ipsa fides donum Dei est, *b* & gratiosæ vocationis effectum, quam non antecedere ipsam Electionem, sed consequi ex Scriptura constat.

a 1. Par. 28. 4. 5. 6. Deut. 18. 5. Gal. 1. 15. Act. 9. 15. Deut. 7. 7. Et 9. 4. 5. 6. 7. Rom. 11. 5.
b Phil. 1. 24.
c Eph. 1. 4. 8. 9. 13. 18. 19. 2. Thess. 2. 13. 14. 2. Tim. 1. 9. 10.

Hinc sequitur nec fidem, nec fidei perseverantiam, nec sanctitatem prærequisitam esse conditionem in eligendo, sed fructum potius & consequens æternæ electionis. a
a Act. 13. 48. Eph. 1. 4. 2. Thess. 2. 13.

Quod ergo Deus Pater Iesu Christi aliquos selectos ex corrupto genere humano efficaciter vocet, gratis justificet, dono perseverantiæ ornet, tandemque glorificet; solius εὐδοκίας & misericordiæ Dei circa personas singulares est beneficium a non tamen sine medijs sapienter & gratiose perficiendum;
a Rom. 9. 18. Eph. 1. 5. 2. Tim. 1. 9.

DE REPROBATIONE.

I.

Reprobatio facta est, secundum considerationem antecedaneæ infidelitatis & perseverantiæ in ea.

I.

Reprobatio, prout Electioni ad salutem opponitur, est Decretum Dei æternum, quo statuit ex genere humano lapso non eligere, sed in ruina & perditione, in quam se homines præcipitarunt, relinquere omnes illos, quos & quia sic ipsi visum fuit; a justissimo tamen judicio propter peccata & incredulitatem indurandos & damnandos, b ad demonstrationem potentiæ & iustitiæ Dei. c

II.

Reprobatio alia est definita, alia indefinita: alia completa, peremtoria; alia incompleta, non peremtoria.

II.

Atque hinc patet Reprobationis Decretum non esse multiplex; sed unicum, idemque immutabile.

III.

Quod alij in lapsu deserantur, aut non efficaciter vocentur, indurentur, damnentur; causa non est quod à salute æterna absolute sint reprobati.

III.

Nemo à gloria & salute æterna rejectus est, aut ad pœnam & damnationem ordinatus, nisi propter peccata: adeo, ut quicunque pereunt, propria sua culpa pereant. Itaque mera est calumnia & depravatio nostræ doctrinæ: quando fingitur nos docere, Deum sine respectu peccati, nudo & absoluto decreto, aliquos ad damnationem ordinasse.

Professorum Belgicorum
IVDICIVM,
De Secundo Remonstrantium Articulo:

NEMPE,

Utrum Christus pro omnibus & singulis hominibus sit mortuus.

1. FAtemur, meritum & valorem mortis & satisfactionis Christi, tantum, tantique pretij esse, tum propter eius perfectionem tum propter personæ ipsius infinitam dignitatem *a* ut non tantum sufficiat ad omnia hominum peccata, etiam maxima, *b* expianda, sed etiam ad omnes Adami posteros, quamvis multo plures essent, servandos modo id vera fide amplecterentur. *c.*

a *Act.* 20. 28. *Deus Ecclesiam acquisivit proprio suo sanguine.*

Heb. 9. 14. *Quanto magis sanguis Christi, qui* per Spiritum æternum se ipsum obtulit inculpatum Deo, *purgabit conscientiam nostram ab operibus mortuis?*

1. *Pet.* 1. 18. *Scientes quod non corruptilibus rebus auro & argento liberati estis, à vana conversatione vestra, à patribus vobis tradita,* sed pretioso sanguine, tanquam agni inculpati & immaculati, nempe Christi.

b 1. *Ioh.* 1. 7. *Sanguis Christi purgat nos ab omni peccato.*

c *Ioh.* 3. 16. *Ita Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum dederit,* ut omnis qui credit in ipsum, *non pereat, sed habeat vitam æternam.*

Rom. 3. 22. *Iustitia Dei revelata est* in omnes & super omnes qui credunt. *Non enim est distinctio, &c.*

1. Cor. 6. 11. *Et hæc quidem fuistis (nempe idololatræ, adulteri, fures, avari) sed loti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Iesu Christi, & per Spiritum Dei nostri.*

2. Non est etiam dubitandum, quin hæc fuerit Dei Patris, Filium suum tradentis, & Christi se ipsum offerentis, intentio; ut tale ac tantum λύτρον persolveret. Nam quidquid Christus per mortem suam egit, hoc ex intentione Patris & sua egit. *a*

a *Non quæro voluntatem meam, sed voluntatem Patris qui misit me, Ioh.* 5. 30.

Sicut præcepit mihi Pater, ita facio, Iohan. 14. 31.

3. Nec hoc ab Orthodoxis negatum est, quin populo Christiano & quibuscunque Euangelium prædicatur, λύτρον illud Christi, tanquam tale indiscriminatim sit annunciandum, & in nomine Christi offerendum, idque serio & ex consilio patris, *a* relictis interim Deo occultis suis judicijs, gratiam hanc dispensanti, & quousque ac quibuscunque vult, applicanti *b.*

a *Act.* 13. 38. 39. *Notum igitur sit vobis, viri fratres,* (Iudæis loquitur maxima ex parte postea incredulis) *quod per hunc,* (nempe Christum) *vobis annunciatur remissio peccatorum & ab omnibus à quibus non potuistis iustificari in lege Mosis, quicunque in illo crediderit, iustificabitur.*

2. Cor. 5. 20. *Pro Christo igitur legatione fungimur, tanquam Deo per nos adhortante, rogamus in Christi nomine, Reconciliamini Deo.*

b *Act.* 11. 20. 21. *Et erant quidam ex ipsis viri Cypry, & Euangelizantes Dominum Iesum. Et manus Domini erat cum ipsis, & magnus numerus credens, conversus est ad Dominum.*

1. *Cor.* 3;6. *Ego plantavi, Apollos rigavit, sed Deus dedit incrementum.*

Iohan. 3. 8. *Spiritus ubi vult, spirat.*

1. Cor. 12. *Nemo potest dicere Dominum Iesum, nisi per Spiritum Sanctum.*

4. Si vero finem proprium ac singularem & vim salvificam mortis Christi spectes, asserimus Iesum Christum ex consilio Patris & suo, non pro reprobis & perituris, sed tantum pro electis & credituris efficaciter esse mortuum, ut, nempe, Remissionem peccatorum, reconciliationem cum Deo, non solum merito suo ijs acquireret, sed etiam gratiam efficacem, per quam nobis, ea, reipsa conferret.

Quod

Digitized by Google

Quod multis argumentis perspicuis demonstrari potest, è quibus hæc pauca sufficient.

Argumentum 1. *Ex locis, in quibus mors Christi hoc pacto diserte restringitur.*

Matth. 1. *Vocabit nomen eius Iesum; ipse enim servabit populum suum à peccatis suis.*

*Ioh.*10. *Ego pono animam meam pro ovibus, nempe proprijs & meis, quemadmodum liquet ex comparatione, vers.* 11. 12. & 14.

Act. 20, 28. *ubi pastoribus Ephesinis commendat peculiariter curam* Ecclesiæ, quam Deus proprio suo sanguine acquisivit.

Ephes. 5. 25. *Mariti diligite uxores proprias, quemadmodum Christus dilexit Ecclesiam;* & tradidit semetipsum pro ea ut ipsam sanctificaret.

Apocalyps. 5. 8. 9. *Tu mactatus es* & emisti nos Deo per proprium sanguinem tuum; ex omni familia & lingua *& populo & gente, & fecisti nos Deo reges, &c.*

In quibus omnibus locis, etsi vox solus *non exstat, tamen rebus per verba significatis inclusa est, aut omnem efficaciam & argumentandi vim ex verbis illis tolli erit necesse.*

Nam si Christus est salvator omnium populorum ex æquo, frustra addidit Angelus populum suum. *Si Christus posuit animam suam æqualiter pro omnibus, frustra dixit Christus* pro ovibus proprijs. *Si Christus emit suo sanguine omnes & singulos homines, nullam vim argumenti habet, quod Paulus addit,* quam suo sanguine acquisivit, *quemadmodum* nec mariti magis suas quam alienas uxores diligere debebunt, *si Christus ex æquali amore se tradidit pro omnibus in mortem*, nec emptus dici potest ex omni populo, *si reliqui non minus quam ipsi sint empti, &c.*

Argumentum 2. *Pro quibus Christus efficaciter est mortuus, eorum loco tanquam sponsor est mortuus, id est,* sic pro ijs est mortuus, ut eos à reatu mortis liberet: *At reproborum loco tanquam sponsor non est mortuus; id est, pro his sic non est mortuus, ut eos à reatu mortis liberet. Ergo, &c.*

Minor certa est. Alias enim à Deo puniri illi iuste non possent, cum Deus unum peccatum punire bis non possit, semel in Christo, semel in ipsis pereuntibus, à quibus ad ultimum usque quadrantem debitum suum exigit. Matth. 5. 26. *Et* 18. 34.

Maior probatur ex vi vocis ἀντὶ ut Rom. 5. *vers.* 6. 7. 8. *& usitatissima significatione vocis ὑπὲρ, quibus in hoc negocio Scriptura utitur. Deinde ex locis sequentibus.*

Esai. 53. 5. *Vbi dicitur, morbos nostros pertulisse, dolores nostros bajulasse, castigationem pacis nostræ ei fuisse impositam, iniquitatem omnium nostrum in ipsum incurrisse, & se ipsum exposuisse sacrificium pro reatu nostrorum peccatorum, &c.*

Gal. 3. *Dicitur pro nobis factus esse maledictio.*

2. *Cor.* 5. 21. *Dicitur, pro nobis factus peccatum. vers.* 15. *Si unus pro omnibus mortuus est, sane & omnes illi mortui sunt.*

Quod etiam sacrificiorum typi demonstrant, & vox λύτρον καὶ ἀντίλυτρον, quibus Scriptura in hoc negotio utitur.

Argumentum 3. *Quibus promissiones Veteris Testamenti de Christo in mortem tradendo, & fructu ac beneficijs salutaribus per eum ad Ecclesiam reipsa redituris, sunt factæ, pro ijs solis efficaciter est mortuus. At solis electis hæ promissiones sunt factæ. Ergo &c.*

Minor ex professo probatur à Paulo Rom. 9. 7. 8. *nam soli filij promissiones censentur in semine, ad quos scilicet verbum illud de æterna hæreditatis possessione pertinet. Et cap.* 11. *Electi assecuti sunt (quod quærit Israel) reliqui occalluerunt.*

Argumentum 4. *Ex locis sequentibus, in quibus manifesto ad Electos & credentes mors Christi proprie restringitur.*

Iohan. 11. 51. *Prophetavit, quod Christus esset moriturus pro populo illo. Et non tantum pro populo illo, sed ut filios Dei dispersos in unum congregaret.*

Rom. 8. 32. *Qui proprio filio non pepercit, sed pro omnibus nobis tradidit illum, quomodo non cum illo omnia nobis gratificabitur? Non gratificatur omnia cum illo omnibus & singulis. Ergo nec pro ijs dedit filium suum.*

Item vers. 34. *Quis est qui condemnet? Christus est qui mortuus est, imo, & resurrexit. Ergo proprie pro non condemnandis est mortuus.*

Item Heb. 2. 10. *Decebat eum per quem sunt hæc omnia, &c. ut multos filios in gloriam adducendo, principem salutis ipsorum per afflictiones consecraret. Nam qui sanctificat & qui sanctificantur, ex uno sunt omnes. Quamobrem non pudet ipsum eos fratres appellare.*

Et vers. 13. *Ecce ego & pueri quos dedit mihi Deus.*

Quoniam igitur pueri illi sunt participes carnis & sanguinis, ipse etiam similiter eorum est

particeps factus, ut per mortem aboleret eum qui mortis habet imperium.

Ex quibus patet, singularem finem mortis Christi morientis fuisse, ut filios Dei & pueros ipsi à patre datos, morte sua liberaret.

Sic & Hebr. 9. 12. Christus per proprium sanguinem semel in sancta est ingressus, aeternam redemptionem nactus: In reprobis autem aeterna esse non potest.

Item vers. 15. Propterea Novi Testamenti mediator est, ut morte facta ad expiationem eorum, quae sub priore foedere erant, peccatorum, illi, qui vocati sunt, possessionem aeternae hereditatis acciperent. Ergo finis proprius mortis Christi fuit, ut vocati (scilicet efficaciter) eius fierent participes.

5. Argumentum. Ex locis multis, in quibus mors Christi cum ipsa redemptione necessario nexu coniungitur.

Heb. 9. 26. Manifestatus est per oblationem suam ad abolendum peccatum. Et vers. 28. Oblatus est ad tollenda multorum peccata. Item cap. 10. 10. Sanctificati sumus per oblationem corporis Christi. Et vers. 14. Una oblatione consummavit eos in perpetuum qui sanctificantur.

6. Argumentum. Ex locis, in quibus mors Christi & eius efficacia ad solos Novi Testamenti haeredes pertinere dicitur, quorum cordibus nova lex inscribitur, & quorum peccata remittuntur, ita ut non amplius in recordationem veniant.

Heb. 9. 15. Vocatur Mediator & sanctificator novi foederis: hocque morte sua confirmasse dicitur vers. 17. 18. Idem prolixe asserit cap. 10. vers. 15. & seqq. atque ideo poculum eucharisticum vocatur sanguis Novi Testamenti. Et Gal. 3. vers. 15. & 17. Promissiones foederis Abrahami factas, & semini eius, dicit esse per Christum confirmatas.

Argumentum 7. Ex locis, ubi Christus dicitur pro solis electis & credentibus intercedere.

Iohan. 17. Non oro pro mundo.

Heb. 9. 24. Christus in ipsum caelum intravit, ut compareat in conspectu Dei pro nobis.

1. Iohan. 2. Filioli mei, &c. habemus advocatum apud Patrem, & ipse est propitiatio pro nostris peccatis.

Argumentum 8. Denique quia reprobos nunquam novit, Matth. 7. & 25. eorum non miseretur, sed eos odio habet, Rom. 9. Omnes occallescunt. Rom. 11. Quae omnia, ut quam mollissime fieri potest explicentur, tamen demonstrant Christum proprie & ex amore summo, ac cum proposito certo salvandi, pro solis electis esse mortuum.

His ergo affirmatis & probatis, rejicimus sequentia Remonstrantium dogmata.

I.

Coll. Belg. p. 158. Bran. 186. Resp. ad VVal. p. 50. & 51.

Quod Christus ex aequo omnibus hominibus salutem impetravit, cum tamen multis hominum myriadibus mors Christi nec praedicetur nec innotescat.

II.

Gre. advers. Ames. p. 8. & 9. & 15. Coll. B. 118. Br. 139.

Quod Christus moriens nullam certas personas salvandi intentionem habuerit, sed fieri potuerit, ut peracta morte Christi, vel nullus servaretur vel omnes servarentur.

III.

Coll. B. 157. Br. 185. In Resp. ad Thes. & Antitheses Delph.

Quod Christus non sit loco vel vice electorum mortuus, sed tantum in eorum bonum.

IV.

Coll. p. 160. Br. 189. Resp. ad VVal. 50. 51.

Quod Christus non resurrexerit pro omnibus, pro quibus est mortuus: cum mors Christi nemini salutaris esse posset, nisi resurrectio eam esset secuta. Vide Rom. 4. 25. Rom. 8. 28. & 10. 9. Si confessus fueris ore tuo Dominum Iesum, & credideris in corde tuo, quod Deus eum ex morte suscitaverit, servaberis. 1. Cor. 15. 14. & 17. si Christus non resurrexit, vana est fides vestra, adhuc estis in peccatis vestris. Vide quoque Phil. 3. 18. & Col. 3. 1.

Rejicimus

Digitized by Google

V.

Rejicimus & hanc ipsorum sententiam, tanquam in Christi meritum, consolationem ac salutem fidelium, omnino injuriam, quod Christus non sit mortuus, quoad salutis impetrationem, pro peccatoribus insigni flagitio circumscriptis, aut pro fidelibus, aut fidelibus qua talibus, sed tantum, qua in communi lapsus & peccati sorte considerantur. quia flagitia insignia, & ipsa infidelitas, qua quidam etiam vere fideles ad tempus fuerunt circumscripti, non nisi morte Christi est expiata. 1. Corinth. 6. Quidam tales eratis, sed loti estis in nomine Iesu Christi. Item exemplo Pauli antea infidelis & persecutoris Euangelij. 1. Tim. 1. Et non tantum peccata fidem antecedentia, sed & subsequentia morte Christi sunt expiata: ipsæque fidei infirmitates & defectus non nisi morte Christi remittuntur, atque ipsa adeo fidelium bona opera non nisi in Christo placent: Hebr. 13. 1. Pet. 2. Denique fides in nobis per intercessionem Christi conservatur, quæ intercessio morti ipsius omnino nititur. Hebr. 9. & ipsa salus per obedientiam mortis ejus fidelibus est acquisita, ut scriptura sæpissime testatur.

Collat. 141. 1. & 147. v. 141. Respon. ad Wal. p. 49. & Greviu. 5. 46.

Temerarium etiam judicamus & profanũ, quod asserunt, quod Deus decreta jam morte Christi Mediatoris, potuerit etiam aliam quamvis conditionem præscribere (etiam ipsa opera legis) per quæ meriti mortis eius fieremus participes, quam fidem in ipsum: cum alia nulla conditio, aut nullum aliud medium ex immutabili & æterno Dei consilio nobis sit revelatum: & Euangelium, tanquam contraria in negotio justificationis, perpetuo inter se opponat fidem & opera, seu gratiam Christi & opera legis, omnisque gloriandi materia à novo fœdere abesse debeat. Ephes. 2. quæ à lege operum abesse non potest. Rom. 3. 27. & 4. 21.

Grevinc. p. 8. & 9. & 15. & 415.

Postremo hoc ipsorum dogma rejicimus, quod Christus cum morte sua & satisfactione non sit promissum Novi Testamenti, sed quod omnem N. Test. promissionem ac pactionem antecedat, & Patri tantum impetraverit potestatem seu voluntatem Novi fœderis condendi. Nam Christus vocatur sponsor & obsignator Novi Testamenti. Quod omnino novi fœderis antecedentis propositum, & pactionem arguit.

In Thesibus exhibitis de Art. 2. thes. 2.

Quin promissiones illæ de semine mulieris, contrituro caput serpentis, de semine Abrahami, de Silo, de filio Davidis, de puero nobis nascituro, filio nobis dando, vel ad nullum, vel ad novum fœdus pertinere dicendæ sunt.

Hoc est judicium SS. Theologiæ Professorum in Belgio fœderato, exhibitum D. Præsidi 13. Februarij, Anno 1619.

Franciscus Gomarus.
Iohan. Polyander.
Antonius Thysius.
Antonius VValæus.

Ego hoc Collegarum meorum Iudicium legi & approbo.

Lubbertus.

IVDICIVM

Deputatorum Synodi Geldricæ.

Articulus ſecundus Remonſtrantium.

PRoinde I. Chriſtum Servatorem mundi, pro omnibus & ſingulis hominibus mortuum eſſe, atque id ita quidem, ut omnibus per mortem crucis reconciliationem & remiſſionem peccatorum impetrarit: ea tamen conditione, ut nemo remiſſionis peccatorum re ipſa particeps fiat, niſi fidelis, & hoc quoque ſecundum illud Euangelij. Iohan. 3. 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut dederit filium ſuum unigenitum, ut quicumque in eum credit, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* & 1. Ioann. 2. verſ. 2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, & non ſolum pro noſtris, ſed pro totius mundi peccatis.*

Quod hic dicitur, *Chriſtum mortuum eſſe pro omnibus:* & *Neminem remiſſionis peccatorum re ipſa participem fieri niſi fideles*; (ſi de adultis ſermo eſt) id toto corde credimus: toties enim, & tam diſertis verbis Scriptura hoc inculcat, ut negare, vel in dubium vocare nemo, niſi aperte impius, poſſit.

Addimus & hoc: I. *Chriſtum pro omni ordine, conditione, & genere hominum mortuum eſſe.* II. *Vim & dignitatem Paſſionis Chriſti ſufficientem fuiſſe, in ſe, ad tollenda omnium & ſingulorum hominum peccata.*

Coll. Brand. p. 138. l. 28. Nuſquam Chriſtus dicitur mortuus pro *ſingulis.*

Illud autem, Chriſtum pro ſingulis hominibus mortuum eſſe, & ſingulis impetraſſe & obtinuiſſe crucis ſuæ morte reconciliationem & peccatorum remiſſionem, admittere non poſſumus, ut quod falſum eſſe, juſtitiæque divinæ contrarium, & ædificationi ac conſolationi laborantium Chriſtianorum non modo non utile, ſed & noxium judicamus. Rationes hæ ſunt:

1. Sacræ literæ tale nihil uſquam aſſerunt.

Quod attinet *Mundum*, & *Omnes*, pro quibus Chriſtus dicitur mortuus, & ſe redemtionis pretium dediſſe; Conſtat voces illas nunc communiter tantum, nunc generaliter ſumi; aliquando ſingula generum, ſæpe etiam ſingulorum genera duntaxat ſuo amplecti ambitu.

* De vocat. Gentium l. 1. c. 3. ubi hæc etiam Scripturæ loca, inter cætera, producit *Pſal. 14. 2, 3. & 145. 14. Eſa. 40. 4. & 43. 19, 20, 21. & 45. 23. & 66. 23. Ioel 2. 28. Ioan. 3. 31. & 12. 32. Corinth. 5. 17. Philip. 2. 21. Coloſſ. 1. 20. Hebr. 1. 2. &c.*

Iohann. 12. 31. Nunc damnatio *huius mundi* adeſt & verſ. 32. Omnes traham ad me ipſum.
Roman. 4. 13. Abrahæ promiſſio ceſſit ut eſſet hæres *mundi*. & cap. 11. 12. [Iudæorum] ruina eſt opulentia *mundi*.
2. Petr. 5. *Mundus improborum.*
1. Iohan. 5. 19. Scimus *mundum totum* in malo jacere.
Apoc. 12. 9. Satan ſeducit *totum terrarum orbem*. & cap. 13. verſ. 3. univerſa terra ſecuta eſt beſtiam.

* Sic alibi paſſim. Quis vero hæc *de omnibus & ſingulis interpretetur? Habet*, inquit, Proſper, *populus Dei plenitudinem ſuam: & quamvis magna pars hominum ſalvantis gratiam aut repellat aut negligat, in electis tamen & præſcitis, atque ab omni generalitate diſcretis, ſpecialis quædam cenſetur univerſitas: ut de toto mundo totus mundus liberatus, & de omnibus hominibus omnes homines videantur aſſumti.* & rurſus. *Cum de impijs ſermo eſt, ita locutionem ſuam divinus ſtilus ordinat, ut ea, quæ de quadam parte dicuntur, ad omnes homines pertinere videantur.*

† Nequidē dicitur mortuus *pro omnibus hominibus.*

† His accedit: quod nuſquam in Scripturis legitur, *Chriſtus eſt mortuus pro omnibus hominibus*, ſed tantum, *Pro omnibus*. At qui ſunt illi omnes? ſunt omnes oves, omnes filij Dei, omnes credentes, omnes Chriſto obedientes, omnes ſanctificati. Ita quidem nos interpretamur. Sed de hoc poſtea. Et ut vel maxime diceretur in Scripturis, *Chriſtus pro omnibus hominibus mortuus eſt*, non ideo tamen neceſſario quoque

diceretur

diceretur *mortuus pro omnibus & singulis.* 2. Corinth. 3. 2. Epistola nostra vos estis, inscripta in cordibus nostris, quæ intelligitur & legitur ab omnibus hominibus. Ergone ab omnibus & singulis? 1. Timoth. 2. 1. fiant preces pro omnibus hominibus. Etiam ne pro iis qui ad mortem peccant? ibid. vers. 4. Deus vult omnes homines servari, & ad agnitionem veritatis venire. Nunquid & illos quibus Spiritus prohibet veritatis verbum annuntiari? Res est manifesta. *1. Iohan.5.16.* *Actor.16.6.7.*

II. Quoscumque Deus ad salutem vocat morte Christi partam, pro iis Christus mortuus est. At Deus non vocat singulos homines ad salutem morte Christi partam. Ergo Christus pro singulis non est mortuus.

Major est Remonstrantium. Coll. Brand. p. 140. l. 20.

Minorem probat experientia. Nam Deus multis nunquam sinit prædicari verbum salutis. Quod eos attinet ad quos verbum salutis pervenit, vocari illi quidem dicuntur omnes, sed non omnes ad salutem vocantur. Nam Scriptura meminit vocationis ad lucem, id est, agnitionem veritatis; ad communionem Christi, id est fidem; & quibus dicitur Resipiscite, ij ad resipiscentiam vocantur. Quin & Christus, (à cujus tamen ceu Sacerdotis intercessione, & ceu Regis applicatione collationeque, tota pendet salutis ac mediorum ad salutem consequendam necessariorum dispensatio) nec intercedit pro omnibus vocatis cum intentione salvandi (ut dicunt advers. VValach. pag. 51. l. 1.) nec actu ipsis confert salutem, (ut res ipsa loquitur) ac proinde nec conferre vult, aut proposuit unquam. *1. Petr. 9.* *1. Corint. 1. 9.* *Marc. 1. 4.* *Luc. 24. 47.* *Actor. 2. 38.* Arm. contra Perk. p. 70. l. 8. Rem. in explicat. primi sui articuli p. 9. l. 1.

Quomodo autem ad salutem dici possint vocari, quibus filius Dei, id est ipse vocans, non intendit salutem, nos quidem non capimus. Et vero si hic, quod alias plus minus operose faciunt, distincte considerarent omnia Remonstrantes, ordinem scilicet quo salutem operatur Deus, objectorum juxta hunc ordinem & gratiæ incrementum diversitatem, terminum etiam à quo & ad quem singuli pro sui diversitate vocantur, nulli dubitamus, faterentur nobiscum ultro, finem proximum saltem vocationis cuiuslibet non esse salutem. Imo, cum nullus definite, sive, singulariter ad salutem vocetur ut finem, sed tantummodo ut præmium, quemadmodum & salutem nemini dare decrevit Deus nisi sub ratione præmij, Illud autem præmium solis fidelibus & in fide fideique obedientia perseverantibus propositum & promissum est, (nam hæc Remonstrant. est sententia) dicendum erit, vel solos fideles vocari hactenus, quod absurdum est, vel non omnes & singulos qui vocantur, ad salutem promiscue vocari. Sed de his ad primum Articulum nonnulla etiam monuimus. Vid. Explic. Artic. primi p. 6. initio.

III. Quibuscumque Deus jubet in Christum crucifixum credere, pro iis Christus mortuus est.

Singulis hominibus non jubet Deus credere in Christum crucifixum:

Ergo.

Major est Collat. Brand. pag. 140. l. 29. Explicat Artic. primi. pag. 4. Remonstrantium.

Minorem quod attinet, sic scribunt Remonstrantes, *Lex non lata aut non intellecta, cum intelligi non possit, non obligat: quomodo enim credent et de quo non audierunt.* Atque hinc probant, nomine *Infidelium*, quos objectum Reprobationis esse dicunt, non venire Indos, & alios iis similes. Legatur locus, & patebit cuivis, etiam ex Remonstrantium sententia non iuberi singulis ut in Christum credant. Sed nos & hoc addimus ad maiorem lucem:

> Quos solos ad se vocat Christus, ij soli ad Christum venire, id est in Christum credere jubentur. *Iohan. 7. 37.* *Matth. 11. 28.*
>
> Solos sitientes, laborantes, oneratos, cæcitatem, inopiam & nuditatem suam agnoscentes, ad se vocat Christus. *Apocal. 3. 18.*
>
> Ergo.

Cum autem singuli non sint nec fiant sitientes, laborantes, &c. neque singulis

gulis juberi dicendum eſt, ut ad Chriſtum veniant, id eſt in Chriſtum credant.

IV. Pro peccatis, quæ Deus non prævidit, cum decerneret Filium ſuum dare in mortem, Chriſtus dici non poteſt ex intentione Patris mortem obiiſſe.

Peccatum crucifixionis Chriſti, item infidelitatem poſitivam ſive inobedientiam, quæ ad tempus præſtatur Euangelio, adde & peccatum in Sp. Sanctum, non prævidit Deus, cum decerneret filium ſuum dare in mortem.

Ergo, Pro iis peccatis Chriſtus dici non poteſt ex intentione Patris mortem obijſſe: & per conſequens, Non eſt pro omnibus mortuus, nec impetravit reconciliationem & remiſſionem peccatorum omnibus & ſingulis hominibus.

Maior patet per ſe, & confirmatur ex ordine Decretorum quæ à Remonſtrantibus ponuntur.

Contr. Perk. p. 258. l. 12.

Minor probatur, primo ex confeſſione D. Arminij, Deus prævidit ab æterno hominum naturas & peccata. Hæc præviſio præcedit Decretum, quo ſtatuit Chriſtum dare Salvatorem mundo, Præviſio peccatorum, inquam, plerorumque. Peccatum enim crucifixionis Chriſti non prævidit, niſi poſt Decretum illud iam factum. Deinde quod peccatum infidelitatis & in Sp. Sanctum attinet, non potuit illud exiſtere. Ergo nec prævideri, niſi poſt tertium quod ſtatuunt Remonſtrantes Decretum, cum tamen iam ante alio decreto ſtatuiſſet Deus filium ſuum tradere in mortem. Hæc notiſſima ſunt.

Diſquiri poteſt, an ex ſententia Remonſtrantium Chriſtus pro alio peccato ſe Patri obtulerit, atque pro peccato primo, quod Adam admiſit & omnes homines in eo? Nos quidem hoc eos ſentire arbitramur.

Cont. VVal. p. 49. l. 12.

Hæc ipſorum verba ſunt: *Chriſtus pro Caino & Iuda qua talibus*, (2. Qua ille fratricida, hic proditor fuit; ut ex antecedentibus liquet) *aut, qua perituris, mortem non ſuſtinuit, uti nec pro Abele & Petro qua fidelibus, quoad ſalutis impetrationem, ſed indiſcriminatim pro* HIS ILLIS IN COMMVNI LAPSVS ET PECCATI SORTE *conſideratis*. Similiter D. Arminius: Chriſtus obtulit carnem pro cauſa & culpa communi, nempe pro peccato mundi: cuius reſpectu nulla eſt inter homines differentia. Vide & Grevinch. cont. Ameſ. pag. 46. 47.

Contr. Perk. pag. 74. l. 15.

Nos ergo ſic argumentamur:

Qui pro ſolo peccato primo mortem ſuſtinuit, utique non pro omnibus peccatis ſuſtinuit mortem.

Chriſtus pro ſolo peccato primo mortem ſuſtinuit. Ergo, &c.

Et per conſequens, Impetratio remiſſionis peccatorum non eſt univerſalis, ſaltem reſpectu reatuum. Unde plane concidit fundamentum ſolatii eius, quod afflictis ſuggerunt Remonſtrantes ex ſua ſententia. Sic enim jubent concludere:

Coll. Brand. p. 211. l. 8.

Chriſtus eſt propitiatio omnibus peccatoribus.
Ego ſum peccator, Ergo eſt & mihi propitiatio.

Imo vero, inquiet peccator, ut ut Chriſtus propitiatio eſt omnibus peccatoribus, non tamen eſt propitiatio pro omnibus peccatis. Et quomodo peccati illius ſperem à Dei miſericordia remiſſionem, pro quo juſtitiæ eius non eſt per mortem Chriſti perſolutum?

Coll. Brand. p. 172. l. 16.
Liquet hoc ex ordine decretorum quæ ponũt, adver. VVal. pag. 32. Grevinc. p. 8. l. antepenul. & p. 9. l. 6.

Ac ſane, ſi rem penitius introſpicimus, tantum abeſt ut omnium peccatorum remiſſionem impetrarit. Hoc enim tantum effecit, *ut Deus ſine iuſtitiæ ſuæ læſione homini peccatori gratiæ ſuæ januam aperuerit*. Quid vero hoc eſt? ut janua gratiæ divinæ nobis peccatoribus jam aperiatur? Prorſus non. Nam cum decerneret filium ſuum Deus in mortẽ tradere, nihil quicquã ſtatuerat de ſalvandis per eum hominibus ullis, in genere, aut in ſpecie, abſolute, aut conditionate: & peracta jam impetratione, liberrimũ adhuc erat Deo gratiæ applicationem velle vel non velle, & quidẽ ſub conditione quacumq; vellet. quid ergo? homini nihil: Deo hoc impetravit, ut velle nunc & efficere

Digitized by Google

efficere possit, quod ante ne velle quidem poterat. Præclara Redemtio! Sed hæc mittamus.

Si quidquam hominibus impetravit Christus sua morte, id erit restitutio universalis omnium & singulorum hominum in statum gratiæ & salutis. Negant se id sentire Remonstrantes. At viderint quam vere? Omnes & singulos enim tales nasci, ut si recens nati, vel etiam ante annos discretionis, id est, priusquam nova aliqua contumacia se æterna vita indignos reddant, moriantur, indubitato salventur, non negabunt. & quis salutem ulli unquam mortalium, qui in statu iræ esset, polliceri ausus fuit? huc spectant etiam illa: *Videtur statuendum, eum (Adamum) totius generis humani personam non minus in secundo, quam in primo pacto gessisse, utpote qui utrobique stirps generis humani fuerit. Et, Peccatum originis non facere reum mortis æternæ: neque esse damnationis causam, nisi nova contumacia accesserit. Et, Deum fœdus gratiæ ad salutem cum omnibus & singulis hominibus post lapsum pepigisse.*

Coll. Br. pa. 170. & 171. & 200. Armin. resp. ad 31. Artic. pag. 117. Ioh. Corvin. contr. Til. p. 230. l. 25. ibid. pag. 388. l. 21. Cont. VVal. pag. 36. l. 22. &c. Geldri Remonstr. in Synodo Arnhemien.

V. Si Christus moriendo promeritus est hominibus gratiam & gloriam, tum aut fides, ipsumque posse & velle credere, non est gratia, aut est eam omnibus & singulis meritus, aut non est pro omnibus & singulis mortuus.

Atqui moriendo promeritus est Christus hominibus gratiam & gloriam; & fides, ipsumque & velle credere, est gratia; & omnibus singulisque eam non est meritus; (nam omnes non credunt, neque possunt aut volunt credere: quod tamen tam deberet fieri, atque illud, quod fideles salutem obtinent, quia fidelibus salutem promeritus est Christus.) Ergo omnibus & singulis non est mortuus.

VI. Pro quorum peccatis semel justitiæ Dei plenissime à Mediatore satisfactum est, iidem ob eadem peccata à Dei justitia conveniri, & ad ulteriorem satisfactionem constringi non possunt.

Multi homines à justitia Dei conveniuntur, & ad satisfactionem constringuntur, dum in ignem & pœnas æternas præcipitantur.

Ergo, pro multorum hominum peccatis iustitiæ Dei à Mediatore non est plenissime satisfactum.

Maior per se vera est & à Remonstrantibus Geldris admittitur. Minorem confirmat tota Scriptura.

Neque hic quicquam iuvat distinctio illa inter impetrationem & applicationem: nam ut verum est, non applicari nisi fidelibus satisfactionem Christi; ita quoque & hoc verissimum ex Sententia Remonstrantium est, persoluisse & satisfecisse Christum Patri pro omnibus & Singulis; quam solutionem si accepit Pater, exigere novam iure nullo potest, sive applicetur, sive non applicetur: Nam non-applicatio facit quidem ut homini non prosit impetratio, sed non facit ut Deo non sit facta solutio.

VII. Pro quibuscumque Christus est mortuus, eorumdem est quoque Mediator.

Sed singulorum Mediator non est.

Ergo, Pro singulis mortuus non est.

Major est manifesta.

Minor probatur. *Christus enim dicitur Mediator merito & efficacia applicationis: meritum acquisivit sacrificio; pro applicatione intercedit: utrumque facit ut Sacerdos. At eandem applicationem actu peragit ut Rex & caput Ecclesiæ suæ.* Atqui Christus non intercedit, ut applicetur singulis suum meritum, ut supra probavimus; multo minus, ut applicationem in omnibus actu peragat; quod quidem experientia testatur. Unde non nisi dimidius Mediator, ac ne dimidius quidem omnium erit Christus.

Armin. cont. Perk. pa. 70. l. 8.

Rursus,

Idem Decl. sent. pag. 47. l. 1.

Rursus, *Primum & absolutum Dei Decretum de homine peccatore servando, est, quo decrevit filium suum Iesum Christum ponere in Mediatorem, Redemtorem, Salvatorem, Sacerdotem, & Regem; qui peccatum morte sua aboleat, amissam salutem obedientia sua impetret, & virtute sua communicet.* Certe omnibus & singulis bona hæc non communicat Christus; quod notius est quam ut probari debeat. Quomodo ergo, si Mediatoris fuit ista communicare, omnium & singulorum hominum Mediator erit Christus? Scimus quidem qua ratione dispartiantur Mediatoris officia: Sed & improbamus hoc factum eorum. Cum primum conderet Decretum Deus, nulla erat fidelis, credituri vel non credituri, facta discretio: ne quidem constituta ad huc fides erat conditio, sub qua vel per quam salvare vellet homines Deus: qui potuit igitur Christus eodem illo Decreto ordinari Mediator, diversimode juxta diversitatem hominum, quum tunc eadem & plane uniformis omnium omnino esset ratio, nec de futura & possibili ulla diversitate quicquam statutum Deo? An dicent Remonstrantes, positum esse Christum Mediatorem & Sacerdotem omnibus & singulis redimendis, morte sua, solis autem fidelibus actu & per communicationem meritorum suorum servandis, idque eo Decreto, quod cum conderetur non tantum non erant fideles, quia scilicet aliam conditionem eligere potuisset Deus quam fidem? Nugæ.

Aut ad omnia Mediatoris Officia ordinatus est Christus primo illo Decreto, atque ita æqualiter sive adæquate omnium & singulorum erit Mediator, sine ullo Discrimine fidelium vel infidelium: aut si hoc negant Remonstrantes, doceant quo succedaneo Decreto isthæc, quam prætendunt, facta sit discretio. Nullum proferent. Ideoque singulorum esse Mediatorem Christum negamus.

Cont. VVal. p. 51. l. 1. Coll. Brand. p. 189. l. 1.

Denique, *Christus non est suscitatus pro omnibus & singulis.* Et tamen resurrectione sua ostendit se Christus verum esse Mediatorem; ut qui non luere tantum, subeundo mortem, sed & solvere pro nobis potuerit, ex carcere & imperio mortis, quæ peccati stipendium est, gloriose eluctando.

Propter quorum offensas mortuus est Christus, propter eorundem justificationem excitatus est.

Hoc liquet ex Apostolo, Rom. 4. 15.

Propter singulorum justificationem non est excitatus Christus.

Ergo, Propter singulorum offensas, mortuus non est Christus; & per consequens, Christus non est Mediator singulorum: ne quidem quo ad impetrationem reconciliationis: ea enim obtineri non potuit nisi prius justitiæ Dei esset satisfactum per mortem Mediatoris; Neque prius illi satisfactum fuit, quam è morte emersisset ipse.

Armin. cont. Perk. p. 184. l. ult.

Huc accedit, *Quod, electi sumus in Christo mortuo, suscitato, gratiamque & gloriam promerito. Et quod fidei, quæ eligitur, objectum est Christus Sacerdos et Rex.*

Ut ergo (secundum Remonstrantes) Christus mortuus & suscitatus fundamentum est Electionis, & fidei, cujus in Electione habetur ratio, objectum; ita sane subjectum prædicationis esse Christus mortuus & suscitatus debet: Et quidem ideo magis, quod secundo Decreto jam fides in Christum (utique mortuum & suscitatum) constituta erat conditio, per quam salus obtineri possit: ut hunc omnino putemus esse debere ordinem; Primo Decreto, substernitur Christus ceu fundamentum Electionis & salutis: Secundo ordinatur fides in Christum, medium & conditio Electionis & salutis. Tertio Media discernuntur ad generandam fidem; quæ utique sunt verbum & Spiritus; & quidem verbum reconciliationis; quo Christus mortuus, suscitatus, glorificatus, omnibus & singulis credendus proponitur. Quarto demum salus fidelibus assignatur.

Primum Decretum fundamentum est cæterorum: & Christus primo Decreto ordinatus,

ordinatus, eadem ratione & respectu, id est, *prorsus talis*, objectum fidei constituitur & fit, quin etiam *talis prorsus* per prædicationem offertur credendus, *qualis* eo decreto primo ordinatus est. Si ergo Christus non est suscitatus pro omnibus, uti quidem Remonstrantes dicunt, tum fieri non potest, ut omnibus per Verbum talis proponatur, id est, ut jubeantur omnes credere in Christum suscitatum: (alioquin jubeantur credere quod falsum est) & quod credere non jubemur, id objectum fidei nostræ esse non debet, aut potest: neque etiam constitutum à Deo esse, ut actu ipso in gratiam recipiat & salute donet quotquot in Iesum Christum suscitatum à mortuis essent credituri, dici jam amplius potest. Vide Actor. 2.36. & c.17. 3.

Breviter: *Quartum decretum præsupposita fidei & infidelitatis præscientia, sub secundo tanquam singulare sub suo universali subsumitur, & ex eodem consequentiæ necessitate infallibili deducitur.* Hoc nimirum modo: Quicunque in Iesum Christum mortuum & suscitatum Sacerdotem & Regem credent & toti recumbent, eos servabo. Hi & illi credunt in Christum mortuum suscitatum &c. Ergo. *Secundum autem decretum exigebat præcedens illud*, quod est primum. Itaque primo decreto Christus positus est in Mediatorem, qui moreretur, resurgeret, Sacerdos & Rex esset: & quidem indiscriminatim omnibus & singulis hominibus. Nam nondum discretio facta erat Remonstrantibus. Addunt de secundo Decreto, *quod sequenti*, id est, tertio, necessitatem dederit. Est autem tertium de collatione mediorum ad fidem & resipiscentiam necessariorum: inter quæ media verbum Reconciliationis venit imprimis. Ergo necesse jam fuit, ut Deus fineret omnibus & singulis hominibus annunciari, Iesum Christum pro ipsis esse mortuum, resuscitatum, datum & positum in Sacerdotem, & Regem, ut hoc credentes, & in Regem istum ac Sacerdotem toti recumbentes, salvi fiant. Si hæc vera esse Remonstrantes agnoscunt, falsum igitur illud, quod Christus pro solis fidelibus resurrexit. Si pro solis fidelibus resurrexisse Christum pergunt dicere, (& sane pergent, quamdiu secundo suo Articulo non renunciant) falsum igitur, quicquid de Electionis ordine statuunt: & sic primum ac potissimum, imo vero & unicum, quod habent & ponunt sententiæ suæ de II. hoc Artic corruet fundamentum: Quin & Argumentum illud, quod ex 2. Cor. 5. 15. deducunt, sponte sua concidet. Sic ratiocinantur: Cötra VValach. p. 33. l. 17. Cötra VValach. p. 33. l. 3. Ibidem. Collat. Bc. p. 139. l. 14. Ibid. p. 140. l. 14.

Qui debent Christo vivere, pro iis ille mortuus est:
At non soli debent Christo vivere. Ergo
Ille non est pro illis solis mortuus.

Cum sic potius dicere debuissent: Pro quibus Christus mortuus & excitatus est, illi debent Christo vivere.

Pro solis fidelibus Christus mortuus & excitatus est.
Ergo soli fideles debent Christo vivere.

Deinde & sic:

Quicunque debent Christo vivere, pro iis ille mortuus & excitatus est.
Soli fideles debent Christo vivere: Ergo
Pro solis fidelibus Christus mortuus & excitatus est.

Atque hæc hactenus. Ex quibus omnibus liquere posse credimus, sententiam Remonstrantium de secundo Articulo esse falsam, pietati noxiam, Dei justitiæ injuriam, ac talem quæ paradoxis salutis nostræ, mediorumq; salutarium dispensationem penitus subvertentibus, idcoque ex Ecclesia Christiana exterminandis, quanta quanta est, superstruitur simul & substernitur. Nostram de eodem articulo, quam verbo Dei consentaneam, Deo minime injuriam, solandis conscientiis afflictis utilissimam esse judicamus, sententiam ita paucis explicamus.

Deus 1) filium suum unigenitum Iesum Christum, juxta æternũ & immutabile suum 2) consilium in mortem 3) crucis ignominiosissimã tradidit, ut vice & loco 4) omnium & singulorum hominũ, quorum ex mera gratia misereri voluit Deus, Patris sui 5) justitiæ plenissime satisfaceret, iisque impetraret, & mox etiam applicaret 6) reconciliationem cum Deo, remissionem peccatorum, & vitam æternam: Adeo ut Deus propter perfectissimã Christi satisfactionem, à 7) nemine eorum, pro quibus Christus semel perfecte satisfecit, ullam satisfactionem pro peccatis ipsorum deposcere queat: unde vere 8) resipiscẽtes, cujuscumq; sint ordinis aut nationis, peccati onere defatigati, & gratiã Dei sitientes, certo possunt, & debent credere Christum

pro se esse mortuum, cum super 9) impœnitentes ira Dei maneat quousque ipsi tales manserint.

1.) Ioan. 3. 16. *Ita Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum dederit.* Deus dedit nobis hunc Mediatorem & sponsorem, non ipsi eum nobis delegimus. Atque ideo remissio peccatorum gratuita, quæ nobis fit, constare potest cum plenaria satisfactione justitiæ divinæ.

2) Actor. 2. 23. *Hunc* [Christum] *definito consilio & providentia Dei deditum quum accepissetis, manibus sceleratis cruci affixum interemistis:*

Eph. 2. 3. Ioban. 3. 36.

Ex consilio itaque Patris mortuus est Christus: quod cum sit semper sapientissimum, fieri non posse credimus ut fallatur: Ac proinde cum omnes nascamur filii iræ, multi etiam moriantur qui in gratiam cum Deo non redeunt, utpote super quos ira Dei manet, non fuit sane consilium Dei, tradere Filium in mortem, ut omnes homines reconcilientur, & in gratiam recipiantur.

3) Philip. 2. 8. *Factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.*

Galat. 3. 13. *Christus nos redemit ab execratione legis, dum pro nobis factus est execratio: scriptum enim est, execrabilis quisquis pendet in ligno.*

Ergo pœnas temporales & æternas, debitas peccato non tantum primo, sed & omnibus quæ quotidie admittimus, tulit & sustulit Christus.

4) Matth. 20. 28. *Filius hominis venit, ut det animam suam in redemtionis pretium pro multis.*

& c. 26. 28. *Hoc est sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum.* Sic Hebræo. 9. 28.

Iohan. 10. 15. *Animam meam depono pro ovibus.*

& c. 11. 51. *Prophetavit fore, ut Iesus pro gente moreretur.*

52. *Nec tantum pro ea gente, sed ut etiam filios Dei dispersos cogeret in unum.*

Actor. 20. 28. *Ecclesiam proprio illo sanguine acquisivit.*

Ephes. 5. 25. *Christus dilexit ecclesiam, & semetipsum exposuit pro ea.*

Apoc. 5. 9. *Ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione.*

& c. 14. 3. *Neque quisquam poterat discere canticum illud, nisi illa centum quadraginta quatuor millia, ij videlicet, qui emti sunt è terra.*

& versu 4. *Hi emti sunt ex hominibus, primitiæ Deo & Agno.*

Non est ergo mortuus Christus pro omnibus & singulis hominibus, sed pro multis hominibus, id est, pro omnibus & singulis electis, pro iis quorum misereri voluit Deus, (*nam gratiosus miserendi in Deo affectus mediatorem Christum ordinavit*) pro omnibus & singulis ovibus, filiis Dei; pro ecclesia sua, quam dilexit prius, quam se pro ea exposuit; quam & fuisse prius dicimus, quam diligi potuit; non quidem vocata fuit, vel considerata ut vocata, jam tum cum eam diligeret prius, & ipse ordinaretur redemtor eius, sed fuit electa ut daretur Christo redimenda, colligenda, conservanda, & salvanda tandem:

Cont. VValach. p. 32. l. 20. Armin. cōtr. Perk. p. 76. l. 9.

[Non credimus Christum mortuum esse pro iis, quorum Deus misereri noluit, pro hircis, pro filiis diaboli, pro synagoga mundi, pro iis qui non veniunt ad Filium, nam illi tales, non sunt ipsi à Patre dati.]

Iohan. 6. 37.

Sic autem mortuus est pro omnibus electis Christus, ut non ipsorum tantum bono, sed & loco ipsorum sit mortuus. Nam emit eos, redemit, & se pretium redemtionis dedit: *Pertulit morbos nostros, & dolores ipsos nostros bajulavit: dolore afficitur ex defectionibus nostris, atteritur ex iniquitatibus nostris, castigatio pacis nostræ ipsi imponitur, & livore eius fit curatio nostra, omnes nos ut oves erravimus, quisque in viam suam nos convertimus, & Iehova facit, ut incurrat in eum pœna omnium nostrum.*

Matth. 20. 28. ἀντὶ πολλῶν. Iohan. 10. 15. ὑπὲρ τῶν προβάτων. 1. Corin. 8. 11. δι' ἀδελφόν.

Et hæc putamus satis esse manifesta. objiciunt tamen Remonstrantes, per multos nonnunquam intelligi omnes & singulos. ut Daniel. 12. 2. Rom. 5. 19. Respondeo: Multitudinem etiam esse universalitatem quandam, nunquam tamen per *Multos* intelligi posse aut debere, omnes & singulos, nisi quod nunc de multis dicitur, alias de omnibus & singulis dicatur. Neque dabitur vel una ἔνστασις in contrarium. Itaque Daniel 12. 2. *Multi resurgent*, id est, omnes & singuli, quia hoc Scriptura alibi testatur. Ioh. 5. 28. 2. Corinth. 5. 10. & passim quanquam eo loco vox Multi, ad subjectum non videatur referenda, sed ad prædicatum: ut verum quidem

Rom. 5. 6. 7. idē ergo est, *vice alicuius, pro aliquo, propter aliquem,* si de persona sermo fit. Esai. 53. 4, 5, 6

sit omnes

ſe omnes qui in pulvere dormiunt, reſurrecturos, attamen non omnes homines reſurrecturos, quia non omnes in pulvere dormient. 1. Corinth. 15. 51. Similiter Roman. 5. 19. *Multi peccatores*, id eſt, omnes & ſinguli, quia hoc alibi dicitur, Roman. 3. 9, 10. & cum eod. verſu 19. additur, *Multi juſtificabuntur:* an *multi*, id eſt, omnes & ſinguli? Quod autem rem præſentem attinet, nullibi Scriptura dicit, *Chriſtum mortuum eſſe pro omnibus hominibus*: tantum abeſt ut dicat *mortuum eſſe pro ſingulis hominibus.* Objiciunt ſecundo: Collat. Br.

Quoſdam emptos eſſe à Domino qui tamen pereunt, vel perdi poſſunt. p. 139. l. 28. 2. Petr. 2 1. Roman. 14. 15. 1. Corinth. 8. 12. Reſpondeo: Apud Petrum mentio non fit Chriſti, nec ſanguinis eius, aut cuiuſdam pretij, nec dicitur unde emti ſint. & certum eſt voce emere, ſive *Iada* ſignificari quamlibet *liberationem:* vid. Deuteronom. 7. 8. & c 15. 15. Ierem. 15. 21. 1. Samuel. 15. 46. 2. Samuel. 4. 9. & c. 7. 23. ac paſſim alibi. Liberati ergo erant ab idolatria, &c. verſ. 20. 21. 22. non liberati erant à poteſtate diaboli, non reconciliati Deo per ſanguinem Chriſti.

Apud Paulum locis citatis *perire* vel *perdere*, non ſignificat exitium æternum, ſed ſcandalum, derivationem à recto, contriſtationem, &c. Vide Matth. 10. 6. Luc. 15. 4. 6. & 19. 10. & alibi paſſim. Sed neque dicitur à Paulo, *quempiam periiſſe*, imo ne quidem monetur quiſquam *ne pereat*, ſed monentur alij, *ne perdant* fratrem. id eſt, ne cauſam vel occaſionem dent, unde quis pereat, id eſt, offendatur. Sunt offendicula cauſæ peccatorum nonnunquam, & per conſequens exitij; ſed non tamen peccant omnes ideo. multo minus ut pereant, quibus offendicula ponuntur. vide 2. Timoth. 2. 18. 19. 1. Corinth. 11. 19. Matth. 24. 24.

5) Roman. 8. 3. *Quæ legis erat impotentia, Deus ſuo ipſius Filio miſſo pro peccato, condemnavit peccatum in carne:*
4. *ut jus illud legis compleatur in nobis.*
& c. 3. 25. *Quem* [*Chriſtum*] *propoſuit Deus, ut eſſet placamentum per fidem in ſanguine eius, ad declarandam juſtitiam ſuam.*
& c. 8. 32. *Qui proprio Filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit eum.*

Tradidit Filium ſuum Deus ex amore juſtitiæ; *tradidit pro nobis* ex amore miſericordiæ.

6) 2. Corinth. 5. 19. *Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi, non imputando eis peccata ipſorum.*
Hebræ. 2. 14. *ut aboleret per mortem eum qui mortis imperium habet*, hoc eſt, *diabolum.*
15. *Et liberos redderet quotquot metu mortis per omnem vitam obnoxij erant ſervituti.*
Iohan. 10. 28. *Ego vitam æternam do ijs.*
1. Corinth. 1. 30. *Chriſtus factus eſt nobis à Deo ſapientia, juſtitiaque & ſanctificatio & redemtio.*
Hebræor. 9. 26. *Ad abolendum peccatum per immolationem ſui ipſius patefactus eſt Chriſtus.*
2. Corinth. 5. 21. *Fecit ut qui non novit peccatum, pro nobis peccatum eſſet, ut nos efficeremur juſtitia Dei in eo.*

Nuſquam legimus aliud Chriſtum nobis ſua morte commeritum quam redemtionem, peccatorum remiſſionem, & vitam æternam. Cætera omnia bona ſalutaria, non tam (proprie loquendo) ex morte Chriſti, quam ex benevolo Patris affectu credimus prodire: niſi quod nullis ea conferri poſſint aut conferantur quam quibus Pater reconciliatus eſt. Vnde etiam ſtatuimus, iis, quorum miſereri noluit Pater, quos Chriſto non dedit, id eſt, non electis ſive reprobis, nulla prorſus contingere, quæ quidem ipſis ſalutaria ſint, & qualia filiis ſuis abunde largitur beneficia. Quin imo, & omnibus ea beneficia conferri, qui reconciliati ſunt: ut omnino nobis applicatio & impetratio (quas vocant) æque late ſeſe extendant.

7) Roman. 8. 33. *Quis intentabit crimina adversus electos Dei? Deus is est, qui justificat.*

34. *Quis est qui condemnet? Christus is est qui mortuus est, imo vero qui etiam excitatus est.*

38, 39. *Mihi persuasum est, neque mortem &c. posse nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu.*

Docet idipsum natura & ratio justitiæ. Atque hîc vellemus se explicare Remonstrantes, an putent Christum morte sua reconciliasse Patri & satisfecisse eiusdem justitiæ, eos, & pro iis, qui æterni ignis pœnam sustinebant, atque ita ipsi satisfaciebant Dei justitiæ tum, cum Christus moreretur. *Iudæ versu 7.*

8) Actor. 3. 19. *Resipiscite & convertimini, ut deleantur peccata vestra, postquam venerint tempora refrigerationis à conspectu Domini:*

20. *Et miserit prænuntiatum vobis Iesum Christum.*

1. Timoth. 2. 6. *Qui semetipsum dedit redemtionis pretium pro quibusvis.*

Matth. 11. 28. *Venite ad me omnes qui fatigati estis & onerati, & ego faciam ut requiescatis.*

Ioh. 7. 37. *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat.*

Galat. 2. 10. *Vitam quam nunc vivo in carne, vivo per fidem filij Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.*

Vide etiam Luc. 24. 47. Apoc 3:18. Actor. 19. 4.

Hinc non omnibus promiscue hominibus mandamus, ut in Christum credant: etsi tamen & hoc omnibus inculcamus ipsos ad vitam æternam non posse ingredi, neque à peccatis, ira Dei, & damnatione liberari, nisi per Christum.

Non permittimus interea quenquam dubitare, an in Christum debeat & possit credere, an Christus pro se mortuus sit. omnibus enim & singulis vere pœnitentibus mandatum dicimus ut ad Christum veniant, id est, in eum credant, ac promittimus ipsis certam quietem, levamen, peccatorum remissionem, omnemq; cœlestis Patris benivolentiam. Non dicimus Christum reconciliabilitatem quandam morte sua impetrasse, sed reconciliationem: Non possibilitatem remittendi peccata, sed remissionem peccatorum: non omnibus hominibus adæquate è quorum numero multi pereunt, etiam [juxta Remonstrantes] postquam semel crediderunt, sed iis, quorum misereri voluit [ut sane jam misertus est omnium illorum *quibus dedit*, ut resipiscentes veritatem agnoscant] quos, postquam ad Christum venerunt, non tantum non ejicit foras, sed custodit etiam, ne ex manu ejus rapiantur, imo dat iis vitam æternam. *2. Tim. 2. 25. Ioh. 6. 37, 39. & c. 10. 28.*

9) Ioh. 3. 36. *Qui non obtemperat filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.*

Obtemperare filio, non est, credere tantum in filium, sed etiam resipiscere: Vtrumque enim mandat filius. Et hoc prius quam illud. Hoc omnibus & singulis (nam omnes & singuli sunt rei violatæ legis) illud nō nisi iis qui prius præstiterint. Et hactenus quidem Euangelium dici potest omnibus & singulis iis annunciari quibus verbum prædicatur. Nam lex non jubet pœnitentiam; etsi legis prædicatio horsum faciat, ut de peccatis suis & ira Dei contra se convictus homo, possit & velit resipiscere. Inproprie tamen doctrina de resipiscentia vocatur Euangelium: cum neque totum illa sit Euangelium, neque & pars etiam eorum quæ fidei objiciuntur, quæ proprie Euangelio continentur. Nihilominus gratiæ alicuius est, vocari ad resipiscentiam: sed non est gratia Euangelica. Nam hæc in solo Christo, & propter solum Christum offertur, cum intentione semper salutis æternæ: illa autem, cum intentione salutis æternæ non præscribitur semper (ut Articulo primo probavimus) ideoque nec absolute pro fundamento habet Christum. Hinc perperam dicitur, gratiam Euangelij esse universalem, id est, beneficia morte Christi parta, omnibus & singulis quibus prædicatur, offerri.

Hæc fratrum Geldrorum de hoc Articulo est sententia, salvis aliorum melius sentientium judicijs.

Iudicium

Iudicium

DEPVTATORVM SYNODI AVSTRALIS HOLLANDIÆ,

De Secundo Articulo,

Qui eſt,

DE REDEMPTIONE.

Quam Remonſtrantes vocant univerſalitatem acquiſitæ reconciliationis, per mortem Chriſti.

Deputati Synodi Auſtralis Hollandiæ omnibus in timore Domini, ad normam Verbi Divini, diligenter & accurate expenſis, ſtatuunt.

I.

DEum, uti ab æterno decrevit, non omnes homines, ſed certos quoſdam ex genere humano ſelectos, ad laudem glorioſæ ſuæ gratiæ ſervare, ita etiam ſimul ſtatuiſſe, ut ſatisfactio, & meritum obedientiæ & mortis Chriſti, quod in ſe quidem ſufficeret omnibus & ſingulis hominibus redimendis, ſit medium ſubordinatum & proprium, quo expiatis peccatis *a* illorum, qui ſibi à Patre *b* dati ſunt, efficaciter & infallibiliter *c*, Electi ad ſalutem æternam, tanquam ad finem abſolute à Deo intentum perducerentur.

a. Eſai. 53. 11. *In ſcientia ſua, juſtificabit ipſe juſtus ſervus meus multos, & iniquitates illorum ipſe portabit.*
Dan. 9. 27. *Confirmabit pactum multis.*
Iohan.10. 15. *Vitam pono pro ovibus meis.*
Matth.1. 21. *Salvum faciet populum ſuum à peccatis eorum.*
Actor. 20. 28. Matth.20.28. & 26. 28.
Ebr.9. 28. Rom.8. 32. Epheſ.5. 25. 2. Corinth.5.14. & 21.
b. Ioh. 1.6. *Patefeci nomen tuum hominibus, quos dediſti mihi è mundo, tui erant & mihi eos dediſti.*
Et verſu 9. *Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo, ſed pro his, quos dediſti mihi.*
Et verſu 19. *Pro eis ſanctifico me ipſum ego, ut ſint & ipſi ſanctificati in veritate.*
c. Ioh. 10. 28. *Et ego vitam æternam do eis, neque rapiet eas quiſquam è manu mea. Pater meus, qui eas dedit mihi, maior omnibus eſt. neque quiſquam poteſt illas rapere è manu Patris mei.*
Ioh.17.24. *Pater, quos dediſti mihi, velim, ut ubi ſum ego, & illi ſint mecum, ut conſpiciant gloriam illam, quam dediſti mihi.*
Eph.5. 23. *Vir caput eſt uxoris, ut & Chriſtus caput eſt Eccleſiæ, & is eſt, qui ſalutem dat corpori.*

II.

Et quia media ſapienter deſtinata, finem adæquatum non excedunt. Statuunt:

Satisfactionem & meritum Christi, seu pretium redemtionis, quod Christus passione & morte sua Deo Patri persolvit, non esse efficax, sive ad impetrandum, sive ad applicandum finem illum adæquatum, nisi in solis Electiis.

III.

STATVVNT PRÆTEREA.

Sapientem Deum, Filium suum, ea intentione in mortem non tradidisse, ut per eam, remissionem peccatorum & reconciliationem acquireret etiam iis, quos æterno consilio suo non elegit, sed præteriit, sibique reliquit, ac juste propter peccata damnare decrevit.

Proinde reijciunt sequentia:

I.

Omnes & singulos homines, credentes & incredulos in gratiam receptos, salutemque re ipsa in Christo consecutos esse, sed alios in salute accepta manere credendo, alios ea denuo non credendo privari.

Huberus in compendio Thesium suarum & passim.

II.

Omnes & singulos homines, beneficio & gratia universali summi Patris, per Christum servatos esse, nullumque in æternum perire, nisi qui sua perpetua ingratitudine malitiaque, in hac vita pœnas æternas sibi paret; sed communi ratione singulos collustrari, fidemque in Deum, naturalem, & omnibus inditam ac innatam esse.

Franciscus Puccius Fedelinus, libro de Christi Servatoris efficacitate, Goudæ excuso.

III.

Pretium Redemptionis, quod Christus Deo Patri suo obtulit, non tantum in se & per se, toti generi humano redimendo sufficiens esse, sed etiam pro omnibus & singulis hominibus, ex decreto, voluntate & gratia Patris persolutum esse.

Remonstrant. in Thesib. suis Synodo exhibitis, thes. 2. de 2. Articulo.

IV.

Christum indiscriminatim, quoad salutis impetrationem, pro omnibus individuis, in communi lapsus & peccati sorte consideratis, tam pereuntium, quam servandorum: tam pro Caino, quam pro Abele: tam pro Iuda, quam pro Petro mortem obijsse.

Iidem in Respons. ad VValachr. pag. 49.

V.

Deum universum genus humanum in reconciliationis gratiam assumsisse, & cum Adamo omnibusq; eius posteris, in eo fœdus gratiæ inivisse, in quo remissionem peccatorum omnium pollicetur, quotquot in illo fœdere perstabunt, & adversus hoc non prævaricabuntur.

Hadrian. Borrius in Resp. D. Iacobi Arminij, ad Artic. 31. pag. 117. & 118.

VI. In

VI.

In Adamo, in gratiam recepto, totum genus humanum in gratiam receptum esse: cum videatur statuendum esse, eum, totius Generis Humani personam, non minus in secundo, quam in primo pacto gessisse, utpote qui utrobique stirps fuerit generis humani.

Corvinus contra Tilenum. pag. 332.

VII.

Omnes & singulos homines à Patre, Christo traditos, Jure salvationis in omnes, & bono salutis pro singulis acquisitæ.

Nicol. Grevinckh. contra Ames. pag. 49.

VIII.

In Deo esse affectum constantem ac perpetuum, bonum impetratum, omnibus ac singulis applicandi.

Idem ibidem. pag. 9.

ITEM.

Christum pro omnibus esse mortuum, quandoquidem intentio & scopus eius fuit, omnes salvare, tametsi res multo aliter in plerisque eveniat, propria ipsorum culpa.

Remonstr. Collat. Hagiens. Belg. pag. 158. *Bertiana. pag.* 176.

ITEM.

Intentionem & propositum Christi fuisse, omnes homines re ipsa salvare.

Ibid. pag. 174. & 175. *Belg. Bert.* 196.

IX.

Impetrationi suam dignitatem, necessitatem atque utilitatem abunde constare potuisse, etiamsi impetrata Redemptio, nulli individuo unquam applicata fuisset.

Nicol. Grevinckh. advers. Ames. pag. 9.

ITEM.

Quæcunque impetrationis sit ad applicationem ordinatio, solam tamen per sese, sine applicatione completam atque integram constare potuisse, & potuisse omnibus impetratam esse Redemptionem, & tamen nullis eam applicari, propter intervenientem omnium incredulitatem.

Idem ibidem. pag. 14.

X.

Christum, intercessorem esse pro omnibus, & sicut omnes reconciliat, ita etiam orare, ut Pater illis condonet peccata.

In Collat. Hag. pag. 168. *Belg. Bert.* 188.

ITEM.

Etsi Christus non oret pro Mundo, eo modo, quo orat pro credentibus, neque easdem pro illis preces fundat, quas fundit pro istis, tamen eum orare etiam ali-

quo modo pro Mundo, & esse Reconciliationem pro utrisque, pro incredulis ad solam impetrationem, pro credentibus vero etiam ad applicationem.

Ibidem pag. sequente.

XI.

Deum, summo quo fieri poterat gradu, secundum Voluntatem & Iustitiam suã, præstitisse singulis hominibus dilectionem suam.

In Collat. Hag. Belg. 166. Bert. 186.

XII

Sacerdotij Christi actus atque functiones, ita distinctas esse, & subordinatas, ut etiam sint divulsæ, adeo ut cui una earum competat, ei non semper aut statim conveniant reliquæ.

Oblationem Voluntariam in terra peractam, per mactationem corporis, & effusionem sanguinis, quam mors insequuta est, absolutam esse bono omnium & singulorum hominum, etiam pro Pharaone: intercessionem autem in cœlis, non esse absolutam, neque pro omnibus, sed tantum pro credentibus.

Nicolaus Grevinckh. contr. Ames. pag. 45. 46. & seqq.

Vel ut Remonstr. loquuntur conjunctim, seu omnes simul.

Mortuum esse Christum adæquate pro omnibus peccatoribus: resurrexisse autem & intercedere, cum salvandi intentione adæquate, pro fidelibus.

Respons. ad Epistolam VValachrorum pag. 50. & 52.

XIII.

Servari nos quidem morte Christi, sed non sola: subalternas causas esse, mortem Christi, & Fidem nostram.

Conr. Vorst. in Amica duplic. pag. 450.

Omnes hos errores, statuimus, ex duobus fontibus promanasse, nimirum

I. Ex mala & perversa interpretatione, illius Phraseos, *Mori pro aliquo.*

II. Ex distinctionibus quibusdam monstrosis, & nullum in Dei Verbo fundamentum habentibus, ideoque extinctionis potius Titulo, quam aliquo alio appellandis.

De Primo, seu De Phrasi, Mori pro Aliquo.

Mori pro aliquo, in hoc Argumento, non significat tantum *bono alicuius mori,* ut cum Apostolus ad Coloss. cap. 1. 24. dicit: se explere in carne sua reliquias afflictionum Christi, pro corpore ipsius, id est, Ecclesia: sed idem significat, quod vice & loco alicuius mori; idque cum intentione, ut ille vivat. Quomodo accipitur, 2. Samuelis 18. 33. cum David dicit:

Fili mi Absolon, Absolon fili mi, quis mihi tribuat, ut ego moriar pro te?

Votum enim Davidis fuit, licuisse sibi mori, ut viveret Absolon. Hunc esse sensum particulæ *pro,* cum de morte Christi agitur, liquet ex Esaiæ cap. 53. 4: cum dicitur Messias vere languores nostros tulisse, & dolores nostros ipse portasse, & quidem sic, ut quemadmodum versu 5. dicitur, *vulneratus sit propter iniquitates nostras, & attritus sit propter scelera nostra. Disciplina pacis nostræ super eum fuerit, & livore eius nos fuerimus sanati.* Item ex locis alijs Novi Testam. huic genuinis 2. Cor. 5. 21. Coloss. 1. 22. 1. Petri 2. 24. & cap. 3. 18. Apoc. 1. 5. Eb 9. 14.

Quare contristamur magnopere, ob hoc, quod Remonstrantes Collat. Hagiens. p. 158. edit. Belg. & 176. edit. Bertiana. pressi phraseos huius (*mori pro aliquo*) vi, cum Socino, cuius in hac re sunt Discipuli, dicere non verentur: particulam *pro, posse tantum valere, atque nostro bono, vel nostra causa.* quod quale syrma errorum secum trahat, expendendum omnibus relinquimus.

De

De Secundo, id est, De Distinctionibus Remonstrantium, quibus nostra Argumenta conantur (sed frustra) eludere.

Distinguunt inter impetrationem & applicationem, & hac distinctione freti, modo dicunt: *Christum pro omnibus & singulis mortuum esse, & omnibus per mortem Crucis peperisse reconciliationem & Remissionem peccatorum.*

Collat. Hag. pag. 416. Belg. Bertian. secunda Sect. pag. 143.

Modo negant: *Incredulos, qui in incredulitate sua manent, reconciliationis cum Deo, & remissionis peccatorum, unquam participes fuisse.*

Ibidem pag. sequenti.

Nos hanc distinctionem, ut à Remonstrantibus explicatur, negamus: nam *impetratio* (ut Iurisconsulti, optimi significationis verborum Interpretes fatentur) concessionem rei petitæ includit & præsupponit. Sic impetratum rescriptum illis est, cum Princeps concessit, supplicansque obtinuit. Et vulgari sermone nostro, cum alicui officium aut munus impetratum dicimus, non ius tantum ad munus illud, sed realem illius possessionem & concessionem ei impetratam esse, significamus.

Sed ad fontem mali veniamus. is est *Intentio*, quam Remonstrantes Christum in passione sua habuisse, putant.

Dicunt confidenter, *Christum applicationem Reconciliationis omnibus & singulis pro quibus mortuus est, absolute nec voluisse nec noluisse, sed hoc intendisse, ut Deus non obstante iustitia sua, peccatorem salvare posset, & peccator, non obstante peccato, salvari.*

Repugnare hoc iudicamus verbis Christi. Iohannis 17. 2. *Sicut dedisti ei autoritatem in omnem carnem, ut quotquot dedisti ei, det eis vitam æternam.* & vers. 11. *Serva eos per nomen tuum quos dedisti mihi, ut sint unum, prout & nos,* vers. 12. *Quos dedisti mihi custodivi.* vers. 15. *Serva eos a malo.* vers. 17. *Sanctifica illos in veritate.* vers. 24. *Volo, ut ubi ego sum, etiam illi mecum sint, ut conspiciant gloriam illam, quam dedisti mihi.*

Repugnare itidem verbis Apostoli, ad Hebr. 9. 26. ubi dicitur, *Christum ad abolendum peccatum, per immolationem sui ipsius patefactum esse:* vers. 28. *Oblatum esse, ut multorum peccata tolleret.* Et cap. 10. 14. *Quod unica oblatione Christus consecraverit in perpetuum eos, qui sanctificantur.* Quæ omnia aliam intentionem, aliumque effectum mortis Christi nobis depingunt, quam à Remonstrantibus, loco citato, proponitur.

Ex his etiam Scripturæ locis patet, quod intercessione Christi in terris, & oblatione, quæ facta est in mundo, non ianua tantum salutis sit aperta, ut Remonstrantes loquûtur in explicatione secundi sui Articuli; (quanquam quomodo sine actuali remissione peccatorum, quam illi morti Christi non adscribunt, hoc fieri potuerit ignoramus;) sed quod vi illius introducamur in cœlum ipsum.

Item: Non ita distingui posse actus Sacerdotij Christi, ut pro quibus Christus mortuus est, pro omnibus ijs etiam non resurrexerit: nam Apostolus Paulus, Rom. 4. 25. Christum traditum dicit propter offensas nostras, & excitatum esse propter iustificationem nostram. Non dicit, traditum esse pro *omnium* offensa, & excitatum esse, pro *quorundam tantum* iustificatione, ut sentiunt Remonstrantes. Idem Apostolus capite eiusdem Epistolæ 8. versu 34. Coniungit Mortem, Resurrectionem & Sessionem ad dextram, eamque omnibus ijs inservire indicat, pro quibus Filium suum tradidit Pater.

Vnde concludimus, quod nihil per mortem Christi solam, separatam à Resurrectione, impetrari possit. Quo Apostolus respicit cum dicit, 1. ad Corinth. 15. 17. *Si Christus non resurrexit, adhuc estis in peccatis vestris.* Adde quod intercessio Christi in cœlis, nihil aliud est, quam continuata oblatio, ideoque hæc duo ita separari non possint, ut quorum vicem Christus obivit in Cruce, pro illis etiam omnibus non intercedat in cœlis, cum sit Mediator eorundem, merito & efficacia simul. Quod si postremum non accedat, inutile est beneficium prius. Quare non parum errarunt Remonstrantes, cum in Collatione Hagiensi pag. 418. editionis Belgicæ & Bertianæ

tianæ pag. 145. Sectionis poster. Christum omnibus & singulis promeritum esse dicunt medicinam ad salutem necessariam, cum tamen statuant, Christum multis non esse morte sua promeritum applicationem.

Quomodo quæsumus tale meritum, ipsis pereuntibus dici poterit fuisse ad salutem sufficiens, ut Remonstrantes sentiunt? Si Pater omnia dat cum Christo, ut dicitur Rom. 8. 32. dat quoque applicationem: & vice versa, quibus Filij mortem non applicat, ijs nunquam Filium suum dedit. Nam, ut ignis non participatur, nisi cum toto suo calore: ita qui Christi participes sunt in morte, eius quoque participes sunt in resurrectione, ut docet Apostolus Rom. 6. 5.

Vt autem absurditates præcipuas huius sententiæ proponamus & refutemus, dicimus: Primo, Fieri non potuisse, ut pro quibus Christus mortuus est, ijs actu non condonarit omnia peccata, dicente Apostolo ad Colossenses 1. 21. & 22. quod reconciliati simus in corpore carnis per mortem. Fons igitur applicationis, non quærendus est in sola Resurrectione Christi, sed in Decreto Patris tradentis Filium, & in Obedientia Filij, qua obedivit patri, usque ad mortem crucis.

Secundo, dicimus absurdum esse, Christum pro ijs mortuum esse, pro quibus mortem non superarit, cum tamen in Passione sua, mortis mortem se ostenderit. Ebr. 2. 14. 1. Cor. 15. 54. Vnde rursum inferimus, in ipsa morte firmissimam fuisse applicationem mortis Christi, pro omnibus ijs, quorum vicem ipse moriens sustinuit, cum intentione ipsos salvandi, & illius mortis virtute, sensum huius beneficij, in ipsis quoque suo tempore exciturum, quando nimirum Evangelio, quod ipsis prædicatur, operatione potentiæ Dei credent.

Tertio, Absurde dici putamus, Christum in terris se obtulisse pro ijs, pro quibus non intercedat in cœlis.

Merito itaque divulsio illa Sacerdotij Christi, exploditur, utpote qua inter alia, quæ ex ea nascuntur incommoda, consolatio piorum magna ex parte minuitur. Nam secundum Apostolum, quilibet pro quo Christus mortuus est, dicere potest: *Quis intentabit crimina adversus me? Deus est qui iustificat. Quis est, qui condemnet? Christus is est, qui mortuus est, imo vero, qui etiam excitatus est, qui est ad dextram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. Mihi persuasum est, neque mortem, neque vitam, neque Angelos, neque Principatus, neque Potestates, neque instantia, neque futura, neque sublimitatem, neque profunditatem, neque ullam rem aliam creatam, posse nos separare a charitate, quæ est in Christo Iesu.*

Quæ consolatio longe melior est, quam illa quæ resultat ex doctrina Remonstrantium, & cuius vi adiguntur, ut in Collatione Hagiensi, editionis Belgicæ pag. 158. dicunt: Bonum Pastorem sic ponere vitam pro ovibus, ut intendat eas conservare, etiamsi non omnes conserventur. Quod de summo animarum Pastore, cuius voluntati nihil potest resistere, & cum quo nobis dantur omnia, Roman. 8. 32. non sine blasphemia dici posse, iure meritoque omnes pij credunt.

IVDICIVM

Fratrum Northollandorum,

De Secundo Remonstrantium Articulo.

Articulus hic Remonstrantium, sic ad verbum habet:

PRoinde Iesus Christus pro omnibus ac singulis mortuus est: atq; id ita quidem, ut omnibus per mortem crucis reconciliationem & peccatorum remissionem impetrarit: ea tamen conditione, ut nemo illa peccatorum remissione fruatur, præter hominem fidelem. Iohan. 3. 16. 1. Iohan. 2. 2. Duo autem sunt quæ hoc Articulo asseruntur; quæ singula distincte veniunt consideranda.

Primum est, Christum pro omnibus & singulis hominibus mortuum esse, ipsisq; per mortem crucis, reconciliationem Deo & remissionem peccatorum impetrasse.

Alterum

Digitized by Google

Alterum, reconciliationem tamen iſtam, & remiſſionem peccatorum non omnibus ac ſingulis applicari, ſed tantum fidelibus.

Vtrumque ἀπρόσδεκτον, & S. literis contrarium Fratres Northollandi iudicant.

De Primo.

Nam primum quod attinet, nunquam Scriptura ſic loquitur; Chriſtum mortuum pro omnibus & ſingulis hominibus: pro omnibus mortuum eſſe alicubi dicit; pro ſingulis nuſquam: Nec ex eo, quod pro omnibus mortuum affirmat, concludendum eſt, pro ſingulis mortuum eſſe. Aliud enim eſt, pro omnibus mori, aliud pro ſingulis. Pro ſingulis qui moritur, pro omnibus moriatur neceſſe eſt: ſed non contra. Sanarunt Apoſtoli omnem morbum, ſed non ſingulos. Scribæ & Phariſæi decimabant omne olus, ſed non ſingula olera, &c. quivis morbi, ſeu omnia morborum genera; quodvis olus, ſeu omne genus olerum, non ſingula generum ſignificantur: hoc ſenſu Scriptura dicit Chriſtum pro omnibus mortuum, id eſt, pro quibuſvis, ſine diſcrimine Iudæorum, gentium, huius vel illius linguæ, populi, nationis, &c. Mortuum igitur dicit Chriſtum pro omnibus, nempe, pro electis omnibus, ex omnium hominum genere, ut liquet ex Apoc. 5. verſ. 9. ubi ſenes canticum novum dicuntur ceciniſſe agno, dicentes, *dignus es qui accipias librum, & aperias ſigilla eius, quoniam mactatus es, & redemiſti nos Deo per ſanguinem tuum, ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione.*

Hinc eſt, quod eadem Scriptura, ſine ulla ſui contradictione, alibi paſſim dicat, Chriſtum mortuum eſſe pro multis, Eſa. 53. 12. Matth. 20. 28. Marc. 9. 45. *Filius hominis venit, ut daret animam ſuam redemptionis pretium pro multis.* Matth. 26. 28. *Hoc eſt ſanguis meus Novi Teſtamenti, qui pro multis effunditur in remiſſionem peccatorum.* Heb. 9. 28. *Chriſtus ſemel oblatus, ut multorum peccata tolleret.* Manifeſte indicans per *omnes* non ſingulos intelligi. Quinam vero illi multi ſint, declaratur ſequentibus Scripturæ locis, Matth. 1. 21. Ipſe enim ſervabit *populum ſuum* ex peccatis ipſius, Iohan. 10, 15. animam meam pono pro *ovibus.* Iohan. 17. 2. dediſti ei autoritatem in omnem carnem, ut *quotquot ei dediſti*, det ipſis vitam æternam. Iohan. 11. 51. & 52. Fore ut Ieſus moreretur non tantum pro ea gente, ſed ut *Filios Dei* diſperſos cogeret in unum. Act. 20. 28. *Eccleſiam Dei*, quam proprio illo ſanguine acquiſivit. Rom. 8. 33. 34. quis intentabit crimina adverſus *electos Dei?* Deus eſt is, qui iuſtificat; quis eſt qui condemnet; Chriſtus is eſt, qui mortuus eſt. Eph. 5. 23. Chriſtus eſt qui ſalutem dat *Corpori.* verſ. 25. Chriſtus dilexit *Eccleſiam*, & tradidit ſemetipſum *pro ea,* Heb. 10. 14. vnica oblatione conſecravit in perpetuum *eos, qui ſanctificantur.* Tit. 2. 14. qui dedit ſemetipſum pro *nobis*, ut redimeret *nos*, ab omni iniquitate, & purificaret ſibi ipſi *populum peculiarem.* Pro ijs igitur, quos dedit ei Pater, pro ovibus, populo ſuo, & quidem peculiari, pro Eccleſia ſua, Corpore ſuo, Filijs Dei, pro ijs qui ſanctificantur, mortuus eſt Chriſtus. Ii autem ſunt electi: pro quibus omnibus, ſolis, ſingulis, ſive ante mortem, in ipſa morte, poſt mortem Chriſti in cruce peractam vixerunt olim, nunc vivunt, & victuri ſunt aduſque finem mundi, mortuus eſt.

Pro *omnibus*; ut Iohan. 17. 2. ſicut dediſti illi poteſtatem in omnem carnem, ut *quotquot* dediſti ei, det eis vitam æternam. Iohan. 6. 39. Hæc eſt voluntas eius, qui miſit me, Patris, ut *quidquid* mihi dederit non perdam ex eo, ſed ſuſcitem illud noviſſimo die. Ioh. 17. 12. *quos* dediſti mihi, ego cuſtodivi; & nemo ex ijs perijt.

Pro *ſolis.* Ioh. 17. 6. Patefeci hominibus nomen tuum, *quos dediſti mihi è mundo.* verſ. 9. Ego pro ijs rogo, non pro mundo rogo.

Pro *ſingulis*: Rom. 10. 9. ſi confeſſus fueris *ore tuo* Dominum Ieſum, & credideris in *corde tuo*, quod Deus eum excitavit à mortuis, ſervaberis. Gal. 2. 20. qui dilexit *me*, & tradidit ſemetipſum pro *me.*

Pro *ijs, qui fuerunt, ſunt, & erunt.* Act. 15. 11. per gratiam Domini Ieſu Chriſti credimus *nos* ſervatum iri; quemadmodum & *illos.* Hebr. 13. 8. Ieſus Chriſtus *heri*, & *hodie* idem eſt, & in *ſecula.* Apoc. 13. 8. & adorabunt eum omnes incolæ terræ, quorum non ſunt ſcripta nomina in libro vitæ, agni illius, mactati *à iactis mundi fundamentis.* Quantumvis igitur mors Chriſti in ſeſe conſiderata eius ſit dignitatis &

pretij,

pretij, ut sufficiens esse possit λύτρον redimendis omnibus *&* singulis hominibus, ex ijs tamen testimonijs, quæ adduximus, constare potest, Christum, non pro alijs, quam electis mortuum esse. Estque hoc certissimum: pro quibus Christus non oravit, pro ijs quoque mortuus non est: oblatio enim & intercessio individuo nexu cohærent. Non oravit autem pro omnibus & singulis. Non enim oravit pro mundo. Non igitur pro omnibus & singulis mortuus est. Vnde sequitur:

Falsissimum esse, Christum, non pro electis tantum, sed pro omnibus & singulis hominibus, id est, etiam pro reprobis, & ijs qui pereunt, mortuum esse.

Contra verissimum: Iesum Christum mortuum esse pro omnibus & solis electis, quos ei Pater redimendos dedit.

Æque falsum est, quod Remonstrantes de intentione tradunt, videlicet, intentionem Patris, Filium suum in mortem tradentis, & Filij mortem obeuntis fuisse, omnes & singulos homines per eandem ex æquo servare etsi res per multorum culpam aliter evenerit.

Nam si hæc fuisset Patris & Filij intentio, pro omnibus & singulis mori Christum oportuisset, atqui jam plurimis S. Scripturæ testimonijs probatum est, Christum esse mortuum, non pro singulis; sed pro multis, pro populo suo, ovibus suis, filijs, Dei, Electis, Ecclesia sua, &c. Ex quo sequitur, hanc quoque fuisse Patris, Filium suum tradentis, & Filij mortem obeuntis intentionem; ut eosdem, non alios servaret; & hanc solam fuisse Patris simul & filij intentionem expresse testatur Scriptura, Ioan. 11.51.52. Prophetavit Caiphas, non ex sese, sed ex afflatu Spiritus S. loquens, fore, ut Iesus moreretur, non tantum pro ea gente, sed ut *filios* Dei *dispersos* cogeret in unum. Gal. 1. 4. Dedit semetipsum pro peccatis nostris *ut eximeret* nos ex præsenti sæculo malo, *secundum voluntatem Dei & Patris nostri*. Eph. 5. 26. Exposuit seipsum pro Ecclesia, *ut eam sanctificaret, ut sisteret* eam sibi gloriosam. Ioan. 3. 16. Dedit Filium suum unigenitum, *ut* omnis qui credit &c. Ioan. 17. 19. & pro ijs ego sanctifico meipsum, *ut sint* & ipsi sanctificati per veritatem. Tit. 2. 14. Qui dedit semetipsum pro nobis, *ut redimeret* nos &c. 1. Petr. 1. 20. 21. *præordinati* quidem ante iacta mundi fundamenta, *patefacti* vero ultimis temporibus, *propter vos*, qui per eum creditis Deo.

Deinde, si intentio Dei Patris Filium in mortem tradentis, & Filij mortem obeuntis fuerit, omnes & singulos per mortem Crucis servare, necesse est ut omnes serventur: quia consilium Dei non potest irritum fieri, prout patet ex Esa. 46. 10. & fusius probatum est ad Articulum primum. Atqui non omnes servantur. Ergo &c.

Quinimo contradicunt hic sibimet Remonstrantes, quoties asserunt, Deum destinasse Christum in Mediatorem, ante certam voluntatem & intentionem quemquam salvandi, & cum nihil adhuc statuisset de conditione, sub qua homines servare vellet, *adeo ut impetrationi iam præstitæ, ac peractæ, sua dignitas, necessitas, atque utilitas abunde constare potuerit, etiamsi impetrata redemptio nulli individuo unquã applicata fuisset:* hoc est, etiamsi nullus unquam actu, sive reipsa servaretur. simul enim hæc duo stare non possunt: intentionem Dei Patris Filium suum in mortem tradẽtis fuisse, omnibus & singulis salutem conferre propter mortis Filij sui pretium; &, Deum destinasse Christum in Mediatorem, ante certam voluntatem & intentionem quenquam salvandi.

Vtrumque igitur falsum est, & se mutuo destruens.

Hanc fuisse intentionem Dei Patris, Filium suum in mortem tradentis, & Filij mortem obeuntis; ut omnes & singulos homines servaret. Et,

Deum destinasse Christum in Mediatorem ante certam voluntatem, ac intentionem quemquam salvandi.

Contra vero verissimum esse ex sacris literis ostensum est, intentionem Dei Patris & Filij fuisse solos electos servare.

Deum destinasse Christum in Mediatorem, cum certa voluntate ac intentione servandi electos suos; quem finem quoq; est assecutus & Pater & Filius.

Neque enim irritum fieri potuit Dei consilium (Esa. 46. 10.) aut falli ipsa sapientia. Neque sapientiæ Dei summæ consentaneum, permittere, ut in re præsertim tanta, qualis est traditio Filij sui in mortem, & redemptionis opus, aliquid fiat temere, & absque certa intentione ac consilio.

Neque

Neque hic iuvat Remonſtrantes,quod aſſerunt per Chriſti mortem quandam poſſibilitatem & velleitatem impetratam Deo Patri, qua potuit velle cum hominibus novum aliquod fœdus inire, ſub quacumque ipſi viſum eſt conditione. Nam tantum abeſt, ut hoc ſuo invento doctrinæ ſuæ abſurditatem pallient aut tegant; ut contra eo magis eius falſitatem & fœditatem prodant, & palam faciant. Etenim, vt Scriptura paſſim teſtatur, longe alia & præſtantiora beneficia Chriſtus morte ſua acquiſivit, nimirum veram & realem cum Deo reconciliationem, remiſſionem peccatorum, adoptionem in filios Dei, jus hæreditatis vitæ æternæ, adeoque omnes illas benedictiones ſpirituales, quarum author & fons nobis à Patre conſtitutus eſt, vt Apoſtolus docet. Epheſ.1. & paſſim ex tota Scriptura conſtat, ac in ſecunda parte latius demonſtrabitur.

Quinimo hoc ſuo falſiſsimo commento ſibimet non conſtant,recedentes ab hoc ipſo Articulo, quo aſſerunt Chriſtum ipſam reconciliationem & remiſſionem peccatorum,per mortem crucis acquiſiviſſe;non autem jus aliquod poſſibilitatis,aut velleitatis,quo poſsit Deus velle cum hominibus fœdus inire, idque ſub quacumq; conditione vel fidei, vel operum.

Quæ omnia vt figmenta cerebri humani, cum à Dei Verbo longiſsime recedant, imo directe cum eo pugnent, fratres Noort-Hollandi ut falſiſsima rejiciunt & deteſtantur.

De Secundo.

In ſecundo membro aſſerunt Remonſtrantes, omnibus quidem & ſingulis hominibus reconciliationem cum Deo, & remiſſionem peccatorum impetratam : verum non omnibus ac ſingulis, ſed tantum fidelibus applicari.

De quo ſic judicant fratres Noort-Hollandi.

Verum eſſe & ſacris literis conſentaneum:

Non niſi fideles, id eſt,ſolos fideles,reconciliationis cum Deo per mortẽ Chriſti impetratæ, & remiſſionis peccatorum fieri participes ; & impetrationis propriũ fructum eſſe applicationem.

Contra vero falſum eſſe & S. Literis diſſentaneum:

Non omnes fieri reconciliationis cum Deo, per mortem Chriſti impetratæ, & remiſſionis peccatorum participes, quibus Chriſtus eam impetravit : & applicationem non fuiſſe impetrationis propriũ finem, aut finẽ à Deo proprie intentum.

Docet enim Scriptura aperte,impetrationem & applicationem æque late patere, pari paſſu incedere, & omnibus ac ſingulis applicari reconciliationem, quibus Chriſtus eam impetravit, id eſt, ſolis fidelibus: & hunc finem à Deo proprie fuiſſe intentum. Eſa. 53.10. *Quum poſuerit pro delicto animam ſuam,videbit ſemen,prolongabit dies, & voluntas Domini per manum eius proſperabitur.* verſ. 11. *Propter laborem animæ ſuæ ſaturabitur,& in ſcientia ſui juſtificabit ſervus meus iuſtus multos , quia iniquitates ipſorum ipſe baiulabit,&c.* Matth.18.11. *Venit filius hominis vt ſervet, quod perierat.* Ioann. 6. verſ. 33. Panis ille Dei, is eſt qui de cælo deſcendit , & dat vitam mundo; Et panis quem ego dabo, caro mea eſt, quam dabo pro mundi vita. Rom.3.24. *Per redemptionem factam in Ieſu Chriſto.* 25. *Quem propoſuit Deus , vt eſſet placamentum per fidem in ſanguine ipſius*, Rom.8.34.

Quis eſt qui condemnet? Chriſtus is eſt, qui mortuus eſt. 1. Corinth. 1.30. Chriſtus factus eſt nobis à Deo ſapientia , juſtitia , ſanctificatio & redemptio. 2. Cor. 5. verſ.15. *Si unus pro omnibus mortuus fuit,nempe omnes fuerunt mortui , & ille pro omnibus mortuus eſt, vt qui vivunt poſthac non ſibi vivant , ſed ei. qui pro ipſis mortuus eſt & reſurrexit.* verſ. 18. *Hæc omnia ſunt ex Deo ; qui reconciliavit nos ſibi per Ieſum Chriſtum.* verſ. 19. *Nempe quia Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi, non imputando eis peccata ipſorum.* verſ. 21. *Fecit enim vt qui non novit peccatum, pro nobis peccatum eſſet , vt nos efficeremur iuſtitia Dei in eo.* Galat. 3. 13. *Chriſtus nos redemit ab execratione legis, dum pro nobis factus eſt execratio.* verſ. 14. *Vt in gentibus benedictio Abrahæ exiſtet in Chriſto Ieſu.* Gal. 4. verſ. 4. *Factus ex muliere,factus legi obnoxius.* verſ. 5. *Vt eos , qui legi erant obnoxij, redimeret, vt adoptionem acciperemus.* Eph.1.7. *In quo habemus redemptionem*

per sanguinem ipsius. vers. 9. &c. Ephes. 2. 13. *At nunc in Christo Iesu vos, qui olim eratis procul, propinqui facti estis, per sanguinem Christi.* vers. 14. *Ipse enim est pax nostra, &c.* Coloss. 1. 13. *Liberavit nos à potestate tenebrarum, ac transtulit in regnum filij sibi dilecti.* vers. 14. *In quo habemus redemptionem, &c.* vers. 19. *Quoniam in eo placuit Patri, vt omnis plenitudo inhabitaret.* vers. 20. *Et pace per sanguinem Crucis eius facta, per eum reconciliare omnia sibi, tum quæ in terra, tum quæ in cælis.* vers. 21. *Itaque vos quondam abalienatos & hostes, mente operibus malis intenta, nunc reconciliavit, &c.* Hebræor. 2. vers. 10. *Decebat enim, vt ipse, propter quem hæc omnia, & per quem hæc omnia, multos filios in gloriam adducendo, principem salutis ipsorum per afflictiones consecraret.* vers. 14. *Vt per mortem aboleret eum, qui mortis imperium habet, hoc est, Diabolum.* vers. 15. *Et liberos redderet, quotquot metu mortis per omnem vitam obnoxij erant servituti.* Hebr. 9. vers. 12. *Per proprium sanguinem ingressus est semel in sacrarium, æternam redemptionem nactus.* vers. 14. *Quanto magis sanguis Christi, qui per spiritum æternum se ipsum obtulit inculpatum Deo, purgabit conscientiam vestram à mortuis operibus, vt serviatis Deo vivo.* vers. 15. *Itaque ob id novi fœderis Mediator est, vt morte intercedente, ad redemptionem earum prævaricationum quæ fuerant sub priori testamento, vocati, promissionem accipiant æternæ hæreditatis.* Hebr. 10. vers. 10. *Qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel factam.* vers. 14. *Vnica enim oblatione consecravit in perpetuum eos qui sanctificantur.*

Imo pertinet huc totum argumentum, & integer scopus eorum, quæ ab Apostolo duobus illis Cap. Epistolæ ad Hebr. tractantur.

1. Petr. 1. vers. 18. *Redempti ex vana vestra conversatione.* vers. 19. *Pretioso sanguine agni immaculati & incontaminati Christi.*

Quæ Scripturæ loca, cum non de impetratione salutis tantum, sed de salute ipsa, vel actu salvandi agant, sequitur, non impetrationem nudam, sed applicationem salutis & salutem ipsam, scopum & finem fuisse, quem Deus propositum habuit, tam in missione, quam in traditione Christi: aperteque designatur, ipsam remissionem peccatorum, liberationem ab execratione legis, & potestate tenebrarum, justificationem, sanctificationem, translationem in regnum Filij Dei, adductionem in gloriam, denique vitam æternam, esse proprium finem impetrationis, & fructum ab eadem individuo & indissolubili nexu dependentem. Ita ut quibuscumque hæc morte sua Christus Mediator impetravit, eisdem omnibus & solis ea Pater applicet. Nec potest ulla rationis specie, vel probilitatis colore, applicatio hæc ab impetratione separari: ex jure enim impetrationis, res aliqua fit eius propria, cui impetrata est; cum largitio, vel concessio rei impetratæ, impetrationem non comitetur solum; sed eam quoque constituat & perficiat. Alias certe impetratio dici aut esse non posset.

Vnde & hoc sequitur, merum esse humani ingenij & otiosi cerebri figmentum, quod Remonstrantes de voluntate impetrandi absoluta & applicandi conditionata solent nugari. Etenim statuta absoluta voluntate impetrandi, necesse est voluntatem applicandi absolutam quoque esse. Nec iuvat eos, ut hoc suum commentum de separatione applicationis ab impetratione magis confirment pallientque, mortem & oblationem Christi, à resurrectione ipsius & intercessione divellere: quod solent, dicentes Christum sese obtulisse & mortuū esse pro omnibus in universum hominibus, resurrexisse autem, & intercedere, pro solis fidelibus. Nam id quoque falsum judicant Fratres Noort-Hollandi.

Qui contra statuunt: Christi mortem & oblationem, à resurrectione & intercessione, nullo unquam modo & tempore separari posse; tamque mortis, quam resurrectionis & intercessionis Christi beneficia æque late patere, atque ad solos Electos & fideles pertinere.

Quod liquet ex iis Sacræ Scripturæ testimoniis, quæ mortem & resurrectionem Christi conjungunt: vt Ioan. 17. vers. 9. *Ego pro ijs rogo: non pro mundo rogo, sed pro ijs quos dedisti mihi.* vers. 19. *Et pro ijs ego sanctifico meipsum, vt sint & ipsi sanctificati per veritatem.* Rom. 4. 24. *Excitavit Iesum Dominum nostrum à mortuis.* vers. 25. *Traditum in mortem propter offensas nostras, & excitatum propter justificationem nostri.* Rom. 8. 34. *Quis est qui condemnet? Christus is est qui mortuus est, imo vero qui etiam excitatus est, qui etiam est ad dextram Dei, qui etiam postulat pro nobis.* Rom. 14. vers. 9. *Ad*

ho:

hoc enim Christus & mortuus est, & resurrexit, & revixit, ut & mortuis & viventibus dominetur. Heb. 9.12. *Per proprium sanguinem semel est ingressus in sacrarium, æternam redemptionem nactus.* vers. 24. *Non enim in manufactum sacrarium ingressus est Christus, sed in ipsum cælum, ut appareat nunc in conspectu Dei pro nobis.* vers. 26. *Sed nunc semel in consummatione sæculorum, ad abolendum peccatum patefactus est, per immolationem sui ipsius.*

Sed & hic sibi contrarij sunt Remonstrantes. Quod enim hic statuunt remissionem peccatorum non omnibus applicari quibus ea impetrata est, non videtur posse consistere cum eo, quod alibi docent, nimirum, Deum universum genus humanum in reconciliationis gratiam assumpsisse, & cum Adamo eiusque posteris fœdus gratiæ iniviſſe, in quo peccatorum omnium remissionem pollicetur, quotquot in illo fœdere perstabunt; ita ut neminem sine intervenientibus peccatis actualibus à spe salutis seclusum in lapsu relinquere decreverit; & proinde nemo à Deo reiectus sit, & ad infernum destinatus, nisi ob proprium suum peccatum, quod omittere potuit. Etenim novum fœdus gratiæ à Deo cum hominibus peccatoribus iniri, & peccatum originale eousque, ut neminem condemnet, remitti non potuit, absque reali applicatione satisfactionis & meriti Christi; nisi aliam statuant causam & fontem præter meritum Christi, unde gratia novi fœderis & peccati originalis remissio procedant ac profluant. Quod absurdissimum & sacræ Scripturæ contrarium esse, ex plurimis supra allegatis testimoniis constare potest.

Ex quibus omnibus liquere arbitrantur Fratres Noort-Hollandi, hunc secundum Articulum Remonstrantium, sive is simpliciter consideretur prout iacet, seu prout Remonstrantes in Collatione Hagiensi, Exhibitis thesibus, aliisque publice editis scriptis eum exponunt, continere multa Heterodoxa, aperte falsa, inter se & cum sacris literis ex diametro pugnantia dogmata, Dei gloriæ adversa, pietati, salutique hominum noxia. Quæ in Ecclesiis reformatis, & iis præsertim, qui Ecclesiastico aliquo munere funguntur, tolerari nullo modo debent. Ut Deo sua gloria, Dei Verbo sua veritas, fidei & pietati sua integritas intemerata servetur & maneat.

Loco Corollarij adijciunt Fratres Noort-Hollandi.

Hunc Articulum, non suo loco positum, si ordinem Decretorum consideres quem Arminius excogitavit, & quem ipsi Remonstrantes sequuntur. Collocandus enim erat primo loco, utpote qui primum ipsorum Decretum continet: Contra vero primus Articulus, vel secundo, vel postremo. Sed, an non id astute & certo consilio factum sit, dubitari merito potest, ne videlicet videantur ordinem salutis in Scriptura traditum, & in Ecclesiis Reformatis hactenus recte utiliterque observatum, invertisse.

EXAMEN ET IUDICIUM

Fratrum Zelandorum,

De Secundo Articulo Remonstrantium:

Qui agit de Redemptione generis humani per mortem Christi facta.

Sentantia Orthodoxa.

I.

Etsi fateamur λύτρον mortis Christi sufficiens esse in sese, ad expiandum peccata omnium & singulorum hominum: absoluta tamen voluntas & intentio Patris,

 Filium

Filium unigenitum in mortem tradentis, & Filij eam subeuntis fuit, persolvere redemptionis pretium pro omnibus & solis Electis.

II.

Proinde reconciliatio & salus, omnibus & solis electis, per mortem Christi est impetrata, iisque solis certo & infallibiliter applicatur.

Priorem Articulum sic demonstramus ex Dei Verbo. Ioan. 10. vers. 14. 15. *Ego sum pastor ille bonus, & animam meam pono pro ovibus.* & vers. 18. *Hoc mandatum accepi à Patre meo.* Hinc evincitur, Christum ex mandato Patris animam suam posuisse pro ovibus & non pro aliis. Ioann. 11. vers. 51. 52. *Caiaphas prophetavit fore vt Iesus pro gente moreretur. Nec tantum pro ea gente, sed vt etiam filios Dei dispersos cogeret in unum.*

Unde patet, Christum sua morte hoc intendisse, ut cogeret in unum filios Dei dispersos, qui sunt soli Electi.

Rom. 5. vers. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis,* & vers. 8. *Commendat autem suam charitatem erga nos Deus, quod cum adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus est.* Inde sequitur, Christum pro iis esse mortuum, quos Pater summo & salvifico amore complexus est, qui sunt soli Electi. Confer Ioan. 15. vers. 13. *Maiorem hac charitatem nemo habet, ut quis animam suam ponat pro amicis suis.*

Ephes. 5. vers. 25. *Christus dilexit Ecclesiam, & semetipsum exposuit pro ea.*

Hinc evidenter liquet, Christum tantum esse mortuum pro sua Ecclesia, ut dilecta sua sponsa; quam sibi desponsavit in sæculum in justitia, judicio, benignitate, ac misericordia, Hozeæ 2. vers. 19. Confer Actor. 20. vers. 28. *Deus acquisivit Ecclesiam proprio suo sanguine.*

Apocal. 5. vers. 9. *Quoniam mactatus es, & redemisti nos Deo per sanguinem tuum, ex omni tribu, & populo, & natione.* Hinc evidens est, non omnes & singulos per mortem Christi esse redemptos, sed tantum aliquos, ex omnibus nationibus qui sunt soli Electi.

Sequuntur Rationes è S. Scriptura petitæ.

I.

Si redemptio per Christum facta fluit ex Electione, pertinet ergo ad solos Electos: sed verum prius, ex Ephes. 1. 7. *In quo habemus Redemptionem per sanguinem ipsius.*

Vbi Apostolus aperte redemptionem derivat ab electione Dei. Confer vers. 4. 5. 6. & 9. Ergo & posterius.

II.

Si Christus persolvit Redemptionis pretium pro omnibus & singulis, tum omnes & singuli debent salvari & nemo perire. Atqui non omnes & singuli servantur, quin imo multi pereunt. Ergo, &c. Maior est verissima, ex justicia Dei, qui alias damnatos iniuste puniret, pro quibus Christus, ex sententia Remonstrantium, persolvit Redemptionis pretium.

III.

Si omnibus & singulis hominibus reconciliatio cum Deo, & remissio peccatorum impetrata est, sermo reconciliationis quoque omnibus & singulis est annunciandus. Sed falsum consequens. Ergo & antecedens. Maior probatur, ex 2. Corinth. 5. vers. 19. 20. Ubi reconciliatio mundi, & annunciatio sermonis reconciliationis ab Apostolo conjunguntur. Minor probatur ex Actor. 16. vers. 7. Ubi Spiritus sanctus non sinit Apostolum ire in Bithyniam ad annunciandum Euangelium. Confer Psal. 147. vers. ultimo. & Actor. 14. vers. 16.

Posteriorem

Posteriorem Articulum ita probamus:

Isaiæ. 53. vers. 10. *Beneplacitum Iehovæ per eum prosperabitur.* & vers. 11. *Propter quod laboravit anima ipsius, videbit, & satiabitur, & cognitione sui iustificabit servus meus iustus multos, quorum iniquitates ipse baiulavit.* Ex hoc loco colligitur Patrem hoc assecutum esse, quod intendit; & filium etiam id, pro quo anima ipsius laboravit, nempe salutem electorum, quam ille esurivit & sitivit. Sequitur etiam manifeste, ex postremis verbis, illos, quorum iniquitates Christus baiulauit, etiam revera iustificari.

Ioan. 6. vers. 33. *Christus est panis ille Dei, qui de cælo descendit, & dat vitam mundo.* Hinc apparet, Christum non tantum sua morte vitam impetrare, sed etiam reipsa dare quibus impetrat.

Rom. 8. 32. *Is qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, qui non etiam cum eo omnia nobis gratificabitur?* Hinc liquet applicationem meriti mortis Christi cum omnibus eius beneficiis, ab impetratione salutis, nullo modo posse divelli; sed individuo nexu cohærere, & ad solos electos pertinere.

2. Corint. 5. vers. 19. *Deus erat in Christo mundum sibi reconcilians, non imputando ipsis peccata ipsorum.* Hinc sequitur irrefragabiliter, omnes eos, quos Pater sibi reconciliavit per mortem filij sui accipere etiam reipsa remissionem peccatorum.

In Epistola ad Hebræos passim docet Apostolus, iis quibus Christus sanguine suo salutem impetravit, etiam meritum suum reipsa applicare, & eosdem per Spiritum suum sanctificare. Exempli gratia:

Heb. 2. 14. 15. *Vt per mortem aboleret eum, qui mortis imperium habet (hoc est Diabolum) & liberos redderet, quotquot metu mortis, per omnem vitam, obnoxij erant servituti.*

Item Heb. 9. 14. *Quanto magis sanguis Christi purgabit conscientiam vestram à mortuis operibus, ad serviendum Deo vivo.* & vers. 15. *Christus ob id est Mediator novi fœderis, ut vocati accipiant promissionem æternæ hæreditatis.* & vers. 26. *Christus est patefactus per immolationem sui ipsius ad abolendum peccatum.*

Et Heb. 10. vers. 14. *Vnica oblatione consecravit in perpetuum eos, qui sanctificantur.*

Sequuntur aliquot argumenta idem probantia.

I.

Redemptio continet remissionem peccatorum.

Ephes. 1. vers. 7. *In quo habemus redemptionem, per sanguinem ipsius, remissionem, inquam, peccatorum.* Confer Coloss. 1. vers. 14. Ergo quotquot sunt per mortem Christi redempti, simul habent remissionem peccatorum.

II.

Christus est Salvator sui corporis, id est, Ecclesiæ Eph. 5. vers. 23. Ergo Ecclesiæ suæ salutem, non tantum impetravit, sed etiam actu confert.

III.

Christus est Mediator novi Fœderis, cuius fit mentio, Ierem. 31. vers. 31. Quod etiam morte sua ratum fecit. Atqui illo Fœdere promittuntur fœderatis, remissio peccatorum, & sanctificatio Spiritus, quæ revera nihil aliud sunt, quam applicatio salutis impetratæ.

IV.

Pro quibus Christus mortuus est, illi sentiunt revera vim mortis Christi ad mortificandum peccatum, & fiunt Reges & Sacerdotes Deo Patri.

Roman. 6. vers. 5. 6. *Vetus homo, qui in nobis est, cum eo est crucifixus, ut enervetur corpus peccati, ne posthac serviamus peccato,* & 2. Corint. 5. 15. *Si unus pro omnibus fuit mortuus, nempe omnes cum eo fuerunt mortui. Vt qui vivunt, posthac non sibi vivant, sed*

ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt, & reſurrexit. Apoc. 5. verſ. 10. *Quoniam mactatus es & redemiſti nos Deo per ſanguinem tuum, & feciſti nos Deo noſtro Reges & Sacerdotes.*

V.

Pro quibus Chriſtus mortuus eſt ſalutem impetrando, pro iis etiam reſurrexit, partam ſalutem applicando. Probat. Rom. 6. verſ. 5. 6. *Si cum eo plantati coaluimus conformatione mortis eius, nimirum etiam reſurrectionis conformatione coaleſcemus.* & verſ. 8. *Quod ſi mortui ſumus cum Chriſto, credimus fore ut etiam vivamus cum eo.* & Rom. 8. verſ. 34. *Quis eſt qui condemnet? Chriſtus eſt qui mortuus eſt, imo vero qui etiam excitatus eſt.* & Corinth. 5. verſ. 15. *Ut qui vivunt poſthac, non ſibi vivant ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt & reſurrexit.*

VI.

Quorum Chriſtus eſt advocatus apud Patrem, illorum duntaxat eſt ἱλασμὸς ſeu propitiatio. Ratio eſt, quia unius eiuſdemque Pontificis eſt, pro populo orare, & ſacrificare. Sed Chriſtus tantum eſt advocatus pro iis quos Pater ipſi dedit, & non pro mundo: Ergo. Minor probatur ex Ioan. 17. verſ. 9. *Ego rogo pro iis quos dediſti mihi, non pro mundo rogo,* Roman. 8. verſ. 34. *Quis eſt qui condemnet? Chriſtus is eſt qui mortuus eſt, imo etiam qui excitatus, qui eſt ad dextram Dei, qui etiam poſtulat pro nobis.* Item, 1. Iohan. 2. verſ. 1. 2. *Advocatum habemus Ieſum Chriſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris.*

Sententia Ἑτεροδόξου *Rejectio.*

I.

Iudicamus errare Remonſtrantes, qui dicunt, Chriſtum pro omnibus & ſingulis hominibus, ex Decreto, voluntate, & gratia Dei Patris, perſolviſſe redemptionis pretium. In Theſibus exhibitis de Articulo ſecundo, Theſi prima.

II.

Cum dicunt Chriſtum ſanguine ſuo Patri impetraſſe tantum jus poteſtatemque æternæ redemptionis, iiſque, quibus ipſi viſum eſſet conditionibus, ſalutem conferendi. Reſponſ. ad VValach. pag. 47. Grevinch. contra Ameſ. pag. 9. lin. 9. Aut ut Epiſcopius aſſerit, *Hactenus homines per mortem Chriſti Deo reconciliatos, ut non obſtante amplius juſtitia, ſalutis ſpem iis facere, oſtiumque vitæ aperire, ſive novum fœdus ſancire voluerit, in quo fœdere vitæ ſpem facere decreverit, ſub hac conditione, ſi juſtitiam amarent, & odio haberent peccatum.* Theſ. excuſ. pag. 19. theſ. 7. 8.

III.

Cum aſſerunt, Deum omnibus & ſingulis hominibus ſalutem indiſcriminatim conferre voluiſſe, puta tam Pharaoni, quam Abrahamo; tam Iudæ, quam Petro; etſi res per multorum culpam aliter eveniat: & proinde Chriſtum eſſe ſacerdotem omnium hominum, etiam Pharaonis, quoad actum oblationis. Reſponſ. ad VValach. p. 49. Grevinch. cont. Ameſ. p. 48.

IV.

Cum dicunt, Chriſtum adæquate pro omnibus peccatoribus eſſe mortuum: reſurrexiſſe autem & intercedere, cum ſalvandi intentione, adæquate tantum pro fidelibus. ad Walach. pag. 50. 51.

Rejicimus

V.

Rejicimus etiam sententiam Adriani Borrei, qui dicit, Deum, universum genus humanum in reconcilationis gratiam assumsisse, & cum Adamo, omnibusque eius posteris, fœdus gratiæ inijsse, in quo remissionem peccatorum pollicetur, quotquot in illo fœdere perstabunt, & non prævaricabuntur. Cui sententiæ etiam non obscure subscribit Arminius, in Respons. ad quæst. 31. pag. 117. & Ioan. Arnold. qui statuit Adamum totius generis humani personam, non minus in secundo fœdere, quod est gratiæ, quam in primo, nempe legis & operum, gessisse, utpote qui utrobique stirps generis humani fuerit, contra Tilen. pag. 232. Nec ab hoc errore alieni sunt reliqui Remonstrantes, qui communiter sentiunt, Christum expiasse peccatum originis pro toto genere humano. Et Thesi. 6. exhibita de primo Articulo, expresse dicunt, neminem à vita æterna, vel à medijs ad eam sufficientibus rejectum esse absoluto aliquo antecedaneo Decreto, sed meritum Christi, Vocationes, omniaque dona Spiritus, prodesse ad salutem omnibus posse, & revera prodesse, nisi ea ipsi in exitium sibi eorundem abusu vertant.

VI.

Iudicamus etiam errare Remonstrantes cum statuunt, Deum Patrem destinasse Christum in Mediatorem, ante voluntatem ac intentionem certam, de aliquo homine nominatim salvando, ut patet ex ordine decretorum quem communiter statuunt, & Thesibus Episcopij de Redemptione, Thesi. 12. pag. 20. Adeo ut etiam ausint dicere, Impetrationi iam præstitæ ac peractæ, dignitatem, necessitatem, atque utilitatem suam abunde constare potuisse, etiamsi impetrata Redemptio nulli individuo unquam fuisset applicata, potueritque omnibus impetrata esse, & tamen nulli applicari. Grevinch. contra Ames. pag. 8. 9. lin. 11. & pag. 14. lin. 7.

VII.

Denique cum statuunt, Deum Patrem Christum in Mediatorem destinasse, cum nihil adhuc statuisset de conditione sub qua homines vellet servare. Adeo ut opere oblationis jam præstito ac peracto, integrum ipsi fuerit, quamcumque vellet conditionem, tam operum quam fidei, ad salutem consequendam præscribere. Armin. contra Perkins. pag. 76. lin. 18. Grevinch. pag. 9. lin. 7. & 15. lin. 7. & pag. 415. lin. 11. & hæc directe contra Apost. Galat. 2. vers. 21. *Si justitia per legem, Christus frustra mortuus est.*

Augustin. contra Iulianum lib. 3. cap. 3.

Redimuntur, sed non liberantur: lavantur, sed non abluuntur. Hæ sunt sententiarum portenta vestrarum, hæc paradoxa Pelagianorum hæreticorum, &c.

Cæterum, rogo te, quomodo potest intelligi ista redemtio nisi à malo redimente illo qui redimit Israel ab omnibus iniquitatibus suis? Ubi enim redemptio sonat, intelligitur & pretium. & quid est hoc nisi pretiosus sanguis agni immaculati Iesu Christi? De hoc autem pretio quare sit fusum, quid interrogamus alium? Respondeat ipse Redemptor, dicat ipse mercator: *hic est inquit sanguis meus qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum.* Pergite adhuc pergite, & sicut dicitis in sacramento Salvatoris baptizantur, sed non salvantur; redimuntur, sed non liberantur: sic etiam dicite, funditur pro ijs sanguis in remissionem peccatorum, sed nullius peccati remissione mundantur. Mira sunt quæ dicitis, nova sunt quæ dicitis, falsa sunt quæ dicitis.

Iudicium Ultrajectensium,

De Articulo Secundo Remonstrantium:

Theses Heterodoxæ, ex Articulo Remonstrantium 2. eiusdemque in varijs ab ipsis exhibitis scriptis, editisque in vulgus libris, explicatione excerptæ, quibus Orthodoxæ cum S. Scriptura consentientes Antitheses, ex adverso opponuntur.

Theses Heterodoxæ.

I.

DEi Patris, in tradendo in mortem filio, voluntas & intentio fuit, *a* omnibus & singulis hominibus, *b* tam perituris quam salvandis, *c* salutem aut vitam æternam conferre *d*.

a Collat. Belg. pag. 118. in medio. Thesibus exh. de secundo Art. Thes. 1.
b Adverf. Walachr. pag. 51. lin. ultima.
c Ibidem lin. 2.
d Ibidem lin. ultima.

Antitheses Orthodoxæ.

I.

DEi Patris, in tradendo in mortem filio, voluntas & intentio non fuit, omnibus & singulis hominibus, tam perituris quam salvandis, salutem aut vitam æternam conferre.

Theses Heterodoxæ.

II.

Hæc Dei voluntas conditionata, non autem absoluta fuit. *a*

a Contra Wal. pag. 52. lin. 2.
Ultraject. Remonst. in Notis suis ad Theses de secundo Artic. *d sub finem* ad § 2.

Antitheses Orthodoxæ.

II.

Si Dei voluntas & intentio, in tradendo filio in mortem, hæc non fuit, utique ea nec absoluta, nec conditionata fuit. Cuius enim rei negat *esse*, eius & modum tolli necesse est.

Theses Heterodoxæ.

III.

Christi in subeunda morte intentio fuit, *a* homines omnes aut singula individua *b* servare, tam eos qui pereunt quam qui servantur *c* seu, Christus pro Caino & Abele, pro Iuda & Petro, indiscriminatim in communi lapsus & peccati sorte consideratis, mortem sustinuit. *d*

Antitheses Orthodoxæ.

III.

Christi in subeunda morte intentio non fuit, omnes homines, aut singula hominum individua servare, tam eos qui pereunt quam qui servantur. Christus pro Caino & Abele, pro Iuda & Petro, indiscriminatim mortem non sustinuit.

a Collat. Belg pag. 158. lin. 17. in Bertij Versione. pag. 176. lin. 23. 24.
b Contra Walach. pag. 51. lin. 2. 3.
c Ibidem.
d Ibidem lin. 11. & seqq.

Christus

IV.

Christus pro omnibus & singulis hominibus mortuus est: *a* reconciliationem cum Deo & remissionem peccatorum singulis promeruit, *b* impetravit, *c* & iustitiæ Dei pro peccatis singulorum satisfecit; *d* etsi non omnibus & singulis, quibus impetrata sunt, applicentur. *e*

a Artic. 11.

b Ibidem, & exhibit. Thesib. Thesi. 3. Ultraject. Rem. in notis de Articulo 2. fol. 2. b. lin. 3. 4.

c Contra Walachr. pag. 51. lin. 2.

d Ultraject. Remon. ibidem fol. 2. a lin. 11. à fine.

e Artic. 11. Ultraject. Rem. ibidem fol. 2. b lin. 8. 9.

IV.

Christus pro omnibus & singulis hominibus non est mortuus, reconciliationem cum Deo & remissionem peccatorum singulis non promeruit nec impetravit, iustitiæ Dei pro singulorum peccatis non satisfecit, sed quibus reconciliationem cum Deo & remissionem peccatorum promeruit, satisfactione sua plenissime, ijs etiam omnibus & singulis applicat.

V.

Proinde Deus Pater, qui merito mortis Christi universo generi humano est reconciliatus, *a* novum gratiæ Fœdus cum omnibus & singulis peccatoribus damnationiq; obnoxijs hominibus inire potuit, voluitque. *b* cum pretium redemptionis, quod Christus Deo Patri obtulit, in se toti humano generi redimendo sit sufficiens. *c*

a Thesibus exhi. Thesis 2.

b Ibidem.

c Ibidem Thesi. 1. & scripto ingenti heri exhibito.

V.

Proinde Deus Pater, qui merito mortis Christi universo generi humano non est reconciliatus, novum gratiæ Fœdus cum singulis peccatoribus damnationique obnoxijs hominibus inire non voluit. Etsi enim pretium redemptionis, quod Christus Deo Patri obtulit, in se propter dignitatem personæ (est enim verus & æternus Deus, verus perfectissimeque iustus homo) toti humano generi redimendo sit sufficientissimum, efficacia tamen & fructus illius pretij ad solos redundat electos.

VI.

Quia Deus universum genus humanum in reconciliationis gratiam assumpsit, & cum Adamo, omnibusque, ac singulis eius posteris gratiæ Fœdus inijt, nemo, nec infans nec adultus, propter originale peccatū damnationi est obnoxius. *a*

a Arm. & Borrh. ad Articul. 31. pag. 117. 118. Ultraj. Remonst. in notis sup. Thesib. de Prædestinatione ad Thesin 4: sub finem.

VI.

Deus universum genus humanum in reconciliationis gratiam non assumpsit, nec cum omnibus & singulis Adami posteris gratiæ Fœdus inijt. Propter peccatum autem originale omnes & singuli infantes damnationi sunt obnoxij.

Vltrajectinorum fratrum de antescriptis Thesibus Antithesibusque Iudicium.

HAs de Christi morte, deq; Patris & Christi in ea intentione, &c. Remonstrantium Theses, Sacræ Scripturæ contrarias, gloriæ Christi & gratiæ Dei salutiferæ inimicas,

inimicas, denique ad veram solidamque vere fidelium consolationem ineptas, & minime accommodatas esse iudicamus, ac proinde in reformatis Dei Ecclesijs minime tolerandas.

Antitheses autem eis oppositas, Sacræ Scripturæ consentaneas, ad gloriam Christi & gratiam Dei salutiferam prædicandam atque extollendam necessarias, & vere fideles firmiter consolandos, utilissimas accommodatissimasque statuimus: ac proinde doctrinam eis comprehensam in Ecclesijs Dei reformatis, publice porro privatimque tradendam.

Rationes Iudicij nostri ex compluribus has adferimus.

I.

Ut à postremo exordiamur, Theses has consolandis vere fidelibus ineptas esse, hoc argumento practico probamus: Esto aliquis vere fidelis animo ob peccatum anxio, vehementerque perculso, ad eum erigendum, & adversus desperationis telum muniendum, hoc modo ex Remonstrantium doctrina erit argumentandum:

Qui pro omnibus & singulis hominibus est mortuus, etiam pro te. N. est mortuus.

Atqui Christus pro omnibus & singulis hominibus est mortuus. Ergo.

Hoccine firmum erit adversus desperationem munimentum?

Fac Christum pro omnibus & singulis mortuum, quid me id scire juvabit, nisi sciam salutem, quæ mihi impetrata est, etiam applicari. Est ergo doctrina de impetrationis universalitate, ad vere fideles consolandos, inepta; imo vero hoc argumento, Iudas se consolari potuisset, qui tamen damnatus est. Contra vero Antitheses hæ firmissimam vere fidelibus suppeditant consolationem. Hunc enim in modum argumentabitur vere fidelis:

Illi omnes & singuli pro quibus Christus mortuus est, habent remissionem peccatorum, & cum Deo sunt reconciliati; hæc enim est vox totius Euangelij.

Atqui Christus est pro me mortuus. Et unde autem id constat? Inde quia vere in Christum credo. est enim inter fidem veram & Christi mortem mutua relatio.

Promissiones Euangelicæ quidem universales sunt, non autem simpliciter, ut ad singula generum pertineant, sed ad omnes & singulos credentes & electos. Pro his enim omnibus & singulis & solis, ut post dicturi & probaturi sumus, Christus est mortuus.

II.

Theses hæ in Christum & gloriam Dei injuriæ sunt. Si enim Christus non intendit reconciliationem cum Deo ijs omnibus applicare, quibus intendit impetrare, si etiam salutem ijs omnibus, quibus eam impetravit, non applicat, sane Christus non erit perfectus, sed imperfectus salvator. Id autem falsum & blasphemum est, toti Sacræ Scripturæ reclamans, Hebr. 7. 23. Matth. 1. 27. ratio consequentis patet. Ad salutis perfectionem non sufficit impetratio sola, sed & necessaria est applicatio illius. Gloriæ Dei hac Remonstrantium doctrina discedit plurimum. Ratio, si non applicatio tota, aliqua saltem impetratæ salutis applicationis pars, homini tribuenda erit, eique erit materies de seipso gloriandi.

III. Scripturæ Sacræ contrarias esse Theses has dicimus. Non docet usquam Sacra Scriptura, Dei Patris, in dando in mortem filio, intentionem fuisse singulis salutem conferre, sed docet fuisse hanc; salutem dare electis, ijs, quos filio suo dedit.

Iohan.

Iohan. 17. 2. *Dedisti illi* [filio] *potestatem in omnem carnem, ut ijs quos dedisti illi det vitam aternam.*

Patris igitur intentio non alia fuit, quam, vitam æternam conferre electis: manifeste enim Christus eos, quos Pater ipsi dedit, ab omni carne discriminat. Voluit quidem Pater, ut filius potestatem haberet universe in omnem carnem, imo in cœlo & in terra, Matth. 28. At voluit idem Pater quoque ut particulariter daret filius vitam ijs, quos ipsi dedit, non autem omni carni universe.

Iohan. 6. 40. *Hæc est voluntas eius qui misit me, ut quisquis videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam.* sic Iohan. 3. 16. Voluntas ergo & intentio Patris fuit in filij missione, non singulis sed credentibus salutem conferre.

Rom. 8. 31. 32. *Qui proprio filio non pepercit, sed tradidit eum pro nobis, quis accusabit electos Dei, quis est qui condemnet?* Patris igitur intentio fuit, non ut singuli homines, sed electi tantum à condemnatione liberati servarentur.

Accedit ratio, Si Patris in filio tradendo intentio fuit, omnibus & singulis salutem conferre, etiam singulis media ad eam consequendam necessaria conferret.

Ratio. Salutem Pater sine medijs nemini vult conferre. 1. Timoth. 2. 5. at singulis ea media non confert. Singulis enim Euangelium non ann nciat, neque singulis quibus annunciatur confertur fides. *Vobis datum est, alijs non est datum. Crediderunt quotquot ordinati erant, &c.* Ergo nec intentio Patris in filij morte fuit singulis vitam conferre.

Thesis igitur prima falsa est, & S. Scripturæ adversatur.

Antithesis autem cum eadem consentit maxime.

Eversa Thesi prima, secunda per se ruit.

III.

Theseos falsitas, etsi manifeste ex antecedentibus colligi potest, tamen alijs insuper perspicuis eam S. Scripturæ testimonijs probamus, atque demonstramus.

Matth. 1. 21. *Salvum faciet populum suum.*

Matth. 20. 28. *Venit dare animam redemtionem pro multis.*

Iohan. 11. 52. *Iesum moriturum pro populo, nec solum pro illo populo, sed ut dispersos Dei filios in unum colligeret.*

Heb. 5. 9. *Consecratus est, causa salutis æternæ factus omnibus qui ipsi obediunt, &c.* Hinc argumentamur,

Quibus Christus causa salutis est factus, his solis Christus salutem intendit.
Atqui solis & omnibus obedientibus est factus causa salutis æternæ.

Ergo, solis obedientibus & omnibus, salutem intendit.

Major probatur. Nam, sine intentione salutem conferendi, causa ipsis salutis esse non potest.

Minor est Apostoli Heb. 5. 9. & Christi. Ioan. 3. 36.

Stat ergo conclusio, Proinde singulis hominibus Pater salutem non intendit.

Qui venit moriturus ut filios Dei dispersos colligeret & populum suum salvum faceret, is non intendit salvos facere reprobos. Reprobi enim, nec populus, nec filij Dei sunt, sed filij diaboli. Iohan. 8.

Atqui *Christus venit ut filios Dei colligeret, & salvum faceret populum suum.* Iohan. 11. & Matth. 1.

Ergo Christus non intendit reprobos colligere nec servare. Proinde, neque singulos homines, tam perituros quam salvandos.

Qui intendit omnes & singulos homines morte sua servare, cum omnes & singulos novisse ac dilexisse necesse est.

Ratio. Intentio eos per mortem servandi, eorundem notitiam ac dilectionem necessario importat. Ephes. 5. 25. *Christus dilexit & tradidit seipsum pro ea.* Ioh. 10. 15. *Ego cognosco oves meas, & pono animam pro ovibus.*

Atque

Atqui Christus non omnes & singulos novit Matth. 7. 23. non omnes & singulos dilexit Rom. 9. Malach. 1.

Ergo omnes & singulos morte sua servare non intendit.

Si Christus intendit omnes & singulos morte sua servare, etiam intendit omnes & singulos verbo & Spiritu suo vocare.

Ratio. Salus sine ea vocatione non obtingit. Rom. 8. 29.

Atqui omnes & singulos verbo & spiritu non vocat: testis est experientia: nec vocare intendit. Matth. 9. 13.

Ergo neque singulos morte sua servare intendit.

Hæc igitur Thesis sacræ Scripturæ contraria est: Antithesis autem est verissima.

IV.

Thesis eodem sese modo habet, & falsitas illius ex ante citatis tum testimoniis tum argumentis evincitur.

Si Christus non intendit omnes & singulos morte sua servare, utique non omnibus & singulis reconciliationem cum Deo, & remissionem peccatorum promeruit aut impetravit; nec Dei, pro omnium & singulorum peccatis iustitiæ satisfecit. Consequentia patet: Salus enim in reconciliatione cum Deo & remissione peccatorum consistit [Rom. 4. & Psal. 22. 1.] parta, obedientia, sanguine, & satisfactione Christi Rom. 5. 19. Ephes. 1. 7. Coloss. 1. 14. Heb. 9. 12. 1. Iohan. 1. 7.

Atqui Christus omnes & singulos morte sua servare non intendit, ut ante est probatum.

Ergo singulis reconciliationem, &c. non promeruit.

Si Christus singulis morte sua reconciliationem promeruit, etiam pro singulis intercedit.

Ratio. Intercessio Christi cum eiusdem oblatione inseparabiliter conjuncta. Ioan. 17. 19. 20. Rom. 8. 34. 1. Iohan. 22. Esai. 53.

Atqui pro singulis hominibus Christus non intercedit. Iohan. 17. 9. *non oro pro mundo.*

Ergo pro singulis reconciliationem, &c. non promeruit.

Christus ponit omnia pro ovibus suis. Iohan. 10. 15. Atqui singuli homines non sunt oves Christi.

Ergo animam suam pro singulis hominibus non ponit

Major est Christi.

Minor est indubitata. Stat ergo Conclusio.

Quod Remonstrantes, Collat. Belg. pag. 155. § ultimo, respondent, Hic non agi de ovibus quæ ad gloriam primum absolute; deinde vero ad fidem sunt electæ; item hic agi, de eiusmodi ovibus, quæ Christi vocem audiunt, noverunt, & sequuntur, ac proinde ab hominibus cognosci possunt, id non evertit argumenti robur. Nam quod ad prius, sive electio absoluta, sive conditionalis sit, nihil facit ad rem, illud certum est, singulos homines non esse Christi oves. quod ad posterius, oves etiam à Christo appellantur eæ, quæ vocem eius nondum audiunt, nec dum sequuntur, sed tempore à Deo definito, audituræ sint, atque secuturæ, Iohan. 10. 16. ita Saulus, cum esset persecutor, blasphemus, non erat actu ovis Christi, erat tamen ovis Christi, decreto electionis.

Actor. 20. 28. *Attendite ad pascendam Ecclesiam Dei, quam sanguine suo acquisivit.* Ephes. 5. 25. *Ecclesiam dilexit & tradidit semetipsum pro ea*, &c. Hinc ita argumentamur:

Christus Ecclesiam suam sanguine suo acquisivit, proque ea sese tradidit.

Atqui non omnes & singuli sunt Ecclesia Christi, est enim & quædam Ecclesia Diaboli.

Ergo singulos sanguine non acquisivit, neque pro singulis se tradidit.

Exceptio-

Exceptiones Remonstrantium eludendis his locis adhibitæ, pag. 156. collat. Belg. sunt duæ. Ad priorem locum sic respondent.

Si Ecclesiæ vox notat solos electos, tum præcipit Apostolus Ephesinis Episcopis, ut solos electos pascant, id autem absurdum est I. quia Ecclesia illa visibilis erat, in qua & hypocritæ. II. Episcopi illi electos dignoscere non potuerunt, non ergo de electis agitur.

Resp. Ecclesiæ nomine, electos denotari verum est, sive autem de visibili, sive de electorum Ecclesia agat Apostolus, id nihil ad quæstionem, firmum enim certumque manet illud, singulos homines Ecclesiam Christi non esse, proinde neque omnes sanguine Christi sunt redemti, aut necesse esset dici Episcopis Ephesinis; non modo pascendos curandosque fuisse datos fideles, Christum, profitentes, sed etiam infideles, hostes, adversariosque Christi; quod falsum est. In Ecclesijs quidem visibilibus hypocritæ locum obtinent, at Ecclesiæ nomen toti cœtui communiter tribuitur, ob meliorem eius partem, ea autem sunt electi, sanguine Christi acquisitum esse, de Ecclesia prædicatur & quidem sola. Si enim beneficium id universale & singulorum esset; quænam obsecro esset vis illius exhortationis, Attendite Ecclesiæ vos Episcopi & pascite eam. Ratio est, Deus singulos homines sanguine suo acquisivit. Absurdum; ex beneficio soli Ecclesiæ à Christo collato argumentatur Apostolus, presbyterorumque erga eam officium infert.

Ad alterum locum ex Ephes. 5. 25. sic excipiunt

Remonstrantes: non haberi in ea particulam tantum:

Proinde non sequi, Christum non se etiam pro alijs tradidisse.

Respondemus effugium illud esse. Nam I. Christus, cum ait, se viam, resurrectionem, vitam &c. non addit particulam *tantum*, an ergo præter Christum alia est vita, alia resurrectio, alia via? Paulus ait placuisse Patri, ut in Christo habitaret omnis plenitudo, non addita particula *tantum*, an ergo est alia usquam plenitudo, præterquam in Christo? omnia sustineo, inquit Apostolus, propter electos: an igitur, quia exclusivam diserte non apponit, etiam propter reprobos omnia sustinuisse dicendus erit? II. dicimus locum de Ecclesia tantum aut sola intelligendum necessario esse; si enim dilectio, de qua hic, ad omnes universe pertinet, cur eam ad Ecclesiam Apostolus particulariter restringit? dicendo: Christus dilexit ecclesiam & exposuit semet ipsum pro ea. III. scopus & argumentatio

Apostoli exceptionem illam refellit, scopus est, maritos fideles ad uxores diligendas exhortari: argumentum adfertur, ab amore Christi erga ecclesiam, & illius amoris testimonio, seu affectu certissimo, non autem ab amore communi in omnes & singulos homines: sed singulari in corpus suum mysticum; in eos qui sunt cum ipso una caro, &c. versu 30. non autem homines omnes & singuli sunt corpus Christi, sed Ecclesia; pro ea sola ergo se tradidit in mortem, ut eam redderet sibi gloriosam, sanctam, inculpatam. Si ab universali in singulos amore argumentaretur Apostolus, parum stringeret argumentum.

Falsa igitur est Thesis quarta, contraria Scripturæ sacræ. Antithesis autem verissima solidissimis testimonijs illius subnixa. Testatur quidem Scriptura, Christum pro omnibus mortuum, nusquam autem pro singulis, nec disertis nec æquivalentibus verbis. Quamobrem omnes in hac propositione, aut notat gentes pariter, & Iudæos, Rom. 3. vers. 9. aut notat varia hominum genera, ut 1. Tim. 2. 5. aut denique omnes & singulos fideles, ut 2. Cor. 5. 14. 15. Nam hunc locum de singulis hominibus universe non posse accipi, sed de credentibus & regenitis his rationibus evidenter probamus.

I. Apostolus ait, *ut qui vivunt, non sibi vivant posthac, sed ei qui pro ijs mortuus est*, vers. 15. Atque non omnes universi homines vivunt Christo, sed vere fideles; neque enim hic de naturali, sed spirituali vita agitur. Quod cum negent Remonstrantes, nos probamus; si vita hæc Apostolo notat vitam naturalem, & mors, quam huic vitæ opponit; (dicendo *ergo omnes mortui* vers. 14.) naturalem mortem notabit. Qualis enim ea mors, talis ex oppositorum natura etiam & vita est intelligenda. Atque mors illa, de qua loquitur, non naturalis est, neque enim ij pro quibus Christus mortuus est, naturaliter erant mortui. Ergo vitæ nomine

non naturalis, ſed ſpiritualis vita ſignificat, II. Apoſtolus morti Chriſti addit reſurrectionem illius; eam autem reſtringunt ad ſolos fideles ipſi Remonſtrantes, Collat. belg. pag. 160. linea 13. & 14: in refutatione argumenti quarti in fine. Ergo voce *omnes* ſoli hic fideles deſignantur: III Apoſtolus ſubdit, *ſi quis in Chriſto eſt, eſt nova creatura*, verſu 17. non autem omnes & ſinguli ſunt novæ creaturæ, nec omnes & ſinguli ſunt in Chriſto, quia multi Antichriſti & multi extra Chriſtum. Soli vere fideles ſunt in Chriſto, & novæ creaturæ, ergo pro his ſolis Chriſtus mortuus: IV addit Apoſtolus, *vetera præterierunt, nova facta ſunt omnia. hac autem omnia ex Deo, qui nos reconciliavit ſibi per Ieſum Chriſtum*: quid clarius, quam Apoſtolum loqui de omnibus & ſingulis fidelibus, aut Eccleſia tota; de ea ſiquidem ſola verum eſt, *vetera præteriiſſe & nova facta eſſe omnia*, de ſingulis hominibus falſum. Quod igitur Apoſtolus hic nota univerſali deſignat, id & ante intellexit eadem nota, atqui hic deſignat Eccleſiam & vere fideles, ergo & ante. Conſequentia maioris patet. agit enim de una eademque charitate Chriſti, de qua verſu 14. poſtremo concludit Apoſtolus, ex hac charitate, *neminem ſe noviſſe ſecundum carnem*, id eſt ſecundum externam ſpeciem, nequidem ipſum Chriſtum verſu 16. Chriſtus enim ſe ab omnibus carnis infirmitatibus, ac morte, reſurrectionis virtute vindicaverat, omnes ergo & ſingulos, innuit Apoſtolus, noviſſe, id eſt, conſideraſſe ſecundum ſpiritualem eorum conſtitutionem in Chriſto, tanquam membra capitis, hoc autem de ſingulis hominibus nequaquam, ſed ſolis fidelibus regenitiſque per ſpiritum ſanctificationis, accipi debet, hi enim ſoli ſpiritualem conſtitutionẽ habent in Chriſto, reliqui ab Apoſtolo tantum ſecundum carnem, tanquam Adami filij cogniti, & conſiderati fuerunt, unde luce meridiana clarius eſt, voce *omnes*, hoc loco non ſingulos homines univerſe, ſed ſolos fideles deſignari.

Aſſerit etiam Scriptura, Chriſtum propitiationem eſſe pro peccatis totius mundi 1. Ioa. 2. 2. ſed neque vocibus *totius mundi*, notantur ſinguli homines in hac propoſitione: alibi nonnunquam, pro ſingulis hominibus univerſe, licet ſumantur, hoc tamen loco eo ſenſu accipi negamus. Ratio eſt quia hic non de impetratione ſola reconciliationis, & remiſſionis peccatorum agitur, ſed etiam de illius applicatione; nam cum propitiatione Chriſti eiuſdem interceſſio conjungitur, quę non eſt univerſalis pro ſingulis, ſed pro electis, ſive actu credant, ſive credituri ſint. *Non oro*, inquit Chriſtus, *pro mundo*. Nam quod interceſſionem Chriſti duplicem faciunt Remonſtrantes, aliam generalem pro omnibus & ſingulis, aliam particularem pro fidelibus tantum, illud purum putum eſt eorundem commentum, cuius nullam ex ſcripturis probationem adferre poſſunt.

Hæc de Theſi quarta.

De V. Theſi ita ſtatuimus, poſtremo illius membro nos ſubſcribere, ſanguis enim Chriſti in ſe, ad univerſum humanum genus redimendum, ſufficientiſſimus eſt: cauſa illius ſufficientiæ eſt dignitas perſonæ Chriſti, eſt enim Chriſtus verus æternuſque Iehova, ex ea autem hypotheſi non ſequitur, Deum patrem ſingulis hominibus reconciliatum eſſe, neque ſequitur, Deum patrem novum gratiæ fœdus cum ſingulis univerſe inire voluiſſe.

Nam quod prius attinet, S. Scriptura contrarium teſtatur. Iohan. 3. 36. ait Chriſtus, *qui non obtemperat filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper ipſum.* unde inferimus. Super quos manet ira Dei, ijs Deus pater non eſt reconciliatus.

Atqui ſuper incredulos manet ira Dei. Ergo &c. Proinde neque univerſo generi humano reconciliatus. Maior patet. quid enim eſt reconciliatum eſſe, niſi iram antegreſſam depoſuiſſe; cum, cui offenſus fueras, in gratiam recepiſſe. Reconciliatum enim alicui eſſe, & ira in eum ardere ſunt ἀσύςατα.

Minor eſt Chriſti, ſtat ergo Concluſio.

Duo in Collatione pag. 158. Belg. lin. 30. & ſeqq. regeruntur: 1. fatentur Rem. manere quidem iram Dei ſuper infideles, cum non ſint in ſtatu gratiæ reſtituti, nihilo tamen minus morte Chriſti, ianuam ipſis ad gratiam eſſe apertam. 2. dicunt *manere* non ſemper ſignificare, locum, in quo es, tenere, ab eoque nunquam recedere.

Reſpon-

Respondemus ad 1. si ira Dei manet super incredulos, & statum gratiæ non sunt restituti, sequitur, non esse reconciliatos Deo. Qui enim reconciliatus est Deo, in statum gratiæ iam est restitutus, neque enim est tertius aliquis aut medius status inter reconciliationem & statum gratiæ, aut si esse putant, demonstrent è scripturis. 2. esto sit ianua Christi morte ad reconciliationem patefacta incredulis (quod tamen falsum est) non possunt tamen propterea dici, Deo esse reconciliati. Absoloni per feminam Tekoensem ianua, ad reconciliationem cum patre Davide aperiebatur, nondum tamen patri Absolon reconciliatus erat.

Respondemus ad 2. Quod manet, dum manet, certe non recedit. Atqui Christus inquit, super incredulos manet ira Dei: Cæterum illud ex Remonstrantibus scire desideramus, cum, qui increduli existunt, aliquando ab incredulitate ad fidem & Christum convertantur, quando ira Dei, quæ super incredulos, manere à Christo dicitur, incipiat venire? cumque dicant Remonstrantes, vere fideles rursus infideles omnino fieri posse, quo pacto ira Dei super eos, superquos nunquam fuit, manere dici potest?

Quod attinet posterius de novo fœdere cum singulis hominibus inito. Respondemus, an Deus id potuerit, nolle nos contendere: voluisse autem aut inivisse negamus. Nusquam enim id scriptura docet.

I. Cum quibus Deus novum gratiæ fœdus inire voluit, ijs etiam fœderis illius & gratiæ verbum annunciari voluit.

Atqui gratiæ & fœderis verbum singulis non voluit annnnciari.
Ergo nec cum singulis gratiæ fœdus inire voluit.

Maior patet, cum Adamo novum gratiæ fœdus initurus, cum Abrahamo illud fœdus pacturus, cum gentibus icturus verbum fœderis, aut ipse annunciavit, aut annuntiandum curavit. Gen. 3. & 12. & Matth. 28. Marc. 16. Ephes. 2.

Minorem docet experientia, tum Veteris. Psal. 147. tum Novi testamenti Act. 14. Stat ergo conclusio.

Si cum singulis hominibus novum gratiæ fœdus inivit Deus, sequitur, nullum inter semen serpentis & semen Christi esse discrimen, aut omnino nullum esse semen serpentis.

Falsum consequens. ergo &c.

Si cum singulis gratiæ fœdus inire voluit Deus Pater, tum verum est, Deum etiam singulorum misereri voluisse. Rat. quod misericordiam præstat Deus, ex gratiæ fœdere est.

Atqui non miseretur singulorum Rom. 9. 15. 18. Ergo &c.

Si Deus cum singulis gratiæ fœdus init, sequitur quod singuli pacem habeant cum Deo, & nemo sit filius iræ natura.

Atqui multi pacem cum Deo non habent.
Sunt filii iræ natura omnes. Ergo &c.

Major per se patet: Minor probatur ex initijs Apostolicarum epistolarum, ubi pax, gratiæ comes individua, aut effectus causæ adjungitur.

Falsa est igitur hactenus Thesis quinta. Antithesis autem illius verissima in Scriptura Sacra fundata.

VI. Thesis tria complectitur membra. Priora duo iam ante falsitatis convicimus: postremum est eiusmodi, Propter originale peccatum neminem nec adultum nec infantem, damnationi obnoxium esse.

Contrarium testatur Apostolus de infantibus Ephes. 2. 3. de adultis David Psal. 51. 7. de utrisque Apostolus Rom. 5. 18. Falsa igitur est hæc postrema Thesis. Antithesis autem verissima.

Concludimus igitur, omnes hasce Theses falsas esse, & scripturæ sacræ contrarias, gratiæ Dei & gloriæ Christi inimicas, ac proinde eas damnamus, neque in Ecclesia Dei Reformata ferendas iudicamus.

Antitheses autem, quia S. Scripturæ sunt consentaneæ, gratiam Dei & Christi gloriam, secundum Scripturæ canonem extollunt, consolationisque veræ materiam suppeditant amplissimam, in Ecclesia prædicta retinendas, ac porro docendas esse.

Sententia Remonstrantium

Circa Articulum Secundum.

Iudicium deputatorum Ecclesiarum Frisicarum.

IN secundo hoc articulo similiter agunt Remonstrantes, atque in primo. Partim enim de non controversis novum formant articulum, partim speciose loquuntur: vt eo tutius, quos fovent errores, incautis obtrudant. Si pax Ecclesiæ ipsis cordi fuisset, nihilque aliud in pectore gestassent, quam quod verbis simpliciter & sane intellectis præ se ferre videntur, potuissent etiam ab hoc articulo efformando abstinere, & in recepta doctrina acquiescere. Neque enim ipsos fugit doctrinam *de sufficientia meriti mortis Christi*, ad expianda omnium & singulorum hominum peccata, si omnes & singuli crederent, constanter in Ecclesijs Belgicis, omnibus hactenus, nemine contradicente, retentam & doctam esse. Non ignorant propterea à compluribus Orthodoxis sano sensu usurpatam esse hanc distinctionem: *Christum pro omnibus & singulis mortuum esse, quoad λύτρου sufficientiam*, pro electis vero & credentibus, *quoad efficaciam*. Denique cum Remonstrantes dicunt, Christum pro omnibus & singulis mortuum esse, non hoc *simpliciter* accipi volunt: sed certo quodam sensu, *ita* nimirum ut omnibus & singulis *impetraverit* reconciliationem & remissionem peccatorum. Hanc Christi impetrationem, cum in declaratione huic Synodo exhibita, negent esse *absolutam aut simpliciter factam* quandoquidem (vti aiunt, absoluta remissionis *pro aliquo* impetratio, non possit consistere cum *conditionibus* remissionis *postea præscribendis*) satis indicant eam *conditionatam* esse, id est, Christum impetrasse remissionem peccatorum pro omnibus & singulis, *si conditiones fœderis & salutis à patre præscribendas præstent*, id est, credant, & in fide, fideique obedientia perseverent, absque qua etiam perseverantia, ipsa jam aliquamdiu vere credentibus facta remissio revocetur: ijs vero qui conditiones illas non præstant, Christum revera remissionem non impetrasse, quin etiam *nemini*, si neminem (quæ fieri secundum ipsos poterat) contingeret eas præstare. *Cumque oblatio mortis & imperatio* ipsis æque pateant, quid aliud inde consequi potest, quam Christum non simpliciter, sed *conditionate* mortuum esse pro omnibus & singulis, si nimirum credant. Si jam his addatur alterum ipsorum axioma, *Christus non est mortuus pro fidelibus qua talibus.* Item, Christus ad mortem crucis destinatus est, antequam Deus quidquam apud se de quoquam mortalium nominatim salvando statuisset, imo ne de conditionibus quidem salutis, quidquam decrevisset, sequetur Christũ *nec pro omnibus, nec pro fidelibus revera, imo* ne pro ullo quidem mortalium nominatim, sed tantum mortuum esse in genere, in *bonum hominum*; hoc sensu, ut mors eius sit causa *sine qua non voluerit* Pater misericordiæ fores hominibus aperire conditionesque de novo præscribere, quas præstando, homines consequi possent remissionem peccatorum, & vitam æternam. Nisi his & alijs (de quibus postea) horrendis opinionum portentis fuissent gravidi eaque sub plausibili quodam Articulo disseminare studuissent equidem nulla necessitatis species ipsos ad novum hunc Articulum cudendum adigere potuisset. Totum autem hoc, quod sub hujus Articuli fimbria occultare, & invehere conati sunt, in eo latet, quod non contenti recepta de sufficientia mortis Christi doctrina, *talem impetrationem remissionis peccatorum pro omnibus & singulis,* invenerint:

invenerint; quæ ab omni remissionis *participatione* sit seiuncta. Vbi inprimis notandum nobis videtur, quod cum illis propositum sit agere de morte & satisfactione Christi, eiusque fructibus & efficacia, bonisque per eam impetratis; nec rationem satisfactionis exponant, nec vllam spiritus sancti donorum, puta fidei, perseverantiæ, imaginisque divinæ in nobis instaurationis, seu naturæ nostræ renovationis, mentionem faciant. Quo subindicarunt, id quod alibi clare aperiunt, Christum salutem impetrasse ut *peccata possent* remitti, seu peccatorum remissibilitatem, & hominum Deo reconciliabilitatem: sed eius boni participationem omnem *à libera præstatione præscriptarum conditionum*, id est, ab homine eiusque libero arbitrio suspensam esse.

Verum nos primo hunc Articulum considerabimus simpliciter, prout iacet, deinde ad errores sub eo occultatos, & in scriptis Remonstrantium proditos, devenîemus.

In Articulo hoc quatuor consideranda iudicamus.
1. quod dicunt; Christum pro omnibus mortuum esse.
2. pro singulis mortuum esse.
3. Mortuum esse pro omnibus & singulis, *ita vt ijs remissionem peccatorum & reconciliationem impetraverit*.
4. Neminem eius *participem fieri præter credentes*.

De primo.

Ad primum membrum quod attinet, cum scriptura id expresse dicat, quis Christianus contradicet?

Legimus Christum pro *omnibus* mortuum esse 2. Cor. 5. 15.
Christum se ipsum dedisse ἀντίλυτρον pro *omnibus* 1. Timoth. 26.
Christum mortem gustasse pro *omnibus* Heb. 2. 19.
Christum propitiationem esse non tantum pro nostris peccatis, sed & pro *totius mundi* scil. peccatis 1. Ioh. 2. 2.
Per Christum *omnes* vivificandos. 1. Cor. 15. 22.
Christum esse agnum, qui tollit peccata *mundi* Ioh. 1. 29.
Carnem Christi esse datam pro *mundi* vita Ioh. 6. 51. 33.
Verum & in eadem scriptura Evangelica legimus, Christum dedisse animam in λύτρον, pro *multis*. Matth. 20. 28.
Sanguinem Christi fusum esse pro *multis* in remissionem peccatorum. Matth. 26. 28. Marc. 14. 24.
Christum animam suam posuisse pro ovibus suis. Ioh. 10. 15.
Christum mortuum esse pro gente, scilicet, Iudaica, & non pro illa gente solum, sed & ut *filios Dei dispersos in unum congregaret*. Ioh. 11. 51. 52.
Christum se dedisse *pro Ecclesia*. Eph. 5. 25.
Christum *Ecclesiam suam* acquisivisse sanguine suo Act. 20. 28.
Christum *pro electis* mortuum esse Rom. 8. 34.
Christum oblatum esse vt *multorum* peccata tolleret Heb. 9. 28.
Iesum, ut per proprium sanguinem *populum* sanctificaret, extra portas passum esse Heb. 13. 12.
Christum moriturum rogasse non pro mundo, sed *pro ijs quos pater ipsi dederat ex mundo* Ioh. 17. 9.
Christum mortuum esse *pro nobis*, pro peccatis, propter peccata *nostra*, passim Apostoli nomine *Ecclesiæ* ingeminant.

Similiter in veteri Testamento.

Christum

Christum portasse, baiulasse peccata *multorum* Esa. 53.
Christum septimana illa corroboraturum fœdus *multis* Dan. 9.27.

Ex quibus, alijsque similibus Sacræ scripturæ locis, liquet, commoda explicatione hæc esse concilianda. Ad nos autem quod attinet, persistimus in hac Orthodoxis, tam priscis quam recentioribus vsitatissima explicatione, quod scriptura in hoc argumento *omnium* & *mundi* mentionem faciens, vel intelligat *omnes credentes*, vti manifestum est in locis citatis. 2. Cor. 5. 15. & 1. Cor. 15. 22. Hebr. 9. 10. & alibi reperitur Ephes. 4. 10: 1. Cor. 15. 28: vel *quosvis seu cuiuscumque ordinis homines*, vt 1. Timoth. 2. 6: Sicuti vocem *omnes* & *omnia* hoc sensu in scriptura vsitatissimam esse, à plurimis antehac solide est demonstratum: vel denique (quod Spiritui Sancto familiare est) omnes non tantum populi Iudaici; sed & Græcorum, sive gentium electos & credentes; quod vel ex sola collatione locorum, quæ ex beato & dilecto Christi discipulo Iohanne prolata sunt, constare potest. Is præ alijs videtur esse delectatus hac voce *mundi*, vt sanctam in mysterio vocationis gentium exultationem, & quidem in nostrum solatium, exprimeret. Quid ille tibi voluerit celeberrima illa sententia: *est propitiatio non solum pro nostris peccatis, sed & totius mundi*: & hac Baptistæ: *Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi*: & hæc ipsius Christi: *carnem meam dabo pro vita mundi*: &, *panis Dei est, qui è cælo descendit, & vitam dat mundo*. An non satis idem Apostolus declarat Iohan. 11. dicens, oportuit vt moreretur, *non pro gente solum* (Iudaica sc:) sed vt filios Dei dispersos (scil: in gentibus, *sive in mundo*) colligeret in vnum. An non & ipsa connexio in loco 1. Iohan 2. 2. id evidenter ostendit, cum eadem ratione Christum propitiationem esse asserit pro peccatis *totius mundi*, qua pro nostris, id est fidelium, ad quos scribebat: nisi quis velit Iohannem hic voluisse dicere, Christum esse propitiationem pro peccatis fidelium perseverantium *absolute*, partim absolute partim conditionate, prout nimirum vel credituri essent homines, & perseveraturi, vel non: quod ipse contextus Apostoli respuit, & sententiæ Remonstrantium (qui Christum pro fidelibus qua talibus mortuum esse negant) contradicit. Neque enim dicit Apostolus pro nostris peccatis *est*; pro aliorum etiam omnium & singulorum hominum *esse posset*: sed *est* propitiatio, non tantum pro nostris, sed *etiam* totius mundi peccatis. Deinde *intercessionem Christi in cælis*, quam ad fideles, Remonstrantes ipsi restringunt, connectit ibi Apostolus cum *propitiatione*, vt illam ex hac deducat ostendens Christum vt advocatum in cœlis intercedere pro peccatis illorum, pro quorum peccatis factus erat propitiatio in terra. Idem patet ex collatione loci eiusdem Apostoli, qui exstat in Apocalypsi cap. 5. 9. *Mactatus es & emisti nos Deo per sanguinem, ex omni tribu & lingua & populo & gente*. Prædictæ auxesi, qua Iohannes vsus est, non absimilia sunt illa Christi: sanguis meus effunditur *pro vobis*, quod Lucas habet: & *pro multis*, quod Matthæus & Marcus habent. Item illa Angelis gaudium magnum erit *vobis*, & *toti populo*: item illud Christi: habeo *alias oves* (pro quibus scilicet *etiam* animam pono), quas me oportet adducere: & Petri illa: *vobis vestrisque liberis* facta est promissio, & *omnibus* qui longe sunt, quoscumque scilicet advocaverit Dominus Deus noster.

Præterea gentium Apostolus aperte docet, quid in hac materia per *Mundum* sacra scriptura intelligat, cum divitias *gentium* & divitias *mundi* pro vno & eodem sumit, Rom. 11. 12. & per *mundum* designat eos quibus Deus non imputat peccata, id est electos & credentes in mundo vniverso 2. Cor. 5. 19. Vno verbo multi & omnes illi, nulli alij sunt quam *Ecclesia Catholica*.

Hisce Novi Testamenti phrasibus consentanea sunt ea, quibus in Veteri Testamento (vbi de gratia Testamenti, fructuque adventus & mortis servatoris nostri agitur) nunc (indefinite) populos & gentes, nunc omnes totius terrarum orbis gentes, & nationes, *non remissibilitatem aut reconciliabilitatem* quandam consecuturas esse, sed Christi eiusque beneficiorum salutarium *reipsa participes fore* prædicitur. Vt extra dubium sit talia dicta non de omnibus & singulis hominibus, sed de electa ex quibus is genti-

Digitized by Google

gentibus Ecclesia intelligi oportere, plane in eundem modum, ut Apostolus ad Rom. 5. tradit, ad omnes non justificabilitatem, sed *justificationem* vitæ per Christum pervenisse; quod de omnibus fidelibus, sive de ijs qui Christi sunt (vt idem Apostolus loquitur. 1. Cor. 15.) accipiendum esse, res ipsa clamat. Non tædebit nos paucula, quæ amplitudinem istam fructus meritorū Christi declarant, ex vet. Test. in medium adferre. Celebratissimum est illud Patriarchis factum promissum, in semine tuo (non benedici *poterunt*) sed *benedicentur omnes gentes*. sive *omnes* familiæ & nationes. Item illud ex cantico Mosis ab Apostolo ad Rom. 15. descriptum: gaudete *gentes cum populo eius*. In quo loco & similibus, Apostolo interprete, sacra Scriptura prædixit, gentes cum populo Iudaico Deum, propter misericordiam ipsis factam, celebraturas esse, quod fidelium & conversorum proprijssimū est. Item, dabo *gentes* in hæreditatem, & in possessionem tuam *fines terræ*. Item, convertentur ad Iehovam *omnes fines terræ* & incurvabunt se coram te *omnes familiæ* gentium, quoniam Iehovæ est Regnum, & dominabitur in gentibus. Et, laudate Deum *omnes gentes*, & celebrate eum *omnes* populi. &, extremis temporibus mons Iehovæ erit constitutus in vertice montium, & elatus supra colles, & confluent ad eum *omnes* gentes, & plena erit terra cognitionis Iehovæ, & radix Isai stabit in vexillū *populorum*, & gentes eum consulent, sive in ipsum sperabunt. Et, dedi te in fœdus *populi*, & lucem *gentium*. Et faciet Iehova in monte hoc convivium *omnibus* populis, ex pinguibus, ex vino defæcato, ex medullatis, ex vino à fæcibus expurgato; &, absorbebit in monte hoc velum faciei, velum illud quod operit *omnes* gentes, & operimentum, quod est obductum *omnibus* gentibus. Absorbebit mortem in æternum, & absterget lachrymas ab *omnibus faciebus*. & opprobrium populi sui amovebitur *à tota terra*, & in me *insulæ* exspectationem habebunt. Et, canta sterilis, quæ non paris, dilata locum tentorij tui, aulæa habitaculorum tuorum extendantur: ne prohibete, prolonga funes tuos, & clavos tuos confirma, nam *dextrorsum, & sinistrorsum* prorumpes, & semen tuū hæreditario *gentes* possidebit, & civitates desolatas habitabiles efficiet; &, testem *nationum* constitui te; constitui eum principem, & præceptorem *nationum*: *gentes* quæ non noverant te, ad te adcurrent, &, ambulabunt *gentes* ad lucem tuam, & reges ad splendorem exortum tibi. Attolle *circumquaque* oculos tuos, & vide, *omnes isti* congregant se, & veniunt ad te filij tui, è longinquo venient, & filiæ tuæ ad latus educabuntur, tunc videbis, & instar fluvij erumpes, & expavescet atque dilatabitur cor tuum, cum mutabitur, atque ad te veniet *gentium multitudo*, quia *copia gentium* ad te venient, apertas tenebunt portas tuas jugiter, interdiu & noctu non claudentur, vt introducant ad te *copias gentium*, etiam regibus eorum adductis, efficiam te excellentiam perpetuam, gaudium *omnium* generationum. Et suges lac *gentium* & mammas regum suges. Et: effundam de spiritu meo super *omnem carnem*, & temporibus vltimis populi ad montem Domini confluent, ibuntque *gentes multæ* dicentes, venite ascendamus &c. Et, venient *populi multi, & gentes numerosæ*, ad quærendum Iehovam exercituum Ierosolymæ, & ad deprecandam faciem Iehovæ, eritque diebus illis prehendent decem homines, ex *omnibus linguis gentium*, prehendent, inquam, clam viri Iudæi, dicentes, ituri sumus vobiscum, quia audivimus Deum esse vobiscum. In his citandis fuimus operosiores, vt phrasin S. Scripturæ, tum in Vet. tum in Novo Testamento vsurpatam, conferremus, eiusque sensum, sua evidentia se in hoc argumento offerentem, ostenderemus. Nos equidem hisce omnibus consideratis nulli dubitamus, quin meridiano sole clarius sit, S. Scripturam, in istis & similibus, vniversalitatem insinuantibus promissis, respicere ad exercitum Sancti populi, vniversamque Ecclesiam electorū & credentium, ex omnibus angulis orbis terrarum, omni tribu, omni lingua, populo, & gente, primo ad Christū hic evocandam, dein ad nuptias Agni congregandam, & cum Abrahamo *Mundi*(idest gentium fidelium) illo patre & hærede, in cœlis accubituram,

Gen. 12. 3. 18. c. 18. 22. 18. Act. 3. 15. Gal. 3. 8. 14. Deut. 32. 43. Rom. 15. 10. Psal. 2. 8. Psa. 22. 28. 29. Psal. 117. 1. Rom. 15. 11. Esa. 2. & sequen. Esa. 11. 9. 10. Esa. 42. 6. Esa. 25. 6. & sequen. Esa. 54. 1. & sequen. Esa. 60. 3. & sequen. Esa. 60. 16. Ioel. 2. 28. Mich. 4. 1. & sequen. Zach. 8. 22. 23. Rom. 4. 13. 11 Matth. 8. 11.

Et vero sicuti optimo misericordiarum Patri placuit, Mysterium *istius vniversalitatis* in nostrum, qui gentes sumus, solatium, in scripturis revelare, parietemque intergenum è medio tollere, ita cum sancto cordis gratissimi gaudio nobis ea inde in nostrum solatium desumimus, Deumque secundum Apostoli doctrinam, & fidelium gentium, quæ in Actis passim extant, exempla, pro misericordia celebramus. Quod utique, qui non faciunt, ad eos istud salutaris illius, & non & generali quodam omnium

inimicas, denique ad veram solidamque vere fidelium consolationem ineptas,& minime accommodatas esse iudicamus, ac proinde in reformatis Dei Ecclesijs minime tolerandas.

Antitheses autem eis oppositas, Sacræ Scripturæ consentaneas, ad gloriam Christi & gratiam Dei salutiferam prædicandam atque extollendam necessarias, & vere fideles firmiter consolandos, utilissimas accommodatissimasque statuimus: ac proinde doctrinam eis comprehensam in Ecclesijs Dei reformatis, publice porro privatimque tradendam.

Rationes Iudicij nostri ex compluribus has adferimus.

I.

Ut à postremo exordiamur, Theses has consolandis vere fidelibus ineptas esse, hoc argumento practico probamus: Esto aliquis vere fidelis animo ob peccatum anxio, vehementerque perculso, ad eum erigendum, & adversus desperationis telum muniendum, hoc modo ex Remonstrantium doctrina erit argumentandum:

Qui pro omnibus & singulis hominibus est mortuus, etiam pro te. N. est mortuus.

Atqui Christus pro omnibus & singulis hominibus est mortuus. Ergo.

Hoccine firmum erit adversus desperationem munimentum?

Fac Christum pro omnibus & singulis mortuum, quid me id scire juvabit, nisi sciam salutem, quæ mihi impetrata est, etiam applicari. Est ergo doctrina de impetrationis universalitate, ad vere fideles consolandos, inepta; imo vero hoc argumento, Iudas se consolari potuisset, qui tamen damnatus est. Contra vero Antitheses hæ firmissimam vere fidelibus suppeditant consolationem. Hunc enim inmodum argumentabitur vere fidelis:

Illi omnes & singuli pro quibus Christus mortuus est, habent remissionem peccatorum, & cum Deo sunt reconciliati; hæc enim est vox totius Euangelij.

Atqui Christus est pro me mortuus. Et unde autem id constat? Inde quia vere in Christum credo. est enim inter fidem veram & Christi mortem mutua relatio.

Promissiones Euangelicæ quidem universales sunt, non autem simpliciter, ut ad singula generum pertineant, sed ad omnes & singulos credentes & electos. Pro his enim omnibus & singulis & solis, ut post dicturi & probaturi sumus, Christus est mortuus.

II.

Theses hæ in Christum & gloriam Dei injuriæ sunt. Si enim Christus non intendit reconciliationem cum Deo ijs omnibus applicare, quibus intendit impetrare, si etiam salutem ijs omnibus, quibus eam impetravit, non applicat, sane Christus non erit perfectus, sed imperfectus salvator. Id autem falsum & blasphemum est, toti Sacræ Scripturæ reclamans, Hebr. 7. 25. Matth. 1. 27. ratio consequentis patet. Ad salutis perfectionem non sufficit impetratio sola, sed & necessaria est applicatio illius. Gloriæ Dei hac Remonstrantium doctrina discedit plurimum. Ratio, si non applicatio tota, aliqua saltem impetratæ salutis applicationis pars, homini tribuenda erit, eique erit materies de seipso gloriandi.

III. Scripturæ Sacræ contrarias esse Theses has dicimus. Non docet usquam Sacra Scriptura, Dei Patris, in dando in mortem filio, intentionem fuisse singulis salutem conferre, sed docet fuisse hanc; salutem dare electis, ijs, quos filio suo dedit.

Iohan.

Iohan. 17. 2. *Dedisti illi* [filio] *potestatem in omnem carnem, ut ijs quos dedisti illi det vitam æternam.*

Patris igitur intentio non alia fuit, quam, vitam æternam conferre electis: manifeste enim Christus eos, quos Pater ipsi dedit, ab omni carne discriminat. Voluit quidem Pater, ut filius potestatem haberet universe in omnem carnem, imo in cœlo & in terra, Matth. 28. At voluit idem Pater quoque ut particulariter daret filius vitam ijs, quos ipsi dedit, non autem omni carni universe.

Iohan. 6. 40. *Hæc est voluntas eius qui misit me, ut quisquis videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam.* sic Iohan. 3. 16. Voluntas ergo & intentio Patris fuit in filij missione, non singulis sed credentibus salutem conferre.

Rom. 8. 31. 32. *Qui proprio filio non pepercit, sed tradidit eum pro nobis, quis accusabit electos Dei, quis est qui condemnet?* Patris igitur intentio fuit, non ut singuli homines, sed electi tantum à condemnatione liberati servarentur.

Accedit ratio, Si Patris in filio tradendo intentio fuit, omnibus & singulis salutem conferre, etiam singulis media ad eam consequendam necessaria conferret.

Ratio. Salutem Pater sine medijs nemini vult conferre. 1. Timoth. 2. 5. at singulis ea media non confert. Singulis enim Euangelium non ann nciat, neque singulis quibus annunciatur confertur fides. *Vobis datum est, alijs non est datum. Crediderunt quotquot ordinati erant, &c.* Ergo nec intentio Patris in filij morte fuit singulis vitam conferre.

Thesis igitur prima falsa est, & S. Scripturæ adversatur.

Antithesis autem cum eadem consentit maxime.

Eversa Thesi prima, secunda per se ruit.

III.

Theseos falsitas, etsi manifeste ex antecedentibus colligi potest, tamen alijs insuper perspicuis eam S. Scripturæ testimonijs probamus, atque demonstramus.

Matth. 1. 21. *Salvum faciet populum suum.*

Matth. 20. 28. *Venit dare animam redemtionem pro multis.*

Iohan. 11. 52. *Iesum moriturum pro populo, nec solum pro illo populo, sed ut dispersos Dei filios in unum colligeret.*

Heb. 5. 9. *Consecratus est, causa salutis æternæ factus omnibus qui ipsi obediunt, &c.* Hinc argumentamur,

Quibus Christus causa salutis est factus, his solis Christus salutem intendit.

Atqui solis & omnibus obedientibus est factus causa salutis æternæ.

Ergo, solis obedientibus & omnibus, salutem intendit.

Major probatur. Nam, sine intentione salutem conferendi, causa ipsis salutis esse non potest.

Minor est Apostoli Heb. 5. 9. & Christi. Ioan. 3. 36.

Stat ergo conclusio, Proinde singulis hominibus Pater salutem non intendit.

Qui venit moriturus ut filios Dei dispersos colligeret & populum suum salvum faceret, is non intendit salvos facere reprobos. Reprobi enim, nec populus, nec filij Dei sunt, sed filij diaboli. Iohan. 8.

Atqui *Christus venit ut filios Dei colligeret, & salvum faceret populum suum.* Iohan. 11. & Matth. 1.

Ergo Christus non intendit reprobos colligere nec servare. Proinde, neque singulos homines, tam perituros quam salvandos.

Qui intendit omnes & singulos homines morte sua servare, cum omnes & singulos novisse ac dilexisse necesse est.

Ratio. Intentio eos per mortem servandi, eorundem notitiam ac dilectionem necessario importat. Ephes. 5. 25. *Christus dilexit & tradidit seipsum pro ea.* Ioh. 10. 15. *Ego cognosco oves meas, & pono animam pro ovibus.*

Atque

Atqui Christus non omnes & singulos novit Matth. 7. 23. non omnes & singulos dilexit Rom. 9. Malach. 1.

Ergo omnes & singulos morte sua servare non intendit.

Si Christus intendit omnes & singulos morte sua servare, etiam intendit omnes & singulos verbo & Spiritu suo vocare.

Ratio. Salus sine ea vocatione non obtingit. Rom. 8. 29.

Atqui omnes & singulos verbo & spiritu non vocat: testis est experientia: nec vocare intendit. Matth. 9. 13.

Ergo neque singulos morte sua servare intendit.

Hæc igitur Thesis sacræ Scripturæ contraria est: Antithesis autem est verissima.

IV.

Thesis eodem sese modo habet, & falsitas illius ex ante citatis tum testimonijs tum argumentis evincitur.

Si Christus non intendit omnes & singulos morte sua servare, utique non omnibus & singulis reconciliationem cum Deo, & remissionem peccatorum promeruit aut impetravit; nec Dei, pro omnium & singulorum peccatis iustitiæ satisfecit. Consequentia patet: Salus enim in reconciliatione cum Deo & remissione peccatorum consistit [Rom. 4. & Psal. 22. 1.] parta, obedientia, sanguine, & satisfactione Christi Rom. 5. 19. Ephes. 1. 7. Coloss. 1. 14. Heb. 9. 12. 1. Iohan. 1. 7.

Atqui Christus omnes & singulos morte sua servare non intendit, ut ante est probatum.

Ergo singulis reconciliationem, &c. non promeruit.

Si Christus singulis morte sua reconciliationem promeruit, etiam pro singulis intercedit.

Ratio. Intercessio Christi cum eiusdem oblatione inseparabiliter conjuncta. Ioan. 17. 19. 20. Rom. 8. 34. 1. Iohan. 22. Esai. 53.

Atqui pro singulis hominibus Christus non intercedit. Iohan. 17. 9. *non oro pro mundo.*

Ergo pro singulis reconciliationem, &c. non promeruit.

Christus ponit omnia pro ovibus suis. Iohan. 10. 15. Atqui singuli homines non sunt oves Christi.

Ergo animam suam pro singulis hominibus non ponit

Major est Christi.

Minor est indubitata. Stat ergo Conclusio.

Quod Remonstrantes, Collat. Belg. pag. 155. § ultimo, respondent, Hic non agi de ovibus quæ ad gloriam primum absolute; deinde vero ad fidem sunt electæ; item hic agi, de eiusmodi ovibus, quæ Christi vocem audiunt, noverunt, & sequuntur, ac proinde ab hominibus cognosci possunt, id non evertit argumenti robur. Nam quod ad prius, sive electio absoluta, sive conditionalis sit, nihil facit ad rem, illud certum est, singulos homines non esse Christi oves. quod ad posterius, oves etiam à Christo appellantur eæ, quæ vocem eius nondum audiunt, nec dum sequuntur, sed tempore à Deo definito, audituræ sint, atque secuturæ, Iohan. 10. 16. ita Saulus, cum esset persecutor, blasphemus, non erat actu ovis Christi, erat tamen ovis Christi, decreto electionis.

Actor. 20. 28. *Attendite ad pascendam Ecclesiam Dei, quam sanguine suo acquisivit.* Ephes. 5. 25. *Ecclesiam dilexit & tradidit semetipsum pro ea*, &c. Hinc ita argumentamur:

Christus Ecclesiam suam sanguine suo acquisivit, proque ea sese tradidit.

Atqui non omnes & singuli sunt Ecclesia Christi, est enim & quædam Ecclesia Diaboli.

Ergo singulos sanguine non acquisivit, neque pro singulis se tradidit.

Exceptio-

Exceptiones Remonstrantium eludendis his locis adhibitæ, pag. 156. collat. Belg. sunt duæ. Ad priorem locum sic respondent.

Si Ecclesiæ vox notat solos electos, tum præcipit Apostolus Ephesinis Episcopis, ut solos electos pascant, id autem absurdum est I. quia Ecclesia illa visibilis erat, in qua & hypocritæ. II. Episcopi illi electos dignoscere non potuerunt, non ergo de electis agitur.

Resp. Ecclesiæ nomine, electos denotari verum est, sive autem de visibili, sive de electorum Ecclesia agat Apostolus, id nihil ad quæstionem, firmum enim certumque manet illud, singulos homines Ecclesiam Christi non esse, proinde neque omnes sanguine Christi sunt redemti, aut necesse esset dici Episcopis Ephesinis; non modo pascendos curandosque fuisse datos fideles, Christum, profitentes, sed etiam infideles, hostes, adversariosque Christi; quod falsum est. In Ecclesijs quidem visibilibus hypocritæ locum obtinent, at Ecclesiæ nomen toti cœtui communiter tribuitur, ob meliorem eius partem, ea autem sunt electi, sanguine Christi acquisitum esse, de Ecclesia prædicatur & quidem sola. Si enim beneficium id universale & singulorum esset; quænam obsecro esset vis illius exhortationis, Attendite Ecclesiæ vos Episcopi & pascite eam. Ratio est, Deus singulos homines sanguine suo acquisivit. Absurdum; ex beneficio soli Ecclesiæ à Christo collato argumentatur Apostolus, presbyterorumque erga eam officium infert.

Ad alterum locum ex Ephes. 5. 25. sic excipiunt
Remonstrantes: non haberi in ea particulam tantum:
Proinde non sequi, Christum non se etiam pro alijs tradidisse.

Respondemus effugium illud esse. Nam I. Christus, cum ait, se viam, resurrectionem, vitam &c. non addit particulam *tantum*, an ergo præter Christum alia est vita, alia resurrectio, alia via? Paulus ait placuisse Patri, ut in Christo habitaret omnis plenitudo, non addita particula *tantum*, an ergo est alia usquam plenitudo, præterquam in Christo? omnia sustineo, inquit Apostolus, propter electos: an igitur, quia exclusivam diserte non apponit, etiam propter reprobos omnia sustinuisse dicendus erit? II. dicimus locum de Ecclesia tantum aut sola intelligendum necessario esse; si enim dilectio, de qua hic, ad omnes universe pertinet, cur eam ad Ecclesiam Apostolus particulariter restringit? dicendo: Christus dilexit ecclesiam & exposuit semet ipsum pro ea. III. scopus & argumentatio

Apostoli exceptionem illam refellit, scopus est, maritos fideles ad uxores diligendas exhortari: argumentum adfertur, ab amore Christi erga ecclesiam, & illius amoris testimonio, seu affectu certissimo, non autem ab amore communi in omnes & singulos homines: sed singulari in corpus suum mysticum; in eos qui sunt cum ipso una caro, &c. versu 30. non autem homines omnes & singuli sunt corpus Christi, sed Ecclesia; pro ea sola ergo se tradidit in mortem, ut eam redderet sibi gloriosam, sanctam, inculpatam. Si ab universali in singulos amore argumentaretur Apostolus, parum stringeret argumentum.

Falsa igitur est Thesis quarta, contraria Scripturæ sacræ. Antithesis autem verissima solidissimis testimonijs illius subnixa. Testatur quidem Scriptura, Christum pro omnibus mortuum, nusquam autem pro singulis, nec disertis nec æquivalentibus verbis. Quamobrem omnes in hac propositione, aut notat gentes pariter, & Iudæos, Rom. 3. vers. 9. aut notat varia hominum genera, ut 1. Tim. 2. 5. aut denique omnes & singulos fideles, ut 2. Cor. 5. 14. 15. Nam hunc locum de singulis hominibus universe non posse accipi, sed de credentibus & regenitis his rationibus evidenter probamus.

I. Apostolus ait, *ut qui vivunt, non sibi vivant posthac, sed ei qui pro ijs mortuus est*, vers. 15. Atque non omnes universi homines vivunt Christo, sed vere fideles; neque enim hic de naturali, sed spirituali vita agitur. Quod cum negent Remonstrantes, nos probamus; si vita hæc Apostolo notat vitam naturalem, & mors, quam huic vitæ opponit; (dicendo *ergo omnes mortui* vers. 14.) naturalem mortem notabit. Qualis enim ea mors, talis ex oppositorum natura etiam & vita est intelligenda. Atque mors illa, de qua loquitur, non naturalis est, neque enim ij pro quibus Christus mortuus est, naturaliter erant mortui. Ergo vitæ nomine

non naturalis, ſed ſpiritualis vita ſignificat, II. Apoſtolus morti Chriſti addit reſurrectionem illius; eam autem reſtringunt ad ſolos fideles ipſi Remonſtrantes, Collat. belg. pag. 160. linea 13. & 14: in refutatione argumenti quarti in fine. Ergo voce *omnes* ſoli hic fideles deſignantur: III Apoſtolus ſubdit, *ſi quis in Chriſto eſt, eſt nova creatura*, verſu 17. non autem omnes & ſinguli ſunt novæ creaturæ, nec omnes & ſinguli ſunt in Chriſto, quia multi Antichriſti & multi extra Chriſtum. Soli vere fideles ſunt in Chriſto, & novæ creaturæ, ergo pro his ſolis Chriſtus mortuus: IV addit Apoſtolus, *vetera prⱥterierunt, nova facta ſunt omnia. hæc autem omnia ex Deo, qui nos reconciliavit ſibi per Ieſum Chriſtum*: quid clarius, quam Apoſtolum loqui de omnibus & ſingulis fidelibus, aut Eccleſia tota; de ea ſiquidem ſola verum eſt, *vetera præteriiſſe & nova facta eſſe omnia*, de ſingulis hominibus falſum. Quod igitur Apoſtolus hic nota univerſali deſignat, id & ante intellexit eadem nota, atqui hic deſignat Eccleſiam & vere fideles, ergo & ante. Conſequentia maioris patet. agit enim de una eademque charitate Chriſti, de qua verſu 14. poſtremo concludit Apoſtolus, ex hac charitate, *neminem ſe noviſſe ſecundum carnem*, ideſt ſecundum externam ſpeciem, nequidem ipſum Chriſtum verſu 16. Chriſtus enim ſe ab omnibus carnis infirmitatibus, ac morte, reſurrectionis virtute vindicaverat, omnes ergo & ſingulos, innuit Apoſtolus, noviſſe, id eſt, conſideraſſe ſecundum ſpiritualem eorum conſtitutionem in Chriſto, tanquam membra capitis, hoc autem de ſingulis hominibus nequaquam, ſed ſolis fidelibus regenitiſque per ſpiritum ſanctificationis, accipi debet, hi enim ſoli ſpiritualem conſtitutionē habent in Chriſto, reliqui ab Apoſtolo tantum ſecundum carnem, tanquam Adami filij cogniti, & conſiderati fuerunt, unde luce meridiana clarius eſt, voce *omnes*, hoc loco non ſingulos homines univerſe, ſed ſolos fideles deſignari.

Aſſerit etiam Scriptura, Chriſtum propitiationem eſſe pro peccatis totius mundi 1. Ioa. 2. 2. ſed neque vocibus *totius mundi*, notantur ſinguli homines in hac propoſitione: alibi nonnunquam, pro ſingulis hominibus univerſe, licet ſumantur, hoc tamen loco eo ſenſu accipi negamus. Ratio eſt quia hic non de impetratione ſola reconciliationis, & remiſſionis peccatorum agitur, ſed etiam de illius applicatione; nam cum propitiatione Chriſti eiuſdem interceſſio conjungitur, quę non eſt univerſalis pro ſingulis, ſed pro electis, ſive actu credant, ſive credituri ſint. *Non oro*, inquit Chriſtus, *pro mundo*. Nam quod interceſſionem Chriſti duplicem faciunt Remonſtrantes, aliam generalem pro omnibus & ſingulis, aliam particularem pro fidelibus tantum, illud purum putum eſt eorundem commentum, cuius nullam ex ſcripturis probationem adferre poſſunt.

Hæc de Theſi quarta.

De V. Theſi ita ſtatuimus, poſtremo illius membro nos ſubſcribere, ſanguis enim Chriſti in ſe, ad univerſum humanum genus redimendum, ſufficientiſſimus eſt: cauſa illius ſufficientiæ eſt dignitas perſonæ Chriſti, eſt enim Chriſtus verus æternuſque Iehova, ex ea autem hypotheſi non ſequitur, Deum patrem ſingulis hominibus reconciliatum eſſe, neque ſequitur, Deum patrem novum gratiæ fœdus cum ſingulis univerſe inire voluiſſe.

Nam quod prius attinet, S. Scriptura contrarium teſtatur. Iohan. 3. 36. ait Chriſtus, *qui non obtemperat filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper ipſum.* unde inferimus. Super quos manet ira Dei, ijs Deus pater non eſt reconciliatus.

Atqui ſuper incredulos manet ira Dei. Ergo &c. Proinde neque univerſo generi humano reconciliatus. Maior patet. quid enim eſt reconciliatum eſſe, niſi iram antegreſſam depoſuiſſe; eum, cui offenſus fueras, in gratiam recepiſſe. Reconciliatum enim alicui eſſe, & ira in eum ardere ſunt ἀσύστατα.

Minor eſt Chriſti, ſtat ergo Concluſio.

Duo in Collatione pag. 158. Belg. lin. 30. & ſeqq. regeruntur: 1. fatentur Rem. manere quidem iram Dei ſuper infideles, cum non ſint in ſtatu gratiæ reſtituti, nihilo tamen minus morte Chriſti, ianuam ipſis ad gratiam eſſe apertam. 2. dicunt *manere* non ſemper ſignificare, locum, in quo es, tenere, ab eoque nunquam recedere.

Reſpon-

Respondemus ad 1. si ira Dei manet super incredulos, & statum gratiæ non sunt restituti, sequitur, non esse reconciliatos Deo. Qui enim reconciliatus est Deo, in statum gratiæ iam est restitutus, neque enim est tertius aliquis aut medius status inter reconciliationem & statum gratiæ, aut si esse putant, demonstrent è scripturis. 2. esto sit ianua Christi morte ad reconciliationem patefacta incredulis (quod tamen falsum est) non possunt tamen propterea dici, Deo esse reconciliati. Absoloni per feminam Tekoensem ianua, ad reconciliationem cum patre Davide aperiebatur, nondum tamen patri Absolon reconciliatus erat.

Respondemus ad 2. Quod manet, dum manet, certe non recedit. Atqui Christus inquit, super incredulos manet ira Dei: Cæterum illud ex Remonstrantibus scire desideramus, cum, qui increduli existunt, aliquando ab incredulitate ad fidem & Christum convertantur, quando ira Dei, quæ super incredulos, manere à Christo dicitur, incipiat venire? cumque dicant Remonstrantes, vere fideles rursus infideles omnino fieri posse, quo pacto ira Dei super eos, super quos nunquam fuit, manere dici potest?

Quod attinet posterius de novo fœdere cum singulis hominibus inito. Respondemus, an Deus id potuerit, nolle nos contendere: voluisse autem aut inivisse negamus. Nusquam enim id scriptura docet.

I. Cum quibus Deus novum gratiæ fœdus inire voluit, ijs etiam fœderis illius & gratiæ verbum annunciari voluit.

Atqui gratiæ & fœderis verbum singulis non voluit annnnciari.
Ergo nec cum singulis gratiæ fœdus inire voluit.

Maior patet, cum Adamo novum gratiæ fœdus initurus, cum Abrahamo illud fœdus pacturus, cum gentibus icturus verbum fœderis, aut ipse annunciavit, aut annuntiandum curavit. Gen. 3. & 12. & Matth. 28. Marc. 16. Ephes. 2.

Minorem docet experientia, tum Veteris. Psal. 147. tum Novi testamenti Act. 14. Stat ergo conclusio.

Si cum singulis hominibus novum gratiæ fœdus inivit Deus, sequitur, nullum inter semen serpentis & semen Christi esse discrimen, aut omnino nullum esse semen serpentis.

Falsum consequens. ergo &c.

Si cum singulis gratiæ fœdus inire voluit Deus Pater, tum verum est, Deum etiam singulorum misereri voluisse. Rat. quod misericordiam præstat Deus, ex gratiæ fœdere est.

Atqui non miseretur singulorum Rom. 9. 15. 18. Ergo &c.

Si Deus cum singulis gratiæ fœdus iniit, sequitur quod singuli pacem habeant cum Deo, & nemo sit filius iræ natura.

Atqui multi pacem cum Deo non habent.
Sunt filii iræ natura omnes. Ergo &c.

Major per se patet: Minor probatur ex initijs Apostolicarum epistolarum, ubi pax, gratiæ comes individua, aut effectus causæ adjungitur.

Falsa est igitur hactenus Thesis quinta. Antithesis autem illius verissima in Scriptura Sacra fundata.

VI. Thesis tria complectitur membra. Priora duo iam ante falsitatis convicimus: postremum est eiusmodi, Propter originale peccatum neminem nec adultum nec infantem, damnationi obnoxium esse.

Contrarium testatur Apostolus de infantibus Ephes. 2. 3. de adultis David Psal. 51. 7. de utrisque Apostolus Rom. 5. 18. Falsa igitur est hæc postrema Thesis. Antithesis autem verissima.

Concludimus igitur, omnes hasce Theses falsas esse, & scripturæ sacræ contrarias, gratiæ Dei & gloriæ Christi inimicas, ac proinde eas damnamus, neque in Ecclesia Dei Reformata ferendas iudicamus.

Antitheses autem, quia S. Scripturæ sunt consentaneæ, gratiam Dei & Christi gloriam, secundum Scripturæ canonem extollunt, consolationisque veræ materiam suppeditant amplissimam, in Ecclesia prædicta retinendas, ac porro docendas esse.

Sententia Remonstrantium

Circa Articulum Secundum.

Iudicium deputatorum Ecclesiarum Frisicarum.

IN secundo hoc articulo similiter agunt Remonstrantes, atque in primo. Partim enim de non controversis novum formant articulum, partim speciose loquuntur: vt eo tutius, quos fovent errores, incautis obtrudant. Si pax Ecclesiæ ipsis cordi fuisset, nihilque aliud in pectore gestassent, quam quod verbis simpliciter & sane intellectis præ se ferre videntur, potuissent etiam ab hoc articulo efformando abstinere, & in recepta doctrina acquiescere. Neque enim ipsos fugit doctrinam *de sufficientia meriti mortis Christi*, ad expianda omnium & singulorum hominum peccata, si omnes & singuli crederent, constanter in Ecclesijs Belgicis, omnibus hactenus, nemine contradicente, retentam & doctam esse. Non ignorant propterea à compluribus Orthodoxis sano sensu usurpatam esse hanc distinctionem: *Christum pro omnibus & singulis mortuum esse, quoad λύτρου sufficientiam,* pro electis vero & credentibus, *quoad efficaciam.* Denique cum Remonstrantes dicunt, Christum pro omnibus & singulis mortuum esse, non hoc *simpliciter* accipi volunt: sed certo quodam sensu, *ita* nimirum ut omnibus & singulis *impetraverit* reconciliationem & remissionem peccatorum. Hanc Christi impetrationem, cum in declaratione huic Synodo exhibita, negent esse *absolutam aut simpliciter factam* quandoquidem (vti aiunt, absoluta remissionis *pro aliquo* impetratio, non possit consistere cum *conditionibus* remissionis *postea præscribendis*) satis indicant eam *conditionatam* esse, id est, Christum impetrasse remissionem peccatorum pro omnibus & singulis, *si conditiones fœderis & salutis à patre præscribendas præstent*, id est, credant, & in fide, fideique obedientia perseverent, absque qua etiam perseverantia, ipsa jam aliquamdiu vere credentibus facta remissio revocetur: ijs vero qui conditiones istas non præstant, Christum revera remissionem non impetrasse, quin etiam *nemini*, si neminem (quæ fieri secundum ipsos poterat) contingeret eas præstare. *Cumque oblatio mortis & imperatio* ipsis æque pateant, quid aliud inde consequi potest, quam Christum non simpliciter, sed *conditionate* mortuum esse pro omnibus & singulis, si nimirum credant. Si jam his addatur alterum ipsorum axioma, *Christus non est mortuus pro fidelibus qua talibus.* Item, Christus ad mortem crucis destinatus est, antequam Deus quidquam apud se de quoquam mortalium nominatim salvando statuisset, imo ne de conditionibus quidem salutis, quidquam decrevisset, sequetur Christũ *nec pro omnibus, nec pro fidelibus revera, imo* ne pro ullo quidem mortalium nominatim, sed tantum mortuum esse in genere, in *bonum hominum*; hoc sensu, ut mors eius sit causa *sine qua non voluerit* Pater misericordiæ fores hominibus aperire conditionesque de novo præscribere, quas præstando, homines consequi possent remissionem peccatorum, & vitam æternam. Nisi his & alijs (de quibus postea) horrendis opinionum portentis fuissent gravidi eaque sub plausibili quodam Articulo disseminare studuissent equidem nulla necessitatis species ipsos ad novum hunc Articulum cudendum adigere potuisset. Totum autem hoc, quod sub hujus Articuli fimbria occultare, & invehere conati sunt, in eo latet, quod non contenti recepta de sufficientia mortis Christi doctrina, *talem impetrationem remissionis peccatorum pro omnibus & singulis,* invenerint:

Digitized by Google

invenerint: quæ ab omni remissionis *participatione* sit seiuncta. Vbi inprimis notandum nobis videtur, quod cum illis propositum sit agere de morte & satisfactione Christi, eiusque fructibus & efficacia, bonisque per eam impetratis; nec rationem satisfactionis exponant, nec vllam spiritus sancti donorum, puta fidei, perseverantiæ, imaginisque divinæ in nobis instaurationis, seu naturæ nostræ renovationis, mentionem faciant. Quo subindicarunt, id quod alibi clare aperiunt, Christum salutem impetrasse ut *peccata possent* remitti, seu peccatorum remissibilitatem, & hominum Deo reconciliabilitatem: sed eius boni participationem omnem *à libera præstatione præscriptarum conditionum*, id est, ab homine eiusque libero arbitrio suspensam esse.

Verum nos primo hunc Articulum considerabimus simpliciter, prout iacet, deinde ad errores sub eo occultatos, & in scriptis Remonstrantium proditos, devenimus.

In Articulo hoc quatuor consideranda iudicamus.
1. quod dicunt; Christum pro omnibus mortuum esse.
2. pro singulis mortuum esse.
3. Mortuum esse pro omnibus & singulis, *ita vt ijs remissionem peccatorum & reconciliationem impetraverit.*
4. Neminem eius *participem fieri præter credentes.*

De primo:

Ad primum membrum quod attinet, cum scriptura id expresse dicat, quis Christianus contradicet?

Legimus Christum pro *omnibus* mortuum esse 2. Cor. 5. 15.
Christum se ipsum dedisse ἀντίλυτρον pro *omnibus* 1. Timoth. 26.
Christum mortem gustasse pro *omnibus* Heb. 2. 19.
Christum propitiationem esse non tantum pro nostris peccatis, sed & pro *totius mundi* scil. peccatis 1. Ioh. 2. 2.
Per Christum *omnes* vivificandos. 1. Cor. 15. 22.
Christum esse agnum, qui tollit peccata *mundi* Ioh. 1. 29.
Carnem Christi esse datam pro *mundi* vita Ioh. 6. 51. 33.
Verum & in eadem scriptura Evangelica legimus, Christum dedisse animam in λύτρον, pro *multis*. Matth. 20. 28.
Sanguinem Christi fusum esse pro *multis* in remissionem peccatorum. Matth. 26. 28. Marc. 14. 24.
Christum animam suam posuisse pro ovibus suis. Ioh. 10. 15.
Christum mortuum esse pro gente, scilicet, Iudaica, & non pro illa gente solum, sed & ut *filios Dei dispersos in unum congregaret*. Ioh. 11. 51. 52.
Christum se dedisse *pro Ecclesia*. Eph. 5. 25.
Christum *Ecclesiam suam* acquisivisse sanguine suo Act. 20. 28.
Christum *pro electis* mortuum esse Rom. 8. 34.
Christum oblatum esse vt *multorum* peccata tolleret Heb. 9. 28.
Iesum, ut per proprium sanguinem *populum* sanctificaret, extra portas passum esse Heb. 13. 12.
Christum moriturum rogasse non pro mundo, sed *pro ijs quos pater ipsi dederat ex mundo* Ioh. 17. 9.
Christum mortuum esse *pro nobis*, pro peccatis, propter peccata *nostra*, passim Apostoli nomine *Ecclesiæ* ingeminant.

Similiter in veteri Testamento.

Christum

Christum portasse, baiulasse peccata *multorum* Esa. 53.
Christum septimana illa corroboraturum fœdus *multis* Dan. 9.27.

Ex quibus, alijsque similibus Sacræ scripturæ locis, liquet, commoda explicatione hæc esse concilianda. Ad nos autem quod attinet, persistimus in hac Orthodoxis, tam priscis quam recentioribus vsitatissima explicatione, quod scriptura in hoc argumento *omnium* & *mundi* mentionem faciens, vel intelligat *omnes credentes*, vti manifestum est in locis citatis. 2. Cor. 5. 15. & 1. Cor. 15. 22. Hebr. 9. 10. & alibi reperitur Ephes. 4. 10: 1. Cor. 15 28: vel *quosvis seu cuiuscumque ordinis homines*, vt 1. Timoth. 2. 6; Sicuti vocem *omnes* & *omnia* hoc sensu in scriptura vsitatissimam esse, à plurimis antehac solide est demonstratum: vel denique (quod Spiritui Sancto familiare est) omnes non tantum populi Iudaici; sed & Græcorum, sive gentium electos & credentes; quod vel ex sola collatione locorum, quæ ex beato & dilecto Christi discipulo Iohanne prolata sunt, constare potest. Is præ alijs videtur esse delectatus hac voce *mundi*, vt sanctam in mysterio vocationis gentium exultationem, & quidem in nostrum solatium, exprimeret. Quid ille sibi voluerit celeberrima ista sententia: *est propitiatio non solum pro nostris peccatis, sed & totius mundi*: & hac Baptistæ: *Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi*: & his ipsius Christi: *carnem meam dabo pro vita mundi*: &, *panis Dei est, qui è cælo descendit, & vitam dat mundo.* An non satis idem Apostolus declarat Iohan. 11. dicens, oportuit vt moreretur, *non pro gente solum* (Iudaica sc:) sed vt filios Dei dispersos (scil. in gentibus, *sive in mundo*) colligeret in vnum. An non & ipsa connexio in loco 1. Iohan 2. 2. id evidenter ostendit, cum eadem ratione Christum propitiationem esse asserit pro peccatis *totius mundi*, qua pro nostris, id est fidelium, ad quos scribebat: nisi quis velit Iohannem hic voluisse dicere, Christum esse propitiationem pro peccatis fidelium perseverantium *absolute*, partim absolute partim conditionate, prout nimirum vel credituri essent homines, & perseveraturi; vel non: quod ipse contextus Apostoli respuit, & sententiæ Remonstrantium (qua Christum pro fidelibus qua talibus mortuum esse negant) contradicit. Neque enim dicit Apostolus pro nostris peccatis *est*; pro aliorum etiam omnium & singulorum hominum *esse posset*: sed *est* propitiatio, non tantum pro nostris, sed *etiam* totius mundi peccatis. Deinde *intercessionem Christi in cælis* (quam ad fideles, Remonstrantes ipsi restringunt, connectit ibi Apostolus cum *propitiatione*, vt illam ex hac deducat ostendens Christum vt advocatum in cœlis intercedere pro peccatis illorum, pro quorum peccatis factus erat propitiatio in terra. Idem patet ex collatione loci eiusdem Apostoli, qui exstat in Apocalypsi cap. 5. 9. *Mactatus es & emisti nos Deo per sanguinem, ex omni tribu & lingua & populo & gente.* Prædictæ auxesi, qua Iohannes vsus est, non absimilia sunt illa Christi: sanguis meus effunditur *pro vobis*, quod Lucas habet: & *pro multis*, quod Matthæus & Marcus habent. Item illa Angeli; gaudium magnum erit *vobis*, *& toti populo*: item illud Christi; habeo *alias oves* (pro quibus scilicet *etiam* animam pono, quas me oportet adducere: & Petri illa; *vobis vestrisque liberis* facta est promissio, & *omnibus* qui longe sunt. quoscumque scilicet advocaverit Dominus Deus noster.

Præterea gentium Apostolus aperte docet, quid in hac materia per *Mundum* sacra scriptura intelligat, cum divitias *gentium* & divitias *mundi* pro vno & eodem sumit, Rom. 11. 12. & per *mundum* designat eos quibus Deus non imputat peccata, id est electos & credentes in mundo vniverso 2. Cor. 5. 19. Vno verbo multi & omnes illi, nulli alij sunt quam *Ecclesia Catholica.*

Hisce Novi Testamenti phrasibus consentanea sunt ea, quibus in Veteri Testamento (vbi de gratia Testamenti, fructuque adventus & mortis servatoris nostri agitur) nunc (indefinite) populos & gentes, nunc omnes totius terrarum orbis gentes, & nationes, *non remissibilitatem aut reconciliabilitatem* quandam consecuturas esse, sed Christi eiusque beneficiorum salutarium *re ipsa participes fore* prædicitur. Vt extra dubium sit talia dicta non de omnibus & singulis hominibus, sed de electa ex quibusvis genti-

gentibus Ecclesia intelligi oportere, plane in eundem modum, ut Apostolus ad Rom.
5. tradit, ad omnes non justificabilitatem, sed *justificationem* vitæ per Christum per-
venisse; quod de omnibus fidelibus, sive de ijs qui Christi sunt (vt idem Apostolus lo-
quitur. 1.Cor.15.) accipiendum esse, res ipsa clamat. Non tædebit nos paucula, quæ
amplitudinem istam fructus meritorũ Christi declarant, ex vet. Test. in medium adfer- Gen.12.3.18.
re. Celebratissimum est illud Patriarchis factum promissum, in semine tuo (non be- c.18.22.18.
nedici *poterunt*) sed *benedicentur omnes gentes.* sive *omnes* familiæ & nationes. Item illud Act. 3.15.
ex cantico Mosis ab Apostolo ad Rom.15. descriptum: gaudete *gentes cum populo eius.* In Gal.3.8.14.
quo loco & similibus, Apostolo interprete, sacra Scriptura prædixit, gentes cum po- Deut. 32.43.
pulo Iudaico Deum, propter misericordiam ipsis factam, celebraturas esse, quod fide- Rom. 15. 10.
lium & conversorum proprijssimũ est. Item, dabo *gentes* in hæreditatem, & in possessio- Psal.2.8.
nem tuam *fines terræ.* Item, convertentur ad Iehovam *omnes fines terræ* & incurvabunt Psa.22 28.29
se coram te *omnes familiæ* gentium, quoniam Iehovæ est Regnum, & dominabitur in Psal. 117.1.
gentibus. Et, laudate Deum *omnes gentes*, & celebrate eum *omnes* populi. &, extremis Rom.15.11.
temporibus mons Iehovæ erit constitutus in vertice montium, & elatus supra colles, & Esa. 22. & sequen.
confluent ad eum *omnes* gentes, & plena erit terra cognitionis Iehovæ, & radix Isai sta- Esa.11.9.10.
bit in vexillũ *populorum*, & gentes eum consulent, sive in ipsum sperabunt. Et, dedi te in Esa.42.6.
fœdus *populi*, & lucem *gentium*. Et faciet Iehova in monte hoc convivium *omnibus* popu- Esa.25 6.& sequen.
lis, ex pinguibus, ex vino defæcato, ex medullatis, ex vino à fæcibus expurgato; &, absor-
bebit in monte hoc velum faciei, velum illud quod operit *omnes* gentes, & operimen-
tum, quod est obductum *omnibus* gentibus. Absorbebit mortem in æternum, & abster-
get lachrymas ab *omnibus faciebus*, & opprobrium populi sui amovebitur *à tota terra*, & Esa.54.1. &
in me *insulæ* exspectationem habebunt. Et, canta sterilis, quæ non paris, dilata locum sequen.
tentorij tui, aulæa habitaculorum tuorum extendantur: ne prohibete, prolonga funes
tuos, & clavos tuos confirma, nam *dextrorsum, & sinistrorsum* prorumpes, & semen tuũ
hæreditario *gentes* possidebit, & civitates desolatas habitabiles efficiet; &, testem *natio-
num* constitui te; constitui eum principem, & præceptorem *nationum*: *gentes* quæ non
noverant te, ad te adcurrent, &, ambulabunt *gentes* ad lucem tuam, & reges ad
splendorem exortum tibi. Attolle *circumquaque* oculos tuos, & vide, *omnes isti* Esa. 60. 3. &
congregant se, & veniunt ad te filij tui, è longinquo venient, & filiæ tuæ ad sequen.
latus educabuntur, tunc videbis, & instar fluvij erumpes, & expavescet atque dilatabitur
cor tuum, cum mutabitur, atque ad te veniet *gentium multitudo*, quia *copiæ gentium* ad
te venient, apertas tenebunt portas tuas jugiter, interdiu & noctu non claudentur, vt
introducant ad te *copias gentium*, etiam regibus eorum adductis, efficiam te excellen-
tiam perpetuam, gaudium *omnium* generationum. Et suges lac *gentium* & mammas
regum suges. Et: effundam de spiritu meo super *omnem carnem*, & temporibus vltimis
populi ad montem Domini confluent, ibuntque *gentes multæ* dicentes, venite ascenda- Esa.60.16.
mus &c. Et, venient *populi multi. & gentes numerosæ*, ad quærendum Iehovam exerci- Ioel.2.28.
tuum Ierosolymæ, & ad deprecandam faciem Iehovæ, eritque diebus illis prehendent Mich.4.1. & sequen.
decem homines, ex *omnibus linguis gentium*, prehendent, inquam, clam viri Iudæi, di- Zach.8.22.
centes, ituri sumus vobiscum, quia audivimus Deum esse vobiscum. In his citandis 23.
fuimus operosiores, vt phrasin S. Scripturæ, tùm in Vet. tum in Novo Testamento
vsurpatam, conferremus, eiusque sensum, sua evidentia se in hoc argumento offeren-
tem, ostenderemus. Nos equidem hisce omnibus consideratis nulli dubitamus, quin
meridiano sole clarius sit, S. Scripturam, in istis & similibus, vniversalitatem insinu-
antibus promissis, respicere ad exercitum Sancti populi, vniversamque Ecclesiam ele- Rom.4.13.16
ctorũ & credentium, ex omnibus angulis orbis terrarum, omni tribu, omni lingua, po- Matth. 8.11.
pulo, & gente, primo ad Christũ hic evocandam, dein ad nuptias Agni congregandam,
& cum Abrahamo *Mundi* (idest gentium fidelium) illo patre & hærede, in cœlis ac-
cubituram.

Et vero sicuti optimo misericordiarum Patri placuit, Mysterium *istius vniversalita-
tis* in nostrum, qui gentes sumus, solatium, in scripturis revelare, parietemque interge-
num è medio tollere, ita cum sancto cordis gratissimi gaudio nobis ea inde in
nostrum solatium desumimus, Deumque secundum Apostoli doctrinam, & fidelium
gentium, quæ in Actis passim extant, exempla, pro misericordia celebramus. Quod uti-
que, qui non faciunt, ad eos istud salutaris illius, & non & generali quodam omnium

 hominum

hominum tanquam creaturarum, miserendi affectu, sed speciali Dei erga electos gentium misericordia (doctore Apostolo) procuratæ vniversalitatis beneficium, (quod grati cordis sacrificium infert) non pertinere cum Scriptura iudicamus, & hæc de membro Articuli primo.

De secundo.

Secundo dicunt Christum non tantum mortuum esse pro omnibus, sed etiam *pro singulis hominibus.* Quæ vox *singulis* cum vocem, *omnibus*, ad certam significationem (quæ nec semper, nec in hoc argumento, phrasi & menti S. Scripturæ vt supra visum, est consentanea) restringat, nec vspiam Scripturarum reperiatur, nulla nos vrget necessitas, vt eam admittamus, quum potius phrasi Scripturæ in hoc argumento religiose inhærendum esse existimemus. Favores ampliandos esse sententia est politica & charitatem omnia (quæ, scilicet, Deus jubet) sperare testatur Apostolus; sed in divinis actionibus contra, aut præter verbum ipsius Dei, ampliare, sive dispensare, non est in potestate hominis, nec si facere præsumamus, quicquam eo effectum dabimus, qui ne cubitum quidem nostra cura ad staturam nostram addere valemus; tantum abest vt mortis servatoris (benedicti in sæcula) fructus, vltra terminos à Patre præscriptos, si vel maxime discupiamus, humana commiseratione extendere possimus. Carnis vero maledictæ insaniam ac perversitatem, qui alio quam spiritus malleo retundere laborat, frustra est. nec quisquam cum ea in gratiam redire potest, nisi qui cum ea insaniendi nec modum nec finem statuere volet. Cuius vtinam non vivum nobis præberent Remonstrantes documentum, quibus frustra meriti mortis Christi prædicatur vniversalitas, nisi simul electionis divinæ negetur veritas, fideique & conversionis homini transcribatur plenaria potestas, id est, nisi miseris nobis omnibus præsciri datur salutis possibilitas.

De tertio.

Pergimus ad tertium membrum, quo explicant, qua ratione Christus, ex ipsorum sententia, pro omnibus & singulis sit mortuus, hoc nimirum, *ita vt illis impetraverit remissionem peccatorum & reconciliationem.* Hic 1. notamus S. Scripturam voce impetrationis, cum de morte Christi loquitur nusquam vti, saltem nos hactenus in scripturis non reperimus. Est autem impetrare proprie per preces aliquid obtinere, vti notum est: verum cum promiscue vtantur vocibus *impetrandi, acquirendi, obtinendi*, equidem videre non possumus, quomodo Christus simpliciter obtinuerit acquisiveritque omnibus & singulis reconciliationem & remissionem peccatorum, ea ratione, vt omnibus & singulis non sint remissa peccata, omnesque & singuli Deo non sint reconciliati. Nec dubitamus, quin omnes ratione præditi & hæc attente considerantes, sint iudicaturi, nihil aliud hæc verba sonare, quam omnibus & singulis per Christi mortem remissa esse peccata, omnesque & singulos Deo esse reconciliatos. Si enim apud principem quisquam intercedat pro reo, aut rebelli, omnibusque medijs studeat impetrare remissionem & reconciliationem, tandemque eam simpliciter impetret & obtineat, quis vnquam hoc aliter accepit, quam eum impetrasse & obtinuisse, vt reo delictum sit condonatum, & rebellis principi sit reconciliatus. Et hac in parte (sicuti & in alijs plurimis) discipuli à præceptore suo Arminio discedunt. Ille siquidem simpliciter, & phrasi convenienter, aperte professus est cum Borrio, omnes & singulos homines in statum reconciliationis esse assumptos, fœdusque gratiæ cum omnibus & singulis à Deo initum esse. Cuius etiam vestigijs insistit Iohannes Arnoldi adversus Tilenum. Item Arminius similiter asseruit, Decretum de impetratione remissionis & reconciliationis, esse absolutum, non conditionatum, quod nunc statuunt Remonstrantes.

Nos ergo hoc Articuli membrum sumemus, prout jacet, & simpliciter atque secundum communem sensum accipi debet, addito autem, Christum omnibus & singulis hæc bona impetrasse acquisivisse, obtinuisse, *ex voluntate, decreto, & intentione Patris ac sua* (quod Remonstrantes expresse asserunt) hæc erit ipsorum thesis,

Christus ex voluntate, decreto, atque intentione Patris, & sua ira pro omnibus & singulis hominibus est mortuus, vt ijs impetrarit, acquisierit, & obtinuerit, remissionem peccatorum & reconciliationem.

Hanc sententiam nos S. Scripturæ dissentaneam esse judicamus, propter rationes sequentes:

Quos Deus in electione ad vitam æternam, consilio æterno & immutabili, præterijt: quorum non voluit misereri: quos non dilexit, sed odio immutabili odit: qui vasa iræ sunt, ad interitum præparata, quos Deus nunquam novit, qui eius nunquam fuerunt, quos filio nunquam dedit, super quos ira Dei manet, illis Deus nec decrevit, nec voluit, nec intendit, impetrationem, acquisitionem, obtentionem reconciliationis, & remissionis peccatorum. Atqui tales multi sunt in mundo.

Ergo illis, &c.

Major patet, quia Decretum, voluntas, & intentio acquirendi & obtinendi remissionem peccatorum, & reconciliationem, item impetrata, acquisita, & obtenta ex voluntate Dei remissio, & voluntas ac Decretum non miserendi, simul in Deo poni non possunt, absque aliqua τροπῆς seu conversionis & mutabilitatis in Deo umbra, quæ absit ab omniscio omnipotente, & sapientissimo Deo, Iac. 1.

Minor est S. Scripturæ, æterna Electio ponit præteritionem, sive non Electionem: reliqua extant Rom. 9. Matth. 7. Ioh. 17. Ioh 3.

Omnes ij, quibus ex decreto, voluntate, & intentione Patris, & Filij impetrata, acquisita & obtenta sunt, remissio peccatorum & reconciliatio, sunt beati, & à condemnatione immunes: secundum dicta; Psal. 32. Rom. 4. beati, quorum remissæ sunt ἀνομίαι & quorum tecta sunt peccata. Item, Rom. 8. 34. quis est, qui condemnet, eos scil. pro quibus Christus est mortuus? omnia dabit qui Filium dedit. ibid. vers. 31. 32.

At quidam homines non sunt beati, nec immunes à condemnatione, nec cum filio omnium participes: sed damnandi, & in ignem æternum cum Sathana abijciendi.

Ergo quibusdam non sunt per Christum impetrata, acquisita, obtenta remissio peccatorum, & reconciliatio.

Quibus Deus peccata non vult remittere, sed ea illis retinere, & imputare, ijs remissionem peccatorum ex Patris & sua intentione non obtinuit Christus.

At impœnitentibus & incredulis non vult Deus peccata remittere, vti tota Scriptura docet.

Ergo illis non est ex Patris & Filij intentione acquisita & obtenta peccatorum remissio.

Instant. 1. At vellet eis remittere, si pœnitentiam agerent, & crederent.

Resp. At præscit Deus eos nec pœnitentiam acturos, nec credituros esse; præscit se illis peccata non remissurum esse, sed se eos propter incredulitatem damnaturum esse. unde sequitur eum quoque ab æterno decrevisse, illis peccata non remittere; nisi Vorstianam velleitatem, seu famosam istam conditionatam, & suspensam voluntatem, id est, mutabilitatem Deo velimus adfingere; promissa quidē & minas conditionatas agnoscimus in Scripturis, & Euangelij annuntiatione, sed voluntatem proprie sic dictam, qui suspendat ille, qui omnium futurorum est præscius & immutabilis?

Instant. 2. Cur ergo invitat, & vocat Deus omnes ad conversionem, & fidem, promittitque remissionem peccatorum, si credant, & convertantur? Resp. 1. Non omnes invitantur & vocantur. 2. constans, uniformis, & seria est Dei invitatio, & vocatio: venite ad me *omnes onerati & fatigati:* venite ad me *sitientes*, &c: *qui credit* habebit remissionem peccatorum & vitam æternam, qua ipsa invitandi & vocandi

vocandi forma satis indicatur, Deum nemini nisi credenti (de adultis loquimur) remissionem peccatorum decrevisse.

Inst. 3. Cur vero Deus illos invitat sero, & vocat ad fidem, quos præscit non esse credituros & contumacia sua graviorem sibi damnationem attracturos? Resp. ad hanc instantiam responsio non magis nobis quam Remonstrantibus incumbit, qui fatentur Deum omnia contingentia ab æterno præscivisse, & quæcumque in tempore facit, ab æterno facere decrevisse. Quare non necesse est in eo considerando hoc in loco immorari.

Cum superiore Remonstrantium assertione simpliciter sumta coincidit hæc altera.

Deus propter Christum universum genus humanum, in reconciliationis gratiam assumsit, & in Adamo ejusque posteris cum eo fœdus gratiæ inivit.

Hanc thesin cum veritate verbi & perpetua praxi Dei, quam in fœdere suoanciendo communicandoque observavit, & nobis revelavit, pugnare asserimus. Quod probatur ex illis, quæ ad primam Remonstrantium thesin dicta sunt. Si enim Iesus Christus non est ita pro omnibus & singulis humani generis individuis mortuus, ex decreto, intentione, & voluntate Patris, ut ijs omnibus & singulis reconciliationem & peccatorum remissionem impetrarit, acquisierit, & obtinuerit, jam totum genus humanum, hoc est, omnia & singula eius individua, non sunt à Deo per Christum in reconciliationis gratiam assumta nec fœdus gratiæ cum ijs initum est. Ratio consequentiæ est: Nam pro quibus Christus ex decreto, intentione & voluntate Patris, sic non est mortuus, ut reipsa eis reconciliationem & remissionem peccatorum impetrarit, acquisierit, & obtinuerit, cum ijs Deus nec potuit nec voluit fœdus gratiæ inire, & in gratiam reconciliationis eos assumere.

Atqui jam in responsione ad primam Thesin demonstravimus, Christum non esse ita pro omnibus & singulis, ex decreto, intentione & voluntate Patris, mortuum. Vnde conclusio sequitur contra hanc secundam Thesin, Deum, per Christum, universum genus humanum, hoc est omnia & singula eius individua, non assumsisse in reconciliationis gratiam nec fœdus gratiæ cum in ijs inijsse.

2. Theseos huius falsitas hoc argumento probatur:

Quoscumque Deus in reconciliationis gratiam assumsit, & cum quibus fœdus gratiæ inijt, illis omnibus & singulis hæc gratia, & hoc fœdus gratiæ fuerunt manifestanda: communicandaque ijs fuerunt omnia illa, quæ ad hanc gratiam & ad hoc fœdus pertinerent.

Atqui hanc gratiam reconciliationis, & hoc fœdus gratiæ, omniaque ad illud pertinentia, omnibus & singulis humani generis individuis non manifestavit, nec communicavit Deus. Ergo, &c.

Consequentia majoris est manifesta. Nam assumtio in gratiam reconciliationis, & fœderis gratiæ ictio, non potuit (quod vel ipsi non ausint diffiteri Remonstrantes) ijs ad salutem cedere, nisi acciperent & crederent (loquimur hic semper de adultis) Hoc vero sine manifestatione, annuntiatione, & communicatione eius fieri non potest. Nam quomodo invocabunt eum in quem non crediderunt, quomodo autem credent, de quo non audiverint, quomodo audient sine prædicante, Rom. 10.

Minorem verissimam quoque esse, ex universa Scriptura, Deique praxi in fœdere suo pangendo & communicando, in Scriptura revelata abunde constat. Adamum quidem Deus post lapsum recepit in gratiam, & fœdus cum eo inijt, promittens semen mulieris. Sed fœdus Deum cum semine serpentis inijsse, quis ausit affirmare? Deinde hoc fœdus non cum omnibus & singulis Adami posteris initum, & apud eos eorumque familias continuatum esse & permansisse, Caini ab hoc fœdere alienatio, ex Ecclesia, & à facie Dei eiectio, ac discessus, expressa discretio eius, & posterorum eius, à Setho & Enocho, eorumque posteris, penes quos, & cum quibus hoc fœdus gratiæ remansit, aperte testantur, & ipse Moses explicatissime indicat. Gen. 4. 26. deinde liquidissime hoc constat

Digitized by Google

constat ex fœdere hoc gratiæ inito cum solo Abrahamo & solis posteris, sive semine, non cum reliquis gentibus omnibus, de quo fœdere Deus ipse ad Abrahamum & Moses sæpius ad populum Israelis, inter alia loca, Deut. 7. 6. Te selegit Iehova Deus tuus, vt sis populus peculiaris præ omnibus populis, qui sunt sub vniverso cœlo: & Psal. 147. 19. 20. indicat verba sua Iahacobo, statuta sua & iura sua Israeli: non facit ita vlli genti, ideoque iura ista non noverunt: Act. 14. 16. quique (Deus) præteritis ætatibus sivit omnes gentes suis ipsarum vijs incedere: Eph. 2. 11. 12. propterea mementote vos quondam in carne, qui dicebamini præputium, ab ea, quæ vocatur circumcisio manibus in carne facta: vos, inquam, illo tempore fuisse absque Christo, abalienatos à civili statu Israelis, & extraneos quod ad pactorum promissiones attinet, spem non habentes, & absque Deo in mundo. His perspicuis scripturæ testimonijs, qualia plura possunt proferri, Minor Syllogismi satis superque confirmatur, Deum nempe non omnibus & singulis humani generis individuis fœdus suum gratiæ prædicari & communicari fecisse, unde sequitur, eum omnia & singula humani generis individua in reconciliationem non assumsisse, fœdusque gratiæ cum eis non inivisse. Gen. 12. & 17.

Similis farinæ est & illa, quam ut tertiam libet opponere.

> Christus, inquiunt, est mortuus adæquate pro omnibus peccatoribus, resurrexit autem & apud patrem in cœlis intercedit, cum salvandi intentione adæquate, pro solis fidelibus.

Ad hanc alienam, & verbo Dei incognitam positionem, præter præcedentia, nihil aliud respondemus; quam quod Spiritus Sanctus per Apostolum in verbo Dei longe aliter sit loquutus; non vtique divellens mortem, resurrectionem, & intercessionem Domini nostri Iesu Christi, sed hæc omnia arctissimo nexu copulans. Rom. 8. 34. quis est qui condemnet, (nempe electos Dei) Christus est qui mortuus est, imo vero qui etiam excitatus est, qui etiam est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. Hoc in loco, ut etiam cap. 4. versu vltimo & cap. 14. vers. 9. & passim alibi, Apostolus Remonstrantium illud, inter mortem & resurrectionem Christi, divortium ignoravit, doctrinamque ei plane contrariam tradidit, in qua & nos vt indubitato vera acquiescimus.

De quarto.

Quarto dicitur; *neminem tamen reipsa remissionis participem fieri præter credentes.*

Hæc sane & simpliciter intellecta extra controversiam sunt, verum cum præcedentibus simpliciter acceptis consistere nullo modo possunt, nam quibus acquisita & obtenta sunt remissio peccatorum, & reconciliatio, ij non possunt non eam habere sive participes eius fieri; ijs remissa sunt peccata; ijque Deo vere sunt reconciliati. Cum vero Remonstrantes istam impetrationem, acquisitionem, & obtentionem ab applicatione & participatione seiungant, illamque omnibus & singulis, hanc credentibus attribuant, reipsa per remissionem & reconciliationem, nil nisi quandam remissibilitatem & reconciliabilitatem intelligunt. Hic ergo videndum est quænam impietatis fibræ sub hac novitate lateant: eas in scriptis (in scripto adversus VValach. in declarat. & defens. communi 1. 2. & 5. art. Grevinch. adversus Ames. in Epist. Thesibus: ex parte etiam in Collat. Hagiensi; in Thesibus Citatorum Synodo exhibitis; Arm. in Antiperkinsio; scripto adversus Walach. & in Antithesis. Delfenb.) alijs aperte postea prodiderunt, in quibus hanc peregrinorum dogmatum, ad hunc Articulum pertinentium, seriem ac systema observavimus:

1. Deus omnes & singulos homines propter primi fœderis violationem, æternæ damnationis reatu pressos, vt creaturas tamen suas dilexit, atque ex hac dilectione seu charitate fuit in ipso affectus, & voluntas eorundem miserendi, beneficiaque sua de novo illis communnicandi.

2. Verum non voluit (licet aliter facere potuisset) de novo cum hominibus agere, sine vlla prævia odij adversus peccatum declaratione, vel absque habita læsæ iustitiæ ratione.

3. Propterea ex prædicto omnium illo miserendi affectu, Filium suum in maledictam crucis mortem voluit tradere, quo suæ justitiæ hactenus satis fieret, genusque humanum hactenus sibi reconciliaretur, ut & ipse jam libere & plene posset & vellet de novo cum hominibus agere, de ratione salutis præscribenda, & Filius potestatem ac jus acquireret peccata remittendi, salutem conferendi ijs conditionibus quas Pater præscriberet.

4. Desti-

Digitized by Google

4. Destinavit autem Pater Filium in mortem, cum nihil ad huc apud se statuisset, de quoquam homine nominatim salvando. Si enim alicui certo salutem ex dilectione destinavit, jam Christi mors, fuisset irrita ac frustranea, nullæque conditiones salutis potuissent præscribi, in quo tamen toto religionis ratio consistit: Vnde porro & hoc consequitur, Christum pro nullis ad vitam æternam jam electis esse mortuum, talibusque nihil impetrasse, promeruisse, imo ne imperare quidem aut promereri quidquam potuisset.

5. Potuisset autem Pater, Christi morte jam peracta, & præstita legale fœdus redintegrare, rigidamq; legis observationem rursus exigere, sive opera legis in salutis conditionem præscribere, sed ex mero & libertimo beneplacito ex omnibus possibilibus conditionibus fidem fideiq; præstabilem, possibilem, & mediocrem quandam obedientiam voluit eligere, eamque non imputatis defectibus, pro exacta & rigida legis observatione habere, & præmio vitę æternæ gratiose dignam censere.

6. Præterea etiam ex liberrimo suo arbitrio voluit, innoxias & tenellas infantiū animas à pœna peccati Adami immunes præstari: neminem etiam adultum propter peccata actualia æternum punire, nisi nova adversus novi fœderis annuntiationem contumacia accederet.

7. Fieri autem potuisset, vt, nemine ex adultis conditiones præscriptas præstante, omnes perirent vel omnibus eas præstantibus servarentur omnes, morti vero & oblationi Christi sua utilitas dignitas & necessitas omnibus numeris ferta tecta constare potuisset, etiamsi nemo credidisset, aut salvatus fuisset, cum Christus in hunc finem proprie sit mortuus, ut Pater de novo posset & vellet conditiones salutis præscribere, sive ianuam salutis aperire.

8. Unde porro constat, Christum nec pro fidelibus, nec pro infidelibus aut etiam insigni flagitio circumscriptis, qua talibus, mortuum esse: cum fidelibus defectus & imperfectiones revera, non propter Christi satisfactionem, condonentur; sed ex tenore novi fœderis, quod Pater inijt, cum peccatoribus, *ex liberrimo arbitrio*: infidelibus autem & flagitiosis, id est, contumacibus adversus Evangeliū peccata ex eodem fœdere retineantur, nisi se postmodum convertant; quod si fecerint, jam ex fœderis prædicti ratione remissionem consequantur.

9. Præterea ex dictis apparet, Christum cum sua morte & merito, non esse donū & promissum, novi fœderis, sed hoc effecisse, ut Pater fœdus illud novum, de possibili quadam obedientia voluerit ire cum hominibus.

10. Similiter hinc liquet, fidem & fidei obedientiam, non esse donum & promissum novi fœderis, morte Christi nobis partum, sed conditionem novi fœderis libere ab homine præstandam.

Ex his jam apparet, quid sibi Remonstrantes voluerint, sua ista impetratione seiuncta à participatione boni impetrati: Quid ipsis sit Christi satisfactio, & λύτρον, quid Patri secundum ipsos per ipsam accesserit, quid ipsi Christo, quid omnibus & singulis hominibus. Patri scl. hoc accessit, quod cum antea affectum tantum haberet miserendi, jam propter filij mortem, plene velle potuerit, & voluerit de novo agere cum hominibus. Filio hoc accessit, quod ius acceperit salvandi eos qui conditiones a Patre præscriptas observarent. Hominibus hoc accessit, quod de novo Pater cum ijs agere, & ianuam cœli aperire voluerit. Porro quod lex sit abrogata & eius loco possibilis quædam & imperfecta obedientia præscripta, eique iustificatio & vita æterna gratiose promissa, illud deberi liberrimo Patris beneplacito, qui Christo licet mortuo potuisset tamen legē rursus perfecte servandam præscribere, cum satis jam in gratiam peccatorum factum esse videri posset, quod Christum in mortem dare, & per illum viam de novo agendi cum homine (quę omnia omittere potuerat) sibi aperire voluerit.

Hanc peregrinam & portentosam Remonstrantum Theologiam ex Socini & Pelagij fœcibus haustam, Christianis fidelium auribus & pectoribus intolerandam toto pectore detestamur, quia

1. Omnem salutis rationem in Scriptura traditam, detestandū in modū, corrumpit & depravat.
2. Suavissimam & sapientissimam illam, in indivulsa Christi & nostri electione, misericordiæ & iustitiæ consociationem disrumpit, & ex unius positione alterius subversionem inducit.

3. Doctri-

3. Doctrinam de peccato originis & miseria hominis, itemque Dei vindicatrice justitia obscurat & depravat.

4. Pretiosissimum Filii Dei sanguinem, & veram satisfactionis eius rationem, atque efficaciam, penitus enervat ac proculcat.

5. Omnem nexum inter Christi servatoris nostri mortem & eius spiritum, nostræque naturæ depravatæ instaurationem, fidem ac salutem dissolvit.

6. Filium Dei revera in titularem & occasionalem Servatorem transformat, constituens Servatorem sine salute, redemtorem sine redemtione, sacerdotem sine populo, Regem sine regno, caput sine corpore.

7. Novi fœderis, fidei, justificationisque naturam in Scriptura traditam, & hactenus in Christiano orbe creditam, horrendis modis conspurcat.

8. Omnem mortis Christi fructum ad salvabilitatem & reconciliabilitatem quandam revocando, omne Dei decretum de nobis servandis, omnem mortis Christi efficaciam, adeoque salutem omnium nostrum, putri voluntatis nostræ filo suspendit, ideoque omnibus salutem reipsa reddit impossibilem, cœlique januam, quam omnibus & singulis una manu videbatur aperire, altera omnibus & singulis occludit.

9. Omne nostrum in Christi Salvatoris nostri morte solatium, in quo corda nostra, tum in vita tum in morte, exultant, penitus profligat.

10. Denique hoc impium huius Theologiæ mysterium dissimulare non possumus, quod ex ea necessario sequatur, nulli peccatori revera peccatum propterea remitti, aut quenquam justificari eo quod Christus ipsius loco pœnas peccatorum tulerit; sed quod peccator ipse conditiones N. fœderis gratiose præscriptas præstiterit, quarum conditionum præscriptioni Christus per suam mortem viam duntaxat straverit, sive id interventu mortis suæ effecerit, ut conditiones de novo quædam præscribi potuerint.

Hisce omnibus sanæ doctrinæ corruptelis & male sanorum commentis, nos simplicem hanc & Scripturæ consentaneam veritatem opponimus.

Mors Filii Dei & hominis, immaculati istius Dei Agni, Domini nostri Iesu Christi, est quidem maledicta & acerbissima in sese abunde sufficiens & unicum remedium ad expiãda peccata omnium & singulorum hominum; quorũ peccata omnia per illam reipsa expiarētur, si omnes & singuli eam vera fide amplecterentur. Quare etiam omnibus, qui per Euangelium vocantur, promiscue ea offertur, fide apprehendenda. Patris autẽ (ut & ipsius Christi) sancta, misericors & irreprehensibilis voluntas, beneplacitum & intentio fuit, ut per mortem hanc preciosissimam universæ electorum in toto mundo multitudini reipsa acquireretur, nõ tantum peccatorum omnium, tam originalis quã actualium, remissio, sed etiam salvificorum Spiritus S. donorum, quibus natura nostra renovatur, nosq; ad communionem & conformitatem Filii deducimur, & in ea custodimur, collatio: Adeoque hæc salvifica fœderis dona reipsa per ministerium Euangelii, & Spiritus S. virtutem toti & soli electo populo, certo conferuntur, ut Ecclesia semper sit in mundo, quæ pro hoc beneficio Servatorem suum corde, ore & opere celebret, eiq; fervida & constanti dilectione adhæreat, & in eo adversus mundum, satanam & carnem pacem habeat, ac solatium in vita & morte. Quotquot autem pereunt, non aliqua Dei culpa, aut meriti Christi defectu, sed sua propria culpa pereunt, & juste propter peccata, tum originale, tum actualia damnantur: cuius judicii justitiæ, ipsamet pereuntium conscientia testimonium perhibebit.

Deum misericordiarum Patrem, per preciosissimam Servatoris nostri pro nobis præstitam satisfactionem, ardentissime precamur, ut opinionum ista monstra, eo, unde in nostræ ingratitudinis pœnam eructata sunt, retrudat, & hanc satanicam non prophetandi libertatem, sed in propriam & aliorum pernitiem insaniendi libidinem, sua dextera compescat: Ecclesiam suam in vera & viva fide & fervida dilectione Servatoris, qui se pro illa in mortem crucis maledictam exposuit, custodiat, errantes seductos & seducentes pro immensa misericordia in viam veritatis tandem deducat, omnibusque & singulis nobis hanc gratiam faciat, ut eodem, quo Apostolus, spiritu fidei dicamus;

Vivo non amplius ego, sed vivit in me Christus: & vitam, quam nunc vivo in carne, vivo per fidem Filii Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.

Iudicium

DEPVTATORVM TRANSISVLANIÆ,

De Secundo Articulo.

QVI EST

DE REDEMPTIONE

PER CHRISTVM FACTA.

Theses Heterodoxæ Remonstr.

I.

ABsoluta voluntas, & intentio Dei Patris, Filium unigenitum in mortem tradentis, & Filij eam subeuntis, fuit, ut omnibus, & singulis hominibus, tam pereuntibus, quam servandis, impetraretur reconciliatio cum Deo, & peccatorum remissio.

Hanc Thesin falsitatis arguit tota Scriptura.

Etenim non fuisse hanc absolutam voluntatem Dei Patris tradentis Filium in mortem, hinc liquet.

I. Quibus Deus Pater ab æterno absoluta voluntate intendit impetrationem remissionis peccatorum & reconciliationis per Filij sui mortem, eos etiam in tempore eius facit participes.

Psalm. 115. vers. 3. Deus noster in ipsis cælis est, quicquid placet, facit. Esai. 46. 10. Consilium meum stabit, & omnem delectationem meam facturus sum. Rom. 9. v. 19. Eius voluntati quis obsistet?

At Deus pater non omnes & singulos homines impetrationis remissionis peccatorum & reconciliationis per Filij mortem in tempore facit participes.

Ergo

Antitheses Orthodoxæ.

I.

a) ABsoluta voluntas & intentio Patris b) Filium unigenitum in mortem tradentis, & filii c) eam subeuntis fuit, ut d) omnibus, e) solis & f) singulis ad vitam g) æternam, ab æterno electis impetraretur h) reconciliatio cum Deo, remissio peccatorum, & vita æterna.

a) Iohan. 6. vers. 39. hæc est voluntas eius qui misit me, ut quicquid mihi dederit, non perdam ex eo, sed suscitem illud in ultimo illo die. Rom. 9. vers. 18. Cuius vult, miseretur.

b) Roman. 8. vers. 32. proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum. Galat. 4. vers. 4. Postquam venit plenum tempus, emisit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum legi subjectum: ut eos, qui legi erant subjecti, redimeret, ut adoptionem acciperemus.

c) Philip. 2. vers. 8. habitu inventus ut homo, ipse se submisit, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.

d) Iohan. 12. vers. 32. Ego si sublatus fuero è terra, omnes traham ad me ipsum. Omnes, id est, omnes prædestinatos ad salutem, ex quibus nullus peribit.

Confer

Ergo non omnibus ab æterno absoluta voluntate intendit impetrationem remissionis peccatorum & reconciliationis, per Filij sui mortem. Minor probatur.

1. Qui impetrationis peccatorum remissionis fiunt participes, seu qui habent remissionem peccatorum, illi beati sunt. Psal.32. v.1.

At non omnes & singuli homines beati sunt. Ergo non omnes & singuli homines impetrationis peccatorum remissionis fiunt participes.

2. Super quos manet ira Dei, illis nec reconciliatio cum Deo, nec peccatorum remissio, unquam fuit impetrata. Nam verbum Manendi notat actum continuum, nec unquam interruptum.

At super reprobos, infideles, & inpœnitentes manet ira Dei. Iohan.3. vers.36. Qui non assentitur Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.

Ergo illis nunquam impetrata fuit reconciliatio cum Deo, & peccatorum remissio.

3. Quicunque semper fuerunt, & adhuc sunt, & in æternum manent inimici Dei, illis nec peccatorum remissio, nec cum Deo reconciliatio unquam impetrata est.

At reprobi, infideles, & impœnitentes semper fuerunt, sunt & in æternum manebunt inimici Dei. Matth.7. v.23. Certe nunquam novi vos.

Ergo reprobis, infidelibus, & inpœnitentibus, nunquam peccatorum remissio & reconciliatio cum Deo impetrata est.

II. Quibus Deus pater tradens Filium in mortem, intendit impetrationem reconciliationis & peccatorum remissionis, seu jus & potestatem salvandi, illis etiam media sufficientia, & ad salutem percipiendam necessaria subministrat.

At non omnibus & singulis hominibus subministrat media sufficientia, & ad salutem percipiendam necessaria.

Confer etiam Esai.54. v. 13. & Ioh. 6. vers. 45. Erunt omnes docti à Deo. Sic 2. Corinth. 5. vers.17. Ecce facta sunt omnia nova.

e) Rom. 11. vers. 7. Electi assequuti sunt, reliqui vero occalluerunt. Iohan. 10. vers. 15. Animam meam depono pro ovibus. Confer cum vers. 26. Vos non creditis, non enim estis ex ovibus illis meis, Actor. 13. vers. 48. Crediderunt, quotquot erant ordinati ad vitam æternam.

f) Iohan. 13. vers.18. Nequaquam de vobis omnibus loquor, novi enim eos quos elegerim. Luc. 22. vers. 32. Ego deprecatus sum pro te, ne deficiat fides tua. Gal. 2. vers. 20. Filius Dei dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.

g) Ephes. 1. vers. 45. Elegit nos in ipso (Christo) ante jactum mundi fundamentum, ut simus sancti & inculpati in conspectu eius cum charitate. qui prædestinavit nos, quos adoptaret in Filios, per Iesum Christum in sese, pro benevolo affectu voluntatis suæ. Vide etiam Rom. 8. v.32.33.34.

h) 2. Corinth. 5. vers. 19. Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi, non imputando eis offensas eorum: posuitque in nobis sermonem illum reconciliationis. Iohan. 3. vers. 16. Ita Deus dilexit mundum, ut Filium suum illum unigenitum dederit, ut quisquis credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.

I. Quia fidem non dat omnibus. 2. Thess. 3. vers. 2. non omnium est fides, sed electorum tantum. Tit. 1. vers. 1. Ovibus Christi hæc tantum datur. Ioh. 10. vers. 26. Quare Paulus ait Phil. 1. v. 29. Gratis datum est vobis in Christi negotio, non solum in eum credere, sed etiam pro eo pati. Contra de reprobis dicitur. Iohan. 12. vers. 39. Non poterant credere.

II. Quia præteritis ætatibus sivit omnes gentes suis ipsarum viis incedere. Actor. 14. vers. 16.

III. Quia ipsi placuit, Euangelium occultare à sapientibus & intelligentibus. Matth. 11. v. 25. 26.

IV. Quia Christus ait Matth. 13. v. 11. Vobis datum est nosse mysteria regni cœlorum, illis autem non est datum.

Ergo non omnibus & singulis hominibus intendit impetrationem reconciliationis, remissionis peccatorum &c. Nec Christi mortem subeuntis, hanc voluntatem & intentionem fuisse, ut omnibus & singulis impetraretur remissio peccatorum, & reconciliatio cum Deo. hinc liquet.

I. Quia pater & filius unum sunt. Ioh. 17. v. 23. Quicquid ergo vult pater, illud vult & Filius, unde servus dicitur, per cuius manum decretum Patris prosperatur, Esai. 53. v. 11. Hinc ipse Filius ait, Ioh. 4. v. 34. Esca mea est, exequi voluntatem eius qui misit me, & consummare ipsius opus. Ioh. 5. v. 19. Quæcunque pater facit, hæc etiam Filius pariter facit. Ioh. 6. v 38. Descendi è cœlo, ut exequar non voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me. Ioh. 8. v. 29. Ego, quæ placent Patri, facio semper. At quæ fuerit voluntas & intentio Patris liquet ex præcedentibus.

II. Qui hoc fine in mundum venit, & mortem subiit, ut pro suis quos pater ipsi ab æterno dederat, rogaret, & eorum causa seipsum sanctificaret, ut peccata multorum perferret, ut animam suam in redemptionis pretium daret pro multis, ut funderet sanguinem pro multis in remissionem peccatorum, ut semetipsum exponeret pro Ecclesia, ille non intendit omnibus & singulis remissionem peccatorum & reconciliationem cum Deo impetrare. At Christus hoc fine in mundum venit & mortem subiit; ut pro suis, quos Pater ipsi ab æterno dederat, rogaret. Iohan. 17. v. 9. & illorum causa seipsum sanctificaret. ibid. v. 19. ut peccata multorum perferret. Esai. 53. v. 11. 12. ut animam suam daret in redemptionis pretium pro multis. Matth. 20. v. 28. ut funderet sanguinem pro multis in remissionem peccatorum, Matth. 26. v. 28. ut exponeret semetipsum pro Ecclesia. Eph. 5. v. 25. Ergo non intendit omnibus & singulis remissionem peccatorum, & reconciliationem cum Deo impetrare.

Theses Heterodoxæ Remonstr.

II.

Iuxta hanc absolutam voluntatem & intentionem Patris, & Filij, Christus mediator, remissionem peccatorum, & reconciliationem cum Deo, omnibus & singulis hominibus, tam pereuntibus, quam servandis per mortem crucis impetravit.

Hæc Thesis non tantum non est fundata in sacris literis, sed iis etiam manifeste repugnat.

I. Quorum Christus est advocatus, illorum duntaxat, est ἱλασμὸς. Quia unius & eiusdem Pontificis est orare & sacrificare pro populo. Quare hæ duæ officij Sacerdotalis partes conjunguntur à Iohan. 1. Epist. cap. 2. vers. 12. Quod si quis peccarit, advocatum apud Patrem habemus, Iesum Christum, justum; & ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Et à Paulo Roman. 8. v. 24. Christus is est, qui mortuus

Antitheses Orthodoxæ.

II.

Iuxta hanc absolutam voluntatem & intentionem Patris & Filij, Christus mediator remissionem peccatorum, reconciliationem cum Deo, & vitam æternam omnibus, solis & singulis electis & servandis per mortem crucis impetravit.

Huius antitheseos veritas patet ex allegatis ad primam Antithesin orthodoxam. Huc etiam faciunt sequentia.

Hebr. 9. v. 28. Christus semel oblatus, ut in seipso attolleret multorum peccata.

Rom. 3. v. 26. Iustitia, inquam, Dei per fidem Iesu Christi in omnes, & super omnes, qui credunt: non enim est distinctio: Omnes enim peccaverunt, ac deficiuntur gloria Dei, ut qui justificentur gratis, id est, eius gratia per redemptionem factam in Iesu Christo. Quem præstituit Deus, ut esset placamen-

Digitized by Google

mortuus est, imo vero qui etiam suscitatus est: qui etiam est ad dextram Dei: qui etiam interpellat pro nobis.

Sed advocatus non est infidelium & reproborum pereuntium, verum fidelium & electorum salvandorum. Hinc ait Iohannes 17. v. 9. Ego pro eis rogo, (quos scilicet mihi dedisti è mundo vers. 6.) non pro mundo rogo (qui totus in improbo jacet, 1. Iohan. 5. vers. 19. & condemnatur, 1. Corinth. 11. vers. 32.) sed pro iis, quos dedisti mihi, quia tui sunt. Hebr. 7. v. 24. 25. At iste, propterea, quod in æternum manet, perpetuum habet sacerdotium: vnde & servare perfecte potest, eos qui per ipsum accedunt ad Deum, semper vivens, ut interpellet pro eis.

Ergo non reproborum, pereuntium & infidelium, sed electorum & fidelium servandorum ἱλασμὸς est.

II. Ex Matth. 1. vers. 21. Ipse servabit populum suum à peccatis eorum. unde sic argumentamur.

Qui tantum populum suum servavit à peccatis eorum, is non omnibus & singulis hominibus impetravit reconciliationem cum Deo, & remissionem peccatorum. Populus enim Christi est Ecclesia ipsius omnium locorum & ætatum: quæ est certus cœtus, à quo agnoscitur & invocatur Deus, quem ipse pro suo peculio vicissim agnoscit, & cuius sunt pacta & promissiones. Confer 2. Cor. 6. v. 18. ex Ierem. 31. v. 1. Levit. 26. v. 12. Hos. 1. v. 10. & cap. 2. v. 23.

At Christus tantum populum suum servavit à peccatis eorum, quare Paulus. Tit. 2. vers. 14. ait, Christus tradidit semetipsum pro nobis, ut redimeret nos ab omni iniquitate, & purificaret sibi ipsi populum peculiarem accensum studio bonorum operum. Sic 1. Pet. 2. v. 9.

Ergo Christus non omnibus & singulis hominibus impetravit reconciliationem cum Deo, & remissionem peccatorum.

Ac proinde, qui comminiscuntur omnes homines esse populum Dei, illi fideles cum infidelibus, justitiam cum injustitia, lucem cum tenebris, Christum cum Belial, templum Dei cum simulachris conjungunt, & miscent sacra profanis.

Theses Heterodoxæ Remonstr.	*Antitheses Orthodoxæ.*
III.	III.
Hæc impetratio remissionis peccatorum, & reconciliationis cum Deo, eiusque applicatio non æque late patent.	Hæc impetratio remissionis peccatorum, & reconciliationis cum Deo, ac applicatio eiusdem æque late patent.

Falsitas Theseos Heterodoxæ, & veritas Antitheseos Orthodoxæ, patet ex sequentibus.

Si omnibus, quibus per sanguinem Christi remissio peccatorum, & reconciliatio cum Deo impetrata est, etiam liberatio à servitute peccati, fides, adoptio, & spiritus regenerationis, sanctificationis & conversionis ad novam vitam impetrata sunt, & conferuntur ac applicantur, tum impetratio remissionis peccatorum, & reconciliationis cum Deo, ac eiusdem applicatio æque late patent.

At verum est prius. Ergo & posterius.

Prius probatur. Rom.6. v.5.6. Nam si cum eo plantati coaluimus assimilatione mortis eius: nimirum etiam resurrectionis assimilatione cum eo coalescemus: Illud scientes veterem illum nostrum hominem cum eo crucifixum esse, ut aboleatur corpus peccati ne nos amplius serviamus peccato. Luc.1. vers. 71.74.75. Servavit nos ex inimicis nostris, & è manu omnium, qui oderunt nos, ut sine metu è manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus ipsi, cum sanctitate & justitia in ipsius conspectu, cunctis vitæ nostræ diebus. Hebr.1. vers.14.15. Vt per mortem aboleret eum penes quem est mortis robur, hoc est, diabolum: Et liberos redderet, quotquot metu mortis per omnem vitam damnati erant servitutis. Hebr.9. v.14.15. Quanto magis sanguine Christi, qui per spiritum æternum seipsum obtulit inculpatum Deo, emundabit conscientiam vestram à mortuis operibus ad colendum Deum vivum? Itaque ob id novi pacti mediator est, ut morte ad redemptionem earum transgressionum intercedente, quæ fuerant sub priore pacto, qui vocati erant, promissam æternam hæreditatem acciperent: 1. Corinth. 1. v.30. Christus factus est nobis sapientia à Deo, justitia & sanctificatio & redemptio. Actor. 5. v.31. Hunc (scilicet Iesum) Deus dextera sua sursum sublatum constituit principem ac servatorem, ut det resipiscentiam Israeli, & remissionem peccatorum. hic coniunguntur individuo nexu resipiscentia, & remissio peccatorum, quemadmodum & utroque fœdere gratiæ coniunctum promissum est. Ierem. 31. v. 33.34. Sic Ephes. 5. v. 25.26.27. Christus dilexit ecclesiam suam, & se ipsum tradidit pro ea, ut sanctificaret eam, & mundaret eam lavacro aquarum & verbo. Vt constitueret eam Ecclesiam sibi gloriosam, & in qua non esset labes neque ruga, neque quicquam quod illis simile esset, sed esset sancta absque macula. Colos. 1. v. 12. 13. 14. Gratias agentes patri, qui idoneos nos fecit ad participandam sortem sanctorum in luce. Qui, inquam, eripuit nos ex potestate tenebrarum, ac transtulit in regnum filij sui dilecti. In quo habemus redemptionem per sanguinem ipsius, id est, remissionem peccatorum. Ecce qui redempti, & quibus peccatorum remissio acquisita, illi etiam participant sorti sanctorum in luce, erepti sunt ex potestate tenebrarum, ac translati in regnum dilecti Dei filii. Confer etiam Galat.4.v.4. Philip. 1. vers. 29.

Sententiam Remonstrantium hisce Thesibus expressam, ut verbo Dei dissentaneam & heterodoxam, Rejicimus, & in Ecclesia Dei reformata Belgica non esse docendam judicamus. Ideoque liberandam esse Ecclesiam ab illis, qui huius ἑτεροδοξίας introductione, & professione hactenus eam turbarunt, & etiamnum turbant, censemus.

Hanc Orthodoxam hisce Antithesibus expressam sententiam, ut verbo Dei consentaneam, porro in Ecclesia reformata Belgica constanter retinendam, & docendam esse judicamus.

Deputatorum Synodi

GRONINGANÆ & OMLANDIÆ IVDICIVM,

De Secundo Articulo.

CRedimus ex intentione Dei Patris Filium suum in mortem tradentis, & Filii eam subeuntis, recōciliationem cum Deo, & remissionem peccatorum impetratam esse electis & servandis tantum, iisq; vere efficaciterque applicari, huiusq; applicationis fontem & causam in absoluto Dei decreto & voluntate Mediatoris Christi,

Christi, non vero in hominum voluntate aut qualitate consistere, ac proinde æque late patere impetrationem & applicationem.

Contra rejicimus opinionem Remonstrantium docentium, Ex voluntate & intentione Patris Filium in mortem tradentis, & Filij eam subeuntis omnibus & singulis tam pereuntibus, quam salvandis, actu impetratam esse reconciliationem cum Deo & remissionem peccatorum, voluntatem autem ea applicandi & salutem propter mortis Filij pretium conferendi, esse conditionatam, ac proinde non æque late patere impetrationem & applicationem.

Tria in hac Thesi nostra tanquam Orthodoxa & verbo Dei consentanea asserimus, & quæ habet antithesis Remonstrantium iis contraria, ut heterodoxa & verbo Dei dissentanea rejicimus.

I.

Primum est, in intentione hac Patris & Filij spectari tantum electos, illisque solis morte Christi reconciliationem & remissionem peccatorum impetratam esse.

Hic notandum est, quæstionem non esse de sufficientia mortis Christi; indubitanter enim affirmamus, sacrificium Christi tantam habere vim & valorem ut abunde sufficiat ad omnium hominum peccata, tam actualia quam originale expianda, nec reproborum quemquam perire ob defectum aut insufficientiam mortis Christi: sed quæritur an ex intentione Dei Patris & Filij, non tantum electis, actu impetrata sit remissio peccatorum & reconciliatio cum Deo.

Hanc nec Patris neque Filij intentionem fuisse liquet ex sequentibus.

1. Non Patris: Ratio.

1. Quia scriptura asserit, Christum tantum pro electis fuisse in mortem traditum. Sic Matth. 1. dicitur, salvabit populum suum, id est, quem Deus ante præcognovit Rom. 11. 2. Ioh. 11. dicitur, Christum debere mori ut dispersi Dei Filij, id est, electi, qui tunc quidem paganismo & judaismo immersi, sed ratione electionis Dei Filij erant, congregarentur. Et aliquoties fit mentio eorum qui Christo à Patre dati sunt salvandi, Ioh. 17. at soli electi Christo sunt dati, quod hinc patet, quia omnes qui Christo dati sunt salvantur, Iohan. 6. 17. ad Christum veniunt, id est. in ipsum credunt, Ioh. 6. at soli electi salvantur: soli electi vera fide Christum amplectuntur: Fides enim electorum est Tit. 1. Mat. 1, 11. Actor. 13. 48.

Hinc sequitur 1. mortem Christi ex intentione Dei Patris non in omnibus, sed in solis electis hunc habere effectum. 2. intentionem hanc Dei Patris filium in mortem tradentis, esse posteriorem ipsa electione quorundam ad salutem: quæ ratio nostra.

2. Est: nam qui aliquid facit propter finem, prius finem intendit propter quem facit; & nullum medium adhiberi potest sine respectu ad finem. Cum ergo salus hominum finis sit, Mors Christi medium conferendæ saluti subordinatum, necesse est ut prius salus aliquibus decreta sit, quam ordinarit Deus medium de conferenda illis salute. Sic prius oves dicuntur datæ Christo, quam fuerunt in manibus Christi, Ioh. 10. 17. imo salus omnis quæ in Christo illis paratur, fontem & originem primam habet in illa donatione Patris, Ioh. 6. quam donationem Apostolus vocat prædestinationem. Ephes. 1. 5. & redemtionem ex eadem pendere declarat vers. 7.

3. Supposita generali reconciliatione omnium hominum, verbum reconciliationis etiam omnibus & singulis annunciari debuit, quia fides est ex auditu Evangelij, Rom. 10. sine qua nemo (loquimur de adultis) Christi eiusque beneficiorum particeps fit: at quomodo audient illi ad quorum aures Evangelij sonus nunquam pervenit? Multas enim gentes esse, quibus nomen Iesu Christi nunquam innotuit, neque occasio etiamnum est Evangelium audiendi, tam manifestum est, ut qui

inficias ire velit amens & insanus haberi possit. Nec solvunt nodum hunc Remonstrantes quin potius semet ipsos confodiunt hac sua exceptione, videlicet, nolle Deum posteris eorum qui Euangelium annuntiatum repudiarunt olim, & à fœdere per infidelitatem exciderunt, Euangelium inpræsentiarum revelare. Quæritur enim an Deus salutem eorum intenderit, quos ob parentum ingratitudinem, ut placet Remonstrantibus, hac gratia salvifica dignari noluit? Concludimus igitur: quibus Christum non revelat eorum salutem non intendit Deus tradens Filium suum in mortem. Absurdum enim est, Deum salutem eorum intendisse sub ratione finis, & medium tamen sine quo salus frustra expectatur illis non concedere: At posteris eorum qui Euangelium olim repudiarunt, Christum non revelat. Ergo posterorum horum salutem Deus Filium in mortem tradens non intendit. Nisi dicant extra Christi cognitionem & communionem ijs sufficiens auxilium ad salutem dari, quod absque sacrilegio, & ignominia Christi dici non potest, Act. 4. Ioh. 15. Rom. 8. &c.

II.

Eandem Christi morientis intentionem fuisse, cum ex iam dictis, tum ex sequentibus patet. Nam licet Christus qua homo nullam discretionem aut partitionem hominum instituerit, tamen qua Mediator pro imposito sibi munere orans & se offerens, palam secernit eos à mundo pro quibus intercedit, Ioh. 17. & vitam se dare dicit pro ouibus, Iohan. 10. pro illis quos ipsi Pater dedit, Iohan. 6. Pro amicis suis, Iohan. 15. qui quidem (ut Bernhardus ait) secundum tempus impij & inimici erant, sed secundum prædestinationem fratres & amici.

2. Si mundus intercessionis Christi non fit particeps, neque etiam in illum aliquod beneficium morte Christi acquisitum redundat, coniunctæ enim sunt individuo nexu hæ partes officij Christi sacerdotales.

3. A ratione omni alienum esse videtur, quod Christus voluerit pro ijs mori, quos nullo modo agnoscit pro suis: Nam Iohan. 10. agnitionem ovium & animæ depositionem pro ipsis coniungit, & hanc arguere illam, ut effectus causam ostendit.

4. Sic dicitur Ephes. 5. Christum se pro Ecclesia tradidisse, ut eam sanctificaret, purificaret, glorificaret: at soli Prædestinati ad vitam justificantur, glorificantur, Rom. 8. ergo pro solis electis se tradidit Christus.

5. Hoc beneficium sibi præ alijs præstitum celebrat Ecclesia triumphans in cœlis, Apoc. 5. 9.

6. Et nusquam Scripturarum reperire est, omnes & singulos per Christi mortem à peccato Originali liberatos Deo reapse reconciliatos esse.

II.

Secundum membrum Theseos nostræ est: nudam impetrationem reconciliationis & remissionis peccatorum non fuisse integrum Dei Patris Filium in mortem tradentis, & Filij morientis propositum, sed quod coniunctam habuit intentionem ea omnibus applicandi, quibus impetranda fuere, ac proinde æque late patere impetrationem & applicationem.

I. Nam nuda impetratio extra respectum applicationis nulla est.

1. Quia nullus Scripturæ locus dari potest, ubi agatur de tali impetratione.

2. Quia ab omni ratione alienum est, Deum intendisse medium sine ullo respectu ad finem. Nam intendere, est proprie per aliquid ad aliud velle pervenire.

3. Quia absque applicatione nullo usui inservit impetratio.

4. Quia universale nihil est quod non in particularibus omnibus eiusdem generis, aut aliter alibive quam in ipsis existit: si ergo universalis omnium sit reconciliatio, particulariter his & illis non potest non applicari.

5. Quia

5. Quia paradoxum hoc remonstrantium Christo ignominiosum est. Nam 1. spoliat meritum Christi sua efficacia.

2. Honorem, qui Christo debetur, ad hominem transfert: si enim impetratio ab applicatione secernatur & nuda impetratio Christo tribuatur, applicatio autem & eius effecta ex voluntate hominis dependeant, sequitur hominem maxima ex parte salutis suæ causam esse.

II. Sacra Scriptura impetrationem & applicationem coniungit & hanc pendere ab illa, ut effectum à sua causa testatur, 1. Iohan. 17. ait Christus, ego eorum causa sanctifico meipsum, ut sint & ipsi sanctificati in veritate; idem affirmat Paulus Ephes. 5. 25. Pro quibus ergo Christus semetipsum sanctificavit & in mortem tradidit, eorum sanctificationem ut scopum & fructum mortis suæ intendit.

2. Roman. 5. Apostolus alterum ex altero concludit; argumentando à maiore ad minus: si Christus fecit quod maius est reconciliando nos Deo, cum peccatores essemus, &c. multo magis faciet quod minus est servando reconciliatos.

3. Eadem ratione argumentatur Roman. 8. Si Deus Filium suum pro nobis tradidit, qui non simul omnia nobis cum eo donaret: videlicet, Fidem, Pœnitentiam, Spiritum Sanctum, & per illum omnia quibus nobis ad salutem opus est.

4. Sic in fœdere gratiæ remissio peccatorum & sanctificatio coniunguntur, & alterum sine altero esse non potest, Ier. 31.

5. Christus quorum est Salvator, eorum Salvator est merito & efficacia.

6. Tandem pro quibuscunque Christus oravit in terris, & apud Patrem intercedit in cœlis, illis hoc impetrat, ut ipsis satisfactio, & beneficia mortis suæ imputentur & applicentur, Hebr. 5. 1. Iohan. 2. At pro omnibus ijs pro quibus se obtulit in terris, etiam oravit & etiamnum intercedit apud Patrem: Ergo omnibus illis imputantur & efficaciter applicantur beneficia Mortis Christi.

Quod remonstrantes hic excipiunt Christum pro omnibus quidem mortuum esse, at cum salvandi intentione resurrexisse & intercedere adæquate pro fidelibus tantum, fundamento caret. Nam,

1. Nullo Scripturæ dicto hoc probare poterunt.

2. Absurdum est Christum pro omnibus voluisse impetrare idem, & tamen pro omnibus idem non rogare. Sacerdotes V. T. pro omnibus orabant pro quibus sacrificaverant.

3. Et Paulus hæc omnia coniungit, & ad eosdem extendit, Rom. 8.

4. Tandem sequeretur eos, pro quibus ex Remonstrantium sententia Christus non resurrexit nec intercedit, penitus & omni modo adhuc esse in peccatis suis, 1. Corinth. 15. Item, peccatorum remissionem ipsis per mortem Christi non esse impetratam, siquidem redemptio, id est, remissio peccatorum complete obtineri non potuit, nisi per ingressum Pontificis nostri summi in Sanctuarium cœleste cum sanguine suo, Hebr. 9. 12. & 10.

III.

Tertium membrum theseos nostræ est: voluntatem, bona morte Christi impetrata, applicandi, & salutem propter mortis Filij pretium conferendi non esse conditionatam, à conditione in homine latente dependentem: Nam,

1. Decretum electionis absolutum, non conditionale esse, nuper in judicio nostro de 1. Articulo ostendimus, & confessi sumus.

2. Quorsum suspenderet Deus suam voluntatem, cum præviderit, quod certo facturus esset. Nam dum Deus intendit finem, intendit & ordinavit ea quoque quæ ad finem perducunt. Gratificari voluit Deus nobis vitam æternam in Christo, constituit ergo ea simul dare per quæ ad salutem pervenitur. Fidem videlicet vocationem, justificationẽ, glorificationem. Rom. 8. Operatur enim omnia secundum consilium voluntatis suæ. Ephes. 1. Voluntas igitur beneficia mortis Christi nobis applicandi absoluta est, non pendens à conditione in homine prævisa, sed solo eius beneplacito.

3. Si

3. Si voluntas hæc Dei conditionata est, ſequitur in hominis poteſtate eſſe conditionem illam præſtare, hoc eſt, credere ſi velit, at poſterius hoc falſum eſt, ergo & prius: Nam credendi poteſtas ſolum electis conceditur. Ioh. 10. Non creditis, quia non eſtis ex ovibus meis, id eſt, non eſtis electi. Sic fides dicitur Dei donum, Epheſ. 2. Dei opus, Ioh. 6. 29. Electorum, Tit. 1. cuius, ut & omnis Dei doni principium, progreſſus, finis à Deo ſolum promanat, Rom. 9. 1. Phil. 2. 13. Iohan. 15. 5. nec tale donum quod æqualiter omnibus offeratur, quod aliqui accipiant, alij reſpuant, ſed quod electis tantum offertur, & efficaciter confertur: Vobis datum eſt, inquit Chriſtus, reliquis non item, Matth. 13. Miſericordia mihi facta eſt, ut fideles eſſem, 2. Corinth. 7.

Præter hæc etiam ſequentia Remonſtrantium placita, reijcimus,

1. eſt, Chriſtum per mortem ſuam Patri acquiſiviſſe poſſibilitatem & velleitatem fœderis novi cum peccatoribus ineundi, quaſi non potuerit peccatorum miſereri Deus, aut velle fœdus gratiæ cum ijſdem inire, niſi prævia deſtinatione ſatisfactionis Chriſti.

Contrarium enim verum eſt:

1. Quia intentio de dando & mittendo ſequitur ipſam electionem ad ſalutem, adeoque decretum de ineundo fœdere gratiæ cum peccatoribus.

2. Nuſquam Scripturarum extat, Chriſtum morte ſua Patri talem velleitatem, poſſibilitatemque acquiſiviſſe. Vnde ſequeretur, Chriſtum juſtitiæ Dei noſtro loco non ſatisfeciſſe, reconciliationem cum Deo, remiſſionem peccatorum, & vitam æternam nobis non acquiſiviſſe, ſed hoc tantum effeciſſe, ut Deus poſſet & vellet noſtrûm miſereri, fœdus gratiæ inire.

Sed Scriptura hos fines, & fructus Mortis Chriſti recenſet.

1. eſt, ſatisfactio pro peccatis noſtris, Epheſ. 5. 3. Matth. 20. 26. Rom. 3. 2. Cor. 5. 1. Tim. 2. Tit. 2. 1. Petr. 1.

2. Reconciliatio noſtri cum Deo, Rom. 5. 2. Cor. 5. 18. 1. Petr. 3. 18.

3. Deſtructio Sathanæ & noſtri ſanctificatio, Roman. 6. 1. Corinth. 6. Hebr. 2. Phil. 3. 1. Corinth. 1.

4. Æterna ſalus, Ioh. 3. Iohan. 14. Actor. 4. 10. Hebr. 5. 9. 7. 44.

Quod dicunt Remonſtrantes, Deum per juſtitiam non potuiſſe alicui ſalutem decernere abſque intuitu ſatisfactionis Chriſti, adeoque ſatisfactionem Chriſti cauſam eſſe προκαταρκτικὴν qua prævia Deus permotus ſit ad ſalutem noſtram volendam, falſum eſt. Nam,

1. Scriptura decreti hujus cauſam in ſola Dei, ipſum nobis Chriſtum largientis, bonitate & εὐδοκίᾳ quærendam eſſe docet, Epheſ. 1. 3.

2. Ioh. 3. Dicitur Deum prius mundum dilexiſſe, hoc eſt, ad ſalutem bene voluiſſe, quam Filium ſuum pro eo tradidit.

3. Nuſquam ſancta Scriptura dicit nos electos eſſe quia Chriſtus mortuus eſt pro nobis, ſed contrarium affirmat.

4. Redemptio electionis effectus eſt, non ergo poteſt eſſe eius cauſa, Eph. 1.

5. Tandem juſtitia Dei non læditur hoc decreto; nam etiamſi Deus aliquibus ſalutem decrevit, eam tamen nullis reapſa largitur nec largiri decrevit, niſi perfectiſſimæ juſtitiæ Chriſti interventu, quæ in ipſo decreto comprehenſa, ejuſq; executione patefacta, ab omni injuſtitiæ crimine Deum vendicat.

II eſt,

Chriſtum cum morte ſua non eſſe donum ſive promiſſum novi fœderis. Contrarium Verbo Dei conſentaneum eſſe judicamus, 1. videlicet Chriſtum ſponſorem, mediatorem, fundamentum, & ſimul donum ac præcipuum promiſſum eſſe novi fœderis, per quem, in quo, propter quem, & cum quo Deus omnia reliqua dona ſalutaria nobis promiſit & confert. Vt patet Gen. 17. Eſa. 9. Rom. 8. 1. Cor. 1. Porro unicum fœdus gratiæ eſſe agnoſcimus quoad ſubſtantiam, quod Deus cum fideli-

fidelibus & semine eorum statim à lapsu Adami inijt, quo peccator in se perditus in gratiam recipitur per Christum, licet à circumstantijs & externis ritibus quasi vestibus varias formas & quasi facies habet, ob variam mysteriorum Christi Oeconomiam. Sub hoc fœdere eandem vim iam inde ab initio habuit & exeruit meritum Christi. Hebr. 13. Apoc. 13. & fides in Christum semper eiusdem fœderis conditio fuit principalis; ad quam altera conditio perfectæ obedientiæ instar gradus fuit aut παιδαγωγὸς, Gal. 3. Quare Scriptura testatur fideles in Veteri Testamento etiam fide in Christum justificatos & salvatos fuisse, Act. 10. vers. 15. & Paulus justificationem ex Davide definit, affirmatque non aliter nobis remitti peccata, quam remissa fuerunt patri credentium Abrahamo.

III.

Posita morte & satisfactione Christi Deo liberum fuisse ex multis possibilibus, inter quæ & opera Legis sunt, eligendi & præscribendi quas vellet novi fœderis conditiones, quas qui præstarent, illi demum promissa fœderis consequerentur.

Contrarium affirmamus, Ratio 1. Quia Deus per Christum nos salvare decrevit. Christi autem non sumus participes nisi per fidem, Iohan. 3. Ephes. . Posito ergo hoc decreto Dei, necessario fides à Deo in conditionem salutis ordinata & præscripta est.

2. Cum dicitur, Deum nos velle justificare, salvare per fidem, fides non consideratur ut qualitas aut opus, sed ut instrumentum quo Christum apprehendimus, nobisque applicamus.

Fides enim per se neminem salvat, ut & nec actus fidei, sed Christus fide apprehensus, hujus satisfactio pro nobis præstita, est illa justitia qua coram Deo justificamur, & à reatu absolvimur.

Non ergo potest dici, Deo, posita satisfactione & morte Christi, liberum fuisse quancumque vellet novi fœderis conditionem præscribere, nisi simul dicatur:

1. Decretum electionis mutabile, imo plane nullum esse.

2. Homines extra communionem cum Christo potuisse & posse salvari. Ioh. 15. Act. 3. Rom. 8. &c.

3. Tandem Orthodoxa doctrina de Iustificatione hac ratione funditus evertitur. Hæc, ut & alia Remonstrantium dogmata, ut cum dicunt, fidem in negotio justificationis se non habere ut instrumentum; Christum sua morte nobis acquisivisse facultatem faciendi bona Opera quibus justificamur; fidem gratiosa Dei æstimatione à Deo haberi pro tota justitia legali; Christum, quod videntur velle, pro originali saltem peccato satisfecisse, &c. firmiter nobis persuadent eos Socianismum in animis suis fovere.

IV.

Fieri potuisse, posita morte & satisfactione Christi, ut nemine N. T. conditiones præstante, nemo servaretur & impium hoc & blasphemum Remonstrantium placitum quod prædestinationem, præscientiã, justitiam, ut & misericordiam Dei erga suos è medio tollit, Deumque in impotentem hominem transformat, qui cuperet omnes homines salvari, sed non posset hoc efficere.

2. Salutem maxima ex parte voluntati & viribus humanis adscribit, & ita quidem, ut totum Redemptionis mysterium, per hominis contumaciam & Diaboli astutiam potuerit fieri irritum, nec ratum iam esse, nisi vi receptionis humanæ, reijcimus non solum, sed & refutatione indignum judicamus.

Examen

Examen & Iudicium

DRENTANORVM

DE

Articulo Remonſtrantium ſecundo.

Thesis I.

Ad primum membrum primæ Theſeos quod ſic habet:

DEus deſtinavit Chriſtum in Mediatorem ante omnem voluntatem atque intentionem quenquam ſervandi. Reſpondemus:

1. Ne homo quidem in rebus vel minutioribus, prius de medijs, quam de fine cogitat; neque quicquam ſine cauſa & ratione deſtinat: quanto minus Deus ſapientiſſimus & juſtiſſimus, Filium innocentem, ad mortis genus uſque adeo acerbum & maledictum deſtinavit, niſi prius de fine iſtius decreti cogitaſſet, aut aliquid certi de uſu tantæ rei decreviſſet. Ipſa vocabula hoc evincunt, quod nimirum Deus prius cogitaret de *ſervandis*, quam de *ſervatore*, de *reconciliandis*, quam de *mediatore reconciliante*, de *redimendis*, quam de *Redemptore:* prius inquam de illa, quam de iſto quod ad ordinem decretorum attinet, cogitavit Deus.

2. Erronea ſunt illa omnia, quibus hunc effictum decretorum Divinorum ordinem, pro fundamento ſubſternunt: ut nimirum inde eliciant, quod per fidem eligamur: quod electio ſingularium plenaria non ſit æterna, quod denique gratiâ Dei ſit univerſalis, Deique voluntas fuerit, omnes & ſingulos ſervare. Errorem igitur errore fulciunt, & ad rationis humanæ deliramenta confugiunt, cum è Verbo Dei id non poſſint probare, quod in primo hoc Theſeos membro continetur: Scriptura enim contra teſtatur quod Infans *nobis* natus, Filius *nobis* datus, Eſa. 9. 5. quod elegerit *nos* ſervandos per Chriſtum, Epheſ. 1. 5. quapropter etiam Chriſtus *ſervus* Dei dicitur, Eſa. 53. 10. 11. ex quibus omnibus efficitur Chriſtum eſſe cauſam adminiſtram, electis ſervandis conſtitutum: adeoque Decretum divinum de Mediatore, eſſe in ordine poſterius decreto electionis.

Ad ſecundum membrum primæ Theſeos, quod ſic habet:

Adeo etiam, ut mediationi iam præſtitæ ac peractæ, dignitas, neceſſitas, atque utilitas ſua, abunde conſtare potuerit, etiamſi impetrata redemptio, nulli unquam individuo applicata fuiſſet, potueritque omnibus impetrata eſſe, tamen nullis applicari, propter intervenientem omnium incredulitatem: cum finis mortis Chriſti proprius non fuerit eius applicatio. Reſpondemus:

1. Falſa eſſe hæc omnia: nam quod de dignitate mediationis dicunt, etiamſi non applicetur; eam ipſam dignitatem eſſe vel in ſufficientia, vel in efficacitate τῦ λύτρυ. illa potuit conſtare ſine applicatione, iſta non: quemadmodum præſtantia medicamenti non tantum in ſe, ſed etiam in efficacitate cernitur ſi cui utiliter adhibeatur, ſanitatemque reducat.

2. Simi-

Digitized by Google

2. Similiter & utilitas dupliciter consideratur: prior utilitas quam mediator percipit, est, quod Dominus ipsum in summam extulit sublimitatem, ac donavit, &c. Philip. 2. 9. hæc utilitas potuit esse sine applicatione: at est & alia utilitas quæ sine applicatione nullo modo esse potuit, nimirum hæc: ut omnis lingua confiteatur, quod Dominus sit Iesus Christus, ad gloriam Dei Patris vers. 11. hac glorificatione electorum hominum nec in hac, nec in altera vita, sine applicatione, fruitur.

3. Denique vehementer pugnant, impetrare redemptionem & impetratam non applicare. Nam cum impetratio sit ex summo Dei amore, Iohan. 3. 16. quid ni idem amor effectum dedit, ut applicatio sequeretur? sine qua amor iste plane frustraneus fuisset, utut redemptio esset impetrata. Deus, inquam, sapientissimus, potentissimus, immutabilis, ex amore nihil incipit, quod ex eodem, ad finem propositum non possit, aut non velit perducere, Phil. 2. 13. Iohan. 15. 16. non vos me elegistis, &c. Iohan. 16. 7. Rom. 6. 5. conjunguntur individuo nexu impetratio & applicatio: quemadmodum & Ephes. 5. 15, 16. & multis alijs in locis. Constituit igitur Deus ab æterno utrumque Decreto immutabili, adeoque falsissimum est, quod dicunt unum sine altero potuisse esse: quemamodum & in sequentibus aiunt.

Redemptio potuit omnibus impetrata esse, & tamen nulli applicari. Pugnat enim hoc cum omnibus Dei proprietatibus. 1. Cum immutabilitate: hæc non patitur, ut quem semel voluit & cœpit liberare, postea nolit. Malach. 3. 6. Esai. 46. 10. 2. Cum misericordia, quæ non patitur perire dilectum filium, redemptum tanto pretio. Esai. 49. 15. paternus amor filijs hæreditatem non tantum acquirit, & emit, verum etiam largitur & tradit possidendam. 3. Cum justitia Dei, quæ suum cuique tribuit, 2. Timoth. 4. 8. 4. Cum sapientia, juxta quam omnia perfectissime præscit Deus. Si igitur prævidisset, per resistibilitatem & resistentiam Remonstrantium, neminem unum redimi potuisse; filium suum unigenitum, dilectum, in quo acquiescit. Matth. 3. 17. in tam horrendos cruciatus nunquam tradidisset. Nam Deus & natura nihil faciunt frustra. Ergo falsissimum est, quod redemptio potuerit esse sine applicatione.

4. Quod denique aiunt: istam applicationem potuisse impediri, propter intervenientem omnium incredulitatem: respiciunt ad figmenta sua, de resistibili regeneratione, & similia: de quibus in Articulo quarto agitur. Cum igitur hoc falsum sit, corruunt & reliqua, quæ præcessere, & hisce fundamentis falsis innituntur.

Ad ultimum primæ Theseos membrum quod sic habet:

Finis mortis Christi proprius, non fuit eius applicatio. Respondemus. 1. Cum dicunt *proprius* vel ipsi fatentur, quod applicatio fuerit aliquomodo finis mortis Christi. 2. Applicatio est causa finalis, quamobrem jus applicandi sibi Christus acquisivit: si ergo jus applicationis est finis mortis Christi, multo magis & applicatio erit finis eiusdem mortis. Ephes. 5. 25. 26.

Rejicimus ergo totam hanc Thesin, eique contrariam & Orthodoxam, ad finem sequentis secundæ Theseos, substituimus.

II. THESIS.

Ad membrum prius secundæ Theseos, quod sic habet:

Destinavit Deus, Christum in mediatorem, cum nihil adhuc statuisset de conditione, sub qua homines vellet servare: Responsum ad hæc fuit iam antea, & in sequentibus de re eadem agetur. Opponimus igitur tribus tantum verbis, hunc syllogismum: Ordinatio finis, prior est ordinatione mediorum, & causa administra, quibus ad finem pervenitur. Atqui conditiones salutis sunt finis, propter quem

acquirendum Christus tanquam medium & causa administra, constitutus est: ut nimirum conditiones istas, & media ad salutem acquirat & procuret: qualia sunt, fides, pœnitentia, obedientia, sanctimonia, perseverantia, nominis Divini invocatio, celebratio, &c. Ephes. 1. 5. 11. Iohan. 6. 40. & 57. & 58.

Ergo ex ordine Deus prius ordinavit salutem, & salutis conditiones, quam mediatorem Christum: quippe qui constitutus est, ut istam voluntatem Patris sui faciat, unde & angelus fœderis, & servus Dei dicitur. Iohan. 17. 22. 23. Ioh. 6. 37. 38. 39. Nam quod ultimum est in executione, primum fuit in intentione.

Ad posterius membrum secundæ Theseos, quod sic habet:

Adeo, ut opere mediationis jam præstito ac peracto, integrum ipsi fuerit, quamcumque vellet conditionem, tam operum, quam fidei, ad salutem consequendam præscribere.

Respondemus, falsissimum hoc esse, quod hic dicunt, in quacumque tandem significatione, vocabulum *fidei*, & *operum* accipiant. Quæ falsitas ut appareat; ijs quæ diximus, pro fundamento & argumento solido substernemus, indubitatum hoc dogma de Dei natura & operatione: nimirum quod ex effecto Dei infallibiliter semper judicatur de voluntate & Decreto Dei antegresso: adeout, cum primum istud effectum appareat, statim infallibiliter judicare possimus, Deo integrum non fuisse aliter agere. Ratio est, quia Deus sapientissimus, perfectissimus, optimus, non potest non optime semper agere, aut præscribere aliud, quam quod est optimum: adeoque non potest alia præscribere, quam quæ præscribit. Unum enim semper est optimum, saltem in rebus è diametro pugnantibus, uti fides & opera pugnant: simul ac itaque unum videmus præscripsisse; statim dicimus hoc optimum esse. Non fuisse integrum Deo, pro summa sua bonitate & perfectione vel hoc omittere, vel contrarium velle, aut facere, vel utrumque præscribere. Hoc fundamento posito, jam porro consideramus varias significationes vocabuli fidei & operum, ut falsitas Theseos appareat.

1. Si itaque fidem cum Orthodoxis accipiant pro instrumento quo apprehendimus merita Christi, &c. Deo integrum non fuit vel talem fidem vel opera præscribere. Quia fidem solam non opera nostra præscripsit.

2. Si fidem in eadem ut dictum est significatione accipiant & tanquam fontem bonorum operum & efficacem per charitatem Gal. 5. vers. 6. Deo integrum non fuit vel talem fidem vel opera talia præscribere. quia utrumque præscripsit, idque ob hanc evidentissimam rationem, quod nec merita Christi aliter apprehendi, nec Deo redemptori aliter gratitudo debita præstari à nobis, quam per talem fidem, possit. Iohan. 3. 16. Iohan. 20.

3. Si fidem accipiant pro conditione novi & Evangelici Fœderis tradita in Novo Testamento: Opera vero pro conditione legali utriusque fœderis, præscripta in Veteri Testamento, quibus sancti illius temporis etiam sine cognitione Christi servati sunt: Deo integrum non fuit; talia opera præscribere, quia nec in Veteri nec in Novo Testamento talia opera præscripsit, neque Sancti Veteris Testamenti aliter quam Sancti Novi Testamenti servantur, nimirum fide, Actor, 15. 10. 11. hac igitur Remonstrantium doctrina abominanda, Christi merita non parum evertuntur, Orthodoxa de justificatione sententia evertitur, & dogmata Papatus imo Pelagiana & Socimana astruuntur.

Antithesis Orthodoxa, opponenda primis duabus Thesibus.

Deus, è lapso genere humano, certos quosdam homines, pro benevola sua voluntate, ab æterno elegit è lapsu erigendos & servandos. Cum autem, eos sine mediatore,

Digitized by Google

diatore,servare per iustitiam suam non posset, ad Decretum præcedens addidit conjunxitque & hoc sequens, nimirum de dando in mortem filio suo, ut pro electis & salvandis omnibus, tam Veteris quam Novi Testamenti hominibus, satisfaceret, iisque mortem suam applicaret, &c. ut ab istis electis in æternum celebraretur. Testimonia Scripturæ quibus hæc Antithesis nititur, & in primo & in hoc Articulo satis multa præcesserunt.

THESIS III.

Ad membrum primum Theseos tertiæ, quod sic habet:

Deus omnes & singulos homines tradidit Christo redimendos, fuitque intentio Dei Patris, filium suum in mortem tradentis, omnibus peccatoribus salutem conferre, propter mortis filij sui pretium. Pernegamus hoc propter sequentes rationes.

1. Quia è sacris litteris probari non poterit, quod Deus Christo omnes tradiderit redimendos. Quippe quæ contrarium testantur: Iohan. 17. 9. 11. oravit Christus pro sibi à Patre datis. At non pro mundo: ergo mundus non fuit datus aut traditus Christo, ut redimeretur.

2. Qui Christo traduntur, tanquam possessio ipsi traduntur, ita, ut non amplius sint possessio Diaboli, quippe qui per istam donationem & traditionem, in statum reconciliationis sunt restituti: atqui hoc de omnibus dicere non possumus; neque ipsi Remonstrantes volunt videri quod hoc sentiant. 3. Cum Deus sit immutabilis & omni sapiens, neminem tradit Christo servandum nisi revera servetur: quos præscit conversum non iri, hos non tradit: adeo ut Scriptura passim testetur servari istos omnes, qui Christo dati sunt, Ioh. 6. 37. 39. 44. Ioh. 10. 29. Ioh. 17. 2. 6. 12. neque aliter vox *redimendi* & *emendi* (cuius hic fit mentio) in sacris usurpatur: testatur, inquam, Scriptura, eos omnes servari, qui semel à Christo empti & redempti sunt. 1. Petr. 1. 15. 18. 19. Gal. 3. 13. 14. Gal. 4. 5. Tit. 2. 14. Apoc. 5. 9, & 14. 3.

2. Responsio: quod dicunt intentionem Dei fuisse, omnibus salutem conferre: dicimus intentionem Dei, esse Dei voluntatem: voluntatem Dei esse unicam, certam, sapientissimam, immutabilem, quæ semper fiat: quicquid non fit, nunquam fuit in intentione Dei ut fieret.

3. Responsio: ad exemplum Pharaonis quod attinet, impudenter & temerario ogganniunt manifesto Dei verbo, Rom. 9. si excipiant, Pharaonem habuisse externam vocationem, adeoq; Dei intentionem fuisse, ipsum servare; Respondemus; quod voluntas signi non possit proprie dici voluntas beneplaciti: quod vel ex historia Pharaonis passim apparet: mandat enim Deus subinde ut dimittat populum Israeliticum: hæc erat voluntas signi: Interim dicit se nolle ut Pharao dimittat istum populum, hæc erat voluntas beneplaciti, quæ semper fit, & causas habet æquissimas, utut nobis incognitæ sint. Nunquam igitur probabunt, tam Pharaonem, quam Abrahamum, ex intentione Dei servandum fuisse.

Ad membrum Theseos tertiæ postremum, quod sic habet:

Etsi res per multorum culpam aliter eveniat.

Verissimum est reprobos sua culpa perire, nec solo Dei jure absoluto, sed simul iure ordinato à gloria æterna reprobari: interim tamen non recte dicitur, quod hic eventus sit alius, quam, quem Christus sibi propositum habuit: perinde ac si voluntas ipsius esset conditionata, præscientia fallax, amor mutabilis, Rom. 11. 20. perinde ac si homo regenerandus, resistibilitate sua ingressurum Spiritum impediret, salutem

 oblatam

oblatam invito Deo excuteret, & è numero electorum ad reproborum transiret. cum Deus è plurimis idololatris, eximeret Abrahamum itidem idololatram (faciunt enim hic mentionem Abrahami) si Deo placuisset eadem dona conferre reliquis, quæ Abrahamo ex mera sua gratia contulit, non minus reliqui idololatræ, quam hic idololatra servati fuissent, Iohan. 24. 2. Matth. 11. 21. Tyrij plus præstitissent quam Iudæi, si placuisset Deo eos sua gratia dignari. Quid multis? nemo venit ad Christum, nisi pater traxerit eum Iohan. 6. Deliria igitur mera sunt, quæ in hac Thesi extra Dei verbum coacervarunt: quibus opponitur hæc sequens.

Antithesis Orthodoxa.

Deus electos suos Christo dedit redimendos, Iohan. 17. 2. 9. 10. 11. fuitque intentio Dei Patris, filium suum in mortem tradentis, omnibus & solis electis salutem conferre, propter mortis filij sui pretium. Iohan. 3. 16. & 17. 12. 2. Cor. 5. 21. & intentio filij fuit, non omnes homines ex æquo, non tam Pharaonem, quam Abrahamum servare. Rom. 9. Malach. 3. Rom. 11. 2. 7. Iohan. 10. Utque hoc non aliter eveniret, omnem resistentiam Spiritu suo tollit, novas vires instillat, instillatas ad finem vitæ conservat. Ierem. 32. 38. 39. 40. Philip. 2. Rom. 8. 29. &c.

Thesis IV.

Cuius prius membrum sic habet:

Pretium redemptionis quod Christus per mortem & passionem suam Deo Patri obtulit, eiusque iustitiæ satisfecit, fuit secundum Decretum, voluntatem atque intentionem Dei, efficaciam habuit ad reconciliationem in omnibus & singulis hominibus, non solum in electis & fidelibus, sed etiam in omnibus reprobis infidelibus & impœnitentibus, qui in infidelitate & in impœnitentia moriuntur ac pereunt in æternum. Adeo ut Christus, qui ad oblationem illorum quoque sacerdos & propitiator fuit, licet adæquate pro fidelibus, tantum cum salvandi intentione resurrexerit & intercedat: Respondemus 1. pretium mortis Christi satisfecit iustitiæ Divinæ. Fatemur, si intelligatur de solis electis, non autem de reprobis, quia non sunt reconciliati, nec in statum gratiæ restituti. Nam ira Dei manet super ipsos, Iohan. 3. 36. neque unquam Deus novit ipsos. Matth. 7. 23.

2. Quod Christi pretium efficaciam habuit ad reconciliationem in singulis. Concedimus si per hæc verba nihil aliud quam sufficientiam intelligant: at si volunt efficax fuisse in singulis, id pernegamus: quia reprobi, eius nulla emolumenta percipiant (temporalia enim beneficia, & impunitas, qua propter electos interdum fruuntur, Genes. 18. huc non pertinent) neque in hac neque in altera vita. In hac vita: quia plurimi, ne externa quidem vocatione vocantur. Alij vocati, nec iustificantur, nec sanctificantur: sed (ut Remonstrantium verbis utamur) in impœnitentia & infidelitate moriuntur. Neque post hanc vitam, inde quicquam emolumenti percipiunt, quia hoc ipsi Remonstrantes fatentur, quod pereant in æternum: nisi forte extra Scripturam existiment cum Vorstio, sublevari aliquatenus inde pœnas infernales, ipsorumque peccata etiam aliquomodo in Christo punita esse. Quod falsum, quia pro reprobis Christus nec spopondit, nec oravit, sacrificium suum expiatorium oblaturus: Iohan. 17. 9. quin imo Scriptura dicit omne id in gehenna solvendum ipsis esse quod debent, Matt. 5. 25. 26. Matt. 18. 34. Ergo intentio Dei nunquam fuit, ut istud Christi pretium ullo modo esset efficax aut efficaciam haberet pro reprobis, quia ipsius intentio & voluntas semper fit. Malach. 3. 6.

Digitized by Google

Sequitur posterius membrum 4. Theseos.

Adeo ut Christus, quoad oblationem illorum quoque sacerdos & propitiator fuerit, licet adæquate pro fidelibus tantum, cum salvandi intentione resurrexerit & intercedat.

Dicunt quidem Remonstrantes in suis scriptis: Christum esse reproborum quoque sacerdotem & propitiatorium, ijs reconciliationem obtinuisse, remissionem peccatorum impetrasse, & intercedere pro ijs. Quod si verum est, reprobi in statum reconciliationis sunt re ipsa restituti: Nam quibus peccata sunt remissa, hos Scriptura beatos pronunciat. Rom. 4. Psal. 32. quia ubi partes reconciliatæ sunt, ibi tollitur odium, ira, inimicitia: reponitur vero amor, benevolentia, beneficentia; imo tantus est Dei amor erga tales, ut vel paternus vel maternus amor, ad eum nihil sit. Esa. 49. Luc. 11.

Atqui reprobi non sunt in statum gratiæ restituti: quia hoc ipsi Remonstrantes, rotunde dicere trepidant, & recte sane: quia reprobi non possunt dici à Deo ita restituti, neque quoad affectum, neque quoad effectum, cum maximam partem ne vocati quidem sint.

2. Falsitas etiam hinc apparet, quod ipsi Remonstrantes dicunt Christum adæquate pro fidelibus tantum, cum intentione salvandi resurrexisse, atque intercedere: nam pro quibus non resurrexit; pro ijs etiam mortuus non est, nec peccatorum remissionem impetravit: pertinent hæc omnia beneficia ad solos electos, ita ut qui unius, etiam alterius beneficij sint participes. Rom. 8. 29. ad 35. &c.

3. Quorum sacerdos est Christus, de ijs Scriptura talia testatur, quæ de reprobis nullo modo dici queunt: ut, quod pro eorum peccatis satisfecerit, Heb. 7: 24. peccata tollat, Hebr. 9. 28. peccata aboleat, Hebr. 9. 28. sanet nos, Esai. 53. 11. regeneret nos, Hebr. 9. 14. morte ijs testamentum confirmet. Hebr. 9. 17. pontifex eorundem maneat post Ascenssionem, Hebr. 8. 1. intercedat, Hebr. 7. 25. Heb. 9. 24. 1. Iohan. 2. 2. Iohan. 17. perfecte eosdem servet. Hebr. 7. 25. æternam ijsdem redemptionem nactus sit morte sua: Hebr. 7. 12. hæreditatem æternam conferat ijsdem. Hebr. 7. 15.

4. Nec iuvat adversarios, quod quærunt omnia hæc & similia S. Scripturæ testimonia eludere similitudine medici, qui præparat medicamentum; salutare quidem omnibus, non tamen utile ijs, qui id respuunt: est enim simile dissimile, quia medicus si præsciret quinam effusuri essent & conculcaturi suum medicamentum, pro ijs medicamentum non præpararet. 2. Si medicus posset mutare animos eorum, qui medicinam respuunt, quo minus respuerent, nunquam male cederet medicamenti administratio, id autem Deus facit & facere potest, ex nolentibus facit volentes, ut ex volentibus faciat perficientes; Phil. 2. pro fundamento itaque huic simili substernunt absurdissimum resistibilitatis & resistentiæ dogma, de quo in Articulis sequentibus.

Antithesis Orthodoxa.

Pretium redemptionis, quod Christus per passionem & mortem suam Patri obtulit, eiusque iustitiæ satisfecit, fuit secundum voluntatem, Decretum atque intentionem Dei efficax, ad reconciliationem pro electis suis solis, quorum Christus sacerdos est & propitiator, pro quibus etiam solis adæquate, cum intentione salvandi resurrexit, atque intercedit: Iohan. 17. Rom. 8. 29. &c. testimonia multa alia sunt in præcedentibus, & in colloquio Hagiensi: quibus calculum subiungimus.

Thesis V.

quæ sic habet.

Proprius & integer mortis Christi finis fuit, &c.

De hoc fine Deus nunquam cogitavit, cum nunquam voluit, intendit, decrevit, aut optavit. Ratio est, 1. quia eum finem non est assecutus. 2. quia ne quæsivit quidem assequi: quippe qui non vocat omnes Psal. 147. vers. ult. Cum tamen fides sit ex auditu Rom. 10. cumque fœdus Dei in Euangelio explicetur.

Ex effectis Dei semper & infallibiliter, & ipsius vera voluntate & Decretis, judicare possumus. Et nititur hæc Thesis falsis fundamentis opinionibusque erroneis, tum ex parte Dei, tum ex parte hominum. Ex parte Dei: quasi scilicet habeat voluntatem suspensam, conditionalem, inefficacem, mutabilem, neque certam & infallibilem futurorum præscientiam. Ex parte hominis: ac si is non sit usque adeo depravatus peccato Originali, uti depravatus est, haberetque tale arbitrium, cujus viribus, invitare ad se Deum Deique invitati gratiam vel recipere vel rijcere possit. Qua de re antea dictum est, & in sequentibus Articulis dicetur. Verbulum itaque non addimus.

Antithesis Orthodoxa.

Fœdus gratiæ est, quo Deus Christum ipsum, eiusque beneficia, gratis promittens, ab homine vicissim exigit, ut fide Christum recipiat ac resipiscat. Hos. 2. 16. 19. 20. Ezech. 36. 26. &c. Mal. 3. 1. Finis igitur mortis Christi est, ut beneficia in fœdere promissa mereretur & applicaret, non omnibus, sed omnibus electis. Matth. 26. 28. Dan. 9. 27. Marc. 10. 45. nam ne omnes quidem ad Euangelij sui fœdus invitat, Ephes. 2. 12. Rom. 9. 4. Et hæc causa est, quamobrem Christus passim dicatur mortuus pro multis, pro Ecclesia, &c. Actor. 20. 28. Rom. 8. 33. 34. Ephes. 5. 25. Esai. 53. 12.

Ad quæstionem Thesibus subjunctam.

Quod Remonstrantes in ea sint opinione, ut existiment Christum non nostra vice aut loco, sed tantum pro nobis & nostro bono sit mortuus, dubitare non possumus: quia in locis citatis hoc non tantum dicunt, sed etiam argumento confirmant. quibus & sequentia subjungimus:

1. Quia dicunt Dei justitiam non esse talem, ut per eam, ad omnia & singula peccata punienda adigatur.

Ergo Christo non imposuit omnia & singula peccata nostra quibus nos æternas pœnas commeriti eramus. Huc pertinet quod dicunt, remittere peccata, & pro ijs plenariam satisfactionem accipere, talem proprietatem in Deo non esse. Unde etiam negant, Christi satisfactionem, qua mundum reconciliavit, fuisse plenam. Ergo non est (secundum ipsorum mentem) mortuus nostro loco, quia nos debebamus Deo plenam satisfactionem. Dubitant enim, an electus in Christo pœnam luisse recte dicatur reipsa, an vero divina æstimatione tantum.

2. Quia, quæ docent de justificatione nostri, idem probant: ut, quando dicunt Christum non esse obiectum justificationis & imputationis divinæ. Fidem in negotio justificationis, non esse considerandam tanquam instrumentum: fidem justificantem, non esse, qua, qui credat, sibi remissa esse peccata, &c. quæ ipsorum hæretica justificationis doctrina, ad hunc secundum Articulum omnino pertinere videtur: rationemque eius habendam esse omnino arbitramur. Ut videant tandem plebei mirationemque sere hactenus decepti, quam turpiter etiam errent Remonstrantes, cum dicunt, se nobiscum facere & statuere, quod Christus pro peccatis nostris mortuus sit, & ipsi omnia esse ascribenda.

3. Quia

3. Quia dicunt peccatum originale reum mortis non facere, nec proprie peccatum dici debere: necesse esse, omnes salvos fore, qui actualia peccata nulla ipsi perpetrarunt, quales sunt infantes omnes sine discrimine,&c. Ergo Christus loco & vice infantulorum, saltem in infantia morientium, non est mortuus.

Videmus ergo, quod lethales errores, sub hisce Quinque Articulis lateant, à Socino profecti, Christique merita & iustitiam demolientes, quibus hunc Syllogismum opponimus, ad doctrinam sanam & Orthodoxam tuendam, eroresque diluendos, qui & in hac quæstione thesibus subjecta, & in thesibus ipsis continentur:

Quorum vice & loco Christus est mortuus, hi omnes servantur; at pro quibuscumq; Christus mortuus est; horum vice & loco mortuus est. Ergo pro quibuscumque mortuus est hi omnes servantur, & per consequens non est pro omnibus mortuus.

Propositio est Remonstrantium, & extat in Colloquio Hagiensi Belgico. pag. 158. Assumptio est omnium Orthodoxorum Theologorum, & in Colloquio Hagiensi satis probata: imo vel ex solo Apostolorum Symbolo satis probari potest: juxta quod credimus remissionem peccatorum. At gratis per iustitiam suam Deus nulla peccata potest remittere impunita, alias filium in mortem nullo modo dedisset, ex quibus efficitur, quod Christus nostra vice & loco sit mortuus, id quod Scriptura passim, cum primis Esa.53. diserte testatur.

Concludimus ergo hasce Remonstrantium theses, opinionesque in iis comprehensas, falsas, Verbo Dei contrarias, ex humani cerebri figmentis profectas esse, & Socinum olere, adeoque in totum reiiciendas, nec in Ecclesiis Belgicis tolerandas esse.

Contra vero Antitheses iisdem thesibus oppositas, tanquam è puro Israelis fonte haustas, tota mente & corde approbamus, easque cum Ecclesiæ Christi ædificatione, publice proponi posse, persuasissimum habemus.

IVDICIVM
Deputatorum Synodi Gallo-Belgicæ,
De Articulo Secundo Remonstrantium:
Qui est,
DE VNIVERSITATE MORTIS CHRISTI.

THESIS. I.

PRetium redemptionis, quod Christus Patri suo obtulit, in se & per se dignissimum est & sufficientissimum, ita ut omnes, valore & dignitate mortis Christi, redimi possent, si omnes & singuli crederent.

II.

Christus reipsa pro nullis aliis secundum Scripturam mortuus est, quam pro credentibus. Nec alia fuit voluntas Patris mittentis Filium, nec Filij ipsius morientis. Iohan.3.16. Hebr.5.9. Iohan.11. 51.52. & 10.15. Ephes. 5.23.25. 2.Cor.5.15. Gal.1.4.

III.

Christus novi Fœderis Mediator & sponsor est, idque tum merito tum efficacia: non tantum ad promerendam reconciliationem atque remissionem peccatorum, sed etiam simul ad dandam & applicandam eandem omnibus credentibus in ipsum. Quam applicationem eodem actu nobis impetravit, quo reconciliationem & remissionem nobis promeritus est. Hebr.9. 14.15. & 7.22. Actor.5.31. Apocal.1.6. 1.Cor.1.30. Gal. 1.4. Ephes.5.26.27.28. Coloss.1.21.22. Hebr.10.14.

IV.

Mors, resurrectio, & intercessio Christi, itemque beneficia, quæ inde fluunt, reconciliatio, justificatio & peccatorum remissio, sanctificatio, redemtio & vita æterna, sic indivulso nexu cohærent, ut disiungi nec possint nec debeant. Rom. 4. 25. & 5. 9. 10. & 6. 4. 5. 6. 2. Cor. 5. 14. 15. Roman. 8. 34. Hebræor. 10. 14. 16. 17. Apoc. 1 vers. 6. 1. Iohan. 1. 2.

V.

Deus posuit Christum propitiationem sive placamentum, non sine fide, sed per fidem in sanguine eius. Nec ullus mortis Christi effectus in Scriptura aliis quam solis credentibus & communionem cum Christo habentibus tribuitur. Roman. 3. vers. 25. Ephes. 2. 9. Rom. 5. 1. & 8. 9. Hebr. 11. 6.

VI.

Ideoque hæc Remonstrantium placita tanquam mera ingenij humani figmenta rejicimus.

I.

Deum fecisse antecedaneum Decretum, quo de Filio in mundum mittendo absolute cogitarit, cum sola intentione impetrandæ redemtionis, sine ulla determinatione eiusdem applicandæ; utpote quæ demum postea per sequentia Decreta sit ordinata.

II.

Eoque nomine potuisse Christi redemptionem esse perfectam, omnibusque impetratam, etiamsi nulli forte essent, qui fructum hujus impetrationis ob incredulitatem perciperent.

III.

Christum morte sua omnes & singulos homines Deo reconciliasse, sine ulla consideratione fidei.

IV.

Eadem morte promeritum esse, ut Deus posset & vellet novum aliquod gratiæ fœdus cum peccatoribus inire, & beneficia sua communicare, nondum constituto fœdere, nec lege, secundum quam fœdus illud cum hominibus esset ineundum.

V.

Ex multis possibilibus medijs, inter quæ & opera legis esse poterant, liberum fuisse Deo, post destinatum Mediatorem, etiam aliam novi fœderis conditionem eligere & præscribere, quam fidem.

VI.

Omnibus & singulis, etiam pereuntibus, reconciliationem & remissionem peccatorum esse impetratam, nec tamen datam aut concessam.

VII.

Cum reconciliasse nos dicitur Christus, & remissionem peccatorum acquisivisse, hoc tantumdem esse, atque impetrasse jus vel potestatem atque voluntatem reconciliandi & remittendi peccata.

Christum

Digitized by Google

VIII.

Christum pro multis mortuum esse, pro quibus non resurrexit: adeoque fructum mortis Christi à fructu & efficacia resurrectionis in quibusdam hominibus posse disiungi.

IX.

Reconciliationem & remissionem peccatorum ab intercessione Christi, nostrique iustificatione, sanctificatione & glorificatione posse separari.

Quorum omnium nihil veritati secundum Scripturas convenienter dicitur.

IVDICIVM Professorum Belgicorum, DE Tertio & Quarto Articulo.

Articuli Tertij & Quarti explicatio.

Thesis. I.

EAdem voluntatis humanæ actio (licet diversa ratione considerata) dici non potest, & contingens, & necessaria: contingens quidem natura sua; necessaria vero respectu Decreti divini. (Remonstrantes adversus VValach. pag. 58. & Arminius passim.) Ea enim ratione, ex vi & efficacia Decreti divini, omnia etiam mala necessario fierent. In Thesibus exhibitis. Artic. 3. & 4. Thes. 11. & 12.

Antithesis. I.

EAdem voluntatis humanæ actio vere dici potest & contingens, & necessaria, seu non contingens: sed diversa ratione. Contingens quidem per se, seu natura sua, & absolute in se considerata; quatenus à voluntate, tanquam causa libere ac contingenter agente, promanat: necessaria vero, relate ad Dei præscientiam, Decretum, Prophetiam: unde actio illa per se contingens, consequentiæ tamen ratione, necessaria est.

Quia, nec Dei præscientia falli *a*: nec Decretum mutari *b*: nec Prophetia ac Scriptura solvi potest *c*.

a Actor. 15. 18. Hebr. 4. 13. *b* Proverb. 19. 21. Ies. 46. 9. 10. *c* Iohan. 10. ver. 35. Num. 23. 25.

Ideoque nulla peccata, ex vi, & efficacia Decreti divini, sed ex solius creaturæ libere deficientis vitio, perpetrantur: quæ, ut Deus non efficit, sed volens sapienter ac iuste permittit ac regit; sic ea non efficere, sed permittere ac regere decrevit. Iac. 1. 13. 14. &, 1. Iohan. 1. 5. Actor. 15. 18. & Ephes. 1. 11.

II.

Cum ab Adamo, ante lapsum, Deus obedientiam exegerit libera voluntate præstandam, habituum seu virtutum, in voluntatem infusio, locum habere non potuit; in intellectum & affectus potuit. Adversus VValach. 56. & 57. Coll. Hag. Belg. 250.

II.

Quamvis Deus ab Adamo ante lapsum, obedientiam exegerit libera voluntate præstandam, habituum tamen, seu virtutum, in voluntatem infusio locum habere potuit: imo ea ipsa de causa debuit, ad voluntatis perfectionem: ut ad obedientiam & virtutum actiones libere exercendas, redderetur idonea.

Idque

Idque ex imaginis Dei, per creationem hominis perfecte conformatæ *a*; & per lapsum deformatæ *b*, perque regenerationem, tandem reformatæ *c*, descriptione perspicue elucet.

a Gen. 1. 31. Ephes. 4. 24. *b* Ephes. 4. 18. *c* Ephes. 4. 24. & 5. 8. 9.

Deinde, si (ut Remonstrantes adversus VValach. 57. non diffitentur) voluntas hominis in regenerationis statu, habitibus virtutum, per gratiam comparatis, informetur, iisque perficiatur, & ad suas operationes expeditior reddatur: quid vetat, quominus habitus infusi, ante lapsum, ad imperatam obedientiam expedite præstandam, extiterint.

III.

Ideo voluntas hominis, cum virtutes illas admittere nequiverit, easdem per lapsum amittere non potuit. Collat. Hag. Belg. 250.

Et voluntatis vivificatio; in mentis & affectuum reformatione consistit. Ibidem 252.

III.

Ideoque ut voluntas hominis, virtutes illas à Deo, imaginis ipsius donatione accepit: sic lapsus vitio, easdem amittere potuit & amisit: adeo ut licet aliqua scintilla lucis naturæ in mente, & facultatis in voluntate, sit residua, ad bonum naturale & civile quodammodo exercendum; ad Dei bonitatem declarandam & humanæ ingratitudinis excusationem præcidendam; nullæ tamen supersunt vires idoneæ ad supernaturale Fidei, Spei, Charitatis, veræque resipiscentiæ bonum. Nec voluntatis vivificatio in mentis, & affectuum reformatione consistit proprie.

Quod, ut ex antecedentibus constat, ita ex divinæ legis mandatis & condemnatione comprobatur. Quoniam universam totius hominis, cordis, animæ, & cogitationis (seu voluntatis affectuum & intellectus) rectitudinem, & actiones ei consentaneas, præcipit: & contrariam naturæ & actionum pravitatem evincit ac condemnat. Deut. 6. 5. Luc. 10. 27. Gen. 8. 21. Romanor. 3. 19. 20. & 7. 7. 9. Ephes. 2. vers. 1. 2. & 3.

IV.

Deus autem ante statum regenerationis, gratiam salvificam, certis gradibus iis largitur, qui reliquis imaginis Dei scintillis, recte sunt usi: quemadmodum Scriptum est, *habenti dabitur*. Armin. contra Perkinsum 218. & Respons. ad Articul. ad 9. quæst. Ioh. Corvinus contra Tilenum pag. 158.

IV.

Quanquam *habenti*, seu donis recte utenti dabitur eorundem incrementum: non propterea tamen Deus post lapsum iis, qui naturalibus imaginis Dei reliquiis, recte fuerint usi, supernaturalem ac salvificam gratiam largietur; quia gratia hæc non secundum opera, sed secundum merum ac liberum Dei beneplacitum confertur. Rom. 9. 18. 1. Iohan. 4. 10. & 2. Tim. 1. 9.

V.

Post lapsum vero in statu peragendę regenerationis, infusiones habituũ seu virtutum, cum in voluntatem, tum in intellectum, & affectus (si ordinariam conversionem spectes) repugnant mediorum, quibus Deus in homine novam vitam operari vult, administrationi. Adversus VValach. 56.

V.

Post lapsum vero, in statu peragendæ regenerationis, infusiones habituum, seu virtutum cum in voluntatem, tum in intellectum, & affectus, nullo modo repugnant, mediorum quibus Deus in homine novam vitam operari vult, administrationi: sed ei ad amussim, congruunt & inserviunt.

Deus enim in novo Fœdere, hoc diserte asseruit: quum cordis circumcisionem *a*, & legum suarũ in mente & in cordibus inscriptionem *b*: noviq; cordis dationem & Spiritus novi donationem, amotionẽ cordis lapidei, & carnei cordis insertionem *c*, ad obedientiam ipsi præstandam pollicetur.

Deinde,

Digitized by Google

Deinde, cum reipsa hoc sese præstare testatur, dum mentes cæcas illuminat, *d*: corda circumcidit *e*: mortuos vivificat *f*, & regenerat *g*: novam creaturam novumque hominem efficit *h*, ut verbo ipsius pareamus.

a Deut. 30. 6. *b* Ierem. 31. 33. Hebr. 8. 10. *c* Ezech. 36. 27. *d* Ephes. 5. vers. 8. *e* Colos. 2. 11. *f* Coloss. 2. 5. *g* Ioan. 1. 13. Tit. 3. 5. *h* 2. Cor. 5. 17. 18. Ephes. 2. 1. 2. & 4. 24.

Quæ omnia non actum brevi transeuntem, sed habitum gratiæ permanentem exprimunt: & Spiritus voce denotantur; qui à suis operibus, ut arbor à fructibus, distinguitur. Gal. 5. 22. Ephes. 5. 8. 9.

VI.

Itaque fides, qua primum convertimur, & à qua fideles nominamur, actus est, non habitus à Deo infusus, ex quo actus fidei oriatur, alioqui voluntas hominis (cum habitus infusus sit irresistibilis) haberet sese mere passive, pateretur, non ageret. Greuinch. contra Ames. 325.

VI.

Itaque fides, qua primum convertimur, & à qua fideles nominamur, non est actus, sed habitus, à Deo infusus: eoq; tam potens, ut voluntas hominis ei resistere atque impedire nequeat: ex quo, ceu fonte fidei actus certo promanat.

Idque ex utriusque distinctis attributis liquebit.

1. Fides enim est virtus inhærens: qua Christus habitat in cordibus nostris, Ephes. 3. vers. 7. Sed actus fidei, seu credere, est virtutis illius vim suam exerentis, actio profluens.

2. Fides perseverare potest & servatur. 2. Tim. 4. 7. Actio vero fidei non servatur, sed præterit, aliaque ei indies, imo in horas diversis intervallis succedere potest, prout magna varietate & vicissitudine, aut Euangelium (necessarium actionis fidei obiectum) aut aliud quippiam animo obversatur: Ideoque ab ea nec fideles proprie, nec perseverantes denominantur. Alioqui singuli, crebris vicibus uno eodemque die, fideles, ac filij Dei essent ac fierent: & vicissim, defectu à fide illa, infideles filiique Sathanæ evaderent: quo nihil absurdius.

3. Sine fide nemo fidelis, nullaque Christi Ecclesia (utpote quæ fidelium cætus) potest superesse: sed sine actione fidei, & fidelis & Christi Ecclesia sæpissime comperitur. Quippe Noacho in arca somno cum suis crebrius (ad necessariam quietem) consopito, tota Ecclesia in terris, licet fidei actu destituta, cętus tamen fidelium esse non desiit.

4. Denique sine fide nemo placere potest Deo, Hebr. 11. 6. sed iræ Dei est obnoxius, Iohan. 3. 36. Atqui sine actu fidei Deo nihilominus placuere dormientes, aut aliud quam Euangelium meditantes, fideles universi, ut Noachus in Arca. 2. Pet. 2. vers. 5. Petrus in carcere, Actor. 12. 7. eademque Apostolorum reliquorum (quos ad finem dilexit Iesus, Iohan. 13. vers. 1.) aliorumque fidelium, est ratio: & eorum etiam qui Lethargo immoriuntur: qui sine fide & gratia Dei alias perirent.

VII.

Huius actus fidei causa est, Dei gratia, non omnipotens (quasi ita fidem in homine operaretur: ut voluntas libertate sua, ei resistere, atque omnino fidei actum impedire nequiret) sed ea tantum ratione potens, ut suaviter in consensum alliciens suasu suo, à voluntate resistente perpetuo rejici possit, ne ullus unquam fidei actus consequatur.

Grevinch. 320. & 321.

VII.

Quamvis enim Euangelij auditus, lectio, meditatio, &c. (sine quibus fidei actio esse nequit) voluntatis libere agentis arbitrio foveri queant, aut aliis actionibus, & meditationibus negligi & rejici possint, atque eo modo actus fidei impediri, hoc tamen perpetuum esse non potest. Quia actionis fidei causa princeps est gratia Dei, omnibus potentior, quæ fidei habitum, seu virtutem dedit: eumque Euangelii prædicatione & Spiritus Sancti efficacia excitat, & vi sua (carnis,

nis, mundi, Sathanæ tentatione refrenata) ad actum fidei, suo tempore producendum, pro suo beneplacito dirigit ac permovet: ut ex ante recitatis fœderis novi promissionibus constat & ex variis Scripturæ locis, Iohan. 6.37. & 45. Philip. 2. 13. Actor. 13. 48. & 16. 14.

Johannes Polyander.
Franciscus Gomarus.
Antonius Thysius.
Antonius VValeus.

Hoc Collegarum meorum Judicium legi & approbo,

Lubbertus.

DE

Tertio & Quarto Articulo.

Suffragium

SIBRANDI LVBBERTI.

HOMO irregenitus habet liberum arbitrium. Sponte enim & proprio motu eligit aut repudiat, quod intellectus eligendum & repudiandum censet. Neque de hac re controversia est.

Sed omnis controversia est: An liberum arbitrium sit solummodo debilitatum, & tantas adhuc vires retinuerit, ut possit bonum Spirituale (quod salvandorum proprium est) eligere, & gratiam primam admittere, vel rejicere, prout ipsi libuerit.

Prima gratia, quæ operans, prævemens, excitans vocatur, est actio divinæ misericordiæ, quæ mentem hominis vera & salutari cognitione Iesu Christi illuminat, voluntatem à Deo aversam mutat, & ad Deum convertit, cor novum in homine creat, & novas inclinationes in eo excitat, cumque (ut verbo dicam) regignit, & à statu peccati transfert in statum gratiæ.

Hæc actio est Dei propria, neque admittit συνέργιαν. Solus enim Deus mentem nostram salutari cognitione Iesu Christi illuminare, voluntatem nostram immutare & ad se convertere, inclinationes bonas in nobis excitare, & nos regignere, atque è statu peccati in statum gratiæ transferre potest.

Impingunt, qui dicunt Deum per primam gratiam excitare & adiuvare, sive movere voluntatem infirmam; ut possit velle, si libeat. Scriptura enim dicit, Deum in nobis creare cor novum, & efficere in nobis ipsum velle; vt non tantum possimus velle, sed etiam reipsa velimus, quæ Deo accepta & grata sunt.

Impingunt etiam qui dicunt, hominem irregenitum posse primam gratiam recipere aut rejicere, atque adeo in ipsius potestate esse illa bene aut male uti, eique cooperari, aut resistere, prout ipsi visum fuerit.

Animalis enim homo, teste Scriptura, non est capax eorum quæ sunt Spiritus Dei, neque potest ea cognoscere, nec est idoneus ad cogitandum quicquam, sed est mortuus in peccatis suis, cuiusque intelligentia est inimicitia adversus Deum & legi Dei subjici nequit. Qui vero huiusmodi est, quamdiu talis manet, neque bonum spirituale salutari cognitione cognoscere, neque eligere aut sibi applicare potest.

Quoniam

Quoniam hæc gratia in homine novum cor creat, eius voluntatem immutat, inclinationes corrigit, eamque regignit, & à statu peccati ad statum gratiæ transfert, sequitur hominem in huius primæ gratiæ receptione se habere mere passive, neque huic primæ gratiæ cooperari posse.

Quibuscunque Deus hanc primam gratiam largitur, illi revera regignuntur, atque etiam secunda gratia donantur; unde apparet utramque hanc gratiam solis salvandis dari. Secunda gratia, quæ subsequens, concomitans & coöperans dicitur, est actio divinæ misericordiæ, qua Deus hominem jam regenitum dirigit, conservat & gubernat, ut in vera fide & resipiscentia ad finem usque perseveret.

Hæc gratia admittit συνέργειαν, Etsi enim Spiritus Sanctus hominem efficaciter movet: tamen homo à Spiritu Sancto vivificatus & motus, etiam seipsum movet & sponte ac libere facit, ad quæ facienda à Deo efficaciter movetur.

Vtraque hæc gratia habet tantam virtutem, ut nulla creatura eam impedire, nedum vincere aut superare, possit.

Veruntamen homo regenitus, quamdiu in hoc mundo peregrinatur, non perfecte regignitur, sed semper aliquid carnis, cum qua ei tota vita pugnandum est, secum circumfert; & ob eam causam non solum habet, (quatenus scilicet adhuc irregenitus est) potentiam resistendi; sed etiam subinde ex infirmitate peccat, hoc est, actu & reipsa Deo resistit.

Neutra harum gratiarum minuit hominis libertatem. Etsi enim efficaciter à Spiritu Sancto movetur; vim tamen nullam patitur, neque invitus aut coactus, sed sponte & libera electione facit ea, ad quæ à Spiritu Sancto efficaciter movetur.

Quin utraque auget arbitrij libertatem. Nam qui ante regenerationem non erat capax eorum quæ sunt Spiritus Dei, neque ea cognoscere poterat, ille jam regenitus factus, est eorum capax, & potest ea cognoscere: cuiusque intelligentia ante regenerationem erat inimicitia adversus Deum & legi Dei subjici nequibat, ille jam regenitus ponit inimicitias adversus Deum, eiusque legi se non solum subjicere potest, sed etiam revera subjicit.

Vtraque gratia tam prima quam secunda est prorsus Divina, non ab ulla Physica aut naturali virtute, sed ex gratuita Dei misericordia, & efficaci Spiritus Sancti virtute profecta.

Rejicimus igitur illorum opinionem, qui dicunt,

1. Primam gratiam esse omnibus hominibus communem, Corv. contra. Tilen. 154.404.
2. In hominis irregeniti potestate esse, primam gratiam accipere vel rejicere. Collat. Belg. 252. 253. Corvin. 403.
3. In hominis irregeniti potestate esse, prima gratia bene vel male uti. Corv. Til. 154. 256.
4. Hominem propter bonum usum primæ gratiæ, donari à Deo secunda gratia. Corvin. Til. 156. 157. 154. 163. 403.
5. Deum esse causam physicam aut moralem regenerationis & justificationis nostri.
6. Hominem cooperari primæ gratiæ. Corvin. Tilen. 164.

Lubbertus.

Hoc Collegæ nostri iudicium legimus & approbamus

Johannes Polyander.
Franciscus Gomarus.
Antonius Thysius.
Antonius VValeus.

Ooo SEN-

SENTENTIA
Deputatorum Synodi Geldricæ,
Articulus Tertius,
DE
Libero Arbitrio.

CRedimus hominem irregenitum, Spiritualiter esse [1] mortuum: id est, mentem habere [2] cæcam & obtenebratam voluntatem, [3] peccato mancipatam, affectus penitus [4] corruptos & inordinatos: ut non tantum nihil quod spirituale & salutare est, actu [5] intelligat, [6] velit, [7] faciat, sed ne possit quidem [8] intelligere, velle, [9] facere, antequam Deus per [10] Spiritum suum in ipso & potentiam illam & actum, tam [11] quoad initium, quam quoad progressum & complementum gratiose operatur.

Explicatio & confirmatio.

1] Ephes. 2. 1. *Quum essetis mortui in offensis.*
& vers. 5. *Etiam quum per offensas mortui essemus.*
Iohan. 5. 25. *Mortui audient vocem Filij Dei, & qui audiverint, vivent.*
Math. 8. 22. *Sinite ut mortui sepeliant mortuos suos.*

Itaque mortuus est homo, & manet in morte, quoad audit vocem Filij Dei: qua audita, vivit jam; eoque & regenitus est: Non quod totum hominis jam tum vivat & regenitum sit, (initium enim, progressus, & complementum vitæ illius, & regenerationis non sunt simul & semel in instanti: Sed quod semen vitæ & regenerationis, Spiritum inquam, & verbum Dei vivum & efficax in sese habens homo, non minus vivere & regenitus esse dicendus nobis videatur, quam fidelis quilibet vitam dicitur habere æternam, cuius tamen tenuissima tantum sentit & habet initia; vel mortuus esse is, in quo tamen omnia nondum emortua sunt.

Iacob. 1. 18. 1. Pet. 1. 23. Math. 13. 23. Heb. 4. 12. Ioan. 3. 36. Apoc. 3. 1. 2.

2] Ephes. 5. 8. *Eratis olim tenebræ.*
Luc. 4. 18. *Ut prædicem &c. cæcis visus recuperationem.*
Rom. 3. 11. *Non est qui intelligat, non est qui exquirat Deum.*
2. Tim. 2. 25. 26. *Ecquando det eis Deus, ut &c. sanitatem mentis recipiant.*

Non negamus hominem animalem intellectu præditum esse: sic enim homo non esset; sed *sano* intellectu præditum. Idque simpliciter in rebus omnibus quæ æternam vitam concernunt, ut postea videbitur.

3] Luc. 4. 18. *Ut prædicem captivis dimissionem.*
2. Tim. 2. 26. *Et elapsi è Diaboli laqueo, à quo captivi tenentur.*
Iohan. 8. 34. *Quisquis committit peccatum, servus est peccati.*
Rom. 6. 16. *An nescitis, quod cui sistitis vos ipsos servos ad obediendum, eius servi estis cui obeditis, vel peccati ad mortem, &c.*
Et vers. 20. *Quum enim servi essetis peccati.*

Voluntas per peccatum amissa non est: nec voluntatis libertas: libere enim vult homo quicquid vult; sed quamdiu captivus diaboli & servus peccati est homo, nihil vult nisi malum, (sub ratione licet boni) sive materialiter id malum sit, sive formaliter tantum.

De grat. & lib. arbitr. Bernardus: *Aliud est velle, aliud velle bonum: velle siquidem inest nobis ex libero arbitrio, non etiam posse qua*

quæ velimus. Non dico velle bonum aut velle malum, sed tantum velle: velle etenim bonum, profectus est; velle malum defectus. Velle vero simpliciter, ipsum est quod vel proficit vel deficit. Porro ipsum velle ut esset, gratia creans fecit; ut proficiat gratia salvans facit;

4] Genes. 6. 5. *Cum videret Iehova --- omne figmentum, id est, cogitationes cordis ejus (*hominis*) tantummodo malum esse omni tempore.* Sic Genes. 8. 21.

Ephes. 2. 3. *Nos omnes conversati sumus olim in cupiditatibus carnis nostræ, facientes quæ carni ac cogitationibus libebant.*

Rom. 7. 5. *Quum essemus in carne, affectiones peccatorum per legem* existentes *vigebant in membris nostris.*

Ioan. 3. 6. *Quod genitum est ex carne, caro est.* Sic Tit. 3. 3.

5] Iohan. 1. 5. *Lux ista in tenebris lucet, sed tenebræ eam non comprehenderunt.*

& cap. 4. 10. *Si scires donum illud Dei, & quis sit qui dicit tibi, da mihi potum &c.*

1. Cor. 2. 14. *Animalis homo non est capax eorum quæ sunt Spiritus Dei, sunt enim illi stultitia.*

Actor. 8. 30. *Intelligis quæ legis?*

31. *At ille ait, qui enim possim, nisi quis mihi præiverit?*

Summa, Homo animalis, sive non regenitus, Scripturas non intelligit, id est, Rom. 7. 14.
Nec legem (qua & ipsa Spiritualis est) nec Evangelium percipit, etiam cum ipse
illa legit vel audit, nisi mentem ejus aperiat Deus, ut intelligat. Luc. 24. 45. 2. Rom. 11. 9.
Tim. 2. 25. 26. Actor. 16. 14. Non negamus tamen aliquam superesse in natura et- 32.
iam corrupta, cognitionem Dei & operis legis: Sed habetur illa non ex libro Scri- Et cap. 2. 14.
pturæ, sed naturæ; neque per potentiam vel lucem naturæ, sed per revelationem 15.
Dei: nec est salutaris: dicuntur enim qui eam habent, ignorantes, tenebræ, si- Rom. 1. 19.
ne Deo. Actor. 17. 30. Ephes. 5. 8. & c. 2. 12.

6] Ierem. 6. 16. *Interrogate de semitis antiquis, quænam sit via boni, & ambulate per eam, dixerunt, Non ambulabimus.*

17. *Attendite ad sonum tubæ, dixerunt non attendemus.*

Iohan. 5. 40. *Nec vultis venire ad me, ut vitam habeatis.*

Irregenitus ergo non *vult* se convertere: non *vult* credere, quæ noluntas, impœnitentiæ & infidelitatis, ac quæ eam sequitur, damnationis causa est.

7] Rom. 3. 12. *Omnes deflexerunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat quod bonum est, non est usque ad unum.*

Iohan. 5. 42. *Novi vos Charitatem Dei non habere in vobis.*

Quid ni igitur omnia irregenitorum opera vocemus mala & peccata, quæcumque tandem illa sint & qualiacumque.

8] Rom. 8. 7. *intelligentia carnis legi Dei non subjicitur: nam ne potest quidem.*

1. Cor. 2. 14. *nec potest ea cognoscere.*

Non est ea impotentia ad intelligendum in homine, quæ in lapide est: neque enim per regenerationem, intellectus confertur homini, sed intellectui lumen; *Possibile* est ergo ut homo Spiritualia intelligat, cum mens ipsius aperitur, intelligit *actu*; quandiu aperta non est, nec actu intelligit, nec potentia ulla innata aut reliqua sibi, eo assurgere potest, ut intelligat.

Eadem est omnino ratio voluntatis. Possibile est ut homo bene velit; cum dat Deus illud bene velle, bene vult *actu*; si non detur illi illud bene velle, nec bene vult *actu*, nec potentia ulla ipsi super est, qua *possit* voluntatem determinare ad bonum, quod quidem vere & Theologice bonum sit. Regeneratio voluntatem

homini non confert, sed voluntati rectitudinem. Sed de eo jam dictum est superius.

9] Rom. 7. 18. *Velle adest mihi, sed ut quod bonum est perficiam, non assequor.*

Argument. est a minori ad maius. Ierem. 13. 23. *An mutare potest Aethyops cutem suam, aut pardus liventes maculas suas? etiam vos possetis benefacere.*

Ierem. 5. 44. *Quomodo non potestis credere &c.*

& cap. 6. 44. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum.* Vide Matth. 7. 18. & c. 12. 34.

10] Iohan. 3. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest intrare in regnum Dei:*

1. Cor. 12. 3. *Neminem posse dicere Iesum Dominum, nisi per Sp. Sanctum.*

2. Pet. 1. 3. *Prout divina vis ipsius omnia nobis donavit, quae ad vitam & pietatem pertinent.*

Actor. 11. 18. *Deus etiam gentibus resipiscentiam dedit ad vitam.*

Philip. 2. 13. *Deus enim is est, qui efficit in vobis & ut velitis, & ut efficiatis, pro gratuita sua benevolentia.*

Ezech. 36. 26. *Dabo vobis cor novum, & Spiritum novum ponam in medio vestri, & amovens cor lapideum e carne vestra, indam vobis cor carneum.*

27. *Et Spiritum meum ponam in medio vestri, quo faciam ut in statutis meis ambuletis, & jura mea observetis, facientes ea.*

Vide & Ephes. 4. 22. 23. 24. 2. Tim. 2. 25. Tit. 3. 5.

11] 1. Cor. 4. 7. *Quid habes quod non acceperis?*

& cap. 15. 10. *Gratia Dei sum id quod sum; & gratia ejus quae in me collata est non fuit inanis, sed amplius quam illi omnes laboravi: non ego tamen, sed Gratia Dei quae mecum est.*

Iohan. 3. 17. *Homo non potest recipere quicquam nisi ei fuerit datum è caelo.*

Philip. 1. 6. *Persuasum habens hoc ipsum, fore, ut qui coepit in vobis opus bonum, perficiat usque ad diem Iesu Christi.*

Ierem. 31. 19. *Postquam conversus fuero panitebit me.*

Luc. 17. 5. *Adde nobis fidem.*
Vide & 2. Cor. 3. 5. Matth. 16. 17. 2. Thess. 1. 3. 11. Rom. 8. 14. Iacob. 1. 17.

Quae cum ita sint, rejicimus sequentia haec Remonstrantium effata.

I.

Collat. Br. p. 298. ad 305. *Hominem irregenitum non plane esse mortuum in Spiritualibus, sed agrum, morbidum, sauciatum.*

II.

Ibid. p. 302. l. 16. *Regenerationem non fieri infusione Spiritus in instanti.* Non perficitur quidem in instanti, fieri tamen in instanti credimus. Nam Spiritus & semen regenerationis in instanti omnino infunduntur, à quo etiam instanti Regeneratio incipit & homo irregenitus aemortuus dici desinit.

III. *Volun-*

III.

Voluntatem hominis irregeniti, libertatem vel bene vel male agendi, habere in se; loquimur de bono Theologico. Collat. Br. p. 298 & p. 301.

IV.

Hominem irregenitum non totum esse carnem, licet Spiritum Sanctum non habeat. Antiperkin. p. 237. b. 11.

V.

Hominem irregenitum esurire, sitire, quærere vitam, agnoscere mortem suam, deplorare, velle & rogare ut ex ea liberetur. Hæc enim non naturæ sed gratiæ, non carnis sed Spiritus, non mortui, sed vivificati sunt.

VI.

Cum Euangelium attente à quoquam legitur vel auditur, posse tum absque ullo supernaturali lumine percipi sensum omnium, quæ scitu, creditu, factu, speratu necessaria in Evangelio proponuntur. Episcop. disp. de perspic. Scrip. S. Thes. 2. 3. 4.

VII.

Hominem nec resipiscere posse, nec credere, nec boni aliquid facere, ante gratiam, & tamen posse eundem recte uti naturæ Lumine, & recto isto usu consequi majorem gratiam, adeoque & Euangelij annunciationem: ἀσύστατα nobis & παράδοξα sunt. Armin. cont. perkins. p. 259. 260.

Articulus quartus de operatione gratiæ Dei.

Credimus [1] Deum ordinarie per externam [2] verbi prædicationem & internam [3] Spiritus Sancti operationem ad [4] salutem vocare, quoscumque ipsi [5] complacitum est: neque fieri [6] posse, ut ipse non efficiat & perficiat in vocatis omnibus, quicquid efficere in ijs & perficere intendit.

1] 1. Thess. 2. 12. *Vt ambuletis sicut dignum est Deo vocante vos.*

1. Pet. 5. 10. *Deus omnis gratiæ author, qui vocavit nos &c.*

Ioan. 10. 16. *Alias etiam oves habeo, illas quoque oportet me adducere, nam vocem meam audient.*

Et. c. 12. 32. *Ego si sublatus fuero è terra, omnes traham ad me ipsum.*

Vide Ephes. 4. 11. 12. Actor. 20. 28.

Deus Pater, in Filio, per Sp. Sanctum auctor est vocationis; Sed in Filio, tanquam Mediatore, Rege, & capite Ecclesiæ suæ; & per Spiritum illum, qui Christi Regis & capitis Ecclesiæ Spiritus dicitur. Galat. 4. 6.

Hinc manifestum est, προηγουμένην vocationis causam esse εὐδοκίαν, πρόθεσιν, καὶ χάριν τὴν δοθεῖσαν ἡμῖν ἐν Χριστῷ πρὸ χρόνων αἰωνίων, ut loquitur Apostolus. Ephes. 1. 9. 10. 2. Tim. 1. 9.

Perperam ergo προηγουμένη causa statuitur φιλανθρωπία generatim ita vocata. Ac sic corruet fundamentum universalis ad salutem vocationis. Singulari enim affectu hoc, non singulos, sed singulares homines prosequitur Deus: neque latius vel ad plures sese exerit affectus iste, quam ad quos se extendit. Arm. disp. privat. 42. Thes. 3.

2] Rom. 10. 17. *Fides ex auditu est, auditus autem per verbum Dei.*

Iohan. 17. 20. *Rogo & pro ijs qui per sermonem eorum credituri sunt in me.*

2. Thes. 2. 14. *Qui vocavit vos per Euangelium nostrum.*

Dicimus ordinarie ita fieri; nam Deus medijs alligatus non est: non autem obligamur ad audiendum verbum, siquidem salvi esse volumus; & quidem æque ad verbum legis atque Euangelij, quum vero constet, non ubivis locorum prædicari verbum, perperam dicitur, *Deum omnes dignari vocatione aliqua ad salutem.* Nam vocatio quæ per librum naturæ fit, non est ad salutem.

Arm. cont. perkins. p. 259. 260.

3] Iohan. 5. 25. *Mortui audient vocem Filij Dei.*

Iohan. 6. 44. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum.*

2. Pet. 1. 3. *Divina vis eius nobis omnia donavit quæ ad vitam & pietatem pertinent.*

Hebr. 4. 12, *Vivus est sermo Dei, & efficax & penetrantior quovis gladio ancipiti, & pertingit usque ad divisionem animæ simul ac Spiritus, &c.*

Matth. 12. 29. *Quomodo potest aliquis ingredi domum potentis, & vasa eius diripere, nisi primo vinxerit potentem illum, &c.*

Vide Coloss. 2. 12. 2. Cor. 10. 4. 5.

Non *ducimur* à Deo ad Christum, tanquam sponte nostra volentes & assentientes simulatque vocamur; Sed *trahimur* dum adhuc nolumus & reluctamur: & trahimur potenter, vi divina, quæ penetrat in intima usque, omnemque sublimitatem, quæ extollitur adversus cognitionem Dei, evertit, & in captivitatem redigit, omnem cogitationem ad obediendum Christo: atque ita ex cæcis facit videntes, ex nolentibus volentes, ex refractarijs obedientes: facit, inquam, omnia hæc Spiritus Christi Regis, in nobis, sed sine nobis hactenus.

Collat. Br. p. 273. & 274. Grevinch. p. 214. & 297. Ibid. p. 311. l. 2.

Falsum est, Deum non æque potenter operari in hominus voluntate, atque intellectu & affectibus, neque prius in voluntate operari, quam voluntas seipsam determinaverit. stultum est, Deum neminem convertere virtute omnipotente.

Videntur enim qui hoc dicunt,

potentiam Dei gradibus quibusdam velle metiri, secundum quos nunc remissius, nunc intensius agat, ita quidem, ut hinc omnipotenter agere dicatur, cum omnes quasi nervos & vires intendit: quod de creaturis dici solet & potest, de Deo ne cogitari quidem potest sine impietate. Nos potentiam Dei, voluntate ipsius metimur, & ideo omnipotentem esse & vocari Deum dicimus, quia quicquid effectum dare vult, efficere potest: adeo ut posset quidem omnes homines convertere, si vellet; posset ex lapidibus filios Abrahami facere, si vellet; non facere autem, quia non vult: sed dum vult, sane non posse tantum facere, sed & facere, id quod vult: non quod fieri vult, inquam, sed quod facere vult.

Psalm. 115. 3.

Collat. Br. p. 229. lin. 13. & pag. 273. l. 18.

Non abest à blasphemia qui dicit,

Possumus Deo resistere, quum vult nos gratia sua convertere, idque tam efficienter, ut opus conversionis nostræ impediamus.

Cæterum cum ex concursu vocationis externæ, quæ per ministerium hominum fit, & internæ, quæ fit per operationem Sp. Sancti; existat vocationis efficacitas; teste ipso Arminio; & illa efficax sit Sp. Sancti suasio, qua vult, credit, & convertitur, cui accommodatur: sive illa sit efficax gratia, quæ efficit re ipsa effectum, ut idem Arminius definit: Concludimus, ubicumque vocatus non credit & convertitur, ibi efficacem non esse vocationem, ac proinde Sp. Sanctum ibi non concurrere cum vocatione externa: Multos ergo vocari per ministerium hominum, quos non vocat Deus, sive Sp. Sanctus. Quod de sufficienti gratia & suasione Sp. Sancti dicitur, qua potest velle, credere, converti, cui adhibetur, nugæ sunt. Nam ut quid actu perficias, non sufficit posse, nisi & velis: velle autem bene, tam est gratiæ, quam ipsum posse.

Disp. priv. 42. Thes. 10.

Contr. Perkins. p. 57. circa finem. & p. 245. c. 25.

4] 1. Thess.

Digitized by Google

4] 1. Theſſ. 2. 12. *Deo nos vocante ad ſuum regnum ac gloriam.*
1. Pet. 5. 10. *Deus, qui vocavit nos ad æternam ſuam gloriam.*

Pugnantia ſunt, Deum alicui velle communicare ſalutem, nolle tamen interea ei dare, quod neceſſarium eſt, ut quis ſe convertat & credat, inquiunt Remonſtrantes. Neque minus & hæc nobis videntur pugnantia, Deum vocare aliquem ad ſalutem, & nolle tamen ei communicare ſalutem. Vnde concludimus, cum Deus omnibus vocatis non det quod Neceſſarium ipſis eſt, ut ſe convertant & credant, (daret autem ſi dare vellet) non velle ergo ipſum omnibus vocatis communicare ſalutem, ideoque nec ad ſalutem vocare omnes, qui vocantur externe: imo cum ad ſalutem omnes vocet Deus, quos quidem vocat ipſe, non vocari à Deo Ergo, quotquot non vocantur ad ſalutem; id eſt, illos, quibus dare non vult, quod neceſſarium eſt ipſis, ut ſe convertant & credant. Eſſe autem *poſſe* & *velle* neceſſarium, ut ſe quis convertat, & neminem niſi ex gratuito Dei dono habere utrumque, non credimus quenquam iturum inficias. At quam multis utrumque non dat Deus? Dicant jam igitur Remonſtrantes, Deum ſimulate agere, aut videant qua ratione ſe expediant. Nos ſimulate agere Deum negabimus, ut qui ad ſalutem non vocet quenquam, niſi & cui communicare eam propoſuit. & ſimul dare quod ipſi neceſſarium eſt, ut ſe convertat & credat. Atque hoc modo ſua vocationi dignitas, ſuus locus aſſeritur; *Quos enim prædeſtinavit, eos etiam vocavit.* Rom. 8. 30.

[Margin: Collat. Br. p. 234. l. 1. — Collat. Br. p. 233. lin. ult.]

Quid igitur? Miniſter fidelis, miſſus ad fœderatos Dei, prædicet ſermonem, inſtet tempeſtive, intempeſtive, arguat, objurget, exhortetur, idque promiſcue, ſine diſcrimine perſonarum: Dominus enim quidem novit qui ſint ſui, non novit Miniſter, Fœderati audiant vocem Dei ſui, ſine intermiſſione, (nam id ſane tenentur) ecquando det eis Deus, ut reſipiſcentes agnoſcant veritatem, & elapſi ex Diaboli laqueo, mentis ſanitatem recipiant, ad præſtandam illius voluntatem. Atque ita ſinguli, dum faciunt quod ſuum eſt, exſpectent Dei benedictionem: Sed de his ad primum Articulum nonnulla quoque diximus.

[Margin: 2. Timoth. 4. 2. — 2. Tim. 2. 16. — Act. 10. 18. — 2. Tim. 2. 25. 26.]

An non igitur ſpiritus prædicato verbo aſſiſtit ſemper? Omnino. Sed non horſum, ut in omnibus quibus illud proponitur, operetur poſſe, velle, & perficere. Patebit ex ſequentibus.

5] Actor. 14. 16. *Præteritis ætatibus ſivit omnes Gentes ſuis ipſarum vijs incedere.*
& cap. 17. 30. *Temporibus ignorantiæ diſſimulatis, Deus nunc denunciat omnibus ubique hominibus ut reſipiſcant.*

Vide 2. Chronic. 36. 15. Epheſ. 3. 5. Matth. 11. 12. & Ezech. 2. 16. Iohan. 3. 8. 2. Tim. 1. 19. 1. Pet. 2. 10. Rom. 8. 30.

Hinc liquet 1. Deum non miſiſſe verbum ſalutis omni tempore ad omnes.

Falſum igitur; *Omnes homines vocatione aliqua vocari ad ſalutem.* qui enim abſque verbo ſalutis ad ſalutem vocentur? 2. Quotquot vocantur, non merito id ſuo, ſive quod alijs ſint aptiores & magis idonei, qui ulteriore gratia donentur, ſed puro puto Dei beneplacito gratioſo, conſequi ut vocentur.

[Margin: Cont. Wal. p. 44. in fine.]

Falſum igitur. *Vocare Deum quoſdam, quia illos per naturalem legis ſuæ noticiam, & meliorem gratiæ communioris uſum, nonnihil correctos, idoneos indicat, quos ulteriori gratia donet.*

6] Iohan. 3. 8. *Ventus quo vult ſpirat.*

Eſai. 55. 10. *Cum deſcendit pluvia aut nix de cœlo, rurſus illuc non revertitur ſed inebriat terram ipſam, facitque ut pariat ipſa & producat.*

verſ. 11. *Sic eſto verbum meum quod egreſſum fuerit ex ore meo, non revertatur ad me vacuum, ſed faciat id quo delector, & proſperetur id quod emiſero.*

Vide 2. Chronic. 20. 6. Roman. 9. 19. Matth. 28. 20.

Nunquam non operatur Spiritus, ubi prædicatur verbum: Nunquam non efficit Spiritus, quod operando efficere vult & intendit. quid efficere velit in quovis qui verbum audit, neque novimus, neque curiosius inquirimus: sufficit nobis, quod nemo verbum audiat, in quo non aliquid efficere velit Spiritus; Et quod is tam sit sapiens & potens, ut impediri nulla ratione possit, quin agat, cum vult agere, & efficiat, quod vult efficere: pertingit à fine uno ad alterum fortiter, & disponit omnia utiliter. Conversionis igitur & fidei causa efficiens est, non verbum prædicatum (hoc est enim medium & instrumentum est *per quod*) non homo, (nam *in* homine, non *per* hominem aut *ab* homine ista producuntur) sed efficacia Spiritus Sancti.

Sapien. 8.1.

Falsum est, *efficacitatem roboris Dei non esse causam efficientem Fidei.*

Blasphemum est. *Hominem posse regenerationem suam impedire, ac impedire etiam sæpe numero, quum Dei Spiritus eum vult regenerare.*

Istud vero intolerandum est: *Satanam ubi cum Dei Spiritu certat de homine ad se alliciendo, fortius interdum agere quam Spiritum, ita quidem ut Spiritum etiam superet.* Quid cogitatu magis horribile? Quid dictu scelestius? Apage blasphemias ejusmodi ex Ecclesia Dei.

Coll. Br. p. 314. l. 15. Ibid. p. 301. l. 19. & pag. 318. l. 22. & p. 278. l. 27. Ibid. p. 310. Sub finem.

COROLLARIVM.

Quæritur, An regenitus non possit plus boni facere quam facit, & plus mali omittere, quam omittit? Loquimur autem de bono & malo Theologico.

Respond. Per gratiam Dei potest: potest enim omnia per eum, qui illum corroborat, nempe Christum; Phillip. 4. vers. 13. Sine autem gratia Dei, tale quid nihil potest. Johan. 15. vers. 50. qui vero contrarium asserit, ab una parte injuriosus est in gratiam Dei, ab altera parte in apertum Pelagianismum incidat necesse est.

SENTENTIA

Deputatorum Synodi Zuydt-Hollandicæ,

DE

tertio & quarto Articulo Remonstrantium.

De statu hominis in lapsu.

I.

De hominis Corruptione in genere.

Statuimus, hominem ad Dei imaginem creatum, & sapientia, iustitia, ac rectitudine donatum, omnia illa præclara dona, per inobedientiam primorum parentum, in quibus omnes peccavimus, perdidisse; Retinuisse autem intellectum, cuius est intelligere & dijudicare objectum; & voluntatem, cuius est obiectum ab intellectu monstratum eligere & amplecti, vel non eligere & nolle; & affectus, qui præeunte voluntate,

sensus

sensus, & membra corporis ad objectum volitum consequendum vel nolitum fugiendum excitant.

Reijcimus ergo:

1. Hominem in hoc statu, habere adhuc reliquias vitæ spiritualis.
2. Posse hominem facere ea quæ legis sunt, & Deo placent, sic ut Deus ijs moveatur, ad maiorem gratiam illi conferendam.
3. Hominem non esse proprie nec totaliter morte spirituali mortuum in peccatis, ita ut nullas habeat vires, quibus servari, aut gradatim ad salutem pervenire possit.

II.

Hominis intellectum usque adeo esse excæcatum, ut nec disciplinas atque artes addiscere & in ijs excellere, nec in civilibus, Oeconomicis, Scholasticis, & Ecclesiasticis externis recte versari, inque ijs verum à falso, bonum à malo, justum ab iniusto, honestum à turpi, exacte discernere, sine speciali Dei auxilio, possit. In ijs vero quæ Deum Deique voluntatem in lege & Euangelio revelatam, & spiritualia beneficia per Christum nobis parta, proprie spectant, solida & salutari cognitione nihil omnino assequi & intelligere posse; ideoque *De cæcitate intellectus.*

Exiguas illas scintillas, quæ alijs κοινὰς ἐννοίας dicuntur, ad veram & salutarem cognitionem Dei, & voluntatis eius, homines deducere non posse; sed etiam per librum naturæ, externamque disciplinam promotas, tantum sufficere ad cultum aliquem numinis & metum servilem, inter homines ad bonum & conservationem universi, & ad ἀναπολογίαν producendam.

Prior pars theseos prob. ex Psal.32.9. & 49.13. Rom.1.21. 2.Cor.3.5.

Posterior pars probatur. I. quia vocantur tenebræ, Eph.5.8. Matth.5.6.23. Et stultitia est ipsis sapientia Dei, nec possunt spiritualia cognoscere: 1.Cor.2.14. Vide etiam Rom.8.7. 1.Cor.1.20. II. Quia eget intellectus spirituali regeneratione & illuminatione, sine qua spiritualia cognoscere non potest. Deut.29.4. Matth.11.27.& 13.11. Luc.24.25.

Reijcimus ergo:

1. Hominem non esse intellectu plane occæcatum, qui verum bonum non possit intelligere.
2. Hominem in omni statu posse sensus ad salutem necessarios percipere.
3. Ad hanc intelligentiam, non opus esse ullo supernaturali lumine aut immediata Spiritus S. operatione, sed tantum vi apprehendendi naturali & omnibus hominibus communi:

III.

Voluntatem hominis per peccatum tantam sibi attraxisse perversitatem, contumaciam, corruptionem, & peccati servitutem, ut in ipsis moralibus, alijsque externis actionibus & operibus nihil boni aut præclari eligere & efficere possit, sine speciali Dei auxilio: Spirituale vero & cæleste bonum nullum, ante regenerationem suam, proprie & vere eligere aut velle, multo minus efficere posse. *de ἀδυναμίᾳ voluntatis.*

Prior pars theseos probatur, ex Ierem.10.23. Ierem.17.v.9: 1. Reg.3. v.9.& 12.

Posterior pars probatur, I. ex varijs titulis, quibus describitur voluntas hominis, Ezech.36.26. Ioh.3.6. Genes.6.5. Eph:2.v:1. Coll.2.13. Psal.14.23. Eph.1.12. Ro.1.30. II. ex necessitate spiritualis regenerationis, seu vivificationis atque immutationis. Deut.30.6. Ezech.11.19.& 36.26. Eph.2.1. Col.2.13, Ioh.1.13.& 3. v.3. & 5.

Ideoque:

1. Liberum arbitrium si sumatur pro facultate ad bonum, esse amissum; ac potius esse dicendum servum, Ioh.8.34. Rom.6.20.

2. omnes

2. Omnes virtutes & opera externa, in non regenitis, quatenus bona sunt, esse singularia Dei dona, Iac. 1. 17. Matth. 7. 18. & 12. 34.

3. Quatenus tamen ab ipsis & in ipsis impuris, & per fidem non sanctificatis sine radice fidei proferuntur, nec ad Dei gloriam, sed ad aliud quodcumque, quod non est Deus, referuntur: esse tum ortu, seu subjective, tum intentione, mala, & splendida peccata. Rom. 14. 23. Heb. 11. 6. 1. Cor. 10. vers. 31. 32. 33. Mat. 5. 16.

Rejicimus ergo:

1. In morte spirituali, non seperari proprie dona spiritualia ab humana voluntate.

2. Facultatem voluntatis ad salutare bonum, tantum esse impeditam, ligatam, sopitam, læsam, aut infirmatam propter intellectus tenebras & affectuum ἀταξίας; non vero plane extinctam & mortuam seu perditam.

IV.

De ἀταξίᾳ affectuum. Affectus hominis lapsi ita esse inordinatos & depravatos, ut nihil veri & salutaris boni expetere, desiderare, & amare valeant; sepiusque tanto impetu dictamen rationis prosternant, ut hominem meliora videntem, deteriora sequi faciant.

Prob. 1. ex Genes. 8. 21. Iohan. 15. 16. imprimis ex Tit. 3. 3. Rom. 7. 5. Eph. 2. 3. Rom. 1. 29. 30. 2. ex necessitate regenerationis & vivificationis: Ioh. 1. 13. & 3. 5. 6. Phil. 2. 13. 2. Pet. 1. 3. Itaque:

Hominis affectus, nullo bono motu præparatorio, ad vivificationem se disponere, aut Spiritum Sanctum, ut vivificentur, invitare posse.

Reijcimus ergo:

Hominem irregenitum, serio pœnitere & dolere propter peccata, idque magis ex metu offensionis divinæ, quam pœnæ: desiderare liberationem, cum conamine & tentamine, vitam in melius commutandi.

De Gratia Regenerationis eiusque operandi modo.

I.

De necessitate gratiæ. Hanc naturæ humanæ corruptionem non posse corrigi aut auferri, nisi per gratiam regenerationis, sine qua impossibile est ut homo regnum Dei ingrediatur. Ioh. 3. 5. Eph. 2. 5. 1. Petr. 1. 3. Eph. 2. 10. Col. 2. 12. 13. 2. Cor. 5. 17.

II.

De gratia externa. Ad hominis regenerationem, duplicem requiri gratiam; externam, & internam. Externam esse beneficium Dei quo tum per librum naturæ, tum maxime per librum Scripturæ, id est, externa verbi, Sacramentorum, & aliquando etiam miraculorum media, Deus homines vocat ad sui cognitionem. Rom. 1. 19. 20. & 10. 14. Act. 10. 14. & 16. 14. 1. Pet. 1. 23. Ioh. 15. 3. & 17. v. 17. 1. Cor. 4. 14. Tit. 3. 5. Ioh. 20. 31.

Itaque.

I. Gratiam externam, quæ fit per librum naturæ, esse communem omnibus hominibus: Rom. 1. 19. Act. 14. & 17. Psal. 19. v. 1. 2.

II. Eam vero quæ fit per librum Scripturæ, non omnibus gentibus, nedum singulis hominibus communicari. Ps. 147. 19. 20. Act. 14. 16. Eph. 2. 12.

III. Causam, quare Deus hisce gentibus præ alijs, verbum suum donet, & prædicari faciat, esse solum Dei beneplacitum & gratuitam benevolentiam, sine ulla dignitatis præ alijs, aut præparationis, probitatis, docilitatis, prævisione.

Reijci-

Reijcimus ergo:

1. Deum omnibus & singulis hominibus administrare, aut paratum esse administrare, media sufficientia ad sui conversionem.

2. Deum omnibus & singulis hominibus offerre reconciliationem per Christum, & ab ijs petere obedientiam fidei.

3. Deum omnibus & singulis etiam in illis gentibus, ubi nihil unquam, de Euangelio auditur, ulteriorem gratiam & salutarem vocationem donare, quocumque modo id tandem fiat; illis, inquam, qui probi sunt, & naturalibus aut alijs donis acceptis bene utuntur.

III.

Gratiam hanc externam quocumque gradu aut mensura detur, non sufficere: sed necessario præter hanc ad conversionem requiri internam, efficacem & invincibilem Spiritus S. gratiam, per quam homo ex morte spirituali, ad novam vitam spiritualem excitetur, renovetur, & vivificetur; quæ propterea specialiter & proprie gratia Spiritualis, regenerationis & salutaris dicitur. De gratia interna regenerante in genere.

Itaque.

1. Distinctam esse hanc gratiam ab externa, etiam actu separatam, in ijs qui reipsa & actu non convertuntur.

2. Non esse communem omnibus hominibus, ne quidem illis, quibus verbum prædicatur, & mens ex parte ad veritatis cognitionem illuminatur, sed propriam esse electis. Deut. 29.4. Mat. 11.25.26. Matth. 13.11. Ioh 5.21. Ioh. 14.17. & 12.39. 2. Thess. 3.2. Tit. 1. 1. Ioh. 17.6.9. Rom. 11.7. Phil. 2.29. 2. Timoth. 2.25.26.

Reijcimus ergo:

1. Gratiam regenerationis non conferri & dispensari, ex præcedaneo decreto electionis ad salutem.

2. Gratiam hanc nihil aliud esse quam propositionem verbi, quod à Spiritu S. dictatum vivum est & efficax & potentia Dei ad salutem; adeo ut nulla actio immediata Spiritus S. in mentem aut voluntatem requiratur, ad hoc ut quis credat verbo extrinsecus proposito.

3. Verbum Euangelij, semper sibi habere adsistentem Spiritum S. ita ut nulli offeratur externa verbi prædicatio, cui non adsit interna Spiritus operatio.

4. Vocationem externam & internam non distingui, sed esse duas unius vocationis partes & gradus ad unum apotelesma concurrentes.

5. Omnibus, quibus verbum prædicatur, dari gratiam sufficientem ad conversionem.

IV.

Gratiam hanc, necessariam esse ad omnes animæ facultates. Ac primo mentem illustrari nova luce supernaturali, ac sapientia seu prudentia spirituali infusa: Quæ non tantum consistit in cognitione theoretica seu historica promissionum Euangelij, sed practica seu experimentali, (quam alij vocant intuitivam & per propriam speciem,) qua vera sapientia illuminati, actu & infallibiliter incipiunt sapientiam Dei (quæ antea ipsis stultitia erat) apprehendere, ut talem, & spiritualia spiritualiter discernere. De gratia regenerante circa intellectum.

Itaque.

1. Priorem luminis supernaturalis gradum, communicari etiam per internam Spiritus S. illuminationem, illis, qui non convertuntur. 2. Pet. 2.20. 21. Heb. 6.4. quorum voluntatem & affectus etiam leviter & exterius sæpe quasi stringit & afficit, sed eos non penetrat, immutat, aut perficit. Mat. 13.20. Ioh. 5.35.

II. Posteriorem autem cum priore simul, idest, veram sapientiam seu prudentiam spiritualem, nemini conferri; nisi electis qui actu convertuntur, idque per Spiritum regenera-

regenerationis. Hanc sapientiam Paulus, Phil.1. 9. constituit in ἐπιγνώσει & αἰσθήσει, & hanc solis fidelibus adscribit, 1.Cor.2.10.12.13.14. Eph.1.18. Apoc.2.17. 2.Petr. 1.9. 1.Ioh.2.27. Ioh.14. v.17. Quorum voluntatem & affectus penetrat, urit, accendit, & immutat, Ioh.6.63. 2. Cor.3.18. Iac.3.17. Vnde & peculiariter ἡ ἄνωθεν σοφία dicitur, quod per τὴν ἄνωθεν regenerationem proprie in nobis producatur.

III. Illuminationem hanc Spiritus S. per infusionem luminis & sapientiæ spiritualis fieri modo irresistibili & inimpedibili.

IV. Sapientiam hanc infusam, non habere se ad modum actus transeuntis, sed facultatis seu dispositionis permanentis.

Reÿcimus ergo.

1. Nullum lumen supernaturale, potentiæ superinfusum, eamque elevans, requiri ad intelligentiam eorum, quæ in Scripturis creditu, factu, speratu sunt necessaria.

2. Infusionem hanc luminis seu sapientiæ spiritualis, repugnare administrationi mediorum, quibus Deus in homine novam vitam operari vult.

V.

De gratia regenerante circa voluntatem.

Voluntatem etiam non tantum per gratiam hanc excitari & affici, sed reipsa & efficaciter infusione & impressione novæ sanctitatis seu facultatis ad bonum spirituale permoveri, immutari, inclinari ac converti, ita ut ex nolente volens facta, ipsa actu & infallibiliter bonum spirituale ab intellectu spirituali monstratum, velit atque eligat. Ioh.6.44. Rom.9.16. Phil.2.13.

Itaque.

I. Modum huius operationis in voluntatem, non esse per Spiritus S. influxum indifferentem, aut motionem metaphoricam, aut efficientiam objectivam, aut suasionem moralem; sed per realiter efficacem motionem, mutationem vnius in aliud, ac prædeterminationem ad modum causæ vere & proprie efficientis & perficientis. Qua operatione posita, reipsa inclinatio non assentiendi quiescit, & resistentia à voluntate tollitur, ut ex nolentibus fiant volentes, & non possint non converti.

II. Posse hoc respectu operationem hanc appellari irresistibilem; quamvis propter ambiguitatem, malimus dicere *efficacem* & *invincibilem*.

III. Per istam operationem Spiritus S. in ipsam voluntatem infundi ac imprimi facultatem seu dispositionem & aptitudinem spiritualem permanentem, per quam voluntas informatur atque apta redditur, ad operationes spirituales exercendas & producendas. Quæ dispositio, vocibus *seminis, novæ creaturæ, vitæ, novi hominis*, passim notatur.

IV. Spiritum S. per gratiam, in primo conversionis momento, in ordine ad infusionem facultatis, esse solam & unicam conversionis causam, hominemque sic se habere pure passive. 1.Cor.3.7. Rom.6.23. Eph.2.8.

V. In secundo vero momento, quod ad actus secundos, esse causam primam & principalem causalitate, & voluntatem vi facultatis jam acceptæ, ut causam secundam & instrumentalem, agere & cooperari, ac determinare se, sub prædeterminatione Spiritus S. Adeo ut Spiritus S. tanquam causa subordinans, & voluntas tanquam subordinata, concurrant ad eundem actum.

VI. Nihil tamen per hunc operationis modum discedere libertati voluntatis, sed congruenter & conformiter ipsius naturæ fieri. In primo enim momento voluntariũ & involuntarium proprie locum non habet; non magis quam in prima creatione voluntatis. Facultas enim illa quę infunditur, non est actus liber & à voluntate productus. In secundo momento, ipsa voluntas secundum deliberans judicij consilium, libere se movet, & actum suum voluntario producit imperio.

Rejicimus ergo,

1. Regenerationem inchoari ab opere, quod præstat homo.

2. Per regenerationem in voluntatem nihil sanctitatis infundi, aut posse infundi. Et infusionem istam repugnare administrationi mediorũ, per quæ Deus novam vitam in nobis operari vult.

3. Gratia

3. Gratia regenerationis determinante, non esse opus: immo Deum non posse, voluntatem ad actus suos producendum, irresistibiliter determinare:

4. Gratiæ moralem operationem, per modum objecti suadentem & moventem, solam homines animales reddere posse spirituales.

5. Huiusmodi operationem esse nobilissimam, nec convenire Deo, ut alia circa hominis voluntatem utatur.

6. Cum eodem operationis modo in sese æque efficaci, circa hominis voluntatem, agant Deus & Satan, nihil tamen absurdi hinc sequi, eo quod Satanæ sit resistibilis, Dei autem efficax, quod circa tale tempus, tales homines, in tali statu, ex Dei infinita sapientia administretur.

7. Voluntatem Dei, qua vult homines per gratiam convertere, nihil aliud esse, quam quod velit ut homo seipsum convertat.

8. Deum, conversionem & salutem nostram, non aliter velle aut operari, quam voto & desiderio; neque etiam posse constantiori & majori voluntate versari in hoc rerum genere. Sic Deutron. 5. dicit: ego quidem opto ut sint pij & salvi, immo facio ad eam rem quicquid salvo meo Decreto facere possum. Sed quia ipsi sibi desunt, optarem alios ipsis hic posse aliquid prodesse, &c. Vorstius pag. 441. in notis ad librum de Deo.

9. Gratiam & liberum arbitrium simul concurrere; nec illam ordine causalitatis efficientiam voluntatis antecedere. Neutrum esse in via ad alterum.

10. Gratiam eiusque efficaciam, atque adeo Deum ipsum, dependere aut determinari aliquo modo à libero arbitrio, aut actu aliquo eius.

11. Positis omnibus operationibus gratiæ, manere tamen conversionem ita in potestate libera hominis, ut possit iis uti vel non uti, converti vel non converti.

12. Pari posita sufficiente gratia, imparitatem effectus esse ab Arbitrio Libero & præter hoc aliam communem causam dari non posse.

13. Virtutes in homine regenito, ut fidem, spem, &c. non esse habitus infusos, sed comparatos & acquisitos.

14. Immo fidem ne habitum quidem esse, sed actum.

15. Eandem non appellari donum Dei, respectu actualis infusionis in corda nostra; sed respectu potestatis perveniendi ad ipsum.

VI.

Affectus denique per gratiam hanc sanctificari, idque infusione rectitudinis, qua à mundanis & caducis aversi, & ad spiritualia & cœlestia incitati ac directi, ipsi, tanquam executrices potentiæ, cum intellectu & voluntate serveant in opere supernaturali. Itaque. *De gratia regenerante circa affectus.*

I. Per gratiam regenerationis, non tolli affectus humanos, qua tales; sed corrigi, & in girum rectæ ac regenitæ rationis revocari, id est, tolli & aboleri ipsorum ἀταξίαν, non ipsos.

II. Corrigi autem duplici ratione. I. vel aversione illorum ab objecto peccaminoso, cui ante regenerationem inhærebant, & simul conversione ac directione ad obiectum salutare. II. Vel inhibitione & temperatione excessus erga objectum per se non malum, sed naturaliter aut civiliter bonum, seu quodcumque non est Deus.

Iudicium Fratrum Noort-Hollandorum,

De Articulis Remonſtrantium Tertio & Quarto,

In quibus de Libero hominis Arbitrio, & Gratiæ divinæ efficacia agitur.

ARticulus tertius ad verbum ſic habet. *Hominem, fidem ſalutarem à ſeipſo non habere, nec vi liberi ſui arbitrij, quandoquidem in ſtatu defectionis & peccati, nihil boni, quod quidem vere ſit bonum (quale quid, eſt Fides ſalutaris) ex ſe poſſit cogitare, velle, aut facere: ſed neceſſarium eſſe, eum à Deo in Chriſto per Spiritum eius Sanctum, regigni, ac renovari, mente, affectibus, ſeu voluntate, & omnibus facultatibus, ut aliquid boni poſſit intelligere, cogitare, velle, & perficere: ſecundum illud* Iohannis 15. verſ. 5. *Sine me nihil poteſtis facere.*

Videntur Remonſtrantes in hoc Tertio Articulo, ſi verba ipſa ſpectes, nullas omnino vires Liberi Arbitrij ad bonum ſalutare in homine lapſo & non regenito, agnoſcere. Adeo, ut ſi ex animo ſyncero hæc ſcripſiſſent, eos crederes, idem prorſus cum Orthodoxis ſentire. Sed latent hic inſidiæ. Fide enim agunt non bona, & ſpecioſis verbis aſtute ſententiam ſuam & errores tegunt. Quod ex aliis ipſorum paſſim editis ſcriptis liquido conſtat. Docent enim alibi.

Primo, De Intellectu humano,

Hominem, modo uſu rationis & judicij polleat, in quovis ſtatu ſine ulla peculiari immediata vel interna lucis colluſtratione, ſua vi naturali facile poſſe intelligere & percipere omnes Scripturæ ſenſus, qui ad ſalutem neceſſarij ſunt ſcitu, creditu, ſperatu, vel factu. Et, intelligentiam hominis non eſſe inimicitiam adverſus Deum.

Quod falſum eſſe judicant Noort-Hollandi.

Contra autem verum eſſe aſſerunt, Hominem non regenitū, quamvis naturalis rationis & judicii uſu polleat, ita tamen occæcatum eſſe, ut abſque ſupernaturali lumine, & interna colluſtratione mentis, ea, quæ ſunt Spiritus Dei, non poſſit percipere; imo pro ſtultitia habeat, & intelligentia eius inimicitia ſit adverſus Deum.

Docet id S. Scriptura. 1. Quoties mentem & intellectum hominis non regeniti, cæcum, & meras eſſe tenebras teſtatur. Sic enim Chriſtus ipſe, Matt. 6.2?. *Si lumen, quod eſt in te, tenebræ ſunt, ipſæ tenebræ quantæ?* Ioan. 1.5. *Lux ipſa in tenebris lucet, ſed tenebræ eam non comprehenderunt.* Rom. 3.11. *Non eſt, qui intelligat, non eſt, qui exquirat Deum.* Roman. 8. 7. *Intelligentia carnis, inimicitia eſt adverſus Deum.* 1. Corinth. 2.14. *Animalis homo non eſt capax eorum, quæ ſunt ſpiritus Dei, ſunt enim ei ſtultitia, nec poteſt ea cognoſcere, quia ſpiritualiter dijudicantur.* Epheſ. 4.17. *Sicuti reliquæ gentes verſantur in vanitate mentis ſuæ,* v. 18. *Cogitationē habentes obſcuratam, & abalienatam à vita Dei, propter ignorantiam, quæ eſt in ipſis.* Epheſ. 5.8. *Eratis olim tenebræ.* 2. Pet. 1.9. *Nam cui hæc non adſunt, is cæcus eſt, nihil procul cernens.* Apoc. 3.17. *Neque noſti te eſſe ærumnoſum, & miſerabilem, & pauperem, & cæcum, &c.*

2. Quoties expreſſe dicunt, cognitionem rerum ſpiritualium à Deo & Spiritu S. in mentibus noſtris accendi. Matth. 16.17. Reſpondens Ieſus dixit ei: *Beatus es, Simon Bar Iona, quia caro & ſanguis hæc non retexit tibi, ſed Pater meus qui eſt in cœlis.* Luc. 24.45. *Tunc aperuit eorum mentem, ut intelligerent Scripturas.* Iohan. 3.3. *Niſi quis fuerit genitus denuo, non poteſt videre regnum Dei.* Iohan. 14. verſ. 26. *Conſolator autem ille, Spiritus Sanctus quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæ dixi vobis.* 1. Corinth. 2. verſ. 9. & 10. *Sed prædicamus, ut*

ſcriptum

scriptum est, quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in mentem hominis venerunt, quæ paravit Deus ijs, qui ipsum diligunt. Nobis autem Deus ea revelavit per Spiritum suum. 2. Cor. 4. 6. *Deus, qui dixit ut è tenebris lux splendesceret, is est, qui splenduit in cordibus nostris, ad præbendum lumen cognitionis in facie Iesu Christi.* Ephes. 1. 17. *Deus Domini nostri I. Christi, Pater ille gloriæ, det vobis Spiritum sapientiæ & revelationis, per agnitionem ipsius.* vers. 18. *Illuminatis oculis mentis vestræ, ut sciatis, &c.*

3. Quoties inducit sanctos petentes tum pro se, tum pro aliis, à Deo, spiritum revelationis, & sapientiæ.

Psal. 119. 18. *Revela oculos meos, ut aspiciam mirabilia legis tuæ.* vers. 27. & 73. *Viam præceptorum tuorum intelligere fac me.* Ephes. 1. 16. *Mentionem vestri facio in precibus meis.* vers. 17. *Ut Deus Domini nostri Iesu Christi det vobis Spiritum sapientiæ, &c.* Colloss. 1. 9. *Ex quo die id audivimus, non desinimus pro vobis orare, & petere, ut impleamini omni agnitione voluntatis eius, cum omni sapientia & intelligentia spirituali.*

Secundo de voluntate hominis, in statu defectionis, & peccati.

Docent Remonstrantes hominem irregenitũ non prorsus spiritualiter esse mortuum. In morte enim spirituali dona spiritualia proprie non separari ab hominis voluntate, quippe quæ ex se libera est ad volendum vel bonum vel malũ; & ab actione sua tantum vel bona vel mala dicenda est. Quam libertatem, ut partem creatæ naturæ, etiam post lapsum in homine peccatore remansisse asserunt.

Verum esse, & S. Literis consentaneum omnino affirmant. Hominem non regenitum, in peccatis plane esse mortuum, & donis spiritualibus, ipsi in creatione datis, per lapsum tam in voluntate, quam reliquis animæ facultatibus omnino destitutum. Sic ut voluntas ipsius libera non sit ad spirituale bonum: sed tantum, & prorsus, feratur ad malum. Unde non solum ab actione, sed etiam natura sua, mala dicenda sit.

Quod itidem falsum, & S. Literis contrarium judicant Noort-hollandi. Qui contra,

Sic enim docet evidenter & passim S. Scriptura. Gen. 6. 5. *Et vidit Dominus, quod multa malitia hominis in terra, & omnis imaginatio cogitationum cordis eius tantum malum omni die.* Gen. 8. 21. *Quia cogitatio cordis hominis, mala à pueritia sua.* Psal. 14. 2. 3. 4. Et Rom. 3. 10. 11. 12. *Non est iustus, ne unus quidem, non est qui intelligat, non est qui exquirat Deum. Omnes deflexerunt, simul inutiles facti sunt. Non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum, &c.* Ier. 17. 9. *Fraudulentum cor præ omnibus rebus & perversum.* Mat. 15. 9. *Ex corde egrediuntur cogitationes malæ, cædes, adulteria, scortationes, furta, falsa testimonia, obtrectationes, &c.* Rom. 8. 7. *Intelligentia carnis inimicitia est adversus Deum. Legi enim Dei non subijcitur, nam ne potest quidem.* Ephes. 2. 1. *Quum essetis mortui in offensis & peccatis.* v. 2. *In quibus olim versati estis, ut est vita Mundi huius, secundum Principem, cui potestas est aeris, & Spiritus nunc agentis in hominibus contumacibus.* vers. 3. *Inter quos & nos omnes conversati sumus olim in cupiditatibus carnis nostræ, facientes quæ carni ac cogitationibus libebant: eramusque natura filij iræ, ut & reliqui.* Tit. 3. 3. *Nam eramus quondam & nos, amentes, rebelles, errantes, servientes cupiditatibus ac voluptatibus varijs, in malitia & invidia degentes, odiosi, alij alios odio prosequentes.*

Quibus in locis, quum cor hominis non regeniti, aperte condemnetur ut fraudulentum & perversum, eiusq; imaginationes & cogitationes, ut tantum malæ, imo ex corde, omnis generis mala dicantur provenire, totusque homo dicatur in peccatis mortuus, in iis ambulare, Deoq; rebellis, & inimicus esse, satis patet voluntatem hominis irregeniti (quæ cordis voce designatur) ad Spirituale bonum non esse liberam, sed tantum ad malum natura sua inclinare & ferri.

Pertinent huc ea etiam Scripturæ loca, quæ Circumcisionem cordis, & conversionem hominis, Deo soli adscribunt: ut Deut. 30. 6. *Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum & cor seminis tui, ad diligendum Dominum Deum tuum, &c.* Ezech. 11. 10. *Dabo eis cor unum, & Spiritum novum dabo in interiori eorum.* Ioh. 6. 44. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum.* Coloss. 2. 11. *In quo etiam circumcisi estis, circumcisione quæ fit sine manibus, dum corpus carnis peccato obnoxiæ exuistis per circumcisionem Christi.*

Idem quoq; probatur ex eo quod sancti renovationem cordis, inclinationem animi ad divinam legem, & ductum Spiritus, &c. à Deo petant. Psal. 45.4. *Fac me ambulare in veritate tua.* Psa. 51. 11. *Cor mundū crea mihi, Deus, & Spiritum rectū innova interiori meo.* Ier. 31. 18. *Converti fac me, & convertar.* Mat. 6. 10. *Veniat regnum tuum; fiat voluntas tua.*

Ne autem Remonstrantes videri possint omnem humanæ Naturæ corruptionem negare, gratiæque Dei nullas omnino in conversione hominis partes relinquere, sic nonnunquam loqui solent, quasi hominis mentem tenebris obscuratam, affectusque depravatos ultro agnoscerent: atque inde voluntati impedimentum adferri, quo minus vires, vel libertatem suam naturalem exercere posset.

Scribunt enim, libertatem voluntatis, licet post lapsum in homine remanserit, ut pars creatæ naturæ, vires tamen suas, propter tenebras mentis, & affectuum depravationem exercere non posse. Verū hic, & sibi, & S. Literis, contradicunt.

Sibi, tum in eo, quod alibi intellectum hominis sua vi naturali, & sine ulla peculiari immediata, vel interna lucis collustratione, posse intelligere & percipere omnes Scripturæ sensus, ad salutem scitu, creditu, speratu, vel factu necessarios, asserant: tum in eo, quod hoc tertio Articulo ponunt, necessarium esse, ut homo per Spiritum S. regeneretur, & renovetur, mente, affectibus, seu volun tate, & omnibus facultatibus.

Corruptionem hominis non regeniti, non tantum in intellectu, & affectibus, qui voluntatem impediunt, sed etiam in ipsa voluntate sitam esse: ita, ut ea etiam in sese, & sua natura, corrupta & prava dici debeat.

Quod ante ex Scripturis evidenter probatum est.

Sacris Literis. Nam eæ aperte testantur, quod & nos credimus. Videlicet,

Iam vero, quod illam, quam agnoscunt qualemcunque pravitatem, universali quadam gratia, in omnibus & singulis hominibus corrigi ac aliquatenus tolli asserunt, quando scribunt.

Deum omnes homines aliqua vocatione vocare ad salutem, mediaq; ad fidem & conversionem necessaria omnibus sufficienter & efficaciter subministrare, iisq; potestatem conferre, administratis mediis recte utendi, ac recto eorum usu, maiorem gratiam, etiam Euangelij annunciationem consequendi: Utenb. in Apol. p. 58. & 65. Ita ut unicuique homini usum rationis adepto, sufficiens aliqua donata sit gratia, tanquam principium aliquod quo cursus humanæ corruptionis admodū sistitur, & homo si bene utatur, nec ipse sibi obsit, maiorem gratiam possit adipisci.

Id quoq; Noort-Hollandi judicant esse ἀπερόδοξον. Qui contra verum esse asserunt.

Quod etiamsi in homine post lapsum supersint scintillę quędam quibus bonum aliquod naturale, civile, morale, cognoscere & facere possit, itemque perspicere Deum esse, eumque amandum, & colendum; non tamen ullum in homine non regenito supersit principium ad bonum spirituale vel cognoscendum vel faciēdum, nullisq; aliis à Deo media ad salutem sufficientia efficaciter administrentur, quam electis solis, seu iis, qui reipsa regenerātur.

Sic enim describit Apostolus Paulus homines irregenitos. Rom. 3. 10. 11, &c. ex Psal. 14. & 53. aliisque locis veteris Testamenti: *Non est iustus, ne vnus quidem. Non est qui intelligat: non est qui exquirat Deum: Omnes deflexerunt: Simul inutiles facti sunt. Non est qui faciat quod bonum est: non est usq; ad unum. Sepulchrum apertum guttur eorum, linguis suis ad dolū usi sunt: Venenum aspidū sub labijs eorum, quorum os diris & amarulentia plenū est. Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem; contritio & calamitas in vijs eorum, & viam pacis non cognoverunt. Non est timor Dei coram oculis eorum.* Quam descriptionem universalem esse omnium omnino hominum prout sunt à natura, patet ex verbis sequentibus. vers. 19. *Scimus quacunque lex dicit, ijs qui in lege sunt dicere, vt omne os obturetur, & obnoxius fiat totus Mundus condemnationi Dei.* & Christus dicit. Iohan. 3. 6. *Quod genitum est ex carne, caro est.* Quid autem caro hæc significet, docet Apostolus. Rom. 8. 6. 7. 8. cum inquit, *Intelligentiam carnis inimicitiam esse adversus Deum, esse mortem, & non posse Deo placere qui in carne sunt.* Cum quo consonat Christi dictum Ioh. 3. 3. Hominem non posse videre regnum Dei, nisi fuerit denuo vel superne genitus. Et sane si se res haberet v Remonstrantes volunt, non regeneratione homini opus esset, sed tantum bono usu communioris gratiæ.

Præterea

Digitized by Google

Præterea assimulat Propheta Esaias homines irregenitos noxiis quibusdam & venenatis bestiis, *Lupo, Pardo, Leoni, Vrso, Aspidi, Basilisco.* cap. 11. vers. 5. 6. &c. Quibus similitudinis corruptionem & statum hominis ante regenerationis gratiam ad vivum exprimit. Etiam ante ostensum est, hominem, ut qui mente est excæcatus, & voluntate depravatus, totusque in peccatis mortuus, revera malam esse arborem. Malam autem arborem non posse bonos fructus ferre testatur ipse noster Servator Christus, Matt. 7. 18. Luc. 6. 43.

Denique, quia nihil agit, nec agere potest, ultra suum genus; certum est hominem naturalem, nullam idoneam proportionem habere ad objectum spirituale.

Sequitur Articulus Quartus; qui ad verbum sic habet:

Hanc Dei gratiam esse initium, progressum, & perfectionem omnis boni, atque id adeo quidem, ut ipse homo regenitus, absque hac præcedanea, seu adventitia, excitante, consequente, & cooperante gratia, neque boni quid cogitare, velle, aut facere possit, neque etiam ulli malæ tentationi resistere. Adeo quidem, ut omnia bona opera quæ excogitare possumus, Dei gratiæ in Christo tribuenda sint. Quo ad vero modum operationis illius gratiæ illa non est irresistibilis: De multis enim dicitur, eos S. Sancto restitisse, Actor. 7. *& alibi multis locis.*

Agit hic Articulus de efficacia gratiæ Dei in hominis conversione. Et videntur quidem Remonstrantes initio peregregie de gratia divina loqui, eique amplam in conversione hominis efficaciam tribuere. Dicunt enim, gratiam Dei esse initium, progressum, & perfectionem, omnis boni, &c. Sed revera quod una manu largiuntur, altera auferunt. Totum enim illud quod in priore parte huius Articuli tam speciosis verbis videntur posuisse, altera parte, & sub finem prorsus tollunt. Hac adiecta clausula: *Quoad vero modum operationis illius gratiæ, illa non est irresistibilis.* His enim verbis doctrinam de gratia Dei ante positam depravant, vires liberi arbitrij stabiliunt, quod ex ipsorum declarationibus manifestum fit.

Sic enim se ipsi passim explicant.

Hominem nimirum irregenitum, gratię Dei in eum agentis, ad conversionem, non modo simpliciter resistere, aut resistere posse: sed eius etiam operationem impedire, & superare posse: imo sæpenumero, actu ipso impedire, & superare. Sic ut homo Deo in ipso operante cum voluntate & intentione ipsum convertendi, per suam resistentiam non convertatur.

Noort-Hollandi id non modo falsum, sed & in Deum blasphemum esse iudicant. Et contra, ex S. Scriptura statuunt: hominem irregenitum, tametsi ex se, & natura sua, corrupta, rebellis Deo, nihil aut possit aut velit, quam gratiæ Dei resistere, Deo tamen per suam gratiam operante in ipso, cum voluntate & intentione ipsum convertendi, operationem eius nec posse nec velle impedire. Ea enim est gratiæ efficacia in flectendo, & subigendo cor & voluntatem hominis convertendi, ut necessario & infallibiliter, convertatur.

Gratia autem hic nobis significat non externã quandam suasionem moralem quæ extrinsecus tantum invitat, sed vim quandam divinam & motum misericordiæ Dei, secundum eius propositum æternum in electorum mente, voluntate, corde efficacẽ, quæ eadem est cum vocatione illa interna & efficaci, quam electionis æternæ & gratuitæ, & effectum & fructum esse ad Artic. primum demonstratum est. Illi externæ suasioni resisti posse, non negatur; huic vero internæ gratiæ, etsi corrupta hominis natura per se prona est ut resistat, minime tamen ab homine convertendo resistitur aut resisti potest: secundum dicta Scripturæ. Ephes. 1. 19. *Vt sciatis quæ sit excellens illa magnitudo potentiæ ipsius in nobis, qui credimus, pro efficacitate fortis roboris ipsius.* v. 20. *Quam exeruit in Christo, cum excitavit eum ex mortuis.* 2. Thes. 1. 11. *Precamur semper pro vobis, ut vos dignetur ista vocatione Deus noster, & compleat omnem suæ bonitatis gratuitam benevolentiam & opus Fidei potenter.* 2. Pet. 1. 3. *Cum divina ipsius vis omnia nobis donarit quæ ad vitam, & pietatem pertinent, per agnitionem illius, qui vocavit nos ad gloriã & virtutem.*

Quæ loca, cum conversionem & Fidem nostram asscribant potentiæ Dei, illa autem

tem sit insuperabilis, aperte satis significatur gratiam Dei, quæ illa in nobis efficit, impediri aut superari non posse.

Idem Probatur iis Scripturæ locis, quæ tradunt, veram ac realem efficientiam Dei in conversione hominis, ut Deuter. 30. vers. 6. *Circumcidet Dominus Deus cor tuum, & cor seminis tui ad diligendum Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua ut vivas.* Ier. 31. 33. *Hoc est fœdus meum. Dabo legem meam in interiori eorum & in corde eorum inscribam eam.* vers. 34. *& non docebit ultra, &c.*

Ierem. 32. vers. 39. *Dabo iis cor unum & viam unam ut timeant me omnibus diebus, &c.* vers. 44. *Timorem meum dabo in corde eorum, ut non recedant à me.* Ezech. 36. 26. *Dabo vobis cor novum & spiritum novum dabo in interiori vestro, & amovebo cor lapideum è carne vestra, & dabo vobis cor carneum.* vers. 27. *Spiritum meum dabo in interiori vestro, ut in statutis meis ambuletis, & judicia mea custodiatis & faciatis.* Act. 16. vers. 14. *Cor Lydiæ adaperuit Dominus, ut attenderet ea quæ dicebantur à Paulo.*

Quibus in locis videre est non tantum potentiam quandam adhibere Deum, qua homo converti & Deo obedire posset, si velit; sed simul etiam in mentibus, & cordibus suorum operari & efficere ipsam sui cognitionem, ipsam conversionem, fidem, & obedientiam suorum mandatorum. Quod & Paulus expresse docet. Philipp. 1. vers. 29. *Vobis*, inquit, *gratis datum est, in causa Christi non solum in eum credere, sed etiam pro eo pati.* Hic non tantum possibilitatem credendi, sed & ipsum *τὸ credere, gratiæ Dei asscribit.* Et cap. 2. vers. 13. *Deus*, inquit, *est qui efficit in vobis, & velle & perficere pro beneplacito.* Hic ipsum velle & perficere à Deo effici docet.

Ubi autem ipsa Fides, ipsa conversio, ipsum velle & perficere, à Deo efficitur, fieri non potest, ut hæc ipsius actio, ab hominis, voluntate aut resistentia impediatur. Quod ipsum etiam necessario ex ipsa priore parte Articuli Quarti Remonstrantium concluditur. Nam si gratia Dei est initium progressus, & complementum omnis boni, resistentia certe eam superans & impediens, locum habere non potest. Unde manifestum est, Remonstrantes sibi esse contrarios, non minus hic, quam in præcedentibus Articulis. Eandem enim gratiam statuunt, & efficacem & resistibilem. Fieri autem non potest ut gratia efficax sit resistibilis: & contra, resistibilis gratia sit efficax.

Huc etiam faciunt ea loca Scripturæ, ubi conversio hominis vocatur, *Nova creatio.* Psal. 51. vers. 12. *Cor mundum crea in me Deus.* 2. Corinth. 5. vers. 17. *Qui in Christo est, est nova creatura.* Ephes. 2. vers. 10. *Ipsius sumus factura, &c.* & 4. cap. vers. 24. *Induite novum hominem qui secundum Deum creatus est &c.*

Item *Regeneratio.* Iohann. 3. vers. 3. & 5. *Nisi quis denuo genitus fuerit ex aqua & spiritu, &c.* Iacob. 1. vers. 18. *Is quia voluit, progenuit nos sermone veritatis, &c.* 1. Pet. 1. vers. 23. *Renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili.*

Item, *Resuscitatio* sive *vivificatio*, Iohan. 5. vers. 21. *Sicut Pater excitat mortuos, & vivificat, ita & filius quos vult, vivificat*, Ephes. 2. 5. *Cum per offensas mortui essemus, una vivificavit nos per Christum.* Colloss. 2. vers. 12. *Cum eo resurrexistis per fidem Dei, efficaciter agentis, qui excitavit eum ex mortuis.* vers. 13. *Vosque mortuos in peccatis, & præputio carnis vestræ cum eo vivificavit.*

Quemadmodum enim homo sui *Creationem, generationem*, & ex mortuis *Resuscitationem* impedire non potest, ita etiam hanc sui novam Creationem, regenerationem, resuscitationem ex morte peccati, & vivificationem, id est, conversionem, non potest impedire.

Et sane, si Dei consilium & voluntas spectetur, non potest non irresistibilis esse illa gratiæ divinæ vis, qua secundum beneplacitum suum & voluntatem Deus conversionem hominis operatur. *Consilium enim ipsius non potest fieri irritum.* Psalm. 33. 11. & voluntati eius non potest resisti. Rom. 9. 19.

Contrarium autem statuere, nimirum, homines sine efficacia gratiæ Dei posse sese convertere, vel, Deum omnia foris & intus efficaciter faciendo & eius conversionem intendendo, nihil tamē proficere, si homo non velit, quid aliud quæso est quam consilium Dei reddere irritum, & omnipotentiam Dei hominum malitiæ subjicere, ut hæc illam superet, & sic Deus omnipotens non sit?

Huc accedit quod ea sit humanæ naturæ corruptio (quemadmodum ex iis quæ in tertio Articulo à nobis è Sacris Litteris allegata sunt, manifesto liquet) ut non nisi

viribus

Digitized by Google

viribus humanis longe majori vi, & efficacia, id est, irresistibili divinæ gratiæ operatione tolli aut corrigi possit. Est enim in rebus divinis cæca prorsus & adeo aversa, legi Dei inimica, quæ nil nisi carnale & terrenum sapit, ut omnino vi quadam supernaturali & quæ ipsam longe superat, opus sit, qua ad cælestia & supernaturalia cognoscenda, & quærenda evehatur atque elevetur: alias nunquam corrigenda aut convertenda.

Quapropter falsum est quod Remonstrantes docent, ad stabiliendam illam suam resistibilem gratiam:

Hominem quamvis ex se, suo ingenio, naturalibusque viribus bonum quod in Euangelio revelatur invenire, vel excogitare non possit; tamen cum Euangelium ipsi revelatur, & attente ab ipso auditur, vel legitur, sine ulla interna lucis collustratione omnes Scripturæ sensus ad salutem scitu, creditu, speratu, vel factu necessarios, intelligere posse, adeo ut sola externa Euangelij prædicatio ad fidem ingenerandam sufficiat.

Cum contra verum sit:

Humani ingenij cæcicatem in rebus spiritualibus tantam esse, ut quamvis Euangelium homini prędicetur, tamē absque interna Spiritus S. illuminatione Scripturę sensus, qui ad salutem necessarij sunt, scitu, &c. non possit intelligere, atque adeo externam Euangelij prædicationem ad fidem in homine ingenerandam non sufficere.

Non enim in tenebris tantum versatur homo, sed est ipsæ tenebræ, ut supra ostensum.

Nam quemadmodum qui cæcus est videre non potest, ex eo quod externum solis lumen oculis ipsius circumfulgeat, nisi interna qua destituitur videndi facultas ipsi reddatur: Sic hec homo irregenitus, quem Scriptura sacra cæcum appellat, percipere potest illa quæ ad salutem requiruntur, etiamsi prædicatio Euangelij externe ipsius aures feriat, nisi Spiritus Sanctus sua quadam efficacia mentem ipsius intus collustret.

Unde & illud falsum esse convincitur, quod ijdem asserunt:

Nobilissimum agendi modum in conversione hominis & humanæ naturæ convenientissimum, eum esse, qui fit suasionibus: nihilque obstare, quo minus sola moralis gratia hominem animalem reddat spiritualem: inque eo consistere operationis divinæ efficaciam, qua Sathanæ operationem superat, quod Deus æterna bona, Satan autem temporaria promittat.

Similiter & illud: quod tametsi interdum mentis quandam internam illuminationem, affectuumque purgationem videantur concedere, negent tamen aliquam voluntati bonam qualitatem à Deo infundi, qua ex mala, bona redditur, asserantque, non prius ad actualem hominis conversionem concurrere gratiam, quam ipsa se voluntas movet, aut determinat.

Cum contra ex Scripturis verum esse constet:

Solam moralem gratiam non sufficere ad conversionem hominis, sed aliam longe nobiliorem vim agendi requiri, qua cognitionem, amorem, sensum, gustumque æternorum bonorum, quæ in Euangelio promittuntur, Deus in cordibus electorum accendat.

Eaque non mentem tantum illuminari, affectusque purgari, sed voluntati quoque per eam novas qualitates infundi, quibus ex mala redditur bona, efficaciterque ad Deo fidendum, & obediendum flectitur.

Probationibus hic supersedemus cum hæc omnia & singula S. Scripturæ testimonijs & rationibus supra abunde confirmata sint.

Sed & hoc hic non prætereundum, quod gratiam, quam primam & pręcipuam causam conversionis statuunt, eius tamen solam & unicam negent esse, cui liberi arbitrij concursum ut συναίτιον vel causam partialem adiungunt, atque ita conversionis duas causas partiales, gratiam scilicet & liberum arbitrium faciunt.

Quod itidem ut ἰνπρόδοξον & falsum Noordt-Hollandi repudiant.

Qui contra

Ex Sacra Scriptura didicere; Quamvis arbitrium regeneratum à gratia Dei,

actum agat, gratiam tamen Dei ipsius conversionis non primariam, sed solam; non summam sed unicam, non præcipuam, sed totam causam esse.

Solus enim Deus est, qui cor nostrum circumcidit. Deuter. 30. vers. 6. Solus Deus est, qui legem suam cordibus nostris inscribit. Ierem. 31. vers. 33.

Solus Deus est, qui cor mundum in nobis creat. Psalm. 51. vers. 11. Unius Dei est cor lapideum auferre, & dare cor carneum. Ezech. 36. vers. 26. Dei unius est cor aperire. Actor. 16. vers. 14. Solus & unicus Deus est, qui trahit suos ad filium. Ioan. 6. vers. 44. Totum velle & perficere solus & unus Deus operatur in nobis. Philip. 2. vers. 13. Idem est qui operatur omnia in omnibus. 1. Cor. 12. vers. 6. Omnisque donatio bona & perfecta desuper descendit à Patre luminum. Iac. 1. vers. 17.

Si ergo homo intelligat quæ Dei sunt, Deus is est qui mentem illuminavit. Si spiritualia & cœlestia appetat & desideret, soli Deo ascribendum, qui desiderium illud in eius corde excitavit. Si Deo credat & obtemperet, Deo hoc in solidum tribuendum; unus voluntatem ipsius ad fidem & obedientiam efficaci gratia sui Spiritus inclinavit.

Eiusmodi igitur, cum sit sententia Remonstrantium, de hoc Tertio & Quarto Articulis, quantumvis in speciem, si verba spectes, quam proxime ad ὀρθοδοξίαν possint videri; accedere, judicant Noordt-Hollandi, omnibus, quæ huc facere videntur ad divini verbi Normam in Dei timore examinatis, esse ἑτερόδοξα, falsa, & cum Sacris literis ex diametro pugnantia dogmata, quæ sub horum Articulorum titulo à Remonstrantibus asseruntur: ideoque hæc ut Pelagiana, & Hæretica in Ecclesijs nostris Reformatis minime ferenda, sed ex ijs ut gratiæ & gloriæ Dei summe inimica, fidemque veram subvertentia, omni conatu studioque arcenda, & procul eliminanda.

Examen & Judicium

Zeelandorum,

De Tertio & Quarto Remonstrantium Articulo.

Sententia Orthodoxa.

I.

Etiamsi homo ψυχικὸς & non renatus, tantum retinuerit luminis, quod sufficit ad eundem reddendum ἀναπολόγητον: tamen adeo corruptus & depravatus est in mente, voluntate & affectibus, ut ea quæ sunt Spiritus Dei, ne proposita quidem, eo quo ad salutem necesse est modo, intelligere nedum desiderare, velle, & perficere possit, donec per Spiritum Sanctum regeneretur.

II.

Ad hanc vero regenerationem, requiritur non tantum mentis illuminatio & affectuum correctio: verum etiam ipsius voluntatis, omniumque animæ facultatum per externum verbi ministerium, & per Spiritum in ijs intrinsecus & potenter operantem, immutatio & innovatio.

III.

Quum vero Deus intendit hominis regenerationem & conversionem per Spiritum sanctum operari, etiamsi voluntas ex innata sua pravitate Deo operanti resistat, gratia

gratia tamen regenerans, hanc resistentiam tandem superat, & facit hominem ex nolente volentem. Adeo ut illius arbitrium conversionem à Deo intentam impedire non possit, idque non tantum in illuminanda mente & corrigendis affectibus verum etiam in renovanda voluntate.

Primum nostrum Articulum sic probamus:

Homo ψυχικὸς retinuit tantum luminis quod sufficit ad eundem reddendum *ἀναπολόγητον*.] Probatur. Rom. 1. vers. 18. *Palam est ira Dei è cœlo adversus omnem impietatem & injustitiam hominum, ut qui veritatem injuste detineant*, & vers. 19. *Quoniam id quod de Deo cognosci potest, manifestum est in ipsis: Deus enim ipsis manifestum fecit*. & vers. 20. *Ipsius enim invisibilia dum ex rebus conditis intelliguntur, ex creatione mundi perspiciuntur.* Æterna videlicet eius tum potentia, tum divinitas, ad hoc, ut ipsi sint inexcusabiles. Hinc liquet hominem non renatum, tantum retinuisse luminis, ut ex operibus creationis possit acquirere aliquam cognitionem Dei & veritatis. Quæ licet ad salutem non sit sufficiens, ipsum tamen reddit *ἀναπολόγητον*.

Rom. 2. vers. 14. 15. *Nam cum gentes quæ legem non habent, natura quæ legis sunt faciant, isti legem non habentes, sibi ipsi sunt lex, ut qui ostendant opus legis scriptum in cordibus suis, una testimonium reddente ipsorum conscientia, & cogitationibus sese mutuo accusantibus aut etiam excusantibus.* Ex hoc loco sequitur, homines non renatos, per legem naturæ & propriam conscientiam ita esse instructos, ut retinuerint aliquod discrimen boni & mali, quod etsi lege scripta clarius sit expressum, tamen sufficiat ad illos reddendos inexcusabiles. Ut qui dictamen conscientiæ non sequantur, & (teste Apostolo Rom. 1. vers. 32.) post Dei jura cognita (nempe eos qui talia faciunt dignos esse morte) non solum ea faciunt, sed etiam facientibus patrocinantur. Confer. Rom. 2. vers. 12.

Videatur quoque Actor. 14. vers. 17. & Actor. 17. vers. 27, ubi expresse dicitur, Gentes quas Deus non reliquit absque testimonio suæ providentiæ & benignitatis, ambulasse tamen in vijs suis.

Homo ψυχικὸς corruptus est in mente adeo, ut non possit intelligere ad salutem ea quæ sunt Spiritus Dei, &c.] Probatur. 1. Cor. 2. vers. 14. *Animalis homo non est capax eorum quæ sunt Spiritus Dei: sunt enim ei stultitia, nec potest ea cognoscere quæ spiritualiter dijudicantur.* Rom. 8. vers. 7. *Intelligentia carnis inimicitia est adversus Deum. Legi enim Dei non subjicitur, nam ne potest quidem.* Ephes. 4. vers. 18. *Cogitationem habentes obscuratam & abalienatam à vita Dei propter ignorantiam quæ est in ipsis, & obdurationem cordis eorum.* & cap. 5. vers. 8. *Eratis olim tenebræ.*

Ne proposita quidem.] Probatur. Ies. 53. vers. 1. *Quis credidit prædicationi nostræ, & brachium Iehovæ cui revelatur?* Confer Ioh. 12. vers. 37. & 1. Cor. 1. vers. 23. *Nos prædicamus Christum, crucifixum, Iudæis quidem offendiculum, Græcis vero stultitiam*, & 1. Cor. 3. vers. 15. *Sed ad hunc usque diem cum legitur Moses, velamen cordi eorum impositum est.* & 4. vers. 3. *Si tectum est Euangelium nostrum, ijs qui pereunt tectum est, in quibus Deus huius sæculi excæcavit mentes, nec irradiet eos lumen Euangelij gloriæ Christi.* Ex hisce omnibus patet, ita esse obtenebratam mentem hominis irregeniti, ut ne propositum quidem Dei verbum, eo quoad salutem necesse est modo, intelligere possit.

Corruptus est in voluntate.] Probatur. Gen. 6. vers. 5. *Figmentum cordis hominis, tantummodo malum omni tempore.* Et 8. vers. 21. *Figmentum cordis hominis malum est ab adolescentia eius.* Ierem. 17. vers. 9. *Fraudulentum cor ipsum supra omnia & mortiferum est. Quis cognoscat ipsum?* Matth. 15. vers. 19. *Ex corde egrediuntur cogitationes malæ, cædes, adulteria, scortationes, furta, falsa testimonia, obtrectationes.* Matth. 17. vers. 8. *Non potest arbor putris fructus bonos ferre.* Ephes. 2. vers. 3. *Facientes voluntatem carnis.* Hæc cordis malitia & impuritas, nec non hominis ad bonos fructus ferendos ineptitudo, arguit irrefragabiliter voluntatem hominis ψυχικῶ penitus esse corruptam & depravatam.

Corruptus in affectibus, ut spiritualia desiderare non possit, eo quoad salutem necesse est modo.] Probatur. Ioan. 3. 19. *Hæc est condemnatio, quod lux venit in mundum, sed dilexerunt homines tenebras magis quam lucem: quia ipsorum opera mala sunt.* Rom. 3. vers. 11. *Non est qui exquirat Deum.* Tit. 3. vers. 3. *Eramus quondam & nos amentes, rebelles,*

belles, errantes, servientes cupiditatibus ac voluptatibus varijs,] in malitia & invidia degentes, odiosi, alij alios odio prosequentes.

Denique hæc totius hominis corruptio, & omnium ipsius facultatum depravatio probatur, ex insigni isto loco. Rom. 3. vers. 10. usque ad 19. inter cæteros vers. 12. *Omnes deflexerunt, simul inutiles facti sunt. Non est qui faciat quod bonum est: non est usque ad unum.* Confer. Iohan. 15. vers. 14. 15. 16.

Probatur etiam eadem corruptio sequentibus rationibus.

I.

Quia homo ψυχικὸς, mortuus est in peccatis. Ephes. 2. vers. 1. Coloss. 2. vers. 13.

II.

Quia dicitur servus peccati donec liberatur à Filio. Iohan. 8. vers. 34. 35. 36. Confer. Rom. 6. vers. 5.

III.

Quia est captivus Diaboli. Act. 26. vers. 18. 2. Tim. 2. vers. 26. Coloss. 1. vers. 13.

IV.

Quia cor debet circumcidi, Deut. 30. vers. 6. & cor lapideum auferri. Ezech. 36. vers. 26.

V.

Quia Deus est, qui in nobis efficit velle & perficere pro sua benevolentia. Phil. 2. vers. 13. Unde patet voluntatem hominis in se esse corruptam, eumque omnibus ad bene agendum viribus prorsus esse destitutum.

Donec per Spiritum sanctum regeneretur.] Probatur. Ioh. 3. vers. 3. 5. *Nisi quis fuerit genitus ex aqua & Spiritu, non potest videre regnum Dei nec introire in illud.* Tit. 3. vers. 5. *Servavit nos per lavacrum regenerationis & renovationem Spiritus Sancti.*

Secundum Articulum nostrum ita probamus:

Ad regenerationem hominis requiritur mentis illuminatio.] Probatur. Matth. 11. vers. 25. *Confiteor tibi Pater, quod detexeris ea infantibus.* & vers. 27. *Nemo novit filium nisi Pater, neque Patrem quisquam novit nisi filius, & cuicunque voluerit filius retegere.* Matth. 16. vers. 17. *Quia caro & sanguis hæc non retexit tibi, sed Pater meus qui est in cælis.* Act. 26. vers. 18. *Vt aperias oculos eorum, ut se convertant à tenebris ad lucem.* Eph. 1. vers. 17. 18. *Vt Deus Domini nostri Iesu Christi Pater ille gloriæ det vobis spiritum sapientiæ & revelationis, per agnitionē ipsius, illuminatis oculis mentis vestræ, ut sciatis quæ sit spes illa vocationis ipsius.*

Correctio affectuum.] Probatur. Rom. 8. vers. 5. *Qui secundum carnem sunt, quæ carnis sunt sapiunt. Qui vero secundum spiritum, quæ sunt spiritus.* Eph. 4. vers. 22. *Deponere quod ad pristinam conversationem attinet, veterem illum hominem qui deceptricibus cupiditatibus corrumpitur.* Gal. 5. 24. *Qui sunt Christi, carnem crucifixerunt cum affectibus & concupiscentijs.*

Voluntatis immutatio.] Probat. Phil. 2. vers. 13. *Est Deus qui in vobis operatur & velle & perficere pro sua benevolentia.* Ezec. 36. vers. 26. *Et dabo vobis cor novum & spiritum novum ponam in medio vestri.* Ioh. 6. vers. 44. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum.*

Renovatio omnium animæ facultatum.] Probat. 2. Cor. 5. vers. 17. *Si quis igitur in Christo, nova creatura est. Vetera præterierunt, ecce nova facta sunt omnia.* Huc pertinent illa loca quæ regenerationem vocant novam creationem, & regenitum, novum hominem.

Per æternum verbi ministerium & per spiritum.) Probatur. Esai. 59. vers. 21. *Hoc erit fædus meum cum istis ait Iehovah, spiritus meus qui est in te, & verba mea quæ posui in ore tuo, non recedent ex ore tuo, nec ex ore seminis tui, ex hoc tempore usque in sæculum.* Confer. 2. Cor. 3. vers. 3. 6. 1. Pet. 1. vers. 23. Iacob. 1. vers. 18.

Per Spiritum in ijs intrinsecus & potenter operantem.] Probatur. Ezec. 36. vers. 21. *Ponam spiritum meum in medio vestri.* Ierem. 31. vers. 33. *Indam legem meam menti eorum,*

Digitized by Google

eorum, & cordi eorum inscribam eam. Ioh. 6. vers. 45. *Est scriptum in Prophetis, & erunt omnes docti à Deo. Quisquis audivit à Patre & didicit, venit ad me, &c.* Actor. 16. vers. 14. dicitur de Lydia, quod Dominus adaperuit cor eius, ut attenderet ijs quæ dicebantur à Paulo. 1. Cor. 3. vers. 7. *Itaque neque is qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed Deus qui dat incrementum.* 2. Cor. 3. vers. 3. *Estis Epistola Christi subministrata à nobis, inscripta, non atramento, sed spiritu Dei vivi: non in tabulis lapidei, sed in carneis tabulis cordis.*

Tertium Articulum nostrum sic probamus,

Gratia regenerans resistentiam tandem superat.] Probatur. Isai. 55. vers. 11. *Sic est verbum meum quod egressum fuerit ex ore meo: non revertetur ad me vacuum, sed faciet, id quo delector, & prosperabitur id quod emisero:* Hinc sequitur id quod Deus intendit operari per verbum, effectum suum sortiri. Atqui intendit conversionem eorum qui ex proposito vocantur. Ergo, &c. Ierem. 31. vers. 8. *Converte me & convertar.* Deuteronom. 30. vers. 6. *Circumcidet Iehova Deus tuus cor tuum, & cor seminis tui ad diligendum, Iehovam Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, ut vivas.* Ezech. 36. vers. 27. *Spiritum meum ponam in medio vestri: quo faciam ut in statutis meis ambuletis, & jura mea observetis, facientes ea.* Ioh. 6. vers. 45. *Quisquis audivit à Patre & didicit, venit ad me, &c.* Eph. 1. vers. 19. *Et quæ sit excellens illa magnitudo potentiæ ipsius in nobis qui credimus pro efficacitate fortis roboris ipsius.* Coloss. 2. vers. 12. *Consepulti per baptismum cum eo per quem etiam cum eo resurrexistis, per fidem Dei efficaciter agentis, qui excitavit eum à mortuis.* 2. Thes. 1. vers. 11. *Vt compleat omnem suæ bonitatis gratuitam benevolentiam, & opus fidei potenter.* Phil. 2. vers. 13. *Nam Deus est qui in vobis operatur, & perficere & velle, pro bona sua voluntate.* 2. Pet. 1. vers. 13. *Vtpote cum divina vis ipsius omnia nobis donarit, quæ ad vitam & pietatem pertinent per agnitionem illius qui nos vocavit ad gloriam ac virtutem*, Confer. 1. vers. 16. & 1. Cor. 1. vers. 18. & 24.

Hæc potens & irresistibilis Dei operatio, etiam probatur ex hisce sacræ Scripturæ phrasibus, quando hominis conversio vocatur nova creatio, vivificatio, & excitatio à mortuis.

Denique probatur hoc argumento:

Si vis gratiæ generantis, ab hominis arbitrio possit reddi irrita, ergo eiusdem gratiæ efficacitas pendet ab hominis recto usu. Sed falsum est consequens. Ergo, & antecedens. Minor probatur. Ioh. 1. vers. 13. *Qui non ex sanguine nec ex voluntate carnis, nec ex voluntate viri, sed ex Deo geniti sunt.* Et cap. 3. vers. 6. *Quod genitum est ex carne, caro est: & quod genitum est ex spiritu, spiritus est.* Rom. 2. vers. 29. *Circumcisio cordis est in spiritu non in litera: cujus laus non est ex hominibus, sed ex Deo.* 1. Cor. 4. vers. 7. *Quis te decernit? quid habes quod non acceperis? Quod si accepisti, quid gloriaris ac si non acceperis?* Idem sequitur in corruptione hominis supra probata.

Sententia Heterodoxa.

Iudicamus igitur errare Remonstrantes, cum dicunt, Deum interdum hanc vel illam gentem, civitatem, personam, Euangelij revelatione præ alijs dignari quam ipse dignam pronuntiat; non quidem ex propriæ sanctitatis dignitate aliqua sed ex gratiosa sua æstimatione, qua per naturalem legis suæ notitiam, & meliorem gratiæ communis usum correctos nonnihil, idoneos judicat, quos ulteriore gratia, idque ex beneplacito suo donet, ijsque anteferat, quos vel gratiæ semel oblatæ contemptores fuisse improbos, vel horrendis alioquin sceleribus mancipatos deditosque comperit, *Respons. ad VValachr. pag. 44. & 45. Primæ editionis.* Et quæ huc referunt exempla Apostolorum, qui propter bonum usum luminis naturæ acceperunt cognitionem mysteriorum regni cœlorum, juxta illud Euangelij (quod huc trahunt) *habenti dabitur:* etiam exempla Cornelij, Lydiæ, Iusti, & aliorum, quos propterea putant fide donatos quia ante fidem erant religiosi & Deum timentes. Ideoque etiam aperte profitentur *Resp. ad VValach. pag. 61. Edit. prim. Verisimilius* sibi videri, fore, ut ijs, qui veritatem in injustitia non detinent, sed Deum uti cognoscunt, glorificant, Euangelij doctrinam extraordinaria ratione revelet Deus, quam ut citra Christi cognitionem illos salutem adipisci, aut secundum donorum quæ accepere modulum agentes, condemnare credant.

Errant

Errant item Remonſtrantes, cum dicunt *Coll. Hag. Belg. p.* 250. Dona ſpiritualia à voluntate hominis per mortem ſpiritualem non eſſe ſeparata, quippe quæ nunquam fuerint in ea :· ſtatuunt enim (ut videre eſt *Reſp. ad VValach. pag.* 25.) in ſtatu hominis ante lapſum, infuſionem habituum in intellectum & affectus locum habere potuiſſe, in voluntatem minime.

Similiter, cum homini ante fidem & regenerationem tribuunt dolorem de peccato commiſſo, expetitionem gratiæ ſalutaris, & ſpiritus renovationis, Theſib. exhib. 3. Item mortem ſpiritualem agnoſcere, deplorare, poſtulare & petere liberationem ex ea, eſurire, ſitire, & quærere vitam. Quę omnia & amplius à Chriſto requiruntur in vivificandis & regenerandis. *Collat. Hag. Brand. p.* 302. Quibus evidenter aſtipulatur Epiſcopius Theſibus publicis de pœnitentia | 1. cum dicit pœnitentiam quæ fidem antecedit, eſſe actionem peccatoris, qua ita mutatur ac convertitur, ut pigeat ipſum errati ſui, & propterea dolore ac triſtitia affectus, liberatorem deſideret, propoſitum & tentamen vitæ in melius commutandæ concipiat atque elaboret.

Iudicamus itaque, turpiter errare Remonſtrantes, qui infuſiones habituum, cum in voluntatem, tum in intellectum & affectus, repugnare dicunt adminiſtrationi mediorum, quibus Deus in homine novam vitam vult operari, ſi ſpectes ordinariam converſionem, *Reſp. ad VValachr. pag.* 55. Item cum dicunt, vivificationem voluntatis; proprie ſitam eſſe in illuminatione mentis & correctione affectuum, cujus vi voluntas potens redditur ad innatam nolendi & volendi facultatem in actum producendum *Coll. Hag. Belg.* 253. Et *Brand.* 300. velut explicant *Reſp. ad VValachros pag.* 55. voluntatem habitibus virtutum, ſed per gratiam comparatis informari, iiſque perfici & ad operationes ſuas expeditiorem reddi.

Item cum dicunt, nullo modo cum ratione fœderis poſſe conſiſtere, ſi Deus in eo promittat, ſe effecturum in fœderatis, id quod fœdere veteri poſtulat, & ſimul in novo præſcribit atque exigit. In quo tamen nos judicamus fœderis novi eſſentiam poſitam eſſe, juxta Ierem. 31. Ezech. 11. & 38. Vide Epiſcopij Theſes privatas Diſp. 12. Theſ. 2. pag. 34.

Errant quoque Remonſtrantes, cum gratiam, qua dicunt ſpiritum aſſiſtere verbi prædicationi, opponunt gratiæ habituali & infuſæ, quam expreſſe negant, & nos imaginari dicunt. Iohan. Arnold. contra Tilenum, pag. 437. & 438.

Errant ſimiliter Remonſtrantes, cum dicunt, Deum nullius converſionem abſolute vel præciſe intendere· Ioh. Arnold. contra Bogerm. pag. 263. cui ſententiæ errorem ſuum de reſiſtibilitate gratiæ regenerantis ſuperſtruunt, Collat. Belg. p. 191. & Brand. 226. & 227.

Item cum per gratiam regenerantem proprie intelligunt gratiam moralem, quæ operatur mandando, exhortando, ſuadendo, promittendo, comminando, in eaque putant modum nobiliſſimum in homine operandi conſiſtere, nec conveniens videri humanæ naturæ (ſalvis eius proprietatibus) alio modo operari. Coll. Belg. 260. & Brand. 311. quod Grevinch. clarius explicat adverſus Amezium pag. 297. hiſce verbis. Quid enim obſtat quo minus vel ſola gratia moralis iſtos ψυχικοὺς ſpirituales reddat?

Item, cum negant Deum eas omnipotentiæ ſuæ vires in converſione hominis ordinaria per verbum explicare, quibus voluntatem ad actionem neceſſario & irreſiſtibiliter determinet, ut non poſſit illa actum ſuſpendere aut contrarium producere, Reſp. ad Walach. p. 68. Grevinch. contra Ameſ. pag. 294. & in Coll. Hag. paſſim. Denique adverſus Dei gratiam injurij ſunt, cum converſionem hominis à poteſtate liberi arbitrij ipſius ſuſpendunt. Ut liquet ex Corvino contra Bogerman. p. 263. cum aſſerit: poſitis omnibus operationibus, quibus ad converſionem in nobis efficiendam Deus utitur, manere tamen ipſam ita in noſtra poteſtate, ut poſſimus non converti. Et contra Tilen. pag. 337. hanc affirmat eſſe Arminij ſententiam: gratiam non ita inſtruere hominem novis viribus, quin ſemper maneat in hominis voluntate, ijs uti vel non uti.

Item Grevinch. contra Ameſ. pag. 211. Qui ſtatuit gratiam & liberum arbitrium, ut cauſas partiales ad converſionem hominis concurrere, adeo ut arbitrio hominis tanquam cauſæ partiali hæc duo ſint propria. 1. Quod agat & actum ſuum effective producat. 2. Quod ſeipſum determinet ad agendum. Quod quid aliud eſt, quam

quam præcipuas conversionis partes hominis arbitrio tribuere. Idem alibi sic se declarat: auxilium efficax esse concomitans seu cooperans arbitrio nostro simul operanti, quæ autem simul operantur, eorum alterum non influit altero prius pag. 264. Quod Remonstrantes in Coll. Hag. aperte etiam profitentur, cum ad cordis apertionem, hominis cooperationem potissimum dicunt requiri. Belg. pag. 265. & Brand. 292.

IVDICIVM VLTRAIECTENSIVM,

De tertio & quarto Artic. Remonstrantium.

Theses Heterodoxæ ex III. & IV. Remonstr. Articulo, & explicatione super utroque Articulo in eorundem scriptis librisq; editis expressa decerptæ, quibus Orthodoxæ cum S. Scriptura consentientes antitheses ex adverso opponuntur.

Theses Heterodoxæ.

I.

DEus vult omnibus hominibus Euangelii præconio gratiam offerri: a] imo eis nationibus quæ ordinario Euangelii præconio destituuntur bona illa, quæ Euangelio offeruntur, æque manent exposita, atque illis, quæ Euangelicæ prædicationis privilegio fruuntur. b]

a] Joh. Arnold. contra Til. pag. 105. lin. 4. & sequ.

b] Idem ibidem pag. 105. in fine, & pag. 106.

Antitheses Orthodoxæ.

I.

DEus non omnibus hominibus Euangelii præconio gratiã vult offerri, a] quæque ordinario Euangelii præconio destituuntur nationes, illis bona, quæ Euangelio offeruntur, non æque sunt exposita atq; illis quæ Euangelicæ prædicationis privilegio fruuntur. b]

a] Psalm. 147. 19. 20. *Annuntiat verbum suum Iacobo, & statuta sua Israeli. Non sic fecit ulli genti.*

Act. 17. 30. *Temporibus ignorantiæ dissimulatis nunc annuntiat omnibus ut resipiscant.*

Actor. 16. 6. 7. *Prohibiti sunt à Spiritu S. loqui sermonem in Asia. Tentabant ire in Bithymiam, sed non permisit spiritus.*

b] Eph. 2. 12. *Mementote vos olim fuisse absque Christo: abalienatos à Republ. Israelis: extraneos à pactis promissionis: spem non habentes, Dei expertes in mundo.*

II.

Etsi Deus non dat omnibus hominibus omni tempore, omnia ad fidem necessaria media a]: nec ea quæ dat ex æquo, & pari mensura dat b]: tamen omnibus & singulis universe, c] sufficienter & efficaciter media illa administrat d.] Imo vero plura e:] adeoque omnia, modo ipsi sibi non obsint, administrare & conferre paratus est. f]

a] Ioh. Arm. contr. Til. p. 370. lin. 10.
b] Idem ibidem lin. 2. & 3.
c] Idem ibidem pag. 366. lin. 5. & seq.
d] Ibidem pag. 366. lin. 2. & 7. & pag. 372. lin. 28.
e] Ibidem pag. 367. lin. 7.
f] Ibidem pag. 372. lin. 13. & 31. & sequ.

II.

Deus universe omnibus & singulis sufficienter & efficaciter media ad fidem necessaria non administrat, nec omnibus & singulis ea, multo minus omnia, administrare paratus est. a]

a] *Vide loca allegata* Psal. 147. Psal. 19. 20. & Actor. 17. 30.

Rom. 10. 14. *Quomodo credent ei de quo non.* &c.

Esa. 53. 1. *Quis credit auditui nostro? cui brachium Domini relevatum est?*

Quibuscunq; sufficiẽter & efficaciter media at fidem necessaria administrantur, iis etiam administratur verbũ Euangelii. Atqui non omnibus universe administratũ est, nec administratur etiamnum verbum Evangelii, Ergo. Maior patet ex dict. Rom. 10. 14. Minorem probat experiẽtia & locus Psaltis. Ps. 147. 19. 20.

III.

Quilibet homo ratione prædîtus a] Scripturam S. ubi eam attente, & cum judicio legit b] naturali intellectus sui vi c] etiam non accedente ullo supernaturali lumine superinfuso d] quæ sit Scripturæ S. verborum (quibus quæ ad salutem creditu necessaria sunt enunciantur) sententia, itemque quod sint necessaria e] in omni statu, non modo facile f] apprehendere intellectu & percipere g] sed etiam ea intellectu approbare, sive bene de iis judicare potest.

a] Episcop. thes. pub. de persp. sacræ Scripturæ thesi I. & thesib. priv. de perspic. S. Scripturæ, thesi I. & III.

b] Ibidem thesi. priv. thesi. 7.

c] Ibidem thesi 3.

d] Ibidem thesi. 3.

e] Ibidem thesi 1. & 3.

f] Ibidem thesi 3.

g] Ibidem thesi 3.

f] Idem Episc. thesib. publicis supra citatis.

Nam non agi ibidem de simplici tantum terminorum intellectione, sed & approbatione, & quidem præcipue, manifestum est. Præiudicium enim, malitia, & cætera quibus tanquam obstaculis intellectum impediri Episcopius affirmat, eiusmodi sunt, ut approbationem intellectus, non autem simplicem terminorum perceptionem remorétur. Legat enim pessimus improbissimusque aliquis homo propositiones has in sacra Scriptura: Iesus Christus est verus Deus, & Dei Filius: item Iesus est natus de Virgine, etsi præiudicio, affectibusque vehementer sit abreptus, id tamen non efficiet, quo minus rectum illorum terminorum sensum intelligat: sed hoc efficient isti affectus, ut sensum istum terminis illis & propositionibus contentum, intellectu non approbet.

III.

Quilibet homo ratione prædîtus, attente & cum judicio S. Scripturam legens, in omni statu naturali, intellectus sui vi, non accedente ullo supernaturali lumine superinfuso, quæ sit S. Scripturæ verborum (quibus quæ ad salutem creditu sunt necessaria enunciantur) sententia, itemque quod sint necessaria apprehendere, a) aut jam perceptam sententiam judicio intellectus approbare, sive bene de eis judicare, non potest. b)

a) Manifestum est exemplo Nicodemi, Ioh. 3. Discipulorum Christi. Luc. 24. quibus Christus dicitur aperuisse mentem, ut intelligerent Scripturas. Et Eunuchi Act. 8. qui rogatus an intelligeret quod legebat, se non posse affirmabat, &c.

Matth. 16. 17. *Caro & sanguis non revelavit tibi.*

2. Cor. 3. 5. *Non sumus idonei ex nobis ipsis, ad cogitandum quicquam boni*, &c. *sed quod idonei sumus ex Deo est.*

b) 1. Cor. 1. 21. *Prædicamus vobis Christum, gentibus stultitiam Iudæis offendiculum.*

1. Cor. 2. 14. *Animalis homo non percipit quæ sunt Spiritus S. sunt enim ei stultitia. Nec potest quidem, quia spiritualiter* &c.

1. Cor. 12. 3. *Nemo potest Iesum dicere Dominum, nisi per spiritum.*

Iohan. 1. 5. *Lux lucet in tenebris: at tenebræ eam non apprehenderunt.*

IV.

Homo in statu defectionis & peccati necesse habet, ut in intellectu suo, à Deo in Christo per Spiritum sanctum regeneretur ad salutare bonum recte intelligendum a]. Vt autem in intellectu suo regeneretur, sive illuminetur, sufficit ei revelatio per Scripturam

IV.

Homo in statu corruptionis naturæ, per Adæ & Evæ lapsum contractæ, necesse habet, ad salutare bonum recte intelligendum, ut à Deo per Spiritum sanctum spiritualiter illuminetur. Vt autem sic illuminetur aut regeneretur, non sufficit externa illa revelatio per S. Scriptu-

aut prædicatum verbum. Nam necesse non est, ut ad illam revelationem peculiaris aliqua Spiritus S. operatio, aut lumen supernaturale accedat aut superinfundatur *b*). Ante revelationem hanc intellectus erat cœcus, spirituale bonum in S. Scriptura monstratum non poterat invenire aut excogitare *c*). At posita illa revelatione, intellectus omnium quibus ea contingit, puta, in quibus rationis dictamen non omnino est obliteratum *d*) irresistibiliter illuminatur: quando quidem intellectus simplicem notitiam evitare non potest *e*).

a) Articulo Remonstr.3. & thesib. exhib.1.

b) Episc. thesib. de perspic. S. Script. priv. thesi 3. & disp. priv.46. Corol.

c) Idem thesib. priv. de perspic. Scripturæ thesi 2.

d) Idem thesib.pub. de persp. Script. thesi 3.

e) Collat. Belg. pag. 230. sub finem. Bertii pag. 256.

sacram Scripturam aut prædicatum verbum *a*) sed necesse est, ut ad eam peculiaris Spiritus S. operatio *b*) ab ipsa verbi operatione distincta accedat, sive lumen supernaturale superinfundatur *c*). Nisi enim ad eam, quæ verbo propria est, operationē, Spiritus operatio à Deo adjungatur, hominis non renati intellectus, etsi litteralem sacræ Scripturæ, aut prædicati verbi sensum apprehendat, non illuminabitur, sed cœcus, imo tenebræ, manebit.

a) Exemplo sunt Iudæi, Pharisæi, &c. & qui Scripturam legebant, Christum audiebant, nec tamen intelligebant. Iohan. 6. & alibi. *Lux lucebat quidem in tenebris, at tenebræ eam non apprehendent.* Ioh.1.5.

b) Esa.59.21. verbo cōjungitur spiritus. Ioan.3.3.5. *Nisi quis genitus sit ex aqua & spiritu.* &c.

c) Nec qui plantat nec qui rigat est aliquid, sed Deus qui dat incrementum.

d) Evincunt id preces sanctorum, lectioni S. Scripturæ, & auditioni prædicationis studiose incumbētium. Psal.119. *Illumina oculos* &c. Ephes.1.17.18. Si sanctis ipsis, ad intelligēdum recte verbum, spiritus illuminatione opus est, qui jam lux sunt in domino, quanto magis præter verbi revelationem, non regenitis, illuminatione mentis opus est, qui sunt nil nisi tenebræ. Ioh.1.

Rejectio.

Nos vero quomodo primum huius theseos membrum cum thesi antecedente possit conciliari, minime videmus. Si enim homo ratione præditus, in omni statu naturali, intellectus vi, sine ullo lumine supernaturali superfuso, verum S. Scripturæ sensum percipere potest, poterit etiam in statu defectionis. Quorsum igitur necessaria est regeneratio intellectus. Finis eius non potest esse, ut homini conferatur potentia percipiendi recte sensus Scripturæ S. Eam enim jam ante intellectus naturali sua vi habet. Aut ergo antecedens thesis aut hæc falsa est. Aut aliud quid Remonstrantibus est regeneratio.

Præterea in fine theseos huius dicitur, quod posita illa revelatione, intellectus irresistibiliter illuminetur, simplicem enim notitiam non posse evitari. Certe si hæc est irresistibilis illuminatio, erit etiam irresistibilis obscuratio, quando intellectui proponitur falsum, quod absurdum est. Si vere fideli proponatur hæc falsa propositio: Christus non est verus Deus, aut Christus non est natus de Virgine; etsi intellectus eius sensum horum terminorum recte percipiat, notitiamque eam non possit vitare, hinc tamen non efficitur intellectum irresistibiliter obscurari. Intellectus ergo illuminatio, est aliud quid quam perceptio, aut apprehensio terminorum in Scriptura S. propositorum.

Hanc autem irresistibilitatem illuminationis intellectus, videntur nobis alibi negare. Collat. Belg. 268. Bertii, pag.300.

V.

Homo qui est in statu peccati, antequam à Deo per Spiritum S. in suo intellectu regeneretur, mortem suam spiritualem & impotentiam cognoscere potest *a*). Intelligentia hominis non regeniti nec est *b*) nec esse potest *c*) inimicitia adversus Deum.

V.

Homo non regenitus aut mortuus in peccato, antequā à Deo per Spiritum S. in suo intellectu regeneretur, impotentiam suam, mortemque spiritualem cognoscere non potest *a*) estq; intelligentia hominis carnalis aut non regeniti inimicitia adversus Deum. *b*)

a) Collat. Belg. pag. 254. Bertii pag. 283. Ioh. Arnold. contra Til. pag. 406. in fine.

b) Propriore Declarat. Belg. pag. 84. in medio.

c) Ibidem.

a) Luc. 19. 42. *O si tu nosses, quæ ad pacem tuam pertinent.* Iohan. 9. 40. *Si cæci essetis non haberetis peccatum: nunc vero dicitis videmus. Ideo manet peccatum.*

Eph. 4. 18. *Habentes mentem tenebris obscuratam, & abalienati à vita Dei propter ignorantiam,* &c.

Tit. 3. 3. *Eramus & nos quondam amentes.*

b) Rom. 8. 7. *Intelligentia aut prudentia carnis, inimicitia est adversus Deum. Legi enim Dei non subiicitur, ac ne potest quidem.*

VI.

Cor & affectus hominis in statu defectionis & peccati, non adeo sunt corrupti, quin priusquam homo vivificetur, gratiam Dei salutarem esurire, novam vitam sitire, desiderare liberationem è peccato, & Spiritus S. assistentiam, sive spiritum renovationis, expetere possit.

Collat. Belg. pag. 254. Bert. 283.

Iohan. Arnold. contra Til. pag. 406. in fine.

Thesibus exhibit. de tertio & quarto Articulo thesi 3.

VI.

Cor & affectus hominis non regeniti, plane sunt corrupti. *a)* Ita ut ante regenerationem, Dei salutarem gratiam novamque vitam esurire *b)* liberationem è peccato desiderare *c)* & spiritum renovationis expetere non possit. *d)*

a) Ezech. 11. 19. & 36. 26.

Ieremias 17. 9. *Pravum est cor hominis.*

Matth. 15. 19. *De corde exeunt prava cogitationes,* &c.

Deut. 29. 3. 4. *Deus non dedit tibi cor ad intelligendum,* &c.

b) Luc. 19. 42. Ioh. 9. 40. ante citatus.

c) Matth. 9. *Sani non opus habent* &c. *Non veni vocare iustos.*

d) Ioh. 14. 17. *Mundus non potest spiritum accipere, quia non novit eum.*

VII.

Voluntas hominis in statu peccati per tenebras intellectus, & affectuum inordinationem est mortua, ineptaque ad supernaturale bonum eligendum, aut volendum: nec habet ante vocationem, potentiam aut vires, libertatemque, illud bonum volendi. *a)* At ubi vocatione intellectus illuminatur, & cor pulsatur (id autem fit in omnibus qui per verbum vocantur) tum voluntati vires à Deo conferuntur bonum supernaturale volendi atque eligendi. *b)* Atque in eo propriæ vivificatio voluntatis consistit. *c)*

a) Thesi 4. exhibita.

b) Ibidem. Et collat. Belg. 252. Bertii 281.

c) Collat. Belg. 252. Bertii 281.

VII.

Voluntas hominis in statu corruptionis, non modo per tenebras intellectus & affectuum ataxiam, sed etiam per inhærentem sibi perversitatem mortua est, ineptaque ad supernaturale bonum volendum aut eligendum. *a)* In isto autem statu non modo ante externam vocationem, sed etiam ea posita, nec potentiam nec libertatem habet supernaturale bonum volendi. *b)* Imo vero voluntas in eo statu est mancipium sathanæ, peccati, & carnis: nec nisi malum in eo eligere atque velle potest. *c)*

a) Genes. 6. 3. *Non disceptabit spiritus meus cum homine, eo quod caro est.*

Genes. 6. 5. & 8. 21. *omne figmentum* &c.

Psalm. 81. 14. *Utinam populus obtemperaret.*

Proverb. 1. 24. *Vocavi & renuistis.*

Ioan. 10. 26. *Vos non creditis, quia non estis de ovibus meis.*

Ioh. 5. 24. Eph. 2. 1. 5. Colos. 2. 13.

Ioh. 12. 39. *Non poterant credere.* &c.

Ioh. 6.

Iohan.6. 44. *Nemo potest ad me venire, nisi Pater traxerit eum.*

Matth.7.8. *Non potest arbor mala, bonos fructus ferre.*

Matth.12.34. Ierem.13.4. *Si potest Aethiops pellem mutare,*&c.

Philip. 2. 13. *Deus efficit in vobis velle & perficere.*

b) Esa. 53. 1. *Quis credit auditui nostro?* Ioh.12.37. 38.39.

Iohan.6.64.65. *Sunt quidam è vobis, qui non credunt, propterea dixi vobis, nemo potest ad me venire.*

c) Eph.2. 2. *Ambulastis, aut versati estis, in peccatis secundum principem aeris,* &c.

Ioh.8. *Qui facit peccatũ, servus est peccati.*

Rom.6.20. *Cum servi essetis peccati, eratis liberi justitiæ.*

Eph.2.3. *Facientis voluntatem carnis.*

VIII.

Vt homo vere ad Deum convertatur, & in Christum vere credat, necesse est, ut etiam voluntate regeneretur & vivificetur *a)* ad illam autem voluntatis vivificationem, non est necesse, ut voluntati spiritualia ulla dona restituantur. *b)* Illa enim voluntati in prima creatione non sunt collata; nec per lapsum amissa *c)* proinde non est necesse ea voluntati restitui *d)*.

a) Actor.3. & thesib. exhib.1.
b) Contra Walach. pag. 56.
c) Collat. Belg. pag.250.
d) Ibidem.

VIII.

Vt homo ad Deum convertatur, & vere in Christum credat, necesse est, ut etiam voluntate regeneretur & vivificetur. Ad vivificationem autem voluntatis, necesse est, ut voluntati à Deo spiritualia dona restituantur, utq; Deus sublata perversitate *a)* duritia, & rebellione ipsi inhærente, in eam indat aut infundat sanctitatem, *b)* efficiatque, ut bonum actu velit, credat, & convertatur *c)*. Sicut enim Deus spiritualia dona in creatione prima in voluntatem hominis contulit: *d)* eaque per lapsum amisit *e)* ita etiam per regenerationem ea instaurari necesse est *f)*

a) Ezech.11.19. & 36.26. *Auferam cor lapideum,*&c.

b) Ibidem, *Dabo eis cor carneum, Spiritum meum dabo in medio vestri, efficiamque ut in præceptis meis ambuletis.*

Ierem.31.33. *Inscribam legem meam in corde eorum.*

c) Ibidem Ezech.36. 26.

Philip. 2. 13. *Deus efficit in vobis velle & perficere.*

d) Genes.1.26. 27. *Creavit Deus hominem ad imaginem Dei.*

Ephes.4. 24. *Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est ad justitiam & sanctimoniam veritatis.*

e) Genes.5.3. *Genuit Adam filium* (filios & filias vers. 4.) *ad imaginem suam.* Gen.6. & 8. *omne figmentum* &c. Ps.51.7. Eph.2.3.

f) Ephes.4.24. supra Psal.51.12. *Cor mundum crea in me Domine.*

IX.

Quando Deus voluntatem hominis in statu defectionis per spiritum regenerare vult, voluntas eam regenerationem impedire potest, & sæpe numero impedit *a)* Deus enim conversionem & fidem omnipotente sua virtute non operatur, nec vult operari: *b)* sed regeneratio inchoatur ab opere eiusmodi quod Deus homini præcipit facere. Quod cum facit homo paulatim regeneratur *c)*

a) Collat. Hag. pag. 252. & 191. & 266. & 231.

Bertii pag. 282. lin. 10. & 215. lin. 6. & & 298. lin. 9. & 257. lin. 4. & 300.

b) Collat. Belg. 260. Bertii. 291. lin. 7.

c) Collat. Belg. pag. 253. circa finem. Bertii 283. lin. 7.

IX.

Quando Deus voluntatem hominis non renati, aut in peccatis mortui vult regenerare per verbum & Spiritum S. voluntas illam Dei regenerantis operationem impedire non potest. *a)* Deus enim illam regenerationem omnipotente sua virtute operatur, qua resistentiam rebellionemque, quæ ab hominis corruptione naturali profectura erat, longe exsuperat. *b)* non quod voluntatem Deus ad regenerationem, conversionem & fidem cogat invitam (id enim non conversio, sed eversio esset voluntatis.) sed ex nolente, potenti & gratiosa sua operatione, volentem reddit, ut non modo possit convertere se & credere, sed & actu se convertat & credat: *c)* Etsi autem Deus fidem conversionemque præcipiat, non tamen illa in homine ab opere quod homo facit, sed à Dei in homine opere inchoatur *d)*

a) Iohan. 3. *Spiritus ubi vult, spirat.*

Psalm. 115. 1. *Quidquid voluit Deus, fecit.*

Ephes. 1. 19. Confer Act. 2. 24. *Dolores mortis non poterant Christum tenere, cum eum è morte excitaret Pater. Ita nec voluntas vivificationem impedire, eadem enim est Dei potentia, in Christo è corporali, & nobis è spirituali morte vivificandis.*

b) Ibidem, & Coloss. 2. 12. *Quæ sit supereminens magnitudo potentiæ eius in nobis qui credimus pro efficacitate roboris virtutis ipsius quam exeruit in Christo,* &c.

Et 2. Thess. 2. 11. *Impleat opus fidei potenter.*

c) Philip. 2. 13. *Deus efficit in vobis velle,* &c.

d) Philip. 1. 6. *Qui cœpit in vobis bonum opus, perficiet.*

X.

Positis omnibus operationibus quibus ad efficiendam conversionem, & fidem Deus utitur, manet tamen in humanæ voluntatis potestate, credere vel non credere, converti vel non converti.

Ioh. Arnold. contra Bogerm. pag. 363. & contra Til. pag. 337.

X.

Positis omnibus operationibus quibus ad efficiendam conversionem & fidem Deus utitur, non manet in hominis potestate credere vel non credere, sed conversio & fides infallibiliter & necessario subsequuntur.

Esa. 55. 11. *Verbum meum, quod egredietur de ore meo, non revertitur ad me vacuum, sed facit quod volo.*

Ezech. 36. 27. *Spiritum meum dabo, efficiamq; ut in præceptis meis ambulent.*

Iohan. 6. *Omnis qui audivit à Patre & didicit, venit ad me.*

XI.

Ad fidē & conversionem efficiendam, non sola agit Dei gratia: sed & voluntas humana, gratiæ ut causa cooperatur, etsi non ex sese, sed vi gratiæ.

Collat. Belg. pag. 229. ab initio.
Bert. pag. 254. post medium.

XI.

Ad fidem & conversionem efficiendam, sola agit gratia. Voluntas hominis ad eam non cooperatur. In regenerationis enim principio, ut subjectum sese habet voluntas, in quod agit gratia, non ut causa.

Rom. 9.

Rom. 9. 16. *Non est volentis nec currentis, sed miserentis Dei.*

1. Corinth. 4. 7. *Quis est qui te discernit?*

Ephes. 2. 4. 5. 8. *Deus qui dives est*, misericordia, propter multam charitatem *qua dilexit nos, etiam cum mortui essemus in offensis, nos una vivificavit cum Christo, cuius gratia servati estis fidem, & hoc non ex vobis, Dei donum est.*

Ultrajectinorum fratrum de Thesibus antegressis, eisdemque oppositis Antithesibus judicium.

Theses has S. Scripturæ contrarias, gloriosæ Dei gratiæ inimicas, & ad vires liberi arbitrij aut naturæ extollendas, gloriationem denique hominis in se ipso stabiliendam, natas ac factas esse judicamus; ac proinde doctrinam aut sententiam eis contentam, minime in Ecclesia Dei tolerandam. Antitheses autem eis oppositas, veras, Scripturæ S. consentaneas, ad vires hominis deprimendas, gratiamque Dei extollendam accommodatissimas esse: ac proinde, doctrinam eis comprehensam in Ecclesijs porro constanter retinendam, statuimus.

Judicium Deputatorum

ECCLESIARVM FRISICARVM

De Tertio & Quarto Articulo.

SEquuntur iam Tertius & Quartus Articulus: qui quidem in Collatione Hagiensi conjunguntur. Videntur tamen non incommode sic etiam distingui posse: ut *tertius* dicatur agere de hominis corrupti ineptitudine vel impotentia ad verum bonum; hoc est, de corruptione hominis, quæ & quanta illa sit: *quartus* vero de conversione hominis corrupti, vel ut Remonstrantes volunt, de modo conversionis, sitne resistibilis an irresistibilis.

Verba tertij Articuli, prout externe sonant & jacent, bona & Orthodoxa esse videntur. Sed quoniam, (ut olim dixit Chrysostomus,) in sensu verborum solet esse hæresis, etiam horum verborum sensus, isque ex ipsorummet Remonstrantium scriptis & libris, est eruendus. Sic autem de hac re scribunt & sentiunt.

1. Homo corruptus gratia communi, quam habet, (hoc est, lumine naturæ) potest recte uti. Quod cum facit, Deus plura & majora dona ipsi largitur usque adeo, ut per usum hunc rectum communis gratiæ, donaque propter hunc illi data, homo gradatim ad gratiam salutarem & cognitionem Evangelij, pervenire possit.

2. Homo animalis sive corruptus, non potest quidem mente sua absque revelatione invenire & excogitare mysteria in Evangelio & S. Scriptura revelata: sed tamen, si Scripturam attente legat vel audiat, facile potest absque ullo supernaturali lumine & immediata Spiritus Sancti operatione in mente, intelligere sensus omnium eorum, quæ in Scripturis scitu, creditu, factu & speratu, necessaria proponuntur.

3. Homo non regenitus, non adeo in peccatis mortuus est, quin possit mortem suam spiritualem agnoscere, eam spiritu humili & contrito deplorare, liberationem vitamque novam desiderare, esurire & sitire: aliaque plura facere, quæ Christus desiderat in eo quem vult regenerare.

4. Sicut in voluntate hominis nunquam ulla dona Spiritualia fuerunt, nec proprie in ea locum habent, ita nec per lapsum ista dona à voluntate ablata sunt, sed remansit in ea post lapsum potestas & insita facultas ac libertas bene & male agendi, bonumque spirituale volendi. Quam tamen libertatem & facultatem exercere voluntas non potest, antequam intellectus & affectus sint vivificati. Quo facto voluntas hanc libertatem exercere potest. Hæc & similia quæ passim in scriptis Remonstrantium inveniuntur, longe aliter sonant quam speciosa illa verba tertij Articuli. *Homo*, inquiunt, *in statu defectionis & peccati*, nihil boni, quod quidem vere bonum sit, ex se potest cogitare, velle, aut perficere. Et Artic. IV. Adeo quidem ut omnia bona opera quæ excogitare possumus, Dei gratiæ in Christo tribuenda sint. De Pelagio refert Augustinus, quod anathema dixerit ei, qui vel sentit, vel dicit, gratiam Dei, qua venit Christus in mundum, peccatores salvos facere, non solum per singulas horas & momenta, sed etiam per singulos actus nostros non esse necessariam. His auditis, inquit Augusт. Catholici Dei antistites, nullam aliam Dei gratiam intelligere potuerunt, nisi quam in libris Dei legegere, & populis Dei prædicare consueverant: sed longe aliam ille gratiam intellexit, nempe, ut idem August. Epist. 106. inquit, quæ Paganis & Christianis, impijs & pijs, fidelibus & infidelibus, communis est: hoc est, gratiam illam intellexit communem & universalem, id est, lumen naturæ. Quam procul abeant ab hac doctrina & hac vocabuli gratiæ acceptione Remonstrantes, judicandum relinquimus. Hoc affirmare non veremur, ipsos potius à Pelagio ejusque asseclis quam à Spiritu Sancto in Scriptura loquente didicisse, quod lumen naturæ, nomine gratiæ insigniant. Nam Spiritus Sanctus per χάριν, perpetuo intelligit aut ipsius omnium salutarium donorum fontem, Deive misericordiam, aut gratiosas & supernaturales operationes, & supernaturalia ac spiritualia dona, quæ ex mera gratuita illa Dei dilectione & misericordia in Christo & per Iesum Christum, mediatorem, nobis conferuntur.

Apparet ergo ex superioribus Remonstrantium assertionibus eos. 1. Mutilare & magna ex parte negare corruptionem illam hominis, quæ in Verbo Dei traditur & docetur. 2. Tribuere recto *usui luminis naturæ*, hoc est, viribus mentis, & operibus hominis irregeniti & corrupti, id quod soli & uni Dei gratiæ, veræ, quæ per Iesum Christum est, tribuendum erat:

Primum probamus: Nam Verbum Dei longe alia & plura de corruptione hominis docet quam supra audivimus Remonstrantes facere; Videlicet;

1. Hominem irregenitum, totum esse corruptum, peccati servum, imo in peccatis mortuum: Gen. 6. 5. Ier. 13. 23. Matth. 8. 22. Matth. 7. 18. Matth. 12. 34. Ioh. 7. 25. Ioh. 8. 38. Rom. 6. 17. 20. Eph. 2. 5. &c.

2. Eadem Scriptura *de mente* hominis irregeniti docet; eam ignorantia esse excæcatam, tenebras esse, nihil videre, intelligere, eorum quæ Dei & regni cœlorum sunt. Imo ne hoc posse quidem, sed hæc omnia ipsi stultitiam esse, ut docent sequentia, Roman. 1. 11. 22. Ioh. 1. 5. Eph. 5. 8. Act. 26. 18. Eph. 4. 17. 18. 10. 8. & 1. Cor. 2. 14. 2. Cor. 3. 5. & similia loca.

3. *De corde* hominis irregeniti pronunciat: Gen. 6. 5. *figmentum cogitationum cordis humani, tantummodo malum est omni tempore.* Ierem. 17. 9. *Fraudulentum est cor ipsum super omnia.* Ephes. 4. 18. *Ex obduratione cordis eorum.* Ezech. 11. 19. *Lapideum cor auferam.* Rom. 1. 21. *Obtenebratum est desipiens cor eorum*, &c.

4. *De voluntate* similiter affirmat & docet, Rebellem & refractariam eam esse contra voluntatem Dei. Matth. 23. *Ierusalem quoties volui congregare liberos tuos, &c. & tu noluisti.* Idem docetur, quoties de rebellione & contumacia cordis humani Verbum Dei testatur & conqueritur: nam sub corde voluntatem comprehendi certissimum est. Neque enim Spiritus Sanctus curiose hic discernit & disputat, ut in Scholis Philosophorum fit, de potentijs & facultatibus animæ, deque libertate voluntatis in utramque partem, sed simpliciter totum hominem, eiusque cor, omnesque vires internas & externas, corruptas esse docet & asserit. Cognoscere autem hanc corruptionem & miseriam, dolere propter eam, suspirare, sitire, esurire salutem, & similia, non docet esse hominis corrupti opera, ut Remonstrantes, sed dona ejus, qui cor & Spiritum attritum in nobis generat &

rat & creat; hoc est, ipsius Dei. Item ejus qui suspirijs ineffabilibus interpellat pro nobis, hoc est, Spiritus Sancti, Rom. 8. 26.

Secundum caput doctrinæ Remonstrantium Thesibus superioribus comprehensum; quod nempe homo irregenitus per rectum usum luminis naturæ majora dona, atque adeo cognitionem salutarem Evangelij consequatur, non modo refutatur supradictis testimonijs Scripturæ, quibus docetur, hominem corruptum, lumine naturæ non nisi ad majorem excæcationem, obdurationem, & condemnationem uti, sed & repugnat & contradicit ijs locis Verbi Dei, quæ vocationem & communicationem Evangelij & salutaris cognitionis Dei & Christi, tribuit uni & soli gratiæ & misericordiæ Dei, 1. Tim. 1. 9. *Vocavit nos vocatione sua sancta, non ex operibus nostris, sed ex proposito & gratia, quæ data nobis est in Christo ante tempora secularia.* Tit. 3. 3. 4. 5. *Nam eramus quondam & nos amentes, rebelles, errantes,* &c. (en rectum usum luminis naturæ) *sed postquam bonitas & erga homines amor apparuit Servatoris nostri Dei, non ex operibus iustis, quæ fecerimus nos, sed ex sua misericordia servavit nos,* &c. Idem docetur & Ephes. 2. 4. 5. 1. Corinth. 6. Matth. 4. 16. Colloss. 2. 13. Deuter. 9. 4. 5. 6. &c.

Sicut autem hæc doctrina Remonstrantium ab una parte verbo Dei repugnat, ita ab altera convenit cum veteri Pelagianorum errore, & reponit illud iam olim tam serio ab Ecclesijs Dei explosum dogma: gratiam dari ex meritis: Scimus quidem Remonstrantes à nomine meriti abstinere: Sed quid hoc juvat, cum res & doctrina ea voce contenta servetur & reponatur. Bellarminus ex Patribus definit meritum esse bonum, cujus ratione gratia homini datur. Cum vero Remonstrantes doceant, hominem lumine naturæ recte uti posse, & per rectum ejus usum, ulteriorem à Deo gratiam, etiam tandem salutarem consequi, quomodo non statuunt meritum, & gratiam ex merito dari? Bell. lib. 2. De gratia & lib. arb. c. 12.

Quam vero hæc doctrina Remonstrantium imo & ipsa verba Articuli hujus, totaque ejus explicatio, cum doctrina Pontificia & Iesuitica congruant ex Lectione Canonum Concilij Tridentini de hac materia, & inter alia scriptis Andradij Lusitani qui ei Concilio interfuit, & mentem ejus explicuit; manifestum est. Quare sicut illam, ita hanc Remonstrant. doctrinam, ut Dei Verbo repugnantem, & ab Orthod. Eccles. semper reprobatam, etiamnum reijcimus & reprobamus. Vide Chemni. Concil. Tridentin. loco de lib. arbitrio.

Quarto Articulo agitur rursum de gratia Dei, &, ut Remonstrantes volunt, præcipue de modo operationis eius gratiæ in homine convertendo, quem modū, illi vocant *resistibilem*, hoc est, ut explicant, cui, etiam volente Deo hominem per gratiam convertere, hominis voluntas, *obniti*, eam impedire, & avellere potest. Et sæpe impedit & avertit.

Quandoquidem vero hic rursum Remonstrantes largiter admodum gratiam Dei proponunt & commendant verbotenus, ex alijs eorum scriptis & libris inquirendum & cognoscendum quomodo hoc intelligant & explicent. Hæc autem eorum sunt theoremata.

1. Positis omnibus gratiæ operationibus, quibus Deus ad conversionem & regenerationem utitur, manet tamen conversio sic in hominis potestate libera, & voluntatis arbitrio, ut se possit convertere vel non convertere, regenerari vel non regenerari.

2. Homo potest Spiritui Sancto & Deo resistere, quum in homine operatur cum voluntate & proposito ipsum convertendi.

3. Negamus fidem appellari donum Dei, respectu actualis infusionis in corda nostra: sed ita appellatur, respectu potestatis veniendi ad illam.

4. Fides & conversio talia dona Dei sunt, quibus nos donare non vult, nisi interveniente voluntate nostra. Nam voluntas Dei, qua nos vult convertere, nihil aliud est, quam quod Deus velit ut homo se ipsum convertat.

5. Posset quoque hic disputari, An non nobilissima sit actio ea circa hominem (intellige convertendum) quæ fit per suasionem, an conveniens sit alia aliqua circa hominem uti; servatis humanæ naturæ propietatibus. Ac proinde, an non satis vehemens foret operatio, si talis esset quali utitur Satan. Quid enim obstat quo minus vel sola gratia moralis, hoc est, quæ per solam externam Verbi prædicationem & suasionem fit, homines ψυχικοὺς spirituales reddat?

6. Etenim,

6. Etenim, quid si esset quædam suasio, cujus ratio & argumentum ab ejusmodi rebus sumerentur, quas nemo potest excogitare, neque in manu sua habet præter solum Deum, illa superaret omnem humanam & creatam virtutem. Ad resipiscentiam autem requiritur talis virtus, quæ omnem creatam virtutem superet. Etenim, ut natura vertatur, necesse est aliquid sit ipsa fortius, ut superetur, idque supernaturale. Sitne illud vitæ æternæ, quam oculus non vidit, auris non audivit, neque in mentem hominis venit promissio, judicare possunt, qui aliquando bonum Dei Verbum, & virtutes vitæ futuræ gustarunt. Eius tamen actio sive operatio, non est irresistibilis.

7. Effectus gratiæ ordinaria lege pendet ab actu aliquo arbitrij, ut prævia conditione sine qua non.

8. Negamus ad conversionem hominis ex parte Dei præter gratiam prævenientem, excitantem, & adjuvantem, opus esse gratia determinante.

9. Negamus concursum arbitrij in Paulo, esse effectum necessario gratiam consequentem, vi solius gratiæ prædeterminantis, ut causæ adæquatæ conversionis.

10. Ego (inquiunt Remonstrantes) me ipsum discerno. Quum enim Deo ac prædeterminationi Divinæ resistere possem, non restiti tamen, atque in eo, quid ni liceat mihi tanquam de meo gloriari? quod enim potui, Dei quidem miserentis est, quod autem volui cum possem non velle, meæ voluntatis est.

11. Iniquissimum est ab eo exigere obedientiam, in quo actus ipse obedientiæ per potentiam efficitur.

Hæc & similia quæ ubique in scriptis Remonstrantium inveniuntur, aperte docent quomodo ipsi Quartum Articulum intelligant, & quid sibi velint, cum modum operationis gratiæ Divinæ in homine convertendo & regenerando, resistibilem esse affirmant. Nempe, non volunt, ut Vni, Soli Potenti & efficaci voluntati, intentioni, operationique Dei, per internam Spiritus Sancti gratiam (verbi prædicationem includimus) tanquam causæ conversionis determinanti & adæquatæ (ut ipsorum verbis utamur) fides, conversio, & regeneratio hominis tribuatur, sed positis omnibus efficacis gratiæ Dei operationibus, manere tamen adhuc in arbitrio & voluntate hominis se convertere, vel non convertere, fidem concipere, vel non concipere, regenerari, vel non regenerari: sic ut posse sit à Deo, velle autem & effectum dare revera sit ab ipso homine. Vnde homo conversus & credens habeat quod de suo glorietur: imo, ut ex toto de suo glorietur. Cum juxta hanc doctrinam, totum opus Dei, omnis intentio & voluntas ejus de nihilo fit, & nullum effectum producere queant, nisi homo ipse velit & efficiat.

Hanc vero doctrinam ut impiam, in Deum, ejus voluntatem, potentiam, & gratiam injuriam, verboque Dei repugnantem rejicimus, & toto animo reprobamus. Itaque hanc ut Orthodoxam opponimus.

1. Fides, conversio, & regeneratio nostra, à Deo, ejus voluntate, arbitrio & efficaci intentione, & gratiosa ejus externa per verbum, interna per Spiritum Sanctum operatione, tanquam unica, sola, & proxima causa determinante, pendent, dantur, & efficiuntur.

2. Sic ut omnes, quoscunq; sic convertere, regenerare, & credentes facere vult Deus, infallibiliter, certo, & necessario, convertantur & credant: nec velint aut possint, huic suæ *conversioni & regenerationi* resistere, eam impedire, aut avertere.

Hanc doctrinam ex Verbo Dei, sequentibus testimonijs & argumentis probamus.

1. Deo tribuitur quod cor nostrum circumcidat ut eum diligamus. Deuter. 30. Quod indat legem menti nostræ & cordi inscribat, sic ut eum revereamur omnibus diebus nostris: Ier. 31. & 32. Quod cor carneum nobis det & cor lapideum auferat, Spiritum novum ponat in nobis, ut in statutis ejus ambulemus, & jura ejus observemus. Ezech. 11. & 36. 2. Chron. 30. 22. dicitur. *Etiam in Iudæis erat manus Dei, indens eis animum unum, ad faciendum præceptum Regis & Principum ex verbo Iehovæ.* Ies. 50. 4. 5. *Excitat Dominus Iehova unoquoque mane mihi aurem ad audiendum: Dominus Iehova aperit mihi aurem, & ego non rebello: retrorsum non averto me.*

2. Proba-

2. Probatur eadem doctrina omnibus ijs Scripturæ locis, quibus gratia conversionis vocatur, *Regeneratio, Vivificatio, Creatio nova:* & Deus dicitur nos, *Regenerare, Vivificare, Suscitare è mortuis,* &, *denuo Creare.* Vt Psal. 51. 12. 2. Cor. 5. 17. Iacobi 1. 18. Ioh. 3. 3. & 5. 25. Eph. 2. 5. Colos. 2. &c.

Quibus docetur, nos in hoc opere gratiæ, viribus & potentia voluntatis & arbitrij nostri non magis quidquam agere aut efficere, quam in operibus istis naturalibus, creandi nos, &c. egimus, aut agere potuimus.

3. Confirmatur eadem supra posita doctrina illis locis, quæ mentionem faciunt in hac materia τῆς δυνάμεως, potentiæ & roboris Dei: Ephes. 1. 19. 20. Coloss. 2. 13. 1. Thess. 1. 5. 2. Thess. 1. 11. 2. Pet. 1. 3. Ex quibus recte concluditur: Si Deus in conversione hominis agit, operatur potenter, cum robore; ergo & sic, ut illi potentiæ & robori nequeat resistere aut avertere ille, in quo sic agit.

Hic autem omnino operæ pretium est, meminisse quod supra in Thesibus Remonstrantium ex Collatione Hagiensi attulimus, quo illi explicant, quid per potentiam,& robur,& virtutem hanc Dei intelligant. Videlicet,vim istam argumentorum quæ à promissione vitæ & fœlicitatis æternæ sumũtur. Quod quid est aliud, quam omnem internã realem & actualem operationem & motionem Dei Spiritualem & immediatam, negare & reijcere? & illam moralem, solam substituere?

4. Doctrinam Orthodoxam supra positam probamus hisce testimonijs Scripturæ. Ioh. 6. 37. *Quidquid dat mihi Pater ad me veniet;* hoc est, qui dantur & convertuntur à Deo ad Christum, non resistunt nec possunt resistere isti dationi. Et vers. 5. 45. *Quisquis ergo audivit à Patre & didicit, veniet ad me.* Et vers. 44. præcedente. *Nemo potest venire ad me nisi Pater qui misit me, traxerit illum:* Colos. 1. 13. *Qui vos eripuit è potestate tenebrarum, & transtulit in regnum dilecti Filij sui.* Phil. 1. 20. *Vobis est datum in negotio Christi, non solum in eum credere, sed & pro eo affligi,* Cap. 2. 13. *Deus enim est qui efficit in vobis ut velitis & efficiatis, pro beneplacito voluntatis suæ.* Hæc & similia loca docent, gratiam illam qua Deus nos convertit & credentes facit, non esse illam, qua tantum prædicat, monet, vocat, pulsat, suadet, jubet; sed qua intus persuadet qua aperit, qua nos esse facit quod jubet ut simus: qua sic trahit ut curramus. Non qua expectat nostrum velle sed qua operatur in nobis velle; Qua futuræ gloriæ magnitudo non solum promittitur, sed etiam redditur & speratur. non solum sapientia revelatur, sed & amatur. qua fiunt qui convertuntur ex nolentibus volentes, ex repugnantibus consentientes, ex oppugnantibus amantes. Vtpote per quam (gratiam) charitas Dei non ostensa, prædicata tantum nobis, sed & diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum.

Hic vero notandum est, vanum & ineptum effugium, quod ad hæc verissima testimonia cludenda à Remonst. affertur: Deus est (inquiunt) qui operatur in nobis velle. Sed hinc non sequitur, illum in quo operatur Deus velle, non posse non velle. Mira hominum pervicacia. Certe non potest non velle qui vult; & velle illum necesse est, in quo Deus operatur velle. Et ubi homo non vult, dici non potest, quod Deus operatus est velle. Operari velle utique nihil aliud est quam ex nolente facere volentem. Non potest autem non esse volens, qui est volens, quia omne quod est, quando est, necesse est esse. Ergo implicat contradictionem si dicas hominem posse non velle, ubi Deus operatur velle. Simplex autem & manifesta est Apostoli sententia, velle proprium effectum esse operationis Dei. Idque non propter voluntatem nostram, sed quod Apostolus addit, *pro bona voluntate,* nempe Dei. Simile est huic & aliud effugium, vel potius depravatio & corruptio verborum & phrasis Sacræ Scripturæ, à Remonstr. commissa. Fidem fatentur donum Dei esse, sed excipiunt, sic dici non respectu infusionis in corda nostra aut realis collationis, sed respectu potestatis veniendi ad eam, hoc est, qua possimus habere fidem si velimus: Atq; hoc ipsum simili à médico & dono ipsi oblato explicãt. sed hoc clarissime menti & phrasi S. Scripturæ, non modo contrarium est, verum & in se ineptum & falsum. Nam *non ens* Dei donum dici non potest: fides Dei donum dicitur, non *ubi non est, sed ubi est.* Neq; enim dari aut datum recte dicitur quidquam quod non habet ille cui datur, aut, datum esse dicitur. Dantis enim & accipientis mutua semper complicatio & complexus est. Vbi ergo fides est Dei donum, ibi dat Deus habere fidem. Neque donum datum dicitur, ubi Deus non facit ut credatur: ubi vero facit ut credatur, ibi facit ne resistatur.

5. Conver-

5. Conversionem totamque adeo salutem nostram non esse voluntatis nostræ, sed Dei, idque efficacis, docent hæc loca Sacræ Scripturæ. Eph. 1. 5. *Qui Deus prædestinavit nos, &c. secundum benevolum propositum voluntatis suæ.* Et vers. 5. 11. *secundum propositum eius, qui omnia operatur vel efficit ex consilio voluntatis suæ;* Loquitur ibi Apostolus de donis spiritualibus & opere salutis nostræ. Iacob. 1. 18. *Is Deus quia voluit progenuit nos sermone veritatis:* Rom. 9. 16. *Non est currentis neque volentis* (hominis) *sed miserentis Dei.* Matth. 11. *Confiteor tibi pater, Domine cœli & terræ, quod absconderis hæc à sapientibus & intelligentibus, &c. Etiam Pater, quia ita placuit tibi.* Ad quem locum, contra Remonstrantium corruptelam obiter notemus Fulgentij verba, quæ sic habent lib. 1. ad Mon. *Neque enim,* inquit, *humiles quibus dat gratiam, ante datam gratiam humiles invenit, sed dando gratiam humiles facit.* Si vero sententia & doctrina Remonstrantium vera sit, omnia illa dicta Scripturæ inverti debent & dici oportet: secundum propositum & voluntatem hominis. Item, est currentis & volentis hominis. Et: quia homini placuit. Quoniam ergo ex præcedentibus liquet, conversionem & regenerationem, totamque salutem hominis esse opus efficacis, operantis, potentis, & gratiosæ voluntatis propositi & gratiæ Dei; firmissime & verissime inde concludimus, esse tale opus Dei, cui resistere, quod impedire, & avertere, non potest is, nec voluntas ejus, in quo & circa quem, hoc opus suum efficere & agere Deo placet: Ratio consequentiæ est, Quod nulla creatura ejus potentiæ aut voluntati resistere queat: Iesai. 14. 27. 46. 10. 11. Deo enim volenti salvum facere, nullum hominum resistit arbitrium: sic enim velle & nolle in volentis & nolentis est potestate, ut Divinam voluntatem non impediat, nec potestatem superet. Atque hoc est, quod fidelis & benedictus ille Dei & Iesu Christi servus, beatæ ac piæ memoriæ, Iohan. Calvinus lib. 2. Institut. cap. 3. §. 10. his paucis asserit: *Voluntatem,* inquit, *movet Deus, non qualiter multis sæculis traditum est, & creditum, ut nostræ postea sit electionis, motioni aut obtemperare aut refragari, sed illam efficaciter afficiendo. Ita nimirum, ut movente sequatur & credat.*

6. Denique præcedentem doctrinam adhuc confirmamus evidentissimis & irrefutabilibus hisce locis Scripturæ, 1. Cor. 4. 7. *Quid autem habes quod non acceperis:* Roman. 11. 35. *Quis prior dedit ei & retribuetur ipsi?* Ioh. 3. 27. *Homo non potest accipere quicquam, nisi ei datum fuerit de cælo,* Ioh. 15. 5. *Sine me nihil potestis facere,* Roman. 11. 6. *Si vero ex gratia, iam non ex operibus: alioquin gratia, iam non esset gratia. Si vero ex operibus, iam non est ex gratia: Alioqui opus, iam non esset opus.* Hoc est, gratia non erit gratia ullo modo, nisi sit gratuita omni modo. Itaque nihil hic partiendum aut dividendum inter Deum & hominis arbitrium, aut assensum voluntatis liberum: sed in solidum omnia Deo sunt tribuenda. Non debet dici, vel illum nobis cooperari vel nos illi; sed ille dicendus *omnia operari in omnibus.* Atque hoc vere & pie expressit Lactantius lib. 1. cap. 11 De falsa Religione, mutato nomine Iovis, hoc est, falsi Dei, in Iehova, hoc est, veri Dei. *Iovem,* inquit, *Iunonemque à iuvando esse dictos Cicero interpretatur. Et Iupiter quasi iuvans pater dicitur, quod nomen in Deum minime congruit: quia iuvare, hominis est opem aliquid conferentis in eum qui sit egenus & exiguum beneficij. Nemo sic Deum precatur, ut se adiuvet, sed ut servet: ut vitam salutemque tribuat. Quod multo plus & maius est quam adiuvare. Et quoniam de Patre loquimur,* inquit Lactantius, *nullus Pater dicitur filios suos iuvare cum eos generat aut educat, illud enim levius est, quam ut eo verbo magnitudo paterni beneficij exprimatur. Quanto id magis inconveniens est Deo, qui verus est pater, per quem sumus: & cuius toti sumus. A quo fingimur, animamur & illuminamur. Qui nobis vitam impertit, salutem tribuit, &c.* Tandem sic concludit: *Non intelligit beneficia Divina, qui se iuvari modo à Deo putat.* Nos addimus. Contumelia afficit Deum, & negat eius beneficia, qui Deum a se iuvari putat. Atqui hoc est illud cooperari nostri arbitrij, potentia illa voluntatis nostræ, qua Deo resistere possumus: quaque non resistente Dei actio & opus perficitur; frustraneum alias futurũ, nisi voluntas nostra annuerit, iuxta Remonstrantium doctrinam.

Cum igitur hæc sic se habeant, judicamus hanc doctrinam Remonstrantium, ex lacunis Pelagij, Scholasticorum, & Iesuitarum haustam, alienam esse à doctrina pietatis in Dei Verbo revelata, & hactenus in Catholica & Orthodoxa Dei Ecclesia docta & tradita. Imo, ut & hoc addamus, dicimus hanc eorum doctrinam non esse alienam ab Ethnici Ciceronis sententia: hic enim (testibus autoribus fide dignis)

dignis) existimans præscientiam divinam cum casibus fortunæ & libero arbitrio hominis non posse convenire, ut rebus humanis melius consuleret, arripiunt liberum arbitrium, negata præscientia. *Nam*, ajebat Cicero, *si ita sese res haberent, humana vita subvertitur, frustra leges dantur, frustra laudes, objurgationes* (nonne hæc Remonstrantium sunt verba?) *exhortationes adhibentur, neque ulla justitia, bonis præmia, malis supplicia constituta sunt.* Hæc Cicero: Sed audiamus Augustini de illo judicium: *Qui*, Cicero, inquit Augustinus, *dum voluit facere liberos* (homines) *fecit Sacrilegos.* An hoc sacrilegium hodie committatur ab ijs Remonstrantibus, quos non pudet sic liberos facere homines, ut scribant in medio Christianismo eoque reformato: *Voluntas hominis ad actus suos motione irresistibili determinari non potest, ne ab ipso Deo quidem*, pijs ac doctis mentibus, imprimis vero venerandæ huic Synodo, judicandum relinquimus. Nos finientes cum Davide Propheta & Rege, toto & imo animo exclamamus, de Spiritualibus bonis dicentes, quod ille de corporalibus: 1. Paralip. 29. 14. *Quis ego sum, aut quis populus meus, ô Iehovah, ut obtineamus vires ad sponte offerendum sicut hoc. A te enim sunt omnia, & de manu tua dedimus tibi.* A Deo igitur dona, à Deo potestas, & voluntas dandi. Omnia ex ipso, per ipsum & in ipsum. Ipsi sit gloria & benedictio in sæcula, Amen.

Iudicium

DEPVTATORVM TRANSISVLANIÆ,

DE

Articulo Tertio & Quarto.

Theses Heterodoxæ Remonstrantium, de causa & modo conversionis.

Thesis I.

IN omnibus hominibus post lapsum, reliqua mansit aliqua Dei notitia in intellectu, in corde inscripta lex, & imaginis Dei reliquiæ ac scintillæ 1. Quæ gratia generalis est, ad regenerationem tendens, & ad salutem omnibus sufficiens. Qua si homo recte utatur, uti viribus naturalibus potest, 2 Deus ipsi gratiam confert: 3 majorem nimirum Euangelij, quæ regenerationem & salutem perficit.

Rationes contra hanc Thesin.

1. Nullæ remanserunt in homine scintillæ imaginis Dei, quæ vel ad regenerationem tendant, vel ad salutem sufficiant.

Nam,

Antitheses Orthodoxæ de causa & modo conversionis.

Antithesis I.

IN nullo homine post lapsum, vel in intellectu, vel in voluntate, vel in corde, ante regenerationem aliqua Dei cognitio reliqua mansit, aliqua in corde inscripta lex, aliquæque imaginis Dei reliquiæ ac scintillæ, quæ ceu gratia generalis ad regenerationem tenderent, & ad salutem sufficerent *a*, nec potest ille homo, quippe totus & secundum omnes animæ partes, corruptus & in peccatis mortuus *b* ijs, quæ ipsi reliquæ, imaginis Dei scintillis, viribus naturalibus recte uti, ut Deus ipsi gratiam conferret, majorem nimirum Euangelij, quæ regenerationem ac salutem perficeret, cum ista ex mera gratia fiant propter Christum.

Proba-

Nam quorum mens ita est tenebris obscurata, & cor obduratum ac perversum, ut, quod dicitur, lumen sint ipsæ tenebræ, & qui homines sunt abalienati à vita Dei propter ignorantiam, quæ est in ipsis per indurationem cordis ipsorum; in illis non sunt ejusmodi reliquiæ ante regenerationem, quæ ad eam tendant & ad salutem sufficiant.

Atqui ita se habet in omnibus hominibus non regenitis, ut dicit argumentum propositionis. Ergo in illis non remanserunt ejusmodi reliquiæ quæ ad regenerationem tendant & ad salutem sufficiant.

Major propositio est verissima. Obscuritas enim, quæ involvit ipsas tenebras, nihil lucis reliquum facit. Ignorantia qua homines à vita Dei abalienantur, quæ cor obdurat, non tendit ad regenerationem; non sufficit ad salutem: imo tendit (si ita loqui liceat) ad majorem degenerationem & mortem.

Minor probatur ex Ephes. 4. 18. Ioh. 1. 5.

2. Qui amentes sunt, in illis non est notitia in intellectu reliqua, quæ tendat ad regenerationem. Atqui omnes nos quondam eramus amenes Tit. 3. 3.

Ergo.

3 Qui caro sunt, non habent in sese quæ tendant ad regenerationem & vitam. *Nam quod sapit caro, mors est.* Rom. 8. 6. *Est inimicitia adversus Deum*, versu 7. &, *Qui in carne sunt, Deo placere non possunt.* vers. 8.

Atqui tales nos omnes sumus ante regenerationem. Ergo.

Minor probatur Iohan. 3. 6. *Quod genitum est ex carne, caro est.*

4. *Qui non intelligit, non habet reliquam Dei notitiam,* tendentem ad regenerationem.

Probatione.

a Ephes. 4. *Tenebris obscuratam mentem habentes, abalienati à vita Dei propter ignorantiam quæ est in ipsis, per obdurationem cordis ipsorum* Ioh. 1. 5. *Et, lux ista in tenebris lucet, sed tenebræ eam non comprehenderunt.* Tit. 33. *Nam eramus & nos quondam amentes* Rom. 3. 11. *Non est qui intelligat.*

b Ephes. 21. *Et vos una vivificavit cum essetis mortui in peccatis & lapsibus*. Item, *etiam nos, cum in offensis mortui essemus.* Rom. 7. 18. *Novi enim non habitare in me, id est, in carne mea, bonum.*

c Ephs. 2. 5. *Etiam nos, cum in offensis mortui essemus, una vivificavit cum Christo, cuius gratia estis salvati.* vers. 7. *Vt ostenderet in seculis supervenientibus supereminentes illas opes sua gratia, pro sua erga nos benignitate in Christo Iesu.* vers. 8. *Gratia enim estis salvati per fidem. etiam hoc non est ex vobis, sed donum Dei est.* vers. 9. *Non ex operibus, ne quis glorietur.* vers. 10. *Nam ipsius sumus opus, conditi in Christo Iesu ad opera bona, qua præparavit Deus, ut in ijs ambulemus.* vers. 17. *Et veniens evangelizavit pacem vobis, tum qui longe, tum qui prope eratis,* & 1. c. vers. 8. *qua exundavit in nos omni sapientia & prudentia.* vers. 9. *Postquam notum fecit nobis mysterium voluntatis sue, secundum gratuitam benevolentiam suam, quam præstituerat in sese.*

Atqui nemo est qui intelligat Rom. 3. 11. Ergo nemo habet reliquam Dei notitiam, tendentem ad regenerationem.

5. Quæ ad desperationem & condemnationem tantum facere possunt & faciunt, ea non possunt ad regenerationem & salutem tendere.

Atqui ea quæ homini irregenito reliqua, tantum facere possunt ad desperationem & condemnationem. Lex enim tam inscripta cordi quam descripta in codice, hominem accusat, condemnat, occidit. Rom. 2. 15, 2. Cor. 3, vers. 9. 6, Rom. 7. 10.

6. Cui Deus tantum facit promissionem gratiæ salutiferæ, illi etiam soli confert.

Atqui nulli ante fidem, præparatione gratiæ salutiferæ facta est promissio. Sine fide enim Deo placere nemo potest. Sine fide enim quicquid fit, peccatum est.

Ergo de præparatione alicui ante fidem non est facta gratiæ salutiferæ promissio.

7. Qui ante regenerationem natura sunt filij iræ, super quos ira Dei manet; illis non est gratia ad salutem sufficiens.

Atqui omnes nos natura sumus filij iræ &c. Eph. 2. 3. Ioh. 3. 36.

Ergo nulli gratia ad salutem, ante regenerationem sufficiens. Vide etiam. 2. Cor. 4. 3. 4.

II. Homo viribus suis naturalibus gratia illa generali recte uti non potest.

1. *Mala arbor non potest ferre bonos fructus*, Matth. 12. 7. Caro non potest subjici legi Dei. Ergo nec recte secundum legem Dei lumine reliquo uti.

Atqui omnes natura sumus Caro Rom. 8. 5. vide etiam Gen. 8. 21. Ierem. 13. 23.

2. Quibus nullæ sunt vires, illi non possunt per eas naturalibus recte uti.

Atqui ante regenerationem & beneficium mortis Christi, nullæ nobis vires. Rom. 5. 6.

Ergo.

III. Deus homini propter bonum usum gratiæ generalis, maiorem gratiam Evangelij non confert.

1. Qui non vocantur ex operibus suis, illis Deus regenerationis gratiam non confert, propter rectum aliquem scintillarum imaginis Dei usum.

Atqui qui servantur & vocantur vocatione sancta, non vocantur ex operibus. 2. Tim. 1.

Ergo.

2. Qui ex potestate tenebrarum eripiuntur, & transferuntur in regnum filii Dei dilecti, illi non ob rectum usum donorum Dei in regnum Christi transferuntur.

Atqui, qui idonei à Deo fiunt, ad participandam sortem sanctorum in luce, ex potestate tenebrarum eripiuntur, Col. 1. 12. 13.

Ergo.

Item ex Luce. 1. 78. 79. Quorum enim pedes diriguntur per liberationem; à tenebris ad pacem, illi non recte utuntur ad gratiam regenerationis lumine aliquo naturali, ante illam liberationem.

Thesis Heterodoxa II.

Euangelij vero gratiam, etsi ante eius revelationē, homo excogitare suo ingenio & naturalibus viribus non possit, tamen postquam ipsi per eius prædicationem revelata est, sua vi [1] absque ullo alio aliquo lumine [2] supernaturali, comprehendere facile potest. In voluntate autem spiritualia dona nunquam fuerunt; eoque in morte spirituali ea non [3] separantur: & libertas bene [4] vel male agendi, quæ in ea mansit, etsi vires suas reipsa exercere propter tenebras intellectus & depravationem affectuum non potest, tamen per illuminationem affectuum voluntas vivificatur, & libertas potens redditur vires suas exercendi, ad bonum Evangelij amplectendum, vel [5] rejiciendum.

Antithesis Orthodoxa II.

Nec intellectus, utpote cœcus, vi sua naturali absque alio aliquo lumine, & quidem supernaturali seu spirituali [a] bonum, per Enangelium ipsi revelatum, comprehendere ullo modo potest, nec voluntas spiritualibus bonis orbata [b] nisi à Christo per S. sanctum regenerata & vivificata, id ipsum bonum velle [c] potest.

a 2. Cor. 3. 3. vide & Antithesin primam. *b* Ephes. 4. 22. *Deponere quod ad pristinum illum hominem attinet, veterem illum hominem, qui seductricibus cupiditatibus se corrumpit* vers. 23. *renovari vero spiritu mentis vestræ* vers. 24. &, *induere novum illum hominem, qui secundum Deum conditus est, ad iustitiam & sanctimoniam veram.* *c* Ioh. 8. 36. *Itaque si vos filius in libertatem vindicavit, vere liberi eritis.* v. 32. *& cognoscetis verita-*

Rationes contra hanc Thesin.

I. Homo viribus suis proprijs Evangelium ibi prædicatum non potest comprehendere.

Nam qui seorsim à Christo nihil possunt facere, illi vim nullam habent propriam.

Atqui, ut est Ioh. 15. 5. nemo seorsim à Christo quicquam potest facere.

Ergo.

2. Qui per se ipsos idonei non sunt ad cogitandum quicquam, velut ex seipsis, illi vim propriam non habent &c. Atqui 2. Cor. 3. 5.

Ergo.

veritatem, & veritas vos in libertatem vindicabit. 2. Cor. 3. 17. *Vbi autem spiritus ille Domini, ibi libertas*, 1. Cor. 12. 3. Neminem posse dicere Iesum Dominum nisi per Spiritum Sanctum Rom. 6. 17. *Gratia autem habetur Deo, quod fuistis quidem servi peccati, sed ex corde auscultastis ei formæ doctrinæ, in quam estis traditi.* vers. 18. *& liberati à peccato, servi facti estis iustitiæ.* vers. 22. *Nunc vero liberati à peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctimonia.*

II. Lumen spirituale requiritur ad gratiæ Euangelij intelligentiam.

1. Quorum oculi, utpote cœci, retigendi ut intueantur mirabilia ex lege Dei, illuminandi a Spiritu sapientiæ & revelationis per agnitionem illius, ad sciendum quæ sit spes vocationis Christi, & aperiendi, ut convertantur a tenebris ad lucem, à potestate Satanæ ad Deum: illi certe opus habent alio lumine supernaturali vel spirituali, ut gratiam intelligere queant. Atqui omnium mentis oculi, utpote cœci, retengendi, illuminandi, aperiendi. Psal. 119. 18. Eph. 1. 17. 18. Act. 26, 18.

Ergo opus habent alio lumine spirituali:

2. Si Deus debet facere ut intelligamus, & quidem inditione cordis novi ad agnoscendum Deum, inscriptione legum menti & cordi nostro, apertione cordis, ut attendamus ad Dei verbum, & divina ac cœlesti patris revelatione & institutione, tum absque alio lumine spirituali gratiam Evangelicam comprehendere nequimus. At verum prius Psal. 119. 34. Ier. 24. 7. Heb. 8. 10. Act. 16. 14. Matth. 16. 17. Ioh. 6. 45. Ergo.

3. Qui iterum regenerandi sunt spiritu, ut possint regnum Dei videre & illud introire, non possunt sine spirituali lumine gratiam Evangelij videre. Atqui omnes &c. Ioh. 3. 3. 5.

4. Quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in mentem hominis venerunt, quæ animalis homo non potest capere, utpote ei stultitia, & per spiritum omnia scrutantem sunt retegenda, illa non possunt sine lumine alio quam quod homo animalis habet, id est, spirituali, comprehendi. Atqui talis est gratia Euangelii 1. Cor. 2, 9, 14, 10.

Ergo.

III. In lapsu dona spiritualia à voluntate sunt separata.

1. Quod spiritualiter mortuum est, id orbatum spirituali vita spiritualibusque donis. Item, quod vivificandum, ab eo vita separata. Atqui, totus homo eoque voluntas mortua est vivificanda. Eph. 2, vers. 2.

Ergo.

2. In quibus efficitur velle & perficere, in illis non est voluntas extra illam effectionem. Atqui Deus in nobis efficit velle. &c.

Philip. 2. 13.

Ergo.

3. A quo omnis donatio bona, & omne integrum bonum superne descendit, ab eo superne descendit & datur voluntas ad bonum.

Atqui &c. Iac. 1, 17.

Ergo.

4. Si à

4. Si à voluntate hominis per Adami primi inobedientiam, vita Dei & dona Spiritualia, non sunt separata, ergo neque ei per obedientiam secundi Adami, Christi salvatoris, recuperata & reddita sunt. Atque sic esset aliquid vitæ Dei extra Christum, quod impium est.

IV. In hominis voluntate post lapsum, non remansit libertas bene agendi.

1. Quorum cordis omne figmentum & cogitationes tantummodo malæ sunt ab ipsorum pueritia, illis non est libertas ad bonum.

Atqui omnium hominum cordis figmentum tale Gen. 6. 5. & 8. 21.

Ergo.

2. Qui servi sunt peccati & captivi Satanæ, cujus laqueis tenentur, illis non est libertas ad bonum.

Atqui, qui nondum conversi, tales sunt. Rom. 6. 17. 2. Tim. 2. 26. 25.

Ergo illis non est libertas ad bonum.

3. Qui semper vult malum, & per seductrices cupiditates sese corrumpit, legique Dei subjici non potest, illi non est libertas ad bonum.

Atqui talis est totus homo, qui caro. Rom. 6. 21. Eph. 4. 22. Rom. 8, 7.

Ergo.

4. In quibus est peccatum belligerans adversus legem mentis, & captivum reddens hominem lege peccati ac semper concupiscens adversus spiritum, in illis non est libertas ad bonum. Atqui &c. Rom. 7. 23. Gal. 5. 17.

Ergo.

5. Ad postremam partem theseos, in qua dicitur, per illuminationem intellectus, & affectuum vivificationem, voluntas vivificatur & libertas potens redditur ad bonum Evangelij rejiciendum vel amplectendum.

1. Potentia ad malum non datur à Spiritu Christi. Potentia etiam ad rejiciendam Euangelii gratiam est ad malum. Ergo, talis non datur per spiritus vivificationem, à Spiritu Christi.

2. Quod est à natura corrupta, non est à virtute Spiritus vivificantis.

At talis est potentia reiiciendi Evangelium, seu eius gratiam,

Ergo.

3. Quæ potestas, seu potentia, est à principio mere bono, illa etiam est ad bonum tantum.

Atqui potentia in vivificatione hominis est à principio mere bono. Iac. 1. 17.

Ergo.

Thesis Heterodoxa III.

Regeneratio & vivificatio, initium habet ab opere, quod Deus homini ipsi præcepit [1] quodque agendo homo paullatim vivificatur, primum legis [2] ministerio, postea etiam Evangelij. Perficitur vero regeneratio hominis per sufficientem illam gratiam excitati [3] cooperatione [4.] Nulla autem gratia ita novis hominem instruit viribus, quin semper maneat in eius potestate, ijs uti vel non uti. Potestas enim consentiendi, sic à gratia confertur, ut eadem non auferat

Antithesis Orthodoxa III.

Regenerationis & vivificationis, uti initium, ita etiam perfectio [a] est ab eodem Spiritu Christi, hominem virtute sua divina efficaci & irresistibili, seu invincibili, vivificante & regenerante. 1. Pet. 1. 22. Auscultando veritati per spiritum Rom. 8. 10. Spiritus autem est vita propter iustitiam. vers. 11. *Sed si Spiritus eius, qui suscitavit Iesum ex mortuis, habitat in vobis, is qui excitavit Christum ex mortuis, vivificavit etiam mortalia corpora vestra per* inhabi-

ferat potestatem [5] dissentiendi, eoque gratia semper manet resistibilis [6].

Falsitas singulorum huius Theseos membrorum hinc liquet.

I. Regeneratio non incipit ab opere homini à Deo præcepto.

1. Quod opus mere est divinum & cæleste, illud non sumit initium ab opere aliquo homini à Deo præcepto. Deus enim homini non præcipit quod Dei est proprium. Esai 42. 8.

Atqui regeneratio & vivificatio hominis in peccatis mortui, est opus mere divinum & cœleste. Vbique enim S. scriptura id Deo attribuit, Eph. 2. 5. Iac. 1. 18. Est cœleste opus, Ioh. 3. 3. 5.

Ergo non incipit ab opere homini præcepto.

2. A quo est perfectio regenerationis, ab eo initium.

At ab opere divino & cœlesti, id est Spiritus S. ineffabili operatione, est regenerationis & vivificationis perfectio. Ephes. 5. 9.

Ergo.

3. Opus quod incipit ab illuminatione mentis, non ab opere, quod Deus homini præcipit, incipit.

Illuminatio enim mentis non est opus homini præceptum, sed Dei proprium, per S. sanctum, Eph. 1. 17. 18. Matth. 11. 27 & 16. 17. 6. 2. Cor. 4.

Atqui regeneratio & vivificatio incipit ab illuminatione mentis. Matth. 11. 25. 27. Luc. 1. 79. & cap. 2. 32. Act. 16. 14. Apoc. 3. 17. 18. 2. Cor. 3. 16.

inhabitantem ipsius spiritum in vobis, vide vers. 15. 16. 26. Vbi eidem Spiritui (cujus tantum primitias fideles accipiunt vers. 23.) attribuitur adoptio, contestificatio ejus de adoptione nostri, actio infirmitatum nostrarum sublevatur, precum nostrarum dictatio, seu pro nobis, suspirijs inenarrabilibus intercessio. 1. Ioan. 2. 20. *At vos unctionem habetis à spiritu illo Sancto profectam, & nostis omnia,* v. 27. *Sed unctio quam vos accepistis ab eo, manet in vobis, nec necesse habetis, ut quisquam doceat vos, verum sicut eadem unctio docet vos de omnibus, quæ est verax & non mendax, & sicut docuit vos, manebitis in eo.* Et 4. vers. 4. *Vos ex Deo estis, filioli, & vicistis eos: quoniam potentior est qui est in vobis, quam qui in mundo est.* Gal. 5. 22. *At fructus Spiritus est charitas, gaudium, pax, lenitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, temperantia.* Et 3. 16. *Vt det vobis pro divite sua gloria, ut fortiter corroboremini per spiritum eius in interiore homine.* 2. Cor. 3. 18. *Nos autem omnes retecta facie gloriam Domini ut in speculo intuentes, in eandem imaginem transformamur ex gloria in gloriam sicut à Domini spiritu.*

II. Homo legis ministerio non vivificatur.

1. Quod mortis est ministerium, non est vivificationis ministerium: mors enim & vita, opposita sunt. Atqui lex est ministerium mortis, 2. Cor. 3. 6. 7.

2. Per quod non accipitur Spiritus ivtæ, per id non est vivificatio. Spiritus enim autor est vivificationis.

Atqui per legem non accipitur Spiritus vitæ Gal. 3. 2.

III. Gratia illa sufficiens, de qua Remonstrantes, non excitat hominem.

Quod hominem spiritualiter non vivificat, id ex morte spirituali hominem non excitat. Est enim spiritualis vivificatio, spiritualis mortis abolitio.

Atqui gratia illa sufficiens hominem non vivificat; fatentibus remonstrantibus, gratiam eam tendere ad regenerationem & vivificationem. Ergo.

IV. Homo nec cooperatur, nec operatur regenerationem suam.

Cui nulla est spiritualis vita, id spirituali modo non potest etiam operari. Vbi enim non est causa, ibi nullus effectus.

Atqui voluntati ante regenerationem nulla est spiritualis vita. voluntas enim non est spiritualiter revivificata ante gratiam regenerationis & vivificationis accessum.

Ergo voluntas ante regenerationem non potest spirituali modo cooperari.

V. *Gratia regenerans tollit in homine potestatem dissentiendi.*

1. Si regeneratio non auferret potestatem gratiæ dissentiendi, tum illa non auferret potestatem mortis. Posse enim dissentire gratiæ, est posse mori. Rom.6.23. peccare est mortis reum fieri; posse peccare est posse fieri mortis reum.

Atqui regeneratio aufert potestatem mortis. Apoc.20.6.

2. Posse gratiæ vivificationis & regenerationis dissentire, est Spiritus sancti, gratiam illam reddere inefficacem, omni omnino vita & virtute spoliare posse, cóque hominem Deo omnipotente fortiorem esse posse, statuere.

Atqui ista necessario ex positis, consequentia sunt falsa, absurda, impia, blasphema.

Ergo falsum est gratiæ vivificationis posse resistere aut dissentire hominem.

3. Cui eximitur cor lapideum, Deique voluntati resistens, & è contrario datur cor novum, induiturque Spiritus novus, coque fit, utambulet homo in præceptis Domini, omnibus diebus, &c. Illi aufertur potestas Deo eiusque regeneranti & vivificanti gratiæ dissentiendi. Consequentia est manifesta; ablata enim causa tollitur effectus.

Atqui in regeneratione & vivificatione eximitur cor lapideum, &c. Probatur Ezech.36.25.26.27.

Ergo aufertur potestas dissentiendi.

VI. *Gratia regenerationis est irresistibilis.*

1. Si gratia vivificationis manet semper resistibilis, tum totius gratiæ ipsius à voluntate dependet efficientia seu efficacia.

Hoc autem absurdum est & falsum.

Ergo falsum etiam prius.

Probatur.

Qualis enim operatio causæ, talis dependentia effectus à causa est. Voluntas autem sola, id est, tantum, consentit aut dissentit. In consensu vel assensu est gratiæ efficientia, non in potentia assentiendi.

Ergo à voluntate gratiæ tota pendet efficientia.

2. Gratia quæ efficit ex absoluto Dei beneplacito, ex consilio voluntatis infallibili, & potentia seu virtute divina insuperabili, illa efficit modo irresistibili.

Atqui gratia regenerationis & vivificationis efficit ex Dei beneplacito, &c.

Ergo.

Major est verissima, ex 2.Chro.20.6.Psal.33.9. & 115.3.

Minor ex Ephes.1.11. 2.Pet.1.3.4. Ephes.1.19.

3. Gratiæ vivificationis posse resistere, & Deum in ea agere, omnipotenter, sunt contradictoria, & se mutuo evertentia.

Atqui in gratia vivificationis, Deus agit omnipotenter. Eph.1.18.19.20.

Ergo gratiæ vivificationis homo non potest resistere.

4. Virtuti dexteræ ac robusti Dei brachij, efficacitatisque roboris virium ipsius, nemo potest resistere.

Atqui gratia vivificationis & regenerationis est talis Dei virtus. Esa.52.10. Psal.118.10. Luc.1.51. Esai 53. 1. Eph.1.19. Col.2.12. 1.Thes.1.15.

Ergo ei gratiæ nemo potest resistere.

Sententiam Remonstrantiũ hisce thesibus expressam, ut verbo Dei dissentaneam & heterodoxam rejicimus: & in Ecclesia Dei Reformata Belgica non esse docendam iudicamus: ideoque liberandam esse Ecclesiam ab ijs, qui huius ἑτεροδοξίας introductione & professione, hactenus eam turbarunt, & etiamnum turbant, censemus.

Hanc orthodoxam hisce antithesibus expressam sententiam, ut verbo Dei consentaneam, porro in Ecclesia Reformata Belgica constanter retinendam & docendam esse, judicamus.

DECLARATIO SENTENTIÆ

Et judicij

Deputatorum Synodi Civitatis Groningæ.

ET

Omlandiorum de doctrina in Remonstrantium Articulis tertio & quarto, comprehensa.

Confitemur convenienter cum Sacris Scripturis;

IN homine lapso & nondum regenito, nullam prorsus vel minimam, in rebus spiritualibus, aut ad saluté pertinentibus, nec in intellectu, nec in voluntate, vim relictam esse, qua, ut oportet, vel Deum, aut ea quæ Dei sunt, eiusque ad salutem, voluntatem & spiritualia beneficia, intelligere aut percipere: vel ullū vere bonum opus eligere aut efficere: vel ex libertate voluntatis proprie, ipsi Deo sive ad se vocanti respondere, sive pulsanti ostium aperire, sive salutem proponenti annuere Deique voluntati assentiri, vel denique in se operanti cooperari ullo modo possit: sed, cum in se totus sit caro; ipsissima in intellectu cæcitas & tenebræ, atque in voluntate omnibusque animæ facultatibus corruptio ac depravatio, ita ad sui conversionem aut regenerationé se mere passive habere, ut quicquid in ipso regenerationis principio aut percipere aut incipere videtur, id totum esse à sola efficacia gratiæ Dei, pro sua bona voluntate cum regenerantis.

Contra iudicamus Remonstrantes, contra verbum Dei aperte docere, cum statuunt: Deum in hominibus, scintillas, reliquias, aut dona sive lumen naturæ, quæ illis est prima gratia, hoc fine reliquisse, ut pro mensura istorum donorum Deum glorificarent, ut illis disponi possent ad desiderandam & expetendam gratiam quæ in Euangelio offertur; & ut ijdem qui lumine naturali aut prima gratia recte utuntur, supernaturali gratiæ illuminarentur, aut ulteriori gratia donarentur, donec tandem ad Christum ipsiusque cognitionem ducerentur. Arminius contra Perkinsum p. 218. l. 30. Iohan. Arnoldi contr. Tilen. p. 107. l. 3. & p. 118. l. 18. 19. & p. 119. l. 21. 22. & 154. l. 22. & 156. l. 15. & 394. l. 28. & 407. l. 19. & 413. l. 11. 12. Et in secunda gratia, quæ illis est, per prædicationem Euangelij, moralis suasio: Deum illam (scilicet moralem gratiam) adhibere, ad consensum voluntatis eliciendum. Nicol. contr. Amesium p. 243. l. 11. dicunt enim in spirituali morte proprie dona spiritualia, ab hominis voluntate non fuisse separata quia illa nunquam ei fuerunt insita; atque ita libertatem, ut partem naturæ creatæ, in illo reliquam esse factam, esseque voluntatem ex se liberam ad volendum vel bonum vel malum: Coll. Hag. Brand. p. 248. l. 23. 27. 16. Item Deum hominem peccatorem natura non privasse cuius pars est voluntas, cuius proprium est libertas, ad rem propositam vel recipiendam vel reijiciendam, Coll. Hag. Brand. p. 301. l. 13. ac proinde fidem seu τὸ credere & conversionem à voluntatis libertate dependere. Negant id quidem Arnol. con. Til. p. 446. l. 5. à fine, & de effectu gratiæ ibidem. p. 447. l. 2. 3. & Nicol. con. Ames. p. 206. l. 10. nihilominus ex ipsorum & aliorum verbis satis demonstrari potest: dicunt enim Grevinc. con. Ames. p. 206. l. 11. 12. eo quo diximus sensu, arbitrium determinare gratiam, nihil aliud est

est quam arbitrium libere præstare,concursum suum gratiæ cooperanti,vel arbitrium ita cooperari, ut possit non cooperari,adeoque non cooperando impedire cooperationem gratiæ : ut Arnold.cont. Til.p.447.l.6. hominem non instrui viribus novis,nisi salva manente libertate voluntatis,ideoque usum gratiæ voluntati subiici , ut homo eadem uti possit,vel non uti pro naturali sua libertate : item p.448.l.8.& p.74.in fine. etiam Arm.cont.perkins.p.245.l.26. manet semper in potestate liberi arbitrij, gratiam datam reijcere & subsequentem repudiare , quia gratia non est omnipotens Dei actio, cui resisti à libero hominis arbitrio non possit. & Arnold. illam Arminij sententiam explicans. con. Til.p.127.l.20. dicet (scilicet Arminius) gratiam cui totam efficacitatem lubens tribuit, non tam potenter hominem movere,quin semper sit in potestate hominis, in tantum resistere gratiæ,ut cessare possit ab actione cum gratia tamen ut agat,intendit. Sic etiam p.337. in fine , & 381. l.2. Item Remonstrantes Coll. Hag. Brand.p.501.l.19. hominem (libertate manente) posse regenerationem suam impedire,etiam cum Dei Spiritus eum vult regenerare, quoniam potest sermonem prædicationis & reconciliationis,qui est semen regenerationis. 1. Petr.1.27. contemnere, & aures suas ad illum obturare : sic etiam. p.329.l. 21. & 227. l.15. & 229.l.6.13. Nic. Grev. con. Ames. p. 198. l.12. &c. Et tandem l.19. imo ut confidentius agam , dico effectũ gratiæ ordinaria lege pendere ab actu aliquo arbitrij,ut prævia conditione sine qua non. Item. p.204. l.1.2.&c. Totius simul complexi causam communem dari non posse aliam,præter libertatem voluntatis,&c. Et p. 206.l.3. arbitrium ex se solo,prævia quadam motione determinat gratiam,&c.

Atque hic ordo,hic finis,novæ huius & heterodoxæ Remonstrantium Theologiæ, quem enim alium,in omnibus articulis,sibi finem præstituunt , quam ut illud ab hæreticis alijs conflatum,nunc erigant & stabiliant, liberum humanæ voluntatis,in rebus spiritualibus aut ad salutem pertinentibus,arbitrium: huc faciunt dogmata; 1.electionis ex prævisa fide. 2. mortis Christi communicandæ,ex conditione novi fœderis, id est fidei & resipiscentiæ. 3. de principio concipiendæ fidei ex bono usu primæ gratiæ, id est luminis naturæ,aut ex hominis rectâ dispositione,seu ex probitate,vel ut probus sit. Episc. in privat. Thes. Disp. 15. Thes.7.8. p. 45. 4. Operationis spiritus sancti ex actu liberi arbitrij. 5. perseverantiæ, sub eadem conditione pergentis, & perpetuæ fidei ex cooperatione voluntatis,quam causam vocant concomitantem. Coll.Hag. Brand.p.403.l.14.p.406. in fine, & pag.407.l.21.28.

Rationes ex Scriptura Sacræ testimonijs.

Pugnat illud cerebri humani figmentum & dogma cum manifestissimis S. Scripturæ testimonijs.

1. Quæ tradunt,omnes & singulos homines peccato originali infectos & corruptos esse,non tantũ quoad reatum , qui in omnes homines migravit, sed & culpam seu totius naturæ depravationem,per generationem , quæ ad omnes pervasit ; qua mens, voluntas,omnesq; facultates hominis ita sunt depravatæ,ut mens execcata Deum recte cognoscere , voluntas à Deo aversa , Dei voluntati obtemperare non possit. de hoc peccato loquutus Deus,Gen.5.3. Adam genuit Filium ad imaginem & similitudinem suam. Vnde Paulus.1. Cor.15.49. *sicut gestavimus imaginem terreni,* Item.Gen.6.5.& 8. v.21.Iob.14.4. Psal. 51.7. Ioan.3.6.Rom. 5.12.14. & 7.17. Ephes. 2.3. (hoc peccatum Paulus appellat inhabitans. Rom.7.17. & legem peccati,v.23.

2, Quæ in specie docent, hominis intellectum obcæcatum , & voluntatem cum omnibus affectibus pravam & Deo adversam & aversam esse factam. de intellectu. Rom. 8.7. *intelligentia carnis est inimicitia adversus Deum.* 1. Cor. 1. vers. 19.20. & 2. v.14.*Animalis homo non est capax eorum quæ sunt Spiritus Dei,sunt enim ei stultitia,nec potest ea cognoscere aut intelligere,quæ spiritualiter dijudicantur.*

Ephes.4.18. *Cogitationem habentes obscuratam à vita Dei ; propter ignorantiam quæ est in ipsis ex obduratione cordis eorum.*

De voluntate, Ier.17.9.10. *Pravum esse cor hominis & inscrutabile,quis cognoscet illud; ego Dominus scrutans cor,& probans renes.*

Rom.7.

Rom.7.v.5. *Quum essemus in carne, affectiones peccatorum, per legem vigebant in membris nostris ad fructum ferendum morti.*

Ephes.2.v.3. *Nos omnes conversati sumus olim in cupiditatibus carnis nostræ, facientes quæ carni ac cogitationibus libebant*, & cap.4.v.22. *deponere* &c. *Veterem hominem qui deceptricibus cupiditatibus corrumpitur.*

De omnibus affectibus; Matth.7.17.18. Matth.15.19. *ex corde egrediuntur cogitationes malæ, cædes, adulteria, scortationes*, &c.

Ephes.2.v.3. *Facientes* &c. Et cap.4.v.17. *sicut reliquæ gentes versantur in vanitate mentis suæ.*

3. Quum itaque expresse declarant hominem non renatum, suis se viribus ad Deum non posse convertere, aut abjicere ignorantiam Dei & pravas inclinationes: Et veram cognitionem recipere & novos seu spirituales motus inchoare: hæc enim omnia Deus hominibus adimit, & sibi soli tribuit: Hominibus adimit. Ies.13.23. *si mutare potest & æthiops pellem suam* &c. Matth.12.39. *quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali*: Ioan.3.3. *nisi quis renatus fuerit* &c: Item Rom.8.7.1. 1.Cor.2.14. *Sibi soli tribuit.* Deut.29.4. *Non dedit vobis Deus cor intelligens* &c. Et cap.30.6. *Circumcidat Dominus Deus tuus, cor tuum* &c: Ezech.11.v.19.20. & 36.26. *dabo vobis cor novum* &c. Matth.11.27. & 16.17. *caro & sanguis* &c: *Sed pater meus qui est in cælis.* Ioh.3.v.27. *homo non potest recipere quicquam nisi fuerit ei datum è cælo.* Ioh.6.44. 48. & dein v.65. *propterea dixi vobis, neminem posse venire ad me, nisi fuerit ei datum à patre meo.* sic. Ioh. 15.5. & 16. 1.Cor.2.v.10. *Deus autem nobis revelavit per spiritum suum.*

4. Quæ testantur, hominem non renatũ Deo non posse cooperari. Ioh.1.v.12. *Dedit Deus hanc ἐξουσίαν sive dignitatem, ut Filij Dei fierent, qui credunt in nomen eius, qui non ex sanguine neque ex libidine carnis, neque ex libidine aut voluntate viri, sed ex Deo geniti sunt:* excludit itaque omnia, quæ ab homine proferri possent, quasi vel tantillum ex se conferrent ad sui regenerationem; & soli Dei gratiæ ascribit: ut enim homo ad sui formationem in utero matris nihil è suo confert, sed subjectum est mere passivum, sic etiam ad sui regenerationem nihil è suo omnino affert, nec cogitationis, nec desideri, nec voluntatis, aut assensus, sed subjectum est mere passivum in manu Dei regenerantis. Gal.5.17. *caro pugnat, adversus spiritum.* Rom.8.7. *intelligentia carnis est inimicitia adversus Deum.* Quod itaque pugnat & inimicitia est adversus Deum seu spiritum regenerationis, certe nihil confert regeneranti, nec cooperatur gratiæ. Esa. 45.9 & 64.8. comparantur luto in manu figuli; quod Paulus Rom.9.20. etiam ad nostri recreationem accommodat: Vas autem quando fingitur à figulo, nihil confert ad sui figmentum; nec homo ad sui recreationem.

Idem confirmatur istis testimonijs, in quibus homines non regeniti dicuntur habere cor lapideum. Ezech.11.19. & 36.26. mortui in peccatis, Ephes.2. Lapis, nullam ad mollitiem in se aptitudinem habet, & mortuus nihil ad vitæ humanæ actiones, nec ad sui suscitationem quicquam potest: ita nec homo irregenitus &c: etiam nova creatura, Gal.6.15. 2.Cor.5.17. & Ephes.2.v.10. itaque nihilo hic homo ex se ad sui recreationem potest plus, quam ad sui creationem, quoad substantiam.

Ergo cum certo certius constet, non modo hominẽ tam esse corruptum, omnesque vires annihilatas, verum etiam, initium, progressum, finem conversionis, adeoque totam conversionẽ & salutem à sola Dei gratia esse, merito reijcimus quicquid Remonstrantes ex suo sensu dicunt de lumine *naturæ* deque præveniente, excitante, & cooperante gratia.

II.

Itaque confitemur, fidem salvificam & quoad initium, & quoad progressum, non esse ex hominibus aut ex ulla hominis dispositione, sed merum esse Dei donum, quo electi solummodo ex gratia donantur.

Contra reijcimus Remonstrantium opinionem, qui quidem ore aut verbis fatentur, hominem fidem salutarem, non ex seipso habere nec vi liberi arbitrij, sed à Christo per Spiritus sancti renovationem accipere, proptereaque in quarto articulo gratiam appellant, re tamen ipsa negant: quod quam sit verum liquido patet, primo ex ipsorum Remonstrantiũ scriptis. Plurimis enim locis per gratiam intelligunt,

dona illa, quæ homini à Deo in media corruptione sunt relicta, adeo ut jam illis, gratia esse videatur ipsa natura, aut lumen naturale in hominibus à Deo relictum. Sic enim Arminius advers. Perk. p. 118. l. 30. Spondet Deus, se gratia supernaturali illuminaturum, qui lumine naturali recte utitur, aut saltem utetur, quantum poterit, minus male. Et Ioh. Arnold. Arminij mentem explicans cont. Tile. p. 154. l. 22. dicit. Notat autem insuper, nullum esse, qui omnis omnino gratiæ sit expers, sed omnes homines habere aliquas Divinæ gratiæ reliquias & scintillas luminis, cognitionisque Divinæ, hoc fine à Deo ipsis relictas, ut pro mensura, suorum donorum Deum glorificarent. Item p. 156. l. 15. Mavult D. Arminius statuere, Deum ulteriore gratia donare, prima recte utentem. & pag. eadem. 29. & p. 157. l. 1. 4. & p. 158. l. 4. Iam vero hoc peccato gratia sua utente, quodque per eandem potest, facienti, Deum plura & majora dona largiturum sentit Arminius. Item p. 394. l. 28.

Remonstrantes Coll. Hag. Brand. p. 329. l. 14. aut, Belg. p. 275. Negarius fidem esse donum Dei respectu efficacis (Belgicum habet, *een datelycke*, actualis) infusionis. Eadem pag. Brand. l. 21. Qualiacunque dona sint, seu corporalia seu spiritualia, modo talia sint, quibus nos Deus non vult nisi voluntate interveniente, donare, qualia sunt fides & conversio: ea tamen fiunt talia, quę possunt à nobis reijci &c. Et pag. Brand. 333. l. 11. Reipsa ergo negant fidem vere aut proprie Dei speciale donum esse: Nam eam ob causam ipsis est donum quia Deus gratiæ reliquias & scintillas luminis naturalis, hominibus reliquas fecit, suntque illis prima gratia: Arnol. con. Til. pag. 156. l. 15. Imo fidem & conversionem inter illa dona numerant, quæ eodem loco habent, quo corporalia, quæ Deus non dat nisi voluntate intervaniente. Coll. Hag. p. 329. l. 21. Secundo, fidem vere Dei donum non esse, etiam patet ex ipsorum doctrina. 1. De electione scil. ex fide prævisa. Si enim electio ex fide prævisa, annon videntur intelligere non fidem, quam Deus nolens dat, (alioquin Deus eligeret propter aliquid, quod ipse est daturus) sed quam nos prima gratia, aut lumine naturæ bene utentes, Deo habituri sumus. 2. de fide ipsa. cum enim fides, ut fatentur, actus sit voluntatis, voluntas autem non regeneretur nec renovetur, sed ex se libera manserit: Coll. Hag. Brand. p. 298. l. 16. Quid? annon inde sequitur fidem proprie non esse donum Dei gratuitum, sed à voluntate procedere, quæ semper libera mansit, & in qua talis infusio fieri non poterat?

Rationes.

Theseos nostræ veritatem & Antitheseos falsitatem probamus.

1. Vocabulum gratiæ in materia electionis, justificationis & salutis, nusquam in Dei verbo sumitur pro donis gratuitis à Deo in homine relictis, aut quibus homines donantur: In causis enim salutis opponuntur gratia Dei & opera, sive sint legis sive Euangelij, aut quædam hominum dignitates, uti legere est, Rom. 11. v. 5. 6. *conservatio aut reliquiæ secundum electionem gratuitam factæ sunt. Quod si per gratiam, jam non ex operibus: alioquin gratia jam non est gratia &c.* 2. Timoth. 1. v. 9 *Qui servavit nos & vocavit vocatione sancta, non ex operibus nostris, sed ex proposito & gratia quæ data est nobis in Christo Iesu ante tempore secularia.* Tit. 3. 4. 5. *Postquam bonitas & erga homines amor apparuit servatoris nostri Dei, non ex operibus iustis &c: sed ex misericordia servavit nos,* Sed tantum pro illo favore Dei immerito, quo proprie electis favet, atque ex sua benevolentia, charitate & misericordia salvos facit. Genes. 6. 8. Exod. 33. 11. 17. Act. 7. v. 46. Rom. 3. v. 24. & 11. v. 5. 6. Ephes. 1. v. 6. 7. & 2. v. 8. atque hanc gratiam Deus in verbo suo asserit unicam esse causam electionis, Ephes. 1. 4. 6. 9. Rom. 11. 5. & 9. v. 11. vocationis, Ephes. 1. v. 9. 2, Timoth. 1. 9. Iustificationis, Rom. 3. 23. & 4. v. 6. Sanctificationis, Tit. 3. v. 5. 7. 1. Petr. 1. v. 2. Glorificationis. Rom. 6. 23. Tit. 3. 5. 6. 7. Concludimus ergo gratiam de qua loquimur, nullum habere ortum nisi à bonitate & voluntate Dei, eoque nullo modo à nobis esse, nec ab illis pendere quæ sunt in nobis relicta, aut quibus à Deo donamur.

2. Spiritus Sanctus apertissime negat, fidem esse ex hominibus aut ullis qualitatibus in homine relictis. Alioquin ex carne (quod Spiritus Sanctus reijcit) Filij Dei

aut

aut fideles nascerentur : dicit enim Ioan. 1.13. Filij Dei fiunt, *qui non ex sanguinibus neque ex libidine carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo geniti sunt.* Non tantum ergo sanguinis propagatio à nativitate Filiorum Dei excluditur, sed etiam vis hominis summa, ac ipsius liberi arbitrij pars præcipua, nempe voluntas carnis & viri, id est hominis spiritu Dei destituti, aut cuiuscunque dignitatis hominis consideratio. Item Rom.9.v.6.7.8. 1.Petr.1.23. Sic etiam Christus D. N. Matth.16.v.17. *Caro & sanguis hac non retexit vobis.* Matth.11.v.25. *Hæc sunt abscondita à sapientibus & intelligentibus,* Iohan.6.v.44. *Nemo potest venire ad me.* Ioh.10.26. *Vos non creditis, non enim estis ex ovibus meis.* Rom.8.5. *Qui secundum carnem sunt, quæ carnis sunt sapiunt*, & v.8. *qui in carne sunt, Deo placere non possunt*, nec ergo fidem habent, Rom.9.16. *Non est currentis, nec volentis, sed miserentis Dei.* 1.Cor.1.21. *In Dei sapientia, mundus non cognovit Deum ex sapientia. est enim sapientia latens in mysterio & occulta*, Item. 1.Cor. 2.v.6.8. & v.14. *Animalis homo non est capax eorum, quæ sunt spiritus Dei.* 2.Cor.3.5. *Non sumus idonei ex nobis ipsis ad cogitandum quicquam, &c.* 2.Thes.3. v.2. *non omnium est fides.*

3. Manifestissimis verbis, fidem, donum Dei gratuitum esse Spiritus sanctus docet: Non tantum cum in genere dicit, Ioan.6.v.44. *Nemo potest venire ad me nisi Pater qui misit me, traxerit eum.* 1. Cor.4.7. *quid habes quod non acceperis?* 2. Cor.3.5. *quod idonei sumus, ex Deo est.* Iac.1.v.17. *Omne munus bonum, & omne donum perfectum superne est, descendens à Patre luminum*, ergo & fides. Verum inprimis cum in specie pronunciat. Matth. 16.17. *Pater meus, qui in cælis, revelavit tibi.* Ioh.6.45. *quisquis audivit à Patre & didicit, veniet ad me.* Rom.12.3. *Prout cuique Deus partitus est mensuram fidei.* 1.Cor.12.9. *alij datur fides per eundem spiritum.* & v.30. dicit Paulus neminem posse dicere Iesum Dominum nisi per Spiritum sanctum, quod perinde valet, acsi diceret, neminem in Christum posse credere nisi per Spiritum sanctum; confessio enim oris, est effectus spiritus fidei, sic enim Paulus. 2. Cor. 4.13. *Quia habemus eundem Spiritum fidei*, &c: *Nos quoque credimus, quamobrem etiam loquimur* : Gal.5.22. *Fructus Spiritus est*, &c. *Fides.* Ephes.2.8. *Gratia estis servati per fidem idque non ex vobis, Dei donum est.* Philip. 1.29. *Vobis datum est in Christi negotio, non solum in eum credere, sed etiam pro eo affligi.* 2.Petr.1.1. *Qui æque pretiosam fidem nobiscum sortiti sunt, per justitiam Dei nostri & Servatoris Iesu Christi:* Et tandem Hebr.12.2. dicit, Christum ducem aut authorem & perfectorem seu consummatorem fidei.

3.

Medium quo Deus electionis Decretum exequitur, & in electis fidem efficit, esse efficacem aut salutarem vocationem, qua per prædicationem Euangelij & internam Spiritus Sancti operationem, sine qua non sufficeret prædicatio, electi vocantur, ut vera fide & fiducia prædicatum verbum accipiant, & Christo adhæreant.

Contra à veritate discedere Remonstrantes iudicamus, dum sentiunt.

1. Deum omnes homines aliqua vocatione, (late sumpta pro quacumque ad pœnitentiam vocatione, Arnol. con. Til. p.90. l.9.) vocare, id est, per communem illam vocationem, qua se Deus non sine testimonio relinquens, hominibus aliquã veritatẽ de potentia & bonitate sua patefecit, & legem mentibus insculptam conservaverit: qua testificatione, etiam illa veritate, quam in injustitia detinent, hoc est, cuius in se effectum impediunt, & illa, legis in mentes inscriptione, secundum quam cogitationes habent ipsos accusantes, adduci possunt ut palpando Deum inveniant. Arm. con. Perkins. p.259. l.4.5.6.7. & l.33. 34.35. & Arnold. cont. Tilen. p.99. l. 27. & p. 417. l. 22. & p.415. l.4. idem patet ex verbis Arminij & Arnoldi, supra ad primam Thesin allegatis. 2. Media ad fidem & resipiscentiam necessaria, omnibus sufficienter & efficaciter administrare, Arn. cont. Til. p.369. l.6. & p.154. l.15. & p.362. l.25. & p.399. l.2. à fine. mediaque illa esse diversa scilicet sive mediate per legem, sive immediate per Euangelium, Arn. con. Til. p.98. l.17.18. Per legem) quæ ideo prædicatur, ut animos peccatorum disponat ad desiderandam & expetendam gratiam, quæ in Euangelio offertur, &c. Arn. cont. Til. p. 107. l.3.4. & p.413. l.8. verum (inquit) antequam Pater ad Christum trahat per Euangelium, trahit nos primo ad nostri ipsorum cognitionẽ per legem, ut scilicet idoneos nos reddat, quos deinde per Euangelium ad Christum trahat: illi enim idonei sunt & dispositi, qui

siti, qui ex lege peccata, & de ijsdem dolere didicerunt. & pag. 107. lin. 2. 3.

Quid autem per legem intelligunt Remonstrantes? Arnoldus dicit contra Tilen. pag. 107. lin. 12. Hanc legem omnes habent insculptam cordibus; & pag. 304. lin. 28. aliquas homini scintillas luminis & cognitionem aliquam legis cordi insculptam reliquam fecit, (scilicet Deus) qua excitata, suæ miseriæ, imbecillitatis & impotentiæ convinci posset: convictus & ob peccata dolere & ex dolore gratiam remissionis peccatorum, & spiritus novi, implorare disceret: & pag. 407. lin. 19. alibi illam legem appellat aliquod lumen reliquum à Deo in natura relictum, quod naturæ tamen sit superioris, pag. 116. lin. 10. quale autem illud sit lumen ibidem exponit, lin. 12. &c. Has scintillas aut reliquias luminis, fatetur esse aut naturæ superioris, pag. 116. lin. 11. & pag. 418. lin. 9. & pag. 421. lin. 4. aut gratiam spiritualem: dicit enim pag. 418. l. 27. est alia etiam gratia spiritualis nondum regenerans, sed ad regenerationem disponēs, scilicet qua homo ad sui & peccatorum suorum agnitionem, deque ijsdem dolorem ducitur, & ad desiderandum liberatorem.

Aut etiam omnibus communem gratiam pag. 424. lin. 15. vel communiorem & præcedaneam gratiæ regenerationis. pag. 421. lin. 1. 2. aut etiam primam gratiam pag. 156. lin. 15. & pag. 430. lin. 2. atque ait pag. 107. lin. 15. 16. hinc omnes aliqua ratione vocari dico.

Hanc quidam gratiam primā pro salutari non videntur agnoscere; (quamvis dicat Arm. pag. 9. lin. 1. 2. 3. eos qui externo verbi præconio ad gratiam non vocantur, non tamen plane à gratiæ aditu excludi) attamen fatentur isti salutari esse præcedaneam, Armin. contra Perkins. pag. 260. lin. 3. 4. 5. 6. 7. & Arnold. contra Til. pag. 113. lin. 3. 4. & pag. 399. lin. 2. à fine.

Et quamvis ex se suo ingenio, naturalibusque viribus, id est, per primam gratiam vere bonum homines invenire vel excogitare non possint, (dicit enim Arnold. pag. 419. lin. 1. hominem prima gratia ad monstratum liberatorem quærendum excitari:) multis tamen in locis expresse profitentur, peccatorum animos, prima, per legem scilicet menti insculptam, gratia, disponi ad desiderandam & expetendam gratiam, quæ in Euangelio offertur, Arnol. cont. Til. pag. 107. lin. 3. & pag. 413. l. 11. 12.

Item, Deum bona hominibus reliquisse, ut si istis donis uterentur, hoc est, ad ipsum, obsequij præstatione pro mensura suæ cognitionis, glorificandum, ampliorem Dei benignitatem experirentur, & ampliore gratia, clariore scilicet revelatione donarentur, donec tandem ad Christum ipsiusque cognitionem ducerentur: Arnold. contra Tilen. pag. 118. lin. 17. 18. & pag. 407. lin. 19. vel ad eorum omnium mysteriorum cognitionem, quæ ad salutem cognitu sunt necessaria. pag. 119. lin. 21. 22. id est Deum secunda gratia (ut loquuntur,) eos donare, qui prima recte utuntur.

Secundam gratiam, quæ est per Euangelium aut Euangelij prædicationem, statuunt isti universalem fuisse in Adamo, item temporibus Noachi, Abrahami, &c. Arnold. contr. Tilen. pag. 101. & 102. &c. Itaque & illud medium quod est immediate per Euangelium omnibus hominibus esse commune.

2. Sufficientem & efficacem, uti in genere de omnibus mediis eloquuntur, Arm. Decl. sent. pag. 201. in Tertio Decreto, & in Artic. perpen. pag. 21. Arnol. con. Til. p. 369. lin. 6. dicit etiam Arnold. Prædicationem Euangelij, Spiritus sancti operationem habere coniunctam, contra Til. pag. 433. lin. 19. & ex sententia Arminij pag. 125. lin. 8. & pag. 432. lin. 4. à fine: sententia Arminij est, internum spiritus auxilium communiter & ordinarie ijs contingere, qui per verbum Euangelij vocantur, & omnibus quidem illis hoc contingere, qui primo vocantur, donec se sua rebellione & contumacia, isto auxilio non reddunt indignos, aut non merentur, ut spiritus in illis operari desinat: Remon. in Thes. exh. Thes. 6. & Coll. Hag. Brand. p. 308. lin. 4. à fine.

Quid? cum sentiunt quod Spiritus sanctus, quicquam ex se aut immediate in homine ad conversionem efficiat aut operetur? credimus (inquiunt) Remonstrantes, Coll. Hag. Brand. pag. 308. lin. 6. Dei Spiritum nullum in nobis robur ad conversionem ordinarie efficere, nisi per verbum. Nam quod ipse Spiritus efficaciter operetur? absit: Vult enim Arminius, ut Arnoldus refert, quicquid de sufficientia dicitur, assistentiæ Spiritus ascribi, qua ille verbi prædicationi per quam efficax est assistit, quaque ita in hominum animis operatur, ut menti sensum

verbi imprimat, eodem cor afficiat, & assensum porro eliciat, & contra Tilen. pag. 437. lin. 14. qua autem ratione Spiritus assistentiæ menti sensum imprimat, cor afficiat & assensum alliciat, satis superque declarant, cum gratiæ efficaciam nequaquam admittunt, sed in morali suasione totum illud collocant: neque (inquit Nicolaus contra Ames. pag. 243. lin. 5. à fine:) ad conversionem peccatoris concurrere motionem Dei prævIam, qua voluntas sic præ determinatur ad consensum, ut non possit dissentire: & pag. 206. lin. 3. fatetur arbitrium ex se solo prævia quadam motione determinare gratiam: sed ut arbitrium posita jam gratia præveniente libere se determinat ad cooperandum, ita nec gratia cooperetur, nisi arbitrio cooperante. Et de suasione dicunt Remonstrantes: Coll. Hag. Brand. pag. 314. lin. 23. fidem in nobis operari, per modum objecti. Facultas enim (ut dicit Nicolaus) eligendi vel repudiandi obiectum ab intellectu monstratum, voluntati naturalis est, contra Ames. pag. 299. lin. 25. Quid autem illud obiectum aliud quam gratia aut suasio moralis? Hanc se intelligere fatetur Nicolaus pag. 317. lin. 1. & pag. 302. lin. 9. & pag. 318. lin. 10. & pag. 342. lin. 11. dicit Deum moralem Gratiam adhibere ad consensum voluntatis eliciendum. & pag. 297. lin. 3. à fine. Quid obstat quo minus vel sola gratia moralis istos ψυχικὸς spirituales reddat: in Coll. Hag. Brand. pag. 311. lin. 4. & alijs nonnullis verbis Nicolaus contra Ames. pag. 320. lin. 20. an non ut nobilior ita & Deo hominique convenientior sit ista conversionis efficacia, qua suaviter alliciendo in consensum, pellicitur is, qui dissentire poterat? idem volunt cum per tractionem Patris, illicinium Patris: Collat. Hag. Brand. pag. 322. lin. 22. 29. aut suavem sed vehementem moralem motionem, puta invitationem intelligunt: Arnold. contra Tilen. pag. 412. lin. 2.

Imo illos omnes ita sentire clarissime ex eo liquet, quod dicant homines sic gratiæ obniti posse, ut illam impedire & evertere possint. Remon. Coll. Hag. Brand. pag. 274. lin. 3. item illam non ita instruere hominem novis viribus, quia semper maneat in hominis potestate, ijs uti vel non uti. Arnold. contra Tilen. pag. 337. lin. 3. à fine. ex Arminij sententia: & pag. 381. lin. 3. ita hæc Deum facere, ut semper maneat homini libertas, ijsdem medijs non utendi, & gratiæ excitanti proprio arbitrio reluctandi: & lin. 6. à fine: & pag. 385. lin. 22. Adeo ut possint resistere cum Spiritus Sanctus in homine operatur cum voluntate & proposito ipsum convertendi, Collat. Hag. Brand. pag. 227. lin. 25. Belg. 191. in fine eius paginæ: Brand. 229. lin. 13. Belg. pag. 193. lin. 9. Arnold. contra Tilen. pag. 75. lin. 1. & pag. 127. lin. 20. & pag. 381. lin. 2. Nicol. pag. 198. lin. 10. Summatim ex Remonstrantium sententia ad fidem concipiendam aut habendam duo requiri. 1. recta dispositio eius qui crediturus est. 2. argumenta vel adscita vel insita, quibus moveatur ut credat. Episcop. Thes. privat. Dis. 15. Thes. 7. pag. 45.

Rationes:

Theseos nostræ veritatem S. Scriptura docet, contrariam & Heterodoxam Remonstrantium, clarissimis verbis, rejicit.

I.

Cum homo irregenitus, id est in lapsu consideratus, nihil in se habeat, quo se ad bonum supernaturale posset disponere; Spiritus Sanctus aperte negat hominem ullum ex lumine & donis naturæ in illo relictis, ad Deum vere cognoscendum, posse moveri: dicit quidem David Psalm. 19. vers. 1. 2. ex rebus creatis Dei gloriam & omnipotentiam cognosci, *Cæli* (inquit) *enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum:* attamen illud ad salutis gratiam consequendam nihil efficere testatur, cum vers. 8. dicit, *Lex Domini* (de Euangelio loquitur Rom. 10. vers. 18.) *immaculata, convertens animas, testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis: iustitiæ Domini rectæ letificantis corda, &c.* Paulus

Paulus asserit, Ethnicos ductum naturalis luminis sequentes, etiam cum se profiterentur sapientes, stultos esse factos, Rom. 1. 23. Rom. 8. vers. 6. 7. *φρόνημα*, id est intelligentiam carnis mortem esse & inimicitiam adversus Deum, nec legi Dei subjici posse. Quomodo se ergo disponet homo ad secundam gratiam? 1. Cor. 1. vers. 19. 20. sapientiam sapientum scilicet mundi, ut intelligentiam intelligentium, è medio Deum sustulisse & infatuasse: & vers. 21. *Postquam in Dei sapientia*, id est, ex rebus creatis, *mundus*, id est, homines non regeniti *non cognovit Deum ex sapientia*, id est, ex seipso aut lumine naturæ; *placuit Deo per stultam prædicationem servare credentes*. Et cap. 2. vers. 6. 7. 8. dicit sapientiam veram in mysterio latuisse aut occultam fuisse, quam nemo principum huius sæculi cognovit; imo *prædicamus* (inquit) *quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in mentem hominis venerunt, quæ paravit Deus ijs qui diligunt ipsum*. Quod non tantum verum est respectu remedij inventionis sed etiam quoad remedij aut mysterij patefactionem, per Euangelij prædicationem: nam dicit cap. 1. vers. 18. sermo ille de cruce, ijs qui pereunt stultitia est, & cap. 2. vers. 14. *animalis homo*, id est, homo à Spiritu Sancto non illuminatus, non alia quam sola naturali animæ luce præditus, & qui propterea ex sermonibus, quos docet humana sapientia judicat, *non est capax eorum quæ sunt spiritus Dei, sunt enim ei stultitia*, id est cum in suis naturalibus non sit præditus ea facultate, qua res spirituales dignoscuntur, ipsam sapientiam spiritualem pro stultitia habet, eamque ut stultam imo insanam deridet & rejicit: deinde addit; *nec potest ea cognoscere, quia spiritualiter dijudicantur*. Docet ergo Apostolus homini non regenerato impossibile esse, doctrinam Euangelij aut salutis per Iesum Christum intelligere & percipere. Dominus noster Iesus Christus, prædicavit Euangelium maximaque edidit miracula ad confirmandam Euangelij doctrinam, homines tamen animales monstratum remedium non sunt amplexi, sed rejecerunt, in Iesum Christum non credentes, uti dicitur. Iohan. 12. 37. quæ autem fuit ratio? num quia arbitrio suo, aut gratiæ vel utendi vel non utendi libertate, illis reliqua facta, ab usi fuerint? aliam Spiritus sanctus judicat; dicit enim Iohan. 12. vers. 38. ut sermo Esaiæ Prophetæ impleretur, quem dixit: *Domine quis credidit sermoni nostro? & brachium Domini*, id est Euangelium *cui retectum est?* Non intelligunt itaque Euangelij doctrinam, quorum Dominus cor non aperit: addit propterea Spiritus Sanctus. vers. 39. 40. *propterea non poterant credere, quia iterum dixit Iesaias: Excæcavit oculis eorum, & obduravit corda eorum ne videant oculis & intelligant corde & convertantur:* sic etiam Iohan. 10. 26. *Sed vos non creditis, non enim estis ex ovibus meis:* homines ergo credere non possunt, nisi eos Deus in oves commutaverit: & Matth. 13. 11. *Vobis datum est nosse arcana regni cælorum, illis autem non est datum:* & vers. 13. 14. *Propterea per parabolas loquor eis, quia videntes non vident, & audientes non audiunt nec intelligunt, itaque completur in ipsis Prophetia Esaiæ, &c.* eandem Christus causam incredulitatis exprimit, Matth. 11. 25. *Confiteor tibi Pater Domine Cæli & Terræ, quod absconderis hæc à sapientibus & intelligentibus*, scilicet huius mundi, *& ea detexeris parvulis: etiam Pater quia ita placuit tibi:* & tandem, Iohan. 3. 19. *hæc est condemnatio, quod lux venit in mundum, sed dilexerunt homines potius tenebras quam lucem*. Homines itaque quibus non est datum à Deo, aut quibus non est, speciali gratia Spiritus Sancti revelatum, nec remedium invenire, nec patefactum agnoscere, admittere aut apprehendere possunt.

II.

Cum Deus electionis suæ Decretum per certa media exequatur, ut illis, quos elegit, ad finem perduceret: est istorum primum, ipsa vocatio per Euangelij prædicationem; qua Christus electos ex communi cæterorum turba evocat, eosque à mundo secernit aut separat, & ad finem electionis incipit perducere: est enim in manu ipsius ventilabrum & perpurgabit aream suam: cogetque triticum in horreum suum, paleam autem exuret igni inextinguibili. Luc. 3. 17. Item positus est Christus in casum & resurrectionem multorum in Israel, & in signum cui contradicatur: ut detegantur ex multis cordibus cogitationes, Luc. 2. vers. 34. 35. sic etiam Christus, *alias oves habeo, quæ non sunt ex hac caula, illas oportet me quoque adducere nam*

vocem meam audient, fietque unum ovile, & unus erit Pastor, Ioh. 10. 16. & Petrus, *vocavit nos è tenebris in admirabilem suam lucem*, 1. Petr. 2. 9. Hanc etiam ob causam Paulum Dominus admonuit, ut Corinthi absque timore verbum Dei prædicaret: dicit enim Act. 18. 10. *populus est mihi multus in hac urbe*. Sono quidem promiscuo, aures omnium prædicationem audientium ferit, sed effectu nonnisi eos vocat, quos Deus ad vitam æternam elegit. Illis enim ex Dei ordinatione, propria est vocatio. *Quos enim præscivit*, &c. *illos & vocavit*. Rom. 8. vers. 29. 30.

Hæc fit externe & interne: externe per prædicationem Euangelij, quæ omnibus illis est communis quibus verbum annunciatur, de qua Christus, Matth. 28. vers. 19. Marc. 16. 15. Qua vocati, qui noluerunt venire, & etiam quodammodo veniunt, sed absque veste nuptiali, Matth. 22. 12. Unde tandem addit Christus, *multi vocati, pauci electi*. vers. 14. quæ quidem in nuptijs effectum salutarem non habet, non quidem ob effectum gratiæ, sed propter humanæ naturæ pravitatem & perversitatem, quam Deus aufert & sanat in aliquibus, scilicet suis, in reliquis non item, quos justo iudicio in cordis sui duritie persistere permittit; non tamen omni fructu caret, uti nec pluvia, quæ non tantum in terram fertilem cadit, sed etiam in petras, aut alia loca petrosa. Illa enim cum evocantur electi & à malis descernuntur; impiorum cæcitas & depravatio manifestatur, omnis ignorantiæ excusatio præripitur, Iohan. 15. 22. atque in Dei judicio, proprio conscientiæ testimonio, de cæcitate & depravatione propria convicti, redduntur ἀναπολόγητοι.

Hęc Gratia communis resistibilis est omnino, hoc est, huic revera resistunt homines duri cervice & incircumcisi corde & auribus, Act. 7. 51. Matth. 23. 37. Actor. 13. 46. neque non possunt non resistere, *carnalis enim homo non percipit*, &c. *imo ne potest quidem*. Voluntas etiam non vult, & ne quidem potest ea velle, quæ sunt spiritualia, 1. Cor. 2. 14. non enim Deus eis dat mentem ad cognoscendum, oculos ad videndum, aures ad audiendum. Deut. 29. 4. Ioan. 12. 38. Interne per efficacem Spiritus sancti operationem, qua in nobis facit, quæ vocando jubet fieri; diciturque efficax propter Spiritus Sancti operationem: regenerat enim & illuminat mentes, renovat voluntatem, efficitque ut verbum prædicatum, cordibus electorum vere ad salutem insideat. Actor. 13. vers. 18. & 16. 14. Rom. 1. vers. 16. Hæc in Dei verbo appellatur tractio Patris. Iohann. 6. vers. 44. Baptismus Spiritus & ignis. Luc. 3. vers. 19. Apertio cordis, Actor. 16. vers. 14. Sancta vocatio. 2. Timoth. 1. vers. 9. de hac vocatione intelligenda verba Domini nostri Iesu Christi, Iohan. 6. vers. 45. *Omnis qui audivit & didicit à Patre, venit ad me*, & Apostoli Pauli 1. Corinth. 1. cum enim dixisset vers. 18. Prædicatio crucis ijs quidem qui pereunt stultitia est, nobis autem qui servamur potentia Dei est; addit postea vers. 23. 24. *Nos prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem offendiculum, Græcis vero stultitiam, ipsis autem vocatis, tum Iudæis tum Græcis, Christum Dei potentiam & Dei sapientiam.*

Prædicatio itaque Euangelij est ordinarium medium, quo Spiritus Sanctus fidem fideique effecta in nobis operatur & producit, Rom. 1. 16. & 10. vers. 14. & vers. 17. *Fides est ex auditu, auditus per verbum Dei.* 1. Cor. 1. vers. 21. *Placuit Deo per stultam prædicationem salvare credentes.* Marc. 16. vers. 15. Item 1. Petr. 1. vers. 23. 25. & Iacobi 1. vers. 2.

Non quod ex sese sufficiens & efficax sit instrumentum ad hominis conversionem, absque Spiritus Sancti operatione; quod enim sufficiens est & efficax, tantum est (testantibus Dei Sancti servis fidelibus) à Spiritus Sancti operatione. Profitetur enim Iohannes Baptista Luc. 3. vers. 16. *Ego quidem vos baptizo aqua, sed veniet qui validior me est: ipse vos baptizabit Spiritu Sancto, & igni:* & Apostolus Paulus. 1. Cor. 3. vers. 5. 6. *Quis est Paulus, quis Apollos, nisi ministri per quos credidistis, & ut cuique Dominus dedit. Ego plantavi, Apollos rigavit, sed Deus dedit incrementum. Itaque neque is qui plantat est aliquid neque qui rigat; sed Deus, qui dat incrementum.* 1. Corinth. 5. vers. 10. *Amplius quam illi omnes laboravi, non ego tamen sed Gratia Dei quæ mecum est.* Ijdem omnia etiam illa, quæ in ministerio obeundo fecerunt, ad Dei Christique mediatoris honorem referebant, neque unquam passi sunt ut quicquam Dei honori aut gloriæ homines detraherent. uti videre est in Petro & Iohanne Act. 3. 12. 13. 16. in Paulo & Barnaba, Actor. 14. vers. 14. 15. imo & Deus verbum externe prædicatum atque auditum & Spiritus sancti operationem, plurimis in locis

eum

eum in finem coniungit, ut significet prædicationem Euangelij salutarem non esse nisi ex gratia Spiritus Sancti illuminantis, docentis & persuadentis; Sic enim Deus, Esai. 59. vers. 21. *Spiritus meus qui est in te & verba quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo*, &c. *dicit Dominus à modo usque sempiternum.* Item Iohan. 15. vers. 26. Galat. 3. vers. 5. Ephes. 1. vers. 13. Hinc dicitur Marci 16. vers. 20. illi egressi prædicarunt ubique, Domino una operante; quod quam verum multis exemplis comprobatur, ut in genere, Actor. 8. vers. 16. 17. & cap. 10. vers. 44. & 11. vers. 15. ita & in specie: Actor. 16. vers. 14. Nos (Lydia) audivit cuius Dominus adaperuit cor ut attenderet ea quæ dicebantur à Paulo; Dicuntur ergo fideles opus esse, non ministrorum Christi, sed ipsius Dei & Christi, 1. Cor. vers. 9. *Dei sumus administri, Dei arvum, Dei ædificium estis.*

Docet præterea sacra Scriptura hominis conversionem fieri non suasione vel allicio morali, quæ posita est nimirum in suadendo, hortando, alliciendo, sed operatione Dei aut Spiritus sancti longe excellentiore, nec omnino inferiore quam fuit creatio primi hominis; qua homo ex natura ad gratiam, è tenebris ad lucem, ex morte ad vitam, potenter trahitur; ita ut denuo creetur, regeneretur, renascatur, illuminetur, cor ei aperiatur, lapideum auferatur & carneum detur, à morte peccati suscitetur, vivificetur, ut in præcedentibus demonstravimus. Sine hac gratia, moralis suasio plane futura est frustranea. Non enim magis potest suadenti obtemperare, quam cæcus suadenti obtemperare potest ut videat, Ethyops ut mutet pellem, & mortuus ut resurgat. Merito ergo negamus & rejicimus has Remonstrantium opiniones.

Primo, gratiam primam esse lumen naturæ, omnibusque hominibus communem.

Secundo, In hominis irregeniti potestate esse primam gratiam vel accipere vel rejicere, bene vel male uti, illumque hominem propter bonum usum primæ gratiæ secunda donari.

Tertio; Fidem non esse novi fœderis promissum, nec donum morte Christi partum.

Quarto; Fidem non esse speciale Spiritus sancti donum, quo Electi tantum donantur per efficacem eiusdem Spiritus Christi infusionem.

Quinto: Fidem esse actum ex argumentis moventibus acquisitum.

Sexta; Hominem cooperari primæ gratiæ, &c.

IV.

Tandem quamvis homo irregenitus Spiritui sancto aut sapientiæ Dei de hominis salute ex gratia, quæ ipsi stultitia, non possit non resistere, ut est dictum, Et in regenito, quatenus non est in totum regenitus, quædam sit resistibilitas, (caro enim concupiscit adversus spiritum. Gal. 5. vers. 17. lex quæ est in membris rebellat legi mentis, Rom. 7. vers. 23. illisque adhuc insunt carnis cupiditates quæ militāt adversus animam, 1. Pet. vers. 11.) confitemur tamen talem tamque efficacem esse Spiritus S. operationem, qua mentem illuminat, voluntatem mutat, affectus corrigit, & mutato pravo habitu, novum, viresque novas confert ut homo Spiritui conversionem intendenti nec velit, ideoque nec possit resistere.

IV.

Contra judicamus Remonstrantes contra Scripturam sacram docere, gravissimeque errare, cum dicunt gratiam nō tam potenter hominem movere, quin semper sit in potestate hominis, in tantum resistere gratiæ ut cessare possit ab actione, cum tamen, ut agat, intendit.

Iohan. Arnold. contra Tit. pag. 127. lin. 20. Remonst. Collat. Hag. Brand. pag. 227. lin. 25. & 229. lin. 13. Belgic. pa. 191. in fine & pag. 193. lin. 9. Remonst. Geldri in Artic. dissens. Art. 2. pag. 61. In Thesibus exhibitis de 3. & 4. Artic. Thesib. 5. Grevinch. contra Ames. pag. 271. lin. 3. à fine, & alijs in locis, quæ ad Thesin præcedentem sunt adnotata.

Rationes.

Docet enim verbum Dei, Spiritum S. omnem repugnantiam impedire & tollere. Illuminat enim mentem, & voluntatem cum omnibus affectibus corrigit & flectit.

Ab intellectu, mentis illuminatione efficaci, tollit ignorantiam, efficitque ut per prædicationem Euangelij intelligamus & apprehendamus nos ex gratia tantum per meritum Iesu Christi salvari.

De Ethnicis & Iudæis irregenitis, cum Paulus dixisset, sapientiam illis fuisse occultam, aut principes sæculi huius non cognovisse, addit vers. 10. nobis autem revelavit per S Spiritum: quidni? *Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunditates Dei: nemo etiam novit quæ sunt Dei nisi Spiritus Dei*, & vers. 12. *Nos non Spiritum mundi accepimus*: id est, sapientiam huius mundi, vel sermones quos docet humana sapientia, ut vers. 13. loquitur: *sed Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ Deus est nobis gratificatus*. 1. Cor. 2. vers. 10. & 12. & tandem, *Spiritualis* aut homo regenitus aut illuminatus, *dijudicat omnia & habet mentem Christi*. vers. 15. 16. item Ephes. 1. vers. 17. 18. 19. voluntatem mutat, facitque ut præcedenti inclinationi malæ, succedat alia eaque bona inclinatio, quæ illuminato intellectui respondere possit. Aperte hoc indicat Deus cum Ezec. 11. vers. 19. & 36. vers. 26. dicit *auferam cor lapideum de carne vestra & dabo vobis cor carneum*, quid aliud est cor lapideum, quam cor aut voluntas, quæ voluntati Dei adversatur, aut cum illa pugnat? cum ergo Deus cor novum & carneum promittit, an non docet, se voluntatem captivam ducere, imo flectere ad obediendum Christo, ut ait Paulus 2. Cor. 10. vers. 5.? idem innuitur, Deut. 30. vers. 6. *circumcidet* (inquit Dominus) *Deus cor tuum*: Cor incircumcisum est cor inobediens & induratum; Deuteronom. 10. 16. Per circumcisum ergo intelligitur cor obediens & in voluntate Dei acquiescens; unde addit, Deuteronom. 30. vers. 6. *Vt diligas Dominum Deum tuum*. Hoc David à Deo ardenter petit. Psalm. 119. vers. 36. *Inclina inquit cor meum in testimonia tua*; Sic & Salomon pro se & populo suo. 1. Regum 8. vers. 58. *Inclinet corda nostra ad se ut ambulemus in universis vijs ejus*. Et Apostolus Paulus qui dum uno loco dicit: *Deum in nobis operari & velle & perficere*. Philip. 2. 13. alio in loco orat pro pijs, aut illis comprecatur. 2. Thessal. 3. vers. 5. *Vt Deus istorum corda dirigat ad charitatem Dei & Christi expectationem.*

Ista autem cum operatur & efficit Spiritus Sanctus; quid? an non inde certissime constat, hominem isti gratiæ efficaciter operanti resistere non posse: non quod conversionem violenter efficiat & cogendo; absit: Violenta enim actio ea demum dicitur, qua quis ad agendum cogitur. At Deus cum hominem convertit, conversionem eius non necessitat cogendo, sed flectendo eius voluntatem & ex nolente volentem reddendo: nam Deus non mentem seu animam aliquam novam & cor, in substantia novum, hominibus indit cum regenerat, sed immutat solum, corrigit & illustrat: quare juxta propriam inclinationem, jam sibi à Deo datam, paret & obsequitur sciens, ac volens Deo, resistereque illi non potest, quia id velle non potest: Cum corpori hominis jam creato Deus insufflaret & inspiraret spiraculum vitæ seu Spiritum viventem, Lazaro mortuo vitam restitueret, cæco visum daret, ossaque arida vivificaret, Ezech. 37. omnipotenti sua operatione certe homo aut Lazarus, aut cæcus, aut ossa non potuerunt non velle vivere, videre & resurgere, cum in ipsis jam esset aut visus aut vita ipsis quam gratissima; neque vitæ aut visui resistere potuerunt, quia non voluerunt, nec velle poterant. Nec equidem homo in peccato mortuus, plane cæcus, tenebræ, & in morte jacens: quum non minori potentia, à Spiritu Dei recreatur, dicitur enim Esai. 40. vers. 10. *Ecce Dominus Deus in fortitudine venit & brachium eius dominabitur*; excitatur, Ephes. 2. vers. 5. illuminatur, Ephes. 1. vers. 18. *Deus enim qui dixit ut è tenebris lux splendesceret, effulsit in cordibus nostris ad prebendum lumen cognitionis in facie Iesu Christi*. 2. Cor. 4. vers. 6. Et è sepulchro ducitur & vivificatur, *dabo* (dicit Deus Ezech. 37.) *Spiritum meum in vobis & vivetis*: non potest non velle vivere, & videre, nec illis resistere: in se enim habet ex Dei operatione, ipsam vitam spiritualem & visum & ad ea inclinationem & infusam qualitatem ipsi inditam.

Quamvis enim ἁπλῶς & in se consideratus habeat aptitudinem ad repugnandum hanc gratiæ, tamen si gratiæ divinæ efficacitas spectetur, ei resistere non potest, quin gratia malitiam superante, conversio & vita, quam Deus intendit, inevitabiliter sequatur, agens enim infirmius, potentiori resistere non potest, (quis enim inquit Paulus Roman. 9. 19. *Voluntati illius resistet?*) Quare S. Scriptura gratiam hanc ita describit, ut non tantum Omnipotentiæ Dei mentionem faciat: dicit enim Ephes.

1. 19. *Vt*

1.19. *Vt ſciatis: quæ ſit excellens illa magnitudo, potentiæ ipſius in nobis qui credimus, pro efficacitate fortis roboris ipſius.* 1. Theſſ. 1. verſ. 11. *compleat omnem ſuæ bonitatis gratuitam benevolentiam & opus fidei potenter,* Item 1. Epiſt. Petr. 1. verſ. 5. *Virtute Dei cuſtodimur per fidem ad ſalutem.* At cum de miniſterio Euangelij, reſpectu operationis Spiritus Sancti efficacis, loquitur, dicit Paulus 2. Corinth. 10. verſ. 4. *Arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt, ſed divinitus valida, &c.* Epheſ. 3. verſ. 7. *Quod datum eſt mihi ſecundum efficacitatem potentiæ ipſius,* & Coloſſ. 1. verſ. 29. *Decertans ſecundum efficacitatem ipſius, agentem in me potenter:* Verum etiam, ut ſemper actualem converſionem & fidem cum ea conjungat. Ezech. 36. verſ. 26. 27. uſque 45. 17. Ier. 32. verſ. 39. 40. Ioan. 6. verſ. 37. 45. 54. 57. Roman. 8. 10. 29. 30. &c. Si enim ille aperit, qui clavem habet Davidis, nemo poteſt claudere, Apocal. 3. verſ. 7. Liquet hoc in exemplo Pauli, que in ipſo rebellionis curſu convertitur. Actor. 9.

Abſurdum igitur eſt, tribuere huic operationi reſiſtibilitatem, cuius proprium opus eſt reſiſtentiam removere; neque enim reſiſtere poteſt, cui poſſe & velle reſiſtere ſublatum eſt: imo & abſurdum, violentiam illic & coactionem comminiſci, ubi ad libertatem voluntati reſtituendam, naturam eius Deus conſervans, adventitiam pravitatem tollit & perfectionem quandam in ipſam indit, qua ſecundum naturam ſuam liberius agat.

Eſt itaque hæc gratia irreſiſtibilis, quæ, ut concludamus, ita dicitur, quatenus certam & inſeparabilem efficaciam hæc vox deſignat, non quatenus denotat vim aliquam cum libertate pugnantem.

Merito igitur rejicimus illam Remonſtrantium reſiſtibilitatem, etiam cum Deus vult, aut intendit converſionem, utpote blaſphemam & in Dei potentiam quam maxime injurioſam.

EXAMEN
ET
Iudicium

DRENTANORVM,

DE

Tertio & Quarto Remonſtrantium Articulo.

Theſibus duodecim breviter comprehenſum.

I. THESIS.

HOMO lapſus, quicquid præſtat, id vel per lumen naturæ, vel per divinam gratiam denuo inſtillatam, præſtat. Per naturam, quantumlibet corruptam, poteſt Verbum Dei audire, utcunque intelligere, credere quod verum ſit, & inde aliquatenus affici. Qua de re agit Paulus ad Romanos. 1. & 2. cap. Id quod etiam vel hinc apparet, quod ipſi Diaboli gravius homine lapſi, & gratia divina in totum deſtituti, hæc eadem tamen poſſunt. Lucæ 4. verſ. 13. Actor. 16. verſ. 17. 18. Iacob. 2. verſ. 19. Concludimus itaque in ſano ſenſu, quod Remonſtrantes dicunt, in Theſi dictata ſecunda, homines ex viribus liberi arbitrij poſſe Euangelium revelatum attente audire & legere.

II.

Quidquid autem id sit, quod homo per liberum arbitrium præstat; perparum id est, peccatis inquinatum semper est; neque tam ad salutem, quam ad excusationem coram Deo tollendam, facit: propterea dicuntur hi tales esse nullis viribus, Romanor. 5. vers. 6. In mal● jacere, 1. Iohann. 5. vers. 19. Carnales esse, Iohan. 3. vers. 6. inepti esse ad cogitandum quicquam boni, 2. Corinth. 3. vers. 5. mortui, & filij iræ esse, Ephes. cap. 2. ita ut lumen naturæ in meras tenebras abierit; & carnalibus hominibus Scriptura sacra obscura sit, 2. Epist. Petr. 3. vers. 16. Denique nihil est in eis, quod Dominum non offendat. Hebr. cap. 11. Roman. cap. 14. Exempla eorum hoc testantur, qui inter Ethnicos facile præstantissimi fuere: qualis Democritus, Epicurus, Protagoras & alij; Socrates ipse idololatra fuit, & Abraham nondum vocatus. Neque enim habitat in carne nostra bonum. Roman. 7. in iniquitate concepti sumus. Psalm. 51. Immundi ex immundis sumus. Iob. 14. vers. 4. Etiam infantes, cum primum veniunt ad scintillas aliquas rationis, perversitatem statim produnt: Unde Augustinus. *Imbecillitas membrorum infantilium innocens est, non animus.* Quid multis? ante gratiam sic servimus peccato, ut justitiæ liberi simus. Romanor. 6. vers. 20. Caro non subjicitur legi Dei: nec potest quidem. Roman. 8. vers. 8. Filij Diaboli vocantur hi tales, 1. Iohann. 3. vers. 16. 2. Timoth. 2. vers. 26. Iohan. 12. vers. 31. Ephes. 2. vers. 3. Romanor. 6. vers. 12. 14. 2. Petr. 2. vers. 19. Concludamus ergo cum Augustino. *Nemo se palpet: de suo Satanas est; de Deo beatus est.* Est itaque abominabilis Remonstrantium error; dicentium, quod homo per lumen naturæ multum possit, imo quod per eius rectum usum majora assequatur. Thesi dictata prima. Unde luce meridiana clarius patet quod initium, originemque primam Decreti electionis, ponant, in homine corruptissimo. Nam juxta ipsos Decretum Electionis est à fide, fides est è verbo audito, Decretum dandi verbum est à recto luminis naturæ usu. Deus hoc lolium è sua Ecclesia averruncet.

III.

Hæc de homine extra Dei gratiam posito. Restat ut nunc deinceps de hac ipsa Dei gratia paucis agamus, per quam homo novis viribus instruitur. Est autem ea vel communis, vel propria Electorum.

Communis, consistens videlicet in donis, quæ tam improbis nonnullis, quam Electis conceduntur, & interdum per vocationem externam adhibitam, interdum sine ea divinitus instillantur. Falsum enim est, quod thesi dictata, dicunt, omnes aliqua vocatione vocari ad salutem, omnibusque media ad salutem dari, Actorum cap. 16. vers. 14. Romanor. cap. 9. vers. 18. Psalm. 147. vers. ultimo.

IV.

Per hanc igitur communem gratiam homines carnales necdum regeniti (loquimur præcipue de vocatis) sive sint reprobi, sive electi, participes dicuntur fieri Spiritus Sancti, mente illuminari, & corde affici: unde fructus varios percipiunt, lucem & intelligentiam in mente, cognitionem Dei, cognitionem viæ justitiæ. 2. Petr. cap. 2. vers. 20. 21. cognitionem salutis. Fidei etiam participes fiunt per operationem Spiritus Sancti, & credunt hactenus, ut assentiantur Verbo Dei, quod verum sit; percipiunt etiam hinc gustum favoris Dei & vitæ æternæ, levem tamen & tenuem, ita ut aliquam lætitiam sentiant. Breviter inquinamenta mundi effugiunt, hoc est, externas mundi turpidines ad tempus relinquunt, & externos mores emendant.

Hæc dona sunt communia electis & reprobis; Nam de reprobis testantur loca sequentia & similia. 2. Pet. 2. 20. Luc. 8. 13. Hebr. 6. 4. 5. 6. Ubi Paulus loquitur de ijs,

de iis, qui gratia excidere possunt; id quod Electi nequeunt: neque enim vel syllaba unica ibidem justificationis meminit; quippe quæ Electorum est propria. Roman. 8. vers. 30. Differunt autem hæc dona plurimum ab illis, quæ regenerationem comitantur: neque enim reprobi habent adjunctam immutationem voluntatis, ad diligendum Deum pro tanto beneficio. Lucæ 8. 13. Imo fidem salvificam nunquam habuerunt: nec de misericordia Dei erga se, aut de remissione peccatorum, firmissime & indubitate persuasi sunt. Interim quidquid donorum regenerationem antecedentium habent, à Dei operatione ea sunt omnia, non à morali suasione tantum: quia ne regenerati quidem, sine Christo quidquam possunt: Iohan. 15. Et petunt; *Domine auge nobis fidem*, *Cor mundum crea in me*.

V.

Finis horum generalium donorum non est, ut eorum recto usu majora & plura mereamur aut assequamur, & tandem Reprobi fiant Electi: sed ut societas humana & politia conserventur, Electisque variis modis inserviatur, utq; ad vocationem internam præparentur.

VI.

Hæc de communi Gratia. Sequitur de ea, quæ est Electorum propria; nimirum de Gratia regenerationis; cujus Electi fiunt participes, per modum operandi vel ordinarium vel extraordinarium: idque intellectu, affectibus, voluntate, omnibusque viribus.

VII.

Intellectus igitur, non solo Verbo, sed divina quadam & interna operatione illuminante, opus habet, si debeat capere sensum eorum, quæ scitu, creditu, factu, speratu necessaria sunt. Lucæ 24. vers. 45. Christus discipulis & Verbum annunciabat, &, ut annunciatum explicatumque intelligerent, mentem aperiebat. Sic David passim petit. Psal. 119. Oculos sibi aperiri: & Paulus petit, ut Colossenses omni cognitione impleantur. Colossens. 1. vers. 9. Errant itaque Remonstrantes, dum thesi dictata secunda, soli Verbo hanc regenerationem tribuunt.

VIII.

Ad regenerationem cordis quod attinet: statuimus, quod affectus, à libera voluntate distingui non possint: quia enim Deus circumcidit cor, ut homo diligat Deum & proximum; hoc fieri nequit, sine voluntate diligendi, sine voluntatis libero actu. Pugnat enim cum recta ratione, vivificari quosdam in intellectu & affectibus tantum, voluntate sine vita manente. Neque Scriptura Sacra novit, aut testatur, affectus regeneratione sanari, reformari, aut accendi, ante vel sine voluntatis restauratione; nedum ut solo verbo fiat hæc regeneratio, ut Remonstrantes existimant thesi dictata tertia.

IX.

Porro voluntas se ipsam non vivificat, neque innatam habet facultatem bene volendi, vel nolendi, nedum ut eam in actum producere queat, vel sponte sua, vel adminiculo mentis & affectuum regeneratorum, seu quod juxta ipsos fere idem est, per moralem suasionem. Nam præter mentis illuminationem & affectuum excitationem, & externam voluntatis invitationem, amplius aliquid agit Spiritus Sanctus intrinsecus, modo supernaturali, ad conversionem producendam, idque antecedenter, non concomitanter duntaxat, ut ne res incerta,

incerta, vel in humanæ voluntatis indifferenti potestate, relinquatur. Deus enim dat velle & perficere. Philipp. 2. Sine tali operatione voluntas mere carnalis erit. Iohan. cap. 3. vers. 6. imo mortua, Ephes. cap. 2. Iohan. 5. vers. 25. Rom. cap. 5. vers. 6. Genes. cap. 8. vers. 21. Dei imaginem amisimus, Diaboli imago successit. Iohan. vers. 8. Nova itaque omnino creatione opus est. Psal. 51. vers. 12. Romanor. cap. 8. vers. 11. 2. Corinth. 3. vers. 6. Galat. cap. 3. vers. 21. Philipp. cap. 1. vers. 6. 1. Corinth. cap. 3. vers. 6. Errant igitur turpiter Remonstrantes in thesi dictata quarta, hæc Dei beneficia impudenter & imprudenter negantes.

X.

Porro cum hostiliter huic doctrinæ resistant dogmate suo de resistibilitate; duo ea de re dicimus. I. Fatemur nos posse resistere, & quam sæpissime Spiritui sancto resistere, cum is operari vult. Dicitur enim Deus operari velle duobus modis: improprie, vel proprie: Improprie, cum id intelligimus de voluntate signi: nam hæc improprie dicitur Dei voluntas: Et hoc respectu possimus dici, Deo resistere operari volenti; si nimirum verbum eius potius opprimere quam audire velimus: si contra, voluptatibus indulgendo, eam gratiam lætitiamque, quam antea ex auditu perceperamus, iterum obscuramus, sepelimus, fidemque nostram tantum non extinguimus: nam hi tales dicuntur spiritum sanctum contristare. Ephes. 4. vers. 3. & extinguere. 1. Thessal. 5. vers. 19. Propterea quod lucem eius, in mente per verbum accensam, multi negligant, & paulatim perire sinant. Resistere itaque recte dicuntur, hi tales, quia voluntatem signi sibi manifestatam fideliter exequi tenebantur. Sed quando Deus vult operari secundum voluntatem beneplaciti, quæ proprie Dei vera voluntas dicitur, huic nemo unquam resistet, quo minus ea voluntas fiat. Esa. cap. 46. vers. 10. Errant itaque Remonstrantes in thesi dictata quinta, dum statuunt, quod Deo, vere operari volenti & intendenti, resistere possimus, &c. Contra Sacram Scripturam: in qua, etsi vocabulum irresistibilitatis, non occurrit, tamen de re ipsa, multis in locis satis manifeste Spiritus Sanctus testatur: ut Philipp. 1. vers. 29. Et 2. vers. 3. Deutron. 29. vers. 4. & 30. vers. 6. Ierem. cap. 24. vers. 7. & cap. 31. vers. 18. Sed solide satis in Collatione Hagiensi hoc confirmatur & evincitur. Imo ipsi Remonstrantes totam regenerationem fieri irresistibiliter dicunt, dum dicunt, omnes eius partes esse irresistibiles, quales regeneratio mentis & affectuum: plures enim regenerationis partes non agnoscunt.

XI.

Per eandem gratiam homini fides datur, ita ut ea donum Dei sit. Iohan. 6. 44. Iohann. 10. 26. Ioh. 12. 39. 1. Cor. 1. 30. 31. Errant itaque Remonstrantes, dum in corollario primo hoc negant: datur enim à Deo non tantum potentia credendi, sed & fides ipsa, & habitus fidei, ante opera fidei, ita ut ea non tantum sit actus, ex argumentis acquisitus, qualis dormienti (ut corollario secundo statuunt) non adsit. Neque enim à dormientibus separatur fides, non tantum quatenus habitus est, sed etiam quatenus bonos fructus producit; qualis est tranquillitas conscientiæ, quam tranquillus somnus & insomnia plerumque comitantur. Proverb. cap. 3. vers. 24. 25. 26. Contrarium apparet in infidelibus.

XII.

Præter ordinariam regenerationem, de qua hactenus egimus, est & alia extraordinaria; de qua nonnihil agitur in Corollario tertio. Remonstrantes hanc regenerationis rationem vix audent concedere, ne videlicet ad hunc scopulum totam suam navem erroribus onustam penitus frangant. Vident enim ipsi, si possit probari extraordinaria hæc conversio & regeneratio, inde sequi id, quod ipsorum opinioni quam maxime adversatur: nimirum, quod quædam saltem electio sit absoluta;

absoluta: quod quorundam saltem regeneratio sit irresistibilis; quod denique pro absoluto suo jure Deus æquales interdum tractat inæqualiter: Quippe qui Iudam, cum sequeretur & profiteretur Christum, tamen non elegerit, neque quotidianis dehortationibus, cum interna renovatione conjunctis, converterit. Paulum vero, qui Christi verbum & Apostolos non tantum non sequebatur, sed etiam pro virili sua persequebatur, elegit & convertit, imo modo extra ordinario convertit: In momento scilicet conversus fuit; in momento mens est illustrata luce Euangelij; quod exosum incognitumque ipsi antea erat, id à Deo neque ab ullo homine didicit Galat. cap. 1. vers. 12. Si quis objiciat edoctum eum ab Anania fuisse, Actor. cap. 3. vers. 17, nihil obstat, quo minus & per se illum oraculis Deus docuerit & ornandi ministerij causa hominis opera in eo docendo usus fuerit. Quare non tam Ananiæ institutione, quam Christi revelatione Euangelium didicit Paulus. In voluntate & affectibus regenerandis eadem fuit ratio; statim obedivit, dicens, quid vis ut faciam? Cur ipsi tanta gratia facta est? Num quod fidelis fuerat? nihil minus: sed fidelis ut esset. Quod si Remonstrantes hisce rationibus cedere & à suo resistibilitatis dogmate per hoc exemplum recedere noluerint, arctius alijs exemplis constringi possunt: cum primis exemplo Christi hominis: fuit enim is nobis quo ad ortum æqualis. Hebræor. cap. 2 vers. 17. Fuit massæ corruptæ Adamicæ particula, quippe semen mulieris, Genes. 3. semen Abrahæ, Genes. cap. 22. vers. 18. Nihil in ipso Deus potuit prævidere, nisi quod per meram suam gratiam in vas illud effundere pro beneplacito suo voluit: non minus tamen Decreto æterno istam partem à reliqua perdita massa discrevit, inde à prima conceptione sanctificavit, Lucæ 1. vers. 35. Voluntatemque, quæ tantum ad bonum erat libera, largitus est; ita ut per omnem vitam ne minima peccati labe impuratus unquam fuerit. Iohann. 8. Quid hic jam Remonstrantes dicant? Christum truncum esse? trahi, cogi, rapi ad bonum? moveri, sicut puellæ, pupas suas movere solent? apage. Audiant Augustinum, qui hoc exemplo fundamenta dogmatum Remonstrantium penitus evertit & Christi exemplum ad nos omnes applicat, Tom. 7. lib. 1. de Prædestinatione cap. 15. inquiens, *Gratia illa tua*, (puta Christus) *talis ac tantus est. Cur diversa est gratia, ubi natura communis est? &c, Neque enim Christo retributa est illa generatio, sed tributa, vt alienus ab omni obligatione peccati de Spiritu & Virgine nasceretur, &c.* Ex hoc fundamento porro vult probare idem Augustinus, plane eandem & nostræ electionis, & quicquid inde fructus, in nos manat, esse rationem: inquiens ibidem loci: *Ea gratia fit ab initio fidei suæ homo quicunque Christianus: qua gratia homo ille, ab initio suo factus est Christus: de ipso Spiritu & hic renatus, de quo est ille natus: eodem Spiritu fit in nobis remissio peccatorum, quo Spiritu factum est, ut ille nullum haberet peccatum. Hæc se esse facturum Deus profecto, præscivit. Ipsa igitur est Prædestinatio sanctorum quæ in Sancto Sanctorum maxime claruit, &c. Humana merita hic conticescant, quæ perierunt per Adam. Quisquis in capite nostro præcedentia merita singularis illius generationis invenerit, ipse in nobis membris ejus præcedentia merita multiplicatæ regenerationis inquirat.* Hæc Augustinus de Remonstrantibus nostris.

Cum itaque resistibilitatis dogma, doctrinæ & Patrum & Dei ipsius resistat, æquum est, ut eidem tanquam novo, vano & Pellagiano commento Ecclesia Belgica vicissim resistat, ab eoque in totum desistat.

IVDI-

IVDICIVM
Deputatorum Synodi Gallo-Belgicæ,
DE
Tertio & Quarto Articulo Remonſtrantium.

DOlemus ex animo, in tanta Euangelij luce, & poſt tam multas, circa hanc materiam, cum Pontificiis aliiſque fœliciter exantlatas concertationes, tandem ex medio noſtri ſurrexiſſe, qui rancidas Scholaſticorum diſtinctiones & tricas, novis augmentis interpolatas, non veriti ſunt invehere in Eccleſias Belgicas: cum ipſis ſatis notum eſſe potuerit, quam parum iſtiuſmodi diſceptationes ad ædificationem faciant, quantumque ad animorum exacerbationem & Eccleſiarum diſſipationes valeant.

Cæterum cum noſtri officij ſit veritatem tueri, & falſa redarguere; illis quidem Novatoribus mentem optamus meliorem; de ſententia vero ipſorum, ex mente Sacrarum Literarum & doctrina Reformatarum Eccleſiarum ſic judicamus: Hæc videlicet, quæ ex ipſorum libris & ſcriptis ſelecta exhibemus, nec Scriptura contineri & maximam partem cum eadem pugnare, ac quam-proxime ad Pelagianas hæreſes accedere.

Qualia ſunt quæ ſequuntur.

I.

HOminem *corruptum recte poſſe uti lumine naturæ,* ***ad Deum glorificandum & colendum,*** *etiam ſine alia ſupernaturali gratia: Et* ***quantulum homo corruptus facias, jam*** *gratia, quam habet, recte uti.*

II.

Homini, hoc pacto lumine naturæ recte utenti, quodque ***per eandem poteſt, facienti, Deum plura ac majora dona largiri,*** *etiam ipſam Euangelij annuntiationem.*

III.

Dociles & dignos eſſe, ſive idoneos, quos ulteriore gratia ***Deus donet, in quibus rectæ rationis*** *ſemina & opus legis ſcriptum adhuc ſupereſt.*

IV.

Cur quibuſdam gentibus & perſonis, nullo vitæ ſuæ tempore, ***Euangelicæ doctrinæ copiam faciat,*** *eſſe talis placiti divini, quo improbos legis naturæ* ***violatores, non niſi ob inſignem culpam*** *& novam ac actualem inobedientiam, Deo notam, Euangelij ſui annuntiatione privare vult: nullos autem abſoluto Dei Decreto, citra ullam cauſæ meritoriæ conſiderationem, medijs gratiæ prorſus deſtitui.*

V.

Omnem hominem, *qui modo uſu rationis & judicio polleat,* ***in omni ſtatu, ſua vi naturali,*** *abſque ſupernaturali lumine potentiæ ſuper infuſo, poſſe apprehendere & percipere ſenſum illorum omnium, quæ ad ſalutem conſequendam ſcitu, creditu, ſperatu & factu neceſſaria, in Scriptura clare ſatis proponuntur, non tantum quæ neceſſaria ſunt, ſed etiam ſub ipſa neceſſitatis ratione.*

VI. *Volun-*

6.

Voluntas ex actione sua tantum potest vocari bona vel mala, prout ipsi monstrat intellectus, & affectus impellunt.

7.

Dona spiritualia non sunt separata ab humana voluntate, in morte spirituali: Cum in ea nunquam fuerint, sed libertas tantum bene aut male agendi; quæ vires suas in statu peccati exerere non potest, propter tenebras intellectus & depravationem affectuum.

8.

Sola negatio illuminationis sufficit, ut homo non possit bonum salutare velle.

9.

Agnitio peccatorum, dolor, desiderium & cura obtiendæ salutis, ante omnem fidem, conversionem & spiritum renovationis, non solum non sunt peccata & noxia, sed etiam utilia & actus congruentes, Deoque grati, ad ulteriorem homini gratiam communicandam.

10.

Per Legis prædicationem, socia operatione Spiritus sancti Lege utentis, homo peccator adducitur ad peccatorum suorum agnitionem, & serium dolorem, ut desperans de sui justificatione & renovatione, propter carnis impotentiam, avide desideret & exspectet & anhelet liberationem. Quæ dispositio præcedit vivificationem & fidem in Christum.

11.

Propositum & tentamen vitæ in melius commutandæ, eiusque conceptus & elaboratio præcedit fidem & obedientiam proprie dictam.

12.

Quando veritas clare & perspicue à Spiritu sancto præsentatur menti, & discussis dubitationum caussis, mentem Spiritus sanctus illuminare vult, fieri non potest, ut intellectus non assentiatur, aut judicium suspendat, sed ab obiecto proposito, & à Spiritu sancto insinuato determinatur ad assentiendum.

13.

Intellectu boni salutaris cognitione donato, voluntas habens residuam mali cognitionem, accedente etiam naturalis potentiæ collatione, libertatem accipit volendi bonum & malum ex se volendi.

14.

Item, Peracta, quantum satis est, mentis & affectuum repurgatione, etiam voluntas excitatur, uti innatam facultatem volendi vel nolendi circa boni electionem exerceat.

15.

Posset hoc disputari; Annon nobilissima sit actio ea circa hominem, quæ fit per inductionem & monelas: Et, an expediens sit aliqua alia circa hominem uti: Et, annon satis vehemens foret operatio, si talis esset, quali satan utitur.

16.

Ad conversionem requiritur aliquid ipsa natura potentius, quo seipsum vincat, &c. An autem vis illa sit promissio vitæ æternæ, possunt illi judicare, qui gustarunt bonum Dei verbum.

17.

In statu regenerationis peragendæ, infusio habituum in voluntatem atque intellectum & affectus, in ordinaria conversione, repugnat administrationi mediorum, quibus Deus novam vitam vult in homine operari: Certe in voluntate locum habere non potest, ut quæ sua natura libera est ad volendum bonum vel malum.

18.

In hoc statu, habitibus virtutum acquisitis, informatur voluntas, iisque perficitur, & ad operationes suas expeditior redditur.

19.

Post illuminationem mentis, & voluntati concessam supernaturalem potentiam, credimus Deum affectus nostros & partem sensitivam corrigere & bonis desideriis, quorum objecta monstrat intellectus, actus vero imperat voluntas, afficere.

20.

Deus omnibus hominibus media ad fidem & resipiscentiam necessaria sufficienter & efficaciter administrat: Itemque, ex parte sua paratus est omnibus Christum revelare.

21.

Spiritus sanctus tantum gratiæ omnibus & singulis, quibus verbum fidei prædicatur, confert aut conferre paratus est, quantum ad promovendam suis gradibus hominum conversionem sufficit: Et hæc iis etiam obtingit qui actu ipso non convertuntur.

22.

Externa & interna vocatio non nisi gradibus differunt, nec disparatæ sunt ex Dei intentione.

23.

Neminem externe vocat Deus, qui non interne per Verbi auditum converti possit.

24.

Efficaciam gratiæ non ponimus in irresistibilitate gratiæ & omnipotente agendi vi, voluntatisque ad bonum determinatione inevitabili; sed in tali gratiæ operatione, quæ effectum suum sortitur: Quod fit, quando homo non opponit contumaciam & rebellionem suam, quam opponere potest, &c.

25.

Tractio fit audiendo & discendo; & est amica invitatio: Nec quidquam obstat, quo minus sola moralis gratia homines animales reddat spirituales.

26.

Homo potest libera sua voluntate ita sese gerere & tales actus producere, ut iis positis Dei gratia ipsum actu non convertat, etiam tum, quando conversum ipsum serio vult, & convertere aggressus fuit.

27.

Quinimo positis omnibus gratiæ operationibus, quibus Deus ad conversionem utitur, manet tamen ista conversio ita in hominis potestate, ut seipsum possit convertere, adeoque Deo atque spiritui regenerationem intendenti, & operari volenti, actu ipso sæpe resistat.

28.

Denique auxilium efficax non antecedit voluntatem ordine causalitatis, sed quando voluntas se movet ad conversionem, tum efficaciter Deus eam juvat: Vnde etiam gratia efficacia non male dicitur pendere ab arbitrio hominis, ab eoque determinari &c.

His &

His & similibus falsitatibus hæc paucula opponimus.

1.

In statu peccati homo animalis cæcus est, nec percipit ea quæ sunt Spiritus Dei: neque id tantum, quia non potest excogitare ea ante revelationem; sed etiam quia, postquam ei revelata sunt, non potest ea salutariter intelligere, aut assensum præbere, sine interna Spiritus S. illuminatione & peculiari gratia. 1. Corinth. 2.14. Rom. 3. 11. Et 1.21. Gen. 6.5. Ier. 17.9. Rom. 3. 12. Matth. 16.17. Act. 16.14.

2.

In eodem statu tota hominis natura sic est depravata, ut τὸ φρόνημα carnis nihil sit, nisi inimicitia adversus Deum, & mera rebellio adversus Legem Dei, cui non subjicitur, adeoque ne potest quidem: neque id tantum ratione affectuum, sed ipsa quoque voluntas captiva est, & constricta peccati vinculis, summaque inordinatione & contumacia laborat: totus denique homo servus est peccati, & mortuus in peccatis. Vnde sequitur hominem in sui conversione aut suscitatione vel vivificatione, non posse ex se vel viribus veteris hominis se ad gratiam præparare, vel disponere, aut verum bonum monstratum desiderare, aut expetere, aut vocanti Deo respondere, aut salutem offerenti ex vi liberi arbitrii sui assentiri, aut denique operanti Deo cooperari vel ullum vere bonum opus facere, non magis quam arbor mala bonos fructus ferre potest. Rom. 8. 7. Et 7. 5. Phil. 2.13. 2. Cor. 3. 5. Iohan. 8. 34, 36. Rom. 6.20. Eph. 2. 1. Colos. 2.13. Iohan. 3.6. Eph. 4.18. 19. Ezech. 36.26. Ierem. 13. 23. Matth. 7.17. 18.

3.

Gratia Dei præveniens, non est tantum externa prædicatio Verbi, aut interna moralis suasio, vel motio spiritus vivifici secundum efficacissimas rationes, quæ Verbo Dei continentur; sed est donum supernaturale divinitus infusum, quod voluntatem hominis præveniens efficaciter immutat, novas vires & facultates bonosq; motus in ea operatur. Phil. 1. 29. Rom. 5. 5. Ier. 31. 18. Deut. 30.6. Ezech. 36.26. Iohan. 6. 44. 45.

4.

Hæc gratia Dei cor lapideum auferens, & dans cor carneum, non est indifferens motio, pendens, quoad eventum, à libertate voluntatis humanæ; sed est efficax tractio, qua voluntas efficaciter mota, non cogitur agere, sed liberrime bonum monstratum & impressum velit atque eligit: quaque infallibiliter & certissime liberantur, quicunq; à Spiritu S. interna & efficaci operatione trahuntur. Ezech. 36. 26. Ioh. 6. 44. 45. Ioh. 15. 5. Ps. 51. 12. Ier. 32. 40. Phil. 2.13. Psal. 110. 3. Act. 16. 14.

5.

Non omnes illa ineffabili & potente vocatione interna Spiritus S. vocantur, quicunque externe per Verbi prædicationem vocantur. Nec externa vocatio, sive per librum naturæ, sive per verbum, sufficiens gratia ad conversionem recte dicitur, nisi quoad externa conversionis media, quatenus præter illa, nulla alia ordinarie à Deo ad conversionem adhibentur. Es. 6. 10. Deut. 2. 30. Matth. 11.25. Deuter. 29. 4. Matth. 13. 11. Psal. 147. 20.

6.

In statu gratiæ, postquam nos convertit Deus, ipsi jam conversi bonos actus edimus: sed non nisi cooperante ad singulas actiones, & dirigente atque roborante gratia & auxilio Spiritus sancti: à quo, sicuti est principium, ita & progressus ac perfectio boni operis existit. Ier. 31. 19. Psal. 119. 111, 112. Psal. 119. 32, 34, 35, 36. 1. Reg. 8.58. Psal. 86. 11. 1. Thess. 5.23. 2. Thess. 5. 23. & 2. 17. & 3. 5. Phil. 2.13.

Iudicium Professorum Belgicorum

DE QVINTO ARTICVLO,

QVI EST

DE PERSEVERANTIA VERE FIDELIVM.

Thesis Remonstrantium prima Heterodoxa.

Perseverantia vere fidelium in fide non est effectum electionis, qua Deus singulares personas nulla obedientiæ conditione circumscriptas ad salutem elegisse dicitur.

Thesium exhibitarum prima de quinto Articulo.

Antithesis prima Orthodoxa.

Perseverantia vere fidelium in fide, est effectum electionis, qua Deus singulares personas, nulla motus antecedentis ipsorum obedientiæ consideratione, ad salutem & media salutis elegisse dicitur.

Antitheseos Probatio.

1. Id ipsum ex Apostoli gradatione, Rom. 8. 29. evidentissime demonstratur, qua ostendit eodem ordine prædestinationem antecedere glorificationem (quæ perseverantiam usq; ad finem, qua fidelis salvus erit, præsupponit atque in se complectitur) quo ordine prædestinatio vocationem ad fidem, & justificationem ex fide antegreditur, nimirum, ordine causæ & naturæ.

2. In eodem capite, versu 32. & sequentibus idem docet Apostolus, cum ait, *Quis intentabit crimina adversus electos Dei? Deus est qui justificat. Quis est qui condemnet? Christus est qui mortuus est, imo vero qui resurrexit, qui etiam est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* Quis nos separabit a charitate Christi? &c. Quibus verbis ostendit fideles salutare illud perseverantiæ bonum non ex se habere, nec ex ulla fidei obedientia a Deo prævisa, sed ex gratuita Dei electione atq; in Christo dilectione, cum asserit eos, nempe, electos, nec ullis criminationibus posse condemnari; nec ullis angustiis aut oppressionibus a charitate Dei separari, sed in omnibus plus quam victores esse per eum qui ipsos in Christo dilexit.

3. Idem Apostolus 2. ad Tim. 2. 19. ut scandalo à quibusdam Apostolis dato occurrat, affirmat solidum Dei stare fundamentum, quo vere fidelium perseverantia è contrario stabilitur: hocque duplici ostendit sigillo consignari, nimirum, respectu Dei, gratiosa ipsius cognitione qua illos tanquam suos novit ab æterno: respectu vere fidelium, seria ad Deum conversione, qua nomen ipsius invocantes abscedunt ab omni injustitia, qua a charitate Dei possent separari.

4. Quibus hæc etiam loca adjungi possunt:

Ioh. 6. 37. *Quidquid dat mihi Pater, ad me venit, & eum qui venit ad me, non ejiciam foras.*

Rom. 11. 7. *Electi assequuti sunt, reliqui occalluerunt.*

Et,

Et, 2. Theſſ. 2. 13. ubi Apoſtolus monet Deo gratias hoc nomine eſſe agendas, quod Theſſalonicenſes ab initio elegerit in ſanctificatione Spiritus, & fide veritatis, ut, nimirum, per hæc duo electionis media, ſub quibus cætera omnia comprehenduntur, ac proinde ipſa quoque in fide perſeverantia, eos faciat ſalutis participes, ad quam eos elegit.

2. *Theſis Remonſtrantium Heterodoxa.*

Perſeverantia non eſt donum Dei proprie dictum a) *fidelibus, ſcilicet, infuſum & morte Dei partum, ſed præceptum, & conditio moralis novi fœderis, quam Deus inter multas poſſibiles præſcripſit, & ante peremptoriam electionem ad peccatorum remiſſionem in homine requirit: quamque homo habitu fidei & obedientiæ per crebros credendi & obediendi actus acquiſito, facile præſtare poteſt: accedente autem interno Spiritus ſancti ſolatio, etiam præſtare vult, ac plerumque præſtat.*

a) *Coll. Hag. Belg.* 348. *Brand.* 407. *l. m.* 4. *Bert. p.* 6. 1. 8. *Bertius de apoſtaſia ſanctorum, pag.* 1. *Grevinch. contra Ameſium, p.* 137. *Remonſtr. citati in declaratione* 5. *articuli. pag.* 7. 8.

2. *Antitheſis Orthodoxa.*

Perſeverantia non eſt tantum præceptum, aut nuda *conditio ex multis* conditionibus à Deo præſcripta & ante *electionem peremptoriam* (ut verbis Remonſtrantium utamur) *poſtulata, quam habitu fidei & obedientiæ per crebos credendi & obediendi actus acquiſito, facile poteſt præſtare, ſed eſt donum Dei proprie dictum & ſupernaturale per Spiritum ſanctum ac verbi miniſterium in nobis effuſum, ac gratioſe continuatum: quo homo fidelis Spiritu ſancto exornatus, & obedientiam perſeverantiæ ſemper præſtare poteſt, & re ipſa præſtat.*

Antitheſeos probatio.

Perſeverantiam eſſe donum ſupernaturale divinitus infuſum, liquet:

1. Ex his Dei promiſſionibus.

Deut. 30. 6. Circumcidet *Iehova Deus cor tuum, & cor ſeminis tui, ad diligendum Iehovam Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, ut vivas.*

Ezech. 36. 26. 27. *Dabo vobis cor novum,* &c. *Et Spiritum meum ponam in medio veſtri, qui faciam ut ſtatutis meis ambuletis, & jura mea obſervetis, facientes ea.*

Ierem. 32. 40. *Indam reverentiam mei cordi ipſorum, ut non recedant à me.*

2. Ex perſeverantiæ cauſa & ſcaturigine, ex qua illa emanat, teſte Apoſtolo, Phil. 2. 13. *Deus efficit in vobis, ut & velitis, & perficiatis pro gratuita ſua benevolentia.*

3. Ex infuſione ſenſus interni charitatis divinæ per quem ſpes certa perſeverantiæ, ac proinde ipſa quoque perſeverantia in fidelibus alitur & conſervatur: ut Apoſtolus atteſtatur his verbis, Rom. 5. 5. *Spes*, nempe, gratiæ ac gloriæ Dei, *in qua gloriamur etiam in mediis tribulationibus, non pudefacit*, eo quod charitas Dei effuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.

4. Ex Petri precatione, 1. Petr. 5. 10. *Deus gratiæ qui vos vocavit ad æternam ſuam gloriam in Ieſu Chriſto, roboret, fundet, ſtabiliat, ac perficiat vos.* Atqui ex poſtrema orationis dominicæ petitione, *Ne nos inducas in tentationẽ, ſed libera nos à malo.* Nullum autem donum ſupernaturale Spiritus S. afflatu inſpiratum, eſt nuda conditio, aut virtus moralis crebris tantum actionibus acquiſita.

2. Hanc perſeverantiam donum quoq; eſſe morte Chriſti partum, colligi poteſt.

1. Ex fine οἰκονομίας ſeu diſpenſationis divinæ qua Chriſtus nobis factus eſt ſanctificatio & redemptio, 1. Cor. 1. 30. per ſpiritum, ſcilicet, ſanctificationis ac roboris quo nos ſanctificat in veritate & ſervat ab omni malo uſq; ad diẽ redemptionis.

2. Ex Chriſti precatione, Ioh. 17. 19. 20. Niſi enim Chriſtus hoc donum perſeverantiæ merito ſuæ mortis à Patre ſuo impetraſſet, nunquam illud ab ipſo efflagitaſſet, dicens, *Non rogo, ut tollas eos è mundo, ſed ut ſerves eos à malo. Nec tantum pro iſtis rogo, ſed etiam pro iis qui per ſermonem eorum in me ſunt credituri.*

Thesis Tertia Remonstrantium Heterodoxa.

Stante auxilij divini a) *promptitudine & gratiæ sufficientis præsentia, positisque illis omnibus quæ ad perseverandum necessaria & sufficientia sunt, quæque Deus ad fidem conservandam vult adhibere, imo etiam, posito in ipsa voluntate fidei habitu, manet tamen in libera* b) *hominis potestate, vel perseverare, vel non perseverare.*

a) *in Declar. 5. art. pag. 11.* b) *adversus VValach. p. 74. Collat. Hag. Belg. pag. 370. Bert. 90.*

Tertia Antithesis Orthodoxa.

Stante auxilij Dei promptitudine & gratiæ sufficientis præsentia, positisq; illis omnibus, quæ ad perseverandum necessaria & sufficientia sunt, quæq; Deus ad fidem conservandam vult adhibere: positoque in ipsa voluntate habitu fidei divinitus infuso, hominis voluntas sic ad perseverandum inflectitur & determinatur, ut ad utrumque oppositum non sit æquali momento flexibilis, nempe, & ad perseverandum, & ad non perseverandum, sed ad unum oppositorum ductu Spiritus sancti, nempe ad perseverandum, libere summaque cum voluptate feratur.

Probatio Antitheseos.

Quamvis enim fideles ob peccati sui in carne reliquias ad declinationem à lege Dei propendeant, hi tamen continua Spiritus S. gratia sic reguntur, excitantur ac sustentantur, ut pravam carnis libidinem fræno pietatis coerceant, atque in sancto proposito in viis Iehovæ ambulandi perseverent. Hi enim sunt γνήσιοι seu genuini Dei fœderati, qui juxta Dei promissionem, Jer. 32. 40. in Dei reverentia, quam Spiritus S. ipsorum cordibus indidit, constanter permanent. Hi sunt ex Deo nati, qui, ut pronuntiat Apostolus Iohannes, 1. Ioh. 3. 9. ob semen Dei, quod in ipsis manet, *non possunt peccare*, nempe, *peccato ad mortem.*

Thesis quarta Remonstrantium Heterodoxa.

Quotiescunque vere fideles opera a) *carnis enormia committunt, toties veram fidem totaliter amittunt. Non solum autem possunt in atrocia & conscientiam directe vastantia scelera atque adeo in ipsum peccatum ad mortem, & in Spiritum S. incidere, sed etiam in iis perseverare ac mori: ac consequenter* c] *à fide justificante gratia & salute totaliter & finaliter excidere: multisque id vere fidelibus ac regenitis evenit, & etiamnum non raro evenit.*

a) *Collat. Hag. Belg. 304. Bertius 18. & 19.*
b) *Exhib. Thes. 4. de 5. art. Armin. de Art. perpendendis pag. 31. Episc. disp. publ. de peccato actuali. Coroll. 1. & 2.*
c) *Coll. Hag. Belg. 304. 305. Bert 18. 19.*
d) *Ibidem & decl. artic. 5. Thes. 3. & 4.*

Quarta Antithesis Orthodoxa.

Quamvis fideles ex infirmitate humana socordia ac neglectu exercitiorum pietatis in gravissima aliquando peccata prolabantur, non tamen ea committentes, atque in iis officij sui immemores obtorpescentes, fidem suam totaliter amittunt. Neque ii possunt ob Dei conservantis gratiam, in peccata incidere, ipsorum conscientiam directe atque omnino vastantia, quale est peccatum ad mortem & in Spiritum sanctum, nedum in iis perseverare ac mori. unde sequitur, nec eos posse à fide justificante, gratia & salute totaliter & finaliter excidere. Neque hoc vere fidelibus evenisse demonstrari potest.

Antitheseos probatio.

In vere enim credentibus radix fidei ac semen regenerationis manere dicitur, in loco jam citato, nimirum 1. Ioh. 3. 9. Manere autē & excuti, vel excidere sunt prorsus contraria. Hinc de iis asserit Apostolus, Heb. 10. 30. quod tales non sint qui se

subducant

ſubducant ad exitium, ſed qui credant ad animæ ſalutem. Et, 1. Pet. 2. 6. Quod in Chriſtum credentes, nequaquam pudefient. Quod ipſis accideret ſi prolabi poſſent in peccatum ad mortem cum finali impœnitentia conjunctum, vel, in peccatum in Spiritum Sanctum, quod neque in hoc ſeculo remittitur, neque in altero remittetur. Item, quod per fidem virtutis Dei præſidio cuſtodiantur, ne ſcilicet, à fide deficiant, vel ea excidant, 1. Pet. 1. 5. E contrario Iohannes loquens de ſui ſeculi Apoſtatis negat eos fuiſſe vera electorum fide præditos, cum inquit, *E nobis egreſſi ſunt, ſed non erant ex nobis. Nam, ſi fuiſſent ex nobis permanſiſſent utique nobiſcum, ſed egreſſi ſunt ex nobis, ut pateſierent non omnes eſſe ex nobis*, 1. Ioh. 2. 19.

Theſis Quinta Remonſtrantium.

Nullus vere fidelis ac regenitus a *in hac vita de perſeverantia ac proinde de ſua ſalute certus eſſe poteſt abſque ſpeciali revelatione.*

a Coll. Hag. Belg. p. 413. Bert. 150. l. 2. & ſeq.

Antitheſis Orthodoxa.

Quamvis homo vere fidelis ac regenitus multis de cauſis in hac vita varijs dubitationibus atque animi perturbationibus ſit obnoxius, de ſua tamen perſeverantia ac ſalute ex Verbo Dei revelato certus eſſe poteſt.

Antitheſeos Probatio.

Hominem verè fidelem ac regenitum in hac vita certum eſſe poſſe de ſua perſeverantia, ac proinde de ſua ſalute, evinci poteſt:

1. Ex his Dei promiſſionibus & aſſertionibus,

Ioh. 1. 5. & Hebr. 13. 5. *Nequaquam te deſeram, nec unquam te derelinquam.*

Pſal. 37. 23. *A Iehova greſſus viri ſtatuuntur, cuius via delectatur: cum cadit non deijcitur, quia Iehova manum eius ſuſtentat.*

Et verſ. 28. *Non derelinquit Iehova quos benevolentia proſequitur, ideoque in æternum conſervabuntur.*

Eſaiæ 54. 10. *Quamvis hi montes recederent & hi colles dimoverentur, attamen benignitas mea à te non recedet, & fœdus pacis meæ non dimovebitur, ait, miſerator tuus Iehova.*

Oſeæ 2. 19. *Deſponſabo te mihi in æternum, iuſtitia, fide iudicio, benignitate & miſericordia.*

Matth. 16. 18. *Eccleſiam meam ſupra hanc petram*, fide, ſcilicet ædificatam, *portæ inferorum non ſuperabunt.*

Ioh. 4. 14. *Qui biberit ex aqua illa quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum, ſed aqua illa quam dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* Cui conſimilis eſt. Ioh. 6. 35. & aliæ quas brevitatis gratia omittimus.

2. A tutiſſima, tum Chriſti, tum Patris ipſius omnipotentis cuſtodia & confirmatione locis ſequentibus deſcripta,

Ioh. 10. 28. *Nemo rapiet oves meas ex manu mea, Pater meus qui eas dedit mihi, maior omnibus eſt. Neque quiſquam eas poteſt rapere è manu Patris mei.*

1. Petri 1. 5. *Virtutis Dei præſidio cuſtodimini per fidem paratam pateſieri tempore ultimo.*

2. Cor. 1. 21. *Qui nos confirmat vobiſcum in Chriſtum, & unxit nos, Deus eſt.*

3. A fidelium πληροφορίᾳ quæ nobis in ſacris literis ob oculos ponitur, ut:

Pſalm. 23. 4. *Etiamſi ambularem per vallem læthalis mortis, non timerem, quia tu mecum es*, &c.

Iob. 13. 15. *Etiamſi me occideret, in ipſo tamen ſperarem.*

Quibus subjungendus est locus illustrissimus, Rom. 8.31. *Si Deus est pro nobis, quis contra nos?* & quis nos separabit à charitate Christi? &c.

Et Phil. 1. 6. *Persuasum habeo hoc ipsum fore, ut qui cœpit in vobis bonum opus, perficiat usque ad diem Iesu Christi.*

4. A certissima fidelium adversus quoslibet hostes victoria.

Rom. 8. 37. *In his omnibus plus quam victores sumus, per eum qui nos dilexit.*

1. Ioh. 5. 4. *Quidquid natum est ex Deo, vincit mundum, & hæc est victoria quæ vicit mundum, nempe fides vestra.*

5. Ex primario justificationis fructu & effectu.

Rom. 5. 1. & sequentibus, *Iustificati fide pacem habemus apud Deum per Iesum Christum; per quem etiam fide adducti sumus ad gratiam hanc in qua stamus & gloriamur in spe gloriæ Dei.*

6. A glorioso spei qua fides fideique perseveratio fovetur, complemento.

Rom. 5. 5. *Spes non pudefacit.*

7. Ab assidua & efficaci Iesu Christi non tantum pro Petro & ipsius coapostolis, sed etiam pro omnibus vere fidelibus intercessione. Christus enim qui novit se à Patre suo semper exaudiri, Ioh. 13. 41. Non minus pro omnibus credentibus, quã pro Petro & alijs Apostolis oravit, Ioh. 17. Luc. 22. ne fides ipsorum deficeret: atque orando, sicut à Patre suo quondam impetravit, sic etiamnum impetrat, ut quemadmodum olim Petro & ipsius coapostolis, sic alijs quoque fidelibus largiatur liberrimam, fortissimam, invictissimam & perseverantissimam in fide voluntatem.

8. Ex aureo Apostoli sorite, Roman. 8. 30. ex quo sequitur eadem consequentiæ necessitate credentes fide justificatos glorificari, qua electi vocantur & justificantur.

9. Ex interna Spiritus Sancti testis omni exceptione majoris in nostris cordibus testificatione atque obsignatione.

1. Ioh. 4. 13. *Per hoc cognoscimus nos in Deo habitare & ipsum in nobis, quod de Spiritu suo dedit nobis.*

Ephes. 1. 13. *Posteaquam credidistis, obsignati estis Spiritu promissionis sancto, qui est in cordibus nostris arrhabo hæreditatis nostræ, dum vindicemur in libertatem.* Idem dicitur 2. Cor. 1. 22. & Eph. 4. 30. &c.

Si qui vero in Sacra Scriptura à fide dicuntur defecisse, aut illi fuerunt hypocritæ qui mera veræ fidei simulatione se & alios ad tempus fefellerunt: aut temporarij, qui veritatis Evangelicæ tanquam rei suavis ac jucundæ cognitione lætati, *πρὸς ὥραν* seu ad momentum in ejus luce exaltarunt, sicut illi de quibus Christus, Iohan. 5. 35. & Matth. 13. ubi hos veræ fidei radicem in se habuisse inficiatur.

Thesis Remonstrantium Heterodoxa.

Tantum abest ut doctrina de certitudine perseverantiæ ac salutis ad solidam fidelium consolationem & conscientiarum pacem in hac vita sit necessaria, ut è contrario natura atque indole sua veræ pietati ac toti Religioni sit perniciosa, serviatque ingenerandæ ac fovendæ carnali securitati.

De Art. 5. Thes. exhibit. Thes. 8. Armin. in Art. perpend. p. 31. 32. Coll. Hag. Boet. p. 64. 865. Belg. 340. & 346.

Antithesis Orthodoxa.

Tantum abest ut doctrina de certitudine perseverantiæ ac salutis natura atque indole sua pietati & toti religioni sit perniciosa, serviatque ingenerandæ ac fovendæ carnali securitati: ut ea è contrario ad solidam fidelium consolationem & conscientiarum pacem in hac vita sit necessaria.

Probatio

Probatio Antitheseos 6.

Hæc etiam doctrina non minus utilis est, quam necessaria.

1. Ad exhortationem, ut stadium fidei nobis in hoc vitæ curriculo propositum constanter decurramus, donec τὸ βραβεῖον comprehendamus, 1. Cor. 9. 24. Hebr. 12. 1.

2. Ad consolationem & pacem conscientiarum, cum ex ea intelligimus Deum opus bonum quod in nobis inchoavit, etiam ad diem usque Iesu Christi perfecturum, Phil. 1. 6. nec permissurum ut supra vires nostras tentemur, sed effecturum ut una cum tentatione etiam exitum sufferre possimus, 1. Cor. 10. 13.

3. Ad institutionem, quod, nimirum, electionem nostram & vocationem perseverantia in bonis operibus firmam efficiamus, in sensu, nimirum nostro atque in conscientia, ad animæ nostræ tranquillitatem. 2. Pet. 1. 10.

Septima Thesis Remonstrantium Heterodoxa.

Fides πρόσκαιρων, id est, temperariorum, est fides vera, totalis, & iustificans, nec differt specie à vera fide ad finem durante.

In Declaratione 5. Art. p. 4. &c.

Antithesis Orthodoxa.

Fides πρόσκαιρων, id est, temporariorum, non est fides vera sic proprie dicta, nec totalis, nec iustificans, sed talis est sola fides electorum, quam specie ab illa differre, ob causas sequentes asseveramus.

Antitheseos Probatio.

1. Causa est, quia fidei Electorum semen cadit in terram bonam, fidei vero temporariorum semen cadit in terram petrosam, Matth. 13.

2. Illa est in Christo vere ac solide radicata, hæc non item. Ibidem.

3. Fides electorum prædita est παρρησίᾳ & πληροφορίᾳ (quæ interdum πεποίθησις etiam apellatur) id est, certa plenaque cordis fiducia generales Dei promissiones sibi intus singulariter applicante: qua caret fides temporariorum.

4. Fides electorum ac vere credentium vitali Spiritus adoptionis succo vegetata, in medijs durat persecutionibus ac fructus profert multos Deo acceptos: Fides autem temporariorum Spiritu tantum revelationis ac commonefactionis illustrata ac leviter mota, æstu oppressionum exarescit ac sterilis excidit.

5. Fide electorum præditi sunt mundi corde, temporaria vero fide præditi, sunt corde immundi. Illi enim fide purificati dicuntur, Actor. 15. 9. Hi mente quidem illuminati ac gustu aliquo boni Dei verbi recreari dicuntur, Heb. 6. 4. sed cordis sui respectu, cum canibus & porcis immundis ad vomitum suum & volutabrum cœni revertentibus comparantur, 2. Petri 2. 22.

6. Illi vera fide ac justificante à Deo exornati, ab initio electi esse dicuntur in Spiritus sanctificatione ac fide veritatis, 2. Thes. 2. 13. itemque glorificati, Rom. 8. 30. Temporaria vero ac deficiente fide præditi, iam olim dicuntur descripti ad damnationem, Iudæ v. 4. seque à Deo subducere ad exitium, Hebr. 10. 38.

Atque hoc nostrum est judicium de Remonstrantium ac Contraremonstrantium sententijs adversarijs super hoc quinto Articulo & quatuor præcedentibus, quarum illam heterodoxam ac Verbo Dei repugnantem, ideoque reijciendam, hanc orthodoxam Verbo Dei consentaneam ac proinde in nostris Ecclesijs reformatis constanter esse retinendam censemus. In quem finem Dominos nostros Illustrissimos ac Clementissimos, necnon Generosos ac Nobilissimos ipsorum Deputatos rogamus, ut hanc doctrinam, qua fide, pietate, cura ac fortitudine

cœpe-

cœperunt, eadem ipsam ab hostium veritatis machinis & cuniculis sartam, tectam pergant conservare. *Te vero, Patrem misericordiarum Deum Ter-Opt. Maximum, supplices comprecamur, ut quemadmodum hactenus sanctis Dominorum nostrorum conatibus, sub quorum patrocinio hanc tuam doctrinam publice in his oris professi sumus abunde benedixisti, sic iisdem veritatis tuæ propugnatoribus Spiritu tuo semper adsis, ad Nominis tui gloriam, animarum nostrarum tranquillitatem & regni tui in his provincijs incrementum.* Amen.

Johannes Polyander.
Franciscus Gomarus.
Antonius Thysius.
Antonius VValeus.

Hoc meorum collegarum judicium legi, & approbo.

Lubbertus.

Suffragium

SIBRANDI LVBBERTI

De Quinto Articulo.

Quod ipsum cæteri professores Belgæ approbarunt.

PErseverantia qua usque ad finem perseveratur in Christo, differt à perseveratione. Hæc enim est actio, illa est habitus, vel instar habitus.

Perseverantia est gratuitum Dei donum. Tota enim Ecclesia in omnibus membris suis eam quotidie à Deo petit, idque ex Christi institutione. Quoties enim petit. Matth. 6. 9. *Sanctificetur nomen tuum, veniat regnum tuum, fiat voluntas tua, ut in cœlo, ita & in terra.* Et Matth. 6. 13. *Ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo:* toties postulat à Deo perseverantiam, ut recte ex Cypriano docet Augustinus, de bono perseverantiæ, lib. 2. Apostolus etiam orat, 1. Thes. 5. 23. *ut integer* Thessalonicensium *spiritus & animus & corpus inculpate serventur in adventum Domini nostri Iesu Christi.* Sed tandem irriderent Deum, si perseverantiam ab eo peterent, & scirent eam à Deo non dari: aut si illa, Deo non dante, esset in hominis potestate.

Vt autem à Deo petitur, ita etiam à Deo datur, Ierem. 32. 40. *Timorem meum dabo in corde eorum, ut non recedant à me.* Iohan. 6. 40. *Hæc est voluntas eius qui misit me, ut omnis qui credit in Filium habeat vitam æternam: Ego vero suscitabo illum in ultimo illo die.* Iohan. 10. 28. *Ego vitam æternam do eis, nec peribunt in æternum, nec rapiet eas quisquam è manu mea.*

Hoc donum non est partim à Deo, partim ab homine; sed à solo Deo proficiscitur. 1. Petri 1. 5. *Virtute Dei custodimur per fidem ad salutem.* Philip. 2. 13. *Deus efficit in vobis, ut velitis, & ut efficiatis pro gratuita sua benevolentia.* August. de bono perseverantiæ cap. 7. *Non nisi ad gratiam suam pertinere voluit Deus, ut homo ad eum accedat: neque nisi ad gratiam suam pertinere voluit, ut homo non recedat ab eo.*

Deus solis electis dat perseverantiam. Roman. 8. 29. *Quos præcognovit, eos etiam prædestinavit, conformes fieri imagini Filij sui; quos vero prædestinavit, eos etiam vocavit; quos vocavit, eos etiam iustificavit; quos iustificavit, eos etiam glorificavit.* Ergo à primo ad ultimum, quos prædestinavit ad conformitatem Filij sui, eos etiam glorificavit.

Quos Deus efficaci sua gratia conservat, ut non prolabantur, illi non patiuntur vim, neque violenter raptantur, sed sponte & libera voluntate Deo adhærent, & in fide perseverant. Ac licet non possint efficacem Dei gratiam prorsus impedire

dire aut evertere, tamen quamdiu hac carne circundati sunt, non solum retinent aliquam facultatem resistendi, sive resistibilitatem; sed etiam ex infirmitate nonnunquam peccant, hoc est, actu & re ipsa Deo resistunt.

Etsi regeniti aliquando ex infirmitate labuntur, & fides illorum deliquium patitur; tamen nec totaliter, nec finaliter gratia Dei excidunt, Psal. 37. 24. *Quum ceciderit* justus, *non prosternetur, quia Iehovach sustentat manum eius.* 2. Cor. 4. 9. *Deycimur, at non perimus.* Prov. 24. 16. *Septies in die cadit justus, & resurgit; impij autem corruunt in malum.*

Non finaliter. Ioh. 10. 28. *Ego dabo eis vitam æternam, neque peribunt in æternum, neque rapiet eas quisquam è manu mea.* 1, Petri 1. 5. *Virtute Dei custodimur per fidem ad salutem.* Verum qui vitam æternam accipiunt, & ad salutem perveniunt, illi non excidunt finaliter.

Non totaliter. 1. Ioh. 2. 19. *E nobis egressi sunt, sed non erant ex nobis, nam si fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum.* Deinde in gravissimo Petri lapsu fides non fuit totaliter abrupta, Luc. 22. 32. *Ego rogavi pro te, ne tua fides deficiat.* Defecisset autem, si totaliter fuisset abrupta. Verum enimvero ut Christus pro Petro oravit, ita oravit pro omnibus electis. Ioh. 17. 20. *Non autem pro ijs tantum rogo; sed pro ijs etiam qui per sermonem eorum credituri sunt in me.*

Hæc est vera causa, quare vere credentes & electi in illud peccatum quod est in Spiritum Sanctum & ad mortem, non incidunt. 1. Ioh. 3. 9. *Quisquis ex Deo natus est, non peccat, quoniam semen ipsius in eo manet, nec potest peccare eo quod ex Deo natus est.* Ioh. 5. 16. *Si quis viderit peccare fratrem suum peccato, quod non est ad mortem; petet & dabit ei vitam: peccantibus dico non ad mortem; est peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut roges. Omnis iniquitas peccatum est, sed est peccatum quod non est ad mortem. Scimus quod quisquis natus est ex Deo non peccat.*

Homo regenitus ratione suæ infirmitatis potest totaliter & finaliter excidere, & revera excideret, nisi potentiore & altiore virtute conservaretur.

Hæc doctrina affert consolationem, & excitat in nobis studium pietatis: bono enim animo sunt, qui sciunt se à Deo ad salutem custodiri, & ad gratitudinem exstimulantur, qui hoc Dei beneficium serio meditantur.

Reijcimus illorum opinionem qui dicunt:

1. Perseverantiam non esse Dei donum.
   Thesi exhib. 1. de Quinto Artic.
2. Perseverantiam esse conditionem ante electionem in objecto eligibili prærequisitam.
   Declar. exh. Artic. Quinto fol. 7. 8.
3. In hominis potestate esse hanc efficacem Dei gratiam impedire & evertere.
   Declar. exhib. pag. 11.
4. Voluntatem hominis esse solam & Physicam causam perseverationis.
   Epist. VValachr. 74. 4.
5. Vere fideles per quælibet opera carnis totaliter excidere. *Coll. Bert. 18.*
6. Eosdem posse incidere in peccatum, quod est in Spiritum Sanctum.
7. Eosdem posse totaliter & finaliter excidere.
   Coll. Bert. 18. & Thes. exh. 3. 4. de Art. 5.
8. Doctrinam de perseverantia esse noxiam. *Coll. Bert. 57. & pag. 12.*

Lubbertus.

Hoc judicium nostri Collegæ legimus, & approbamus:

Iohannes Polyander.
Franciscus Gomarus.
Antonius Thysius.
Antonius VValeus.

Judicium

Judicium

SYNODI GELDRICÆ

De Quinto Articulo,

qui est

DE PERSEVERANTIA SANCTORVM.

Credimus vere fideles à gratia Dei, fide, & salute æterna nunquam totaliter aut finaliter excidere, vel etiam posse excidere: idque non tam ratione virtutis alicuius ipsis infusæ & inhærentis, quam quia Deus propter promissionem suam, & Christi perpetuam intercessionem, per Spiritum Sanctum ita eos conservat & munit contra omnem vim & fraudes hostium suorum, ut in peccatum nullum incidant aut possint incidere, quod vitam ipsis auferat, vel spiritualem, vel æternam, ad quam utramque gratiose prædestinati sunt.

Explicatio & Confirmatio.

1. NOn dicimus quoslibet fideles perseverare, sed tantũ eos qui *vere* tales sunt. Esse enim, &, Esse vere, plurimum *a* differunt. Sunt autem vere fideles, non qui simpliciter credunt ijs quæ vera sunt, (ita enim *b* & Diabolus vere fidelis esset:) sed qui fide *c* non ficta, & plena animi fiducia Christo Iesu, soli servatori, advocato, & Regi suo adhærent, in ipso radicati sunt, coaluerunt cum eo, & servant sermonem ejus. Nam per hoc scimus nos in Christo esse. Ac fatentur ipsi Remonstrantes *d*, veram & salutarem fidem, qualis nimirum ea est quam fingunt Deo eligenti obijci, esse non notitiam solum atq; assensum, sed & fiduciam: & quidem fiduciam ejusmodi, quæ necessario secum involvit & importat vitæ sanctimoniam & integritatem, quam de se sua fœcunditate gignit & emanare facit. Et alibi: *e Fides*, inquiunt, *absque operibus est mortua, ac proinde nec potest ea hominis animo ingenerare fiduciam se esse Filium Dei, sibique peccata esse remissa.* Bertius etiam disertis verbis. *f Fidelis*, ait, *est proprie is, qui usq; ad finem stat promissis.* Et, *Qui credunt sunt discipuli, & tamen si persistent, dicuntur vere futuri discipuli Christi.*

a Ioh. 8.31. Rom. 2.28.29. Iohan. 1.47. Coloss. 1.6. b Iacob. 2.19. c 1 Tim. 1.5. Hebr. 10.22. Coloss. 2.7. Rom. 6.5. 1. Ioan. 2.5. d Declarat. Artic. primi, pag. 8. e Collat. Brand. pag. 362. l. 8. f De Apostasia p. 45. l. 18. & 21.

2. Per gratiam Dei, intelligimus benevolum illum Patris affectum quo nos gratis effecit sibi gratos in illo dilecto. Charitatem Dei, vocat passim Scriptura. Quum autem dicimus, Fideles non excidere à gratia Dei, nõ hoc volumus, (quod nonnulli calumniantur) Fideles nihil unquam admittere quod non sit Deo gratum; (scimus enim quod peccent in multis; & quod nulla peccata Deo grata sint:) neque, hoc Fideles pari modo semper persentiscere hanc Dei charitatem; (precatur enim propheta, *Facito ut audiam gaudium & lætitiã. Redde mihi gaudium salutis tuæ, & spiritu ingenuitatis sustentes me:*) sed hoc tantum volumus, nunquam fieri, aut posse fieri ut filijs suis tantopere indignetur Deus, ut Patrem se ipsorum in Christo esse, ac talem reipsa demonstrare se penitus obliviscatur.

Ephes. 1. 6. & 2. 4. Rom. 8. 39. 2. Thess. 2. 16. Psal. 51. 10. 14.

3. Fides aut habitum notat, aut actum. Negamus habitum, semen, radicem, spiritum fidei posse deperdi, & unctionem quam accepimus à Deo, posse non manere in nobis. Concedimus autem, Actum, fiduciam, consolationẽ, posse intercidere, & intercidere etiam non raro, non tantum secundum plus & minus, sed & totaliter, non finaliter tamen. Ac cum fidelis à fide, non à fidei usu & actu nomen habeat, fideles, & quidem vere fideles appellamus quotquot spiritum illum fidei vel semel acceperunt.

4. Perseve-

4. Perseverantiæ fidelium in gratia & fide causas & fundamenta ponimus, I. Electionis æternæ decretum immutabile. Fieri enim nulla ratione potest, ut fide non donetur, (loquimur de adultis) vel donata excidat, cui salutem, quæ non nisi per fidē obtinetur, conferre æterno & prorsus immutabili decreto Deus constituit. Quin etiam, sicuti ex fide fideique fructibus cognoscere quilibet certo potest se electum esse ad salutem, ita vicissim, cum electum se esse certo quisquam cognoscit, potest & de perseverantia sua in fide certissimus esse. Nam quisquis perseveraverit, hic salvus erit. Sed de eo plura diximus ad Articulum primum.

II. Promissionem Dei, quam videre est Ierem. 32. 38. 39. 40. & cap. 31. 33. 34. & alibi. Est vero impossibile ut non faciat Deus quod facturum se promisit: absolute quidem, quod se absolute facturum promisit; conditionate, quod sub conditione. Hic autem nulla vel exprimitur, vel intelligi etiam & excogitari potest conditio, sub qua illud velit facere quod se facturum dicit: nam media per quæ facit quæ vult facere, conditio non sunt; & non habentur ea eorumque rectus usus nisi dono etiam Dei. Remonstrantes cum simpliciter negant, Certum esse quidquid verbo suo promisit Deus, Atheismi fundamentum ponunt. Coll. Brand. pag. 424. l. penult.

III. Intercessionem Christi. Nam certum est sedere Christum ad dexteram Patris sui, & interpellare pro nobis. Quid autem orat pro fidelibus & sanctificatis? An, ut in gratia maneant quamdiu in fide manent? Id frustra esset, secundum Remonstrantes. Nam, *Sanctos & fideles, qua tales, in gratia & benevolentia Dei persistere semper, necessarium omnis religionis, maxime Christianæ fundamentum est, quod nititur promissionibus Dei & Iesu Christi, neque unquam à nobis in dubiū vocatum est*, inquiunt Remonstrantes. An ergo orat, ut fideles *possint* perseverare? Atqui *virtute gratiæ, & Sp. Sancti, efficacisq. charitatis & desiderij quod in regeneratione acceperunt fideles, satis jam firmi sunt ad conculcandum peccatum, & illi dominandum*, inquiunt Remonstrantes. Fideles ergo qua tales, possunt perseverare. Quid orat igitur Christus pro fidelibus? quid, nisi ut in fide & sanctitate confirmentur quotidie, & perficiantur ad finē usque: nisi ut serventur ab improbo? nisi ne deficiat fides eorum? Manifesta hæc sunt, neq; negari possunt. *Quando vero Christus pro fidelibus orat, & quidem nominatim cum orat ut à peccato conserventur, auditur semper*, inquiunt Remonstrantes. Et, *Petrus temeritate sua meritus erat à diabolo triturari & ventilari, imo & ventilatus fuisset, nisi Christus intercessione sua eius tentationem minuisset, & eius memoriam refricuisset aspectu suo, ut conversus confirmaret fratres suos.* Quid igitur? An ita pro petro intercessit Christus ut non velit aut possit pro alijs idem facere? Meriti sane sumus ut trituremur: meritus erat & Petrus], inquiunt. fuerit ille Christo dilectus, dilecti sunt omnes etiam fideles, inquiunt: & æque dilecti atque Petrus, quod salutem attinet: debuerit ille confirmare fratres suos; debent, possunt, & volunt, idem hoc facere omnes fideles, ut notum est: fuerit ille Apostolus; sed & Iudas Apostolus fuit, pro quo si intercessisset Christus cum meritus erat triturari à diabolo propter avaritiam suam, an non fuisset minuta eius tentatio, & ipse in fide conservatus? An potius veram fidē non habuit Iudas? Id nos ex Scriptura asserimus: ac proinde, cum Apostolus esse potuerit Iudas, etiam fidem non habens, ratio, cur Petrus in fide quam habebat confirmaretur, esse non potuit illa, quod fuerit Apostolus. Promiscue ergo pro omnibus fidelibus intercedit Christus cum salvandi intentione, ut loquuntur, & semper exauditur. Vnde non potest non esse certissimum, eos in fide perseveraturos & salutem consecuturos. Imo si fieri non potest ut non exaudiatur Christus, neque fieri posse statuimus ut non perseverent & salventur.

Roman. 8. 34. Coll. Brand. p. 402. l. 9. Coll. Brand. p. 448. l. 14. & p. 451. l. 2. Ioa. 17. 15. 20. Luc. 22. 32. Ioa. 11. 41. 42. Coll. Brand. p. 437. l. 2. Ibid. p. 435. l. 22. Ibid. p. 437. l. 24. Ioan. 6. 64. Contra Walach. 51. l. 2. Coll. Brand. p. 431. l. pen.

Sed multo adhuc clarius confirmant hoc Remonstrantes, cum sic scribunt, *Pseudoprophetæ seducent multos per efficaciā suam in signis & prodigijs, quæ tanta erit, ut non tantū infirmos & mediocres in fide, sed & si fieri posset præclarissimos & excellentissimos in de seducerent, nisi dies in eorum gratiam abbreviarentur: quare & Marcus addit, Electos quos elegit; quod tantundē valet, ac Quos Peculiariter Eo Tempore Vult Custodire, & contra seductionis vim conservare & eligere: quod scimus Scripturā crebro Deo tribuere, ut evidenter ex multis videre est.* Apoc. 3. 10. *Quoniam observasti sermonem tolerantiæ meæ, ego quoque te servabo ex tempore tentationis.* Hactenus illi. Feri ergo non potest, iuxta Remonstrantes, ut seducantur & à tentatione superentur illi quos peculiariter custodire vult Christus. Atqui omnes vere fideles, omnes qui observarunt sermonē tolerantiæ,

vult Christus peculiariter custodire, dicimus nos; neque contrarium evincent unquam Remonstrantes. Nunquam igitur seducentur, & per consequens, nunquam à gratia & fide excident vere fideles.

Ephes. 1. 14. & c. 4. 30. Iohann. 14. 16.

IV. Spiritum sanctum; quo ceu arrhabone hæreditatis suæ obsignati sunt fideles omnes in diem redemtionis, sive dum in libertatem vindicentur: qui datus illis est, non ut ipsi illum custodiant, sed ut ipse eos custodiat, & in æternum cum ipsis maneat.

Atque ita nobis Deus Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, causa sunt non prima, suprema, & primaria tantum, sed unica etiam nostræ perseverantiæ, omnisque quam de salute & perseverantia certitudinem concipimus, ex eo dependet, quod Deus possit & velit, adeoque ne possit quidem nolle in fide & pietate conservare quos iuxta æternum gratiosæ electionis decretum fide vera & viva semel efficaciter donavit; quibus conservationem porro perpetuam in eadem fide promisit; pro quibus ut perseverent, assiduo precatur & deprecatur Iesus Christus; denique quos Spiritus Sanctus in æternum custodit. Voluntatem & potentiam regenitorum quod attinet, fatemur quidem, (quod nec ipsi Remonstrantes diffitentur) *Difficulter fieri posse ut renati ad peccata revertantur, propter efficaciam vitæ Dei, quæ resistit peccato, & illud compescit: naturamque & proprietatem eorum qui ex Deo nati sunt, eam esse, ut eos flectat & inclinet ad bonum, & avertat à malo; & quando agitur de actionibus* (quemadmodum sane *perseveratio* actio est:) *voluntatem dici posse causam concomitantem, unde actio prodit, ac proinde & opus inde nascens:* Negamus tamen ipsam perseverantiam à voluntate & potentia regenitorum ulla ratione dependere: id est, perseverare regenitos in fide & sanctitate ideo, quod iam acceperunt posse & velle perseverare. Voluntas enim hominis mutabilis est in singulas horas, neq; agit, imo nec potest agere quicquam quod Deo acceptum est, nisi acta a Deo. Potentia etiam Diaboli tanta, & tam variæ artes sunt, ut regenitus, quisquis tandem sit, nisi speciali Sp. Sancti virtute indesinenter fulciretur, tentationem ullam superare, & fidem gratiamque Dei retinere nullis suis viribus possit, iuxta illud Christi: *Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite: ita nec vos, nisi in me manseritis. nam seorsum à me nihil potestis facere.* Et alibi, *Simon Simon, ecce satanas appetyt vos quos ventilaret sicut triticum, sed ego rogavi pro te ne deficiat fides tua,* quasi dicat, nisi orassem pro te, defecisset fides tua. *Fieri non potest*, inquiunt Remonstrantes, *ut vel ad momentum persistere voluntas possit, nisi moneatur, moveatur, flectatur, excitetur, instigetur* (*& sane mille modis instigatur*) *agitetur à gratia Dei, à qua, cum actione sua, ipsa dependet, & sine qua neque vellet neque posset velle perseverare: inde enim est quod perseverat, quum perseverat, non quod velit temere perseverare, sed quia gratia ceu causa præcedente & concomitante, ex qua pendet, movetur.*

Collat. br. p. 447. l. 25. & p. 455. l. 7. & p. 406. l. 21. & 30.

Ibidem p. 408. l. 21.

Ioh. 15. 4. 5.

Luc. 22. 31. 32.

Collat. Br. p. 407. & 408.

Hinc etiam est quod dicimus, Hominem respectu diverso perseverare posse; & non posse perseverare: posse, si Deus eum conservet, excitet, moveat, flectat, & perpetuo assistat ei gratia Spiritus sui: Non posse, si secus. Remonstrantes sic efferunt; Fideles in fide perseverabunt, si orent, vigilent, &c. non perseverabunt, si non orent, vigilent, &c. Quum ergo alibi dicunt, *Quoscunque licet respectus producamus, fieri tamen non posse, ut homo simul gratia excidere possit, & non possit,* veritati & sibi ipsis aperte contradicunt.

Collat. Br. p. 405. l. 17.

Ibid. p. 413. l. 6.

5. Hæc de perseverantiæ nostræ causa & fundamentis. Cæterum varijs medijs utitur Deus ut perseverare nos faciat: qualia sunt.

I. Verbum Dei. Nam omnes istæ adhortationes, præmonitiones, præcepta, promissiones, comminationes, obsecrationes, &c. quæ quotidie, cum prædicatur aut legitur verbum, nobis proponuntur, horsum faciunt, ut de officio nostro erudiamur, in eo contineamur, & volentes ac potentes ad illud singularibus actibus præstandum reddamur.

II. Castigationes paternę: tum nobis inflictę; (nam, *Dum iudicamur à domino, erudimur, ne cum mundo condemnemur.* Et, *Castigatio fructum tranquillum iustitiæ reddit ijs qui per eam fuerint exercitati.* Huc pertinet illud, *Datus est mihi surculus infixus carni, nempe Angelus Satan ut me colaphis cædat, ne supra modum efferar*: tum alijs) nam quod dicitur de pœnis populo Israelitico olim immissis, *Hæc omnia typice evenerunt eis, scripta vero sunt ad nostri admonitionem*: idem de ijs quæ etiamnum hodie populo Dei immittuntur, intelligimus. Huc referri potest illud Apostoli,

1. Corinth. 11. 32.

Ebr. 12. 11.

1. Corinth. 10. 11.

Ecc

Ecce istud ipsum, quod secundum Deum tristitia affecti fuistis, quantum in vobis effecit studium? &c, Loquitur enim de fructu quem consecuti sunt ex eo quod incæstuosum quendam Satanæ tradiderat. 2. Corinth. 7.11. 1. Corinth. 5.5.

III. Preces, tum Pastorum, tum Ecclesiæ totius. Sic precatur Paulus, 1. Thess. 3. 12. & 2. Thess. 1. 11. & tota Ecclesia, Ne *Nos* inducas in tentationem.

Huc pertinent quoque Sacramenta; Dei longanimitas; omniaque tum animi tum corporis bona quæ fidelibus largitur quotidie Deus quamplurima: & si quæ his sunt similia, quæ omnia nunc non referimus: sufficient hæc probando, Decretum Dei de danda electis fidelibus perseverantia, etsi antecedenter sive à priori absolutum est, consequenter tamen & à posteriori nobis absolutum non esse: ac proinde per calumniam nobis affingi quod doceamus vel credamus, hominem electum & fidelem, quidquid tandem agat, imo velit nolit, non posse non inevitabiliter servari.

§. 6. His medijs confirmati, & virtute insuper ac potentia Dei custoditi contra omnem vim omnesque fraudes hostium suorum fideles id consequuntur, non ut nunquam labantur, (nam in multis sane omnes labimur) sed ut nunquam prolabantur, id est ut nunquam sub dominium Satanæ & peccati, à quo liberati semel sunt redigantur, utque gratia Dei, vita Spirituali quam vivunt, & æterna quam habent, nunquam totaliter aut finaliter priventur: sollicite eos curante, & pro ijs excubante fidissimo Pastore animarum ipsorum Christo, qui ægrotos confirmat, fractos obligat, depulsos reducit, pereuntes requirit, & ut maxime in peccatum unum, & item alterum incidere eos permittit nonnunquam, ex quo etiam non continuo eos erigit, nunquam tamen non tandem ad eos gratiose convertat oculos suos, quo peccata agnoscant, amare defleant, & se ad ea postmodum fugienda magis magisque componant. Ipsi Remonstrantes fatentur peccato veniali, id est, non regnante non excuti Spiritum sanctum. Et Bertius particulari Apostasia, qualis fuit defectio Davidis, Petri, aliorum, non plane excuti Sp. Sanctum in regenitis. Non dicimus autem peccata quæ fideles admittunt, mortem Spiritualem & æternam non *mereri* simpliciter & natura sua, sed non *auferri* vitam illam à fidelibus per & propter peccata, quæ admittunt; quia nimirum Christus eos conservat dum cadunt, ne occidant; & dum sub onere pressi iacent, ne ab eo opprimantur. Iacob. 4. 2. Ezech. 34. 16. Coll. brand. p. 364. l. 3. de Apostasia. p. 13. l. 3. &c. Matth. 26. 70. & seqq. Luc. 22. 61.

Hæc nostra est de hoc articulo sententia, cuius veritas manifeste patet ex locis S. Scripturæ sequentibus.

Psalm. 1. 1. 2. 3. & 23. 1. 2. 3. & 37. 23. 24. 2. Samuel. 7. 14. Ierem. 32. 39. 40. Hos. 2. 18. 19. Matth. 7. 24. & 24. 24. Iohan. 4. 13. 14. & 6. 35. 37. 39. 54. &c. & 10. 28. 29. & 14. 16. & 15. 2. & 17. 15. 20. Rom. 5. 1. 2. 3. 4. 5. 9. & 6. 14. & 8. 30. 35. &c. 1. Cor. 1. 8. 9. Eph. 1. 13. 14. & 4. 30. Phil. 1. 6. & 2. 12. 13. 1. Thess. 5. 23. 2. Thimot. 2. 19. Ebræ. 7, 24. 25. 1. Petr. 1, 3, 4, 5. Ioann. 3, 9. (quem locum Arminius fatetur argumentum suppeditare omnium quæ horsum adferri possunt, firmissimum.) 1. Ioan. 5. 18. Cont. Perk. p. 228. l. 1.

Damnamus ergo & rejicimus sequentes errores.

1. Christus non orat pro perseverantia fidelium. *Collat. Brand.* p. 437. l. 17. &c.

2. Conservatio fidelium in fide, non pendet tantum ex certa & fideli Iesu Christi conservatione. *Ibidem* p. 439. l. 14.

3. Vere fideles abunde facultatum habere quibus contra Satanam, peccatum, mundum, & propriam suam carnem pugnent, & victoriam obtineant modo velint pugnare. Collat. Brand. p. 352. l. 14. & p. 407. l, 15. & 21.

4. Vere fideles posse committere peccatum ad mortem; & illud quod in Sp. sanctum dicitur. Episcopius. Corol. 1. ad Theses de peccatis actualibus.

5. Vere fideles posse totaliter & finaliter amittere fidem; excidere salute, & æternum perire: multosque vere fideles eousque actu ipso pervenisse. Collat. brand. p. 360. l. 8. & 358. l. 21.

6. Perseverantiam non esse effectum electionis peremptoriæ, neque donum novi fœderis gratuiti, sed conditionem prærequisitam in eligendis. Thes. 1. exhibita de 5. artic.

7. Neminem sanctorum in hac vita de perseverantia sua & salute certum esse posse absque speciali revelatione. *Collat. brand.* p. 504. l. 2. [desumtum hoc est ex Conc. Trid, Sess. 6. Can. 16.]

8. Certitudinem de perseverantia, ad solidam fidelium consolationem & conscientiarum pacem in hac vita non esse necessariã imo laudabile esse dubitare num simus ijdem semper futuri qui nunc. *Collat. Brand. p. 410. l. 10. Thes. 8. exhib. de 5. articul. Arminius artic. perpend. p. 31. 32.*

9. Vere fideles custodiri quidem contra *vim* hostium suorum, sed non contra *fraudes* & *dolos*, propriamque suam proterviam. *Collat. brand. p. 424. l. 1. & 6.* [cum tamen in fraudibus & seductionibus vim esse agnoscat Scriptura, 2. Thes. 2. 9. 11. & ipsimet Remonstrantes, *Collat. Brand. p. 431. l. 4. à fine.*]

10. Non esse absurdum, iterato renasci. *Collat. brand. p. 457. l. 9.*

11. Fidem non posse consistere cum operibus carnis. Qualia sunt, adulterium, scortatio &c. *Collat. Brand. p. 362. l. 8.*
[cui disertis verbis contradicit Bertius, *p. 15. l. 7.*]

12. Temporarios esse vere fideles; posseque dici, Electos ipsos esse & iustificatos. *Declar. artic. 5. p. 4. 5. & Declarat. art. 1. p. 5.*

13. Deum non simpliciter efficere per homines ut perseverent ipsi: secus non esset unde gloriarentur perseverantes. *Bertius de Apostas. p. 63. l. 16. Collat. Brand. p. 358. l. antepen.*

14. Non perstare hominem quia Deus perstat, sed perstare Deum quia perstat homo: neque deseri hominem à Deo in actu aliquo singulari, nisi homo ipse prior Deum deseruerit. *Bert. de Apost. p. 63. l. 1. Collat. Br. p. 406. l. 11.*

15. Certitudinem perseverantiæ, noxiam esse pietati & toti Religioni. *Collat. Brand. p. 354. l. 3. & p. 410. l. 16. Thes. 8. exhibit. de 5. Artic. Armin. artic. perp. p. 31. & 32.*

Hæc & similia, uti falsa, erronea, Deo iniuria, & solidam piorum ac vere
fidelium consolationem subvertentia, ex reformatis Ecclesijs eliminanda cen-
semus. Quod idem omnino de reliquis quatuor Remonstrantium Articulis iu-
dicamus, ut suo supra loco exposuimus. Ac persuasissimi sumus, nisi universi illi
& singuli Articuli, una cum doctoribus suis, ex Ecclesijs Belgicis in perpetuum
exulare iubeantur, fieri non posse ut aut Christiana pax ulla reddatur nobis, aut
reddita, diu conservetur. Paulum fermenti totam massam fermentat. Atque uti-
Gal. 5. 9. nam etiam abscindantur, qui nos inquietant & inquietarunt hactenus: impri-
mis vero dissidiorum & scandalorum contra doctrinam quam ex verbo Dei di-
dicimus & docuimus, *autores*; quo declinare ab eis possint homines alias quidem mi-
Rom. 16. 17. nime mali: sed per blandiloquentiam & assentationem tamen Doctorum eiusmo-
di misere seducti, & ab unitate Ecclesiæ volentes nolentes avulsi.

Faxit autem Dominus noster Iesus Christus, ut ij qui contrario animo affecti sunt, qui
errarunt hucusque, & errare alios fecerunt, tandem aliquando resipiscentes veritatem ag-
noscant, ut idem loquamur omnes, neque sint inter nos dissidia, sed simus coagmentati
eadem mente & sententia. Tu vero Iehova, misereberis Sionis, quia tempus est facien-
Psalm. 102. 14. &c. *di gratiam ei, quia advenit statum tempus; quo delectentur servi tui lapidibus eius, &*
pulveri eius gratiam faciant: ut revereantur gentes nomen Iehovæ, & omnes reges terræ
honorem tuum, cum ædificans Sionem Iehova, apparuerit in honore suo, respexerit ad
orationem humilium, & non spreverit orationem eorum. Amen.

SENTENTIA.

ET

Iudicium

Deputatorum Synodi Zuydt-Hollandiæ,

QVI EST

De Perseverantia sanctorum, de Quinto Remonstrantium Articulo.

I.

QVemadmodum Deus certas quasdam singulares personas ab æterno sibi elegit, ijs Filium suum dedit, & Filius iisdem morte sua reconciliationem cum Deo, & peccatorum remissionem impetravit,& per verbum, & per Spiritum suum potenter è morte in vitam spiritualem restituit,& fide in Christum, per quam justificentur & Spiritu suo,per quem sanctificentur, donat: ita Deus eosdem per eandem suam gratiam in vita Spirituali in finem usque conservat,& Salvator noster Deus & homo ita eosdem pascit,gubernat ac custodit, ut non patiatur quemquam eorum è manibus suis eripi,rursusque mori,aut totaliter & finaliter per infidelitatem aut impœnitentiam à fide deficere: quam gratiosam Dei custodiam, cum omnibus benedictionibus Spiritualibus eo pertinentibus,vocamus donum perseverantiæ.

Docent hoc nos quamplurima Sacræ Scripturæ loca; inprimis, Iohan.6.vers.37. & 39. & cap.17. vers.12. & 24. 1.Petr.1.5. Rom.8.29. & seqq. Rom. 11. 29. Ioan. 13. vers.1. 1.Cor.1.vers.8.Iudæ.1.

Reijcimus Itaque.

1.

Perseverantiam male donum dici,quasi & ipsa infunderetur. Remonstr. in Coll. Hag. Brand.407.

2.

Perseverantiam nihil aliud esse quam eandem continuatam & perpetuam fidem. ibid. p.403.

3.

Deum illa Spiritus Sancti virtute, qua primum fideles conversi sunt,sine ulla sua cooperatione,eosdem custodire, & conservare in fide, absurdissimum esse. ibidem. pag.405.

4.

Custodiam Dei esse conditionalem,nam si nos Deum abnegemus, Deum nos non custoditurum,sed longe à se repulsurum. Bertius.

II.

Vere fideles itaque,id est per vivam & justificantem fidem Christo insitos, semper in Christo manere & in dilectione ipsius perseverare; perseverationem autem hanc nequaquam pendere à libera hominis voluntate,sed à gratiosa Dei custodia; ac proinde licet fideles hi,sæpe ex infirmitate etiam in gravia peccata prolabantur, tamen non totaliter ex gratia & fide excidere, neque in peccato permanere aut finaliter deficere: quia habitus fidei,ut semen Dei incorruptibile,in ipsis perpetuo manet, Deus ipsos conservat,rursus erigit,& quos secundum propositum suum vocavit, justificavit, sanctificavit, etiam glorificat.

Docent hæc nos Sacræ Scripturæ loca, Philip.2.13. 1.Ioan.3.9. Ioan.5.18. Rom. 6.2. & seq. Rom.8.29. & seqq. & alia quam plurima.

Itaque Reijcimus.

1.

Voluntatem proximam & solam esse perseverationis causam physicam. Rem. Resp. advers. VValach.75.

2.

Custodiam fidelium in fide, non solum pendere à certa & fideli conservatione Iesu Christi, sed ad eam etiam requiri debitam obedientiam ipsorum fidelium, ne officio suo ipsi desint. Rem. in Coll. Brand.438.

3.

Vere fideles possunt à vera fide excidere & in eiusmodi prolabi peccata, quæ cum vera & iustificante fide consistere non possunt: nec potest hoc tantum fieri, sed & non raro fit. In thesib. exhib. thes.3.

4.

Vere fideles possunt sua culpa in flagitia atrocia incidere, in eisdem perseverare & mori, ac proinde finaliter excidere & perire. ibid. Thes.4.

III.

Porro huius gratiosæ custodiæ divinæ in gratia & fide, vere fideles & iustificatos, habere in hac vita sensum & certitudinem; qui sensus licet interdum veluti obstupescat, tamen semen & radix illius nunquam penitus ab ipsis aufertur, Deo non permittente, ut supra vires tententur, sed una cum tentatione præstante exitum, & opus quod in ipsis inchoavit, perficiente in finem usque.

Docent nos hæc Sacræ Scripturæ loca. 1.Cor. 10.13. 2.Thess.3.vers.3. Phil.1.6 2.Timoth.1.12. 2.Cor.1.21. Ephes.1.13.14. Ephes.4.30. 2. Cor.4.13. Hebr.6.17. & seqq.

Itaque Reijcimus.

1. Nullum vere fidelem ac regenitum, in hac vita de Perseverantia ac salute posse esse certum, absque speciali revelatione. Rem. Coll Brand.504.

2. Laudabile & utile esse, de sua perseveratione dubitare. ibid.410.

IV.

Hæc doctrina uti verissima & divino Verbo conformis est, ita vtilissima est ad humilitatem & veram pietatem in fidelibus promovendam, & excludendam omnem gloriationem, & maxime necessaria ad lapsos erigendos & consolandos, & in viam reducendos, & à desperationis præcipitio liberandos, modo cum prudentia secundum verbi divini normam & exemplum applicetur.

Huc faciunt loca Sacræ Scripturæ Luc.22. vers. 29. & seqq. 1. Iohan.3. vers. 2.3. Philip. 2. vers. 12. 13. Rom.6. vers. 11.12. Rom. 8. vers. 35. & seqq. aliaque complura.

Itaque

Itaque Reijcimus.

I.

Doctrinam de perseverantiæ certitudine, ex se & natura sua, idoneam esse ad securitatem generandam, & in medio peccatorum & transgressionum, homini servire instar pulvinaris, cui molliter incubet, sibi blandiatur & seipsum consoletur. Rem. in Coll. Brand. 403.

II.

Non paucos esse, è quorum animis Satan, sola huius doctrinæ persuasione, fidem omnē, spem, religionem ac timorem Dei radicitus evulsit, his ad desperationem redactis, illis in desperata salute, bis misere securis. Nic. Grevinch. in Epistola præfixa dissertat. contra Amesium.

III.

Nisi defendatur Sanctorum Apostasia, tolli omnem gloriationem hominis. Bert.

COROLLARIVM.

LIcet autem statuamus, Deum solos electos suos ea fide donare quæ non deficiet, tamen agnoscimus eundem beneficentissimum Dominum, multa beneficia conferre etiam reprobis, qualia sunt illuminatio ad cognitionem quandam spiritualem, & assensus ad fidem quandam historicam & superficiariam, & gaudium quoddam ex gustu illorum donorum: quæ quia non sunt durabilia in ipsis, nec ad ipsam regenerationem pertingunt, sed tempore tentationis ab ipsismet suffocantur, Sacra Scriptura eos qui ea habuerunt, temporarios vocat: Non enim radices egerat in animis eorum vera fides, quæ justificat, sed talis fides leviter animos eorum affecerat, qualis est eorum, qui à Domino sensim ad plenam & perfectam fidem præparantur; Quare & specie differre arbitramur à viva & justificante fide regeneratorum, quam in antecedentibus, non posse deficere ostendimus. Ad quæ etiam faciunt loca Sacræ Scripturæ: *Math.13.vers.19.20.21.22. ad Hebr.6.vers.4.5.6. 1.Ioan.2.vers.19.20.* & alia.

Itaque Reijcimus.

Fidem temporariorum esse fidem veram, totalem & iustificantem, nec differre specie, à vera fide ad finem usque durante.

CONCLVSIO.

ATque ita absolvimus iudicia nostra de quinque notis Remonstrantium Articulis; in quibus consulto usi sumus brevitate, neque necessarium arbitrati sumus, longius examen argumentorum, quæ pro contraria sententia producuntur, subnectere,

 licet

licet illud pene paratum haberemus; tum quod tempori consuleremus, tum quod in Collatione Hagiensi & pluribus alijs scriptis, id abunde à nostris præstitum esset; maxime vero quod mallemus, & Reverendos D. exteros Theologos de ijs audire, & ijs quibus provincia scripti elenchtici conficiendi est demandata, operam hanc intactam relinquere: Satis itaque nobis visum indicare tantum Sacræ Scripturæ testimonia, quæ nos hactenus in sententia confirmarunt, & adhuc confirmant: parati tamen prolixe rationem reddere iudiciorum nostrorum, si necessitas aut utilitas id requirat: Nequaquam enim dubitamus, quin ex positionibus nostris, quibus explicavimus eam doctrinam, quam hactenus in Ecclesijs nostris pro virili nostro docuimus & ut ab alijs quoque doceretur, contendimus, luce meridiana clarius sit futurum, nos in veritate in sacris literis tradita, & ab Ecclesia Dei, inde ab Apostolorum temporibus, sedulo & intemerate conservata, per Dei gratiam constanter permanere, & cum omnibus vere Reformatis Ecclesijs unanimiter conspirare: Remonstrantes vero in quinque suis Articulis, (quos sane plus in recessu habere, quam primo intuitu videatur, ex scriptis eorum declarationibus & defensionibus, manifeste apparuit) nihil aliud propositum habuisse, quam novam & peregrinam doctrinam receptæ veritati sensim superinducere & Semipelagianismum nonnihil recoctum (si non peiora, quod horrescimus dicere) pro vero Christianismo supponere: Quare non putamus cuiquam post hac mirũ videri posse, quod animi nostri, cæterorumque Provincialium, tantopere hisce Remonstrantium molitionibus fuerint commoti, & tam acriter se pro veritate, adversus serpentem falsitatem opposuerint: præsertim cum contemto Ecclesiæ iudicio, à Magistratu impunitas & licentia quidvis docendi, sub specioso prætextu tolerantiæ in quinque hisce Articulis, haud difficulter esset impetrata: illudentibus Remonstrantibus nonnullorum Procerum credulitati, aliorum facilitate abutentibus, & quod rei caput est, ijs qui novi aliquid in Republica moliebantur, operam suam accommodantibus, & horum vicissim operam avide accipientibus: Quæ cum summo Dei beneficio in apertum sint producta, ad vos conversi Illustres, Nobilissimi, Amplissimique Præpotentũ Dominorum Ordinum Generalium Delegati, per pretiosum D. N. Iesu Christi nomen obtestamur, tum nostro, tum Deputantium nostrorum nomine, ut apud Dominos vestros, & nostros fortiter insistatis veritatem, in qua cum cæteris Ecclesijs vere Reformatis plenarie consentimus, in Ecclesijs hisce Belgicis deinceps sartam tectam conservari: & semipelagianum fermentum amoveri, & siquidem dicendum est, Socinianum Iolium ex agro Dominico evelli & procul amandari: Eosque qui Zizania hæc, tam confidenter bono semini admiscuerunt, tanquam inidoneos agricolas, imo noxios mercenarios, censuris Ecclesiasticis constringi, & pro peccati cuiusque mensura, levius aut gravius in eos animadverti: Ita enim fiet ut pacem, horum tribunicijs concionibus & venenatis scriptis, ex hisce provincijs pene exulantem, feliciter reducatis, reducem stabiliatis & conservetis, & benedictiones omnimodas à supremo veritatis suæ vindice & pacis largitore, in vos ipsos & cives vestros derivetis: quæ uti sponte facere feliciter instititis, ita Deum opt. Max. venerantes rogamus, ut bene inchoata, divina sua gratia porro promoveat & perficiat, ad nominis sui gloriam & omnium nostrum salutem. Amen.

Iudicium

IVDICIVM

Fratrum Noort-Hollandorum,

De Quinto Remonſtrantium Articulo.

Inquo agitur de perſeverantia vere fidelium in fide, & de certitudine ſalutis.

Articulus Quintus.

QVI Ieſu Chriſto per veram fidem ſunt inſiti,ac proinde Spiritus eius vivificantis participes,eos abunde habere facultatum,quibus contra Satanam, peccatum, mundum,& propriam ſuam carnem pugnent,& victoriam obtineant ; veruntamen ſemper per auxilium gratiæ eiuſdem Spiritus. Ieſum Chriſtum vero illis ſuo Spiritu in omnibus tentationibus adeſſe,manum porrigere,& modo ſint ad pugnam parati,& eius auxilium petant,neque ſibi deſint,eos confirmare,atque idadeo quidem,ut nulla Sathanæ fraude aut vi ſeduci , vel è manibus Chriſti eripi poſſint, ſecundum illud Chriſti Iohan.10. *Nemo illos ex manu mea eripiet*. Sed an illi negligentia ſua principium ſubſtantiæ ſuæ in Chriſto non poſſint deſerere , præſenti mundo iterum applicari, à Sancta doctrina ipſis ſemel tradita deficere , bonæ conſcientiæ naufragium facere, gratiam negligere,eſſet prius ex Sacra Scriptura exactius diſquirendum , quam illud plena, certaque animi noſtri perſuaſione poſſemus docere.

In hoc Articulo Remonſtrantes videri volunt,quam proxime accedere ad ſententiam orthodoxam Eccleſiarum Reformatarum,de perſeverantia vere fidelium in fide; tantum de eo dubitare ,annon illi ipſi ſua negligentia deficere , & à gratia excidere poſſint,quod penitius ex Sacra Scriptura expendendum cenſent, antequam de eo certi aliquid aſſerere audeant. Si quis tamen ad eorum in hoc Articulo verba & phraſes diligenter attendat , nec non ad ea,quæ pro eius explicatione & defenſione , tàm in Coll. Hag. quam alijs editis paſſim exhibitiſque eorum ſcriptis adferunt, facile intelliget eos δὶς διὰ πασῶν ab earum ſententia diſſentire,dum perſeverantiam vere fidelium quam à conditione præcedanea,præſtanda ab hominibus & ſic, ab humano arbitrio, ſuſpendunt , in dubio relinquunt , imo omnium plane perſeverantiam & ſalutis certitudinem tollunt.

Statuunt enim paſſim,vere fideles , in flagitia & atrocia ſcelera , quæ conſcientiam directe vaſtant,& cum vera ac iuſtificante fide conſiſtere nequeunt, non incidere tantum , ſed & in ijſdem perſeverare,& mori poſſe. Ideoque à fide vera, gratia Dei, & ſalute æterna totaliter & finaliter excidere poſſe : idque multis vere fidelibus & regenitis antehac eveniſſe, ac etiamnum non raro evenire.

Atqui Northollandi contra ſtatuunt ex Dei verbo, vere fideles, etſi ex imbecillitate carnis nonnumquam labantur & in peccata conſcientiam graviter lædentia incidant , non tamen poſſe ad mortem peccare,aut ita ſe totos dedere peccatis & ſceleribus,quibus conſcientia vaſtatur,ut in ijſdem finaliter perſeverent & moriantur,ac proinde à vera fide, gratia Dei , & ſalute,excidere totaliter finaliterque non poſſe : ut qui virtute Dei ad ſalutem cuſtodiuntur. Per cuius gratiam vel graviſſime lapſi rurſus eriguntur & certo ad reſipiſcentiam adducuntur. Adeout ex vere fidelibus ne quidem unus perierit,aut periturus ſit unquam.

Quæ

Quæ singula αὐτιθέτως Remonstrantium sententiæ opposita, partim Sacræ Scripturæ testimonijs, partim manifestis rationibus probari possunt. Nam primo vere fideles, etsi & sæpe & graviter, peccant, non tamen se totos peccatis dedere, in Spiritum Sanctum, aut ad mortem peccare, testatur Scriptura. 1.Ioan.2.9. *Quisquis natus est ex Deo peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet, nec potest peccare, eo quod ex Deo natus est.* 1.Ioan.5 18. *Scimus quod quisquis natus est ex Deo, non peccat, sed qui genitus est ex Deo conservat semetipsum, & malus ille non tangit eum*, Rom. 6.2. *Qui mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in eo?* & vers. 5. *Si cum eo plantati coaluimus, conformatione mortis eius, nimirum etiam conformatione resurrectionis coalescemus.* vers.6. *Illud scientes, veterem nostrum hominem cum eo crucifixum esse, ut enervetur corpus peccati, ne posthac nos serviamus peccato.* vers.8. *Quod si mortui sumus cum Christo, credimus fore ut etiam vivamus cum eo.* vers.14. *peccatum vobis non dominabitur, non enim estis sub lege, sed sub gratia.*

Secundo. Eosdem proinde à fide iustificante, gratia Dei, & salute æterna, nec totaliter nec finaliter excidere posse docent inter alia sequentia loca S. Scripturæ, Matth. 16.18. *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam & portæ inferorum non superabunt eam. Quod enim hic de tota Ecclesia dicitur, de singulis eius membris verum sit, necesse est.* Matth.24.24. *Ita ut (si fieri possit) seducant etiam electos.* Ioh.4.14. *Quisquis ex aqua biberit, quam ego ei dabo, non sitiet in æternum. Sed aqua illa, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Iohan. 6. 37. *Eum qui ad me venit, non ejiciam foras.* Ioh.10.28. *Ego vitam æternam do ovibus meis, nec peribunt in æternum.* Rom.8.35. *Quis nos separabit à charitate Christi? Num afflictio? Num angustia? &c.* vers.37. *Imo in his omnibus, plusquam victores sumus, per eum qui dilexit nos*, vers.38. *Neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque potestates, neque præsentia, neque futura.* vers.39. *Neque sublimitas, neque profunditas, neque ulla res alia condita, potest nos separare à charitate Dei, quæ est in Domino nostro Iesu Christo.* Hinc dicuntur fideles esse instar arboris plantatæ ad rivos aquarum, quæ fructum suum edit tempore suo, & cuius folium non decidit. Psal.1.8. Et Psal.125.1. Assimilantur monti Sionis, qui non dimovetur, sed in sæculum permanet. Sic, Matth.7.25. comparantur viro prudenti, qui ædificavit domum suam super petram, quæ nec nimborum, nec fluminum, nec ventorum impulsu cadit.

Tertio, testatur eos, non tantum semel in gratiam recipi, & fide donari, sed in ea etiam ad salutem custodiri. 1.Petr.1.5. *Qui virtutis* Dei *præsidio custodimini per fidem, ad salutem.* Psal.29.1. *Iehova Pastor meus, non egebo.* vers. 6. *certe bonum & benignitas prosequentur me omnibus diebus vitæ meæ, & quietus ero in domo Iehovæ, quandiu longa erunt tempora*, 1.Cor.1.8. *Qui Deus etiam confirmabit vos usque ad finem inculpatos, in diem Domini nostri Iesu Christi.* 1.Cor.10.17. *Fidelis est Deus, qui non sinet vos tentari, supra id quod potestis, sed præstabit una cum tentatione evasionem, ut possitis sufficere*, Phil.1.6. *persuasum habens hoc ipsum fore, ut qui cœpit in vobis opus bonum, perficiat usque in diem Iesu Christi.* Et posteriore ad Thess. 3.3. *Fidelis est Dominus qui stabiliet vos & tuebitur à malo.*

Quarto, eadem testatur etiam per carnis imbecillitatem lapsos rursus erigi, nec omni fide excidere, quantumvis gravissime labantur. Psal.37.24. *Cum ceciderit iustus, non collidetur, quia Iehova supponit manum*, Et Luc.20.v.31.32. Dicit Christus Petro. *Simon, Simon, ecce Satanas appetit vos, quos ventilaret sicut triticum, sed ego deprecatus sum pro te, ne deficiat fides tua. tu igitur conversus, confirma fratres tuos.*

Rationes autem, quibus hæc eadem confirmantur, hæ sunt.

I.

Quia Deus pro suo beneplacito, cum Ecclesijs fœdus iniens, æternam gratiam & in ea perseverantiam suis promisit, Genes.17.7. Abrahamo omnium tam ex præputio,

quam

quam ex circumcisione credentium Patri, dixit, *stabilio fœdus meum inter me, & te, ac semen tuum post te, per ætates suas, ut fœdus sit perpetuum, me tibi esse Deum, & semini tuo post te.* Psal. 89.31. *Si dereliquerint Filij eius legem meam, &c.* vers. 34. *Sed benignitatem meam non irritam faciam ab eo, neque mentiar contra fidem meam.* Isa. 54.8. *Benignitate sempiterna misereor tui, ait vindex tuus Iehova.* vers. 10. *Quamvis hi montes recederent, & hi colles dimoverentur, attamen benignitas mea à te non recedet, & fœdus pacis meæ non dimovebitur, ait miserator tuus Iehova.* Ier. 32.39. *Indam illis cor unum, & viam unam, ad reverendum me omnibus diebus ad bonum ipsorum & Filiorum ipsorum post ipsos.* vers. 40. *& pangam ipsis fœdus perpetuum, fore ut non avertam me à prosequendis ipsis; benefaciendo ipsis, & reverentiam mei indam animo ipsorum, ut non recedant à me.*

Ab hac gratia in fœdere vere fidelibus promissa fieri non potest, ut unquam penitus excidant. Deus enim est verax, imo ipsa veritas, ideoque promissa præstat, & neque vult, neque potest quemquam fallere, tum quia fidelis est, tum etiam quia omnipotens, qui seipsum abnegare non potest, & cuius omnipotentia à nemine infirmari potest. Num. 23. 37. *Deus fortis non est homo qui mentiatur, aut Filius hominis quem pæniteat, an ipse dixerit & non faciet? an loquutus fuerit & non præstabit illud?* Cui consimilis est locus, 1. Sam. 15.29. *Quin etiam qui est æternitas Israelis, non committet mendacium, neque pænitebit eum:* Et ad Tit. 1.2 *ad spem vitæ æternæ, quam promisit Deus ille mentiri nescius &c.* 1. Sam. 12.24. *Non deseret Iehova populum suum, &c.* Es. 46.3.4. *auscultate mihi domus Iacobi, qui bajulamini inde ab utero, qui gestamini inde à vulva, usque ad senium, ego idem; & usque ad canitiem ego portaturus sum, ego feci, & ego gestabo, ego inquam portaturus sum, & erepturus.* 1. Cor. 1. 8. *Qui Deus etiam confirmabit vos ad finem usque inculpatos, in diem Domini nostri Iesu Christi.* vers. 9. *Fidelis Deus, per quem vocati estis in communionem Filij ipsius.* 1. Thess. 5.23. *Deus pacis sanctificet vos totos, & integer vester Spiritus & anima & corpus inculpate, in adventum Domini nostri Iesu Christi serventur.* vers. 24. *Fidelis est qui vocavit nos, qui etiam id efficiet.* Esa. 41.10. *Ne timeto quia tecum sum, ne stupeto, quia ego sum Deus tuus, fortifico te, etiam auxilior tibi, etiam sustento te, dextra iusta mea.* Iohan 10.28. *Nemo rapiet oves meas manu mea.* vers. 29. *Pater meus, qui eas dedit mihi major omnibus est, neque quisquam eas potest rapere è manu Patris mei, &c.* Rom. 8.31. *Si Deus pro nobis, quis contra nos.* 1. Petr. 1. 5. *Qui virtute Dei custodimur per fidem ad salutem.* Quibus in locis, Deus mentiri nescius, & ille omnipotens pollicetur fœdere firmissimo, se non salutaria tantum singula abunde suis largiturum, verum etiam perpetua illa præstiterum constanti fœdere, & perrenni Spiritus Sancti influxu & auxilio, quo fiet, ut neque à Deo desertantur fideles, neque ipsum deserere unquam velint. Est igitur certa vere fidelium perseverantia in fide nixa certis Dei promissionibus, & fallere nescijs. Servat enim Deus quicquid promittit, idque iure naturæ suæ, seu veritatis, constantis & potentiæ, quæ utraque ipsi naturalis est: Nec ullum exemplum adferri potest, ubi quicquam promisisse dicatur, quod non impleverit.

II.

Ratio est: Quia Filius Dei Christus Iesus æternam redemptionem & reconciliationem cum Deo Patre suis fidelibus, morte sua & sacrificij merito acquisivit. Heb. 9.12. *Per proprium sanguinem ingressus est semel in sacrarium æternam redemptionem nactus.* 10. vers. 14. *Unica oblatione consecravit in perpetuum eos qui sanctificantur*, idque secundum prophetiam Dan. 9.24. *Cohibebitur defectio illa, obsignabuntur peccata, expiabitur iniquitas, & adducetur iustitia perpetua.* Ier. 31.34. *condonabo iniquitatem eorum, & peccati eorum non recordabor amplius.*

Si æterna est redemptio, iustitia perpetua, quam acquisivit & adduxit Christus: Si peccatorum promittitur æterna oblivio; sequatur necesse est eos qui horum beneficiorum semel facti sunt participes, excidere penitus à fide & gratia Dei, & perire non posse. Atqui horum omnes & singulos fideles participes esse, extra dubium est: fideles igitur à gratia & salute totaliter & finaliter excidere non possunt: Et proinde falsum, eorum multos excidisse, & etiamnum non raro excidere.

III. Ratio

III.

Ratio est: Quia idem Christus ex mandato & voluntate Patris, reconciliationem semel gratiose acquisitam, potenter conservat ijs quos redemit: Et quos semel dilexit, eos ad finem usque perpetuo diligit. Ioan.13.1. Ioan.6.39. *Hac est voluntas eius, qui misit me Patris, ut quicquid mihi dederit non perdam ex eo, sed suscitem illud in ultimo die.* Ioan.17.12. *Quos dedisti mihi, ego custodivi, & nemo ex ijs perijt*. Si conservantur & custodiuntur à Christo vere fideles, idque ex Dei Patris voluntate, & quidē ita ut nemo ex ijs pereat, utique perseverant in fide.

IV.

Ratio, Sumitur ab intercessione Christi. Pro quibus Christus seipsum ut sacerdos obtulit, pro ijs etiam apud Patrem intercedit, ut beneficijs omnibus sacrificio mortis suæ partis fruantur: Ioan.17.24. *Pater quos dedisti mihi, velim ut ubi sum ego, & illi sint mecum, ut conspiciant gloriam illam, quam dedisti mihi.* Item.vers.20.21. *Pro ijs rogo, ut omnes unum sint, tu Pater in me, & ego in te.* Rom.8.34. *Quis est qui condemnet? Christus est is qui mortuus est &c. Qui etiam postulat pro nobis.* Hæc autem intercessio Christi sacerdotis, semper accepta est Deo Patri. Impetrat igitur. Ioan.11.41.42. *Pater gratias ago tibi, quod me audieris: ego vero sciebam me semper à te audiri.* 1.Ioan.2.1.2. *Filioli mei, hæc scribo vobis, ut ne peccetis. Quod si peccaverimus, Advocatum habemus apud Patrem Iesum Christum, iustum illum, qui est propitiatio pro peccatis nostris.*

V.

Ratio: quia veram fidem prorsus extingui & è cordibus electorum deleri non posse, probant elogia illa, quibus Scriptura S. eam passim solet insignire. Nam vocant illam nostram victoriam, qua mundum, & mundi principem diabolum, vincimus. 1.Ioan.5.4. & 1.Petr.5.9. Iacob.4.7. Eph.6.15. *assumite scutum fidei quo possitis omnia iacula mali illius ignita extinguere*, Si vincit fides, non vincitur. Si extinguit ignita tela diaboli, non igitur ipsa extinguitur. dicitur etenim semel dari electis, quo perpetua eius & continua duratio notatur: quia nunquam interrumpi, multo minus penitus abrumpi potest. Iud.vers.3. *Ut decertetis pro fide, quæ semel data est sanctis.*

VI.

Ratio: Quia Spiritus Sanctus qui datur vere fidelibus, ipsis est Arrhabo hæreditatis cœlestis, quo obsignantur in diem redemptionis, & qui dicitur ab ipsis nunquam recessurus, sed in æternum cum illis mansurus, Esa.57.21. *Hoc fœdus est meum cum istis, ait Iehova: Spiritus meus, qui est in te, & verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent ex ore tuo, aut ex ore seminis tui, ait Iehova, ex hoc tempore usque in seculum.* Ioan.14.16. *ego rogabo Patrem & alium consolatorem dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, nempe Spiritum illum veritatis, &c.* 2.Cor.1.21. *Qui nos confirmat vobiscum in Christum, & qui unxit nos, Deus est, qui etiam obsignavit nos, deditque arrhabonem Spiritus in cordibus nostris.* Eph.1.13. *In quo etiam, postea quam credidistis, obsignati estis Spiritu isto promissionis sancto.* vers.14. *Qui est arrhabo hæreditatis nostræ, &c.* Eph.4.30. *Ne tristitia afficite Spiritum illum S. per quem obsignati estis in diem illum redemptionis.*

VII.

Ratio: Quia fideles per fidem arcana Spiritus Sancti operatione Christo inseruntur, & ut membra cum suo capite ita arctissime & inseparabiliter uniuntur, ut ab eo nullo unquam tempore & modo separari possint. Iohan.6.56.57. *Qui edit meam*

carnem

Qui edit meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo; sicut misit me vivens ille Pater, & ego vivo per Patrem, ita etiam qui ederit me, vivet quoque per me, Ergo non penitus excidet, nec peribit, &c. Eph. 3.17. *Vt inhabitet Christus per fidem in cordibus vestris, ut in charitate radicati & fundati valeatis assequi, &c.* Eph. 5.23. *Christus est caput Ecclesiæ, & is est, qui salutem dat corpori.* vers. 25. *Christus dilexit Ecclesiam, & semetipsum exposuit pro ea.* v. 16. *Vt eam sanctificaret.* vers. 27. *Vt sisteret eam sibi gloriosam:* vers. 29. 30. *Dominus fovet Ecclesiam, quoniam membra sumus corporis eius, & ex carne eius, & ex ossibus eius.*

VIII.

Ratio: quia per fidem credimus & obtinemus vitam æternam. Ioan. 3.36. *Qui credit in filium habet vitam æternam.* Ioan. 5.28. *Qui sermonem meum audit, & credit ei, qui misit me, habet vitam æternam & in condemnationem non venit, sed transivit à morte in vitam.* Ioh. 6.35. *Qui veniet ad me, nequaquam esuriet, & qui credit in me, non sitiet unquam.*

IX.

Quia vere fideles regeniti sunt in spem vitæ æternæ, ex semine immortali & incorruptibili. 1. Pet. 1.3.4. & 13. *Regenuit nos in spem vivam, per resurrectionem I. Christi ex mortuis, in hæreditatem quæ perire non potest. Renati non ex semine mortali, sed ex immortali per sermonem Dei vivi, & manentis in æternum.* Quod semen in fidelibus manet, etsi interdum ad certum tempus suos fructus externe non proferat. 1. Ioh. 3.9. *Quisquis natus est ex Deo, peccatum non facit; quoniam semen ipsius in eo manet:* Si, quia semen in ipsis manet, peccatum non faciunt vere fideles; sequitur, illos principium illud, quo sustentantur in Christo, deserere nec posse, nec velle. *Quicquid enim natum est ex Deo vincit mundum.* 1. Ioan. 5.4.

X.

Ratio: quia sanctorum preces quotidie ex fide orantium, non possint esse irritæ; secundum illud Christi. Ioh. 16. 23. *Amen, Amen dico vobis, quæcumque petieritis à Patre meo, in nomine meo, dabit vobis.* vers. 24. *Petite & accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum.* Matt. 7.7. *Petite & dabitur vobis.* Petunt autem in precibus ut custodiantur in fide, & ut perseverare usque ad finem sibi detur. Ergo, &c.

XI.

Ratio: quia perseverantia est donum Dei, quod non omnibus hominibus, sed solis electis datur; non ex meritis, aut ullis liberi arbitrij viribus, sed ex Dei voluntate simpliciter pendens. sunt enim perseverantia & prædestinatio invicem subordinatæ: Sicut igitur electio certo & infallibiliter, salutem infert: sic salus perseverantiam finalem præsupponit, sine qua nemo potest servari: Matt. 10. 22. *Qui sustinuerit ad finem usque is servabitur.* Apocal. 3. 11. *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam: si quis vicerit, dabo ei, &c.* Confert itaque Deus certo suis electis & fidelibus, donum perseverantiæ, fortificat eos, & dextra sua sustentat; ut quod in ijs cœpit ad gloriam suam & ipsorum salutem perficiat. Testatur id Esaias 41. 8. *Tu Israel, serve mi, tu Iacob, quem elegi, semen Abrahami, amici mei,* vers. 9. *Tu quem prehendi ab extremitatibus terræ, & à selectis eius evocavi te, dicens tibi, servus meus es, elegi te, neque sperno te.* vers. 10. *Ne timeto, quia tecum sum; neque stupeto, quia ego sum Deus tuus: fortifico te, etiam sustento te dextera iusta mea.* Idem liquet ex aurea illa salutis catena, quam describit Apostolus, Roman. 8. 29. *Nam quos præscivit, eos, &c.* Rom. 11. 1. *Num igitur abiecit Deus populum suum?* vers. 2. *Absit; non abiecit Deus populum suum quem præcognovit.* vers. 5. *Ita igitur & hoc tempore reservatio secundum electionem gratuitam facta est.* Ephes. 1. Postquam dixisset Apostolus, Deum suis benedixisse omni spirituali benedictione &c. ijs benedictionibus etiam accenset, perseverantiam in fide, & certitudinem salutis. vers. 13. 14. *Obsignati* (inquit) *estis Spiritu illo promissionis S. qui est arrhabo hæreditatis nostræ.* Sic ad Phil. 1. 6. *Persuasum habens hoc ipsum, fore, ut qui cœpit in vobis opus bonum, perficiat usque ad diem Iesu Christi.* & vers. 29. *Vobis datum est in negotio Christi non solum in eum credere, sed etiam pro eo pati.* & 2. 13. *Deus est, qui efficit in vobis, & ut velitis & ut efficiatis, pro benevolentia.*

Quæ omnia, & Scripturæ testimonia, & rationes, evidenter docent, perseverantiam esse Dei donum vere fidelibus in gratuito fœdere promissum, esse effectum maxime proprium electionis æternæ ad salutem, causam eius non esse liberam hominis voluntatem, sed solam Dei gratiam & virtutem, Christi Servatoris fidam custodiam, & Spiritus S. æternam in electis manentis efficaciam: ita ut etsi vere fideles, respectu sui, & in sese considerati, fidem amittere, & à salute penitus deficere possent, tamen, quantum ad consilium, promissiones, ad virtutem Dei, Christique intercessionem & custodiam, non possint non perseverare. Quia consilium, & voluntas Dei Christique intercessio, &c. irrita fieri non possunt, & eius dona & vocatio sunt ἀμεταμέλητα.

Quare ἀσυζήτως, ἑτερόδοξα & falsa sint necesse est, effata illa Remonstrantium, perseverantiam donum Dei, saltem novi fœderis, non esse; nec effectum electionis ad salutem, esse conditionem, novi seu gratuiti fœderis, a Deo in eligendo prærequisitam, ideoque libere ab homine præstandam: voluntatem hominis esse proximam causam physicam perseverationis, quæ etiam stante auxilij divini promptitudine, & gratiæ sufficientis præsentia, omnibusque illis positis, quæ ad perseverandum necessaria, sufficientia sunt, motui tamen & operationi Spiritus S. vel assentiri vel resistere, adeoque vel perseverare vel non perseverare potest.

Omnia breviter hoc Syllogismo concludimus,

Quibus Deus promisit se daturum perseverantiam, & quos virtute sua custodit ad salutem: quibus Christus æternam redemptionem acquisivit, & pro quibus perpetuo intercedit: qui etiam freti Dei promissionibus donum perseverantiæ precibus suis obtinent, &c. ij non possunt non perseverare in vera fide. Vere fidelibus eam Deus certo promisit, eos virtute sua custodit, ijs Christus æternam redemptionem acquisivit, pro iis perpetuo intercedit, &c. ut ante probatum est. Ergo.

Quod autem alicubi in Scriptura aliqui dicuntur defecisse; & fidei naufragium fecisse, &c. id non de vera & iustificante fide, sed de doctrina aut externa professione fidei, aut etiam de fide Hypocritica & temporaria, quæ in corde radices non egit, intelligendum esse, constans est Ecclesiarum reformatarum sententia. & non de iis, qui per veram fidem Christo insiti, vera erant Ecclesiæ membra. Sic 1. Ioh. 2.19. *E nobis egressi sunt, sed non erant ex nobis; si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.* Sic iusti perire dicuntur apud Ezech. 3. & 18. Qui apparenter iusti erant coram hominibus, quales erant de quibus Christus, Mat. 9.13. *Non veni vocare iustos*, nam de vere iusto coram Deo dicitur. Psal. 92.13. *Iustus ut palma germinabit, ut Cedrus in Libano crescet.* v.14. *Plantati in domo Iehovæ, in atrijs Dei nostri germina proferent.* v.15. *Adhuc abundabunt in canitie, pingues & virentes erunt.* Psal. 125.1. Qui confidunt Iehovę similes sunt monti Tzijon, qui non dimovetur, in seculum permanet. Psal. 37.24. *Iustus, cum ceciderit, non deiicitur quia Iehovah supponit manum.*

De certitudine salutis.

De certitudine salutis docent Remonstrantes: I. Nullum vere fidelem & regenitum in hac vita certum esse posse de sua salute, absque speciali revelatione.

Scriptura contra docet: omnes & singulos vere fideles de sua salute certos esse posse & debere, etiam absque speciali revelatione.

Aperte enim testatur: omnes & singulos vere fideles, scire quod in Christo sint. 1. Ioan. 2.5. *Scimus nos in ipso esse.* Quod habeant, & possideant Christum, servatorē sui corporis cujus ipsi viva mēbra sunt. Eph. 5.23. *Christus est caput ecclesiæ, & is qui salutem dat corpori.* v.30. *Membra sumus corporis eius, ex carne eius, & ex ossibus eius.* Testatur eos intueri in fidei ducē & perfectorem Iesum. Heb. 12.2. Habere eos Christum pastorem, & curatorem animarū suarum. 1. Pet. 2.25. Testatur itē scire fideles, se esse filios Dei, & hæredes gloriæ cœlestis. Rom. 8.15. *Non accepistis spiritum servitutis rursus ad metum; sed accepistis spiritum adoptionis, per quem clamamus, abba, id est, Pater.* v. 16. *Qui ipse spiritus testatur una cum Spiritu nostro nos esse filios Dei.* vers. 17. *Quod si filij; etiam hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* 1. Iohan. 3.2. *Charissimi, nunc filij Dei sumus, sed nondum patefactum est, quod erimus: scimus*

mus autem fore, ut cum ipse patefactus fuerit, similes ei simus; quoniam videbimus eum sicuti est. Testatur etiam habere eos Spiritum arrhabonem hæreditatis cœlestis, & sigillum promissionis, quo obsignati sunt in diem redemptionis. 2. Cor. 1. 22. Ephes. 1. 3. 14. & 4. 30. *Habere spem certam ac infallibilem salutis.* Rom. 8. 24. *spe servati sumus* Roman. 5. 2. *Gloriamur sub spe gloriæ Dei.* vers. 5. *Porro spes non pudefacit, quod charitas Dei effusa sit in cordibus nostris per Spiritum S. qui datus est nobis.*

Habent præterea fideles innumeras & eximias promissiones, Dei mentiri nescii, de vita æterna, quæ in Christo ratæ sunt. Tit. 1. 2. *Ad spem vitæ æternæ, quam promisit Deus ille mentiri nescius.* 2. Corinth. 1. 20. *Quotquot sunt promissiones Dei, in ipso sunt etiam, & in ipso sunt Amen, ad Dei gloriam.*

Sciunt denique & credunt se translatos esse ex morte ad vitam. 1. Iohan. 3. vers. 14. *Et vitam æternam habere.* 2. Corint. 5. 1. *Scimus nos ædificium ex Deo habere, domicilium non manufactum, æternum in cœlis.* 2. Timoth. 1. vers. 12. *Novi cui crediderim, & mihi persuasum est eum posse depositum meum in illum diem servare.*

Hæc si sciant; si sentiant, si credant, & indubitate sperent omnes & singuli fideles, si scire, sentire, credere, sperare teneantur; consequitur eos nec posse de sua perseverantia & salute incertos esse.

Nec obstat, quod eos aliquando etiam in gravissimas tentationes incidere, & cum dubitationibus confligere contingat; in hoc enim certamine concutitur quidem eorum fides, sed non excutitur. Matt. 7. 25. *Decidit autem nimbus, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & inciderunt domui illi & non cecidit: fundata enim fuerat super petram.* Tentatur, non autem superatur, imo tandem superat & vincit. 1. Cor. 10. 13. *Tentatio vos non cœpit nisi humana: fidelis autem est Deus, qui non sinet vos tentari, supra id quod potestis, sed præstabit una cum tentatione etiam evasionem, ut possitis sufferre.* Roman. 8. 37. *Imo in his omnibus plus quam victores sumus, per eum qui dilexit nos.* 1. Ioan. 4. 14. *Vos ex Deo estis, & vicistis eos, quoniam potentior est, qui in vobis est, quam qui in mundo est.* 1. Ioan. 5. 4. *Quicquid natum est ex Deo vicit mundum: & hæc est victoria, quæ vicit mundum, nempe fides nostra.* Hinc exurgunt piorum illa, fiducia, gloriatio, triumphus, & quasi tripudia. Iob. 19. 15. 16. *Equidem ego novi redemptorem meum vivere, & posteriorem super pulverem resurrecturum, & carne mea me visurum esse Deum.* Davidis. Psal. 23. 1. *Iehova pastor meus non egebo.* vers. 3. *Animam meam quietam efficit.* vers. 4. *etiamsi ambulavero per vallem lethalis umbræ, non timebo, quia tu mecum es.* Pauli Roman. 8. 38. *Persuasum est mihi neque mortem neque vitam, &c. posse nos separare à Charitate Dei, quæ est in Iesu Christo Domino nostro.* 2. Timoth. 1. 12. *Novi cui crediderim, &c:* Quæ plerophoria & quod gaudium in iis esse non potest, qui de gratia Dei erga se, & salute sua dubij hærent.

II.

Docent ijdem Remonstrantes: certitudinem hanc non requiri, aut necessariam esse ad solidam vere fidelium in hac vita consolationem: quin potius ex se, natura atque indole sua pietati verę & religionis studio officere.

Contra vero nos ex scriptura statuimus: Certitudinem hanc ad solidam fidelium consolationem apprime necessariam esse, & maxime ad acuendum pietatis religionisque studium, accommodam & utilem. Constat id ex supra citatis Scripturæ testimonis, & ex eo quod legitur. 2. Timoth. 1. vers. 19. *Solidum fundamentum Dei stat, habens sigillum hoc, novit Dominus qui sunt sui: &, discedat ab iniustitia omnis qui nominat nomen Christi,* & Eph. 4. 20. *Vos autem non ita didicistis Christum.* v. 21. *Si modo eum audistis, & per eum edocti fuistis, sicut est veritas in Iesu, nempe deponere, quod ad pristinam conversationem attinet, veterem illum hominem, &c.* Et jam ante probatum est, eam esse veræ fidei naturam, ut per charitatem sit efficax. Gal. 5. 6. 1. Ioan. 3. 5. *Qui hanc spem habent, purificant seipsos, sicut & ille purus est,* scilicet qui illis hanc spem fecit. unde & Apostoli ex hac salutis certitudine varias deducunt exhortationes ad pietatem, & sanctitatem vitæ. Sic Paul. Rom. 6. 1. Postquam docuisset præcedenti capite, fideles cum Deo per Christum reconciliatos, gloriari sub spe gloriæ Dei, & hanc spem eos minime fallere, aut pudefacere, concludit, *Quid igitur dicemus? permanebimus in peccato, ut gratia auctior fiat? absit: qui mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in eo?* & exinde. vers. 11. 12. 17. Subjicit exhortationem ad vitæ sanctitatem, *Ita etiam vos colligite, vosipsos tum mortuos esse peccato, tum vero vivere*

Deo per Iesum Christum Dominum nostrum. ne regnet igitur peccatum in mortali corpore vestro, ut obediatis peccato in cupiditatibus corporis, neque sistite membra vestra arma iniustitiæ peccato, sed sistite vos Deo, ut ex mortuis vivos, & membra vestra arma iustitiæ Deo. & postea. cap. 2. vers. 1. 2. Absoluta doctrina de justificatione per fidem, sanctificatione, prædestinatione item, & quæ ex iis fluit, certitudine salutis, hancinde deducit exhortationem: *precor igitur vos fratres per miserationes Dei, ut sistatis corpora vestra, hostiam vivam, sanctam, placentem Deo, &c.* Idem passim alibi videre est: ut, Ephes. 4. & 5. & 1. Petr. 1. 13. & sequent. Unde falsum esse constat, doctrinam de certitudine salutis, veræ pietati obstare, seu noxiam esse, & homines securos & profanos reddere. Cum fieri non possit, quin ij, qui Christo vera fide insiti sunt, fructus proferant justitiæ & gratitudinis.

Eandem hanc doctrinam solidam consolationem piorum conscientiis, in omnibus adversitatibus & tentationibus adferre, eadem Scriptura testatur. Psal. 119. 92. Inquit David, *nisi lex tua esset omnis oblectatio mea, iamdiu perijssem in afflictione mea:* & vers. 103. *Quam suaves sunt palato meo sermones tui! suaviores melle ori meo.* & v. 111. *Possideo testimonia tua in seculum, quia gaudium animi mei sunt.* & vers. 162. *Gaudeo de sermone tuo, ut qui invenit prædam amplam.* & 174. *Lex tua est omnis oblectatio mea.* Hinc Christus spe mercedis vitæ cœlestis, suos consolatur. *Matth. 5. 11. Beati estis cum probra iecerint in vos, & persecuti fuerint vos, &c. Gaudete & exultate quoniam merces vestra multa est in cælis.* Item, Luc. 10. 20. *Gaudete quod nomina vestra scripta sunt in cælis,* Roman. 5. 2. 3. *Accessum habemus fide in gratiam istam, in qua stamus, & gloriamur sub spe gloriæ Dei, nec hoc solum, sed & gloriamur in afflictionibus.* 1. Pet. 1. 5. 6. *Custodimini per fidem in salutem, in quo etiam exultatis modicum nunc (si opus est) tristati in varijs afflictionibus,* vers. 8. 9. *Credentes exultatis lætitia inenarrabili & glorificata, reportantes finem fidei vestræ, salutem animarum.* Hinc dicitur Dynastes ille, Candaces, reginæ Æthiopum jam Baptizatus, & de remissione peccatorum suorum, & vita æterna per Christum obtinenda certus, perrexisse in via sua gaudens. Certum igitur & solidum conscientiarum solatium ex certitudine salutis & gratiæ Dei, haurire solent vere fideles.

III.

Asserunt Remonstrantes: dubitationem de salute laudabilem esse atque utilem.

Quod falsum est, & mere pontificium.

Scriptura enim contra testatur: dubitationem contrariam esse fidei, & summe noxiam seu perniciosam homini. Iac. cap. 1. vers. 6. *Postulet cum fide nihil ambigens.* Roman. 14. vers. 13. *Qui dubitat, si ederit, jam condemnatus est, quoniam non edit ex fide.* Vnde constat fidem cum dubitatione seu hæsitatione stare non posse, quapropter vitam æternam credere, seu de ea certum esse, & de ea dubitare, sese mutuo destruunt. Vere fidelis credit se vitam æternam habere, hãc incredulus dubitat an sit habiturus. Iubemur credere. Mar. 1. 15. *Convertimini & credite Euangelio.* & 9. v. 19. Coarguit Christus incredulitatem dicens, *O natio incredula quousque, &c.* & Luc. 24. 18. *O amentes & tardo corde ad credendum omnibus, quæ loquuti sunt Prophetæ!* Apostolus certe Iacobus dubitationem. c. 1. v. 6. 7. Non laudet tanquam utilem, sed contra damnat, ut exitialem & noxiam. *Qui ambigit similis est fluctui maris, qui ventis agitatur & iactatur: non enim, existimet homo ille se quicquam accepturum à Domino.* vers. 8. *Vir animo duplici & inquietus, in omnibus viis suis.* Contra commendatur summa fides Abrahæ ab eo, quod omnem dubitationem excludens certa animi πληροφορίᾳ recumberet & acquiesceret in Dei promissionibus, Roman. 4. 20. *Contra promissionem Dei non hæsitavit tanquam destitutus fide, sed corroboratus est in fide & dedit gloriam Deo,* vers. 21. *Et firmiter credidit, quod quicquid promisit ei Deus potens esset perficere.* vers. 12. *Propter hoc imputatum est illi ad justitiam.*

Ex omnibus, quæ hactenus allegata sunt, constare arbitramur, quid de cæteris Remonstrantium Articulis sentiendum sit & statuendum. videlic. Eos omnes continere non pauca nova, ἑτερόδοξα, aperte falsa, cum S. S. Dei Verbo, receptoque jam olim communi sensu, passim in Christiani orbis reformatis Ecclesiis, & huc usque in

ijs con-

ijs constantissime tradita doctrina ex diametro pugnantia,& ex Pelagianorum,Socinianorum,Pontificiorum, Anabaptistarum,aliorumque Hæreticorum fœtidis lacunis hausta dogmata, quæ cum maxima sui parte Christianæ religionis fundamenta summe lędant,gratię simul & gloriæ Dei maxime sint inimica, utpote conversionem & salutem hominis, à naturalis luminis bono usu, liberique arbitrij viribus suspendentia, studio sinceræ pietatis & solidæ afflictarum conscientiarum consolationi haud parum adversa,judicamus ea in nostris Ecclesiis, nulla ratione toleranda , sed ex iis omni studio eliminanda. Contra vero Doctrinam hisce dogmatibus oppositam , ut orthodoxam, S. Scripturæ consentaneam , & modis omnibus salutarem,uti hactenus, ita deinceps, constanter retinendam docendamq; ad solius Dei, & Christi Servatoris nostri gloriam, puri cultus divini ,& veritatis in hisce Belgij Provinciis conservationem, propagationemque,piorum denique omnium salutem , & Patriæ nostræ bonum, pacemque exoptatissimam. Deum autem Opt. Max. ardentissime, & quantis possumus votis invocamus,ut Illustrissimos Ordines Generales Patriæ nostræ Proceres,Dominos nostros Clementissimos, eorumque ad hanc Synodum Illustriss. Delegatos, reliquosque singularum Provinciarum Ordines , & urbium Magistratus, ardenti gloria,& pio domus suę zelo accendat,quo bene cœptam & maximis sumptibus inchoatam, Ecclesiarum & Reipublicæ restaurationem , magno animo & fœliciter persequantur,perficiantque. Ut ita apud pios omnes ,tam externos quam domesticos, cum immortali sua laude prædicentur, Patres Patriæ,& Ecclesiæ Christi nutricij. Id summis votis optamus, & ita faxit Deus ille Opt. Max. & Pater miserationum per Iesum Christum unicum Servatorem nostrum. Votum hoc nostrum cum Psalmista claudimus, *Quis dabit ex Sione salutem Israeli, in reducendo Iehovah captivitatem populi sui, exultabit Iacob, lætabitur Israel.* Psal. 14.7.

EXAMEN

ET

Iudicium

Zeelandorum,

De Quinto Articulo Remonstrantium.

Sententia Orthodoxa.

I.

QUi vera fide Christo insiti sunt, & Spiritu vivificante præditi , etiamsi ipsi propriis suis viribus, ne momento quidem contra tentationes Diaboli, mundi & carnis subsistere queant, imo etiam in dubitationes,perplexitates, sensus gratiæ divinæ veluti deliquium, aliaque gravia peccata incidere possint,atque interdum incidant, tamen fidem justificantem,& gratiam regenerationis,nec totaliter,ac proinde nec finaliter, possunt amittere, idque propter Decretum Electionis immutabile, & Gratiæ fœdus æternum, quod Deus secundum illud Decretum, cum illis in Christo pepigit, ideoque de sua perseverantia & salute certi esse possunt.

II.

Hæc Perseverantia fidelium,non excludit commonefactiones, promissiones,comminationes, per verbum, vigilias, preces, & serium sanctitatis studium, sed contra, hæc omnia tanquam media ad eam promovendam , divinitus ordinata , necessario includit. adeo ut vera fide præditi, per hæc & similia, cum timore & tremore salutem suam operentur : & si interdum labantur , non tamen in lapsu permanent , sed per Christi gratiam & Spiritum Sanctum, ad Deum revertuntur,

 & alacrius

&alacrius ad novam obedientiam excitantur: atque ita virtute Dei, ad salutem quæ ipsis in cœlis est reposita, ad finem usque conservantur.

Primum Articulum nostrum sic probamus:

Qui vera fide Christo insiti sunt:] Attendatur hic inprimis ad subjectum, de quo perseverantia prædicatur: Non agi scilicet de iis, qui habent fidem historicam, aut temporariam, vel externam aliquam pietatis larvam, vel etiam communia quædam Spiritus Sancti dona, quales in sacris Literis nonnunquam per homonymiam justi, & credentes appellantur: verum de iis qui vera & justificante fide sunt prædit, quæ per charitatem est efficax: quod unum sufficit ad diluendas varias adversariorum exceptiones & calumnias.

Vere fideles propriis suis viribus ne momento quidem subsistere queunt contra &c.] Probatur, Matth. 26. vers. 41. *Spiritus promptus, sed caro infirma.* Ioan. 15. vers. 5. *Absque me nihil potestis facere.* 1. Corinth. 10. vers. 12. *Qui sibi videtur stare, videat ne cadat.* & vers. 13. *Una cum tentatione, evasionem præstabit, ut possitis sufferre.* unde patet fideles per se & propriis suis viribus, in tentatione subsistere non posse.

Imo etiam, in dubitationes & perplexitates incidere.] Probatur exemplo Mosis, Exod. 4. vers. 10. & 11. Numer. 20. vers. 10. & 24. & exemplo Iobi passim: Item Ionæ in ventre cæti; Ionæ cap. 2. vers. 4. Hiskiæ, Iesa. cap. 38. Zachariæ. Lucæ 1. vers. 20.

In sensus gratiæ divinæ veluti deliquium;] Probatur exemplo Davidis, Psal. 22. vers. 2. *Deus mi, Deus mi, quare me dereliquisti:* Psalm. 31. 23. *Ego dixeram in festinatione mea, excisus sum a conspectu oculorum tuorum.* Psalm. 77. vers. 8. 9. *An in secula repellet Dominus? An perget bene velle amplius?*

Aliaque in gravia peccata incidere possint atque interdum incidant.] Probatur exemplo Davidis, adulterium & homicidum committentis: & Petri, Dominum & Servatorem suum abnegantis.

Tamen fidem justificantem & gratiam regenerationis nec totaliter nec finaliter possunt amittere.] Probatur Psalm. 37. vers. 24. *Cum cadit, non deiicitur, quia Iehova sustentat manum eius.* Ierem. 32. vers. 40. *Reverentiam meam indam animo ipsorum, ut non recedant a me.* Matth. 7. vers. 24. *Qui ædificavit domum suam super petram, descendit autem pluvia & flaverunt venti & inciderunt domui illi, & non cecidit. fundata enim fuerat super petram.* Psalm. 1. vers. 3. *Erit sicut arbor plantata ad rivos aquarum, quæ fructum suum edit tempore suo, foliumque eius non decidit.* Psalm. 92. vers. 13. *Iustus ut palma germinabit, ut Cedrus in Libano crescet: Plantati in domo Iehovæ, in atriis Domini nostri, germina profundent, adhuc abundabunt in canicie, pingues & virentes erunt.* Roman. 8. vers. 35. *Quis nos separabit a charitate Christi, &c.* & vers. 38. *Neque mors neque vita. &c. Neque ulla res creata nos potest separare à Charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.* 1. Corint. 1. vers. 8. *Qui Deus etiam confirmabit vos usque in finem inculpatos in diem Domini nostri Iesu Christi.* Phil. 1. vers. 6. *Persuasum habens hoc ipsum, fore ut, qui cæpit in vobis opus bonum, perficiat usque ad diem Iesu Christi.* Confer. 1. Cor. 10. vers. 13. 1. Thessal. 5. 23. 24. Hæc vere fidelium perseverentia probatur, etiam sequentibus rationibus.

I.

Quia Decretum Electionis est infallibile & immutabile.] Matth. cap. 24. vers. 24. *Ita ut seducant, si fieri posset, etiam electos.* Romanor. cap. 8. vers. 30. *Quos prædestinavit, eos etiam vocavit, quos vocavit, eos justificavit, & quos justificavit eos etiam glorificavit.* Rom. 9. vers. 11. *Ut propositum Dei, quod est secundum electionem, non ex*

ex operibus sed ex vocante firmum maneat. Rom.11.vers.2. *Non abjecit Deus populum suum quem præcognavit:* & vers. 29. *Dona & vocatio Dei sunt* ἀμεταμέλητα, & 2. Tim.2. vers. 19. *Solidum fundamentum Dei stat, habens sigillum hoc, Novit Dominus qui sunt sui.*

II.

Quia fœdus gratiæ quod cum fidelibus pepigit Deus, est æternum & inviolabile.] Iesai. 54. vers. 10. *Quamvis hi montes recederent & hi colles dimoverentur, attamen benignitas mea à te non recedet & fœdus pacis mea, non dimovebitur, ait, miserator tuus Iehova.* Ier.32.vers.32. *Et pangam ipsis fœdus perpetuum, fore ut non avertam me à prosequendis ipsis, benefaciendo ipsis, & reverentiam mei indam animo ipsorum, ut non recedant à me.* Hoseæ. 2. vers. 19. 20. *& desponsabo te mihi in sæculum, desponsabo, inquam, te mihi in justitia, judicio, benignitate ac misericordia;* Confer. Psalm. 89. vers. 34. Iesai. 59. vers. 21.

III.

Quia Christus indesinenter intercedit pro fidelibus suis.] Luc.22.vers.32. *Ego rogavi pro te ne deficiat fides tua;* Iohan.17. vers. 20. *Non pro eis autem rogo tantum, sed & pro ijs qui per sermonem eorum credituri sunt in me.* Heb. 7. vers. 25. *Vnde & servare prorsus potest eos, qui per ipsum accedunt ad Deum, semper vivens, ut, interpellet pro eis:* Christus autem semper exauditur à Patre. Iohan. 11. vers. 42.

IV.

Quia Christus sua potentia oves suas conservat ab exitio.] Ioh.6.vers.39. *Hæc est voluntas Patris mei qui misit me, ut quicquid mihi dederit, non perdam ex eo, sed suscitem illud, ultimo illo die,* & cap. 10. vers. 27.28.29. *Oves meæ vocem meam audiunt: Et ego vitam æternam do eis, nec peribunt in æternum, nec rapiet eas quisquam è manu mea, Pater meus qui eas dedit mihi, maior omnibus est, neque quisquam potest eas rapere è manu, Patris mei:* Iohan.1. 7vers.12. *Quos dedisti mihi, ego custodivi & nemo ex eis perijt, nisi filius ille perditionis.* Iudæ. 1. *Vocatis à Deo Patre, sanctificatis & Iesu Christo servatis.*

V.

Quia Spiritus S. qui renatis datus est, manet apud eos in æternum: Ioh.4. vers. 14. *Quisquis autem biberit ex aqua illa quam ego illi dabo, non sitiet in æternum, sed aqua illa quam ego illi dabo, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Ioan.14. vers. 16. *Rogabo Patrem & alium consolatorem dabit vobis ut maneat vobiscum in æternum.* Eph.1.vers.13 *In quo postquam credidistis, obsignati estis, Spiritu illo promissionis sancto, qui est arrhabo hæreditatis vestræ, dum ad libertatem vindicemur ad laudem gloriæ ipsius;* Confer.2.Cor.1.vers. 21. Eph.4.vers.30. Rom,8. vers.15. Gal.4. vers. 7. Hic autem spiritus sua potentia, ita nos instruit, & confirmat, ut possimus contra Sathanam, mundum & carnem, subsistere, & tandem victoriam reportemus. 1. Ioan. 5.v.4. *Quoniam quicquid natum est ex Deo vincit mundum.* 1.Iohan.3.v.9. *Quisquis natus est ex Deo peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet, nec potest peccare, eo quod ex Deo natus est:* & cap.4.vers.4. *Vos ex Deo estis filioli & vicistis eos, quoniam potentior est qui est in vobis, quam qui est in mundo.*

VI.

Quia vera fides, spes & charitas nunquam deficiunt.] Luc.8.vers.15. *Quod autem in bonam terram cecidit, ij sunt qui in corde honesto ac bono auditum sermonem retinent, & fructum adferunt per patientiam:* Heb.11.vers.1. *Est autem fides subsistentia rerum sperandarum & demonstratio eorum quæ non videntur.* 1.Ioh.5.vers.5. *Hæc est victoria quæ vincit mundum, nempe fides nostra.* Rom.5. 5. *Spes non pudefacit.* Heb.6.18, *Vt spem propositam obtineamus, quam velut animæ anchoram habemus tutam ac firmam & ingredientem usque in ea quæ sunt intra velum.* Rom.8.24. *Nam spe salvati sumus.* 1.Cor. 13. 8. *Charitas nunquam excidit.* 1.Iohan.4.17. *Per hoc expleta est, in nobis charitas, ut fiduciam habeamus in die judicij.*

dicij, & verſ. 18. *metus non eſt in charitate, expleta charitas foras eijcit metum, quoniam metus cruciatum habet. Qui autem metuit, non eſt perfectus in charitate.*

VII.

Quia vera Eccleſia, quæ eſt corpus Chriſti, & ſingula eius membra perire non poſſunt. Matth. 16. 18. *Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferorum non ſuperabunt eam.* Hebr. 12. verſ. 23. *Conventum & Eccleſiam primogenitorum, qui ſunt conſcripti in cælis.* Imo hæc Eccleſia & verorum eius membrorum ſtabilitas, adeo conſtans eſt & certa, ut Apoſt. Ioannes diſerte pronuntiet, eos qui deficiunt, nunquam de Eccleſia fuiſſe, 1. Ioan. 2. 19. *Ex nobis egreſſi ſunt, ſed non erant ex nobis. Nam ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent utique nobiſcum. Sed hoc factum eſt, ut pateſieret non omnes eſſe ex nobis.*

Ideoque de ſua perſeverantia & ſalute certi eſſe poſſunt. Probat. Rom. 8. verſ. 16. *Qui ipſe Spiritus teſtatur una cum Spiritu noſtro, Nos eſſe filios Dei.* & 17. *quod ſi filij, etiam hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti.* & 38. *Nam mihi perſuaſum eſt neque mortem, neque vitam, &c. poſſe nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Domino noſtro.* 2. Cor. 1. verſ. 21. *Qui etiam obſignavit nos deditque arrhabonem Spiritus in cordibus noſtris.* Epheſ. 4. verſ. 30. *Ne triſtitia afficite ſpiritum illum ſanctum Dei, per quem obſignati eſtis in diem redemptionis.* 2. Timoth. 1. verſ. 12. *Novi enim cui crediderim, & mihi perſuaſum eſt, eum poſſe depoſitum meum in illum diem ſervare.* 2. Cor. 5. verſ. 1. *Scimus enim nos, ſi terreſtris huius domus noſtræ tabernaculum diſſolutum fuerit, ædificium ex Deo habituros, domicilium videlicet non manu factum, æternum in cælis.* Liquet etiam hæc certitudo, ex natura veræ fidei, quæ eſt ſubſiſtentia rerum ſperandarum, & demonſtratio eorum quæ non videntur. Fatemur interea, omnes fideles non pari gradu hanc certitudinem perſentiſcere, imo in tentationis conflictu, vix ſcintillam eius ſentire, uti in ipſo Articulo noſtro expreſſimus.

Secundum Articulum noſtrum ita probamus:

Perſeverantia fidelium hæc omnia tanquam media divinitus ad eam ordinata non excludit ſed includit.] Liquet hoc primo ex perpetua methodo, qua Chriſtus & Apoſtoli in docendo uſi ſunt. Quippe qui ex decreto electionis & dono perſeverantiæ, quod ex eo redundat, ſolidas admonitiones ad preces, ad vigilias & omnem ſanctitatem in genere, deducunt: Mat. 24. 26. Monet Chriſtus Apoſtolos & reliquos Electos ne credant pſeudoprophetis, ſed ſibi ab ijs caveant; quos tamen dixerat impoſſibile eſſe, ut ab ijs ſeducantur. verſ. 24. Sic etiam Apoſtolus Paulus in omnibus ſuis Epiſtolis, ex miſericordia Dei erga fideles immutabili, & perſeverantiæ dono, quod per Dei fidelitatem illis promittit, deducit adhortationes efficaciſſimas, ut patet ex Collatione cap. 8. 9. 10. 11. ad Rom. cum cap. 12. & 13. &c. Idem 1. Cor. 1. 8. Corinthijs promiſerat, Deum per gratiam ſuam illos confirmaturum uſque ad finem iuculpatos, in diem Domini noſtri Ieſu Chriſti. Et tamen mox ſubjungit, ut ſibi à diſſidijs ſchiſmatis & ſimilibus carnis operibus caveant, & è contra veræ ſanctitati ſtudeant. Sic Phil. 1. 6. poſtquam eandem promiſſionem Philippenſibus feciſſet, in hæc verba: *perſuaſum habens hoc ipſum, fore ut qui cæpit in vobis opus bonum, perficiat uſque ad diem Ieſu Chriſti*; non ceſſat tamen eoſdem adhortari, ad bonorum operum ſtudium; & nominatim cap. 2. v. 12. 13. poſtquam monuiſſet eos ſerio, ut ſalutem ſuam in timore ac tremore operarentur, ſubjungit mox hanc promiſſionem, tanquam fundamentum, *Nam Deus is eſt qui efficit in vobis & velle & perficere pro bona ſua voluntate.* Similiter, 1. Theſſ. 5. poſt factas varias & ſerias ad ſanctitatem adhortationes, tandem ſubnectit verſ. 24. hanc conſolationem, *fidelis eſt qui vocavit vos, qui etiam id efficiet.* Sic quoque. 2. Timoth. 2. verſ. 19. poſtquam probaſſet perſeverantiæ fidelium certitudinem, ut quæ Dei ſigillo eſſet obſignata, addit præclaram hanc admonitionem, *Diſcedat ab injuſtitia omnis qui nominat nomen Chriſti.* Iiſdem veſtigijs etiam inſiſtunt reliqui Apoſtoli, inprimis Petrus & Iohannes. Prior enim de Decreto Electionis, & perſeverantiæ dono, quod probaverat cap. 1. Epiſtolæ prioris verſ. 1. 2. 3. 4. 5. tanquam è ſuaviſſimo fonte deducit varias admonitiones, ad patientiã, ſanctitatem, & fraternam charitatẽ; neque

neque tantum isto capite, sed per totam passim epistolam, posterior ex charitate Dei Patris & Filij, erga fideles infallibili, & ipsorum spe indubitata, qua expectant æternam gloriam, producit varias adhortationes ad puritatem & sanctitatem, præsertim. 1.Iohan. 3. 3. *Quisquis habet hanc spem in eo sitam, purificat se, sicut & ille purus est.*

II. Deinde idem evincunt exempla sanctorum, qui licet certi essent de sua perseverantia & salute, nihilominus tamen sedulo, sanctis precibus & bonis operibus invigilarunt, ut Pater inter reliquos exemplo Davidis, qui licet Psal. 23. & alibi sibi persuasum dicat de bonitate & benignitate Dei pastoris sui erga se, quodque permansurus esset, in domo Iehovæ in sæculum, nihilominus tamen sanctis precibus, alijsque pietatis exercitijs jugiter fuit intentus, ut videre est, ex Psalm. 119. & alibi. Paulus etiam qui ad Romanos testatur sibi persuasum esse, quod per nullam rem creatam possit separari à charitate Dei, tamen contudit corpus suum, & in servitutem redegit, ne quo modo ipse reprobus fieret. & Phil. 3. se contendisse dicit, ad palmam supernæ vocationis Dei: & 2. Cor. 5. confidimus autem & probamus potius migrare è corpore & ad dominum ire habitatum, quapropter etiam ambimus & incolentes & migrantes ei placere: Imo Christus qui de sua glorificatione erat certissimus, nihilominus à Deo Patre suo ardentissimis precibus illam efflagitavit: Iohan. 17.

Denique luce meridiana clarius ex scriptura patet, media cum Decreto Dei non pugnare, sed eidem subordinari: Sic Gideon, post acceptam promissionem de victoria contra Medianitas; Iudic. 6. nihilominus medijs bellicis ad eam consequendam est usus: Ezechias Rex post promissam vitæ prolongationem, sanitatem naturali remedio procuravit: Daniel cum ex Ieremia didicisset, finem captivitatis Babylonicæ advenisse, oravit Deum, ut populum suum reduceret, & Actor. 27. Paulus qui ab Angelo Domini erat edoctus, se cum socijs de naufragio certo evasurum, monuit illos salvos evadere non posse, si nautæ navem deseruissent.

Adeo ut cum timore & tremore salutem suam operentur:] Nam etsi propter peremptoriam electionem ad salutem, de sua perseverantia vere fideles certi esse possunt, & debent. Tamen cum Deus illam nisi per ordinaria media exequi statuerit, necesse est ipsos, exhortationibus, comminationibus, & promissionibus, tanquam medijs ordinarijs ad perseverantiam excitari; idque

I.

Propter propriam ipsisque adhærentem infirmitatem, & hostium spiritualium astum & potentiam jugiter ipsos oppugnantium, & huc spectat sermo Christi ad Apostolos, quos propter infirmitatem carnis hortatur ad vigilandum & orandum, ne intrent in tentationem: Matth. 26. vers. 41. Confer etiam Marc. 13. vers. 33. & 37. huius etiam respectu hortatur Paulus fideles ad induendum totam armaturam Dei, ut possint subsistere in tempore adverso & omnibus confectis stare; Eph. 6. vers. 11. 12. Confer. 1. Pet. 5. v. 8. & 1. Cor. 16. 13. *vigilate, state, viriliter agite, estote fortes.* Sic etiam Petrus fideles alloquitur: *Vos igitur dilecti qui hæc præscitis, cavete ne illorum nefariorum errore abducti, excidatis à propria stabilitate, sed crescite in gratia & agnitione Domini nostri Iesu Christi.* Huius etiam infirmitatis propriæ ratione monentur Philippenses, ut cum timore & tremore salutem suam operentur. Phil. 2. vers. 12. & gentes monet, gentium Apostolus, Rom. 11. 20. 21. Ne animo efferantur, sed timeant, videntes ne Deus qui naturalibus ramis non pepercit, illis etiam non parcat.

II.

Propter carnalem securitatem quæ ex ista infirmitate interdum infidelibus oritur, Cantic. 5. vers. 2. Psal. 30. 7. & comminationibus gravissimis illa aut excutienda est, aut antevertenda; & huc spectant sequentia Scripturæ testimonia; Heb. 3. vers. 12. 13. *Videte fratres ne quando sit in ullo vestrum cor malum & infidele, deficiendo à Deo vivo: sed exhortamini vos alij alios quotidie quoad appellatur dies hodiernus, ne quis ex vobis induretur fraude peccati*, & cap. 6. 11. 12. *Cupimus autem, ut unusquisque vestrum idem ostendat studium ad plenam fidei persuasionem ad finem usque, ut ne fiatis segnes sed imitatores eorum,*

qui

qui per fidem ac patientiam obtinent promissam hæreditatem. & verſ. 4. *Nam fieri non poteſt, ut qui ſemel fuerunt illuſtrati, guſtaveruntque donum cæleſte & participes facti fuerunt Spiritus S. guſtaveruntq; bonum Dei verbum, ac virtutes futuri ſæculi, ſi prolabantur ut denuo renoventur, per reſipiſcentiam, ut qui rurſum crucifigant ſibimetipſis filium Dei, & ad ignominiam exponant.* Confer. cap. 10. verſ. 26. 27. Galat. 3. verſ. 3. & 5. verſ. 7.

III.

Propter remiſſionem in pietatis curſu, promiſſionibus interdum fideles ad officium gnaviter & ſtrenue faciendum ſunt excitandi; Matth. 24. 13. *Qui ſuſtinuerit ad finem uſque, ſalvus erit.* 1. Cor. 9. 24. *Sic currite ut comprehendatis, certantes, ut incorruptam coronam accipiatis.* Heb. 12. 12. Quapropter manus remiſſas & genua ſoluta ſurrigite. Apo. 2. verſ. 4. 5. Et paſſim in iſtis Epiſtolis ad Eccleſias Aſiaticas.

Etſi interdum labantur, non tamen in lapſu permanent.] Probatur ex exemplo Davidis, Petri & Thomæ; & Pſalm. 37. verſ. 24. *Cum cadit, non deijcitur, quia Iehova ſuſtentat manum eius:* huc pertinet inſignis illa promiſſio, Zachar. 12. verſ. 9. & 10. qua Deus promittit domui Davidis & habitatoribus Ieruſalem, ſpiritum gratiæ & deprecationum, quo reſpiciant ad eum, quem transfixerunt, &c. Confer. Pſal. 89. verſ. 31. 32. 33. 34. Item, 1. Cor. 10. verſ. 13.

Revertuntur alacrius ad novam obedientiam.] Probatur. Pſal. 51. verſ. 15. *Docebo defectorem vias tuas, ut peccatores ad te convertantur.* Pſalm. 119. verſ. 67. *Priuſquam humiliarer, ego deliqui, nunc autem ſermones tuos obſervo.*

Atque ita ad ſalutem conſervantur.] Prob. 1. Petr. 1. verſ. 5. *Qui virtute Dei cuſtodimur per fidem, ad ſalutem quæ parata eſt pateſieri tempore ultimo.*

Sententia Heterodoxa.

Iudicamus ergo graviſſime errare Remonſtrantes, cum dicunt Theſibus exhibit. 3. vere fideles poſſe à vera fide excidere & in eiuſmodi prolabi peccata, quæ cum vera & juſtificante fide conſiſtere non poſſunt, neque poſſe hoc tantum fieri, ſed & non raro accidere; videatur etiam hic reſponſ. adverſ. Walach. pag. 75.

Item, negantes perſeverantiam fidelium, fluere ex Decreto Dei abſoluto & peremptorio, quo decrevit ſalvare ſingulares perſonas; Theſ. exhibitis 1. & adverſ. Walach. pag. 75.

Tertio, cum dicunt voluntatem noſtram proximam & ſolam eſſe perſeverantiæ cauſam Phyſicam; adverſ. Walach. pag. 75. & Collat. Belg. Hag. pag. 370. Ubi partiuntur perſeverantiam inter Deum & homines, dicentes conſervationem credentium in fide, non pendere tantum, ex certa & fida Chriſti cuſtodia, ſed requiri quoque ad eam debitam credentium obedientiam, ne qua parte ſibi in noxa ſint: quod ipſum de ea obedientia intelligere ſe negant, quæ fit vi irreſiſtibili. Collat. Hag. Bert. part. 2. pag. 90.

Rejicimus quoque ut abſurdum & Atheologum, quod Remonſtrantes dicunt, Collat. Brand. pag. 457. mirum non eſſe pios ſecundo renaſci.

Similiter rejicimus Remonſtrantes, cum negant perſeverantiam eſſe donum Dei, fidelibus infuſum; Collat. Belg. pag. 343.

Item cum dicunt, vere fidelem non poſſe eſſe certum, ſe in fide perſeveraturum, quin imo de hoc dubitare & laudabile militi Chriſtiano & ad excitandum veternum & torporem animæ, in religionis negotio, per quan utile arbitrantur. Reſp. ad Walach. pag: 76. & Theſibus exhibitis 8. Ubi dicunt, hanc certitudinem non eſſe neceſſariam.

Manifeſta quoque eſt calumnia, cum dicunt Remonſtrantes, doctrinam noſtram de perſeverantia, ex ſe veræ pietati & bonis operibus obeſſe: Collat. Brand. pag. 353. 354. 355. & ſeqq. paſſim; peccandi commeatum fidelibus facere, ſollicitudinem & tremorem ſalutarem elidere, adeoque ad ſubdendos carni pulvillos comparatam

esse; præcipue, cum fideles nullis peccatis aut flagitijs, salutis suæ jacturam pati posse, aut passuros unquam, docetur; nec mori posse, in peccatum aliquod horrendum prolapsos, sed necessario ante vitæ finem conversum iri; adversus VValach. pag. 76.

Et hactenus quidem Iudicium & sententiam nostram de Quinque Controversis Articulis diximus; judicamusque doctrinam Orthodoxam quam non ex lacunis inanis Philosophiæ, non ex corrupto rationis judicio, neque ex humanæ sapientiæ verbis, sed ex puro Dei verbo, ut limpidissimo Israelis fonte, hausimus; in Ecclesia esse retinendam & publice, ad ædificationem, docendam, quemadmodum ea hactenus in omnibus reformatis Ecclesijs obtinuit; Heterodoxæ vero (quam Antithesibus expressimus) ut putrido cerebri & corruptæ rationis humanæ figmento, locum nullum in Ecclesijs esse debere, sed omnino rejiciendam esse; utpote verbo Dei contrariam; gloriæ & gratiæ Dei, inimicam; fidei, pietati, & vere consolationi fidelium noxiam; Deumque rogamus ut quemadmodum eius beneficio, in Ecclesijs nostris Zelandicis, summo cum omnium consensu hæc doctrina hactenus viguit. Ita nos porro in illa veritate, pace & concordia conservet: reliquisque fœderati Belgij Ecclesijs, hanc pacem & concordiam (ubi turbata est) cum veritate restituat, ut tandem credentium omnium sit cor unum, & anima una: & singuli ambulantes, ita ut dignum est vocatione nostra, cum omni modestia & mansuetudine, cum animi lenitate, tolerantes alij alios per charitatem, studeamus servare unitatem spiritus, per vinculum pacis: sicut unum est corpus & unus spiritus, unus Dominus, una Fides, unum Baptisma, & vocati sumus in unam spem vocationis nostræ. Amen.

VLTRAIECTINORVM FRATRVM DE Quinto Remonstrantium Articulo, IVDICIVM.

Theses Heterodoxæ de Quinto Remonstrantium Articulo, quo de Perseverantia vere fidelium agitur: ex eorum editis libris & scriptis excerptæ: quibus Orthodoxæ cum Sacra Scriptura consentientes Antitheses opponuntur.

Theses Heterodoxæ.

I.

Perseverantia vere fidelium in fide, non est effectum electionis absolute a Deo factæ, sive Decreti talis, quo Deus certas personas sine ulla conditione obedientiæ circumscriptas, ad salutem elegit: *a* (neque enim est ullum eiusmodi Decretum aut Electio absoluta) sed fluit ex Decreto, quo statuit Deus credentibus jam, & medijs talibus quæ ad perseverandum sunt instituta, rite utentibus abunde

Antitheses Orthodoxæ.

I.

Quemadmodum vera in Christum fides, ita & perseverantia electorum in fide, est effectum electionis absolute a Deo factæ, sive talis Decreti, quo Deus certos homines non consideratos ut jam obedientiæ conditione circumscriptos, sed ut lapsos corruptosque in Adamo, ac proinde inobedientes ad salutem elegit. *a* Quoscumq; enim Deus ex adultis, ratione utentibus, ad salutem æternam

abunde eorundem mediorum copiam facere, gratiam Spiritus sancti nunquam denegare, aut eos deserere priusquam ab ipsis deseratur. *b* Interdum etiam ex eo Decreto fluit perseverantiæ donum, quo Deus deserentes se prævenire pro multitudine misericordiarum suarum, in viam revocare, & convertere proposuit. *c*

a Contra Walach. pag. 74. lin. 10. & seqq.

b Contra Walach. p. 74. l. 13. & seqq.

c Contra Wal. ibidem. l. 16. & seqq.

æternam elegit, eos etiam ad veram fidem in Christum & perseverantiam in ea, tanquam media Decreto illi subordinata, elegit. *b*

a Rom. 8. 29. 30. *Quos præcognovit eos prædestinavit, quos prædestinavit, eos vocavit, quos vocavit, justificavit, quos justificavit, glorificavit.*

Si quos prædestinavit Deus, eos & glorificavit, nemo autem adultus glorificatur, nisi perseverans in fide, sequitur perseverantiam effectum esse electionis, sive prædestinationis ad salutem absolutæ.

Matth. 24. 24. Collato cum vers. 13. *Si fieri posset etiam electi seducerentur: qui perseveraverit ad finem, salvus erit.*

Rom. 11. 7. *Electio assecuta est.* Electionis igitur absolutæ effectum est perseverantia.

1. Pet. 1. 2. 3. 4. 5. *Electio secundum prænotionem Dei Patris, in sanctificatione spiritus, ad obedientiam & aspersionem sanguinis Christi. Benedictus sit Deus Pater Domini nostri Iesu Christi, qui nos secundum magnam suam misericordiam regenuit in spem vivam, ad incorruptibilem & incontaminatam hæreditatem, quæ in cælis custoditur pro vobis, qui virtute Dei custodimini per fidem ad salutem, quæ parata est novissimo die patefieri.*

Si electi sumus, ut virtute Dei custodiremur per fidem ad salutem, electionis igitur absolutæ effectum est perseverantia.

b Rom. 8. 29. 30. Locis ante citatis. Si glorificationem adultorum antecedat necessario perseverantia, perseverantia igitur est medium prædestinationis ad salutem, Decreto subordinatum.

Iohan. 15. 16. *Ad hoc elegi vos ut fructum ferretis & fructus vester maneat:* Ergo fructum permanentem ferre, est medium electionis Decreto substitutum.

2. Thess. 2. 13. *Deus vos ab initio elegit ad salutem in sanctificatione spiritus & fide veritatis.* Si ad salutem elegit in sanctificatione & fide, id est per fidem & sanctificationem tanquam per medium, aut viam ducentem ad salutem: ergo & ad perseverantiam elegit in fide & sanctificatione: sine perseverantia enim non est salus. Perseverantia igitur est medium, electionis Decreto subordinatum.

Thesis Heterodoxa II.

Sicut fides, ita & perseverantia est conditio novi fœderis, à Deo, liberrimo arbitrio, homini præscripta: Proinde nec est, nec esse potest, donum Dei proprie dictum.

· Collat. Belg. pag. 343. Bertij, pag. 61.

Antithesis Orthodoxa II.

Etsi perseverantia sicut & fides, à Deo in novo fœdere sit præscripta: id tamen non prohibet perseverantiam, esse donum Dei proprie sic dictum.

Argumentum Remonstrantium ab eo desumtum, quod perseverantia sit conditio in novo fœdere præscripta, non sequitur. Ratio, circumcisio cordis, conversio, resipiscentia, fides sunt à Deo in novo fœdere præscriptæ conditiones, Deut. 10. 16. Ier. 4. Ioel. 2. 3. Marc. 1. 15. Act. 2. 38. non tamen desinunt esse Dei dona proprie dicta. Circumcisionem enim promittit Deus, Deut. 30. 6. se procuraturum aut donaturum. Et Apost. Coloss. 2, 11. docet Dei opus esse. Conversionem à Deo postulat Ieremias cap. 31. 18. Et David Psal. 51. 12. Est ergo conversio donum Dei proprie dictum. Idem de resipiscentia & fide docet Scriptura. 2. Timoth. 2. 25. Philip. 1. 29.

Ita etiam perseverantia & conditio est in novo fœdere præscripta, & donum Dei proprie dictum, in eo fœdere promissum: Ier. 32. 40. *Feriam cum eis pactum æternum, & timorem meum dabo in cor eorum, ut non recedant à me.* Luc. 22. 32. Christus se perseverantiam Petro à Patre precibus impetrasse testatur. Est ergo donum Dei proprie sic dictum.

Addantur loca, Rom. 11. 29. Eph. 6. 23 2. Thess. 2. 2. 3. Heb. 13. 20. 21. Philip. 2. 13.

Thesis

Thesis Heterodoxa III.

Vere fideles opera carnis perpetrantes, non modo à vera fide totaliter & finaliter excidere possunt: *a*) sed & non raro excidunt. *b*) imo vero, etsi se ab iis operibus ad Deum convertant, fidem tamen pro eo tempore, quo opera illa committunt, totaliter amittũt. *c*) Fides vera igitur semper non est perseverans.

a) Thesib. de 5. Artic. exhib. Thes.6.

b) Thesib. iisdem. Thesi 3 & 4.

c) Collat. Belg. pag 304. post mediũ. Bert. pag.18. in fine, & 19. ab initio.

Antithesis Orthodoxa III.

Vere fideles, etsi Sathanæ, mundi aut carnis tentationibus nonnunquam obruti, ita prosternantur, ut atrocibus subinde lapsibus, quibus damnationem æternam merentur, conscientiam graviter lædant, Spiritum S. contristent, & proinde actum fidei impediant, gratiæ Dei fiduciæque sensum amittant: *a*) tamen fidei radicem aut semen nunquam nec totaliter nec finaliter amittunt. *b*) Misericordia enim Dei ac virtute, & Christi intercessione conservantur in fide, eriguntur, à peccatis ad Deum resipiscunt, ad Deum convertuntur & gratiæ Dei sensum recuperant. *c*) Fides igitur vera perpetuam & finalem perseverantiam semper comitem habet, *d*) unde efficitur temporariam fidem, non esse unam eandemque essentia, cum vera seu justificante fide. *e*)

a) Testantur de istis lapsibus sanctorum exempla: Noachi, Lothi, Davidis, Petri, &c.

b) Vere fideles, habitum, radicem aut semen fidei suæ, nec totaliter amittere nec finaliter, hoc syllogismo probamus.

Quibus Deus daturus est ut à se non recedant, adversus quos portæ inferorum non prævalebunt, qui in æternum non esurient nec sitient, quos nemo rapiet de manu Christi nec de manu Patris Christi, apud quos Spiritus S. in æternum manebit, qui sunt spiritu promissionis sancto obsignati in diem perfectæ redemptionis, quos Deus ita corroborabit ut sint inculpati in die Domini Iesu Christi, in quibus Deus bonum opus quod incepit perficiet, qui virtute Dei custodiuntur per fidem ad salutem, qui denique ad mortem peccare non possunt, propterea quod semen Dei in illis manet; illi nec totaliter nec finaliter fidei radicem aut semen perdituri sunt, aut hoc respectu perdere possunt. Atqui Deus vere fidelibus promittit fore, ut ab ipso non recedant, portæ inferorum adversus eos non prævalebunt, in æternum non esurient nec sitient &c. Ergo, nec totaliter nec finaliter fidei radicem sive semen sunt perdituri, nec eo respectu perdere possunt.

Maior sua luce manifesta est.

Minor sequentibus sacræ Scripturæ locis probatur:

Ierem.32.40. *Dabo timorem meum in corda eorum, ut à me non recedant.* Matth.16.18. Iohan.4.14. Et 6.35.39. & vers.28.29.30. & 14. vers.16. Ephes.1.13.14. & 4.vers.30. Phil.1.vers.6. 1.Petr.1.4.5.1. Ioh.3. vers.9. Stat ergo conclusio. Totaliter non deficere vere fideles demonstratur iis S. Scripturæ locis, quibus Spiritus S. aut unctio, aut semen Dei in ipsis manere dicitur, ut Iohan.14.16.17. 1, Iohan. 2. 24.1. Iohan. 3. 9. aut quibus fideles dicuntur in Christo manere, & Christus in ipsis. Iohan. 6. 56. & 14. 23. 1. Iohan.3.23.24.

Finaliter non deficere vere fideles, demonstratur iis locis, quibus Christus dicitur fideles non perditurus sed excitaturus ac daturus vitam æternam: Ioan.6.40. & vers.57.58. Ioh.3.16.17. Item iis locis quibus dicuntur obsignati Spiritu S. usque ad diem redemtionis, spiritu, inquam illo, qui est arrhabo aut pignus hæreditatis illius cœlestis; ut Eph.1.13.14. & 4.30. item iis, quibus Deus dicitur bonum opus, quod cepit perfecturus esse: Philip.1.6. Philip. 2. vers.13. item iis quibus Christus nos dicitur servare, interpellatione sua, ne deficiamus. Luc.22. 32. Iohan. 17. 20. Rom.8.34. Quibus deniq; dicimur virtute Dei custodiri ad salutem per fidem.

c) Quod misericordia Dei vere fideles servantur, ne in peccatis pereant, inter infinita Scripturæ testimonia, hæc etiam probant. Thren. Ierem.3.22. *Misericordiæ Iehovæ sunt, quod non consumti sumus, quia non defecerunt misericordiæ eius.* Psal.89.31. & sequentib. *Si dereliquerint filii eius legem meam, tunc visitabo virga prævaricationem eorum, & plagis iniquitatem eorum, misericordiam autem meam non auferam ab iis.* Psal.118.14. 29. Psal.23.6, &c.

Fidei veræ, perseverantiam comitem semper esse, locis iis demonstratur, qui-
d) Fidei veræ, perseverantiam comitem semper esse, nec totaliter nec finaliter deficere. His addi-
bus ante probatum est, vere fideles nec totaliter nec finaliter deficere. His addi-
mus hæc, Iohan.6. 47. & simil. quibus vere credentes vitam æternam jam habere
prædicantur. Si enim fides vel in medio cursu vel in fine deficit, jam falsum erit,
credentes vere in Christum, habere vitam æternam. Adde Iohan.15.16. *Elegi vos,*
constitui vos ut fructum feratis, & fructus vester maneat. Rom.8. 29. 30. *Quos præcognovit*
& prædestinavit, hos & glorificavit. Si individuus est inter prædestinationem justifi-
cationem, & glorificationem, nexus, sequitur fidem à perseverantia & perseveran-
tiam à fide separari aut divelli non posse.

e) Iustificantem sive veram fidem, qua Christum eiusdemq; justitiam apprehen-
dimus, non esse eandem cum temporaria, manifeste Christus parabola ista seminis,
diversam in terram inter serendum lapsi, ostendit: Docet enim differre tribus mo-
dis; I. subjecti qualitate: II. principio: III. effectu. Subjecti qualitate: Tempo-
raria enim locum habet in corde non bono: vera autem fides, sive justificans, tan-
tum in corde bono obtinet locum: Matth. 13.vers.8. & 23. item Luc.8. 15. quo loco
Christus, bonam terram, aliis tribus speciebus terræ, viæ scilicet, lapidosæ, & spi-
nosæ terræ opponens, has non bonas esse, sed ineptas & malas ostendit. Bonitas au-
tem illa, quam postremæ speciei terræ tribuit, à sola regenerationis est gratia effi-
caciaque, non autem à natura. Principio differre, docet Christus, cum ait, tempo-
rariam fidem non habere radicem; Matt. 13.6. & 21. imo nec consequi posse. Sicut
enim semen delapsum in ciusmodi fundum, qui terræ perparum, lapidum autem
habet plurimum, radicem accipere non potest. Matth.13.5. Ita in fide temporaria
res se habet. nam etsi semen verbi cum gaudio susceptum, mature exsurgat, & am-
plam quandam fructificationis spem promittere videatur: Matt.13.5. & 20. tamen
lapidositas illa, quæ longe maximam fundi sive cordis partem occupat, in causa est,
cur solidas semen illud verbi radices agere non possit. Hinc fit ut temporaria fi-
des inardescente persequutionis sole, & afflictionum æstu fervente, exarescat: of-
fensionibus superata deficiat: Matth.13. 6. & 21. Vera autem & viva fides radices
cõsequitur & agit in Christo: Eph.3.17.Ioh.15.4.5. Christo superstructa, Matt.16.18.
manet in Christo: Ioh.6.56. nunquam à Christo separatur: Rom.8.35. vereq; fide-
les unum efficit cum Christo: Ioh.17.26. Non deficit igitur vera fides in Christum;
quia Christus, qui fons vitæ est, & spiritus Christi, qui spiritus vitæ est, nunquam
deficit neque exarescit. Denique veram fidem à temporaria differre effectu, ibi-
dem patet. Temporaria quidem mox exsurgẽs, fructum promittit: Matt.1 .5.& 20.
præstare autem sive reddere non potest. Causa duplex est: altera interna, defectus
scilicet radicis: altera externa, eaque varia: afflictionũ fervor, offensiones gignens,
immoderatus mundi amor & rerum temporalium, ut sunt opes, honores & curæ,
desideriumq; voluptatum. His enim, tanquam noxiis spinis vepribusque, fides illa
temporaria suffocatur; Matt.13.7.& 22. Vera autem fides, virtute potentiaque Dei,
in omnibus persequutionum fluctibus infracta persistens, calcans mundum, omnia-
que quæ in mundo sunt pro stercoribus ducens; Philip.3.7.8. suo tandem tempore,
convenientem, secundum vocationem, trigenum, sexagenum, imo centuplum, pro
mensura donationis Christi fert fructum: Matt.13. 8. & 23. Hinc igitur manifestum
evadit, & grande admodum inter temporariam & veram fidem esse discrimen;
huius enim subiectum est cor à spiritu Christi vere regenitum: illius subiectum
est cor veræ regenerationis expers: hæc radicem habet, & in Christo fundata est:
illa radice caret: hæc denique fructum fert amplissimum; illa fructum nec fert,
nec ferre potest. Quoscunque igitur à fide deficere videmus, eos non à vera,
(eam enim nunquam habuerunt, cum electorum sit propria) sed à temporaria fide,
deficere, statuendum est.

Thesis Heterodoxa IV.

Vere fideles, etsi de fidei suæ integritate & benevolentia erga se Dei, pro te mpore

Antithesis Orthodoxa IV.

Vere fideles, qui Christo sunt irradicati, non modo de fide sua in præsens certi

tempore præſenti certi eſſe poſſunt ac debent: *a)* tamen ſe in fide & pietate in hac vitæ militia, perſeveraturos, certi eſſe non poſſunt; *b)* talis etiam certitudo nec utilis, nec neceſſaria: *c)* imo vero noxia & pernicioſa eſt. Hæc enim certitudo natura atque indole ſua, ſecuritatem carnis generat, & nervos incidit pietatis: *d)* adeo ut dubitare, an in fide perſeveraturi ſimus, perquam utile ſit. *e)*

a) Theſibus exhibitis de 5. articulo theſi 7.

Contra Walach. pag. 75. ante med.

b) Theſibus exhibitis theſi. 8. & contra Walach. pag. 75. ibidem.

c) Theſibus exhibitis, theſi. 8.

d) Collat. Hag. 340. Bertii, pag. 57. circa medium.

Contra Walach. pag. 75. poſt med.

certi eſſe poſſunt, debent, & ſunt, *a)* etſi ea certitudo pro graduū varietate, nunc augeſcat, gratia Dei vires ſuas explicante; nunc vero (fide per carnis inſidias, ſathanæ, mundique tentationes multiplices, langueſcente, atque anhelante,) minuatur ac decreſcat; ſed etiam ſe ad finem uſque, in fide & pietate perſeveraturos eſſe perſuaſi ſunt; *b)* eſtque illa certitudo non modo nativa ſua indole minime pernicioſa, ſed ſalutaris: *c)* nec carnis ſecuritatem generat; ſed reprimit *d)* pietatis fervorem non exſtinguit, ſed accendit: *e)* denique ſolidæ eſt in adverſis omnibus conſolationis fundamentum. *f)*

a) Gal. 2. 20. *Vivo autem non amplius ego, ſed vivit in me Chriſtus, & quod iam vivo in carne, vivo per fidem filii Dei.* 1. Ioh. 2. 20. *Vos unctionem illam habetis à ſancto illo, & noſtis omnia.* 1. Iohan. 3. 24. *per hoc novimus eum* Chriſtum *habitare in nobis, nempe ex ſpiritu quem nobis dedit.* 1. Ioh. 4. 13. *per hoc cognoſcimus nos in ipſo habitare, & ipſum in nobis, quod de ſuo ſpiritu dedit nobis.*

Qui habent unctionem illam à Spiritu S. & norunt Chriſtum in ſe, & ſe in Chriſto habitare; ac ſe vitam, quam in carne vivunt, vivere per fidem filii Dei, illi de fide ſua in præſens non modo certi eſſe poſſunt, ac debent: ſed etiam ſunt certi.

Atqui vere fideles habēt unctionem illam, norunt habitare in ſe Chriſtum, &c.

Ergo vere fideles, de fide ſua, non modo certi eſſe poſſunt & debent; ſed etiam ſunt certi.

Conſequentia maioris patet; quia unctio illa ſive ſpiritus, eſt ſpiritus fidei, ſive fidei cauſa efficiens, & cognitio illa de inhabitatione Chriſti in nobis, eſt ex fide, quæ nos Chriſto tanquam capiti conglutinat. Minoris veritas ex allegatis locis: Stat igitur concluſio.

b) Fideles certos eſſe, ſe ad finem uſque perſeveraturos in fide, hoc argumento probamus:

Qui ſciunt, Deum, bonum opus quod cepit, eſſe conſummaturum, ac Dei dona & vocationem eſſe ἀμεταμέλητα, ſeque virtute Dei cuſtodiendos per fidem ad ſalutem, Spiritum S. ſibi in infirmitatibus ſuccurſurum, habere ſe Chriſtum perpetuum apud Patrem interpellatorem, illi certi ſunt ſe in fide ad finem uſque eſſe perſeveraturos.

Atqui vere fideles ſciunt Deum, bonum quod in iis cœpit, opus perfecturum, ſciunt dona Dei eſſe ἀμεταμέλητα, ſe virtute Dei ad ſalutem per fidem eſſe cuſtodiendos, ſpiritum illis in infirmitatibus ſuccurſurum, habere ſe Chriſtum apud Patrem interpellatorem:

Ergo vere fideles certi ſunt, ſe in fide perſeveraturos. Maior certa eſt; cauſam enim continet certitudinis illius, nempe fidelitatem, immutabilitatem, virtutem Dei, auxilium Spiritus ſancti, interpellationem Chriſti pro fidelibus.

Minor his Scripturæ ſacræ teſtimoniis confirmatur. Philip. 1. 6. Rom. 11. 29. 1. Petr. 1. 5. Rom. 8. 26. & 34. 1. Iohan. 2. 2. Rom. 8. 38. Qui in omnibus victores evadunt, per Chriſtum, qui dilexit ipſos, & certi ſunt fore, ut nulla creatura eos ſeparet à charitate illa Dei, qua dilecti ſunt in Chriſto, illi certi ſunt ſe in fide ad finem perſeveraturos eſſe. Atqui vere fideles in omnibus evadunt victores, & ſunt certi, fore, ut nec præſentia, nec futura, nec ulla creatura, eos ſeparet à charitate illa Dei: Ergo.

Conſequentia maioris patet, quia hæc eſt noſtra victoria, fides, & ſi contingeret eos ſeparari à charitate Dei, id fieret per defectionem à fide: non ſunt autem defecturi à fide, ut ante probatum eſt: Minor eſt Apoſtoli ad Rom. 8. 37. 38. & ſequ.

 c. d. e.) Cer-

c. d. e.) Certitudinem hanc, non esse perniciosam, sed salutarem, eaque securitatem carnis reprimi pietatemque accendi, patet: nihil non salutare docet Spiritus S. nihil perniciosum docere potest. Docet autem Spiritus S. eam certitudinem, non jubet de perseverantia sua tanquam incertos fluctuare fideles, sed esse persuasos, nec obstat quod timorem imperat fidelibus Spiritus S. Ille enim timor, non servilis, sed filialis est, qui cum certitudine fidei optime conspirat: Apostolus enim eodem capite Rom. 8. 17. ait, *Non accepistis, spiritum servitutis rursum ad metum, sed spiritum adoptionis per quem clamamus Abba, id est, Pater. Et idem ille spiritus testatur una cum spiritu nostro nos esse filios Dei.*

Facere certitudinem hanc ad carnis securitatem reprimendam & accendendam pietatem, liquet ex eodem capite, quo utrumque facit Apostolus Paulus: Hortatur enim fideles, ut non ambulent secundum carnem, vers. 12. 13. 14. *Nempe igitur fratres debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus, sed spiritui* &c. Et certitudinem non minus inculcat perseverantiæ in fide, vers. 35. & seqq. Idem Apostolus docet fideles obsignatos spiritu promissionis sancto, ac certos de hæreditate cœlesti obtinenda esse; Eph. 1. 13. 14. & 4. 30. monetque simul, ut Spiritum S. non contristent, & ut sint imitatores Dei, ambulentq; cum charitate: Eph. 4. 30. & 5. 1. 2. Apostolus Iohannes Christianos ad sanctitatis studium accensurus, doctrinam de certa fidelium glorificatione, exhortationi illi præmittit. 1. Iohan. 3. 2. 3. *Dilecti nunc filii Dei sumus, scimus autem fore, ut cum manifestus factus fuerit, similes ei simus, & quisquis hanc spem habet purum se conservat.* & vers. 9. *quisquis natus est è Deo, non dat operam peccato, quoniam semen ipsius in eo manet.* Ergo qui de fide sua & perseverantia certi sunt, non dant operam peccato, sed pietati.

f) Certitudinem hanc fundamentū esse solidæ consolationis firmissimum, patet. Hanc enim certitudinem, opponit Apostolus Paulus tanquam scutum, omnibus afflictionibus, & præsentibus, & futuris, inde à vers. 18. cap. 8. ad Rom. usque ad finem illius. Hac certitudine se erexit Iob in præsentibus ærumnis longe acerbissimis, cap. 19. adversus futuras hæc arma explicavit David, Psal. 23. *Etiamsi ambulavero per vallem umbræ mortis, non timebo tamen malum: bonum, & Dei misericordia prosequentur me omnibus diebus vitæ & habitabo in domo Iehovæ in sæculum.*

Concludimus igitur eos qui perseverantiæ certitudinem vere fidelibus noxiam esse contendunt, non solum veræ consolationi fidelium nervos incidere: sed etiam in Spiritum S. esse contumeliosos: ac si ineptis aut incommodis argumentis, aut eiusmodi quæ pietatem convellunt, eandem fovere atque accendere moliatur.

Thesis Heterodoxa V.

Si vere fidelis certus est, se fidem nunquam amissurum: sed in ea perseveraturum esse, eam certitudinem non nisi ex speciali revelatione habere potest.

Collat. Belg. pag. 423. ab initio. Bertij pag. 150. post medium.

Antithesis Orthodoxa V.

Quod vere fidelis fidem nunquam sit amissurus, sed in ea usq; ad finem perseveraturus, de eo certus est, non ex revelatione quadam speciali, aut extraordinaria: sed ex Dei promissionibus, *a)* earundem firmitate *b)* fidei natura, *c)* testimonio Spiritus S. *d)* & immutabilitate electionis. *e)*

a) Certitudinem fidei & salutis, ab Apostolo ad Rom. 8. doceri, negari nō potest. non deducit autē illam Apostolus ex speciali aliqua revelatione, sed ex fundamentis eiusmodi, quæ omnibus fidelibus sunt communia; ex insitione in Christum, v. 1. ex sublato per Christum reatu, ver. 3. 4. ex Spiritus S. inhabitatione; v. 9. 10. 11. Spiritus S. testificatione, v. 16. firmitate spei; v. 23. subsidio Spiritus S. v. 26. certitudine & immutabilitate decreti Dei de Prędestinatione. v. 29. 30. Dei cura & amore summo, v. 31. 32. justificatione, v. 33. merito & satisfactione Christi; v. 34. eiusdemque intercessione in cœlis; ibidem. Vnde sequitur certitudinem illam, aliunde, quam ex speciali revelatione, haberi.

Promissiones de perseverantia, extant Psalm. 125. 1. Esa. 54. 10. Ierem. 32. Ioh. 6. 56. Ioh. 17. 24. 2. Timoth. 4. 7. 8.

b) Firmitas promissionum istarum docetur: Esai. 54. 10. 2. Cor. 20. Matth. 5. 18. Ierem. 31. Hebr. 6. 13.

c) Fidei natura certitudinem istam importat, pugnat enim fides cum dubitatione; Rom. 4. 20. Iacob. 1. 6. Rom. 8. 30. Heb. 11. 1.

d) Spiri-

Digitized by Google

d) Spiritum, eam certitudinem, fidelibus testari & obsignare docet Spiritus S. Rom.8.16. 2. Cor.1.21.22. 2.Cor.5.5. Ephes.1.13.14. & 4.30. 1.Iohan.2.20.& 4.13.

e) Electionis decretum esse immutabile; Rom.8.30. & 9.11. Psal.138.8.2.Tim.2.17. & aliis locis testatur Scriptura sacra.

Thesis Heterodoxa VI.

Perseverantia in fide, etsi à sola Dei gratia hactenus pendet, quatenus illa sola hominem paratum reddit, & viribus instruit ad perseverandum: tamen hominis voluntas est proxima, & sola causa physica perseverationis. Voluntas enim perseverat in fide, non Deus.

Collat.Belg.pag.344.
Bertij.61.
Contra Walach.pag.74.post med.

Antithesis Orthodoxa VI.

Perseverantia in fide, non hactenus tantum, à sola Dei gratia, tanquam causa pendet; quatenus sola hominem paratum reddit & viribus instruit ad perseverandum, sed etiam, quod actu hominem perseverare faciat; *a*) Etsi enim voluntas hominis in fide perseveret, non Deus: tamen nec perseveraret voluntas, nec vellet nec posset perseverare, nisi Deus sua gratia faceret, ut & posset & vellet perseverare, & actu perseveraret. *b*)

a. b.) Ierem.32. 40. & 31. 33.34. Ioh.15.5. Philip.1.6. & 2.13.

Ex quibus locis efficitur, Deum non tantum vere fideles viribus ad perseverandum instruere, paratosque eos reddere, media item ad perseverandum necessaria subministrare: sed etiam efficere ut actu perseverent. quid enim est non recedere à Iehova, nisi perseverare? Efficere ut velimus non modo bonum, sed & perficiamus, pro voluntate bona Dei, Deo tribuit Apostolus. Causa igitur cur perseveret voluntas nostra, sola est Dei gratia, principium, progressum & complementum regenerationis operantis. Ei soli gloria in æternum. Amen.

Concludimus igitur, doctrinam de perseverantia, Thesibus hisce comprehensam, falsam esse, sacro Dei verbo aut Scripturæ contrariam, gratiæ, & gloriæ Dei inimicam, ad veram, & solidam fidelium consolationem tollendam, natam, factam esse: eam vero doctrinam quæ Antithesibus oppositis continetur, sacræ Scripturæ maxime consentaneam, ad gratiam, & gloriam Dei recte commendandam utilissimam, necessariamque, denique ad solidam fidelium in adversis consolationem statuminandam, accommodatissimam esse. Proinde illam è finibus Ecclesiarum Reformatarum exterminandam: istam vero porro constanter retinendam, atque docendam esse judicamus. Cum ergo ex sacro sancto Dei verbo persuasi simus doctrinam Remonstrantium, de Dei, electorum ad salutem, & reproborum ad mortem, Prædestinatione: de salutis per Christi mortem universali pro omnibus & singulis impetratione: de viribus intellectus, cordis & voluntatis in homine in lapsu Adæ seu corruptionis statu considerato: de illius gratiæ, qua conversionem & fidem in homine operatur Deus, resistibilitate: Denique de vere fidelium à fide, totali & finali apostasia, &c. qua permulti, proh dolor, miserrime seducti, atque infescati fuerunt, talem esse, qualem eam, in nostris de singulis articulis judiciis exhibitis, declaravimus: Illustrissimos & præpotentes Dominos Ordines Generales, eorumque dominationum Illustres, nobilissimos, amplissimosque Dominos Delegatos, per sacrosanctum Domini nostri Iesu Christi nomen oramus, atque obtestamur, ut infœlix illud lolium heterodoxæ doctrinæ, sathanæ astu in agro Domini enatum, ac jam in lucem protractum, extra Ecclesiæ Belgicæ fines exterminare velint, jubeant. Fieri enim non potest, ut quamdiu isti doctrinæ locus est, Ecclesiæ tam misere laceratæ distractæque coalescere, atque in unum corpus redire queant. Ecclesia est columna & stabilimentum veritatis, 1. Timoth.3. 15. Veritatem igitur & solam quidem, Deus in ecclesia sua vult sonare. Ea autem cum ante exortam hanc tempestatem, unanimi consensu in his ecclesiis tradita fuerit, etiam atque etiam earum Dominationes in Domino obsecramus, ut illam adver-

fus maledicas audacissimorum hominum linguas, calamosque constanter fortiterque adserere dignentur: Ita futurum est ut Deus veritatis, solium ipsarum dominationum, veritatis fulcro statuminatum, remque publicam Belgicam adversus hostium omnium fraudes, potentiamque, atque furorem, sartam tectamque conservet: Deus Pacis conterat sathanam sub pedes nostros cito, per Dominum nostrum Iesum Christum: cui cum Patre, & Spiritu sancto sit laus honor, & gloria in secula. Amen.

De Quinto Remonstr. Articulo

DEPVTATORVM ECCLESIARVM FRISICARVM IVDICIVM.

QVintus & ultimus Collat. Hagiensis Articulus, agit de sanctorum sive vere fidelium in fide perseverantia, & consequenter de salutis eorum certitudine. De qua ita Remonstrantes suam proponunt sententiam, ut non tantum in dubium eam vocent, verum reipsa perseverantiam ipsam, omnemque eius certitudinem evertant. Nos hanc illorum sententiam, prout eam in Collatione Hagiensi, thesibus exhibitis, earumq; declaratione, ac aliis suis scriptis explicarunt, paucis perpendemus, & in bona conscientia ad trutinam verbi divini in S. literis revelati examinabimus.

*Articulus Collat. Hagiensis Remonstr. pag. 352. **Brandiana** positus sic habet.*

Qui Iesu Christo per veram fidem sunt insiti, ac proinde Spiritus eius vivificantis participes. eos abunde habere facultatum, quibus contra satanam, peccatum, mundum & propriam suam carnem pugnent, & victoriam obtineant; veruntamen semper per auxilium gratiæ eiusdem spiritus: Iesum Christum vero illis suo spiritu in omnibus tentationibus adesse, manum porrigere, & modo sint ad pugnam parati, & eius auxilium petant, neque sibi desint, eos confirmare, atque id adeo quidem, ut nulla satanæ fraude aut vi seduci, vel è manibus Christi eripi possint, secundum illud Christi. Ioh. 10. *Nemo illos ex manu mea eripiet.* Sed an illi negligentia sua principium substantiæ suæ in Christo, non possint deserere, præsenti mundo iterum implicari, a sancta doctrina ipsis semel tradita deficere, bonæ conscientiæ naufragium facere, gratiam negligere, esset prius ex S. Scriptura exactius disquirendum, quam illud plena certaque animi nostri persuasione possemus docere.

Iudicium.

Articulus hic in membra duo secari potest: quorum prius excellētiam conditionis vere fidelium verbis satis magnifice deprædicat: alterum fragilitatem & incertitudinem eiusdem conditionis subjungit. Prius membrum, si per se consideretur & sane intelligatur, omnia quæ ad veram perseverantiam necessaria sunt, sufficienter ponit. Alterum autē sic eandem evertit, ut nulla hic cohærentia vel connexio, sed pura, puta contradictio appareat. Quomodo enim cohærere possunt, Christo esse insitum, eiusq; vivifici spiritus participem, eiusque patrocinio & custodiæ subjectum esse, & tamen à satana superari carnisque & mundi violentia è manibus Christi eripi ac perire posse? Licet enim hypothetice posterius hoc membrum adjiciatur: ea tamen, quæ absolute in membro priori fidelibus tribuuntur, talia sunt, ut eiusmodi hypothesin nulla ratione admittant. Cæterum quo plenius de eorum sententia constare possit, eam ex aliis huius Collationis locis, scriptis editis & exhibitis, in certas theses contrahemus, ordineque examinabimus.

Thesis

Thesis Prima Remonstrantium.

Perseverantia vere fidelium in fide, non est effectum Electionis, ac donum, quod ex ea ad obtinendam salutem, solis electis à Deo communicatur: sed Novi & gratiosi Fœderis conditio, homini à Deo præscripta, cujus præstatio à libera hominis voluntate, tanquam proxima & sola physica causa, dependet.

Judicium.

Quam dissona hæc divinis sint eloquijs, satis superque in Primo de Electione Articulo, à nobis est demonstratum, sic ut operose ijs refutandis inhærere non sit necessum.

I.

Quod fides ipsa, ejus incrementum, & continuatio gratuitum Dei sit donum, ex sequentibus Scripturæ testimonijs manifestum est.

1. De fide ipsa Ephes. 2. 8. *Gratia enim estis servati per fidem, & hoc non est ex vobis: Dei donum est:* Phil. 1. 29. *Quia gratis datum est vobis in Christi negotio, non solum in eum credere, sed etiam pro eo pati.*

2. De augmento fidei. Luc. 17. 5. *Tunc dixerunt Apostoli Domino, adde nobis fidem:* Marc. 9. 24. *Credo Domine, succurre incredulitati meæ:* Matth. 25. 29. *Omni enim, qui habet, dabitur, & is exuberabit.*

3. De continuatione fidei, ejusque ad finem perseverantia, Ierem. 32. 39. 40. *Indam ijs cor unum ad reverendum me: & reverentiam mei indam animis ipsorum, ut non recedant à me:* Ioh. 14. 16. *Ego rogabo Patrem, & alium advocatum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum:* 1. Cor. 1. 8. *Qui etiam confirmabit vos usque ad finem inculpatos, in diem Domini nostri Iesu Christi:* 2. Thess. 3. 3. *Non omnium est fides: fidelis autem est Deus, qui stabiliet vos & custodiet ab illo improbo:* Phil. 1. 6. *Persuasum habens hoc ipsum fore, ut qui incepit in vobis opus bonum, perficiat usque ad diem Iesu Christi.* Hebr. 12. 2. *Intuentes in fidei ducem ac consummatorem Iesum.*

II.

Hanc fidem ejusque perseverantiam, ex æterna ad salutem electione, profluere, sive ejus consequens & effectum esse, apparet. Ioh. 6. 37. *Quidquid dat mihi Pater, ad me veniet, & qui venit ad me, eum nequaquam eiecerim foras:* Iohan. 10. 27. 28. *Oves meæ vocem meam audiunt: Et nemo eas rapiet è manu mea:* Rom. 8. 30. *Quos prædestinavit, eos etiam vocavit, iustificavit, glorificavit.* Actor. 13. 48. *Et crediderunt, quotquot erant ordinati ad vitam æternam.*

III.

Eandem morte Christi nobis partam, ac ejus intercessione impetratam esse & conservari: Heb. 9. 12. *Christus per proprium sanguinem ingressus est semel in sacrarium, æternam redemtionem nactus:* Hebr. 10. 14. *Vnica enim oblatione consecravit in perpetuum eos, qui sanctificantur:* Luc. 22. 32. *Sed ego rogavi pro te ne deficiat fides tua;* quod non tantum de Petri persona, sed & omnibus vere fidelibus intelligendum esse patet. Ioh. 17. 20. *Non tantum autem pro istis rogo, sed & pro ijs, qui per sermonem eorum credituri sunt in me.* Item vers. 15. *Non rogo, ut tollas eos è mundo, sed ut serves eos à malo illo.*

Falsum igitur, quod fides ejusque perseverantia, à voluntate nostra tanquam sola & physica ejus causa dependeat, cum utrumque opus sit Dei. Iohan. 6. 29. 2. Thess. 3. 3. Qui per Spiritum suum non tantum credendi potentiam, verum ipsam etiam fidem ejusque perseverantiam in nobis operatur. Ierem. 32. 39. 40. Philip. 1. 29. Item. 2. 13. Voluntas quidem hominis regenerati, perseverantiæ causa

causa dici potest, quatenus per Spiritum Christi renovata, in fide perseverare, & Deo suo libere adhærere vult: imo & proxima ejus causa, quatenus ipsa perseveratio, immediate ab illa procedit. Verum quod voluntas nostra & possit & velit perseverare, imo reipsa in fide salvifica perseveret, id omne non à seipsa, sed ex mera Dei gratia habet, qui id per Spiritum suum in solis electis efficaciter operatur: Actor. 13. 48. Phil. 2. 13. Sic ut quidem eam Deus in conditionem populo suo præscripserit, & ab omnibus salvandis requirat, sed ita tamen, ut simul eandem per Spiritum suum, tanquam fructum Electionis, per quem illam exequitur, efficaciter in ijs secundum eminentiam suæ potentiæ producat. Hisce igitur primæ Theseos erroribus rejectis, hanc illis Antithesin ex Sacræ Scripturæ dictis allegatis subijcimus.

> Perseverantia vere fidelium in fide effectum est electionis, & donum quod ex ea ad obtinendam salutem solis electis à Deo confertur.

Thesis Secunda Remonstrantium.

> Qui contra clarum atque apertum, tum naturalis rationis, tum supernaturalis rationis dictamen non peccat, & infirmitates suas, quibus omnes & singuli pro ratione temperamenti, ætatis, locorum, aliarumque circumstantiarum, plus minusve obnoxij sumus, emendare non negligit, qui, inquam in his duobus vel mediocrem saltem diligentiam adhibet ille judicio Divino in fide perseverare dicitur.

Judicium.

Hanc Remonstrantium assertionem, ut impiam & mere Socinianam repudiamus. Fidei enim naturam pervertit, & peccatum originale omnibus inhabitans in temperamenti, ætatis, locorum, circumstantiarumque aliarum quisquilias convertit. Abstinentia à peccatis & vitæ emendatio, quæ duo hic pônuntur, non perseverantiæ in vera fide, sed resipiscentiæ veræ essentiam constituunt. Atque hæc duo multis modis inter sese differunt: cum illa, Christum apprehendat, firmiterque ei adhæreat: hæc, circa præceptorum divinorum observationem occupetur: illa, bonorum operum causa sit instrumentalis: hæc, fructus sit ex illa resultans. Act. 15. 9. *Fide purgatis cordibus eorum.* Deinde perseverantia in vera fide tale proprie est donum, quo vivifica Christi gratia, id est, habitus fidei, seu vis illa & virtus, per Spiritum S. in corda electorum infusa, per eundem Spiritum Sanctum ad finem usq; sine interruptione, in illis continuatur. Atque ex hac omnes actus fidei, prout in renatis caro vel spiritus prædominatur, firmiores vel imbecilliores, vivaciores vel remissiores producuntur. Pravitas vero inhærens, & originalis illa omnis mali scaturigo, sive corpus peccati & caro, est illud, cum quo fideles per omnem vitam, in omni temperamento, loco, ætate, &c. per gratiam spiritus & arma spiritualia conflictantur, ac tandem dono perseverantiæ suffulti victores evadunt, & in cœlis ab omni macula & labe immunes, ut Sponsa viro adornata, coram Christo sistuntur & corona victoriæ donantur. Huic igitur illorum thesi hanc orthodoxam opponimus.

> Qui salvificam Christi gratiam & virtutem à Spiritu Sancto cordi suo infusam, qua Christum apprehendit, ejusque λύτρῳ adversus legis maledictionem & Dei judicium innititur, Christoque ut capiti suo inseritur & adhæret, ad finem usque constanter conservat, carnisque dubitationibus, diffidentiæ & ἀπιστίᾳ sic per ejusdem Spiritus gratiam resistit ut fidem retineat, is judicio Divino in fide perseverare dicitur.

Thesis

Thesis Tertia Remonstrantium.

Quotiescunque vere fideles opera carnis committunt, toties veram fidem totaliter amittunt.

Judicium.

Fides vera & justificans bifariam (uti supra ostensum est) capitur: aliquando, pro ipso habitu fidei, à Spiritu Sancto cordi infuso: aliquando pro actibus, qui ex hoc habitu gignuntur sive producuntur, quibus actualiter, ut ita loquamur, in Christum credimus. Si hoc modo, id est de actu intelligatur, facile concedimus, utpote qui subinde ad tempus per Satanæ fraudes, mundi illecebras & malignam carnis potentiam reprimi, interrumpi, ac quasi suffocari potest. Verum de fidei habitu pernegamus, qui non est actus transiens, sed immanens & à Spiritu Sancto infusus, quo corda nostra purificantur, nos tanquam membra Christo capiti unimur, ac Spiritu ejus vivificamur. Sic ut per lapsus & peccata vere fidelium fides quidem concutiatur, sed non excutiatur: Spiritus Sanctus contristetur, sed non ejciatur: regenerationis progressus ad tempus impediatur, sed non annihiletur. Cum semen ipsius in eis maneat. 1. Iohan. 3. 9. Quod ex ardentissimis Davidis precibus post commissum peccatum Psalm. 51. & Christi ad Petrum promissione Luc. 22. 31. manifestum est. Thesis igitur Orthodoxa hæc esto.

> Vere fideles lapsibus & peccatis suis Deum quidem gravissime offendunt, Spiritum Sanctum tristitia afficiunt, multaque sæpe ex bonis donis Dei perdunt, ipsum tamen fidei habitum, seu vivificum illud Spiritus Sancti semen, quod semel illorum cordibus infusum est, nunquam etiam per gravissima sua peccata totaliter amittunt.

Thesis quarta Remonstrantium.

Vere fideles, non solum possunt in atrocia & conscientiam directe vastantia scelera, adeoque in ipsum ad mortem & in Spiritum Sanctum peccatum, incidere, sed etiam non raro incidunt.

Judicium.

Vere fideles dum in hac sua peregrinatione versantur, ex parte tantum jugum peccati excusserunt, sic ut carnem spiritui adhuc annexam habeant, quæ duo instar bellatorum ἀσπόνδων perpetuis sese conflictibus impetunt; atque hinc subinde contingit, ut dum in hac lucta caro sive externus homo adversus spiritum, sive hominem internum prævalet; fideles quidem (quæ est ipsorum imbecillitas) gravia accipiant vulnera, & in peccata etiam atrocia incidant, ut in Davide, & Petro manifestum est; nunquam tamen toto animo & plena voluntate ijs consentiant. Quandoquidem (uti Paulus diserte ait Rom. 7.) quod agunt malum, neutiquam probant. Nec enim quod volunt hoc faciunt; sed quod oderunt hoc agunt, sic ut non ipsi hoc perpetrent, sed inhabitans in ipsis peccatum. accedit etiam quod teste eodem Apostolo, Rom. 6. 14. peccatum nobis, id est, vere fidelibus, non sit dominaturum; quod in ejusmodi peccatis, quæ directe & omnino conscientiam vastant, fieri necesse est. Multo minus horrendum illud in Spiritum Sanctum peccatum, locum in illis habere potest: quum hoc, finalis impœnitentia atque ita certum exitium comitetur: illi autem ex æterno Dei proposito vocati, certo tandem æternæ vitæ hæreditatem sint consequuturi. Hanc igitur Orthodoxam Antithesin opponimus. *Gal. 5. 17.*

> Vere fideles ex pertinacia peccati inhabitantis in transversum abripi possunt, abripiunturque aliquando in peccata etiam valde gravia; ita tamen

tamen ut nunquam plena voluntatate in peccati regimen consentiant, aut in horrendum illud in Spiritum Sanctum peccatum incidere possint.

Thesis Quinta Remonstrantium.

Vere fideles non tantum finaliter à fide justificante, gratia Dei, & æterna salute excidere possunt, verum etiam non raro excidunt, æternumque pereunt.

Judicium.

Hoc membrum præcipue in quinto hoc Articulo est attendendum; cum omnis certitudo de credentium salute, non tantum eo in dubium vocetur, sed penitus enervetur & evertatur. Cujus dogmatis falsitas ut rectius intelligatur observandum hic est, dupliciter fideles considerari posse: 1. In se ipsis, sive respectu sui tantum: 2. Respectu Dei, ejus propositi promissionis & custodiæ. Si in se ipsis fideles considerentur, sibi suisque viribus relicti, non tantum fidem amittere atque ita salute excidere possunt, verum etiam tot tantisque hostium copijs obsessi, fidem suam & salutem conservare non valebunt: quod quotidie (remissius in ijs agente Spiritu Sancto) cum magno suo dolore fideles experiuntur. Si vero respectu Dei, fidelisque ejus custodiæ eos consideres, idem evenire est impossibile. Atque hoc posteriore sensu, id est, non absolute, sed limitate, ab Orthodoxis asseritur, vere credentes fidem justificantem finaliter amittere, atque ita à gratia Dei & æterna salute excidere non posse. veritas hujus assertionis manifestissime patet.

1. Ex constantissimis & paternis Dei promissionibus quibus hoc perseverantiæ donum vere fidelibus est pollicitus. Ier. 32.39.40. *Et pangam ipsis fœdus perpetuum, &c. & reverentiam mei indam animo ipsorum ut non recedant à me.* Ies. 59.21. *Hoc erit fœdus meum cum ipsis ait Iehovah: spiritus meus qui est in te & verba mea quæ posui in ore tuo non recedent ab ore tuo:* Item Matth. 16.18. Ioh. 14.16. 1. Cor. 1.8. 2. Thess. 3.3. Phil. 1.6. *&c.*

2. Ex potẽtia & virtute Dei insuperabili, qua suis hasce promissiones confirmavit. Ies. 41.10. 13.14. *Ne timeto quia tecum sum: ne stupeto quia ego sum Deus tuus: fortifico te, etiam auxilior tibi, etiam sustento te dextera mea justa. Cum ego Iehovah Deus tuus prebendam dexteram tuam; edicens tibi, ne timeto ego auxilior tibi, &c.* Rom. 8.31.38. Ioh. 10.29. 1. Pet. 1.5.

3. Ex Servatoris nostri Iesu Christi perfectissima reconciliatione, potenti conservatione & efficaci intercessione. De reconciliatione: Hebr. 9.12. *Christus per proprium sanguinem ingressus est semel in sacrarium, æternam redemptionem nactus:* Heb. 10.14. *Vnica enim oblatione consecravit in perpetuum eos qui sanctificantur.* Rom. 8.33.34. De conservatione: Ioh. 6.39. *Hæc est autem voluntas ejus qui misit me* id est *Patris, ut quicquid mihi dederit non perdam ex eo, sed suscitem illud in ultimo illo die.* Ioh. 10.29. *& ego vitam æternam do eis, nec peribunt in æternum neq; rapiet eas quisquam è manu mea.* Ioh. 17.12. De intercessione: Ioh. 11.42. 17.11.15.24.

4. Ex infallibili testimonio Spiritus Sancti, qui tanquam pignus & sigillum cœlestis hæreditatis, credentibus confertur, Ies. 59.12. Ioh. 19.16. Rom. 8.15.16.17. 2. Cor. 1.21.22. Ephes. 1.13.14. Ephes. 4.30.

5. Ex natura veræ fidei, quæ primo solis datur electis. Tit. 1.1. secundo perpetua est. Matth. 13.6.21. qua proprietate etiam à temporaria distinguitur. 1. Ioh. 2.19. Ioh. 8.31. Hinc fideles comparantur arbori fructiferæ ad rivos aquarum plantatæ, cujus folia non decidunt. Psalm. 1.3. Domui super petram ædificatæ; Matth. 7.24.25. Monti Sionis. Psalm. 12.1.5. cui portæ inferorum non prævalebunt. Matth. 16.18.

6. Ex firma electionis & salutis connexione: Sic ut omnes qui sunt electi certo sint salvandi. Matth. 24.24. Rom. 8.29.30. Roman. 11.12.7.29. nemo autem servatur, nisi per fidem, quod ex toto Evangelio patet & expresse. 1. Petri 1.5. declaratur.

Digitized by Google

Ex quibus omnibus sic concludimus.

Quibus Deus perseverantiam in fide ad salutem promisit & potenter conservat: Christus eam promeruit & sua intercessione ratam facit: Spiritus S. in ejus arrhabonem ac sigillum datus est: quibus talis fides datur quæ perpetua & solis electis propria est ac cui certo salus annectitur: illi eam finaliter amittere, atque ita salute excidere non possunt. At hæc omnia promissa & præstita sunt, præstanturque & conferuntur a Deo & Servatore nostro vere fidelibus, ut ex superioribus testimonijs patet. Ergo, &c.

Hinc Augustinus de perseverantia Sanctorum cap. 7. *in fide quæ per dilectionem operatur* (electi) *usque in finem perseverant. Horum si quisquam perit, fallitur Deus. Sed quia non fallitur Deus, nemo eorum perit:* item. *Horum si quisquam perit vitio humano vincitur Deus. Quia autem nulla re vincitur Deus, nemo eorum perit.*

Hac itaque Thesis Orthodoxa esto,

Vere fideles, non possunt finaliter fide justificante & salvifica Dei gratia, atque ita æterna salute excidere & perire.

Hinc etiam apparet, falsum esse; quod nemo in hac vita, de perseverantia ac salute possit esse certus, absque speciali revelatione. Cum quisque fidelis ex sua fide, qua Christum ejusque beneficia apprehendit, quam in corde suo sentit, & qua vivit, etiam omnium promissionum & bonorum fidelibus à Deo factorum & per Christum impetratorum, sibi communionem applicare possit & debeat: ut in exemplis Abrahami, Iobi, Davidis, Pauli, aliorumque apparet. Quod omnibus fidelibus secum commune esse ardentissimo isto epiphonemate Apostolus. Rom. 8.38.39. ostendit.

Falsum etiam quod hæc, de perseverantia vere fidelium in fide, doctrina, noxia sit pietati, ac securitatem carnalem animis fidelium ingeneret: cum è contra, indissolubili nexu, ipsa fides pietasque inter sese cohæreant, nec fides vera à bonis operibus, aut justificatio à sanctificatione separari possint. Imo hæc veræ pietatis, dilectionis, filialis fiduciæ & timoris ipsissima sit radix. unde efficacissimas Apostoli ad pietatem adhortationes sumunt. Rom. 12. 1. 2. 3. &c. item Eph. 4. 1. 22. 23. 24. 1. Ioh. 3. 3. *& quisquis habet hanc spem in se purificat seipsum.*

Thesis Sexta Remonstrantium.

Fides πρόσκαιρος temporariorum, est fides vera, totalis, justificans, & Deo quamdiu durat grata: nec differt specie à vera fide ad finem durante.

Judicium.

Fidem πρόσκαιρον, veram quidem aliquo modo dici posse in suo genere concedimus; sic tamen ut semper sit maneatque fidei salvificæ seu justificanti contra distincta. Quod clarissime Christus ipse Matth. 13. ostendit cum eam à fide salvifica, 1. terra. 2. radice. 3. fructibus distinguat. Habet quidem illa dona quædam cum fide salvifica ex parte communia, ut sunt illuminatio & agnitio veritatis in mente: compulsio & convictio de veritate in corde: imo sensus subinde aliquis & gustus bonorum Dei donorum: sic tamen ut nec omnia, nec eâdem ratione hæc ipsa cum vera & salvifica fide participet. Nunquam enim ad ipsam vitæ spiritualis communionem, quæ à Christo capite per Spiritum υἱοθεσίας, in sola illi vere unita membra defluit, pertingunt. Nunquam cordis illorum penetralia purificantur, & sensus quem habent misericordiæ Dei, tantum est confusus, gustusque bonorum ejus externus, eoque temporarius: sic ut nunquam, ipso Christo teste ad maturitatem fructus hæc fides perveniat, *albescat quidem, ut ait Bernardus, verum non ad messem, sed ad ignem.*

COROL-

COROLLARIVM.

In doctrina hac de perseverantia populo Christiano proponenda, consolationibusque ex ea manantibus administrandis, judicamus omnibus pijs ministris & Ecclesiarum doctoribus, ad hæc duo diligentissime attendendum, eaque populo inculcanda esse.

1. Hanc doctrinam non pertinere ad hypocritas vel carnaliter securos, mundo & carni servientes, sed ad veros & genuinos Dei filios, qui mundum abnegant, carnem cum concupiscentijs crucifigunt, salutemque suam in timore & tremore operantur, quique si in peccata ex infirmitate prolabantur aut in tentationes incidant, semen Spiritus Sancti in se esse indicio genuino, suo tempore produnt.

2. Non negari, vere fideles non pati aliquam aut ullam omnino fidei & gratiæ interruptionem, aut obscurationem, qualem sane nonnunquam patiuntur & sentiunt, sed talem tantum qua prorsus, totaliter & finaliter omnem veram fidem amittunt & omni gratia Dei & servatoris sui Iesu Christi excidunt.

Atque hoc nostrum est de Remonstrantium circa quinque articulos sententia, judicium: in quo nullo nos præjudicio, nullo partium studio, sed sincera conscientia coram Deo versatos esse profitemur, idque secundum mensuram gratiæ & doni Christi. Summa sententiæ ipsorum, nostro judicio, huc redit, ut misericordiam Patris, mortis filij Dei fructum & efficaciam, & Spiritus Sancti operationes, humanæ potestati seu libero hominis arbitrio subjiciant, seu totum redemptionis opus, quoad fructum salutarem seu effectum, ab homine suspendant. Quæ sententia quantopere veritati sit adversa, quantamq; universæ religionis depravationem inferat, in singulis Articulis à nobis fuit demonstratum. Concludimus ergo, ab hisce pestiferis fidei orthodoxæ corruptelis Ecclesias Belgicas quam primum esse liberandas, & pristinam concordiam, in doctrina veritatis, ijs esse restituendam: idque ad gloriam Dei, Religionis veræ conservationem ac propagationem, Ecclesiarum Belgicarum pacem ac tranquillitatem, earumque in unione cum omnibus alijs Reformatis Ecclesijs conservationem. Quam gratiam afflictæ suæ Ecclesiæ Belgicæ Deus Opt. Max. sancto hujus Synodi ministerio ac judicio, Illustriumque Ordinum Generalium auctoritate, pro sua immensa misericordia largiatur. Amen. Amen.

Judicium

DEPVTATORVM TRANSISVLANIÆ,

De Quinto Articulo,

QVI EST

DE PERSEVERANTIA SANCTORVM.

Thesis Heterodoxæ.

I.

Perseverantia vere fidelium in fide, non est effectum electionis singularium personarum ad salutem, nec donum novi fœderis morte Christi cuiquam partum, imo ne donum quidem Dei pro-

Antitheses Orthodoxæ.

I.

Perseverantia vere fidelium in fide, est effectum electionis singularium personarum. est donum novi fœderis à Deo electis gratiose promissum, morte Christi illis partum, ac per Spiritus Chri-

proprie; sed est conditio novi fœderis, a Deo liberrime inter multas illas possibiles præscripta, ac ante peremptoriam electionem, ac peccatorum, remissionem, Christi efficacem virtutem concessum. in homine prærequisita: proxima vero & sola causa physica perseverationis est voluntas hominis, quę secundum suam nativam indolem libere agens, hanc conditionem libere præstare, vel non præstare perseverare, vel non perseverare potest.

Theseos huius Remonstrantium falsitatem & Antitheseos Orthodoxæ veritatem sequentibus probamus.

I. Perseverantiam vere fidelium esse effectum electionis singularium personarum, hinc liquet.

1. Quod est effectum gratiosæ æternæ Dei dilectionis, illud est effectum electionis: At perseverantia vere fidelium est effectum gratiosæ & æternæ Dei dilectionis. Ergo est effectum electionis.

Majoris consequentia hinc evidens fit. Quia omnis electio, ad vitam æternam facta, secundum consilium voluntatis Dei, fluit ex æterna & gratiosa Dei dilectione. Deut. 7.6.8. *Selegit vos Iehova, eo quod diligit vos.* Rom. 9.11. *Vt præstitutum Dei, quod est secundum ipsius electionem, id est, non ex operibus, sed ex vocante firmum maneret.* vers. 13. *Sicut scriptum est, Iacobum dilexi, Esavum autem odio habui:* Imo si electio non esset gratuitæ & æternæ dilectionis effectum, tum gratia non esset gratia: contra, Rom. 11.6. 2. Tim. 1.9. *Servavit nos, & vocavit vocatione sancta, non ex operibus nostris, sed ex suo proposito, & gratia, quæ data quidem est nobis ante tempora sæculorum.*

Minoris veritas, perseverantiam, scil. esse effectum gratiosæ Dei dilectionis, hinc patet. Ioan. 13.1. *Sciens Iesus venisse horam illam, digrediendi ex hoc mundo ad Patrem, quum dilexisset suos illos, qui erant in mundo, usque ad finem dilexit eos.* 1. Petr. 1. v. 3. 4. 5. *Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui ex multa sua misericordia regenuit nos in spem vivam, per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis,* id est, *ad hæreditatem, quæ nec corumpi potest, nec contaminari, nec marcescere, vobis in cælo paratam. Qui virtutis Dei præsidio custodimini per fidem ad salutem.* Matth. 24.24. *Vt seducant (si fieri posset) etiam electos.* Huic charitate, & dilectione Dei perpetuo innixus Paulus, ait Rom. 8. vers. 38. 39. *Persuasum mihi est, neque mortem, neque vitam, neque Angelos, neque principatus, neque potestates, neque præsentia, neque futura, neque sublimitatem, neque profunditatem, neque ullam rem aliam conditam posse nos separare à charitate* Dei, *quæ est in Christo Iesu Domino nostro.*

II. Quod est pars glorificationis, illud est effectum Electionis. Quia glorificatio inchoata in hac vita, & consummanda in altera, fluit ex Electione: Rom. 8. vers. 29. 30.

At perseverantia in fide est pars glorificationis, 2. Cor. 3.18. *Nos autem omnes retecta facie gloriam Domini, quasi in speculo intuentes, in eandem imaginem transformamur, ex gloria in gloriam, sicut à Domini Spiritu.* 2. Thes. 2. vers. 13. 14. *Nos autem debemus gratias agere semper de vobis, quod elegerit vos Deus ab initio ad salutem per sanctificationem spiritus, & fidem habitam veritati. Quo vos vocavit per Euangelium nostrum, ad acquirendam gloriam Domini nostri Iesu Christi.* Ergo perseverantia in fide est effectum electionis.

2. Perseverantiam vere fidelium esse, donum novi fœderis à Deo gratiose electis promissum, morteque Christi, illis partum, ac per Spiritus Christi efficacem virtutem collatum; hinc liquet.

1. Quod fluit ex gratioso Dei fœdere cum electis initio, quodque à solo Deo propter Christum, per Christum, & in Christo, nobis gratiose confertur, illud & donum novi fœderis morte Christi partum; & proprie quidem Dei donum. At perseverantia fidelium in fide fluit ex gratioso Dei fœdere, iuxta promissum. Ierem. 32. vers. 39. 40. *Indam illis cor unum, & viam unam, ad reverendum me omnibus diebus, ad bonum ipsorum, & filiorum ipsorum post ipsos, & pangam ipsis fœdus perpetuum, fore ut non avertam me à*

me à prosequendis ipsis, benefaciendo ipsis, & reverentiam mei indam animo ipsorum, ut non recedant à me.

Perseverantia confertur, à solo Deo, *cuius virtutis præsidio custodimur per fidem ad salutem.* 1. Pet. 1. 5. *Qui perficit usque ad diem Iesu Christi opus bonum, quod in nobis incepit.* Phil. 1. 6. Idque propter Christum, per Christum, & in Christo, *in quo omnis plenitudo ex beneplacito Patris inhabitat.* Col. 1. 19. *Ex cuius plenitudine omnes accepimus gratiam pro gratia.* Iohan. 1. 16. *In quo benedixit nobis omni benedictione Spirituali.* Ephes. 1. 3. *Qui factus est nobis sapientia à Deo, iustitiaque & sanctificatio & redemptio.* 1. Corinth. 1. 30. Summatim, *omnis donatio bona, & omne integrum donum est superne descendens à Patre luminum.* Iacob. 1. 17. *Donum Dei est vita æterna in Christo Iesu Domino nostro.* Rom. 6. 23. Ergo perseverantia fidelium in fide, est donum novi fœderis morte Christi partum, & proprie quidem Dei donum.

II.

Ita argumentamur ex Hypothesi Remonstrantium: Si perseverantia in fide est novi fœderis conditio, a Deo liberrime inter multas alias præscripta, tum hæc conditio non impletur nostris viribus (nisi idolum liberi arbitrij eligere in locum veri Dei velimus, a quo solo nostra salus. Apoc. 12. 10. Et qui nostra salus est. Psalm. 68. 20.) Sed præstatur hæc conditio solius Dei gratia, ex fœdere gratuito, in nos emanans. Hinc in formula fœderis dicit Deus: *Ego reverentiam mei indam animo ipsorum, ut non recedant a me.* Ierem. 32. 40. Vnde liquet omnes fœderis conditiones non ab homine, sed a Deo per Spiritus Christi virtutem impleri. Confer. Ioan. 15. 6. *Seorsim a me nihil potestis facere.* Sic fides est non tantum conditio, sed & promissum novi fœderis; confertur tamen à solo Deo Eph. 2. 8. Sicut & resipiscentia Iere. 31. 18. *Converte me ut convertar, quia tu es Iehova Deus meus.*

At juxta confessionem Remonstrantium, perseverantia in fide est conditio novi fœderis. Ergo impletur in nobis solius Dei gratia, adeoque donum Dei est. Ac per consequens, hoc membrum Theseos Remonstrantium contradicit membro priori, in quo negant perseverantiam esse donum Dei.

Cæterum quod asserunt Remonstrantes, esse hanc conditionem perseverantiæ in fide, ante peremptoriam electionem ac peccatorum remissionem, in homine prærequisitam; illius falsitas abunde constare potest ex refutatione sententiæ Heterodoxæ circa primum de prædestinatione articulum. Imo hinc & aliud blasphemum absurdum sequeretur, neminem in hac vita de peccatorum suorum remissione certum esse posse, ac ne credere quidem illam debere: alioquin falsum crederet: quandoquidem nondum perseveraverit ad finem usque: contra quam docemur in Symbolo Apostolico, & in Euang. Matth. 9. 2. *Confide Fili, remissa sunt tibi peccata tua.* Gal. 2. 20. *Filius Dei dilexit me, & tradidit semet ipsum pro me.*

III.

Proximam & solam causam physicam perseverationis non esse voluntatem hominis, sic probamus: Si voluntas humana, secundum nativam suam indolem, perseveraret, tum seorsim à Christo ageret, & seorsim à Christo totum hoc opus, quod salutis præmio coronatur, efficeret.

At falsum posterius. Iohan. 15. 5. *Seorsum à me nihil potestis facere* Philip. 2. 13. *Deus is est, qui efficit in vobis, & ipsum velle & ipsum agere pro gratuita sua benevolentia.* Quin imo hoc simul ac semel omnem Dei gratiam everteret: contra. 1. Cor. 4. 7. *Quis te ab alijs discernit? Quid autem habes quod non receperis? Quod si etiam accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Ergo & prius falsum.

2. Quod secundum suam nativam indolem omni tempore tantummodo malum est, quodque legi Dei subjici non potest, illud non potest esse causa proxima & unica perseverationis in fide.

At voluntas hominis secundum nativam suam indolem tantummodo mala est omni tempore. Genes. 6. 5. & cap. 8. 21. legique Dei subjici non potest Rom. 8. 7. Conf. Ierem. 13. 23. *An mutare potest Æthiops cutem suam, aut pardus distinctas maculas suas? Etiam vos possetis benefacere, edocti male facere.* Ergo voluntas hominis non potest esse causa proxima & unica perseverationis in fide.

Thesis

Thesis Heterodoxa Remonstrantium

II.

Vere fideles non solum possunt in atrocia & conscientiam directè vastantia scelera, adeoque in peccatum ad mortem & in Spiritum sanctum incidere; sed etiam in ijs perseverare, & mori, ac consequenter à fide justificante, gratia, & salute totaliter ac finaliter excidere, multisque id vere fidelibus ac regenitis evenit, & etiamnum non raro evenit.

Thesis Orthodoxa.

II.

Vere fideles, ex ignorantia, negligentia, & carnis infirmitate atrociter peccare possunt, ac conscientiam suam lædere, in peccatum vero ad mortem & in Spiritum sanctum nec incidunt nec incidere possunt. Quotiescumque vero peccarunt, manu Dei sustentantur, ac eriguntur, ac per Spiritum Christi inhabitantem ad resipiscentiam ducuntur; adeoque nunquam à fide iustificante, gratia, & salute totaliter & finaliter excidere possunt, nec excidunt.

Thesin hanc Heterodoxam rejicimus: Antithesin Orthodoxam retinendam judicamus.

In homine regenito duo sunt quasi principia, sibi invicem contraria, contrariosque actus producentia, videlicet, caro & spiritus. *Nam caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem: hac autem inter se opposita sunt*, Gal. 5. 17. Proinde potest fieri, ac sæpissime fit, ut regeniti, non quæcunque voluerint, eadem faciant. Gal. 5. 17. ut captivi reddantur legi peccati, quæ est in membris ipsorum, & volentes facere bonum, faciant malum. Rom. 7. 21. 23. idque vel ex negligentia: Sicut Apostoli, quibus Christus dicit, Luc. 22, 46. *quid dormitis surgite?* & orate ne introeatis in tentationem: Vel ex ignorantia, de qua David Psal. 19. 13. *Errores quis intelligat?* me ab occultis absolve. Huc refer. Rom: 14. 1. 2. 3. 4. Vel ex carnis infirmitate: Gal. 6. 1. Iacob. 3. 2. 2. Cor. 12. 9. Rom. 7. 13. &c. Vel in metu periculorum, Gal. 2. 12. Matth. 26. 69. 75. Licet autem vere fideles hoc pacto graviter peccare possint & sæpius peccent, tamen non peccant, nec peccare possunt ad mortem & in Spiritum Sanctum 1. Ioh. 3. 9. *Quisquis natus est ex Deo, peccato non dat operam, quoniam semen ipsius in eo manet, nec potest peccare, eo quod ex Deo natus est.* 1. Ioh. 5. 18. *Scimus quod quisquis natus est ex Deo, non peccat, sed quod qui genitus est ex Deo, conservat seipsum, & improbus ille non attingit eum.*

Quotiescunque vero vere fideles vel ex ignorantia aut negligentia, vel ex infirmitate aut metu in gravia peccata prolapsi sunt, manu Dei eriguntur. Psalm. 37. 24. *Quum cadit, non dejicitur, quia Iehova sustentat manum eius.* Esai. 42. 3. *Arundinem quassatam non franget, & Ellychnium ipsum fumigans non extinguet.* His ita præmissis pergimus ad primariæ Antitheseωs partis probationem. sci. vere fideles nunquam à vera fide justificante, gratia, & salute totaliter & finaliter excidere posse, nec ulli fidelium hoc unquam evenisse. Illud vero hac demonstratione firmum facimus.

Quibus Deus, decreto electionis immutabili, ab æterno perseverantiam in fide destinavit; quos perpetua & constanti charitate prosequitur: quibus perseverantiam in Euangelio, & fœdere gratuito cum illis inito, promisit: quibus Christus eandem precibus suis expetivit & impetravit: qui vinculo indissolubili per veram fidem Christo, ut capiti membra, uniti sunt, ac spiritum regenerationis ab ipso acceperunt: qui precibus pijs perseverantiam à Deo petunt: quorum denique spes non fallit, nec confundit: illi ad finem usque in fide perseverant, ac proinde nunquam à fide justificante, gratia, & salute totaliter & finaliter excidere possunt, aut excidunt.

Majoris consequentiam per singula membra probamus.

I.

Decretum enim electionis est immutabile. 2. Tim. 2. 19. *Solidum fundamentum Dei stat, habens sigillum hoc: Novit Dominus eos, qui sunt sui* Esai. 46. 10. *Consilium meum stabit & omnem delectationem meam facturus sum*, Psalm. 33. 11. *Consilium Iehovæ in sæculum consistit.*

II. In

II.

In dilectione quoque & amore, sicut & in essentia, Deus est immutabilis. Ioan. 13. 1. *Dilexit suos ad finem usque.* Et certe, si illos amavit gratis, cum essent inimici, quanto magis jam, cum sint reconciliati per Christum, Rom. 5. 10.

III.

Verax quoque & constans est in promissis, cum sit veritas ipsa. 1. Reg. 8. 24. *Vt elocutus fueras ore tuo, ita manu tua implevisti.* 1. Sam. 15. 24. Quin etiam, qui est æternitas Israelis, non committit mendaciter, neque pænitebit eum: Non enim homo est, ut pæniteat eum. 2. Cor. 1. 20. *Quotquot enim sunt promissiones Dei, in ipso sunt etiam & in ipso sunt Amen.*

IV.

Fœderis sui nunquam erit immemor, cum semper sibi constet, & constabit, iuxta illud Psal. 89. 35. *Non prophanabo fœdus meum, & pronunciatum labiorum meorum non mutabo.*

V.

Adhæc, quicquid Christus pro electis in se credentibus & credituris Patrem rogavit, illud etiam eis impetravit. Heb. 5. 7. *Exauditus est in precibus*; Ioh. 11. 41. 42. *Pater gratias ago tibi, quod me audieris; Ego vero sciebam me semper à te audiri.*

VI.

Cæterum unio fidelium cum Christo nunquam dissolvitur: Omnes enim & singuli fideles sunt Christi membra, & ad πλήρωμα Christi pertinent. Eph. 3. 19. 1. Cor. 12. 13. Christus autem nunquam uolet suis carere membris & mutilum habere corpus Eph. 4. 16.

VII.

Spiritus etiam regenerans, ut & cætera Dei dona, sunt sine pœnitudine. Rom. 11. 29. ita ut fieri non possit, quin Spiritus suam gratiam in ipsis ad extremum usque vitæ prosequatur, ut ad vitæ novitatem infallibilis perseverantia accedat. Ioh. 4. 14. Phil. 1. 6. & cap. 2. 13. Adde quod perpetuo ab hoc Spiritu agantur. Rom. 8. 14. in ipsis maneat. 1. Ioh. 2. 27. & cap. 3. 9. 1. Pet. 1. 23. Ioh. 14. 17. & in diem usque redemtionis obsignentur. 2. Cor. 1. 22.

VIII.

Item, quicquid petunt vere fideles ex Dei voluntate, illud impetrant Matth. 21. 22. *Quæcunque precando petieritis, si credideritis, accipietis.* Mar. 11. 24.

IX.

Spes denique facultas est, à S. Sancto afflata, qua certo & æquo animo expectant fideles, ut salus inchoata per Christum, & per fidem percepta, in illis aliquando perficiatur ex Dei misericordia: Ideo regeniti dicuntur in spem vivam. 1. Pet. 1. 3. *Spe servati sunt* Rom. 8, 24.

Probata majoris consequentia ad minorem pergimus,

At Deus electis omnibus & singulis, decreto electionis immutabili, ab æterno perseverantiam in fide destinavit; eosque perpetua & constanti charitate prosequitur; in Euangelio, & fœdere gratuito cum illis inito, perseverantiam promisit; eandem Christus precibus suis expetivit & impetravit; suntque vere fideles vinculo indissolubili per veram fidem Christo, ut capiti membra, uniti, ac Spiritum regenerationis ab ipso acceperunt: unde & precibus suis perseverantiam à Deo petunt, nec spes illos unquam fallet aut confundet.

Huius minoris singula membra probamus.

I.

Ex æterno & immutabili electionis decreto, perseverantiam vere fidelium in fide fluere colligit Christus. Matth. 24. 24. *Seducent (si fieri possit) etiam electos.* Ioh. 10, 26. *Vos non creditis; non enim estis ex ovibus illis meis.* Oves autem sunt istæ, ad quas

quas dicit, Mat.25.34. *Adeste benedicti Patris mei, possidete regnum paratum vobis à iacto mundi fundamento.* Quam collectionem & Paulus instituit in catena illa aurea, Rom. 8.30. Iustificatio autem præsupponat fidem, necesse est, ut qui iustificati sunt, glorificentur. Rom.11.2. *Non abjicit Deus populum illum suum, quem præcognovit*; & vers. 5. *Igitur & hoc tempore reservatio secundum electionem gratuitam facta est.* Et certe, quos Deus ad finem, scil. vitam æternam, elegit, illos etiam ad media, sine quibus hunc non possunt consequi, elegit. Medium vero est perseverantia in fide. Matth.10.22. *Qui sustinuerit ad finem usque, is servabitur.*

II.

Deus etiam credentes perpetua charitate prosequitur. Ier.31.3. *Dilectione perpetua diligo te.* Cui dilectioni innixus Paulus, ait. Rom.8.38.39. *Mihi persuasum est, neque mortem, neque vitam, &c. posse nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.*

III.

Vere fidelibus perseverantiam promisit in Euangelio Ioa.6.37. *Quicquid dat mihi Pater, ad me veniet, & eum qui venit ad* me, nequaquam eiecerim foras. Iohan.10.28. *Ego vitam æternam do ovibus, nec peribunt in æternum, neque rapiet eas quisquam è manu mea*, Esai.46.3.4. *Auscultate mihi domus Iacobi, totumque residuum domus Israelis, qui bajulamini ab utero, qui gestamini inde à vulva, & usque ad senium; Ego idem & usque ad canitiem ego portaturus sum, ego feci & ego gestabo, ego, inquam, portaturus sum & crepturus*, Psal.89.24. *Ego benignitatem meam non irritam faciam ab eo, neque mentiar contra fidem meam.* Sic. 2.Sam.7.14.15. Cui promissioni innitens Paulus, in persona omnium, ait, 2.Tim.1.12. *Novi cui crediderim, & mihi persuasum est, eum posse depositum meum in illum diem custodire.* 2.Cor.4.9. *Deijcimur, at non perimus.* Sic Pet.1.Epist.c.1.3.4.5.

IV.

Fœdus etiam complectitur perseverantiam, ut liquet ex Ier.32.40. *Et pangam ipsis fœdus perpetuum, fore ut non avertam me à prosequendis ipsis, benefaciendo ipsis, & reverentiam meam indam animo ipsorum, ut non recedant à me.* Hos.2.19.20. *Desponsabo te mihi in seculum, desponsabo te, inquam, mihi, iustitia, iudicioque & benignitate ac misericordia, & desponsabo te mihi fide, ut agnoscas Iehovam.* Esa.59.21. *Hoc erit fœdus meum cum ipsis, ait Iehova, Spiritus meus, qui est in te, & verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent ex ore tuo, aut ex ore seminis tui, aut ex ore seminis seminis tui, ait Iehova, ex hoc tempore usque in seculum.* Esai.54.10. *Quamvis hi montes recederent, & hi colles dimoverentur, attamen benignitas mea à te non recedet, & fœdus pacis meæ non dimovebitur, miserator tuus Iehova.*

V.

Christus oravit pro electis, ne eorum fides deficeret, ut Petro postea est testificatus. Luc.22.32. *Ego deprecatus sum pro te, ne deficiat fides tua.* Ioh.17.20.21. *Non tantum pro istis rogo, sed & pro ijs, qui per sermonem eorum credituri sunt in me, ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint.* vers.24. *Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi ego sum, & illi sint mecum.* v.15. *Rogo, ut eos ab impio illo conserves.* Confer. 1.Ioan.2.2. Rom.8.34.

VI.

Fideles sunt vinculo indissolubili per veram fidem Christo, ut capiti membra, uniti. Eph.3.17. Ioan.6.56. Eph.5.30.

VII.

Fideles acceperunt Spiritum regenerationis. Eph.1.13. Gal.4.6. Ioan.14.16.

VIII.

Petunt vere fideles, ne Deus eos inducat in tentationem, sed liberet à malo. Math. 6.13. ne ultra vires eos tentet, 1.Cor.10. Ut corda ipsorum inculpata stabiliat in sanctimonia.

ſtimonio. 1. Theſſ. 3. 13. ne abjiciat eos à facie ſua, & Spiritum S. ne recipiat ab illis. Pſal. 51. 13. ſed ut poſſint creſcere in templum ſanctum Domino, & corroborari in interiore homine per Spiritum ſanctum.

IX.

Spes denique illos non fallit nec confundit. Rom. 5. 5. ſpes non pudefacit: hanc velut animæ anchoram habent tutam ac firmam. Heb. 6, 19. Ex his omnibus & ſingulis Minoris veritas abunde liquet.

Ergo electi ad finem uſque in fide perſeverant; ac proinde à fide juſtificante, gratia, & ſalute, totaliter ac finaliter excidere nec poſſunt, nec excidunt, ſed ſunt inſtar arboris plantatæ ad rivos aquarum, cuius folium non decidit. Pſal. 1. 3. inſtar montis Sionis, qui non dimouetur, ſed in ſeculum permanet. Pſal. 125. 1. inſtar domus ædificatæ ſuper petram, quæ nec nimborum, nec fluminum, nec ventorum impulſu corruit. Matth. 7. 24. inſtar palmæ perpetuo florentis. Pſal. 92.

Theſis Heterodoxa Remonſtrantium III.	*Antitheſis Orthodoxa.* III.
Nullus vere fidelis ac regenitus, in hac vita, de perſeverantia ac ſalute poteſt eſſe certus, abſque ſpeciali revelatione.	Omnis vere fidelis ac regenitus, in hac vita, de perſeverantia ac ſalute ſua, ſine tali extraordinaria revelatione, certus eſſe poteſt ac debet.

Falſitas Theſeωs & veritas Antitheſeωs patet ex ſequentibus.

Quod fideles ſciunt, & per cauſas cognoſcunt, de eo non incerti, imo non certi non eſſe poſſunt, teſtante Paulo. 2. Tim. 1. 12. Novi, cui crediderim, & mihi perſuaſum eſt, eum poſſe depoſitum meum in illum diem cuſtodire. Atqui, fideles ſciunt, ſe ex Deo eſſe. 1. Ioh. 5. 19. ſciunt, ſe in Deo habitare, & Deum in ipſis, quod de Spiritu ſuo dedit ipſis. 1. Ioh. 4. 13. cognoſcunt Deum, imo potius cogniti ſunt à Deo. Gal. 4. 9. ſciunt ſe Chriſtum ſervatorem ſuum noviſſe. 1. Ioh. 2. 3. ſciunt filium Dei veniſſe, & dediſſe ipſis mentem, ut cognoſcant verum illum Deum 1. Ioh. 5. 20. ſciunt ſe tranſlatos eſſe ex morte ad vitam. 1. Ioh. 3. 14. ſciunt ex Spiritus teſtimonio, ſe eſſe filios Dei. Rom. 8. 16. ſciunt hunc Spiritum in æternum ſecum permanſurum. Ioh. 14. ſciunt ſe Spiritu ſancto obſignatos eſſe. 2. Cor. 1. 20. Eph. 1, 13, 14. certi ſunt de ſalutifera Dei gratia, miſericordia, veracitate & conſtantia in promiſſis. 1. Cor. 10. 13. ſciunt per ſacramenta, communionem cum Chriſto eiuſque beneficijs perpetuam, ſibi obſignari. Rom. 6. 3. Gal. 3. 27. 1. Cor. 10. 16. perſuaſum ipſis eſt, nihil eos poſſe ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro, Rom. 8. 38. 39. norunt redemptorem ſuum vivere, ſeque carne ſua viſuros eſſe Deum. Iob. 19. 25. 26. cognoſcunt ſe ex veritate eſſe, & coram ipſo ſecura reddituros corda ſua. 1. Ioh. 3. 19. ſciunt Patrem audire ſe, quicquid petierint, ſeque habituros petitiones, quas ab eo petunt. 1. Ioh. 5. 14. 15. ſciunt, quod quiſquis natus eſt ex Deo, non peccat; ſed. quod qui genitus eſt ex Deo, conſervat ſeipſum, & improbus ille non attingit eum. 1. Ioh. 5. 18. ſciunt fore, ut quum ipſe fuerit manifeſtus, ſimiles ei ſint. 1. Ioh. 3. 2. ſciunt quod Dominus ipſos eripiet ab omni opere malo, & ſervabit in regnum ſuum, quod eſt in cælis. 2. Tim. 4. 18. ſciunt ſe vitam æternam habituros 1. Ioh. 5. 11. 13. Summatim perſuaſum habent, fore, ut qui incepit in ipſis, opus bonum, perficiat uſque ad diem Ieſu Chriſti. Phil. 1. 6.

Ergo fideles de ſalute & perſeverantia ſua certi eſſe poſſunt. Sin minus, ut volunt Remonſtrantes, uno ictu convelleretur piorum fides & ſpes, Deique in promiſſis conſtantia, præcipuumque veræ religionis noſtræ fundamentum.

COROL-

COROLLARIVM.

Thesis Heterodoxa Remonstrantium.

Fides temporariorum est fides vera, totalis, justificans,& Deo, quamdiu durat, grata: nec differt revera à vera fide justificante.

Antithesis Orthodoxa.

Fides temporariorum non est fides vera, nec totalis, nec justificans, nec unquam plenarie Deo grata, differtque revera à vera justificante fide.

Iudicium.

Quale discrimen est inter hypocritam, & verum Christianum, tale quoque est inter fidem temporariam, & salvificam. Discrimen vero est,

I.

In subjecto cui; Fidei salvificæ subjectum sunt soli electi. Tit. 1. 1. Act. 13. 48. in quibus Spiritus adoptionis eandem accendit: Vnde Spiritus fidei dicitur. 2. Cor. 4. vers. 13. Fidei temporariæ subjectum sunt reprobi, in quibus Spiritus sanctus inferiori quadam ratione eam operatur. Confer. Matth. 7. vers. 22. 23. Discrimen hoc Christus optime omnium indicat, Luc. 8. 17. in parabola seminantis, docens electos esse terram bonam, vers. 15. præparatam sc. ab æterno: Quo sensu Paulus ait Eph. 2. 10. *Ipsius sumus opus, conditi in Christo Iesu ad opera bona, quæ præparavit Deus, ut in iis ambulemus.* Temporarij contra sunt terra lapidosa. ibid. v. 13. in quorum cordibus semen radices non agit, ideoque vitali destituti humore tempore tentationis abscedunt.

II.

Discrimen est in applicatione. Vere fideles Christum induerunt Gal. 3. 27. fides ipsorum est ὑπόστασις Hebr. 11. 1. Nam facit revera actu subsistere gratiam Dei, remissionemque peccatorum pro nobis. Est ἔλεγχος seu demonstratio corda electorum convincens, nec ullam dubitationem ferens. Vnde & πεποίθησις vocatur. Eph. 3. 12. πληροφορία certo persuasa intelligentia Coloss. 2. 2. Quare Christus dicitur habitare in cordibus ipsorum per fidem Eph. 3, 17. & dicunt cum Paulo ad Gal. 2, 20. *Vivo, non amplius ego, sed vivit in me Christus, & vitam, quam nunc vivo in carne; vivo per fidem illam filij Dei, qui dilexit me & tradidit semetipsum pro me.* Contra de temporarijs dicitur, quod tantum gustaverint donum illud cœleste, & bonum Dei verbum. Heb. 6. 4. 5. ore quidem gustarunt, sed in cor non descendit, eoque non saturati sunt.

III.

Discrimen in adjuncto. Vera fides nunquam deficit, ut supra thesi 2. probatum. Causa est, quod semen illud incorruptibile, de quo 1. Pet. 1. altas radices egerit in fidelium cordibus. Eph. 3. 18. fides vero temporaria deficit, quia radices non habet Luc. 8. 13. adeoque hac donati sunt, instar herbæ tectorum; satis virium non habent, quibus in adversis subsistere, & tentationes carni duras superare possint. Deficiunt ergo; tum quia ad honores non promoventur, ut sibi imaginati erant: tales, Demas. 2 Tim. 4. 10. Scriba ille. Matth. 8. 19. 20. tales illi, de quibus Ioh. 8. 30. & seqq. & Simon Magus, Act. 8. tum quia persecutionem ingruentem perferre detrectant, sicut prædictum à Simeone Luc. 2. 34. 35.

IV.

Discrimen in fructibus. Vera fides est per charitatem efficax. Gal. 5. fructus cuius sanctimonia. Rom. 6. 22. per illam placemus Deo. Heb. 11. 6. finis eius vita æterna. Rom. 6. 22. Ioh. 3. 16. salus animarum. 2. Pet. 1. 9. vere fideles fructum adferunt per tolerantiam. Luc. 8. 15. petiti enim injurijs & afflictionibus, Deo se submittunt cum Davide. Psal. 119, 71. animas in patientia possident. Luc. 21. Eventum ipsi soli committentes. 2. Pet 2, 9, quin imo gloriantur in tribulationibus

Rom. 5. Contra temporarij, ingruentibus afflictionibus, sunt instar pluviæ, quam dispellit ventus. Psal. 1. 4. ideoque vel murmurant contra Deum & desperant, ut Saul: vel sibi ipsis manus violentas inferunt, ut Iudas. Ad tempus quidem exultant & gaudent, quod tamen oris, non cordis est gaudium. Math. 13. Ioan. 3. 35. Sed tandem regrediuntur à sancto præcepto sibi tradito, & accidit illis, quod vero proverbio dici solet, canis reversus est ad suum ipsius vomitum, & sus lota ad volutabrum cœni. 2. Petr. 2. 21. 22. adeoque Deo placuerunt nunquam, nec placent. Matth. 7. 22. 23. Esai. 29. 13. 14. Tit. 1. 16. Hactenus igitur vidimus Remonstrantes, pede eo, quo ceperunt, & progressi sunt, etiam cursum suum sistere, nimirum in vestigijs Pelagianis & Socinianis. Vt enim electionem nostri ad vitam æternam, in Articulo primo; salutiferam meritorum Christi efficaciam in secundo, & veram ac efficacem gratiæ, conversionis, & regenerationis operationem, in Tertio & Quarto Articulo, ab humanis operibus & liberi arbitrij viribus suspenderunt; Ita & gratiæ illius continuationem, & consummationem ab eiusdem liberi arbitrij viribus in Quinto hoc Articulo suspendunt; Adeoque, quemadmodum in prioribus Articulis iniurij fuerunt in salutis nostræ fontem, Patris scil. misericordiam & beneplacitum; in ejusdem salutis medium Filij sci. Dei obedientiam ac perfectissimum λύτρον; ac in fluenta Spiritus Sancti, eius scil. sanctificationem: Ita etiam in hoc postremo Articulo in perennitatem huius salutiferæ gratiæ æque sunt iniurij, eamque tollunt. Quare, ut in cæteris Articulis factum, ita & in hoc Quinto, sententiam Remonstrantium supradictis thesibus expressam, ut verbo Dei dissentaneam, & Heterodoxam rejicimus, & in Ecclesia Dei reformata Belgica non esse docendam judicamus. Ideoque liberandam esse ab ijs Ecclesiam, qui huius ἑτεροδοξίας introductione & professione hactenus eam turbarunt, & etiamnum turbant, censemus. Contra sententiam Orthodoxam Antithesibus expressam, ut verbo Dei consentaneam porro in Ecclesia Reformata constanter retinendā & docendam esse judicamus. Quod ut fiat ad nominis divini gloriam, Ecclesiæ imprimis Belgicæ ædificationem, veritatis ac pacis in ea restitutionem & conservationem, verorum fidelium consolationem & institutionem, totiusque abunde à Deo benedicti Belgij sub Selectissimis, & fidelissimis Illust. ac Præpotent. D. D. Ordinum Generalium auspicijs, bonum & emolumentum summum: utque eo, eorundem, ac Illustrium, Nobilissimorū, Amplissimorumque, Delegatorum, & totius venerandæ huius Synodi corda ac studia, inclinentur, diriganturque faxit hoc veritatis, pacis, omnisque boni autor, Deus Opt. Max. Cui, Patri, Filio & Spiritui Sancto, sit in Ecclesia, æterna laus & gloria. Amen. Amen.

EXAMEN

ET

Iudicium Drentanorum super quinto Articulo Remonstrantium.

DE PERSEVERANTIA.

Ad Thesim I. responsiones.

I.

Quod dicunt Remonstrantes, perseverantiam non esse effectum electionis: falsum est: Quia, 1. glorificatio est effectum electionis. Rom. 8. 29. 2. Quia fides est effectum electionis. Act. 13. credebant, &c. Tit. 1. 1. Atqui fidem comitatur perseverantia. Iohan. 5. 24. Qui credit, &c. transivit à morte in vitam. Bona Dei sunt ἀμεταμέλητα Rom. 11.

II.

Quod dicunt perseverantiam non esse donum novi fœderis: respondemus, perseverantiam non incommode posse donum dici, quia & res ipsa data, & rei datæ usus & fructus, dona recte appellantur. Filius nobis datus est Esai. 9. propter Filium dantur nobis fides, obedientia, & vires in istis perseverandi & proficiendi.

III.

Quod dicunt perseverantiam non esse donum morte Christi partum, id pugnat cum sexcentis scripturæ dictis. Rom. 8. vers. 32. *Qui proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, qui non etiam omnia nobis cum eo dabit?* Omnia dantur propter Christum. Ergo & perseverantia. Rom. 8. vers. 39. *Persuasum mihi est, &c. nullam rem creatam posse nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu.* A Christo hic esse dicitur, quod Dominus charos nos habet, quodque ab istius Charitatis sensu non separamur.

IV.

Quod dicunt; perseverantiam potius esse conditionem fœderis, quam donum: Id spectat ad doctrinam suam de electione fulciendam, quemadmodum & illud, quod postea in eadem hac Thesi dicunt, Deum requirere perseverantiam ante peremptoriam electionem. At cum falsum sit quo fulciunt, falsum etiam erit id, quod fulciunt. Nam donum Dei esse perseverantiam, jam ante probatum est. Si donum est, quomodo Deus in electione ad id respicere potuit? Illi tamen objiciunt in Thesi, quod perseverantia sit conditio, & idcirco donum esse nequeat: Quasi vero conditio salutis esse non possit id, quod donum Dei est. Amica, inquam, hæc sunt consentanea: quod vel ex ipsis Remonstrantibus extorquere poterimus. Quod enim ad fidem attinet, hanc vel millies dicunt esse conditionem ad salutem: Eandem etiam in Thesibus de Articulo Tertio & Quarto. Donum Dei gratuitum esse fatentur. Invocatio & glorificatio sunt conditio exauditionis. Psal. 50. Luc. 11. Interim non minus, sunt donum Dei gratuitum, invocatio & gratiarum actio. Psal. 51. Petit David, ut sibi os aperiatur. Rom. 8. Gal. 4. Spiritui sancto hoc tribuitur. Medicus ægroto militi dat vires militandi, cum conditione, ut pro se militet.

Anthithesis Orthodoxa, in antecedentibus satis probata.

Perseverantia vere fidelium in fide, est effectum electionis ad salutem, & donum morte Christi, omnibus, & solis confœderatis electis Dei partum. Ea recte potest appellari & donum Dei & conditio, quã Deus nobis, in ter multas alias, divina gratia possibiles, præscripsit, requirit, & in electis suis operatur, accedente semper interno Spiritus sancti auxilio & solatio; quæ efficiunt, ut electi, in fide & obedientia se gnaviter exercendo, hanc ipsam perseverantiam præstare velint, & infallibiliter præstent.

Examen Theseos secundæ.

Hæc Thesis resistibilem perseverantiæ producendę modum exponit, consistentem videlicet in Dei voluntate conditionata, inefficaci, & mutabili; deinde etiam in nostræ voluntatis innata ad utrumque libertate. De quibus rebus cum in tertio & quarto Articulo pro nostro modulo dictum sit, verbulum hic addere, operæ pretium non putamus. Opponimus tantum hanc Orthodoxam sequentem Anthithesin.

Stante auxilij divini promptitudine, & gratiæ sufficientis presentia, positisque illis omnibus, quæ ad perseverandum necessaria ac sufficientia sunt, quæque Deus ad fidem conservandam adhibere vult; infallibile signum est, quod Deus perseverantiam producere velit, & revera producat. Nihil ille molitur, nihil incipit, quod non perficiat. Prov. 19. 21. Esai. 46. 10. Ipse enim per suam potentem operationem, fidei habitum in voluntate ponit, ita, ut hoc respectu non maneat in hominis potestate excidere, & non perseverare. Phil. 1. 6. Nec minus tamen propterea ab homine libere hæc conditio præstatur; quia nativa & prava voluntatis indole emendata, eique libertate ad bonum, per Hyperphysicam Dei operationem, restituta, ipsa voluntas causa socia, minus tamen principalis est perseverationis.

Examen

Examen Thefeos Tertiæ.

I.

Quid valeamus & poſt & ante regenerationem, in examine Tertij & Quarti Articuli declaratum & probatum eſt, adeo ut hic non opus ſit, ad ea quæ in initio & fine huius Theſeos proponuntur, è Socino decerpta, & cum Papatu congruentia, reſpondere.

II.

Quod agnoſcunt temperamentum hominis, infirmitates varias varijſque modis inferre; id veriſſimum eſt. Galenus enim dicit, quod mores temperamentum ſequantur. Porro illud ipſum temperamentum, eſt maximam partem à ſemine, ſanguine & lacte. Vnde homo concipitur, coaleſcit, & nutritur. Hinc fit, ut impia matris prægnantis, vel imaginatio vel actio, in cauſa ſit interdum, quamobrem hic ad furta, ille ad homicidia, aut libidinem, impendio ſit proclivior. Hinc, inquam, gravidarum vitia, in ſobolis animum non minus pravitatis imprimunt, quam alias maculæ naturales, & variæ monſtroſitates, eorundem tenellis corpuſculis, per has vel illas imaginationes imprimuntur: quemadmodum & morbi varij parentum, in ſobolem tranſfunduntur, curatu difficiliores, quam ulli alij morbi. Quin imo Plutarchus & alij teſtantur, quod alumni, è nutricibus, quę duntaxat ubera præbent, non modo purum lac pro alimento corporis, verum etiam impuritatem animi, pro alimento vitiorum hauriant, ita ut earundem mores & indolem, accedentibus annis, iſtiuſmodi alumni, quandoque ſatis manifeſte referant. Ex quibus omnibus efficitur id, quod Remonſtrantium nonnulli valde invite fateri volunt, nimirũ, revera eſſe peccatum originale, neque id ipſum rationem pœnæ graviſſimæ tantum habere, verum etiam eſſe omnimodam totius humanæ naturæ depravationem, & pollutionem, inde à prima conceptione homini miſero inſitam. Pſal. 51. Vnde merito filij iræ, & mortui in peccato dici & poſſimus, & debeamus, Eph. 2. Sacrilegium itaque turpiſſimum eſt, perſeverantiam, fidem & quicquid in nobis boni eſt, non Deo, ſed ſibi ſuiſque viribus velle tribuere.

Antitheſis Orthodoxa.

Nemo hominum eſt, qui contra naturalis rationis, & ſupernaturalis revelationis dictamen, ſubinde non peccet; uſque adeo multis infirmitatibus obnoxij ſumus. Quæ infirmitates varijs modis, pro ratione temperamenti, ætatis, locorum, aliarumque circumſtantiarum, non tantum in non renatis ſeſe exerunt. In quibus infirmitatibus emendandis, ut & ſummam diligentiam, homo adhibeat, & hac ratione per Dei gratiam in fide perſeveret; iudicio tamen divino abſolvi non poterit. Neque hæc fidei duratio, ullo modo facit, ut fides illa vitæ æternæ præmio, gratioſe à Deo digna cenſeatur. Etſi enim iſta vita merces eſt, indigni tamen ſunt, neque vel tantillum meriti ſunt, quibus iſta merces, gratis, propter ſolius Chriſti merita, detur. Sed hæc omnia in antecedentibus Articulis probata fuere.

Examen Theseos quartæ.

I.

Quod dicunt, vere fideles totaliter fidem veram semper amittere, quoties opus aliquod carnis committunt; falsum est; sive de fidei actu, sive de habitu intelligatur. Ad actum fidei quod attinet, ille sæpe manet, etiam dum homo peccat: quia nequidem ipse actus est purus à peccato, neque in hac vita est in debito gradu. Vbi autem est defectus, ibi est peccatum, Mar. 9. Quid vetat, quo minus Sancti, dum ipsa actualia peccata, & quidem crassiora, committunt, simul actum fidei sentiant? quia ex infirmitate tantum, sine desperatione peccant. Quid absurdi est, si dicamus Petrum, inter ipsos abnegationis actus, fidei quoque aliquem actum percepisse, aliquamque adhuc & fidei & amoris Christi scintillam deprehendisse & in misericordia ipsius sperasse? Alia etiam ratione, actus fidei, in ipsis fidelium peccatis deprehendi posse, recte dicetur. Quatenus nimirum & tunc fides suos fructus exerit. quales sunt, lucta, dolor, metus, tremor, nausea, propositum desistendi, ad Christum revertendi. Vbi huiusmodi boni fructus sunt, ibi & bona arbor adhuc est reliqua, puta, fides salutifica. Denique si fidem considerent ut habitum, falsum itidem erit, quod dicunt, fidem totaliter amitti per opus carnis: quia Petri fides non desijt. Luc. 22. Cessante actu, & incidente actu contrario, non statim amittitur habitus. Homo sobrius, semel atque iterum se ingurgitans, habitum sobrietatis non amittit. Cambyses, actu uno iustitiæ non amimisit habitum iniustitiæ. Quid si dicamus, Cambysen in actu iustitiæ, sensisse amorem injustitiæ?

II.

Quod dicunt, regeneratos, vereque credentes, posse in atrocia scelera, imo in peccata ad mortem incidere, in ijsque perseverare; Libenter hoc fatemur, & plena manu largimur, respectu ad ipsos, ipsorumque vires habito. At respectu Dei, ipsos sustentantis & conservantis, etiam posse excidere, id vero pernegamus. 1. Ioha. 3. 9. *Non possunt peccare, quia ex Deo nati sunt.* Oramus pro fidelibus. Ioh. 17. At pro peccantibus ad mortem prohibemur orare. 1. Ioh. 5. 16. Mat. 12. 31. 32.

III.

Quod dicunt, vere fideles à fide instificante, gratia, & salute totaliter excidere, multisque hoc evenire; id evertunt vel mille Scripturæ testimonia. Promisit enim Deus, etiamsi tententur, in tentatione succumbant, & succumbentes gravius castigentur, suam tamen ab ipsis gratiam auferendam non esse; ita ut eventus semper debeat esse bonus & salutaris. 1. Cor. 10. 13. 2. Sam. 7. 13. Psal. 89. 34. 1. Ioha. 2. 19. Vnum testimonium adhuc addemus. Dicitur enim Rom. 8. 28. Quod ijs, qui diligunt Deum, omnia simul adiumento sint ad bonum. Si omnia mala, quibus castigantur; ergo & peccata ipsa; quæ peccata, quemadmodum in impijs, interdum habent rationem pœnæ. Sic etiam ipsissima peccata, etiam in fidelibus habent rationem paternę castigationis. Vt pater manum subtrahens, non vult filium ita labi, ut non resurgat, sed ut postea patris manum firmius apprehendat, sibique magis serio à lapsu caveat. Sic revera Deus in Sanctis suis, peccatum mortificat per peccatum. Experiuntur enim se per peccatum commissum, multo magis humiliari cum Petro, & maiore nausea affici, & in pœnitentiæ studium eo diligentius incumbere. Quod fatebuntur omnes qui in schola Spiritus Sancti exercitati fuere. Cum igitur omnia, etiam ipsa peccata, adiumento ad bonum sint fidelibus, quid excogitabimus, per quod è gratia, in totum excidere possint?

Antithesis

Antithesis in antecedentibus satis probata.

Vere fideles, etiamsi opera carnis committant, veram tamen fidem nunquam in totum amittunt. Possunt quidem in atrocia & conscientiam directe vastantia scelera, (1. Sam. 11.) incidere; non tamen in peccata ad mortem, hoc est, quæ committuntur in Spiritum sanctum, per Dei gratiam incidunt; nedum ut in eis perseverent & moriantur, & consequenter à fide iustificante, gratia, & salute, totaliter, & finaliter excidant.

Examen Theseos Quintæ.

I.

Quod dicunt, nullum fidelem ac regenitum, in hac vita, de perseverantia ac salute, posse esse certum; Id verum erit, si electio sit conditionalis, & regenerationis initium, atque progressus resistibilis. Nam talibus fundamentis, hanc opinionem de incertitudine salutis superstruunt, ut videre est in colloquio Hagiensi Belgico. Pap. 123. Ipsi scilicet fatentur, si nos electionem absolutam, & regenerationem, cui non resistatur, probare possimus, perseverantiam, quoque talem esse, qualem docemus. At perseverantiam, ejusque certitudinem, probat vel unicus iste locus, Rom. 8. 29. &c. Et multa alia ejusdem capitis. Rom. 8. 1. duplex testis perseverantiæ nostræ ponitur. 1. Quod salvificati fide sumus præditi. 2. quod non secundum carnem incedimus. 1. Ioh. 3. 19. *Per hoc cognoscunt nos esse ex veritate, & coram eo secura reddimus corda nostra.* Rom. 8. 15. Tres probationes sunt, quod de salute possimus esse certi, 1. quia non habent Spiritum timoris fideles. 2. quia acceperunt Spiritum adoptionis. 3. quia clamant cum plena fiducia Abba pater, ita ut semper audiantur, & impetrent, quod petunt. Iac. 1. 6. Luc. 11.

Rom. 8. 16. iterum duo testes perseverantiæ proponuntur. 1. Spiritus Dei. 2. Spiritus noster. In ore autem duorum aut trium testium stabit omne testimonium. Alia infinita omittimus.

II.

E responsione hac prima præmissa, sponte jam sequitur falsum esse, quod existimant, paucis quibusdam fidelibus, speciali aliqua revelatione, certitudinem salutis, & perseverantiæ, confirmari. Nam Paulus passim hac de re agens, loquitur in plurali, non in singulari numero. Rom. 8. 1. 28. 30. 38. Rom. 5. 1. 2.

III.

Quod dicunt certitudinem perseverantiæ ac salutis, ad solidam fidelium consolationem, & conscientiarum pacem in hac vita, non esse necessariam, falsum est: Quia in Symbolo Apostolico nobis præscribitur, ut indubitanter credamus remissionem peccatorum, & vitam æternam. Ergo necessarium est, &c.

IV.

Quod dicunt, doctrinam nostram de perseverantiæ certitudine, ex se, natura atque indole sua, veræ pietati esse perniciosam; id negamus. Cum Paulus Rom. 5. 2. dicit; *Gloriamur sub spe gloriæ Dei.* primum dicit fideles certam spem gloriæ æternæ concipere. Deinde dicit, quod ipsa spes non modo non securitatem carnalem, sed gloriationem spiritualem gignat; Quod nimirum gestu, & verbis exaltent, Deumque propter tantum bonum celebrent: celebrare autem Deum, est bonum opus ex bono affectu amoris & lætitiæ. Qui affectus, ut in homine sunt fortissimi, ita bona opera producunt plurima, vers. 11. Amplius aliquid addit, dicens, gloriamur in Deo: quod est confidere & lætari, quod summum bonum propitium habeamus. Unde sane non possunt, non viva gratitudinis opera proficisci.

Quod

V.

Quod denique dicere non erubescunt, dubitationem esse laudabilem, ac cumprimis utilem, id non modo falsum; sed Socianum & Papisticum est. Socinianum, quia nititur falso hoc fundamento & plane ridiculo, ac si Deo non sit naturalis iustitia retribuens, puniens peccata aut in nobis aut in Christo: eaque semel punita nobis non amplius imputari; contra Scripturam, Romanor. cap. 2. Scimus, judicium Dei esse secundum veritatem. Secundo diximus, Papisticum hoc quoque esse, inducens ἐποχὴν Pontificiorum, tradentium non nisi fallacem coniecturam de gratia Dei, fidem coniecturalem, imo vagam potius opinionem & ludibrium, quam fidem. Quo absurdo dogmate fidelibus gaudium eripiunt, anxietatem perpetuam conscientijs inducunt, desperationemque afferunt quæ miserum peccatorem absorbet. Pestilens ergo potius dogma est, & conscientiarum tortura, imo Antichristianum, expugnans scilicet fidem solidam in Iesum Christum, quæ est non tantum notitia, & assensus, sed & πληροφορία, & certa persuasio cordis & mentis de voluntate Dei, &c. Rom. 14. 5. Rom. 4. 21. Fundata est nostra perseverantia, non in nostris viribus, lubricis & fragibilibus, sed in amore & robore Pastoris nostri, Iohan. 10. Psalm. 37. 23. Psalmo 125. 1. Breviter, qui dubitat an sit è salvandis, ille non credit remissionem peccatorum, neque vitam æternam, adeoque nec fide salvifica præditus est. Ubi autem non est fides, ibi bona opera non sunt. Ubi fluctuat & nutat fides, ibi & charitas refrigescit; tantum abest, ut huiusmodi dubitatio, salutaris & utilis esse queat.

Antithesis in antecedentibus satis probata.

Omnes vere fideles ac regeniti, in hac vita, de perseverantia & salute, possunt esse certi. Quæ πεποίθησις, etsi gradibus quidem variat, & est in alijs & alijs firmior & languidior; tanta tamen omnibus datur, quantum ad salutem finaliter sufficit. Tantum abest, ut hæc doctrina de perseverantiæ certitudine, ex se, natura atque indole sua, veræ pietati, & toti religioni sit perniciosa, serviatque ingenerandæ ac mollis pulvinaris instar, carnali securitati fovendæ: & è contrario, dubitatio laudabilis, ac cumprimis utilis dicenda sit.

Examen primi Corollarij.

I.

Fides πρόσκαιρος, non potest esse fides iustificans: quia omnes qui iustificantur, fuerunt antea electi, & postea glorificabuntur. Rom. 8. 29. Ubi Apostolus loquitur de fide temporaria, Heb. 6. 4. 5. 6. nullam mentionem iustificationis facit.

II.

Fides salvifica vincit mundum, 1. Iohan. 5. radicata est in Christo, Iohan. 15. fructum fert, Matth. 13. At temporaria fides non vincit mundum, radices non habet, spinas fert, non fructus. Matth. 13. 6. Ergo fides salvifica est tantum Electorum Dei. Tit. 1. specieque differt à temporaria.

Examen Corollarij secundi.

I.

Quod dicunt, se in medio relinquere, an Deus quosdam absoluto jure, indefectibilis perseverantiæ dono remuneretur: saltem fatentur, se non invenire in Sacris Litteris rationes id ipsum negantes & evertentes. Cur ergo sustinent Remonstrantes negare, quod Deus absoluto iure agat, & æquales inæqualiter tractet?

 II. Quod

III.

Quod dicunt, Si Deus ita agat, uti dictum est, extra ordinem id esse, hoc nunquam poterunt probare è verbo Dei. Quod verbum cum clarius sit, quam ut in totum contra venire audeant, saltem arrodunt, detorquent & restringunt, cum dicunt, extraordinarium hoc Dei donum esse. Esse enim ordinarium jam antea probatum est.

Examen Corollarij ultimi.

Quod dicunt, si quis doctrinæ de perseverantiæ certitudine adhærens pius sit, id non ex doctrina ista sed aliunde ipsum habere; nihil est: Contrarium enim antea probatum jam est: quod nimirum certa perseverantiæ fiducia bonos gratitudinis fructus producat. Dubitatio vero eadem opera & fructus maximopere impediat.

Concludimus igitur, Theses hasce, cum corollarijs, continere quidem veram Remonstrantium sententiam: esse autem non veras sed falsissimas, verbo Dei plane contrarias, adeoque inutiles & indignas, quæ in Reformatis Ecclesijs doceri debeant: quippe quæ sunt fons & scaturigo, quemadmodum & reliqui Hagienses Articuli, unde innumeri, monstrosi, & fœdi errores, imo nova Theologia (Deus meliora) profluat.

SENTENTIA ET *Iudicium* DEPUTATORUM SYNODI GRONINGÆ ET OMLANDIARUM, De Remonstrantium Quinto Articulo.

QUI EST,

DE ELECTORUM PERSEVERANTIA.

Perseverantia, id est, progressus & continuatio in Fide & Regeneratione, uti est Electionis gratuitæ effectum; sic etiam tum novi Fœderis promissum, tum vere & proprie Dei donum, quo ex mera gratia propter Iesum Christum, per Spiritus Sancti operationem, ij donantur, qui ab æterno secundum gratuitum & immutabile Dei Decretum Electi sunt & efficaciter Vocati, adeo ut gratiam Dei, fidem qua semel sunt donati, & Spiritum Sanctum totaliter ac finaliter amittere, penitus excidere & perire non possint.

Duo imprimis hac Thesi exprimimus: 1. Unde sit Perseverantia. 2. Quod sit certa & non interitura.

I.

Unde sit; dicimus convenienter cum Scripturis Sacris, esse. 1. Effectum Electionis, Elegit enim nos Deus, non tantum ut suo tempore vocaret, iustificaret, sanctificaret, sed etiam glorificaret. Rom. 8. 29. 30. 2. Promissum Novi fœderis. De novo fœdere, id est gratuito, loquitur Deus, Ier. 31. vers. 31. & 32. vers. 40. ijsdem enim in locis novum dicitur & sempiternum: idem testatur Apostolus, Hebr. 8. vers. 8. 9. 10. 11. 12. 13. & cap.

& cap. 9. verſ. 15. & cap. 10. verſ. 16. iſtius autem fœderis promiſſum eſt Perſeverantia: *Ero eis* (dicit Deus Ierem. 31. verſ. 13. 34.) *in Deum, & ipſi erunt mihi in populum, propitiabor iniquitati eorum & peccati eorum non memorabor amplius:* & cap. 32. verſ. 39. 40. *Indam iis cor unicum & viam unam ad reverendum me omnibus diebus ad bonum ipſorum & filiorum ipſorum poſt ipſos & pangam ipſis fœdus perpetuum, fore ut non avertam me à proſequendis ipſis, benefaciendo ipſis, & reverentiam mei indam animo ipſorum ut non recedant à me.* Quibus verbis, non modo juſtificatio aut remiſſio peccatorum, & regeneratio, verum etiam perſeverantia evidenter promittitur: atque iiſdem explicantur verba primæ promiſſionis Adamo & omnibus Electis factæ: cum enim Deus victoriam ſeminis mulieris, id eſt Chriſti promittens, Gen. 3:15. dicat, *ipſum conteret caput tuum*, non tantum, quamvis imprimis Chriſti victoriam deſcribit, qua abolevit Satanam qui mortis imperium habet, Heb. 2. 14: ſed etiam Electorum victoriam per Ieſum Chriſtum: dicit enim Paulus Rom. 8. 37. *In his omnibus pluſquam victores ſumus per eum qui dilexit nos:* Et Iohan. 1. Epiſt. 2. verſ. 13. 14. *Scribo vobis Adoleſcentes, quia fortes eſtis & verbum Dei habitat in vobis, &, nunc malum viciſtis:* Et cap. 5. verſ. 4. 5. *Hæc eſt victoria quæ vincit mundum, fides noſtra. Quis eſt qui vincit mundum niſi qui credit Ieſum eſſe filium Dei.* Eandem fœderis promiſſionem alijs in locis ad Electorum conſolationem à Deo repetitam legimus, ut Pſal. 89. verſ. 19. *in æternum ſervabo illi miſericordiam meam & teſtamentum fidele ipſi:* & verſ. 33. 34. 35. *Viſitabo in virga iniquitates eorum*, &c. *miſericordia autem mea non diſpergam ab eo neque decipiam in veritate mea; neque prophanabo Teſtamentum meum & quæ procedunt de labijs meis non faciam irrita.*

Eſai. 51. verſ. 6. *Salus mea in ſempiternum erit & iuſtitia mea non deficiet:* & cap. 54. verſ. 10. *Montes recedent & colles dimovebuntur, attamen benignitas mea à te non recedet & fœdus pacis meæ non demovebitur, ait miſerator tuus Iehova.* Et verſ. 14. *In juſtitia fundaberis, procul eris à vi & calumnia, non timebis & à pavore quia non appropinquabit tibi.* Eſai. 56. verſ. 5. *Nomen ſempiternum dabo eis, quod non peribit.* Hoſ. 2. verſ. 18. *Deſponſabo, te mihi in ſæculum & deſponſabo mihi in iuſtitia & iudicio & in miſericordia & in miſerationibus.* Eædem promiſſiones paſſim in Euangelijs & Apoſtolorum ſcriptis proponuntur & inculcantur, Matth. 7. verſ. 25 & 16. verſ. 18. Ioh. 4. verſ. 14. & 5. 25. & 6. 35. 37. Iohan. 8. verſ. 35. *Filius manet in domo, in æternum.* Item Iohan. 10. verſ. 28. Rom. 8. verſ. 39. Phil. 1. verſ. 6. 2. Theſ. 3. verſ. 3. 1. Pet. 1. verſ 3. 4. 5. Proprie donum Dei præſtantis fideliter quod promiſit: in genere dicitur, Iohan. 3. 27. *Homo non poteſt recipere quicquam niſi fuerit ei datum è cælo.* Iohan. 15. verſ. 5. *Abſque me nihil poteſtis facere.* 1. Cor. 4. verſ. 7. *Quid habes quod non acceperis:* Iacob. 1. verſ. 17. *Omne donum perfectum*, &c. In ſpecie: Ierem. 32. 40. *Dabo timorem meum in corda eorum, ut non recedant à me.* Ezech. 36. 26. *Dabo vobis cor novum: & ſpiritum meum ponam in medio veſtri & faciam ut in præceptis meis ambuletis.* Rom. 6. 13. *Donum Dei vita æterna.* Phil. 2. 13. *Deus eſt qui efficit in vobis & ut velitis & ut efficiatis.* 1. Theſ. 5. 24. *Fidelis eſt qui vocavit vos, qui etiam id efficiet.*

Unde Deo perſevarantiam donanti, illud paſſim, non tantum tribuitur ut 1. Cor. verſ. 8. *Qui* ſcilicet Chriſtus *etiam confirmabit vos uſque ad finem:* Phil. 1. 6. *Perſuaſum habeo hoc ipſum, fore ut qui cœpit in vobis opus bonum, perficiat uſque ad diem Ieſu Chriſti.* Item 1. Theſſal. 3. verſ. 3. 1. Pet. 1. verſ. 10. *Deus omnis gratiæ*, &c. *abſolutos vos reddat, ſtabiliat, roboret, fundet:* Verum etiam ut perſeverarent, pro Electis Deum rogarunt, ut Chriſtus pro Petro Luc. 22. verſ. 32. pro Diſcipulis; Ioh. 17. 15. pro omnibus fidelibus; Ioh. 17. 20. 21. 24: ſic & Apoſtolus Paulus, Eph. 3, 13. 16. *Quapropter peto*, &c. *Vt det vobis pro divite ſua gloria ut fortiter corroboremini per Spiritum ſuum in interiore homine*, &c. Philip. 1. verſ. 9. 10. *Hoc precor ut charitas veſtra adhuc magis ac magis redundet in cognitione & omni ſenſu*, &c. *ut ſitis ſinceri & inoffenſo curſu pergatis ad diem uſque Chriſti:* 2. Theſſal. 1. 11. *Precamur ſemper pro vobis, ut vos dignetur iſta vocatione Deus noſter, & compleat omnem ſuæ bonitatis gratuitam benevolentiam & opus fidei potenter.*

2. Theſſ. 2. 16. 17. *Ipſe Dominus noſter Ieſus Chriſtus & Deus ac Pater noſter qui dilexit nos*, &c. *conſoletur veſtra corda & ſtabiliat vos in omni ſermone & opere bono:* Item Heb. 13. verſ. 21.

II.

Quod ſit certa & nunquam interitura. Dicimus enim in Theſi, Adeo ut gratiam Dei, fidem qua ſemel,&c: quod quam ſit verum, certis ex Sacra Scriptura deductis rationibus probamus.

1. Ex ipſa doctrina Electionis: eſt enim æterna & immutabilis, uti in primo Articulo Theſ. 5. oſtendimus.

Si itaque Electio non tantum eſt ab æterno, Epheſ. 1. 4. 2. Tim. 1. 9. ſed & in æternum duratura, Hoſ. 2. 18. Ier. 32. 36. 40. Iohan. 10. 18. Si quos diligit, perpetuo & ad finem diligit, Ier. 31. 3. Ioh. 13. 1. Si non derelinquet ſed in æternum conſervabit, Pſal. 37. 28. Eſai. 45. 17. Dona Dei & vocatio ſint ἀμεταμέλητα, Rom. 11. 29. tum non poſſunt Electi prorſus deficere. At prius conſtat ex locis citatis: Ergo.

2. à Cauſis ſalutis noſtræ: ſalus eſt ex mera gratia, per unicum Chriſti meritum, & per efficacem Spiritus Sancti operationem, abſque ullo dignitatis hominum reſpectu, non tantum quoad ſalutis initium & acquiſitionem, verum & quoad eiuſdem progreſſum, continuationem & conſervationem: quæ enim eſſet certitudo & conſolatio, ſiquidem initium ex gratia, at conſervatio & perſeverantia eſſet ex hominibus gratia Dei bene utentibus? Contra verbum Dei, docet, totam ſalutem, Dei opus eſſe, qui illud continuo promovet, ſuſtentat & perficit.

Ex Dei gratia eſt initium; ex illa enim Electi, Epheſ. 1. 4. 6. 9. vocati, 2. Tim. 1. 9. iuſtificati, Roman. 3. 24. Regenerati, Tit. 3. 5. 1. Petr. 3. Ex eadem eſt progreſſus, Pſal. 138. 8. Ezech. 36. 17. item conſervatio & conſummatio aut perfectio, Ier. 32. 39. 40. Eſai. 46. 3. 4. 1. Cor. 1. 8. Phil. 1. 6.

In Ieſu Chriſto in quo unica eſt ſalutis noſtræ cauſa meritoria, eiuſdem ſalutis, meritis eius partæ, certitudo conſiſtit: perfecte enim nos ſalvat & pro nobis fideliter intercedit.

Perfecte nos ſalvat; nam non tantum pretium ſufficiens pro culpa & pœna peccatorum noſtrorum Patri perſolvit, iuſtitiam & vitam amiſſam promeritus eſt, pro nobis pleniſſime tum legis impletione tum pœnarum perſolutione ſatisfecit, atque ita ab omnibus ſalutis noſtræ hoſtibus liberavit: Luc. 1. 71. 72. Coloſſ. 2. 13. 14. 15. Rom. 8. 1. 33. 34. Tit. 1. 14. 1. Iohan. 1. 7. Sed etiam ex conſilio Patris acquiſitam liberationem conſervat & ad finem perducit: Eſai. 45. 17. *Iſrael ſalvatus eſt in Domino ſalute æterna,* &c. Iohan. 6. 39 40. *Hæc eſt voluntas eius qui miſit me Patris, ut quicquid mihi dederit non perdam, ſed ſuſcitem illud in ultimo die,* &c. Et cap. 10. verſ. 28. *Ego vitam æternam do eis: nec peribunt in æternum, neque rapiet eas quiſquam è manu mea.* Unde Paulus Heb. 7. 25. *Servare prorſus aut perfecte poteſt eos qui per ipſum accedunt ad Deum.*

Fideliter pro nobis intercedit: in terris pro ſuis oravit ut ſervarentur. Luc. 22. verſ. 31. 32. non quidem pro ſolo Petro, verum etiam (nam periculum quod Petro imminebat & Satanas intendebat, alijs omnibus erat commune. Dicit enim Chriſtus, Luc. 22. verſ. 31. *Ecce Satanas appetyt ὑμᾶς, vos, ut cribaret ſicut triticum*) pro omnibus Apoſtolis, Iohan. 17. verſ. 11. 15. imo & pro omnibus fidelibus, verſ. 20. 24.

Nunc autem in cælis pro omnibus Electis: apparet enim in cælis in conſpectu Dei pro nobis, Heb. 9. verſ. 24. & in perpetuum ſedet ad dextram Dei, Hebr. 10. verſ. 12. Beneficium aut vitam meritis ſuis partam, nobis externe & interne virtute ſua divina applicat, ad orandum idoneos reddit, & eorundem beneficiorum participes facit, Rom. 8. 34. Rom. 5. 9. 10. Gal. 4. 6. Rom. 8: 26. 27. Hebr. 7. 24. 25. 1. Iohan. 2. 1. 2.

Et quoad efficacem Spiritus ſancti operationem, ſine qua nemo dicere poteſt Ieſum eſſe Chriſtum, 1. Cor. 12. 3.

Sic enim Spiritus non modo in nobis efficit & promovet Electionem, 2. Theſ. 2. 13. 1. Pet. 1. 2. illuminationem, Eph. 1. 17. 18. 1. Cor. 2. 10. 13. Fidem, Gal. 5. 22 1. Cor. 12. 9. Ablutionem, Eſai. 4. 4. 1. Cor. 6. 11. Dilectionis Dei erga nos certitudinem, Rom. 5. 5. Adoptionem in filios Dei, Rom. 8. 15. Communionem cum Deo & Ieſu Chriſto, ſeu immanſionem & inhabitationem Chriſti in nobis, 1. Iohan. 3. 24. Epheſ. 3. verſ. 16. 17.

Lætitiam

Lætitiam veram & pacem, Roman.14.17. & 15. 13. Libertatem & aditum ad Patrem cum fiducia, Ephes. 2.12. Rom.8.15.16.17. & in omnibus veram consolationem, Ioh. 15.16.& 16.26. denique respectu Sanctificationis, Regenerantionem, Ioh.3.5.8. 1.Cor. 6.11. Mortificationem actionum corporis & vivificationem; Rom. 8. 13. & 2. 10. 11. facitque ut in præceptis Dei ambulemus, Ezech. 36.16. illaque omnia operatur abundanter & efficaciter per virtutem suam, Rom. 15. 13.

Verum etiam eadem in nobis, quantum ratione huius vitæ utile & necessarium est, conservat, sustentat, confirmat, & tandem; qui Spiritus est gloriæ, ad ipsam glorificationem nos perducit. *Germinabunt, dicet Deus, inter herbas quasi salices iuxta præterfluentes aquas.* Esai. 44. 4.

Flumina aquæ vivæ fluent ex ventre eius: Iohan. 7. 38. *fortiter corroborantur in interiore homine.* Ephes. 3. 16. *In Christum confirmantur & junguntur à Deo qui nos obsignavit in diem redemptionis, & dedit Arrhabonem Spiritus in cordibus nostris, &c.* 2. Cor. 1. 22. Ephes. 1. 13. 14. & 4. vers. 30.

Cum itaque liquido ex Dei verbo constet, omnem nostram salutem quoad initium, progressum & consummationem tantum esse ex Dei gratia, Christi redemptione & Spiritus Sancti confirmatione, sequitur manifeste eiusdem certitudinem, conservationem & in ea perseverantiam in Deo, in Iesu Christo & Spiritu S. consistere, nec Electos à gratia excidere aut perire posse.

3. Ex ijs probamus, quæ in Trino Deo nos eligente, ex gratia per meritum mediatoris & efficacem Spiritus sancti operationem, salvos faciente, sunt consideranda, quibus fides nostra innititur; credunt enim Electi & certi sunt illa se omnia consequuturos, quoniam ex Verbo Dei certo sciunt, Deum illa præstare velle & Deum præstare posse.

Deum velle, liquido patet, non tantum ex æterna & immutabili eius dilectione & Decreto, de quo in præcedentibus est dictum; verum etiam ex manifestissimis promissionibus à Deo in tempore factis, quæ in Iesu Christo sunt etiam atque in ipso amen. 2. Cor. 1. 20.

Plurimæ certe passim apud Prophetas & Apostolos occurrunt, quarum nonnullas jam supra adnotavimus. De istis autem & si quæ sunt aliæ, ita Deus loquitur. Psalm. 89. vers. 35. *Non prophanabo Testamentum meum & quæ procedunt de labijs meis non faciam irrita:* 1. Sam. 15. vers. 29. *Triumphator Israhel non mentitur & pænitudine non flectitur, neque enim homo est ut agat pænitentiam.* Rom. 9. vers. 6. *Fieri non potest ut exciderit sermo Dei.* 1. Thessal. 5. vers. 24. *Fidelis est qui vocavit nos, qui etiam id efficiet.* Tit. 1. 2. *Ad spem vitæ æternæ, quam promisit Deus ille mentiri nescius,* &c. Et ad Hebr. 10. 25. *Teneamus confessionem spei non vacillantem; fidelis enim est qui promisit.*

Deum etiam illa præstare posse quæ promisit, quis dubitabit? est enim omnipotens; facere potest quicquid vult, Psal. 115. 3. & 137. 6. Rom. 4. 20. & exequutioni mandare quicquid decrevit, & promisit, Esai. 14. 27. Dominus exercituum decrevit, & quis poterit infirmare? est enim maior omnibus, Iohan. 10. vers. 29. *& potentior est* (dicit Iohannes) *qui est in vobis, quam qui est in mundo.* 1. Iohan. 4. vers. 4.

Annon ergo fiet quicquid vult? *Consilium meum* (inquit Deus) *stabit & voluntas mea fiet:* Esai. 46, 10. Imo præ multitudine fortitudinis & roboris virtutisque eius, neque unum reliquum fuit. Unde David Psalm. 89. 9. 14. *Domine Deus virtutum, quis similis tibi, potens es Domine & veritas tua in circuitu tuo, tuum brachium cum potentia, &c.*

Hanc omnipotentiam, Deus populo ad certitudinem & consolationem, multis in locis proponit; Esai. 41. 10. 13. 14. & cap. 49. 16. Sic & Dominus noster Iesus Christus, Mar. 13. 22. Matth. 16. 18. Iohann. 10. 28. 29. unde & Paulus ad Rom. 8. 39. *neque ulla alia creatura nos potest separare à charitate Dei,* &c. & 1. Timoth. 1. 12. *Novi cui crediderim & mihi persuasum est eum posse depositum meum in illum diem servare*; & Petrus in prima Epist. cap. 1. vers. 5.

Certum itaque est, ea quæ divinæ voluntati & Omnipotentiæ nituntur, summam quoque in Electis gignere certitudinem fidei, illosque nec totaliter nec finaliter, etiamsi à multis & varijs hostibus, periculis & tentationibus infestantur

 & oppu-

& oppugnantur, à gratia posse excidere aut perire: *in omnibus*, inquit Paulus, *premimur, at non coarctamur; hæsitamus, at non prorsus hæremus; persequutionem patimur, sed in ea non deserimur; dejicimur, at non perimus.* 2. Corinth. 4. 8. 9. *Cum enim cadunt*, dicit David Psalm. 37. 27. *non dejiciuntur, quia Iehova sustentat manum suam.*

Hinc & electi, in Sacra Scriptura comparantur Arboribus plantatis juxta ripas aquarum, quæ in tempore siccitatis non exsiccantur, sed folia emittunt & fructus suos dant in tempore suo; Psalm. 1. 3. Ierem. 17. 8. Ezech. 47. 12. Domui ædificatæ super Petram, quæ nullis ventis aut procellis subvertitur, Matth. 7. 24. 25.

Ex his ergo omnibus satis superque probatur, vere fideles aut Electos gratiam Dei, veram Fidem & Spiritum sanctum nunquam totaliter, neque finaliter amittere posse, sequiturque necessario Perseverantiam vere fidelium certam esse & nunquam interituram.

Quod autem Remonstrantes identidem regerunt, omne illud quod de promissionibus & Dei potentia profertur, intelligendum esse sub conditione fidei & resipiscentiæ, &c. pugnat manifeste cum ipsa gratuitæ redemptionis aut salutis doctrina: conditiones enim proprie sumptæ, etsi in fœdere naturæ, aut operum, non tamen locum habent in fœdere gratuito, in quo omnia, initium, progressus & finis, sunt ex mera Dei gratia, aut in laudem gloriosæ gratiæ. Verum quidem est Deum fidem & fidei effecta requirere, sed ut media, quibus Electi, ex eius voluntate ad salutem perducuntur, non itaque proprie ut conditiones; nam quas appellant conditiones, sunt dona quæ à Deo, ut Sacra Scriptura docet, ex gratia dantur Electis.

Merito ergo damnamus & rejicimus opiniones Remonstrantium, utpote manifeste cum Dei verbo pugnantes cum negant Perseverantiam esse effectum Decreti absoluti; Remonst. citati in Thesib. exhibitis de Quinto Artic. Thesi. 1. esse donum Dei proprie acceptum, sed tantum tale cum qua voluntas, ut causa partialis cooperatur & in fide & in pietate perseverat: Collat. Hagiens. Brand. pag. 407. lin. 4. & pag. 412. & pag. 439. lin. 14. Armin. Artic. perpend. pag. 31. 32. item advers. Walach. pag. 74. lin. 24.

Atque cum dicunt, Electos totaliter & finaliter posse à gratia excidere: Collat. Hag. Brand. pag. 359. lin. 12. & 362. lin. 7. pag. 402. lin. 19. & pag. 506. lin: 14. 15. & alijs in locis: Armin. in Artic. perpen. pag. 31. Thessal. 1. 2. 3. Remonst. Geld. in Artic. dissent: Art. 1. 2. pag. 62. Rem. citati de Quinto Artic. Thes. 3. 4. Bertius passim: Episcop. disput. public. de peccat. actual. Corol. 2.

II.

Verum quidem est Electos graviter peccare, sæpissime labi, & peccatis suis mereri, ut, quoad se, penitus à Spiritu Sancto deserantur & in æternum rejiciantur & pereant; attamen certum est, ipsos ita à Deo custodiri ut penitus dona Spiritus Sancti non amittant, sed tandem gratia ipsius excitati in rectam viam redeant & destinatam ipsis salutem certo consequantur.

Nullum certe est peccatum contra & primam & secundam legis divinæ tabulam, excepto unico in Spiritum sanctum peccato, in quod non possint Electi incidere, & sæpissime quidam in hoc, quidam in istud, incidunt & labuntur: magnum tamen est discrimen inter regeneratos & non regeneratos; quamvis enim eadem committant peccata, ratio tamen aut modus & exitus plane est diversus.

Peccatum in Spiritum Sanctum merito excipimus: ex semine enim incorruptibili sunt regeniti, 1. Pet. 1. 23. Semen ergo, teste Iohanne, in ipsis manet, unde de quolibet regenito concludit: *non potest peccare* (scilicet ad mortem, ut se ipse interpretatur 1. Epist. cap. 5. 15.) *eo quod ex Deo natus est.* 1. Iohan. 3. 9. Et apertissimis verbis, cap. 5. 18. *Scimus quod quisquis natus est ex Deo, non peccat, sed qui genitus est ex Deo, conservat se ipsum, & Malus seu Satanas non tangit eum.*

Obam-

Obambulat quidem tanquam leo rugiens, quærens quem devoret. 1. Petr.5.8.& appetijt ut ventilaret illos ſicut triticum; Luc.22.31. Non tamen lethaliter vulnerantur: Spiritus Sancti ſunt Templum & in eis habitat. 1. Cor.3.16.& 6.19. Roman.8. 9. Chriſtus inhabitat per fidem in cordibus ipſorum; Epheſ. 3. 17. ducuntur à Spiritu S. & habent Spiritum adoptionis, per quem clamant Abba, id eſt, Pater. Roman.8.14. 15. & in cordibus obſignantur per arrhabonem Spiritus, 1. Cor. 1.22,&c.

Omnibus interim peccandi modis aliis labuntur pij quidam, ut dictum eſt, hoc quidam alio modo: Quamdiu enim Electi in hoc mundo peregrinantur, non perfecte regenerantur, neque ad perfectionem regenerationis pervenire poſſunt, priiuſquam ex hoc mundo diſcedant, quamdiu enim hic ſunt, circumferunt corpus mortis & carnem repugnantem Spiritui; Rom.7.14.24.Gal.5.17. Vnde Paulus exclamat, *Miſer ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius?* Rom.7. 14. 24. Perfecta enim regeneratio futuræ glorificationis pars eſt; Epheſ.5.17. Apocal.14.5. Non ergo in hac, ſed in cæleſti vita perficietur: 1. Corint.13. 10. Epheſ.4.13. Phil.3.14. 2. Timoth.4.8. Manent itaque Electi quamdiu hic ſunt peccatores, 1. Reg.8. 46. Proverb.20.9. Eccl. 7.31. 1. Iohan.1. 8. Idem liquet ex conſtanti Sanctorum confeſſione Iob.9.2. Pſal.130. 3. & 143. 2. Eſa.64.6. Dan.9. Rom.7.1. Ioan.1.8. imo & ex Sanctorum omnium exemplis, quos Spiritus Sanctus, etiam poſteaquam præclaros titulos eſſent conſequuti, graviter peccaſſe teſtatur.

Magnum tamen eſſe diſcrimen, inter Sanctos & improbos peccantes, diximus & dicimus.

Impij enim cum peccant & frena concupiſcētiæ laxant, peccata ipſis dominantur, Eph. 4.19. Rom.6. peccant enim cum voluptate, abſque ullo certamine aut lucta interna, anima enim cum corpore conſentit, unde etiam dicuntur ſecundum concupiſcentias vivere, 1. Pet. 1.14. & 4. 2.3.4. In iis laborant nec defatigantur. Eſai. 57.10. Prov. 4.16. In iis perſeverant abſque reſipiſcentia, etiamſi graviter affligantur Eſa. 1. 5. & 9.12. Ier.2.30. & 5.2. atque in ijs tandem moriuntur & pereunt, ut mundus antiquus, Geneſ.7.17.21. Sodomitæ, Gen.19.24. Pharao & Ægyptij Exod.9.& cap.10. & 11. & cap.14.27.28. Core, Dathan & Abiron; Num.16.31.32. Saul: 1. Sam. 31.4. Achab. 1. Reg.22.34. Iudas, Mat.27.5. Actor.1.18. Vnde Pſal.34.22. dicitur, *mors impiorum peſſima.*

Pij autem cum peccant, fit non tantum, idque ſæpe, ex ignorantia. Pſal.19. verſ.13. 1. Tim.1.13 ſed etiam, idque imprimis, ex infirmitate aut interna, aut externa.

Interna, propter carnem & concupiſcentiam adherentem ex peccato originali, quæ ſæpe ſollicitat ad peccandum, *Caro enim concupiſcit adverſus Spiritum*, Galat.5.17. *Lex quæ eſt in membris rebellat legi mentis*, Rom.7.23. Cupiditates quæ illis inſunt, militant adverſus animam, 1. Petr.2. 11. Quo fit ut non quæcunque volunt ea faciant, Gal.5.17. Et bonum quod volunt non faciant, ſed malum quod nolunt, id agant, Rom.7.19. Ut David & alij.

Externa, cum peccatum quidem intus & in corde deteſtantur, attamen aut à carne & objectis victi, aut propter hoſtium minas & ſimilia impedimēta, committunt. Sic David adulterium commiſit, & Petrus jurando & execrando, Chriſtum abnegavit: ſic Nicodemus metuit de die venire ad Chriſtum, Ioan.3.

Non tamen manent in peccatis, ſed aut externe per caſtigationes Dei & admonitiones, aut interne per Spiritus S. gratiam excitati & moti reſipiſcunt & reſurgunt. Pſal.119.71. & 67. *Bonum mihi quia humiliaſti me ut diſcam iuſtificationes tuas; priuſquam humiliarer, ego deliqui: propterea eloquium tuum cuſtodivi.* 1. Cor.11.32. *Quum punimur à Domino erudimur, ne cum mundo condemnemur.*

David admonitus à Nathane & Gado, & à Deo humiliatus, confitetur peccata & pœnitentiam agit; 2. Sam. 12. 7. 8. 13. & 15. 25. 30. 2. Sam.24.10.14. Pſal.32.12.13.14. & 51.3.4.5. ſic Ezechias. Eſa. 38.2.3. Manaſſes 2. Paral. 33.12.13.14. Petrus, Luc.22. 61.62. Vere itaque dicit Salomon. Proverb.24.verſ.16. ſepties in die cadet iuſtus & reſurget.

Cum ergo pij peccant & labuntur, non quidem faciunt quod Dei filios decet, manent nihilominus filii Dei, ſemen enim Dei, ut dictum eſt, manet in ipſis & ad vitam reſurgunt, &c.

Ex animo itaque rejicimus has Remonſtrantium Heterodoxas opiniones, 1. Electos

lectos posse incidere in peccatum, quod est in Spiritum S. Episc. disput. Public. de peccat. actual. Corol. 1.

II. Vere fideles per quævis opera carnis fidem amittere, aliqui ad tempus, aliqui in æternum, Collat. Hag. Brand. pag. 362. lin. 7. & 363. lin. 5. & 358. & 359. lin. 12. & pag. 456. lin. 18. & 404. lin. 11. 12. & 441. lin. 15. & 439. lin. 18. & pag. 506. Remonstrant. Delphens. ad artic. quint. Thes. 1. Si conferantur cum verbis, Collat. Brand. pag. 404. & 410. lin. 9. advers. VValach. pag. 75. lin. 20. 23. Remonstrant. Citati circa 5. Artic. Thes. 3. 4. 6.

III. Electos bis regenerari, &c. Collat. Hag. Brand. pag. 457. lin. 22. 27. & Belgic. 384. lin. 18.

IV. Distinctionem hanc temere esse fictam, quod scilicet fideles quidem excidere possunt sui respectu, minime vero respectu æterni Decreti Dei, Collat. Hag. Brand. pag. 509. lin. 8. à fine: & Belg. pag. 427. lin. 9. à fine.

III.

Etiamsi gravissimos conscientiæ pavores ac morsus, interdum patiantur, & cum dubitationibus multis conflictentur Electi, attamen de Perseverantia in fide certi esse possunt, & certi sunt in hac vita.

Certitudo hæc iisdem rationibus & Scripturarum testimoniis certo evincitur, quibus in primo Articulo ad sextam Thesin, & in prima huius judicij Thesi, electionis & Perseverantiæ certitudinem probavimus.

Rejicimus ergo Remonstrantes, statuentes; Perseverantiam conditionatam & incertam; Collat. Hag. Brand. pag. 403. lin. 8. & 412. 413. & 410. lin. 10. & 415. & alijs in locis supra adnotatis. Remonstrant. Geld. in Artic. dissen. de quint. Artic. Thesi 8.

IV.

Hæc de Perseverantia doctrina, non est veræ pietati, & relligioni noxia, nec servit carnali securitati; sed ad pietatem & verum Dei timorem Electum magis, magisque excitat & calcar ipsi addit.

Veritatem satis liquere arbitramur ex Electionis nostræ & causa & fine subalterno.

Causa unica est Dei dilectio, gratia aut misericordia. Rom. 9. 13. Eph. 1. 4. 5. & cap. 2. vers. 4.

Consideratio autem amoris & misericordiæ Dei Electos non segnes reddit, sed magis magisque ad humilitatem, & propriæ indignitatis & indigentiæ cognitionem excitat (sciunt enim se ex filiis iræ factos esse Filios Dei. Ephes. cap. 2. vers. 3. & 1. vers. 5. Epistol. 1. Pet. 2. 9. 10.) & ad Dei amorem, aut redamandum Deum calcar est efficacissimum, Psal. 116. 1. 1. Iohan. 4. 9. Quod tamen fieri non potest nisi & illa amemus quæ ipsi placent, & illa vitemus quæ ille odit, nec cum eius amore consistere possunt: cum autem dilectio mundi & carnis nostræ intelligentia, cum Dei amore pugnent; Iac. 4. 4. 1. Iohan. 2. 16. 17. Rom. 8. 7. Annon Electi Deo amorem retribuere, gratitudinem præstare, à malo declinare & bonum facere, operam dabunt? Psal. 18. 2. & 116. 12. 1. Pet. 3. 11. Charitas enim illa Christi (ut & Dei) illos constringit. 2. Cor. 5. 14.

Finis subalternus minime est, ut secure carni & mundo inserviant, sed ut mediis, per quæ ad finem ex Dei decreto perducuntur, bene & fideliter utantur; Qui enim Electi & ex Deo sunt geniti, audiunt Verbum Dei, Ioh. 8. 47. Perdurant in doctrina Apostolorum & communicatione & fractione panis, & precibus; Actor. 2. 42. Pie & sancte vivunt: Electi enim sunt & redempti, non tantum ad vitam æternam, sed etiam ut sint Sancti & inculpati coram eo per Charitatem. Ephes. 1. 4. *Conditi in Christo Iesu ad opera bona quæ præparavit Deus ut in ijs versarentur:* Ephes. 2. vers. 10.

Vt

Vt servirent Deo cum sanctitate & justitia in ipsius conspectu cunctos dies vitæ: Luc.1.74.75. Tit.2.14. & cap.3.8. Voluntas enim Dei est Electorum Sanctificatio, 1. Thess.4.3.

Hanc ob causam ab eodem Spiritu per quem regenerantur, & adoptionem in filios accipiunt, Dei timore donantur, ut timeant Deum universis diebus, & ab eo non recedant, Ierem.32. vers.39.40. in præceptis eius ambulent, judicia eius custodiant, & operentur: Ezech.36.vers.27. Ab eodem etiam Spiritu, qui est spiritus precum, Zachar.12.vers.10. consequuntur, ut habeant aditum ad patrem; Ephes.2. vers.18 & ut clament Abba, id est, Pater: & inenarrabilibus suspiriis Deum Patrem invocent; Rom.8.vers.15.26.

Injurij ergo & contumeliosi in Deum, qui varijs absurditatibus ex cerebro suo excogitatis, hanc doctrinam gravant, & illa seiungunt, quæ Deus Decreto suo coniunxit: minime enim hæc doctrina admonitiones, correptiones, minas, preces, &c. tollit aut inefficaces reddit. Sunt enim ex Dei voluntate necessariæ; nam sunt partes doctrinæ Christianæ; in qua pars una, alterius usum non tollit, nec illa quæ ad perficiendam salutem sunt instituta, inter se pugnant, etiamsi omnia eundem usum non habeant. Doctrina de Sanctorum Electione, & salutis certitudine suum habet usum, habent & admonitiones, correptiones, minæ, precationes, &c. suum usum peculiarem.

Doctrina Electionis & certitudinis docet, unde sit omnis nostra idoneitas, studium, pœnitentia, fides, certitudo, &c. nempe à sola gratia Dei nos eligentis & omnia dantis.

Admonitiones autem, correptiones, minæ, preces &c. sunt & sunt necessariæ, ut sciamus tum quibus mediis nos Deus ad salutem perducat, tum quid nostri sit officij, aut facere debeamus. Cum ergo quæque pars suum habeat proprium usum, unaquæque est necessaria, nec una impedit alteram.

Ex certitudine itaque Electionis & salutis Spiritus Sanctus Electos ad pie & sancte vivendum multis in locis exhortatur: Vti ex certitudine miserationum Dei, Rom.cap.12.1.2. Electionis, Eph.1.4. Vocationis, Eph.4.1.1.Thes.4.7. 1.Petr.1.15. Iustificationis, Roman.6.vers.1. Tit.3.vers.6.7.8. Obsignationis per Spiritum Sanctum, Ephes.4.30. Sanctificationis: 2.Corinth.7.vers.1. Glorificationis, 2.Pet.3.11.12. 1.Ioan.3.3.

Neque propter illam Electionis aut salutis certitudinem admonitiones omittit, neque correptiones, & ad precandum exhortationes. Dicit autem D. N. Iesus Christus, Nemo venit ad me nisi Pater traxerit eum, Iohan.cap.6.vers.44. Nihilominus omnes laborantes ad se invitat, Matth.cap.11.vers.28. Dat Deus ut homines resipiscentes agnoscant veritatem, 2.Timoth.2.vers.25. Esai.cap.52.vers.8. Ierem.31.vers.18.19. Quamplurimis tamen in locis ad pœnitentiam illos exhortatur, Esai.1.vers.16.17. dicitque cap.45.22. *Convertimini ad me*, item Ierem.3.7.12.22. Marc.1.15. Actor.2.38. Paulus docet salutem esse ex gratia, Rom.3.24. Non tamen omisit propterea ad pie vivendum admonitiones, præcepta, & exhortationes, Rom.12.vers.1.2.3. 1.Corinth.5.& 10. 2.Corinth.7.vers.1. Ephes.4.& passim. Paulus dicit Roman.9.vers.16. non esse volentis nec currentis, sed miserentis Dei, tamen hortatur ut currant, Epist.1.Corinth.9.vers.24. nec voluit conformari huic sæculo.

Christus Pharisæis reprobis diserte dicit, illos non credere quod non sint ex ovibus suis, Ioann.10.26. neque audire Verbum Dei, quia ex Deo non sunt; Ioann. cap.8.vers.47. eosdem nihilominus arguit & acriter reprehendit, Matth.cap.23.vers.13.

Petrus ait Iudæos, qui se audiebant, definito consilio & providentia Dei Christum interemisse, Actor.2.23. Interim eos de tanto scelere acriter reprehendit & ad resipiscentiam hortatur, vers.38.

Christus dicit Matth.6.vers.8. Pater scit quibus opus habeatis antequam oratis, addit tamen vers.9. *Vos igitur ita precamini, &c.* Paulus ait Roman.8.vers.26. *Nescimus quid petamus sed Spiritus pro nobis interpellat, &c.* Et Iacob.cap.1.vers.17. *Omne bonum & donum perfectum est à Patre luminum*; tamen monent & iubent ut

ut Deum pij orent, & ſapientiam à Deo petant. 1.Theſſal.cap.5.verſ.17. Iacob. 1. verſ.5.

Licet ergo tota ſalus & quicquid ad ſalutem pertinet, eiuſdem certitudo & in eadem perſeverantia, à Dei gratia & æterna electione & conſervatione pendeat, non ſequitur tamen admonitiones, minas, preces, &c. Inanes reddi, & ab iis abſtinendum eſſe: mediorum etiam uſus non adverſatur Dei Decreto, qui enim decrevit nos ſervare, media etiam ordinavit, quibus Electos ad Chriſtum trahit & in vitam æternam ducit.

Iudicamus ergo meram eſſe Remonſtrantium Calumniam, cum dicunt & inaniter in vulgus ſpargunt, doctrinam hanc de perſeverantia & certitudine ſalutis, veræ pietati & bonis operibus noxiam eſſe, item præmonitiones irritas & inefficaces reddi. Collat. Hag. Brand. pag. 354. lin. 4. 5. & 355. & 359. lin. 2. à fine. pag. 404. lin. 14. & 409. lin. 8. item facere ad gignendam incuriam, ut ſit in mediis peccatis homini pulvillus, cui poſſit commode indormiendo, ſibi blandiri & ſe conſolari: Collat. Hag. Brand. pag. 403. lin. 3. & 405. lin. 22. & pag. 507. lin. 3. à fine, adverſus VValach. pag. 75. lin. 20.

Ad Corollarium Primum.

Fides juſtificans, quoad eſſentialia, differt à fide temporaria.

Fides enim juſtificans, proprie inſtrumentum eſt, quo Chriſtum omniaque eius beneficia apprehendimus & nobis applicamus; ut in vocatione, Heb.cap.4.verſ.2. In juſtificatione, Actor. 13. verſ. 38. 39. Roman. 3. 14. & 10. 4. Actor. cap. 10. verſ. 43. In juſtificationis effectis; fide enim accipimus adoptionem in Dei filios; Ioann. 1. verſ. 12. Conſcientiarum pace fruimur, Roman. 5. 1. Aditum ad Deum habemus cum fiducia, Epheſ. 3. verſ. 12. In promiſſionibus Dei acquieſcimus Luc. 1. verſ. 45. Mundum ſuperamus & victoriam obtinemus, 1. Ioan. 5. verſ. 4. Hac ad ſalutem cuſtodimur. 1. Petr. 1. verſ. 5. & ſalutem conſequimur, Epheſ. 2. 8. Ioann. 3. verſ. 14. 16. & 6.

Itaque ut externe homo viſu & guſtu diſcernit viſus obiecta & cibum; & pedibus ad optatum locum progreditur, ita Electi, fide cernunt. 1. Corinth. 13. 12. non tantum guſtant, quam benignus ſit Dominus, Pſalm. 34. verſ. 9. 1. Petr. cap. 2. verſ. 3. Sed Chriſti carnem edunt & eius ſanguinem bibunt; Ioann. cap. 6. verſ. 54. Ad Chriſtum veniunt, Iohan. cap. 6. verſ. 35. & per fidem incedunt, 2. Corinth. 5. verſ. 7.

Hac non tantum agnoſcimus & intelligimus, unde dicitur agnitio voluntatis Dei & ſapientia, Coloſſ. 1. 9. 10. Verum etiam promiſſionibus gratiæ aſſentimur & cum fudicia nobis applicamus, certo ſtatuentes, non tantum alios, ſed nos quoque habere Deum propitium, propter Chriſtum, huic itaque in Chriſto & per Chriſtum in Deo acquieſcimus & lætamur, Roman. 4. 18. 19. & 8. 38. Galat. 2. 20. 1. Tim. 1. 16. Ioan. 8. verſ. 56. Actor. 8. 39. in fide hac πληροφορία id eſt vera, certa & plena animi de ſalute noſtra perſuaſio, Coloſſ. 2. verſ. 2. Hebr. 10. verſ. 22. Roman. 4. 21. Hebr. 6. verſ. 11. & 11. verſ. 1. Imperfecta quidem eſt in hac vita; manet enim in mente ſemper ignorantia aliqua & in corde concupiſcentia; ex parte enim cognoſcimus, 1. Corinth. 13. verſ. 12. & caro concupiſcit adverſus Spiritum, Galat. 5. 17. Atque ſæpiſſime admodum infirma & exigua, Eſai. 42. verſ. 3. Matth. 17. 20. Roman. cap. 14. verſ. 2. Nihilominus vera eſt & certa, apprehendit enim quamvis infirmius, Ieſum Chriſtum unicum ipſius fidei objectum; neque unquam totaliter aut penitus extinguitur aut amittitur; Dona enim Dei ſunt ἀμεταμέλητα, Roman. cap. 11. verſ. 29. Spiritu Dei obſignantur Electi; Epheſ. 1. verſ. 13. Epiſt. 2. Corinth. 1. verſ. 22. Fieri non poteſt ut ſeducantur & pereant, Matth. cap. 24. verſ. 34. non poſſunt peccare ad mortem, 1. Iohan. 3. verſ. 9. Malus non tangit illos; 1. Iohan. cap. 5. verſ. 18. Semen & radix fidei nunquam interitura, in ipſis manet, 1. Iohan. cap. 3. verſ. 9. & vir-

& virtute Dei custodiuntur per fidem ad salutem, 1. Petr. cap. 1. vers. 5. ut supra diximus.

Ab hac fide justificante, omnino, quoad essentialia, differt fides Temporaria.

Hac quidem fide, temporarij, verum credunt Euangelium Christi, illud accipiunt & cum quadam suavitate & gaudio sæpe etiam degustant: estq; in illa quædam mentis cognitio & voluntatis sive cordis apprehensio, dicit enim Christus, Matth. cap. 13. vers. 20. *Sermonem audiunt & eum statim cum gaudio accipiunt:* Item Hebr. 6. 4. 5. *Gustant bonum Dei verbum ac virtutes futuri sæculi:* & Ioan. 5. 35. *Iohannes erat lucerna ardens & lucens, vos autem voluistis ad tempus exultare in eius luce*: atque ita ad tempus, eodem modo quo veri fideles, affecti esse videntur.

Attamen fides illa, 1. non est ex Spiritu Adoptionis sancto, nam de temporariam fidem habentibus, dicit Christus, quod non sint ex Deo; Ioann. 8. vers. 47. imo quod sint terra petrosa, Matth. 13. vers. 20. 2. Non est sincera; causæ enim illæ quibus innititur, solidæ non sunt: non sunt enim propter Christum in verbo Euangelij oblatum, non sunt propter Deum & eius gloriam, non propter cælestia illa Christi beneficia, iustitiam ipsius & vitam æternam, quæ vera fides, tantum quærit & in iis acquiescit, etiam ante experientiam; Ioann. 20. 29. Hebr. 11. vers. 1. etiam ubi nil nisi ærumnæ & mors oculis observantur, Iob. 13. 15. & 19. 25. Psalm 23. 4. Proverb. 14. 32. Roman. 8. 35. 36. 37. 38. 39.

Fides autem temporaria est propter alias causas: aut propter novitatem Euangelij, Iohann. 5. vers. 38. & mirabilia & suavia quæ cum Euangelio, ex Dei dispensatione, nonnunquam sunt conjuncta; Ioan. 6. 14. Actor. cap. 8. vers. 13. aut propter licentiam peccandi, quam audita Euangelii doctrina de gratuita justitia & salute in Christo & libertate Christiana, statim sibi arripiunt, & Dei nostri gratiam ad lasciviam transferunt, Iudæ. cap. 4. de quibus etiam Paulus, Romanor. cap. 6. vers. 1.

Aut tandem & imprimis propter corporalia beneficia, divitias, honores, cibum, & alias huius vitæ commoditates; ut videre est in Scriba illo, qui Christo dicebat, Magister sequar te quocumque abieris, quid autem quæsierit ille patet ex Christi responsione, dicit enim *Vulpes lustra habent & volucres cæli nidos; filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet.* Item in Iudæis de quibus Christus, Ioann. 6. vers. 26. *Quæritis me quia commedistis panes illos & saturati estis:* & Matth. 13. vers. 21. *Orta oppressione vel persequutione propter sermonem, statim offenduntur.*

3. Non est solida neque firma: quod enim non est sincerum, solidum esse non potest, & quod non est solidum, non potest esse firmum, durabile aut perpetuum: causæ enim quibus innititur, ut divitiæ, honores, cibus, &c. non sunt solidæ ac diuturnæ, sed interituræ; quibus cessantibus cessat etiam fides illa, vere ergo à Christo dicuntur Temporarii, Matth. 13. 21. Cum enim radices non habent, offenduntur, in Christi sermone non manent, & recedunt. Matth. 13. 21. Luc. 8. vers. 13. Unde etiam dicitur, Ioan. 6. vers. 66. ex eo multi discipulorum eius pedem retulerunt, nec amplius cum eo versabantur?

Liquido ergo patet, temporarios nunquam habuisse veram in mente salutis cognitionem, nec in voluntate aut corde proprium assensum, & apprehensionem, atque ita nec verum gaudium aut delectationem; leviter tantum afficiuntur & oblectantur, credunt, sed non constanter, tanguntur, sed non vivaciter, afficiuntur gaudio, sed non ad medullas usque animæ pertingit nec penetrat: non est ergo vera fides, sed plane diversa seu alia à fide iustificante.

Grauiter itaque errant Remonstrantes, dum statuunt fidem justificantem non aliam esse à temporaria: imo fidem in veram & temporalem distinguere, tantum eorum esse qui Electionem & Reprobationem statuunt absolutam: Bert. Hymen. desert: latine, pag. 42. & lin. 3. à fine: & pag. 43: & 44. Grevinch. advers. Ames. pag. 141. lin. 12.

Atque hoc nostrum judicium, uti nunc de hoc Quinto sic & de præcedentibus. 1. 2. 3. & 4. Remonstrantium Articulis: quod Verbo Dei consentaneum esse, nobis, secundum tenorem præstiti juramenti, dictat conscientia.

Quare

Quare Remonſtrantium doctrinam, qua cum in his Quinque Articulis tum in aliis doctrinæ capitibus longiſſime ab Orthodoxa veritate abeunt, ac ſub objectamento Quinque Articulorum venenum Pelagianum, imo Pelagiano nocentius, Socinianum, Eccleſiis propinare conantur, taleſque errores defendunt, qui ipſam fundamentalem fidei doctrinam non modo notabiliter inquinant, ſed penitus evertunt; nullo modo in Eccleſiis jam Belgicis tolerandam, ſed repullulantes hoſce Pelagii errores mature reſecandos, Eccleſias à veneno Sociniano repurgandas, ac omnes huius doctrinæ authores, & qui eandem Remonſtrantium doctrinam amplectuntur, defendunt ac docent, miniſterio ſubmovendos eſſe judicamus. Æquum enim eſt, ut ij in Reformatis Eccleſijs docere deſinant, qui earundem doctrinam improbant, calumniantur, damnantque, ac publica proteſtatione teſtatum faciunt, judicium omnium Reformatarum Eccleſiarum, nullum apud ſe & Eccleſias ſuas habiturum eſſe pondus.

Nec bona conſcientia cum illis pax coli aut Syncretiſmus iniri ſancirive poteſt, qui contra fundamentalem fidei doctrinam inſurgunt ac errores amplectuntur.

Tandem putamus Remonſtrantibus omnibus & ſingulis graviter quantum fieri poteſt injungendum eſſe, ne quid ſcribant, ne quid viva voce ſpargant & hominibus ſuggerant, quod ad alenda diſſidia & fovendam ἑτεροδοξίαν quoquo modo pertineat. Faxit Deus, ut qui nolunt pacem, reædificari ac reſtaurari feliciter, cum cordolio ſuo, piorum autem gaudio, eam videant: concedatque idem Deus & miſerationum Pater Clementiſſimus, ut tandem nos omneſque pij, conſequamur felicem omnium harum turbarum ac moleſtiarum exitum & optatum finem; ad Eccleſiarum Reformatarum ædificationem, Reipublicæ huius Belgij proſperitatem, maxime ad nominis ſui gloriam & animarum ſalutem, per Dominum Noſtrum Ieſum Chriſtum. AMEN.

DE
Quinto Articulo Remonſtrantium,
QVI EST
DE
PERSEVERANTIA SANCTORVM,
ET SALVTIS CERTITVDINE,
Iudicium
DEPVTATORVM SYNODI
GALLO-BELGICÆ.

REMONSTRANTIVM circa iſtum Articulum, hæc præcipua videntur eſſe placita:

Perſeverantia nihil eſt aliud quam eadem pergens & perpetua fides. Vel eſt perpetuitas in credendo & obediendo. Collat. Hag. Belgic. pag. 341. Et in Declaratione exhibita.

In

Digitized by Google

In judicio Dei perseverare dicitur, qui se non facit reum eorum criminum, quæ sunt contra naturalis rationis aut supernaturalis revelationis dictamen, & qui porro mediocrem diligentiam adhibet ad infirmitates suas corrigendas. In declar.

Perseverantia non est donum Dei, quasi & ipsa infunderetur. Coll. Hagiens. pag. 343.

Nec est effectum Electionis ad salutem. thes. exh. 1.

Non agnoscimus ullum vel intrinsecum vel externum principium, aut efficacitatem, aut vim conservatricem, qua voluntatis potentia impediatur, quo minus contrario habitu informari possit. In Declar.

Deus vere fideles viribus supernaturalibus instruit & sufficientibus ad perseverandum, si velint. Thes. exhib. 2. & passim.

Non tantum potentia deficiendi semper manet in vere credente, sed etiam positis omnibus illis quæ ad perseverandum in fide necessaria sunt & sufficientia, & stante divini auxilii promtitudine & gratiæ sufficientis præsentia, imo posito in ipsa voluntate habitu fidei, fieri tamen potest, ut homo nolit perseverare. In Declar.

Si tamen ad pugnam ipsi parati sint, sibique ipsis non desint, Deus quoque paratus est eos confirmare, adeoque fulcit & confirmat. Coll. p. 256.

Non veremur regeneratam voluntatem causam perseverantiæ vocare. Coll. pag. 343.

Vere fideles possunt à vera fide excidere & totaliter & finaliter: possunt in atrocibus flagitiis perseverare & mori, ac proinde finaliter excidere & perire. Thes. exh. 3. 4.

Deus vere credentes tandem sibi suisque desideriis relinquit, in potestatem mali vel in manus satanæ tradit, & justo judicio obdurat. In Declar.

Fides per crebros actus gignitur & corrumpitur. In declar.

Sicut habitus alii potentiam ad agendum facilitant, & indifferentem relinquunt ad actus oppositos, naturaliterque inclinatam ad contrarium habitum suscipiendum: Ita habitus credendi paulatim excutitur per contrarios actus, ut etiam exercitatissimus, credere & obedire paulatim desinat, & ex fideli atque probo infidelis & improbus fiat.

Qui vero habitum credendi longa consuetudine sibi comparavit, non tantum potest, sed etiam libenter vult perseverare, nec nisi cum difficultate potest deficere. In declar.

Fides πρόσκαιρος de qua Matth. 13. 21. est vera & totalis fides, Deoque grata, nec specie a fide, quæ ad finem durat, diversa: eoque differt, quod cum promissa præmii adeptione non sit conjuncta. In declar.

Mirum non est, si quis secundo renascatur. Censemus enim sola mutatione qualitatum sine nova ulla infusione hic fieri regenerationem. Et hanc sæpius fieri non est absurdum. Collat. p. 384.

Qui a fide deficit, non protinus delabitur in veterem peccati statum, nec opus habet totali ac universali regeneratione aut rebaptizatione, sed tantum collocatur extra statum gratiæ. In declar.

Fidei certitudo est infra scientiæ certitudinem & oritur ex rerum ipsarum tam clara propositione & solida confirmatione, ut omnibus bene expensis nulla justa aut solida ratio in contrarium opponi possit, cur quis de iis certus esse non possit nec debeat. In declar.

Hac certitudine vere fidelis de sua salute certus esse potest. Et primum quidem pro tempore præsenti de salute sua & Dei benevolentia certus esse potest & debet: pro futuro autem tempore, se servatis mediis posse perseverare in fide: Et vero permansurum nisi sibi obicem ponat vel directa vel interpretativa voluntate, &c. In declar.

Hoc enim solum voluit Deus homini relinquere, ut negligentiam & contumaciam posset divinæ voluntati opponere, & Deo aliquid exigente posset hoc velle, vel contrarium velle. Ibid.

Absolute autem & simpliciter nemo certus esse potest de eo quod in fidei aut pietatis actionibns sit perseveraturus: quia tale nihil promissum est, nec ut promitteretur utile aut necessarium fuit. In Declar.

Quin imo doctrina Contra-Remonstrantium de totali & finali perseverantia & salutis certitudine tam aperte falsa est tamque inimica & noxia religioni, omnique pietati & bonis moribus, ut in Ecclesia Christi minime ferenda, sed omnibus viribus eradicanda & evellenda sit. In Declar.

Atque hæc quidem & similia multa in libris & scriptis Remonstrantium repeciuntur, quæ nec scripturæ consentanee dicuntur & ex ipsis Philosophiæ lacunis hausta, vires liberi arbitrij extollunt, perseverantiam ab hominis voluntate suspendunt, gratiam Dei obscurant, conscientias incertas & fluctuantes reddunt, ἐποχὴν & dubitationem stabiliunt, Ecclesiam denique vera sua consolatione privant.

Quibus hanc Ecclesiarum Reform. Orthodoxam sententiam paucis nos opponimus.

Theses. I.

Perseverantia, qua vere credentes ad finem usque perseverant, est merum & gratuitum Dei donum, qui eos quos vocavit in communionem Filij sui ad gloriæ participationem in Christo, sanctificat, stabilit, roborat, adeoque Spiritu S. in diem redemptionis obsignat, denique quod cœpit opus bonum, in electis suis perficit ad diem usque Christi. Phil. 2. 13. 1. Cor. 1. 8. 9. 1. Thess. 3. 13. & 5. 23. 24. 2. Thess. 2. 16. 17. 1. Pet. 5. 10. Ephes. 1. 13. 14. Phil. 1. 6.

2.

Hoc donum perseverantiæ fluit ex gratioso Electionis decreto, quo placuit Deo per gratiam electos suos misericorditer & infallibiliter adducere ad gloriam. Ephes. 1. 4. 11. 12. 13. 2. Thess. 2. 13. 14. Rom. 8. 30. 33. 34. Ioh. 15. 16. Matth. 24. 24. Proinde non pendet à dubia conditione aut ab incertitudine & indifferentia voluntatis humanæ: non etiam à crebris fidei actibus, quos varie interrumpi, turbari & minui posse vel sola experientia satis comprobat.

3.

Etsi vere credentes & Christo penitus per fidem insiti non sint immunes, dum vivunt, à lapsibus etiam gravioribus, quibus nonnunquam vel ex ignorantia, vel ex nimia infirmitate & vehementiore tentationis impetu, secundum carnem abripiuntur: quibus etiam Deum graviter offendunt, Spiritum S. contristant, sensum lætitiæ & bonæ conscientiæ interturbant, multisque Dei donis sese merito privant, adeoque iram Dei super se accersunt, eamque cum pavoribus conscientiæ aliquando horribiliter persentiscunt: nunquam tamen ita deseruntur à Deo; ut in peccatis malitiose perseverent, aut à fide omnique Dei gratia totaliter & finaliter excidant, sed benignitate Dei denuo resurgunt & virtute Dei custodiuntur per fidem ad salutem suo tempore præstandam post finitum certamen & adeptam victoriam. 2. Sam. 7. 14. Psal. 125. 3. Psal. 6. 1. 1. Cor. 10. 13. Matth. 9. 14. 1. Ioh. 3. 9. & 5. 17. 18. Rom. 8. 30. & 11. 29. Ioh. 10. 27. 28. 29. & Matth. 24. 24. Luc. 23. 31. 32. Psal. 103. 3. 9. 10. 13. 1. Pet. 1. 5. Ioh. 17. 15. Adde exempla omnium fidelium quorum lapsus recitantur in sacris literis.

4.

Fides Electorum Dei nunquam est πρόσκαιρος. Nam illa radicata est & fructus adfert per tolerantiam, quod τῷ προσκαίρῳ non competit. Luc. 8. 13. 14. 15.

5.

Vera & justificans fides non tantum omnem dubitationem excludit, quoad præterita aut præsentia Dei bona, sed etiam quoad futura, præsertim salutis & vitæ æternæ. Credo vitam æternam &c. In symbolo. Rom.8.38.39. 1.Iohan.3.2. Marc.11.24. Iac.1.6. Heb.11.1. Psal.138.8.

6.

Etsi bonorum futurorum promissiones certissimæ sint, non sine mediis fidei, resipiscentiæ, invocationis, studii & conatus pij, timoris Dei, bonæ conscientiæ caventis lapsus, obtinendæ: firmitatem tamen & certitudinem eorum non virtuti aut infirmitati fidelium inter tam multa certamina & pericula concredidit Deus, sed in potenti manu sua tanquam depositum aliquod infallibiliter per eadem media suis largiendum gratiose reservavit. Es.46.3.4. 1. Pet.1.5. Ioh.10.28.29. Matth.16.18. 2.Tim.1.12. & 4.18. 1. Thess.5.24. 2.Corinth.1.21.

7.

Certitudo fidei non tantum est de possibilitate perseverandi, sed de ipsa indubia & infallibili perseverantia. 2.Tim.1.12. & 4.18. Rom.8.38. & 4.20.21. Rom. 5.1,2.&c. Psal.23. Iohan.5.24. Apocal.20.6. Hebr.11.1. 1.Cor.1.8,9. 1.Iohan. 5.10,11,13.

8.

Certitudo fidei de salute & vita æterna omni demonstratione & scientia superior pro fundamento habet,

1. Promissiones divinas factas credentibus, qua credentes sunt. Ierem.32.40. Ioh.3.16. Ioh.5.24. Rom.9.33. & 10.11.

2. Efficacissimam Christi mortem & intercessionem. Iohan.17.11.15.17.20. Luc.22.32. Rom.8.34.

3. Fœderis divini æternitatem & stabilitatem. Ierem.31.35.36. Esai.54.10. Oseæ 2.19.

4. Spiritus Sancti testimonium & obsignationem. Rom.8.16.17. 2.Corinth.1. 21.22. Eph.1.13.14.

5. Potentissimam Dei custodiam. 1.Pet.1.5. Ioh.17.11.15. Ioh.10.29.

6. Eiusdem fidelitatem & justitiam. 1 Corinth.1.9. & 10.13. 1.Thess.5.24. Hebr.6.10.

7. Misericordiam Dei & amorem durantem in æternum. Psal.138.8. Ioh.13.1.

8. Efficacem Dei vocationem & æternam electionem. Eph.1.4.5.6. 1.Cor.1.9. Roman.8.30.

Atque hanc vocationem & electionem non parum confirmant ipsa fidei & resipiscentiæ opera, bonæque conscientiæ testimonium. 2.Petr.1.10. 1.Ioh.3.14.&c.

9.

Hæc doctrina de totali & finali perseverantia filiorum Dei vere credentium, deque certitudine salutis ac vitæ æternæ, tam non est noxia pietati vel bonis moribus, aut securitatis magistra, ut contra potius fideles per omnem vitam cautiores reddat, & vehementer acuat ad timorem Dei, ardentem invocationem, veramque pietatem. Philip.2.13.14. 1.Thess.5.22.23.&c. 2.Petr.1.10.11. Hebr.6.10.11. In tentationibus vero & angoribus conscientiæ lapsos erigit, nutantes stabilit, adversus desperationem munit, & in fiducia ac certa spe divinæ gratiæ confirmat. 1.Iohan.2.2. 1.Sam.12.20.22. 2.Reg.13.23. Ierem.14.7,9. Esa.48.9,11. Ioel.2,13. Psal.103.9,10. & Psal.25.11. Rom.7.24,25.

Duplicem usum huius doctrinæ nemo pius confundit aut intervertit, sed pro conditione sui status recte sibi distinguendum, & suo tempore applicandum novit.

Hactenus sententiam Remonstrantium de quinque articulis excussimus. In quibus nihil præsertim deprehendimus, nisi fallaces verborum cothurnos, meras humani cerebri confictas imaginationes, multorum noxiorum errorum latibula, ad liberi arbitrij patrocinium excogitata, quæ non solum in Scriptura non continentur, sed & maximam partem cum Scriptura diserte pugnant, & à doctrina Ecclesiarum Reformatarum quam longissime recedunt. Quæ omnia quo synodico judicio notari debeant, in posterum serio dispiciendum erit.

Oramus autem Deum & Patrem Domini nostri Iesu Christi, Deum veritatis & pacis, ut velit huic venerandæ Synodo divinam suam largiri gratiam, qua in timore Domini concorditer ea statuantur, quæ ad divini nominis gloriam, veritatis defensionem & conservationem, pacem & tranquillitatem Ecclesiarum Belgicarum quam maxime necessaria sunt: iisque omnibus clementer benedicat.

AMEN.

FINIS.

Reliqua Iudicij Zuyt-Holland. de Tertio & Quarto Articulis pag. 169. omissa.

Reijcimus ergo.

1. Post lapsum infusionem nullam sanctitatis fieri in affectus.
2. Dolorem secundum Deum, metum salutarem, non tam pœnæ quam offensionis divinæ, verum justitiæ desiderium, & plures ejusmodi bonos affectuum motus, non esse effecta regenerationis.

VII.

De gratia subsequente circa hominem regenitum.

Eundem Dei Spiritum opus hoc regenerationis in omnibus animæ facultatibus jam productum, conservare, gubernare, excitare ad actiones exercendas præmovere & applicare per gratiam seu auxilium subsequens: ut ab ipso sit omne initium, progressus, complementum efficaciter & infallibiliter. Itaque.

1. Novas facultates seu dispositiones non superaddere aut infundere, sed mentem, voluntatem, & affectus jam facultatibus instructos promovere, applicare, & determinare ad actum, ut ex non agentibus fiant agentes, & actu utantur potentia & facultate sua per regenerationem accepta.

2. Applicationem & determinationem non tantum esse ad exercitium actus, sed etiam ad singularitatem, id est, determinare Spir. S. non tantum simpliciter ut agamus, sed etiam ut hoc loco, hoc tempore, tali modo agamus quod ipsi placet. Ut ita in solidum laus omnis boni, sive potentiæ, sive actus & usus, sive horum omnium modi, illi tribuatur, qui operatur in nobis & velle & perficere, & coronat in nobis sua opera.

Considerentur loca, Iohan. 15. 5. Cantic. 1. 4. Ierem. 31. 18. 2. Cor. 3. 5. Philip. 1. 6. Philip. 2. 13. Ephes. 2. 10. & 3. 20. Psal. 68. 26. Psal. 119. 35. 36. 37. & 40.

Huc respexit Augustinus Epist. 107. *Ad fidem rectam & Catholicam pertinere scimus, gratiam Dei ad singulos actus dari.*

De Natura & gratia cap. 26. *Sicut oculus corporis etiam plenissime sanus nisi candore lucis adjutus non potest cernere: sic homo etiam perfectissime justificatus, nisi æterna luce justitiæ divinitus adjuvetur, recte non potest vivere.*

Errata

Errata sic corrigenda.

IN Parte prima *in Præfat. ad Eccl.* pag 1. l. [?] *leg* ut aut utramque. pag. 21 l. 12. *leg* topantque ut Legatus à fet. ✝✝✝ 2. l. 15 nullis quibusdam deput. [illegible] l. 21 *leg* ad Iud Synodi Nation. appel. p. 11. l. 1. *le* Ipsam quoque Gomarum [illegible] & Cate &c p. 43. l. 2[?] *leg* manu. licet. p. 4[?]. l. [?] æque plene p. 65 l. 7 *leg* omnes Professores. Pag. p. 1. l. 7. simul *pro* semel. p. 109. l. 13. *leg.* quod ead. hora illis p. 125. l. 4. *à fin. dele* prout. *& lin. seq. leg* [illegible] prout ipsis [illegible] Maior, Aleander. p. 16[?] l. *ult.* ve[illegible] fidem. p. 192 l. 16. Friderici [illegible] p. 69 l. 20 *pro* [illegible]gisse detulisse. p. 192. l. 41. Celsitudinib. p. 197. l. 4. *à fine* fuit [illegible] p. 204. l. 21. & in ea fide, fideique: p. 21[?] l. *ult. leg.* negent omnipotentiam p. 254. l. 13. præsentissimum. *ibid.* l. 26. eorum *leg.* [illegible] p. 3[?] l. [?] & Reip p. 341 l. 18. *leg.* nulla p. 345. l. 4. *leg.* Reip. non esse [illegible] *leg.* Nos [illegible] p. 358 l. 27. tam [illegible] tum.

In Secunda parte: p. 3. l. *ult.* Ephes. 1. 4 p. 11. l. *antep.* Scriptura. p. 10, *columnæ sunt transpositæ, sententia vero incepit*, [illegible] p. 32. l. 1 2 3. *ita sunt conjungenda & corrigenda* filii pro[illegible] & [illegible] Rom. 4. [illegible] requirantur in prægenitum. p. 54. l. 22. de Prædestinatione Theolog. Bre[illegible] p. 61 l. 4[?] *leg.* pag. [illegible] p. 71. l. 3 *le*. [illegible] & incerto electis, Ibid. *le*. conditione incerta. p. 72. l. 7. *leg.* Greuinch. p. 85. l. 36. Rom. 8. 1. p. 99 l. 12. et subordin. p. 120. l. *antep* mediationi p. 122. l. 40. *leg.* a. 8. [illegible] 122. l. 41. *dele* [illegible] est pro nobis. p. [illegible] l. 33 cur *leg.* cur p. 182. l. 21 *leg.* superaddi non poterit?

In tertia parte. p. 10. l. 18. *leg.* ex præscito. p. 18. l. 9. *leg.* Rem. election. falsam. p. 41. l. 6. præterire, & in peccato & in [illegible] relinquere, quos *ead.* l. [illegible] Eccl. ex Dei verbo p. 42. l. 9. post exam. *dele* hanc. p. 43. l. 3. [illegible] Non est Deus ut homo Consilium meum stabit &c. falsa igitur thesis antithesis [illegible] & Scripturæ contestanea [illegible] peccaverunt per legem damnabuntur & qui sine lege peccaverunt. [illegible] *ibid.* l. 2[?]. Reprob. proprie nihil p. 7[?]. l. [?] *leg.* [illegible] p. 77. l. 15. *leg.* prodit. p. 82 l. *ult.* salvos [illegible] ad salutem *leg.* in hac vita p. 94. l. 7 *à fin.* [illegible] Christus [illegible] quidem [illegible] illius culpa seu primi peccati remissionem impetrasset. p. [illegible] plurimque & posse & velle p. 56. l. 17. [illegible] *add.*, & crediturum, sed fieri etiam potuisset ut nulli [illegible] fideles. p. 9[?] l. [?] At non soli electi p. 116. l. 4. negatur esse p. 124. l. 31. æque late pateant. p. [?] [illegible] sed pro peccatis totius mundi part. p. 127. l. 4[?] alam vel. p. 128 l. 23. præscindatur. p. 130. l. [?] [illegible] quam illis Rem. p. 132 l. 34 omnium infant. p. 133. l. 40. Christi, maledicta & acerbis[illegible] p. 140. l. 1. ad reprobos, *ibid.* l. 2[?] *dele* fuit. p. 162. l. 1. nos autem obl. p. 178. l. 6. *à fin.* [illegible] Actis. p. 1[?] l. 35 *leg.* avertere p. 198. l. 6 sublevatio p. 201. l. 1[?] peccato *leg.* [illegible] p. [?] l. [?] *à fin* Quod autem l. 4. *à fin.* Num quod. p. 208. l. 1. defectum gratiæ p. 21[?] l. *antep.* Concedimus itaque. p. 215. l. 10. Act. c. 9. p. 218. l. 6. *à fin* conv. vel non convertere, adeoq; [illegible] Fieri [illegible] l. 1[?] [illegible] non enim homo est ut pœniteat eum, *ibid.* l. [?] [illegible] favore. pag. 2[?] ad beatam. *leg.* denique. p. [?] l. 4. *à fin.* 2 Cor. 1. 20.

Reliqua errata typographica, siquæ præter hæc obrepserunt, benignus & sedulus Lector facile emendabit.

LVGDVNI BATAVORVM,

Typis ISAACI ELSEVIRI,

Academiæ Typographi,

Societatis DORDRECHTANÆ sumptibus.

cIↄ Iↄ c xx.

Digitized by Google

Digitized by Google

48 H.3

3-4-50.

Digitized by Google

Google